Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/collectiodeclara0004johf

COLLECTIO DECLARATIONUM

SACRÆ CONGREGATIONIS

CARDINALIUM

SACRI CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM

ATREBATI. — EX TYPIS ROUSSEAU-LEROY.

COLLECTIO

DECLARATIONUM

SACRÆ CONGREGATIONIS

CARDINALIUM

SACRI CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM

QUÆ CONSENTANEE AD TRIDENTINORUM PATRUM DECRETA,
ALIASQUE CANONICI JURIS SANCTIONES SECULO XVIII, IN CAUSIS PROPOSITIS PRODIERUNT

HUIC ACCEDUNT

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ PRÆSERTIM NOVISSIMÆ
AD CONCILII TRIDENTINI DECRETA SPECTANTES, DECRETA GENERALIA
CETERARUM CONGREGATIONUM, NECNON SELECTÆ VETERES DECLARATIONES, MENTES, MODI
ET INSTRUCTIONES SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII INEDITÆ

OPUS

AD MAJOREM FACILITATEM ALPHABETICO
ORDINE PER MATERIAS, ET TRACTATUS DISPOSITUM
ACCURATEQUE COLLECTUM, AC IN TRES PARTES DE DECLARATIONIBUS
DE TITULIS CAUSARUM, DEQUE CONCLUSIONIBUS
DIVISUM, OPERA ET STUDIO

JOH. FORTUNATI DE COMITIBUS ZAMBONI
ROMANI JURISCONSULTI

TOMUS IV

ALMA COLLEGE
262.21
LIBRARY
Z 15
Alma, California

ATREBATI
APUD ROUSSEAU-LEROY, BIBLIOPOLAM
VIA VULGO DICTA DES ONZE-MILLE-VIERGES
MDCCCLXVIII

9494

MONITUM

Quæ operi præmittenda erat dissertatio de Concilio Tridentino et de Sacra Congregatione Concilii, hic reponere coactus fui ob vicissitudines heu! nimis notas et infensas, quibus initio hujus editionis etiam in Germania, ubi tum degebam, opus erat obsequi. Tunc haud mihi concessum fuit integræ dissertationis publicatio, et tantummodo nonnulla capita præfixa fuere primo voluminì. Nunc vero quod, favente Deo, immutatæ et penitus in bonum conversæ res sunt, operæ pretium duco publici juris facere quidquid injuria temporum vel suppressum vel mutilatum fuit, et cunctis illis præsertim in Germania et in Hungaria, quibus innotuit censuræ judicium, palam ostendere quod vetitum fuit, et quæ jugiter professus sum principia, pro quibus stat veritas et doctrina irreformabilis fidei Romanæ et catholicæ Apostolicæ Sedis. Hinc igitur dabo capita quæ in integrum prohibita fuere, et capitum partes quæ supprimere debui, et sic opus qualecumque sit, integrum saltem erit. Addam insuper omnino capitum indicem, cum indicatione illorum, quæ in introductione primi voluminis præmittere mihi licuit, ut lectoribus satisfaciam et coronidem operi imponam, quod per tot vicissitudines, post tantos casus, et cum multis laboribus meis, ad majorem Dei gloriam, ad utilitatem Ecclesiæ, et illorum opem qui theologicis disciplinis et præsertim sacrorum Canonum studio incumbunt, juvante Deo tandem perfeci.

INDEX INTEGRÆ INTRODUCTIONIS

§ I. — Ratio præsentis editionis. (Vide tom. I. hujus Operis pag. I. *Introd.*)

§ II. — Divus Petrus curam totius Ecclesiæ habuit (*infra*).

§ III. — Post D. Petrum successores Romani Pontifes curam in universa Ecclesia habuerunt (*infra*).

§ IV. — Omnes Episcopi et fideles Romanum Pontificem semper in rebus fidei ac disciplinæ consuluerunt (*infra*).

§ V. — Responsa Summi Pontificis fuerunt semper in tota Ecclesia in veneratione habita (*infra*).

§ VI. — Ex veneratione et primatus Romani Pontificis obsequio, ac ut vinculum unionis in Ecclesia servaretur, debitum Episcoporum Limina Apostolorum visitandi ortum est (*infra*).

§ VII. — Die procedente crevit Ecclesia ac fidelium numerus; hinc Romanus Pontifex causa jæ exercendæ potestatis Curia ac Senatu indiguit (*infra*).

§ VIII. — Cardinalium S. R. E. dignitas, potestas et officium (*infra*).

§ IX. — Hinc summa rerum universalis Ecclesiæ ope Cardinalium Congregationum fuit pertractata (*infra*).

§ X. — Cum autem sæculo XVI novi errores in fide exorti fuerint, et disciplina ecclesiastica prolapsa sit; hinc Concilium generale Tridentinum celebratum fuit. (Vide tom. I, § II, *Introd..*, pag. XI.)

[Nota : In hoc § quod erat observatione dignum quoad veram doctrinam Concilii Tridentini de Matrimonio deletum fuit. In sess. 24 ejusdem Concilii *de Reformatione matrimonii* non solum canones duodecim, sed etiam id quod in cap. I ejusdem sessionis sub anathemate definitum est, dogmata fidei catholicæ de sacramento Matrimonii continent. Ita cap. I cit. : *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, quos sancta Synodus ANATHEMATE damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.....*]

§ XI. — Concilium Tridentinum statuit quid ad fidem ac universam Ecclesiæ disciplinam restituendam opus erat. (Vide tom. I, § III, *Introd.*, pag. VI.)

§ XII. — Hujus sacri Concilii Tridentini decreta interpretandi potestas prohibita fuit, et Summo Pontifici reservata. (Vide tom. I, § IV, *Introd.*, pag. XIII.)

[Nota : In hoc § deletum fuit id quod tam erudite ac accurate expendit doctissimus Fagnanus in lib. II *Decret.* in cap. *Cum venissent de Jud.*, nempe quod Episcopi in suis decretis ac constitutionibus, et judices in suis sententiis et interlocutionibus interpretari non possunt decreta Concilii Tridentini; item doctoribus ac magistris non licet glossas, commentarios, adnotationes, atque scholia super decretis Concilii Tridentini typis mandare, ac impressa edere. Relatæ inde fuerunt exceptiones nonnullæ, quæ habentur in *Introd.* cit., pag. XXVII; postmodum addebatur :

Qua de causa S. Pius V, Pont. Max. in epist. *ad Episcopos in provinciali Cæsaraugustana synodo congregatos* die 12 martii 1566 data, eos monuit, ne contempta Sedis Apostolicæ auctoritate, *quidquam decernere ausi fuerint quo sacrosanctæ Synod. Tridentinæ decreta commutent, negligantve, aut temere interpretentur, et non, si quid limitandum, ampliandum, aut interpretandum visum fuerit, ipsam sedem consuluerint, quæ sibi talem, ut diximus, interpretationem, et potestatem reservavit* [1].

Hinc in indice librorum prohibitorum Pii VI Pont. Max. jussu edito, relatæ sunt adnotationes Joannis de Gallermart, et Augustini Barbosa, remissionesque doctorum, qui varia loca Concilii Tridentini incidenter tractarunt; de quo ait Fagnanus [2]: « Et meo tempore, cum in Sac. Congregatione examinatum esset, quid agendum de remissionibus, quas typis impressas edidit Augustinus Barbosa, ad universa decreta Concilii Tridentini, quamvis propriæ remissiones illæ Concilium non interpretentur, sed simpliciter referant suo quemque loco auctores, qui singula decreta interpretati sunt : attamen, cum relatum sit in referente, et negari non possit, quin hæc fuit implicita interpretatio ex aliorum sententia, et species quæ dam, die 27 april. 1621, de mandato Gregorii XV decrevit hujusmodi remissiones indici librorum prohibitorum esse adjiciendas, prout fuerunt adjectæ », et num. 57, significavit, quod quum olim quidam jurisperitus edidisset glossam typis excusam Hispano idiomate ad integrum corpus Concilii Tridentini, S. Congregatio Concilii declaravit eum incidisse in excommunicationem in const. Pii IV inflictam.

Et revera ex lib. 12, *Decretorum* S. Congregationis Concilii, fol. 70 et 72, colligitur, quod Sacra eadem Congregatio ad evitandas diversas opiniones, quæ non modicam confusionem in juris doctrina pariunt, approbante Gregorio XV Pont. Max. sapienter decrevit anno 1621, die 24 maii, *Indici librorum prohibitorum adjiciendas esse omnes et quascumque collectiones declarationum, decisionum, seu interpretationum Congreg. Conc. impressas, vel imprimendas.* Ac nominatim nonnullas tunc temporis editas rejecit, nempe indici librorum prohibitorum addendas præsertim Marzilla, Farinacii, Barbosæ, Sotcalli, Lucii, et Gallemart. Nec minus prudenter decennio post, nempe die 2 aug. 1631, eamdem sanctionem renovavit, atque edito solemni decreto, omnibus resolutionibus Sac. Congregationis Concilii, quæ authentica præscripta forma (nempe nisi sint subscriptæ a Card. Præfecto, et secretario ejusdem S. Congregationis, sigilloque prædicti Cardinalis munita) datæ non essent, fidem omnem ademit, jubente id, et approbante S. M. Urbano VIII, uti habetur ex lib. 14. *Decret.* fol. 473.]

§ XIII. — Hinc Romani Pontifices inter ceteras S. R. E. Cardinalium Congregationes, erexerunt S. Congr. Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum, cui potestas interpretandi fuit tantum reservata. (Vide tom. I, § v, *Introd.*, pag. XIV.)

§ XIV. — Et rerum summa universalis Ecclesiæ, quæ acta in Concilio Tridentino fuit, in prædicta Sac. Congreg. tractatur. (Vide tom. I, § VI, *Introd.*, pag. XVII.)

§ XV. — Declarationes Sacræ Congregationis Concilii earumque divisio, vis, et usus (*infra*).

§ XVI. — Auctoritas Declarationum S. Congregationis Concilii confirmatur ex maxima veneratione, quam merito ostenderunt ceteræ congregationes, judices inferiores, magistratus, atque doctores, necnon fideles omnes, qui ex toto orbe catholico eam in rebus dubiis consuluerunt (*infra*).

§ XVII. — Nonnulla contra auctoritatem earumdem declarationum objiciuntur et diluuntur (*infra*).

§ XVIII. — Declarationes S. Congregr. Concilii variantur, sicut Ecclesiæ disciplina mutatur, licet unus idemque semper fuit disciplinæ spiritus (*infra*).

§ XIX. — Praxis S. Congreg. Concilii, quæ in causis dubiisque propositis servatur. (Vide tom. I, § VII, *Introd.*, pag. XXI.)

§ XX. — De causis contentiosis quæ in S. Congr. Concilii agitantur. (Vide tom. I, § VIII, *Introd.*, pag. XXVII.)

§ XXI. — De causis, et quæstionibus, quæ in S. Congreg. Concilii cumplative cum ceteris sacris Congr. agitantur; et quæ ad easdem Sacras Congregationes et tribunalia definienda, vel consulenda S. Congr. Concilii remittit, (Vide tom. I, § IX, *Introd.*, pag. XXVIII.)

§ XXII. — Super residentia Episcoporum, deque Congregatione specialiter desuper instituta, de ejusdem auctoritate et exercitio. (Vide tom. I, § X, *Introd.*, pag. XXXII.)

§ XXIII. — De facultate et officio Card. Præfecti S. Congregationis Concilii. (Vide tom. I, § XI, *Introd.*, pag. XXVVI.)

§ XXIV. — De munere et officio a secretis Sa-

[1] *Annal. Eccl. Jacobi Laderchio Baronii, et Raynaldi continuatoris* ad annum 1566, tom. II, pag. 294.

[2] *Loc. cit.*, num. 58.

cræ Congr. Concilii. (Vide tom. I, § XII, *Introd.*, pag. XXXVII.)

§ XXV. — De Congregatione particulari Præsulum S. Congreg Concilii adjecta, pro recipiendis et examinandis relationibus statuum ecclesiarum, quos omnes jurisdictionem episcopalem, vel quasi episcopalem habentes limina Aposto orum visitantes exhibent. (Vide tom. I, § XIII, *Introd.*, pag. XXXVIII.)

§ XXVI. — De archivo, secretaria et officialibus Sac. Congreg. Concilii. (Vide tom. I, § XIV, *Introd*, pag. XL.)

§ XXVII. — De editionibus Congreg. Concilii Tridentini, atque declarationum Congregationis Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum. (Vide tom. I, § XV, *Introd.*, pag. XLIII.)

§ ULTIMUS. — Quid a me in hac collectione præstitum sit. (Vide tom. I, § ultim. *Introd.*, pag. XLVII.)

FINIS INDICIS INTEGRÆ INTRODUCTIONIS PRIMI VOLUMINIS.

SUPPLEMENTUM INTRODUCTIONIS

PRIMI VOLUMINIS.

---

§ II.

Divus Petrus curam totius Ecclesiæ habuit.

Etsi Christus Dominus unum sit et proprium Ecclesiæ catholicæ caput, eamque spiritualiter ac invisibiliter regat ac moderetur, eget tamen Ecclesia, quæ corporalis est ac visibilis, uno aliquo visibili summo Judice, a quo lites de religione exortæ componantur, quique omnes inferiores præfectos in officio et unitate contineat; alioquin Episcopi et Pastores fere supervacanei essent; hinc de medio haud tollendus qui totius Ecclesiæ curam ut summus œconomus gerit, quamvis eamdem curam Christus principaliter exerceat. Unum certe ovile Christi Ecclesia est, cujus unus supremus Pastor Christus ipse regnans in cœlis, unum quoque sui Vicarium supremum in terris visibilem pastorem reliquit, in cujus voce Christi vocem oves audirent, ne, seductæ alienorum vocibus, in venenata quæque ac mortifera pascua dilaberentur. Et revera omnis ecclesiasticæ jurisdictionis primatus, qui originem a Christo ducit, immediate S. Petro in ædificationem et bonum Ecclesiæ, antequam ea ædificaretur, traditus fuit; et hoc præcipuum ac personale jus, a quo præcipuæ et personalis jurisdictionis primatus emanat, ab evangelicis testimoniis solide firmatur. Nam Christus ante suam passionem Petro supremam in Ecclesia auctoritatem promittens dixit [1] : *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;* quorum verborum sensus est, ut intelligamus sub duabus metaphoris promissum Petro totius Ecclesiæ principatum. Prior metaphora est fundamenti in ædificio, ut in corpore caput, in civitate rector, in regno rex, paterfamilias in domo. Posterior est clavium, quæ tantum regibus, gubernatoribus civitatis traduntur. Hæc verba luculenter expendunt Card. Bellarminus *de Rom. Pont.*, lib. I *Controv.* cap. 10 seqq., et temporibus nostris clarissimi viri Franc. Ant. de Simeonibus *de Rom. Pont. judic. potest.*, tom. I, cap. 1 et 2; Mamachius in *Orig. Christ.;* Card. Orsius *de Rom. Pont. potest.;* Petrus Ballerinius *de Vi ac ratione primatus Rom. Pontificum*, cap. 5, pag. 21; Franc. Ant. Zaccaria in *Antifebron. vindic.*, tom. I, diss. 11, cap. 3, pag. 303; in *Adnot. ad S. Cypriani librum de Unitate*, pag. 199 seqq., et diss. *de S. Petri primatu.*

Et revera Clemens I [2], Papias Hierosolymitanus episcopus [3], et Ignatius Antiochenus [4]

[1] Matth., cap. 16, vers. 18. — [2] Epist. I *ad Corinth.*, num. 5 seqq. — [3] Apud Eusebium, *Hist. Eccl.*, III, 39. — [4] Epist. *ad Rom.*, num. 4.

sacros scriptores imitati, et fideliter sequuti Petrum primo loco semper nominant, ut potiorem ejus dignitatem ostenderent. Justinus martyr [1], Dionysius Corinthius [2], Hegesippus [3], et martyres Lugdunenses [4] sic de Petro loquuntur, ut eum Apostolorum principem, totiusque Ecclesiæ caput institutum fuisse aperte indicent. S. Joannes Chrysostomus [5] prædictum locum exponens ait : « Ecclesiæ pastorem ipsum constituit »; et infra : « Hieremiam quidem uni genti, Pater : Petrum autem universo terrarum orbi Christus præposuit »; et homil. 87 *in Joan.* : « Cum magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandavit ». S. Ambrosius, serm. 47 : « Petra, inquit, dicitur Petrus, eo quod tanquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat ». Gregorius [6] : « Cunctis enim, ait, Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica, sancto et omnium Apostolorum principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc. »; et paulo post : « Ecce claves regni cœlestis accepit, et potestas et ligandi atque solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ, et principatus committitur ».

Deinde eadem potestas Petro promissa a Christo Domino postquam resurrexit, data fuit hisce verbis [7] : *Simon Joannis, pasce agnos meos, pasce oves meas.* Hinc Ambrosius exponens hæc ipsa verba : « Ideo, inquit, quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur ». Item Leo epist. 89 *ad Episc. Viennen. prov.* : « Cui, ait, cum præ cæteris solvendi et ligandi potestas tradita sit, pascendarum tamen ovium cura SPECIALIUS mandata ». Et quid sibi verbo illo *specialius* voluerit S. Pontifex, ex alio loco [8] patebit : « In illis (id est diebus) per insufflationem Domini infunditur Apostolis omnibus Spiritus sanctus, et beato apostolo Petro supra cæteros post regni claves ovilis Dominici cura mandatur ». Et S. Joan. Chrysostomus in hunc locum loquutus est : « Aliis omissis Petrum duntaxat afflatur, fratrum ei curam committit »; et infra : « Nam cum magna Dominus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset ». Perspicua minimeque ambigua Christum christianos omnes Apostolorum principi credidisse, et Apostolos quoque eidem fuisse commissos colligitur. « Dicit ei, ait Eucherius homil. *in Vig. S. Petri et Pauli*, tom. VI. *Bibliot. Patrum*, pag. 794 : *Pasce oves meas.* Prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum pastorem, sed pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres; regit et subditos, regit et prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est. »

Cura præterea universi catholici orbis divo Petro tributa jus coactivum ad unitatem catholicam componendam, et conservandam, non vero merum officium repræsentandæ unitatis concreditum fuit. Sancti quidem Patres constanti Ecclesiæ traditione ita curam et unitatem S. Petro creditam prædicant, ut apta et necessaria ad id potestate eumdem præditum innuant vel præsumant. Idonea enim unitatis catholicæ compingendæ, atque custodiendæ potestas, non meram unitatis repræsentandæ facultatem, sed ipsius formandæ, et continendæ vim plane coactivam, jurisdictioni propriam efflagitat. Equidem SS. Patres de instituendi primatus ratione enucleatius agentes, hanc vim coactivam primati collatam non obscure insinuant, cum dicunt, vel cum S. Irenæo « necesse esse omnes undique fideles [9] »cum Romana Apostolica Sede « convenire », seu unitatem tenere, propter « potiorem principalitatem », id est propter primatum; vel cum S. Hieronymo [10], Petrum prælatum cæteris, « ut capite constituto schismatis tollatur occasio »; vel cum Optato [11], S. Petro claves, quæ jurisdictionem ac vim coactivum significant,

[1] *Dialog. cum Tryphone*, num. 106. — [2] Apud Eusebium, *Hist. Eccl.*, II, 25, et IV, 22. — [3] Apud eumd. Eusebium, IV, 22. — [4] Apud eumd., IV, 3. — [5] Hom. 54 al. 55 *in Matth.*, tom. VII, pag. 520. — [6] Lib. 4, epist. 32. — [7] Cap. ult. Lucæ. — [8] In serm. I, *de Ascen.*, cap. 2, pag. 312. — [9] Lib. 1 *contr. Hæres*, c. 3. — [10] Lib. 1 *in Jovin.*, num. 26. — [11] Lib. 7 *in Parmenianum*, c. 3.

« bono unitatis» datas fuisse : quæ sententia satis indicat, S. Petrum claves, id est coactivam jurisdictionem accepisse, non ut unitatem tantum repræsentaret, cui nihil clavibus vel præcipua jurisdictione opus esset, sed ut eam componeret, et custodiret, quod sine vi ad unitatem catholicam cogente, quæ schismata, ac divisiones impediat, vel dejiciat, præstari non potest.

Verum enim Petri primatum evertere videtur Apostolorum inter se æqualitas. Constat enim ex sacris Litteris [1] Apostolos omnes eamdem sacerdotii plenitudinem, easdem claves regni cœlorum, parem potestatem ab ipso Christo accepisse. Idem Patres confirmant. Diserte Cyprianus [2] : « Et quamvis Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem (Christus) tribuat... hoc erant utique et ceteri Apestoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, et honoris, et potestatis ». Idem habet Hieronymus [3], qui ex divinis Litteris scite observat, non modo super Petrum, sed super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiam a Christo fundatam fuisse. Consonant mirifice Origenes, Hilarius, Ambrosius, Theophylactus, Beda, aliique sexcenti, qui claves cunctis Apostolis a Christo datas adfirmant [4]. Sed hæc æqualis Apostolorum potestas nihil Petri primatui officit. Apostoli enim pares Petro fuerunt ratione apostolatus, impares autem ratione primatus, quem uni Petro Christus contulit. Hoc utique erant Apostoli, quod fuit Petrus, sed excepta primatus prærogativa. Jacobus et Joannes parem potestatem acceperunt ac Petrus ; sed Christus unitatem nec a Jacobo, nec a Joanne incipere voluit. Ipsi Patres, qui objici solent, id unum probant, Apostolos solvendi ligandique potestate, fidei prædicatione, Ecclesiarum fundatione, pares inter se fuisse. At eorum nemo inquit, Apostolos in primatu æquales Petro fuisse ; quin, quibus locis Episcoporum æqualitatem admittunt, iisdem Petri primatum eximiamque potestatem efferunt.

Hic primatus Petro collatus in tuenda, et conservanda Ecclesiæ unitate unice consistit. Quanquam enim Apostoli omnes parem a Christo potestatem acceperint ; et pluribus tamen pari potestate præditis, unum Petrum Christus delegit, eumque petram et fundamentum Ecclesiæ ædificandæ posuit, totius ecclesiasticæ unitatis centrum dixit, cui cæteri Apostoli adhærerent, et ratione unitatis subjicerentur, clavesque in solidum communicatas indivulsa consensione, et caritate cum capite exercerent, ut una monstraretur Ecclesia, atque adeo schismata præciderentur. Est hæc antiquorum Patrum doctrina, qui duo certissima ponunt, et Apostolos omnes pari honoris et potestatis consortio instructos, et a Christo unitatis originem in Petro constructam, ut unitas Ecclesiæ ab eo incipiens manifestaretur. Origenes [5], Tertullianus [6] docent, Petrum esse « magnum Ecclesiæ fundamentum, et petram solidissimam super quam Christus fundavit Ecclesiam ». Cyprianus [7] ex ipsius Christi verbis colligit, Christum « super unum (Petrum) ædificasse Ecclesiam suam ». Tum, ne quid hinc ceteris Apostolis ademisse videatur, sic explicat Petri privilegium, ut quamvis parem Apostolis omnibus potestatem a Domino collatam adserat, « tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno manantem sua auctoritate disposuisse », ait. Consonat Hieronymus [8] : « At dicis, inquit, super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni cœlorum accipiant, et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio ». Pari modo Optatus [9] probat, Petrum Apostolorum caput a Christo constitutum, ut unitas servaretur, omnesque in una communione ei adhæ-

[1] Joan. 20, 21 ; Matth., 18, 18. — [2] Lib. *de Unit. Eccles.* — [3] Lib. 1 *cont. Jovinian.*, cap. 14. — [4] Horum Patrum loca Launoius, Dupinius, Osius, Ballerinius, aliique supra laudati congesserunt et explicarunt. — [5] Homil. V *in Exod.* et alibi. — [6] *De Monogam.*, cap. 8, *de Pudicit.*, cap. 21, aliisque locis. — [7] Lib. *de Unit. Eccl.* — [8] Cit. lib. 1 *ad Jovinian.*, cap. 14. — [9] Lib. 2, *contr. Parmenian.*, num. 2, lib. 7, num. 3, et alibi.

rerent, additque : « Omnes discipulos suos (Christus) voluit in unum esse... Bono unitatis Petrus eligitur... et præferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum communicandas ceteris solus accepit ». Augustinus scribit [1] « Petrum Ecclesiæ in figura gestasse personam propter primatum, quem in discipulis habuit ». Et alibi [2] : « Ecclesiæ, inquit, Petrus propter apostolatus sui principatum gerebat figurata generalitate personam ». Tandem, ne diutius in hac re immorer, Pacianus [3] in uno Petro unitatem Ecc esiæ fundatam ait : « Ad Petrum, inquit, loquutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno : mox id ipsum in commune præcipiens ». Nimirum in uno Petro constituit Christus Dominus unitatis centrum, suamque fundavit Ecclesiam, ut ab uno hoc capite Ecclesiæ unitas commonstraretur. Principium autem unitatis sine primatu stare nequit ; quis enim ei primatum deneget, a quo incipit unitas, et per quam Ecclesia una monstratur ?

Mirum sane, quod et auctores infensi auctoritati Rom. Pontificis vi veritatis impulsi cum nobis plane consentiant, et *æqualitatem* inter Petrum et Apostolos omnino inficiantur. E. du Pin aperte ait [4] : « Apostolos in clavium administratione, fidei prædicatione, Ecclesiarum fundatione, potestate, auctoritate æquales fuisse : at eos IN PRIMATU PETRO ÆQUALES FUISSE NULLUS dicit ». Nec autumetur E. du Pin de primatu honoris tantum hic verba facere. Ipse fassus est, multas prærogativas ex hoc primatu fluere, « quæ ipsi non secus ac primati jure divino competunt », et quamvis difficile videatur conciliare hæc cum aliis illius sententiis, quæ ei promeruerunt hoc epiphonema Trickii heterodoxi « quam probe semel iterumque vir doctus principiis Protestantium, hoc est veritati, accedit ! » ipse viderit. Nobis satis est ostendisse vel hunc idipsum quam nos tradidisse. Eadem docent doctores Gallicani, ipseque Quesnellius in *Comm. ad verba Pauli ad Cor.* [5] : « Nihil enim minus fui ab iis, qui supra modum Apostoli, asserit, in his omnibus æqualitas non respicit proprie nisi apostolatum, non autem primatum Apostolatus ». Hinc ab auctoribus etiam minime suspectis aperte colligitur aliud est *apostolatus*, in quo reapse æquales Petro fueruntApostoli, aliud *primatus*, qui uni Petro creditus fuit, et qui, ut ait E. du Pin [6], « res est, quæ uni tantum convenit, nec alteri potest communicari ». Jam in compertum est Innoc. X. ut hæreticam notasse propositionem qua S. Petrus et S. Paulus velut « duo Ecclesiæ capita » constituebat. Qui plura optat, conferat præ ceteris Ballerinium *de Vi ac Ratione primatus RR. Pontificum*, cap. 2, 3, et seqq.

§ III.

Post D. Petrum successores Romani Pontifices curam in universa Ecclesia hauserunt.

Primatus a Christo institutus, Petroque collatus, non personalis fuit, ita ut cum illo periret ; sed realis, ac perpetuus. Is enim in Ecclesia constitutus est non propter Petrum, sed propter ipsius Ecclesiæ unitatem, ut scilicet capite constituto schismatum et dissensionum occasio tolleretur ; quæ constans Patrum doctrina est. Quum autem ex Christi pollicitatione Ecclesia in æternum permansura sit, perpetuo etiam manere primatus debet. « *Qu'on ne dise point, qu'on ne pense point que ce ministère de saint Pierre finisse avec lui : ce qui doit servir de soutien à une Eglise éternelle ne peut jamais avoir de fin. Pierre vivra dans ses successeurs ; Pierre parlera toujours dans la chaire : c'est ce que dtsent les Pères ; c'est ce que confirment six cent trente évêques au concile de Chalcédoine.* »

[1] *In Psalm.* 108, num. 1. — [2] Tract. 124 *in Joan.*, num. 5. — [3] Epist. 21. — [4] *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, diss. 4, c. 1, § 3. — [5] II ad Cor., II, 5. — [6] Loc. cit.

(*Bossuet*, serm. *de Unitate*). Præterea privilegium hoc in tuenda Ecclesiæ unitate consistit. Quare ut unitas non desiit, ita nec primatus, et principium unitatis, quod Christus eo consilio instituit, ut Ecclesia una monstretur. Hinc ex divina institutione Petrus successorem in primatu habere debuit. Quanquam autem primatus origo, et perpetuitas ex divino jure promanet, tamen ipsa successionis ratio humani juris est. Christus quidem perpetuum in Ecclesia primatum instituit, Petroque contulit, nihil tamen de Episcopo Petri successore cavit. Ex divina institutione successorem in primatu habere Petrus debebat, at ejus electio in Petri potestate posita erat. Petrus itaque non divino præcepto, sed voluntate sua e multis, quas instituit, et ad tempus rexit, ecclesiis, Romanam a se fundatam, et ad mortem usque administratam elegit, quæ sibi in primatu succederet; expedire ratus, in Urbe amplissimi Imperii, et superstitionis principe, christianorum sacrorum metropolim, et ecclesiasticæ unitatis verticem defigere. « Tenet sancta Romana Sedes gubernationem regendarum cuncti orbis ecclesiarum, ait Theodoritus *od Renatum*, Ecclesia Romana hoc habet supra ecclesias alias, quod nulla plures populos subegit verbo Dei; ita ut non minores fuerint ejus victoriæ per Christi arma, quam veteris Romæ per arma Martis. Deinde et aliarum ecclesiarum regimen post Apostolorum mortem ad illam Ecclesiam pervenit. » Quare Apostolico jure, hoc est, Petri electione, Romanæ Sedi primatus addictus est. Quod vero hanc prerogativam jam adepta sit Romana Cathedra, divini juris est, Romanum Pontificem ex Petri successione primatum in universam Ecclesiam obtinere; et hæc est certa indubitata, et concors e Scripturis, et traditionibus evidenter demonstrata Ecclesiæ catholicæ assertio. Et hic Primatus est honoris, auctoritatis, et jurisdictionis, Scriptura fundatus, Traditione stabilitus, continuo usu, praxi, et consuetudine roboratus.

Nam Petrus quum fuerit constitutus a Domino petra et caput unitatis Ecclesiæ, sine dubio ille Episcopus qui Petri locum possidebit dignitatem quoque et auctoritatem capitis in se suscipiet. Locus autem Petri Ecclesia Romana fuit.

Sedes ROMANA Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Religione tenet.
(Prosper *in Carm. de Ingratis* v. 51.)

In Episcopo Romano residere primatum in Ecclesiæ regimine a Christo constitutum, Romanumque Pontificem totius Ecclesiæ sollicitudinem, quam Petrus gessit, habuisse semper, et habere ostenditur. Si enim compertum est Romæ Petrum fuisse, et in Romana sede decedentem, successoribus suis primatum bono Ecclesiæ necessarium reliquisse; statim sequitur, Romanos Pontifices eidem Petro in ipsius primatu succedere, adeo ut eadem, qua ille functus est, totius Ecclesiæ primatus vi, ac ratione, jure successionis potiantur. Qua de causa Eulogius, episcopus Alexandrinus, S. Petrum in summis Pontificibus respiciens, eumdem in Romana cathedra tunc quoque sedentem professus est « dicens, ut tradit S. Gregorius [1], quod ipse (S. Petrus) in ea nunc usque in suis successoribus sedeat ». Et pari loquutione Philippus, Romanæ Ecclesiæ presbyter Ephesini concilii Patres usos fuisse [2] affirmare non dubitavit : « Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum, quod S. Petrus ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit ». Ita pariter S. Petrus Chrysologus in epist. *ad Eutychem* [3] num. 2 ; « S. Petrus, inquit, qui in propria sede (id est in successoribus) et vivit, et præsidet » : et S. Leo serm. 3, al. 11. in *assumptione sui ad Pontificatum* cap. III, t. 1, c. 12 :« Cujus (Petri) in

[1] Lib. 7, epist. 40. — [2] Concil. Ephes., act. 3. — [3] Epist. 25.

sua sede vivit potestas, et excellit auctoritas »; et cap. IV, col. 13 : « Cujus dignitas etiam in indigno hærede non deficit ». Hac de causa Philippus, legatus Apostolicus ad concilium Ephesinum, ita loquutus est [1] : « Nulli dubium (inquit), imo seculis omnibus notum est, quod Sanctus, beatissimusque Petrus Apostolorum princeps, et caput, fideique columna, et Ecclesiæ Catholicæ fundamentum a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis, ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique, ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem successor, et locum tenens Sanctus, et Beatissimus Papa Noster Cœlestinus Episcopus nos ipsius præsentiam supplentes ad hanc Synodum misit ». Igitur, quum exploratum sit, Romanos Pontifices S. Petri successores eadem primatus ratione et vi potiri, quam S. Petrus obtinuit : profecto sequitur, easdem ipsius primatus prærogativas eidem obtingere, eademque sacræ auctoritatis testimonia, ex quibus primatus S. Petri ratio, et vis eruitur, quæque ipsi uti primati congruunt, Romanis quoque Pontificibus eodem prorsus sensu convenire ; utpote confessi sunt Episcopi Ecclesiæ Gallicanæ [2] : « *Comme intéressant la foi catholique, savoir que Jésus-Christ a institué dans son Église une forme de monarchie visible, dont S. Pierre est le chef ; que Jésus Christ a voulu que S. Pierre et ses successeurs fussent ses vicaires sur la terre, et le représentant en sa qualité de chef, et que le Pape a de droit divin une primauté d'honneur et de juridiction.* » Hinc Pius Papa (Const. *Auctorem fidei* 28 aug. 1794, damnavit uti HÆRETICAM hanc propositionem excerptam a synodo Pistoriensi anno 1786 celebrata, quæ est tertia : « Romanum Pontificem esse caput ministeriale ; sic explicatam ut Romanus Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, quæ velut Petri successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia. »

Item etiam firmatur ex fine Pontificatus. Oportebat Petro aliquem in primatu Ecclesiæ universæ succedere, quum Ecclesia modo non minus egeat uno Pastore, quam tempore Apostolorum, non igitur moriente Petro interire debuit Pontificatus, qui non in Petri commodum, sed in Ecclesiæ utilitatem institutus erat, donec ipsa Ecclesia maneat, et unius summi Pastoris cura et vigilantia opus habeat. Nam cum Dominus ait Petro : *Pasce oves meas,* omnes oves suas ei commisit, neque solum omnes ratione loci, sed etiam ratione temporis, cum non minus nobis quam antiquis Christus prospicere debuerit ; sed Petrus non semper victurus erat in carne ; igitur, cum ei Dominus ait : *Pasce oves meas,* in illo *omnes* successores ejus alloquutus est. Itaque Chrysostomus [3] : « Quanam, inquit, de causa ille sanguinem effudit suum ? Certe ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat ». Et S. Leo [4] : « Manet ergo, ait, dispositio veritatis, et B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit », perseverat videlicet Petrus, et vivit in successoribus suis. B. Petrus Episc. Ravennæ [5] ait ; « Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem quo sensu verissimum est, quod Bossuet [6] scripsit ; « Accipiendi ergo Romani Pontifices tanquam una persona Petri ». S. Theodorus Studia [7] testatur episcopos dixisse Michaeli imperatori : « Jubeat magna ipsius et a Deo conservanda manus, ad communem utilitatem, a vetere Roma suscipi declarationem, prout olim, et ab initio, paterna traditione, transmissus mos est. Hæc enim est suprema Ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit : TU ES PETRUS, etc. » Et revera nullus fuit unquam,

[1] Apud Harduinum, *Concil.*, tom. I, pag. 1478. — [2] *Lettre écrite en* 1728 *par* 31 *Prélats au Roi.* — [3] Lib. 2 *de Sacerd.*, circ. princ. — [4] Serm. III, al II *de Anniv. Assumpt. sui ad Pontif.*, cap. 4, tom. I, col. 12. — [5] Epist. *ad Eutych.* — [6] *Defens. Decl. cleri Gallic.*, lib. 10, al 15, c. 5. — [7] Lib. 2, epist. 86.

qui se Petri successorem ullo modo asseruit, vel pro tali sit habitus, præter Romanum Pontificem. Petrus enim adhuc vivens, et Pontificatum gerens, Antiochenam Ecclesiam reliquit, et Romæ sedem suam fixit; restat igitur, ut Romanus Episcopus, qui Petro in Urbe Roma morienti successit eidem in tota ipsius dignitate et potestate successerit.

Ut autem res hæc tota melius intelligatur, observanda sunt quædam cum Card. Bellarmino [1]. Primo, aliud esse successionem, aliud rationem successionis; nam successio Romani Pontificis in pontificatum Petri ex instituto Christi est, ratio autem successionis, qua Romanus Pontifex potius quam Antiochenus, vel aliquis alius succedat, ex facto Petri initium habuit. Successio, inquam, ipsa ex Christi instituto et jure divino est, quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi; et proinde quicumque Petro succedit, a Christo accipit Pontificatum. At vero, quod Episcopus Romanus sit Petri successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit primis quinque annis; et tunc moriente Petro non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset. Potuisset quoque semper manere Antiochiæ, et tunc Antiochenus sine dubio successisset: quia vero Romæ sedem fixit et tenuit usque ad mortem, quod cuncti Patres constansque traditio comprobant, inde factum est ut Romanus Pontifex ei succedat. Hinc asserendum est jure divino Romanum Pontificem pastorem esse, et caput totius Ecclesiæ, de quo jure, meritoque S. Bernardus scripsit ad Eugenium Pontificem [2]: « Age, indagenus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos maximus, summus Pontifex; Tu princeps Episcoporum, Tu hæres Apostolorum, Tu primatu Abel, gubernatione Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt.... Nec modo ovium, sed et pastorum omnium; Tu unus Pastor.... Alii in partem sollicitudinis, Tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur in ipsos qui potestatem super alios acceperunt ». Et ad hoc reapse requiritur, ut ipsa successio sit de jure divino, hoc est, ut ordinarium officium Ecclesiam universam cum summa potestate gubernandi non sit ab hominibus; sed a Deo immediate institutum.

Et revera Romani Pontifices utpote Petri successores totius Ecclesiæ curam gesserunt. S. Innocentius I ad Milevitani concilii Patres scribens ait [3]: « Diligenter ergo et congrue Apostolici consulitis honoris arcanis. Honoris, inquam, illius quem præter illa quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum ». Et S. Cœlestinus Illyrici Episcopos, sibi ut parerent, his verbis hortatur [4]: « Nosque præcipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in S. Petro Apostolo... indulsit ». Idem ad Episcopos qui Ephesino concilio interfuerant scribit [5]: « Peracta est a vobis totius summa negotii; agendum nunc, quod instat et restat, ne sit in vacuum laboratum. Longius quidem sumus positi, sed per sollicitudinem totum proprius intuemur. Omnes habet beati Petri apostoli cura præsentes. » S. Leo non minus re quam nomine Magnus inquit [6]: « Et quia per omnes ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui apostolicæ dignitatis beatissimo apostolo Petro primatum, fidei suæ renumeratione, commisit ». Et alibi [7]: « Quoniam sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ad Anastasium Thessaloniensem scribit, ita ego dilectioni tuæ priorum sequutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam, quam universis ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis adjuvares ».

[1] *De Rom. Pont.*, lib. 2, cap. 12. — [2] Lib. 2, *de Consid.*, cap. 8. — [3] Concil., tom. II, pag. 1282. D. — [4] *Holst. Rom. Coll.*, pag. 86. — [5] Conc., tom. II, pag. 1627. A. — [6] Epist. 5, c. 2, pag. 420. — [7] Epist. 12, c. 1, pag. 438.

Ac de causa S. Gelasius ad Dardaniæ et Illyrici Episcopos scribit [1] : « Quoniam pro Sedis Apostolicæ principatu, cujus sollicitudo delegata divinitus, cunctis debetur ecclesiis, non vivimus, si vos statis in Domino, magnisque gaudiis triumphamus ». Idem Honorium, Dalmatiæ episcopum, his verbis reprehendit [2] : « Miramur dilectionem tuam fuisse miratam, curam Sedis Apostolicæ, quæ more majorum cunctis per mundum debetur ecclesiis, pro vestræ quoque regionis fide fuisse sollicitam ». Symmachus, Gelasii successor, hujusmodi verbis Anastasium imper. ad colendam Apostolicam Sedem hortatur [3] : « Catholici Principes quidem semper Apostolicos Præsules institutos suis litteris prævenerunt, et illam confessionem, fidemque præcipuam, tanquam boni filii, quæsierunt debitæ pietatis affectu, cui noscis ipsius Domini Salvatoris ore curam totius Ecclesiæ delegatum ». Sed nunquam finis esset, si omnia summorum Pontificum testimonia proferre vellem, ideoque S. Gregorium Magnum protulisse contentus, ab alia properabo. En ejus verba [4] : « Quoniam Fuscus Capuanæ ecclesiæ episcopus, in Romana civitate positus, de hac luce migravit, curæ nobis fuit, quæ universis ecclesiis a nobis impertitur, ad Fraternitatem Tuam præsentia scripta dirigere ». Ex quibus testimoniis compertum est, Romanum Pontificem omnium, universarum, cunctarum per mundum ecclesiarum, vel generalis Ecclesiæ curam habere, ovesque indefinitive, non collective ei fuisse commissas ; sed semper intra fidei limites, quos sic præscribit concilium Florentinum anni 1438 sess. 5. [5] : « Definimus Romanum deinde Pontificem, sanctamque Apostolicam Sedem in universo orbe terrarum primatum obtinere, ipsumque Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, et verum Jesu Christi Vicarium, totius Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem, ipsisque in beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam ».

Quæ omnia quicumque paulo attentius reputare secum ipse voluerit, plane intelliget nullum jam dubitandi locum relinqui, quin plenitudo potestatis, quod attinet ad regimen Ecclesiæ, nativo, et singulari jure propria sit Romani Pontificis ; et Sedes divi Petri, Cathedra veritatis, quæ loquitur per eos suorum Successorum, merito potest gloriari cum Bossuet [6], dum refert acclamationes concilii VI œcumeni erga Pontificem S. Agathonem ob condemnationem Monothelitarum. « Pierre, inquit, a parlé par Agathon. *Toutes les autres hérésies ont reçu de même endroit le coup mortel. Ainsi l'Eglise Romaine est toujours vierge ; la foi Romaine est toujours la foi de l'Eglise, on croit toujours ce qu'on a cru, la même voix retentit partout, et Pierre demeure dans ses successeurs le fondement des fidèles. C'est Jésus-Christ qui l'a dit, et le ciel et la terre passeront plutôt que sa parole.* » Hoc enim ille didicerat e celebri epistola divi Hieronymi *ad Damasum*, ubi legitur : « Ideo mihi Cathedram Petri, et fidem Apostolico ore laudatam censui consulendum.... Ego nullum alium nisi Christum sequens Beatitudini Tuæ id est Cathedræ Petri communione consocior : super illam Petram ædificatam ecclesiam scio.... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est ». Id insuper luculenter expendit doctissimus cardinalis Gerdilius in secunda parte pag. 87, edit. Rom. 1801, celeberrimi operis inscripti : *Esame de' motivi della Opposizione fatta da Monsig. Vescovo di Noli alla publicazione della bolla AUCTOREM FIDEI, preceduto dall' Esame delle Ristessioni Preliminari dell' Anonimo Editore de'medesimi.*

Nam a decem et octo seculis, quibus Sedes Apostolica a Petro Romæ erecta ac fundata est, hæreticorum errores, ac schismaticorum fraudes eam evertere nequaquam po-

[1] Concil., tom. 4, p. 1196, D. — [2] *Ibid.*, p. 1173, E. — [3] *Ibid.*, p. 1299. A. — [4] Lib. 5, epist. 13, p. 737, D. — [5] Apud Labb., tom. IX, pag. 1157, edit. Paris, 1714. — [6] Serm. *de Unit.*

tuerunt. Hinc firma manet vera ac primigenia Pontificatus maximi natura, quæ in eo consistit ut primum ab uno Pontifice Romano Ecclesiæ universæ, uti universæ, negotia pendere debeant; deinde, ut Episcopi ceteri, quacumque dignitate fruantur, illi subsint, servato constituto ordine, ubi opus aut opportunum sit adjuvandi, confirmandi, corrigendi, plectendi, uno verbo, eo utilioribus modis dirigendi, quo Ecclesiæ omnes eam sortiantur fidelem administrationem, quam Christus Dominus, a quo omnis potestas in Ecclesiam derivatur, gerendam præordinavit, uti earumdem Ecclesiarum utilitas postulat; quæ duo, uti dictum est, veluti summa sunt capita generalis illius in tota Ecclesia potestatis. Hinc sane intelligimus, qua ratione pertineat ad Pontificem Maximum Episcopos ad generale concilium convocare; convocatæque synodo præesse, item ea disponere, quæ ad propagationem fidei latius extendendam conducunt, certas præterea leges constituere in omnibus diœcesibus regulariter observandas, seu confirmandæ fidei causa, seu doctrinæ morum stabiliendæ, tuendæque, seu inducendæ in disciplina unitatis; hæc enim singula cum similibus Ecclesiam universam, uti universam, respiciunt. Intelligimus etiam qua ratione factum fuerit, ut quædam induci potuerint, aliquando etiam debuerint, reservationes, devolutiones, exemptiones Sedis Apostolicæ gratia; ut appellationes ad Sedem Apostolicam ab Episcoporum sententiis probarentur, aut alia his similia, quæ ex sui natura indicant, inferiorum Antistitum excessus cohiberi, aut suppleri defectum ea ratione debuisse.

Neque hoc loco pigeat audire, quod hanc in rem vir clarissimus Gerdilius cum maxima sacra eruditione ait, *Opuscula ad Hierarchicam Ecclesiæ Constitutionem spectantia perpolitæ editionis* Parmæ 1789, pag. 195 : « Una scilicet Apostolica Sedes velut radix, et matrix, mater et magistra ecclesiarum omni ætate, in omnium oculis per universam Ecclesiam enituit, e qua sacerdotalis unitas exorta sit, episcopatus ipse, ac tota auctoritas ejus nominis emerserit, ad quam oporteat omnes ecclesias, omnes qui undique sunt fideles convenire, cujus adeo sit, quid ab aliis observari debeat, præscribere: unum, qui ei Sedi præest Romanum Pontificem, non tantum velut Episcopum inter Episcopos primum, sed ut Pastorem Pastorum, Pontificum Pontificem, Patres nostri omni memoria, omni studio, et obsequio coluere : unum, ex cujus Apostolico Principatu agnoverint venerandæ communionis jura in omnes dimanare, cuique proinde jus sit communionis per universam Ecclesiam impertiendæ : unum, ad quem omnia, quæ gravioris momenti geruntur, ad religionem spectantia referenda sint, ut aut ejus judicio probata, valeant, aut improbata, cadant irrita : unum, de quo certum Episcopos, qui ab eo assumuntur, veros esse ac legitimos Episcopos : unum, cui potestatis plenitudo excellenti quadam, propria et singulari appellatione tribui valeat. Non hæc sunt a nobis excogitata, non noviter invecta, non latenter inducta, et per insidias, sed patenti, sed clara, et illustri Patrum prædicatione promulgata, synodorum decretis comprobata, omnium gentium vocibus, et linguis orbe toto celebrata. »

Hæc omnia plene congruunt cum iis quæ in sacrosancto Concilio Tridentino expressa sunt, de quo testimonia pene innumera habemus, illud Romani Pontificis Primatum honoris atque jurisdictionis agnovisse. Haud dicam, quoties Ecclesiam Romanam *matrem et magistram omnium ecclesiarum* Concilium Tridentinum appellaverit? sess. 7, can. 3, *de Baptis.*; sess. 14, cap. 3, *de Extrem. Unct.*; sess. 22, cap. 8, *de Sacrif. Mis.*; et sess. 25, *de Delect. cib. jejun.*, etc. Haud dicam, ipsum in confesso fuisse supremam in Romano Pontifice protestatem, sess. 14, cap. 7, *de Pœnit.*, atque Ecclesiæ universæ administrationem residere, sess. 25, cap. 1, *de Refor.* Neque dicam quomodo omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis præceperit spondere, et profiteri veram obedientiam summo Pontifici hisce verbis : « Necnon veram obedientiam Summo

Romano Pontifici spondeant, et profiteantur ? » sess. 25, cap. 2, *de Reform.* Illa tantum commemorabo privilegia, in quibus positus est primatus jurisdictionis quem Romano Pontifici Concilium attribuit. Romano enim Pontifici veluti Ecclesiæ universæ capiti conciliorum generalium convocationem vindicavit, sess. 25, *de Recip. et Obs. Decr. Conc.* Vindicavit omnem vim confirmationemque decretorum Concilii, sess. ead. *de Fin. Concil. et Confir. petend. a Sanctissimo D. N.*; dubiorum definitionem, omniumque ecclesiarum sollicitudinem, sess. 25, *de Recip. et Obs. Decr. Concil.*; sess. 24, cap. 1, *de Refor.*; pastoribus Ecclesiarum traditionem, sess. 6, cap. *de Refor* ; gravium causarum Episcoporum decisionem, sess. 13, cap. 8, *de Refor.* ; absolutionis atrocium criminum reservationem his verbis : « Unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculari judicio reservare » sess. 4, cap. 7, *de Pœnit.* ; aliaque similia, ex quibus primatus tum honoris, tum jurisdictionis in Romano Pontifice ratione firmatur in favorem ejusdem declaravit.

Qua de causa strenue, ac non minus erudite laudatus cardinalis Gerdilius in citato opere cui titulus : *Esame de' motivi*, etc., pag. 169 et seqq., ex luculentissimis monumentis Ecclesiasticæ antiquitatis Romanum Pontificem vindicavit a calumniis episcopi Naulensis, qui temere asseruit, posterioribus temporibus majorem auctoritatem juribus Episcoporum læsivam, Romanos Pontifices usurpasse. Imo dici vere potest cum Bossuet *Collor. Defens.*, § 10, qui enumeratis excelsis privilegiis Romano Pontifici concessis, ait : « Hæc habens et exercens Apostolica Sedes, tanta antiquitus auctoritate viguit, ut postea fidens dixerim, ut minuta magis quam aucta esse videatur. » Et nonnullis gestis SS. Leonis et Gelasii relatis, subjungit : « Quis autem Pontifex posteriore ætate, qua nonnullis potestate aucti videntur, tanta gessit ? » Sapientius idcirco presbyteri ad episcopales Galliarum sedes adlecti, epistola ad Innocentium XII, data anno 1693, dixerunt : « Ad pedes Beatitudinis Vestræ provoluti, profitemur et declaramus, nos vehementer quidem, et supra omne id quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in comitiis prædictis (1682), quæ Sanctitati Vestræ, et ejusdem prædecessoribus summopere displicuerunt : ac proinde quidquid in iis comitiis circa ecclesiasticam potestatem, et Pontificiam auctoritatem declaratum censeri potuit, pro non decreto habemus, et habendum esse declaramus. » Vide egregium opus cui titulus : *Lettera pastorale di Monsignor Carlo Pisani de la Gaude, vescovo di Nence, sullo ubbidienza al Sommo Pontefice.* Roma 1792 ; qui, pag. 93, Ludovici quoque XIV epistolam ad eumdem Innocentium XII recitat, qua se præcepisse testatur, ne ea Declaratio vim illam in toto Galliarum regno haberet, nec ulli eam doctrinam sequi aut docere liceret.

§ IV.

Omnes Episcopi et fideles Romanum Pontificem semper in rebus dubiis fidei ac disciplinæ consuluerunt.

Quum in Romana Sede Petri, et soliditas et auctoritas collocata sit, ac illa totius Ecclesiæ unitatis sit origo, radix, et centrum ; necessario consequitur, omnes undique fideles, omnes orbis Ecclesias adstringi ad servandam et colendam communionem cum ea. Hinc Irenæus [1] scribit : « Ad Romanam Ecclesiam, PROPTER POTIOREM PRINCIPALITATEM, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt undique fideles. Et revera semper usque a primis Ecclesiæ Christi sæculis omnes Epi-

[1] Lib. 3 *advers. Hæres*, cap. 3.

scopi ac fideles ad Romanum Pontificem, quem universæ Ecclesiæ caput Christus ipse constituit, omnes graviores de fide ac disciplina controversias detulerunt, quod manifestum est ex omnibus ecclesiasticis monumentis, atque ex decretalibus epistolis summorum Pontificum, tum quas memorant antiqui Patres, tum quæ nunc etiam extant. Et Romani Pontifices appellationes ex omnibus orbis partibus admiserunt, quod constantissime in Ecclesia Dei a primis etiam temporibus derivata, et ad nostra usque tempora producta disciplina probat, atque confirmat. Et dignæ in primis memoratu sunt litteræ Sanctissimorum Pontificum Innocentii I, Cœlestini, et Leonis M., ex quibus intelligitur, quam multa ex tota Ecclesia negotia omnes ad Sedem Apostolicam deferrent, ut ejus judicio finirentur. Nam Innocentius I, scribens ad Patres concilii Milevitani anno 417, eorum litteras accepisse, inquit [1] « inter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas, et Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus ; et paulo post ipsis compertum esse ait [2] « quod per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent ». Quod etiam confirmat ipse Innocentius, qui ita Felici, episcopo Noceræ, scripsit [3] : « Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad Nos, quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus referre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendumque pronuntiet. »

Non impar onus habuit Cœlestinus, qui scribens anno 425 Episcopis Illyricis ait [4] : « Inter cæteras curas, et diversa negotia, quæ ad nos ex cunctis veniunt semper ecclesiis ». Sed S. Leo Magnus anno 445 testatur, quod vel e sola Gallia innumeræ erant relationes, inquiens [5] : « Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam sedem, pro sui reverentia a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam » ; et Serm. 5, al. 1, cap. 2, tom. I, fol. 20, ait : « Quamvis enim singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibus suis præsint, sciantque se pro commissis sibi ovibus reddituros esse rationem ; nobis tamen cum omnibus cura communis est ; neque cujusquam administratio non nostri laboris est portio : ut dum ad beati apostoli Petri Sedem ex toto orbe concurritur, et illa universalis Ecclesiæ a Domino eidem commendata dilectio, etiam ex nostra dispensatione deposcitur ; tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto cunctis majora debemus ». Ideo mirandum haud est, quod Avitus, episcopus Viennæ constitutus, scribat [6] : « Scitis synodalium legum esse, ut in rebus, quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Ecclesiæ maximum sacerdotem, quasi ad caput nostrum, membra sequentia recurramus ». Hinc constans apud omnes fuit semper traditio, Romanis Pontificibus curam, et sollicitudinem ecclesiarum omnium divinitus demandatam esse ; ipsorum esse, universæ christianæ reipublicæ saluti et commodis prospicere, canonum observantiam ab omnibus fidelibus et Episcopis deposcere, dubia explicare, majora definire, et quidquid in universa Ecclesia observari oporteat discernere.

Hoc jure inde usque ab Ecclesiæ ortu Romani Pontifices usi decretales ediderunt, quibus relationibus et consultationibus ab Episcopis in gravioribus fidei et disciplinæ negotiis propositis respondebant. Inscriptum enim est opus decretalium Gregorii IX papæ compilatio. Continent decretales epistolas seu decretalia rescripta, et absolute *Decretales* dicantur ex glossa [7], Epistolæ, seu responsa, quibus Pontifex ad consultationem Episcoporum, aliorumque etiam privatorum, rescribit ; et erant hujusmodi decreta, seu decretales Romanorum Pontificum constitutiones, et ad fidem confirmandam, et ad di-

[1] Epist. 30, apud Coustant, col. 895. — [2] *Ibid.*, col. 896. — [3] Epist. 37, col. 910. — [4] Epist. 3, col. 1065. — [5] Epist. 10, cap. 2, tom. I, col. 6554. — [6] Epist. 36. — [7] Ad Const. ejusd. Gregorii dicto volumini præfixam verb. *Constitutiones.*

sciplinam instaurandam, constituendamve, et ad propositas causas dirimendas conditæ. Haud abludit Baronius [1] : « Decretales vero, inquit, dicebantur Romanorum Pontificum epistolæ, quibus vel ad diversorum consultationes respondere solerent, vel cum quid servandum, vitandumque esset, edicerent ». Ea enim erga Petri Apostolorum principis successores adhibita semper fuit reverentia, ut in orbe toto nil fere quidquam gravis momenti evenerit, quod non ad eos sit relatum. Exoriebatur novus aliquis error, isque implicatus, et ad veritatis speciem compositus? gemebant factiosorum hominum vi oppressæ leges, innocentia, æquitas? tum enim vero implorabatur Pontificum Romanorum fides, consilium ab eorum doctrina, auxilium ab auctoritate petebatur. Hinc nominatim ab Innocentio I laudantur Afri, quod « antiquæ regulæ formam, quam toto semper orbe servatam norant, secuti, super anxiis rebus, quæ tenenda esset sententia [2] », Sedem Apostolicam consuluissent. Sed ea etiam fuit Romanorum Præsulum religio, ut quæ consulentibus responsa dabant, ea dirigerent ad paternarum regularum constituta, et « ex Apostolico fonte semper emanare curarent [3] ».

Sane ab antiquissimis usque temporibus ab Orientalibus et Occidentalibus consultationes, et relationes de fidei et disciplinæ quæstionibus fieri solebant ad Romanam Sedem, ob primatus prærogativam, et quum omnibus provinciis Apostolica Sedes invigilaret, omnibus certe prospiciebat sapientibus responsis, et gravitate consiliorum. Julius I vetustissimam esse ejusmodi consuetudinem a Petro derivatam testatur [4] : « An ignoratis hunc fuisse morem, ut primum ad Nos scriberetur, atque ea quæ justa sunt, hinc decernerentur ». Siricius consultationi Himerii, Tarraconensis episcopi, respondens, ait [5] : « Ad Romanam Ecclesiam, utpote ad caput sui corporis, retulisti »; Innocentius I : « Ex antiquæ regulæ forma, toto semper orbe servata, Romanam Sedem super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia », consultam ab omnibus provinciis, scribit [6]. Idem mos consulendi, et referendi ad Romanam Sedem, ut ad caput Ecclesiarum, ab Orientalibus adhibitus. Cyrillus Alexandrinus de Nestorio ad Cœlestinum papam retulit [7] : « Longa, inquit, Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res Sanctitati Tuæ communicentur ». Bonifacius I multis probat [8], « maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, Sedem semper consuluisse Romanam ». Et testis locuples est Hieronymus, qui, cum Romam venisset, id sibi muneris injunctum scribit [9] : « Ut in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, et Orientis et Occidentis consultationibus responderem ». Quid plura in re testatissima? Justinianus jubet [10], « omnia, quæ ad unitatem et statum Ecclesiæ pertinent, referri ad beatitudinem Papæ veteris Romæ, eo quod sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum ».

Jam vero quænam alia, qua longe, lateque patet orbis, Ecclesia est, cujus perinde, ac Romanæ tanta fuerit auctoritas, ut ab ea sic peteretur, difficilium rerum explicatio? mutuis quidem, quandoque sese consiliis juvabant ecclesiæ, vel remotissimæ. Sic [11] Lugdunenses, Viennensesque ab ecclesiis Asiæ, et Phrygiæ consulti, quid de Cataphrygibus sentirent, peculiaribus litteris responderunt. Consulti sæpe sunt, et Metropolitani ab Episcopis, quibus præerant, et ab ipsis Metropolitani Apostolicæ Sedis Vicarii. Consulti etiam aliquando et Episcopi qui præ ceteris doctrinæ fama eminebant. Verum illi, tametsi acceperant docendi munus, tamen suarum intra diœceseon fines coercebant sese, neque alienis de causis, nisi rogati, quod perraro accidit, cognoscebant. Contra vero Apostolicæ

[1] In *Annal. Eccl.* ad an. 142, tom. II, col. 126. — [2] Innoc. epist. 30, num. 1 et 2. — [3] *Ibid.* — [4] Epist. *ad Oriental.* apud Athanas. Apol. 11. — [5] C. 5, tom. I, Coll. Harduini. — [6] Rescripto ad Concil. Meliv. et Rescripto ad Conc. Carthag. apud Labb., tom. III, *Concil.*, col. 44 et 47. — [7] Epist. *ad Cœlest. papam*, part. 1, Concil. Ephes., cap. 14. — [8] Epist. *ad Episc. Illyr ic.* in collect. Rom. Holstenii, part. 1, pag. 69. — [9] Epist. al II, num. 1, *ad Ageruch. episc.*, 12. — [10] Lib. 7, cod. *de Sum. Trinit.* — [11] Euseb., lib. 5, c. 2 et 3.

Sedis præcipua laus fuit, ut eam non unus quidem aut alter Episcopus, sed christianus orbis, quantus quantus est, maximis negotiis dirimendis arbitram adhibuerit, idque non tam ob sedentis singulare meritum, quam ob sedis auctoritatem. Recurrebatur nimirum ad eum Præsulem, qui Petri vices gerebat, ad Ecclesiam, quæ traditionis Apostolicæ fonti proxima, immo et fons ipse limpidissimus habebatur. Hinc adeo, si contingebat eum qui nominatim consulebatur prius e vivis tolli quam ad illum usque pervenire poterat consultatio, rescribebat pro suo jure qui ejus in locum suffectus erat, illudque suum ducebat esse quod suam ad sedem pertineret. Quippe quam epistolam Damaso inscriptam misit Himerius Tarraconensis, hanc ad se nihil attinere non putavit Siricius, immo Himerii quæstionibus perinde satisfecit tanquam sibi propositæ fuissent. Pelagii litteras accepit Zosimus, tametsi missas Innocentio, ejusque causam in synodo Romana disceptandam curavit. Adeo negotia illa quisque credebat esse sua, seu Apostolicæ Sedi propria, quæ suos ad decessores relata fuerant.

Romani Pontifices alte sibi persuasum habebant, sese a supremo omnium pastore Christo in altiori specula positos, ut non unam demum diœcesim, sed totam, qua late patet, Ecclesiam circumspicerent, et ubicumque Apostolicas traditiones tum etiam synodalium canonum statuta sedulo, sancteque coli curarent ; ubi vero eadem, vel per ignorantiam lædi, vel negligi per desidiam, aut etiam a nonnullis præ nimio novitatis studio attentari deprehenderent, tum, quod suadet pacis et disciplinæ amor, erudirent imperitos, erigerent desides, novarum rerum amantes dedocerent. Demum, si nihil promoverent monitis, hortationibus, minis, eas contumacibus irrogarent pœnas quæ non solum ipsis prodessent ad emendationem, sed etiam cæteris ad exemplum, et quæ canonum regulis et gravitati culparum responderent. Brevius dicam, eo spectant omnia illorum scita et responsa, ut hanc sibi tota in Ecclesia potestatem datam probent, qua canonum et defensores essent et vindices.

Servabantur autographa pontificiarum decretalium ad Ecclesias missarum in archivis seu scriniis Romanæ Ecclesiæ. Hieronymus a Rufino, reprehensus quasi epistolam Anastasii I papæ ad Joannem Hierosolymitanum commentus esset, ad Romanæ Ecclesiæ archiva provocat [1] : « Si a me, inquit, fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romanæ Ecclesiæ chartario non requiris, ut, cum deprehenderis ab Episcopo non datam, manifestissime criminis reum teneas? » Bonifacius I ad fidem scriniorum apostolicorum appellat [2] : « Qui (Romani Pontifices) Ecclesiam Thessalonicensem sibi semper familiarem, et in collegii caritate famulantem, dignam, sicut fides adserit scriniorum, hoc honore duxerunt ». Nec pontificiæ modo decretales, sed et acta synodica, consultationes, et relationes ad Romanam Sedem missæ, cæteraque monumenta ecclesiastica in archivis Romanis adservabantur, ut ex epistola synodica concilii Romani sub Damaso [3], Leone M. [4], ex concilio Lateranensi sub Martino papa anno 649 [5], aliisque compertissimum. Amissa autem Pontificum eorum, qui ante Damasum fuerunt, desiderantur plurima id genus responsa ; sed quæ supersunt, hæc certe abunde probant, vel primis etiam Ecclesiæ seculis viguisse Apostolicæ Sedis consulendæ morem. Exemplo sit epistola Clementis [6], qua consultationi Corinthiorum ex præscripto Apostolorum respondit. Dionysius Alexandrinus, anceps de ritibus catholicis in Baptismate ab hæreticis collato non adhibitis, Romanum Pontificem ea de re consulendum ratus, suas ad Xystum litteras dedit, ne forte, ut sunt homines omnes in errorem proni, aliquid ipse humani pateretur : « Vere etenim, inquit ad illum [7], frater, consilio opus habeo, et sententiam tuam expeto, ne forte hal-

[1] Lib. 3 *contr. Rufin.* — [2] Epist. *ad Rufum Thessalon.* in Collect. Rom. Holsten., part. 1, pag. 69. — [3] Apud Holsten. *in Collect. Rom.*, part. 1, pag. 177. — [4] Epist. 92 *ad Maxim. Antioch.*, cap. 4, edit. Quesnell. — [5] Secretario II. — [6] Clem. epist. 1, num. 34, apud Coustant. — [7] In lib. *Senten.*

luciner ». Hæc sufficiunt testimonia, cum eorumdem aliorumque etiam Pontificum innumera sint responsa, quibus fidei et morum, ac disciplinæ sanctiones, vel illustrabant obscuras, vel perspicuas, at malevolorum hominum dolis oppugnatas, vindicabant. Hinc satis perspicuum est Romanum Pontificem ab omnibus undique fidelibus, dubiis in rebus semper fuisse consultum.

§ V.

Responsa Summi Pontificis fuerunt semper in tota Ecclesia in veneratione habita.

Uberrimum sane Ecclesiæ Romanæ doctrinæ promptuarium responsis suis ac consultationibus Romani Pontifices condiderunt, ex quo doctrina apostolica ad omnes inferiores ecclesias diffunderetur. Illud autem certissimum est, Maximorum Pontificum constitutiones, responsa, sententiasque cetèras publice propositas plurimum apud viros ecclesiasticos, et in tota Ecclesia valuisse semper, ac valere, quoties de fide explicanda, de moribus formandis, ac de stabilienda disciplina sacrorum agatur ; tum quod Romanæ Apostolicæ Sedis dignitas maximo in honore habenda semper fuit apud eos qui in Ecclesiæ unitate consistunt ; tum quod viri singulari sapientia insignes, atque integerrimi, ad illum evehi consueverunt ; tum etiam quod Christus Dominus pro non defutura Petri fide se rogaturum spopondit. Nam omnes quibus persuasum est Pontifices summos Spiritus sancti divino afflatu id consequi, ut sine ullo erroris periculo divinam traditionem edoceant, atque adeo in fidei et morum controversiis infallibilem definitionem proponant, illud quoque fateri debent, Romani Pontificis sententiam in tota Ecclesia venerationem habere, ac a nemine unquam posse retractari : unde dicendum iis cum Patribus Chalcedonensibus [1] : « Anathema ei qui non ita credit. Petrus per Leonem summum pontificem loquutus est ». Dicendum cum S. Petro Chrysologo [2] : « His quæ a beatissimo Petro Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas : quoniam B. Petrus, qui in propria sede, et vivit, et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem ». Dicendum cum Augustino, Julianum pelagianum objurgante [3] : « Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud Apostolicam Sedem? Litteris beatæ memoriæ papæ Innocentii de hac re (scilicet de hæresi Pelagiana) dubitatio sublata est ».

Et revera vulgatissima est illa promissio Christi, qua postquam affirmavit se ædificaturum Ecclesiam supra Petri confessionem, seu fidem, quam *Petræ* nomine designavit, spopondit, *et portæ inferi non prævalebunt.* Alterum promissum Christi exhibetur illis ejus verbis, quibus postquam de communi omnium discipulorum tentatione, et periculo monuit [4] : *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum,* remedium subjecit ex fide Petri, pro qua se orasse ait, ne deficeret, ut fide sua alios confirmans omnes diaboli molitiones irritæ fierent : *Ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hic textus, qui, in conservationem unitatis fidei, idoneum remedium præscribit scandalorum quæ ad discindendam eam unitatem diabolus excitaturus esset in Ecclesia, non minus ad Petrum est referendus quam ad successores ejus, quibus sane vi hujus mandati onus incumbere confirmandi fratres in fide, Patrum traditio testatur. Qua de causa S. Hieronymus in epistola ad Damasum scribens [5] ait : « Apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas », quæ fidem a Petro et successoribus traditam in Romana Sede tantum, incorrupte custoditam significat.

Hinc mirum non est quod maxima in veneratione fuissent semper in tota Ecclesia

[1] Tom. IV, Concil., col. 1235, edit. Venet. — [2] Epist. *ad Eutych.* 45. — [3] Lib. 2 *Oper. imperf.*, cap. 103. — [4] Luc 25, v. 32. — [5] Epist. 15, al. 57, num. 1.

catholica Summorum Pontificum responsa ac decisiones, præcipue ubi aguntur gravissimæ res et ad fidem aut disciplinam pertinentes controversiæ. Nam maxime cavendum est ne apostolicarum traditionum loco substituantur humanæ, quod sane a priscis Petri successoribus minime formidandum. Primo enim Petrum, a quo dignitatem suam consecuti erant, tanta prosequebantur observantia, ut ab ejus placitis vel tantillum discedere nefas ducerent. Deinde, cum ad ejus tumulum conventus agerent, disceptarent causas, decreta sua sancirent, admonebantur inde, ut professi sunt ipsi non semel, esse se in Petri oculis ; atque adeo non ex suis ipsorum sensibus, sed ex unis Petri arbitriis res esse decidendas. Præterea, quoties mittebant (mittebant autem sæpius) qui fidei lucem nationibus exteris inferrent, toties illis regendarum ecclesiarum documenta sibi a Petro data tradebant : quibus et ipsi sæpius recolendis fiebant apostolicarum legum tenaciores. Huc accedebant Orientis Occidentisque consultationes, ad quas, ut responderent, inspiciebant, tanquam in speculum, in fidem sanctionesque majorum ; providebantque ne quid rescriberetur novi, quo vel minimam labem pati posset Apostolicæ traditionis integritas. Qui demum in Ecclesia ab Apostolis fundata recepti, nec unquam intermissi erant usus, in obeundis Sacramentorum ac liturgiæ ritibus, celebrandis festis, et in aliis id genus disciplinæ partibus; hi publica quædam et spirantia erant traditionum monumenta, quibus quid ab Apostolis institutum, servatumque esset, in omnium oculos incurrebat.

Liberius apostolica decreta, fidemque majorum, quam religiose custodiret ipse, atque ab aliis custodiri cuperet, scriptis ad Constantium ante exilium litteris sic professus est : « Nunquam mea statuta, sed APOSTOLICA, ut essent semper firmata, et custodita, perfeci. Sequutus morem ordinemque majorum, nihil minui passus sum : et illam fidem servans, quæ per successionem tantorum Episcoporum cucurrit, illibatam custodiri semper exopto ». Gelasius papa, in concilio Romano 70 Episcoporum anno 494 habito, dixit [1] : « Item decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab Urbe Romana, pro diversorum Patrum consultatione, dederunt, venerabiliter recipiendas esse decernimus ». Et antea S. Leo Magnus, epistola ad universos Episcopos per provincias universas constitutos [2] : « Omnia, inquit, decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari ». Nicolaus I, Leonis mandatum confirmando in epist. 47 *ad Galliæ Episcopos* data, qua urget eos ad præfatas Romanorum Pontificum decretales accipiendas : « Etiamsi non sint codici canonum compaginatæ ; quoniam inter ipsos canones, unum B. Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis illa contempserit veniam sibi deinceps noverit denegari » ; illas siquidem Romanorum Pontificum decretales Gallorum aliqui recipiendas negabant, quia canonum codici non insertas.

Præterea Pontifex non proponit leges quarum vigor apud fideles ex consensu alicujus dependeat, sed absolute jubet ut omnes iis obediant [3] : « Quid ab universis posthac ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus ». Et alibi [4] : « In speculis, ait, a Deo constituti, ut vigilantiæ nostræ diligentiam comprobantes, et quæ coercenda sunt resecemus, et quæ observanda sunt, sanciamus ». Innotius I, epist. 13 *ad Exuper.* Tolos., urget ut leges a Siricio factæ observentur et statuit, quos legum trasgressores pœnam mereri, quos excusari censeat. Pontifex Zosimus in

[1] Epist. 33, num. 6. — [2] Epist. 4, al. 3, cap. 5, tom. I, col. 616. — [3] Epist. 1, *ad Himmer.* apud Coustant. — [4] Epist. 4.

epist *ad Esichium* Salonæ, loquitur firmiter : « Sciat quisque has (leges Pontificias scilicet) postposita Patrum et Apostolicæ Sedis auctoritate neglexerit, a nobis districtius vindicandum, ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putet post tot prohibitiones impune tentari ».

Non solum Romani Pontifices constanter auctoritatem suarum legum intellexerunt, sed etiam fideles onus obedientiæ illis præstandæ agnoverunt. Nam quantum Ecclesiæ tum Orientales tum Occidentales Romanæ Sedis auctoritati detulerint, ejusque statutis honorem impenderint, e documentis perpspicuum est. Acacius non prius damnavit Petrum Alexandrinum, quam ad Romanam Sedem referret, et posceret apostolica auctoritate damnandum [1]. Timothæus Alexandrinus, Petrus Antiochenus, Petrus Mongus item Alexandrinus, Paulus Ephesinus, Joannes Apamerius, alique Orientales antistites « sola Sedis apostolicæ sunt auctoritate dejecti [2] ». In rescripto episcoporum Dardaniæ ad pontificem Gelasium ita sermo institutus est : « Saluberrima Apostolatus vestri præcepta..... qua oportet devotione suscepimus..... Desiderii enim et voti nostri est jussionibus vestris in omnibus obedire, et, quemadmodum a patribus nostris accepimus, Sedis Apostolicæ, quæ vitæ, et meritis vestris delata est, præcepta intemerate servare..... A nobis, qui Sedis Apostolicæ SECUNDUM DIVINA PRÆCEPTA et Patrum statuta inculpati servare desideramus, omni ratione (hæretici damnati a Sede Apostolica) vitandi sunt..... Quoniam, ut dictum est, Patrum in omnibus custodienda præcepta, et inviolabilia sanctorum canonum instituta sectantes Apostolicæ, et singulari illi Sedi vestræ communi fide, et devotione parere contendimus [3]. » Porro Africanæ Ecclesiæ observantiam in Romanam Ecclesiam profitetur Tertullianus [4] :« Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est ». Afri episcopi, in synodis Thusdritana et Zellensi, Sericii papæ litteras legerunt, ac susceperunt [5]. Hispanos mire detulisse Apostolicæ Sedis decretis vel ex collectione Hispanica liquet [6] ; ubi scriptum est : « Subjicientes etiam decreta præsulum Romanorum, in quibus pro culmine Sedis Apostolicæ non impar conciliorum extat auctoritas ». Galli autem in observanda Sedis Apostolicæ auctoritate nemini cesserunt, adeo ut pontificias constitutiones *auctoritates* dixerint. S. Cæsarius, episcopus Arelatensis, in libello directo ad pontificem Simmachum petit, ut sua auctoritate, et jussu nonnullos abusus Galliarum auferat, et ita loquitur : « Sicut a persona B. Petri apostoli Episcopatus sumit initium, ita necesse est ut disciplinis competentibus Sanctitas Vestra singulis ecclesiis quid observare debeant evidenter ostendat..... Hoc postulamus ut fieri prohibeat Apostolicæ Sedis auctoritas..... Hæc omnia ultione districtionis vestræ fieri prohibete [7]. » Et revera Symmachus fecit, et transmisit S. Cæsario illas leges quas desiderabat. Et concilium Turonense II, anno 566, can. 20, ait : « Quis sacerdotum contra decreta talia, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat ? Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcipit auctoritas. » Carolus M. codicem constitutionum Sedis Apostolicæ ab Hadriano papa acceptum evulgavit in Capitulari Aquisgranensi anno 789 congregato, dixitque : « Si quis sacerdotum contra constituta decretalia præsumptuose agat, et corrigi nolens, ab officio suo submoveatur [8]. »

Summa autem prudentia solertiaque in negotiis Ecclesiæ omnibus se gesserunt Romani præsules ; et constanter, accurateque præscriptum ab Apostolis judiciorum ordinem tenuerunt. Non sibi tantum, sed et Ecclesiæ toti haud parum consuluere Romani

[1] Vid. Gelasii P. ep. 12 *ad Epis. Dardaniæ*, et *Codic. Canon. Eccles.*, et *Const. Sedis Apost.* capit. 51, cap. 4. — [2] Vid. Gelasii P. *Commonit.*, cap. 11. — [3] Apud Labb., tom. IV, col. 1165. — [4] *De Præscript.*, cap. 36. — [5] Confer Baluzium diss. *in Syncd. Telepsensi*, et Ballerin. *Obs. in diss.* 15 *Quesnellii.*— [6] In præf. primæ partis apud Ballerin. *de Antiq. Collect. Canon.*, part. 3, cap. 4, pag. 197. — [7] *Apud Labb.*, tom. 4, col. 1204. — [8] *Capitular.* 1, ann. 789, cap. 57, tom. I, col. 170

Pontifices cum dubiis in rebus ea se gessere prudentia, ut nihil nisi ex cleri aut Episcoporum sibi subjectorum consilio definierint. Factum enim inde est, ut eorum responsis major haberetur fides et reverentia, cautiusque asservaretur fidei ac disciplinæ depositum, cujus quo plures sequestri erant, eo et tutior erat integritas. Neque Justiniani ævo exciderat præclara illa de Romana sede opinio. Is quippe non modo ad Sedem Apostolicam referendum esse duxit quidquid ad Ecclesiæ statum pertineret : « Quia caput est omnium sanctarum Ecclesiarum, et vel eo maxime, quod quoties his in locis (Orientis) hæretici pullurarunt, recto judicio illius venerabilis Sedis coerciti sunt [1]. » Sed et anno 536, martii die 16, libellum Agapeto papæ lubens dedit, in quo istud aperte profitebatur [2] : « Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, et a Patrum traditione non deviare. Quia non potest Domini Nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica inviolabilis semper catholica servatur religio. »

Ob id autem inferre quispiam poterit, duplici ex causa quamplurimum Pontificum Maximorum monumenta venerabilia apud omnes esse debere. Primum omnium monumentorum generale est atque ex auctoritate profiscitur, quæ in omnibus Petri Apostolorum principis successoribus, et Christi vicariis par omnino est et æqualis. Alterum nonnullorum peculiare est, atque ab eximia quorumdam Pontificum doctrina cum sanctitate vitæ conjuncta potissimum pendet. Plane aliquot extiterunt inter Pontifices Maximos, quos non tantum ob prærogativam dignitatis suæ posterior ætas colit, verum etiam Patrum ecclesiasticorum nomine donandos voluit, quod nomen ob singularia fere divinæ Sapientiæ suæ testimonia, sive ore tenus, sive scripto prodita ipsimet sibi apud omnes conciliarunt. Memorabo hic honoris causa Leonem I et Gregorium I, qui et cognomento Magni vulgo appellantur, quibus et Damasum adjiciam, quem eleganti ingenio præditum fuisse Hieronymus refert. Quoties igitur in hujusmodi Pontificum monumentis incidimus, illis omnem venerationem honoremque deferre sumus devincti, tum potestatem, tum sapientiam illarum sacrarum legum, tum supremos ac augustos legislatores meditantes. Et merito, quia suis ab usque primordiis Ecclesia Romana non solum divinam ab Apostolis transmissam sapientiam perpetuo custodivit, sed et ecclesiasticam undecumque arcessitam atque collectam complexa est disciplinam, et omnia sacra auctoritate ab injuriis inimicorum protexit.

Dum multorum, imo plerumque Romanorum Pontificum hic merito sapientia et doctrina commendatur, minime arguendum minorem inesse auctoritatem aliis Pontificibus. Cunctis in Petri sede legitime degentibus eadem auctoritas, quia cunctis in Petro promissum auxilium cœleste et donum fidei indeficiens.

§ VI.

Ex veneratione et primatus Romani Pontificis obsequio, ac ut vinculum unionis in Ecclesia servaretur, debitum Episcoporum limina Apostolorum visitandi ortum est.

Antiquissimæ sunt Episcoporum peregrinationes, quæ ex diversis rationibus originem duxerunt, aut visitandi causa Ecclesiam metropolitanam, aut necessitate concilia adeundi, tum ut unitatis et dignitatis suæ vertici assurgerent, tum ut cum Metropolitanis de negotiis et causis quibuscumque gravissimis Ecclesiæ tractarent, aut persæpe non aliæ, quam pietatis ergo peregrinationes erant. Loca vero præcipue etiam a laicis frequenta-

[1] *Cod. Just.*, lib. 1, tit., leg. 7. — [2] Agapet., epist. 7.

bantur ubi sacra corpora apostolorum Petri et Pauli sepulta fuerant. Hæc enim inter persecutores clarissima remanserant, et velut nobilissima trophæa victoriæ a christianis summo honore sunt habita. Vetus Ecclesiæ disciplina testatur, consuevisse christianos, etiam persecutionis tempore, ex remotioribus tam Orientalis quam Occidentalis orbis partibus Romam venire, ut veneranda Apostolorum sepulcra inviserent, ac venerarentur, quod tradit Baronius [1]. Episcopi omnes, Occidentalis maxime Ecclesiæ, ut hoc visitationum statarum obsequio prosequeretur Romanam Ecclesiam, monumenta Apostolorum, vicarios Christi, verticem unitatis et communionis catholicæ, Romam veniebant. Originem harum visitationum Prosper Fagnanus [2] refert ad primitivam Ecclesiam, easque statim post obitum SS. Apostolorum Petri et Pauli fuisse institutas affirmat, et probat ex decreto Anacleti pontificis relato in cap. *Juxta* dist. 93, ubi legitur : « Juxta SS. Patrum et canonum instituta omnes Episcopi, qui hujus Apostolicæ Sedis ordinationi subjacent, qui propinqui sunt, annue circa idus maii sanctorum principum apostolorum Petri et Pauli limitibus præsententur omni occasione seposita ».

In eo omnes auctores conveniunt, hanc originem derivandam esse ab antiquissimis visitationibus, vel potius itineribus quibus Episcopi Italiæ Romam, ut interessent synodo provinciali, confluebant, et quidem ante Leonis tempora singulis annis, postea ex decreto Leonis unoquoque triennio, et demum, tempore Gregorii Magni, nonnisi singulis quinquenniis, ut ipse scripsit ad Cyprianum diaconum in Sicilia insula residentem [3]. Undenam vero hæc consuetudo ante tempora Leonis suum ortum habuerit, vel an Episcopi ex lege præcipiente id facere debuerint, non constat : quia lex certa et indubitata hactenus inveniri non potuit. Hanc disciplinam Zacharias papa anno 743 in concilio Romano [4] extendit ad omnes Episcopos, qui vel Sedis Apostolicæ erant suffraganei, vel a Pontifice ordinari debebant, jussitque ut, si Romæ proximiores essent, singulis annis ad festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, si remotiores, eo annorum intervallo venirent quod, dum ordinabantur, suo chirographo ratum habuere. Cæteros Episcopos etiam extra fines Italiæ simile præceptum habuisse non legimus : quanquam aliquoties Episcopos, vel devotionis ergo, ut limina Apostolorum venerarentur, vel consilii causa, ut cum Pontifice de necessitatibus suarum Ecclesiarum consulerent, iter Romam instituisse legamus [5]. Seculo autem X, invaluit consuetudo apud singulos Episcopos Romam proficiscendi, tum ut Pontifici tanquam vicario Christi, capiti Ecclesiæ, centro Unitatis, vertici communionis catholicæ, suæ exhiberent pietatis, devotionis et reverentiæ obsequia ; tum ut limina Apostolorum decentissimo cultu prosequerentur, tum ut synodi interessent ; liberæ certæ et voluntariæ videntur primo fuisse visitationes hujusmodi, saltem quoad Episcopos extra *Italiam* sitos.

Quod si Episcopi suos clericos et populum christianum, Metropolitæ suos Episcopos suffraganeos ad suas invitarunt Ecclesias, et hi, vel sua sponte in contestationem suæ reverentiæ matrices Ecclesias earumque Præsules visitarunt, vel ab his ad id obstricti sunt, quid mirum si parem reverentiam matri omnium Ecclesiarum, Pastori pastorum, Capiti orbis christiani, Episcopo Episcoporum, centro unitatis, exhibuerunt, vel exhibere debuerint? Reliquiæ hæ sunt sanctioris disciplinæ veteris Ecclesiæ catholicæ, utpote quæ nihil habuit antiquius quam ut suam unitatem non in doctrina fidei et morum dumtaxat, sed etiam in sua disciplina externa commonstraret. Deinde quum pallium, ut docet S. Gregorius [6], non nisi petentibus dari debeat, ob eam rationem petendi pallium Ro-

[1] *Annal. Eccl.*, tom. 1, col. 796. — [2] *Comment. in lib. 2 Decret.*, cap. 4 *de Jurejur.*, num. 3. — [3] Epist. 22, lib. 7, tom. II, *Oper.*, col. 866 seq. — [4] Can. 3, tom. III, collect. Harduini, col. 1927. — [5] Thomassin. *de Vet. et Nov. Eccl. discip.*, part. 2, lib. 3, cap. 42, num. 3, tom. II, pag. 549. — [6] Lib. 9, indic. 2, epist. 11, al. 3, *ad Brunichildem reginam Francorum*, tom. VIII, pag. 52.

mani Pontifices Archiepiscopis legem fecerint, ut ad sacra Apostolorum limina se conferrent; unde obligatio hæc limina Apostolorum visitandi citius Metropolitanis quam cæteris Episcopis imposita est. Quod quidem intelligens antiqua juris canonici *Glossa in cap. 4 de Jurejurando*, ad verbum *singulis annis* notavit, obligationem visitandi limina Apostolorum, de qua in cit. cap. 4 intelligendam esse « de Archiepiscopis et Episcopis, qui subsunt Domino Papæ, nullo medio ». Additur in margine ex Joanne Andræa : « Item servatur in aliis, si confirmationem, consecrationem vel pallium a Papa recipiunt ». Translata ergo non tantum Metropolitanorum, sed et Episcoporum confirmatione et consecratione ad Apostolicam Sedem, una cum ipsa, ut observat Vanespennius *Jur. Univ. Eccl.*, part. I, tit. 15, *de Consecr. Episc.*, cap. 2, num. 22, tom. I, pag. 71, obligatio visitandi limina Apostolorum, sive accedendi ad Sedem Apostolicam extensa est, ut Episcopi ordinati monita jussaque ad recte suam diœcesim administrandam a Summo Pontifice audituri; et magna ex his tum Ecclesiæ, tum Episcoporum, orta utilitas est. Obsequium enim, quod præstant Episcopi Romano Pontifici, communicatio suæ doctrinæ, quæ est illa Petri, catholicam unitatem custodit ac servat. Et revera, qui Summo Pontifici in universa Ecclesia sacrorum canonum tutelæ onus imponunt, jus etiam omnium Ecclesiarum statum ab omnibus Episcopis exquirendi eidem adjudicent necesse est. Nam quæ magis inter se connexa sunt quam hæc duo : 1° canonum observantiam in omnibus Ecclesiis alere debere; 2° et in canonum observantiam inquirere, num qua, quantave indigeat alimonia? Quid aliud autem sibi volunt Summi Pontifices, cum ab Episcopis suarum Ecclesiarum statum sibi postulant nuntiari? Eo certe nituntur ac tendunt, ut scire possint, num suus ubique sacris canonibus stet honos, quibus calcaribus opus sit aculeisque, ut prostrata ecclesiastica disciplina sese erigat atque exsurgat.

Hinc juramentum ab Archiepiscopis præstandum factum est omnium commune, quod Pontifices ipsi hoc juramentum haud secus ab Episcopis quam a Metropolitanis pallium recipientibus exegerint, postquam jus Episcopos confirmandi etiam extra fines Italiæ ad Pontifices pervenit; quod expendit Zallwein *Princip. Jur. Eccl. Univ. et Partic. Germ.* quæst. 3, cap. 7, § 5. Et Clar. Franciscus Antonius Zaccaria eruditissimam exaravit dissertationem de jurejurando, quo Archiepiscopi pallio donati, et Episcopi in sacra ipsorum ordinatione obedientiam Romano Pontifici pollicentur; quæ dissertatio habetur inter dissertationes latinas de rebus ad historiam atque antiquitates Ecclesiæ pertinentes, num. 13, pag. 264, *Fulginiæ* 1781, in 4. Formula prædicti juramenti ab Episcopo electo præstandi descripta legitur in Decretalibus Gregorii IX, in c. *Ego N.*, *de Jurejurando*, ubi inter cætera hæc habentur : « Apostolorum limina singulis annis aut per me, aut per certum nuntium visitato, nisi eorum (Pontificum) absolvar licentia ». Cujus formulæ auctor est Gregorius VII Pont. Max. [1]. Inter Innocentii III rescripta unum adest quod spectat ad patriarcham Antiochenum, qui cum juxta obligationem suam quarto quoque anno ad visitanda Apostolorum limina reddendamque rationem administrationis Ecclesiæ suæ Romam venire debuisset, neque id certis impedimentis obstantibus executus esset, excusationes suas ad Pontificem miserat, qui sane eas benigne admisit, sed simul patriarcham admonuit, ne in posterum officio deesset. Sub Alexandro IV compertum fuit nonnullos Episcopos, ut ab incommodis se eximerent, indulta specialia postulando impetrasse, ne statis temporibus tenerentur ad Apostolica limina se sistere et relationem status suarum Ecclesiarum exhibere. Verum Pontifex edita constitutione omnia indulta hujusmodi eousque concessa abrogavit, ex quibus gravissimum illud ortum erat inconveniens, « quod Apostolicæ Sedis dignitas rarius visitabatur in derogationem reverentiæ, quæ debetur eidem, utpote quæ mater extitit Ecclesiarum et magistra ». Ut videre est ex

[1] Apud Harduinum, tom. VI, part. 1, *in Concil. Rom.* VI sub eod. Pont.

const. *Importuna multorum* 3 aug. 1257, apud Raynald ad annum Christi 1257, num. 50, tom. III, pag. 13.

Cæteris antiquitatis monumentis omissis clarum est quod Sixtus V Pont. Max. hanc legem non primus invexit, qua catholici Antistites ad visitanda limina apostolorum Petri et Pauli, et ad referendum Apostolicæ Sedi Ecclesiarum suarum statum obligantur; cum, et unum et alterum hujusce legis caput tot antea seculis viguisse constet, et satis appareat utrumque consequens esse illius primatus quo Romanus Pontifex in universa Ecclesia potitur. Hoc Sixto tribuendum est, quod visitationum tempora singulis Episcopis congrua ratione determinaverit. Idem enim const. *Romanus Pontifex* 20 decem. 1585 [1], § 3 præcipit omnibus prælatis ad Ecclesiam promovendis aut transferendis, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, quod limina Apostolorum statutis temporibus visitare jurent, et Pontifici de pastorali eorum officio rationem reddere, et mandata Apostolica recipi, et quam diligentissime exequi; atque § 6 stata definiit annorum intervalla regionum distantiæ accommodata ad Romanum iter Episcopis omnibus capessendum. Nimirum Itali tertio quoque anno; Galli, Germani, Hispani quarto; cæteri Europæi et Africani quinto; Asiatici et si qui remotiores decimo quoque anno Romam pergent. Deinde const. *Immensa* 22 januar. 1587, § *Congr. Octava* Bull. Rom., tom. IV, part. 4, pag. 396, instituta S. Congr. pro exequutione et interpretatione Concilii Tridentini eidem omnium Episcoporum BB. Apostolorum limina visitantium postulata audire et expedire, facultas tributa fuit; quod et hodierna juramenti formula relata in Pontificali Romano tit. *de Consecratione electi in Episcopum* exprimit, quam formulam illustrat Josèph Catalanus t. I, tit. 13, § 8, num. 9 seqq. Apposite desuper diserit Fagnanus in cap. *Ego N.*, *de Jurejur*, tom. II, num. 15, pag. 166, edit. Venet. 1697, qui ait quod Episcopi de impedimento, ut hi admittantur ad limina Apostolorum per certum nuncium visitanda, per legitimas probationes docere debeant « ad primum S. R. E. Cardinalem Diaconum, et hodie ad S. Congr. Concilii quæ in ipsius Cardinalis locum subrogata est ab eodem Sixto V in constitutione edita super ipsius Congregationis erectione » : quod affirmat etiam Bened. XIV *de Synod. diœces.* lib. XIII, cap. VI, num. 2, pag. 484, editionis anni 1755, in-fol.

Præterea emersit, in concilio Romano anno 1725 celebrato sub Bened. XIII, instructio S. C. Concilii pro Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, et Patriarchis, super modi conficiendi relationes statuum suarum Ecclesiarum, quas occasione visitationis sacrorum liminum, eidem S. Congr. exhibere tenentur; relata in *Append. ejusd. Concilii* num. XII, quia a Patribus dicti concilii præscriptum fuerat, ut illa instructio a S. C. Concilii efformaretur, ut ex tit. XIII, *de Jurejur.*, cap. 1; et illam publici juris fecit Bened. XIV occasione qua emanavit const. *Quod Sancta* 23 novem. 1740, uti patet *Bull.* ejusd. Pont., tom. I, pag. 9, et ex ejus *Append.* num. 1. Hac enim const. dictus Summus Pontifex Sixti const. confirmavit § 4; eamque §§ seqq. extendit ad omnes et quoscumque abbates, priores, præpositos, aliosque quocumque nomine ac titulo insignito etiam S. R. E. Cardinales tam seculares, quam regulares, jurisdictionem quasi episcopalem habentes, jam promotos, et promovendos, qui antequam suorum monasteriorum seu ecclesiarum possessionem adipiscantur, juramentum præstare debent, juxta formulam in dicta const. § 11 descriptam in manibus Card. Decani, si præsentes sint in Curia, sin minus in manibus nuntii aut legati apostolici, et si hic absens fuerit in manibus alicujus Episcopi, aut Archiepiscopi, eorum arbitrio eligendi, se ejusmodi visitationem personaliter peracturos, ac de sibi commissa monasteriorum et Ecclesiarum procuratione relationem Romano Pontifici pro tempore existenti reddituros singulis triennis a die captæ possessionis incipiendis, si sint Itali, vel ex insulis et provinciis Italiæ adjacentibus; reliqui

[1] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. 4, pag. 173.

vero quinto quoque anno : quibus respective temporibus completis, repetere toties quoties tenentur, sub pœnis Papæ reservatis ipso facto incurrendis ab omittentibus prædictas relationem et visitationem ; videlicet ab ingressu Ecclesiæ et administratione tam spiritualium, quam temporalium, necnon a perceptione fructuum monasteriorum, seu ecclesiarum interim exigendorum ab Episcopo, vel Archiepiscopo viciniore monasterio, aut ecclesiæ nullius, et insumendorum in opus fabricæ, seu ornamentorum ecclesiæ emptionem, prout magis exegerit necessitas. Si vero legitime impediti fuerint, jurare debent, se prædicta omnia adimpleturos per nuntium in dignitate ecclesiastica seculari vel regulari constitutum, qui sit de gremio suorum monasteriorum vel Ecclesiarum : aut per aliquem sacerdotem secularem vel regularem ; quem tamen docere debent de impedimento legitimis probationibus Card. S. C. Concilii præfecto exhibendis.

Idem Pont. Bened. XIV const. *Decet* 23 novem. 1740 [1], Congregationem erexit particularem nonnullorum Romanæ Curiæ Præsulum, Congr. Card. Concilii Trid. Interpretum adjectæ, pro excipiendis, examinandisque relationibus Episcoporum et Abbatum super statibus eorumdem ecclesiarum, de qua § XXV sermo instituitur. Ex decreto Clem. VIII. sub. die 25 febr. 1592. Pontifex laudatus probat [2] ut si quando alicui Episcopo coadjutor ab Apostolica Sede datus fuerit, vel illum vel hunc ipsius nomine teneri ad hanc visitationem, sicut et administratorem episcopatus datum alicui regio principi in legitima ætate nondum constituto, tam proprio, quam hujus nomine ex decreto S. C. C., 13 aug. 1622. Item opinatur loc. cit., etiam ad ipsam teneri Episcopos titulares, etiamsi careant administratione ecclesiarum ad quarum titulum sunt promoti, et consecrati ; quamvis in lib. II. cap. VII, num. 2, tom. I, pag. 37, dict. edit. contrarium firmaverit ex declaratione Clementis VIII anni 1594, rel. lib. 8 *Decret. S. C. C.* fol. 100. In primo tamen loco videtur adhærere affirmativæ opinioni, ea motus ratione quod licet hi Ecclesiarum suarum statum plene ignorantes, nullam illarum relationem facere possint, verum « cum in visitatione (sunt verba Benedicti) sacrorum liminum præter veneration em erga SS. Apostolorum cineres, debitæ Romano Pontifici submissionis, et obedientiæ actus contineatur, cumque etiam Episcopus titularis, licet absens et impeditus, quominus ad suam Ecclesiam accedat, de hujus tamen statu aliqua identidem cognoscere possit, quæ Pontifici referenda sint, et quorum occasione aliquid in ejusdem Ecclesiæ utilitatem proponendum occurrat. Hinc affirmandum videtur, Episcopos quoque titulares ad Sixtinæ Bullæ observantiam teneri, cui sententiæ adhæret etiam Thomassinus [3]. » Quidquid autem sit de hac opinione, certum est hodie consuetudinem contrariam obtinuisse, cum negotia et causæ horum Ecclesiarum pro rerum opportunitate pertractantur in S. C. de Propaganda Fide. De variis denique quæstionibus ac dubiis circa visitationem ad limina Apostolorum vid. Bened. XIV. cit. cap. VI et seqq., et Fagnan, ad cap. *Ego N., de Jurejur.* lib. II, pag. 164 seqq.

§ VII.

Die procedente crevit Ecclesia ac Fidelium numerus ; hinc Romanus Pontifex causa suæ exercendæ potestatis Curia ac Senatu indiguit.

Per priora quinque Ecclesiæ secula, ut ait Thomassin. *de Nov. et Vet. Discipl.*, part. I, lib. 3, cap. 7, num. 2, seqq., edit. Lucæ an 1728, tom. I, pag. 619, sicut ex presby-

[1] *Bull.* ejusd. Pont., tom. I, pag. 11. — [2] Lib. 13 *de Synod. Diœces.*, cap. 6, num. 5, edit. Parmæ 1760, tom. II, pag. 166. — [3] Part. 1, lib. 1, cap. 22, num. 7, tom. I, pag. 68.

teris et diaconis civitatis episcopalis sacrum quoddam collegium, a quo sub Episcopo, et cum Episcopo regebatur diœcesis, coalescebat ; ita et Romani Pontifices in synodo presbyterorum et diaconorum universam Romæ gubernabat Ecclesiam. Et revera : « Confixit Siricius papa (idem Thomassin. cit. loc. num. 4.) Jovinianum novellamque ejus hæresim in synodo presbyterorum et diaconorum, cui presbyterio nomen erat : facto ergo presbyterio, constitit christianæ legi esse contraria, etc. Omnium nostrum, tam presbyterorum, quam diaconorum, quam etiam totius cleri una suscitata fuit sententia ». Epist. 2 : « Hoc Papæ decretum accepit Ambrosius, illudque in synodo suæ provinciæ Episcoporum confirmavit, unde et ad eum ita rescripsit : « Quos Sanctitas Tua « dumnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos ». Felix papa occasione depositionis sententiæ in pseudopontificem Antiochenum Petrum Cnapheum promulgationis ait [1] : « Firma sit hæc tua depositio a me et ab his, qui una mecum Apostolicum thronum regunt » ; hoc est presbyterorum et diaconorum ecclesiæ Romanæ. Hinc perspicue ostenditur presbyteros, diaconosque Romanos Romanis conciliis interesse solitos cum Episcopis, qui forte variis de causis Romæ reperiebantur, et una cum Pontifice cognovisse de causis omnibus quæ ad primam principemque Ecclesiam toto orbe referebantur.

Hac certe ratione universam Ecclesiam regendi, Summos Pontifices usos esse per annos circiter octingentos affirmat Plati [2], quod confirmat Schmier [3], qui ait : « Primis Ecclesiæ catholicæ temporibus, quando numerus fidelium erat exiguus, ethnicorum persecutio in christianos continuo desæviebat, et non alius S. Pontificibus locus aut tribunal quam cryptæ et speluncæ suppetebat, quævis fere negotia causasque spirituales et ecclesiasticas per se ipsos expedierunt ; habito subinde cum Episcopis consilio, missisque epistolis ad decidenda, si quæ dubia proponebantur a fidelibus extra Urbem viventibus ». Ac idem legitur apud card. de Luca [4], et apud Nicolaum Tria, *ad Platum* l. cit. n. 3, not. *aa*. Ideo solebant Romani Pontifices ad causas dirimendas, quæ ad universam Ecclesiam spectabant, Antistites non solum septem suburbicarios (hodie sex tantum enumerantur ob unionem episcopatus sanctarum Ruffinæ et Secundæ, alias Sylvæ Candidæ, cum episcopatu Portuensi) quasi suos suffraganeos et provinciales, sed etiam plures selectos ex universa Italia, quasi nationales seu primatui Romani singulari quoque jure subjectos ; atque ac si congregaretur synodus, horum explorato consilio definiebant, definitumque universæ Ecclesiæ proponebant. Optima sane rerum gerendarum prudentia, uti potissimum discutienda foret fidei morumve doctrina ; ut enim hæc ad traditionem veterem et apostolicam erat exigenda, utile erat testimonia illorum advocare, in quorum ecclesiis integra magis videri poterat, quales erant italicæ, quas apostoli Petrus et Paulus, eorumdem socii aut discipuli per se erexerant, a quibus deinde, quæ in remotioribus provinciis constitutæ fuerunt, doctrinam primigeniam quasi e fontibus purissimis derivatam acceperunt.

Postmodum auctis Ecclesiæ fidelibus, ac christianorum succrescente cœtu, negotia quoque, causæ, legesque ecclesiasticæ sunt multiplicatæ, nec toties potuere evocari Episcopi, conciliaque convocari ; quæ ipsa paulatim omissa sunt, resque tota redacta ad senatum Summi Pontificis, qui e presbyteris primum, et postea e Cardinalibus coaluit, et quos Romani Pontifices in socios assumpserunt et adjutores, seu consiliarios pro causarum et negotiorum Ecclesiæ pertractatione ac diremptione, per quos jurisdictio ecclesiastica tam in Urbe, quam extra administrari cœpit, ut refert idem card. de Luca [5], ac rem expendit P. Tamagna in suo opere *Origine, e prerogative de' Cardinali della S. R.*

[1] Epist. 4. — [2] *De Card. Dignit. et Offic.*, cap. 6, num. 1. — [3] *Jus Canon. Univ.*, lib. 1, tract. 5, cap. 2, sect. 4, § 4, num. 215. — [4] *Relat. Cur. Rom.*, disc. 4, num. 1. — [5] Cit. loc., disc. 1, num. 2.

Chiesa, part. I, cap. II,. Nam non poterat exinde non proficisci quoddam Italicarum provinciarum incommodum, quando illarum Episcopi frequenter occasione constitutionum universalium edendarum avocabantur a diœcesana sollicitudine, aliquando etiam non residere per diuturnum tempus cogebantur ; item quoties per constitutiones novas generales disciplinæ capita essent stabilienda, non videbantur satis opportuna unius Italicæ Ecclesiæ Episcoporum consilia, forte tantummodo italicis moribus accommodata, et non facile aliarum provinciarum adjunctis consentanea. Eam ob rem seculo decimo et undecimo Pontifices Maximi satius duxerant, alia ratione commodis ecclesiarum videlicet, Cardinalium collegium tanquam a consiliis designando, in quod admitterentur primum sex Episcopi suburbicarii, ut aliquod veteris disciplinæ vestigium superesset, adjectis presbyteris ac diaconis titulos in Urbe ecclesiasticos administrantibus ; imo receptis in idem collegium viris quoque ex universo orbe selectis eximiis, qui singularem provinciarum mores callerent, eaque in congressu proponerent quæ vel utilia, vel minus utilia viderentur. Hinc pertinet quod aiebat S. Bernardus [1] : « An non eligendi de toto orbe orbem judicaturi ? » quibus verbis consonat Concilium Tridentinum in cap. I sess. 24, *de Reform.*, vers. *Ea vero*, dum verba faciens de Cardinalibus ait : « Sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet ». Plurimum id profuit, ut Cardinalium dignitas multis jam tum numinibus præclara, in dies illustrior fieret, quod Cardinales tanquam Pontificis Maximi senatus haberentur, et præstantiora membra Pontifici maximo adhærentia ad regendam Ecclesiam opera ac consilio designata, cap. 27, vers. *Decet*, *de Electione*, in 6.

Quare quum universus pene orbis terrarum supplex quotidie a Romano Pontifice tanquam supremo in terris legislatore ac judice rescripta postulasset, isque solus per se omnibus satisfacere et responsa cuique dare non possit, etiamsi opera et consilio Cardinalium adhibito, varii instituti sunt senatus, congregationes, ac tribunalia, qui illum sub hoc immenso negotiorum onere pressum quodam ordine sublevent, eique opportuno consilio et opera quotidiana assistant. Et primum invaluit usus consistorii, congregatio scilicet Cardinalium cum Papa, de quo videri potest card. de Luca [2]. Hoc erat instar illius profani consistorii, quod princeps, vel imperator cum senatu constituebat. Hanc enim disciplinam, et ethnici, et christiani principes in suis edendis legibus servaverunt. Ex ethnicis habemus præ cæteris Alexandrum Severum, qui, teste Lampridio in Alexandro [3], non aliter legem ferre consueverat, quam accedente concilio jurisperitorum viginti, et sapientissimorum non minus quinquaginta disertissimorumque virorum. Ex christianis laudatur Theodosius, cujus monumentum perspicuum est, ubi profitetur se non aliter legem conditurum, quam si et proceres sacri palatii et senatus eam probavissent. Et quidem in Ecclesia simili ratione leges ecclesiasticæ condi consueverunt, non conciliis tantum de quibus nulla est dubitatio sed etiam extra concilia, quando scimus, unumquemque Episcopum in gravioribus administrandæ diœceseos negotiis, seu cleri sui, seu capituli consilio usum fuisse, ut patet ex cap. *h* et passim *De his quæ fiunt a Præl., etc.*

Consistorium autem quilibet locus, ubi consistitur, vocatur. Ita jampridem Tertullianus *de Resurrectione mortuorum* cap. 20, terram in qua homines consistunt consistorium dixit. Interdum vero consistorium veteres dixerunt locum, in quo princeps de rebus publicis consultat, ac deliberat cum suis consistorianis, uti multis probat Gotofredus *in notis* ad lib. 3. c. *de Offic. omn. jud.* l. 1 t. 10. In Ecclesia Dei vero, et ecclesiastico

[1] Lib. 4, *de Consid.*, cap. 4. — [2] Cit. loc., disc. 4, num. 1 et seq. — [3] In Sev. init., pag. 220 *Vit. Cæs.* 1546. Bas.

Principatu antea nuncupatum fuisse *presbyterium*, ostendunt litteræ S. Cornelii papæ ad Cyprianum occasione hæresis ac schismatis Novati et Novatiani scriptæ, in quibus legitur : « Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi presbyterium... His ita gestis in presbyterium (hoc nomine appellat consistorium) venerunt [1] ». Et in epistola Zosimi *ad Affricanos* de Cœlestio legitur : « Et licet multæ occupationes majoribus vinculis ecclesiasticorum negotiorum curam nostram sollicitudinemque distraherent, tamen ne paternitatis vestræ de adventu ac discussione prædicti diutius penderet expectatio, post habitis omnibus, die cognitionis, resedimus in sancti Clementis basilica [2] ». Atque postmodum invaluit ut Cardinalium consessus coram Pontifice in ejus palatio per modum senatus dictus fuerit consistorium. Quidquid autem sit de temporibus, quibus consistoria celebrabantur, num, inquam, statutis diebus, an solum quando necessitas vel opportunitas exigeret ? Hoc est certum, quod anno 1198 ter in hebdomada consistorium Innocentium III, coegisse pro impertienda omnibus justitia, testantur Annales Eccles. Raynaldi ad dictum annum § XXVII [3], posteriori ætate bis in hebdomada habebatur, ubi prævia rerum discussione, auditis partium procuratoribus et advocatis, etiam causæ inter privatos decidebantur ; ex quibus decisionibus aliqua pars canonum relatorum in quinque libros decretalium, et alia ex decisionibus, quæ fiebant per Pontificem in capella cum suis capellanis, desumpta est. Hodie consistorium non habetur nisi ad arbitrium Summi Pontificis. Deinde crescente negotiorum mole, ac aucta fidelium multitudine, graviores tantum causæ tractari cœperunt in consistorio, semel tantum in hebdomada, et Pontifex alias causas cognoscebat in capella palatii cum suis capellanis, expediebatque ; unde primitus hi capellani Summi Pontificis dicti sunt, et auditores sacri palatii, quod partium causas, eorumque momenta, priusquam papæ proponerentur, in palatio apostolico exciperent, ad quorum deinde relationem pontifex judicabat. Deinceps hi capellani Auditores Rotæ nuncupati sunt ; quod expendit Gomez *de Regim. cancell.* in Proœm. *de Rotæ immut.*, de Luca in *Relat. Cur. Rom.* disc. 32, num. 3 et 4, verum de origine hujus Tribunalis S. Rotæ clare non constat, nonnulli opinantur illud esse coævum ipsis Pontificibus, atque assessores illius fuisse dictos seniores, postea consiliarios, et decuriones reipublicæ, ac iterum cubicularios, post hæc capellanos, et demum magistros, nunc vero vocari Auditores Rotæ. Vide Dominicum Bernini in opere inscripto : *Il Tribunale della S. Rota Romana.* Existimant alii, auctorem hujus curiæ esse Joannem XXII, ut patet ex Du Fresne in Gloss. V. *Rota porphyretica ;* sed videtur fuisse antiquissimum hoc Tribunal quoad rem, quum Pontifices nunquam fuerint sine consiliariis, quoad nomen et formam esse novum. Modo sunt auditores Rotæ, qui causas in universo mundo inter christianos et fideles controversas, per modum judicum delegatorum suscipiunt et absolvunt. Vide Card. de Luca, opere cit. disc. 32, num. 3 *et seqq.* ; et in hac collectione Verb. *Tribunal S. Rotæ Romanæ* not. 59, tom. 6, pag. 53.

Quanquam nullus sit locus in orbe christiano, in quo summa ecclesiastica jurisdictio suum rigorem non exserat attamen quoad formam, et modum procedendi locus competens est Roma, ibidemque erectæ sunt congregationes, tribunalia, judicia, ac dicasteria. Ex congregationibus eminet illa, quæ consistorialis seu consistorium dicitur, de quo verba fecimus, quia in palatio apostolico, coram omnibus cardinalibus præsidente Summo Pontifice celebratur. Juxta modernum morem hic proponuntur non aliæ causæ, quam gratiosæ, seu non contentiosæ ; nominatim agitur ibidem de creatione novorum Cardinalium, de provisione dignitatum majorum, patriarchatuum, archiepiscopatuum, episcopatuum, et quandoque regularium abbatiarum, de missione legatorum ad aulas principum, de erectione novarum Ecclesiarum, cathedralium aut metropoliticarum, etc.

[1] Apud Baron. ad an. 254, § 99. — [2] Apud eumd. ad an. 417, § 20. — [3] Tom. I, pag. 12, edit. Lucæ 1747.

Quod si controversia vel oppositio in una vel altera causa emergat, antequam in plenc consistorio terminetur, particularis quædam congregatio, cum deputatione quorumdam cardinalium et aliorum prælatorum, proprie consistorialis appellata, a Pontifice indicitur; ut refert card. de Luca disc. 5, num. 15 et seqq., cit. loc.

Præter consistorium alia fuerunt antiqua tribunalia et congregationes, quæ senatum Summi Pontificis seu curiam Romanam componebant. Quum enim olim Roma ethnica fuerit regina mundi, ita christiana est caput orbis terrarum, de qua S. Athanasius serm. *ad Solit. Vit.* ait : *Metropolis orbis christiani, et thronus apostolicus, sedesque vicarii Christi, ac successores Petri, hoc est pontificis Romani. Hic imperium suum dilatavit longe ultra fines, quos in terraqueo globe descripserant sibi olim victoriis suis antiqui Romani.* Hinc Romana Curia non ex solis civibus, sed ex gentibus universis ad Urbis et Ecclesiæ regimen confluentibus componitur. Hæc est domicilium legum, ut inquit Sidonius [1], et cæterarum curiarum magistra, ut ait Gonzales [2]. Certum omnino est a curis publici dici, curiæque nomen derivari, quia locum designat, in quo graviores res, vel religionem, vel politiam respicientes, expediuntur. Dixi graviores res, vel religionem, vel politiam respicientes : duæ enim curiarum species recenseri, et apud Romanos viguisse Marcus Varro testatur [3] ; unam scilicet, in qua de rebus sacris, et ad religionem directis, alteram, in qua de rebus publicis et populum spectantibus agebatur, unde eam in genere acceptam merito Cicero appellavit [4] : *Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, concilii publici, caput orbis, aram sociorum, et portum omnium gentium.* Quamvis autem temporali Romanorum imperio extincto, Curia etiam Romana eidem adnexa cessaverit, apostolorum tamen Petri et Pauli sanguine in eadem Urbe profuso divini consilii dispositione factum est, ut amplior plane, majorique prodita auctoritate et jurisdictione revixerit.

Et revera curia in genere considerata est locus a supremo Principe singulariter electus, ut in eo causæ quæcumque ad ipsum, seu pro administranda justitia, seu pro levandis necessitatibus tam publicis quam privatorum delatæ expediantur. Est ergo nomen *curiæ*, ut ait Zallwein (*Princip. Jur. eccl. univ. et partic. Germ.*, quæst. 3, cap. 2, § 1) nomen genericum, et sub se complectitur varia dicasteria, tribunalia, audientias, et congregationes, in quibus princeps summus hæc omnia expediri jubet et mandat. Ex his facile constat quid sit *curia Romana*, nempe senatus Summi Pontificis, in quo causæ ad Sedem Pontificiam delatæ expediuntur. Quantum immerito hac voce *curia Romana* Protestantes abutantur, legi potest Zaccaria *Antifebronius vindicatus*. Jam secundum diversitatem negotiorum et causarum diversæ sun *curiæ*. Communius curia Romana in duas partes dividitur : ad primam pertinent negotia contentiosa , ad alteram negotia mere gratiosa. Pro expediendis negotiis et causis contentiosis erecta sunt varia tribunalia et congregationes. Pro gratiosis Dataria, Cancellaria, et Secretaria Brevium, Indulgentiarum et Memorialium. De hac curia Romana mentionem facit *Clem. V* in Clem I *de Jurejur.*, qui ait : « Præfatis itaque nuntiis in nostra et fratrum nostrorum præsentia constitutis, ac secundum dicti tenorem mandati Avenione, ubi tunc eramus cum nostra CURIA residentes, in publico consistorio, in quo erat prælatorum et aliorum tam clericorum quam laicorum non modica multitudo, etc. » Jacobus Cohellius in opere inscripto *Notitia Cardinalatus* difuse agit de Curia Romana. Item Card. de Luca in *Relat. Rom. Curiæ*, P. Unoldus Plettembergius in *Relat. Rom. Curiæ*, Gerardus Gastellus in opere inscripta *Usage et pratique de la Cour de Rome.* Idcirco immerito hac voce *curia Romanæ Sedis* abutuntur nonnulli, qui in illam complures contumelias evomunt injuriosas ac injustas.

[1] Lib. 1, epist. 6. — [2] *Ad Reg. Cancell.* gloss. 1, § 2, num. 14. — [3] *De Ling. latin.*, lib. 9. — [4] *In Orat. pro Tit. Ann. Milone.*

Ut ad executionem Pontificiæ voluntatis expeditius deveniatur, tria sunt constituta in Romana Curia officia, cancellarii nempe, datarii, et secretarii brevium. Cancellariæ suæ Summus Pontifex præficit cardinalem vice-cancellarium, cujus auctoritate omnia diriguntur juxta regulas Cancellariæ editas. Dantur exequutioni decreta consistorialia, signantur bullæ (si per breve sub annulo Piscatoris non emanent), et quidquid de illorum expeditione controversum occurrit, deciditur. Vide Card. de Luca, cit. loc., disc. 10, per tot., Plettemberg not. *Congr. et Trib. Cur. Rom.*, cap. IX, num. 2 et seqq. Habet Romanus Pontifex datarium, aut pro-datarium, per quem in sua Dataria, seu tribunali expeditionis, gratias actu concessas declarat et exequitur ; qui proinde oraculum mentis pontificiæ, cujus dicto, scriptoque standum est, appellatur. Dicitur autem datarius, quando ex ordine prælatorum ; pro-datarius vero nominatur, quando ex collegio Cardinalium ad istud munus assumitur. De qua re vid. card. de Luca, cit. loc., disc. 9, num. 18. et seqq., Plettenberg, eod. loc. , et, in hac collectione, verb. *Dataria*. Sicuti bullæ a Curia Romana expediuntur per Cancellariam Apostolicam sub sigillo plumbeo, ita brevia per Secretariam Brevium expediuntur sub annulo Piscatoris ; quæ subscribuntur tantum a secretario brevium, qui solet esse aut prælatus vel cardinalis. Dicuntur brevia, quia in brevibus materiis, seu breve negotium concernentibus, concedi solent, nam in arduis negotiis communius bullæ expediuntur ; Rebuff in addit. ad *Reg. Cancell.*, 34, § *Breve*, card. de Luca *in Relat. cur.*, disc. 7, num. 9.

Summus Pontifex etiam constituit cardinalem presbyterum majorem pœnitentiarium, qui in foro interno, vel sacramentali potissimum exercet potestatem clavium, ac per se suosque substitutos absolvit pœnitentes ac pœnitentias imponit. Hæc Sacra Pœnitentiaria primam formam et leges accepit a const. *In Agro dominico*, 8 april. 1338, Bened. XII. (*Bull. Rom.* tom. III, par. II. pag. 259), cui deinde accesserunt aliæ constitutiones Romanorum Pontificum summarie relatæ a Guerra in *Edit. Pontif. Const*,. tom. I, pag. 403 et seqq. De hoc sacro tribunali juvat referre, quæ diserte ait card. Petra in opere *de Sacra Pœnitentiar. Apostol.* , part I, cap. x, numer. 1 et 2, pag. 195, seq., edi. Roman. 1712, qui facultates amplissimas antiquitatis exercitas ab hoc tribunali expendit : « Uberrimus, inquit, nobis offertur fons facultatum et gratiarum per Summos Pontifices concessarum majori pœnitentiario, et officio Sacræ Pœnitentiariæ ; licet enim, ut supra retuli, id institutum præcise fuerit pro foro interno et conscientiæ, cum Romani Pontifices tam bene omnia procedere viderint, ob viros eximios qui officium illud componebant, ea omnia quæ respiciebant dispensationes, juris nempe relaxationes vel alias gratias, eidem officio commiserunt ; ideoque ea quæ per Secretariam Brevium, Congregationes concilii et Episcoporum, ac Datariam nunc expediuntur, ut plurimum per illud officium concedebantur, unde Sacræ Pœnitentiariæ permissum erat, testatorum voluntates commutare, eisque derogare, unire, supprimere et transferre beneficia, facultatem concedere religiosis extra monasterium permanendi, super eorum professionis nullitate judicare, concedere facultates alienandi bona ecclesiastica, absolvere ab omni crimine etiam extra forum conscientiæ, juramenta relaxare, matrimonia nulla declarare, facultatem præbere religiosis recipiendi gradus absque superiorum licentia, absolvere ab indebita perceptione fructuum, et violata jurisdictione ecclesiastica in casu etiam publico, facultatem concedere Episcopis et regularibus testandi, confirmare auctoritate apostolica gesta per Ordinarios, dispensare super ætate promovendorum ad ordines, indulgentiarum concessiones expedire, aliaque plura spectantia ad forum externum, imo judiciale peragere. »

Quum hodie aliæ institutæ sunt congregationes pro diversitate negotiorum de quibus sermo erit § IX, speciales facultates concessæ fuerunt tribunali Sacræ Pœnitentiariæ, quæ colliguntur in const. Bened. XIV quæ incipit *Pastor bonus*, 2 april. 1744 (Bullar. ejusd.

Pont., tom. I, pag. 319.) Qua de causa major pœnitentiarius absolvit a peccatis et censuris, dispensat ab irregularitate, convalidat titulos beneficiorum condonando quoad fructus male perceptos, remittit seu condonat alia male percepta, et habilitat ad percipiendum, relaxat seu commutat juramenta, vota et onera ; regulares habilitat, absolvit et transitus eisdem concedit de una ad aliam religionem ; et eadem respectu monialium ; dispensat in matrimonialibus super impedimentis occultis, revalidat dispensationes male obtentas, etiam legitimando prolem ; dat facultatem minoribus pœnitentiariis ; concedit indulgentiam centum dierum in tactu virgæ : quæ facultates declarantur etiam alia Const. Bened. XIV *in Apostolicæ Pœnitentiariæ*, 13 april 1744 (Bull ejusd. Pont. tom I, pag. 330). Componunt tribunal Sacræ Pœnitentiariæ major pœnitentiarius, regens, theologus, datarius, canonista, corrector, procuratores seu secretarii tres, et scriptores ordinarii itidem tres cum additione unius procuratoris et unius scriptoris.

§ VIII.

Cardinalium S. R. E. Dignitas, Potestas et Officium.

Amplissima Ecclesiarum omnium sollicitudo, in quam graviter incumbens Pontifex Maximus diversitate negotiorum distrahitur, postulavit ut non ipse perpetuo per se singula administraret, ut vidimus præcedenti §, sed quosdam in partem suæ sollicitudinis advocando designaret, per quos certæ res dirigerentur atque implerentur. Æquissimum autem in hac parte erat, ut eorum præ cæteris eligendorum ratio haberetur, qui a consiliis Pontificis ejusdem essent, et unum veluti principale corpus cum illo constituerent, Cardinales, dico, e variis christiani orbis provinciis designatos, qui propterea omnium fere provinciarum mores una callerent, exindeque Ecclesiarum omnium utilitatibus prudenter posse prospicere præsumerentur. Hinc mirum non est si ille supremus senatus Urbis et Orbis, qui *Maximus et Sacrum Collegium* dicitur, ex Cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ constituatur ; iidemque purpurati Patres præcipuarum congregationum sint capita, summorumque tribunalium in Curia Romana præsides, aut nobilissima ipsorum membra, quibus ipse Pontifex Maximus in persona præsidet. Eos enim, qui amplitudine cæteros præstiterunt, minime dubium est senatores fuisse, nempe ex amplissimo eo ordine, cujus statutis ac legibus orbis terrarum regebatur.

Cum autem eliminata superstitione facta est Roma civitas sacerdotalis et regia, ut inquit S. Leo Magnus [1] ; hinc amplissima Cardinalium dignitas, quæ in Ecclesia post pontificiam nulli secunda hodie ponitur, et quæ ab initio primitivæ Ecclesiæ non ita expressa fuit, ad tantum fastigium sensim, et iisdem fere gradibus quibus exterior Romani Pontificis dignitas evecta est ; quod clare exponit Eugenius IV, Pont. Max., in sua const. *Non mediocri*, anno 8 sui Pontificatus [2] et ad archiep. Cantuariensem directa, ubi ait : « Quippe, et si ejus dignitatis nomen, quod modo in usu est, ab initio primitivæ Ecclesiæ non ita expressum fuit, officium tamen ipsum a B. Petro ejusque successoribus institutum evidenter invenies. Imo, ut inquit Innocentius III, ex veteri testamento jussu Dei traxit originem, asserit enim id quod Deuteron. 17 dicitur, ut pro difficultate et ambiguitate judicii accedatur ad sacerdotes levitici generis, et judicem, qui fuerit illo tempore et obediatur ipsorum judicio qui præsunt loco, quem Dominus elegerit, de Summo Pontifice intelligendum esse, et fratribus ejus, id est S. R. E. Cardinalibus, qui ei jure levitico in exequutione sacerdotalis officii coadjutores existunt. Itaque et ab exordio Ecclesiæ sicut et hodie, Summis Pontificibus in regenda, gubernandaque universali Eccle-

[1] In Serm. I *in Nat. SS. Petri et Pauli*. — [2] *Bull. Rom.*, tom. III, part. 3, pag. 21.

sia assistebunt. Et ut ex concilio Stephani papæ colligitur dicentis : Oportebat, ut hæc sacrosancta domina Romana Ecclesia, juxta quod a B. Petro et ejus successoribus institutum est, rite ordinaretur, et in apostolatus culmine unus de Cardinalibus presbyteris aut diaconis consecraretur, datur manifeste intelligi, hos fratres nostros, qui inter cardinales locantur, tempore B. Petri extitisse. »

Et revera quam hæc cardinalatus dignitas sit sublimis, et aliis excellentior, et ita hactenus in Ecclesia reputata, facile evincitur tum ex ejus officio, tum ex sanctorum Patrum statutis, tum ex consuetudine apud Sanctam Sedem et Concilia generalia semper observata. Fridericus II occidentalis imperator in sua epistola anno 1239 Apostolicorum successores cardinales nominat, scribens : « Cum sicut Christus caput Ecclesiæ, et in Petri v ocabulo suam fundavit Ecclesiam supra petram, vos Apostolorum statuit successores. » Apud Thomassin., *Nov. et Vet. Eccl. Discipl.*, part. I, lib. I, c. 114; Cohellius, *Notit. Cardinalat.*, cap. 8, pag. 16, edit. Rom. 1663, ait : « Est autem cardinalatus dignitas adeo sublimis et eminens, ut nulla prorsus in Ecclesia hierarchia major (Summo Pontifice excepto) reperiri valeat. Nam etsi episcopalis ordo sive gradus, uti sacramentalis est, superioritatem quamdam potestatis super alios ordines sacerdotales habeat, administratione tamen, qua S. R. E. Cardinales in universali ecclesia Episcopis profecto digniores esse dicuntur ». Et in Ambrosiana Mediolanensi bibliotheca codex manuscriptus adservatur hoc titulo : *Liber de statu, auctoritate et potestate reverendorum in Christo patrum et dominorum S. R. E. Cardinalium, et de eorum Collegio Sacrosancto*, qui liber compositus est Romæ anno 1446 pontificatus Eugenii IV. Vide Muratori *Antiquit. Ital. medii ævi*, tom. V, pag 181, edit. Mediol., in fol. 1741, ex typog. Societatis Platinianæ.

Et sane Eugenius IV Pont. Max. in cit. const. *Non mediocri*, anno 8 sui pontificatus edita, et ad archiep. Cantuariensem directa super præcedentia ejusdem cum card. S. Baldinæ diserte christianæ antiquitatis de cardinalatus dignitate monumenta exhibet ; et § 14 ita concludit : « Quis etiam non videat cardinalatus dignitatem archiepiscopali esse majorem dignitate, quia cum illa privatæ unius patriæ præsit utilitati, ista publicæ totius populi christiani. Illa unam duntaxat regit Ecclesiam, ista cum Sede Apostolica universas, et cum a nemine, nisi a solo Papa judicentur Cardinales, ipsi et Patriarchas, et Archiepiscopos, et reliquos Ecclesiæ gradus, cum Summo Pontifice judicant. Quorum officio nomen ipsum consonat optime, nam sicut super cardinem volvitur ostium domus, ita super hoc Sedes Apostolica, totius Ecclesiæ ostium quiescit et sustentatur ». Atque hac ratione ita de Cardinalibus loquebatur S. Card. Petrus Damiani : « Nos itaque, inquit [1], fratres mei, ut et me vobis audenter interseram. Nos, inquam, qui tanquam septem sumus oculi super lapidem unum, qui stellarum portamus imaginem, qui Angelorum tenemus per annunciationis officium dignitatem, videamus, splendeamus, et verba vitæ populis, non solum vocibus. sed et moribus nuntiemus ». Insuper hoc loco prætermittere nolo allocutionem, qua Pius II Pont. Max. usus est ad cardinales noviter electos. Ait ipse [2] : « Maxima, filii, et excellentissima dignitate donati estis, ad Collegium Apostolicum vocati, consiliarii Nostri et conjudices orbis terrarum eritis ; inter causam, et causam inter sanguinem et sanguinem, inter lepram et lepram discernere vos oportebit. Successores Apostolorum circa thronum nostrum sedebitis. Vos senatores Urbis, et regum similes eritis, veri mundi cardines, super quibus militantis ostium Ecclesiæ volvendum ac regendum est. Cogitate animo, quos viros, quæ ingenia, quam integritatem hæc dignitas requirit : humilitatem non superbiam, liberalitatem non avaritiam, abstinentiam non ebrietatem, continentiam non libidinem, scientiam non ignorantiam, virtutes omnes nullum vitium hic honos exposcit. Si fuistis hactenus vigilantes,

[1] Lib. 1, epist. 1, *ad Card. Episc. Lateran.* — [2] In *Comment. Pii II*, lib. 4, pag. 99.

nunc vigiletis oportet adversus malignum hostem, qui nunquam dormit cogitans quem devoret ; si liberales fuistis, nunc opes in rebus honestis profundite, et maxime in alendos pauperes ; si cibi potusque abstinentes, nunc præcipue luxuriam fugite : Absit avaritia, facessat crudelitas, exulet arrogantia, sint libri sacri semper in manibus vestris, dies, noctesque aut discite aliquid, aut alios docete, opera efficite, per quæ lux vestra coram omnibus luceat, et denique tales estote, quales esse debere Cardinales dijudicastis antequam ipsi hoc culmen ascenderetis. Innumera fere sunt testimonia, ex quibus cardinalatus dignitas emanat, quæ difuse recenset P. Tamagna in opere cit. *Origine et Prerogative de' Cardinali della S. R. C.*, part. I, cap. 6, per tot.

Et sane cardinales Romanæ Ecclesiæ, quæ ceterarum caput est, veluti primaria amplissimi corporis membra, partesque præcipuæ fere ab incunabulis catholicæ fidei Summo Pontifici de rebus maximis deliberanti præsto semper fuerunt; imo, quod præclarissimum est, ac prope divinum, cum capite conjuncti speciem exhibent universalis cujusdam domesticique concilii, cujus est de moribus, de disciplina, de fide ipsa summa auctoritate decernere ac definire. Quamobrem omni ætate ex omnibus terræ partibus Romam appulsi præstantissimi homines in Romanum clerum adscripti sunt, ut ex centro unitatis unusquisque patriæ suæ, atque adeo universæ reipublicæ christianæ, pro rerum temporumque opportunitate consulerent : « Ad hanc enim Ecclesiam, inquit S. Irenæus [1], propter potiorem principalitatem necesse est omnium convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata ea quæ est ab Apostolis traditio ». Itaque recte S. Bernardus in epistola quadam ad omnes Cardinales directa, qua eos hortatur ut Abilardi pullulantem hæresim exscindant : « Nulli dubium, inquit, quin ad vos specialiter spectet de regno Dei surgentes succidere spinas, sedare querelas... Agite pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro potestate quam accepistis [2] ! » Quibus verbis aptissime indicat, hoc esse Cardinalium proprium, ut excubent pro bono communi, ut in continua quadam vigilia sint adversus hæreses, et adversus omnia vitia, atque ob hanc causam datam eis esse dignitatem, et potestatem, qua pollent ; ut ait Platus *de Card. Dignit. et Offic.*, cap. 4, num. 2.

Deinde maximum accessit pondus dignitati cardinalatus per Alexandrum III, ad quem eximius ille splendor a sacro Cardinalium Senatu acceptus referri debet ; ad quem unum, ut dissensionum atque schismatum causas, occasionesque e medio tolleret, amoto et excluso inferiori clero, transtulit eligendi Pontificis potestatem. Et hanc sententiam communem esse defendit P. Tamagna cit. oper., cap. 7, § 11, rejecta illa Mabillonis, qui hoc privilegium repeti a Nicolao II putat dicens [3] « ut a solis Cardinalibus, quod Nicolaus II jam statuerat, sed obtinere nequiverat, Pontifex eligeretur, ita ut ex tribus duæ partes in unum conspirent ». Nam Franciscus Pagi [4] asserit : « Onophrius Panvinius in Vita Alexandri III a Platina scripta inquit, in electione Lucii III eam tunc primum redactam fuisse ad solos Cardinales, clero et omni populo a Pontificis electione exclusis, legemque salutarem in concilio Lateranensi, anno 1179 celebrato, latam de duobus tertiis suffragiorum Cardinalium ad evitanda in posterum schismata executioni mandatam fuisse, quod dicit sibi constare ex ejusdem Pontificis diplomate apud se asservato ». Et hoc decretum etiam legitur in cap. *Licet*, extrav. *de Elect.* Concilium vero Lugdunense, anno 1374 celebratum sub Pont. Max. Gregorio X, ac concilium pariter œcumenicum Viennense, præfatum sub electione Romani Pontificis confirmarunt. Hinc mirum non est, si in ecclesiasticis monumentis plurima Cardinalibus concessa privilegia, honoresque existant, quæ quis non modo superare, verum ne adæquare quidem potest ; de quibus

[1] *Contra Hæres.*, lib. 3, cap. 3. — [2] Epist. 188, tom. I, pag. 79. — [3] *Comment. in Ord. Rom.*, pag. 115. — [4] Tom. III in *Vita Lucii III*, num. 1.

S. Petrus Damiani affirmat [1], quod « Romani Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, et quibusdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque Primatuum jura trascendunt, salvo quippe universalis Ecclesiæ sacramento : isti sunt oculi unius lapidis, ipsi lucernæ unius candelabri ».

Præterea, ipsos Cardinales, pro honoris et dignitatis eminentia, partem sui corporis Summi Pontifices appellant. Ipsi, tanquam membra ejusdem Ecclesiæ capitis, ipsi capiti deserviunt, et, submissis humeris, ad regendum universalis Ecclesiæ firmamentum, operosa sedulitate, cum ipso Summo Pontifice laborant, et tam ipsius Ecclesiæ, quam totius orbis incumbentia onera indefessis cum eo sollicitudinibus partiuntur, ut ait Nicolaus IV Pont Max. [2]. Hi enim sunt quos dilexit Dominus, et velut præcipuas et sublimes Ecclesiæ prædictæ columnas prærogativa sublimavit honoris. Horum cœtus in orbe magnificus omnes et singulos quibuslibet titulis decoratos excellit. Horum altitudo consilii, et expertæ circumspectionis industria circa dirigenda quælibet et agenda salubriter, afferre universaliter majora commoda dignoscitur. Qua de causa Conc. Trident., sess. 24, cap. 1, *de Reform.*, de electione Cardinalium agens, ait : « Nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quam ut beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum Cardinales adsciscat ». Ac Sum. Pont. Sixtus V, const. *Postquam verus*, 3 decem. 1586 [3], expendit præstantiam, numerum, ordinem, ætatem, et qualitates S. R. E. Cardinalium, qui sunt creandi, necnon de optione sex cathedralium ecclesiarium, quæ Cardinalibus conferuntur.

Insuper, si ecclesiasticam disciplinam a prioribus sæculis stabilitam expendamus, videtur præcipuum Cardinalium Romanæ Ecclesiæ officium esse Romano Pontifici in negotiis gerendis consilio et opera assistere, atque ex hoc capite Cardinalium eminentiam atque dignitatem præcipue, ne dicam unice, fuisse desumptam et consideratam. Et quidem Leo IX scribens ad Michaelem, patriarcham Constantinopolitanum, cum dixisset quod sicut cardine totum regitur ostium, ita in Petro et ejus successoribus totius Ecclesiæ disponatur emolumentum, mox ut consequens infert : « Unde, et clerici ejus *Cardinales* dicuntur ; *Cardini* utique illi, cætera moventur, *vicinius* adhærentes ». Hinc Van-Espen inquit [4] : « Itaque non jam ab intitulatione, vel incardinatione alicujus ecclesiæ Cardinales vocantur, sed a majori adhærentia Pontifici Romano ». Et Pius II, Pont. Max., in lib. *Cœrem.*, sect. 8, cap. 6, hunc in modum Cardinales alloquitur : « Ad Collegium Apostolicum vocati estis consiliarii nostri et coadjudices orbis terrarum, super quos militantis Ecclesiæ ostium volvendum est ». Hoc itaque est cardinalatus officium de quo Plati *de Card. Dignit. et Offic.*, cap. 6, num. 5, ita loquitur : « Hæ igitur sunt partes Cardinalium, hoc officium, ut, quoniam unius hominis mens et consilium nullo modo tantæ molli sustinendæ par esse potest, addantur aliqui, qui in tanto, tam laboroso et difficili opere Pontificem adjuvent, et sublevent ». Et idem sentit Cohellius *Notit. Cardinalat.* cap. 15, cap. 11, dicens : « S. R. E. Cardinales ad hanc sacrosanctam et ecclesiasticam dignitatem ideo promotos esse, ut Summo Pontifici in administratione universalis Ecclesiæ tanquam senatores et consiliarii assistant ». Merito autem S. Bernardus lib. IV *de Consid.*, appellat Cardinales *seniores populi*, judices orbis ; et in cap. *Fundamenta, de Elect.*, in 6, § *Decet*, dicuntur principales assessores consiliarii, et in exequutione principales officii cooperatores. Et Pignatelli [5] vocat Cardinales membra Summi Pontificis, quæ constituunt cum ipso unum corpus, ac sunt veluti conjudices ad ardua

[1] Apud Sigon. *de Regno Italiæ*, lib. 9, sub ann. 1059. — [2] Const. *Cœlestis altitudo* 18 julii 1289, *Bull. Rom.* tom. III, part. 2, pag. 52. — [3] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. 4, pag. 279. — [4] *Jur. Eccl. univ.*, part. 1, tit. 22, num. 30, tom. I, pag. 227. — [5] Consult. 174, tom. 9, num. 9.

Ecclesiæ negotia pertractanda. Rursus Episcopos præcellunt, cum Episcopi curæ certæ diœcesis præsunt, Cardinales vero totius Ecclesiæ; ut bene dixit Innocentius III in cap. *Bonæ memoriæ*, 3, quod Cardinalis persona utilior sit, non solum Romanæ, sed etiam Ecclesiæ universali, *de Postulat. Prælat.*; et idem S. Bernardus ad Eugenium III lib. IV, tom. I, pag. 195, inquit : « Veniamus ad collaterales et adjutores tuos; hi seduli tui, hi intimi tui ».

Et revera hæc fuit causa propter quam Innocent. X, Pont. Max., constituit ne Cardinales absque Summi Pontificis venia a Statu ecclesiastico recedant ; ipse enim inquit in exordio const. *Cum juxta*, 19 febr. 1646 [1] : « Cum juxta sacrorum canonum dispositionem venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales in partem sollicitudinis Apostolicæ sint vocati, ut Romano Pontifici pro tempore existenti personaliter assistant, et in regimine universalis Ecclesiæ eorum opera præstent, dicanturque pars corporis et membra ipsius Pontificis, ac diversis Ecclesiis Urbis pro eorum cardinalatus titulo seu diaconia præficiantur, et propterera apud eumdem Romanum Pontificem in Romana Curia residere teneantur ». Imo Paulus IV, Summ. Pont., censuit æquum non esse ut Cardinales ab Urbe etiam de licentia ipsius Pontificis absentes, cum aliis in dicta Urbe præsentibus, et Summo Pontifici in regimine universalis Ecclesiæ continue assistentibus, in optione Ecclesiarum quæ ipsis pro titulis assignantur, aut in distributionibus quibus gaudent ratione pilei, concurrant; decrevit proinde de dicta optione ac præfatis distributionibus Cardinales quavis de causa absentes minime gaudere, quod patet ex ipsius decreto incipien. *Sanctissimus Dominus*, 12 jun. 1556 [2]. Hanc dispositionem confirmavit Bened. XIV const. *In regimine*, 3 febr. 1745 [3]. Præter auctores citatos egit de Cardinalibus S. R. E. Hieronymus Manfredi (*Bononiæ* 1564, in 4.), et adest dissertatio de Cardinalium origine et antiquitate in tom. II, num. 9 et 10. *Thesauri juris ecclesiastici* Antonii Schmidt. Cardinalium autem vitæ ac gesta Romæ prodierunt latine ab Alphonso Ciacconio ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad Clem. IX, et a Mario Guarnacci, qui incepit a Clem. X, usque ad Clem. XII ; et italice recentissime a Cardelli, parocho Romano.

§ VIII.

Hinc summa rerum universalis Ecclesiæ ope Cardinalium Congregationum fuit pertractata.

Munus Cardinalium in dirigendis negotiis universæ Ecclesiæ maxime hodie elucet ex congregationibus cardinalitiis, quæ sunt cœtus quidam, seu collegia quodammodo Cardinalium per Pontifices instituta ad certa aliqua negotia dirigenda, discutienda, quin et absolvenda, atque de illis etiam judicium ferendum; ideoque, ad aliquam speciem tribunalis, suos officiales et inferiores ministros singulæ congregationes habere solent. Porro, ne ipse Summus Pontifex solus universalis Ecclesiæ onere, quod est angelicis humeris plane formidandum, opprimeretur, illud inter Cardinales, apta quadam, ut inquit Sixtus V in const. *Immensa æterni* 22 januar. 1587 (*Bull. Rom*, tom. IV, part. IV, pag. 392), distributione pro temporum conditione, negotiorumque multitudine, et varietate, ipsaque utilitatis ratione, salubriter partiri cœptum est, ut qui ex omnibus nationibus ad hanc matrem, magistram, perfugiumque fidelium Apostolicam Sedem, devotionis salutisque studio, juris persequendi, gratiæ impetrandæ, aliasve multiplices ob causas, frequentissimi confugiunt, ii quidem et tuto et commode Romam perveniant, et ut facilius

[1] *Bull. Rom.*, tom. VI, part. 3, pag. 71. — [2] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. 1, pag. 330. — [3] *Bull. ejusd.*, tom. I, pag. 217.

celeriusque expediantur, distinctos Cardinalium conventus et congregationes ad certas rerum et negotiorum tractationes paratas habeant, Cardinalesque ipsi distributi muneris partem levius ferant, diligentius administrent, commodius Romanum Pontificem consulant, et denique viri primarii, publicis in rebus exercitati, nullo unquam tempore desint, Congregationes fuerunt institutæ, singulis certis negotiis cum particularibus facultatibus assignatis, ita tamen ut graviores et difficiliores consultationes ad Papam referantur.

Hinc factum est ut pro regimine universalis Ecclesiæ ultra consistorium sint institutæ nonnullæ congregationes Cardinalium, quæ ignotæ fuerunt antiquis scriptoribus, utpote postea ex eodem Cardinalium collegio erectæ; quod declarat card. Paleot. *de Sacri Consistorii Consul.*, part. v, quæst. 40, qui ait : « Congregationes Cardinalium, quas Summi Pontifices et præsertim Sixtus V ad causarum difficultates ipsius auctoritate cognoscendas et definiendas instituerunt, esse tanquam filias consistorii, ab eo veluti fonte promanantes. Et quemadmodum sol non solum ipse lucet, verum etiam stellis lumen impertitur, quo et cœlum ornant et illuminant orbem universum ; sic Summum Pontificem non suis decretis modo Ecclesiam per se ipsum docere et moderari, verum etiam ita Cardinales sua tum auctoritate fulcire, tum potestate augere, ut sociatis laboribus facile omnes difficultatum nodos dissolvant ». Et primum ex monumentis ecclesiasticis colligitur, ex sacro senatu duas instituisse S. Pium V, 10 kal. aug., congregationes : unam, in qua de reducendis hæreticis ; alteram, in qua de gentilibus ageretur ; quod observat Jacobus de Laderchius, Baronii Raynaldique *Annal. Eccles.* continuator [1], qui refert epistolas a Pontifice scriptas, et pag. 159 subjungit : « Uti autem appareat litteras hujusmodi a Pontifice scriptas fuisse, post decretam, quam diximus, Cardinalium Congregationem, quæ curandis rebus ad fidei propagationem spectantibus incumberet ; sic sciendum, hæc prima fuisse congregationis illius, quæ postea de Propaganda Fide dicta est, initia, et maximo totius christianæ reipublicæ bono, sub Gregorio XV, Urbano VIII, et aliis Pontificibus amplificata et aucta ». Congregationes autem, quæ modo vigent, aliæ sunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ. Ordinariæ formam stabilem habent, iisque certa negotia expedienda semel commissa sunt ; quales sunt congregationes Universalis Inquisitionis, quæ *Sancti Officii* vulgo dicitur, Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini, Episcoporum et Regularium, Rituum Ecclesiasticorum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Indicis Librorum, Indulgentiarum ac Sacrarum Reliquiarum, Propagandæ Fidei, Examinis Episcoporum, Fabricæ Basilicæ Vaticanæ S. Petri, et aliæ attingentes negotium Ecclesiæ universæ. Extraordinariæ, quæ scilicet extra ordinem per Pontificem particulariter ad dirigenda decidendaque negotia tam publica universalis Ecclesiæ, quam privata ex universis provinciis ad curiam Romanam via provocationis, consultationis, relationis, appellationis, aut reservationis devoluta, ordinari solent, et cessant negotiis illis absolutis; de quo præter alios loquitur Zallwein, *Princ. Jur. eccl. univ. et partic. Germ.*, quæst. 3, cap. 4, § 1.

Hinc tantum abest ut mos consulendi Apostolicam Sedem postremis hisce sæculis exoleverit, ut Summus Pontifex consultationum quæstionumque multitudine obrueretur, necesse fuerit varias pro rerum varietate congregationes instituere, quæ hanc provinciam susciperent, eamque studiosissime curarent. Harum congregationum responsis pleni canonistarum sunt libri, pleni recentiorum interpretum commentarii. Hisce modo in curiis ecclesiasticis lites dirimuntur, controversiæ solvuntur, omnesque fere quæstiones definiuntur. Et consonat quod ait Cohellius, *Notit. Cardinalat.*, cap. 15, congr. 1, edit. Rom. 1653, pag. 44 : « Cum negotiorum gravitas et multitudo in dies magis ac magis

[1] Tom. XXIII, eod. an., pag. 157.

ad Apostolicam Sedem devolvantur, solusque Pontifex omnibus satisfacere, et consistorium semper, omnesque Cardinales insimul convocare sit impossibile, summa quidem prudentia factum videmus, rerum peragendarum molem in varios ac inter se distinctos Cardinalium conventus (congregationes appellant) æqua lance divisam, et juxta cujusque rei indigentiam assignatam ; ita ut Cardinales ipsi non omnes omnibus Congregationibus intersint, sed ut partiti oneris portionem levius ferant, diligentius examinent, Pontificem denique pro suprema manus appositione commodius consulant, certi certis fuerint adlecti ».

Et revera congregationum erectionis necessitas ex Ecclesiæ catholicæ magis propagatæ regimine resultat ; quum consistorii conventio satis pro universa regenda Ecclesia haud sit, sicuti card. Palæoti, *de Consist.*, part. v, quæst. 11, animadvertit, inquiens : « Magna fuit olim a majoribus nostris ratione institutum, ut præter consistoria, ad quæ universi Cardinales convenire debent, congregationes quædam Cardinalium frequenter haberentur, et pro rerum gravitate et varietate, quæ ad Sedem Apostolicam deferuntur ; Summus ipse Pontifex, qui clavum administrationis tenet, certas veluti classes Cardinalium constitutas haberet, quibus proprias negotiorum tractationes, causarumque difficultates, ipsius auctoritate cognoscendas et definiendas, sive etiam examinandas tantum, et ad eum deinde referendas, pro singulari sua sapientia distribueret. Quod institutum præ ceteris a Sixto V fel. recor. sancitum, et ab aliis deinceps confirmatum, et usu acceptum fuit. » Deinde pergit *loc. cit.*: « Nam, cum ad Sedem Apostolicam, tanquam Ecclesiarum omnium caput, ac universorum populorum matrem, totiusque christiani orbis perfugium, non solum fidei religionisque negotia, sed etiam gravissimarum aliarum rerum difficultates ac dubitationes deferantur, congruens aliqua ratio visa fuit patribus nostris ineunda, qua populorum necessitatibus, quibuscumque liceret subsidiis, et facilius et commodius prospiceretur ».

Hac de causa Sum. Pont. Sixtus V provide quindecim in Urbe instituit Congregationes S. R. E. Cardinalium, quarum plures, ut citius videlicet et diligentius negotia quæ ad Sanctam Sedem deferuntur, examinari possent ; sicut legitur in ejus const. cit. *Immensa* hisce verbis : « Nos igitur magni illius Moysis exemplo adducti, qui cum Deo loquens soceri sui Jethro consilium de variis judicibus constituendis non repudiavit, quique Dei jussu insignem senatum septuaginta seniorum conscripsit, qui cum eo onus populi sustinerent, ne solus ipse gravaretur ; Pontificium hoc onus, angelicis plane humeris formidandum, inter senatores orbis terræ, fratres nostros Cardinales, apta quadam distributione pro temporum conditione, negotiorum multitudine et varietate, ipsaque utilitatis ratione salubriter partiri decrevimus » ; et paulo post : « Et, ut facilius celeriusque expediantur (sermo est de iis qui ad Sanctam Apostolicam Sedem ob aliquas causas confugiunt), distinctos Cardinalium conventus, et congregationes ad certas rerum negotiorumque tractationes paratas habeant, Cardinalesque ipsi distributi muneris partem levius ferant, diligentius administrent ; commodius nos consulent, et denique viri primarii publicis in rebus exercitati nullo unquam tempore desint. »

Nobis unice agendum est de congregationibus in bonum universalis Ecclesiæ institutis, *quarum* (Bened. XIV. *Inst. Eccl.* LXXVI, num. 8, tom. XI, pag. 489, inquit) *voce suas* Sedes Apostolica *declarat sententias.* Congregatio S. Officii, seu Universalis Inquisitionis confirmata a Sixto V cit. const. consistens in copioso Cardinalium aliorumque Prælatorum, quin et religiosorum numero ; ac eum in finem instituta, ut in hæreticos, apostatas, maleficos, sacrilegos, prædicatores, aut defensores scandalosarum propositionum inquirat, ac ulteriorem processum continuet, sententiando, ac definiendo in eorum causis, non solum in Urbe, sed etiam universo terrarum orbe, ubi christiana viget religio.

Vid. Plettemberg. in *Notit. Congreg.* cap. 17, § 3 ; Schmier, *Jus Canon. univ.* lib. I, tract. V, cap. 2, sect. 4, § 4, pag. 527, edit. Salisburg. 1716, et in hoc opere v° *Congregatio*, § 7, not. 705. De Congregatione Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum sermo est §§ seqq. Congregatio super Negotiis Episc. et Regul. præposita a Sixto V, cit. loc., instituta versatur ; quando igitur oriuntur controversiæ inter Episcopos aliosve prælatos, officiales, aut subditos ex una, et regulares ex altera parte, hique se gravatos ab illis conqueruntur, ab hanc Sacram Congregationem, quæ componitur ex 24 Cardinalibus et uno prælato secretario, recurritur, ac sine strepitu et forma judiciali, sola veritate facti inspecta, ac informatione secreta et extrajudiciali petita, controversiæ definiuntur. Controversiæ vero quæ concernunt ipsosmet regulares inter se a propriis judicibus sunt terminandæ, nisi subditus aliquis a superiore se gravatum sentiat, a quo non potest ulterius appellari. Vid. Schmier cit. loc.; card. de Luca, disc. 15, num. 6; et Plettemberg cit. loc., cap. 18, § 1, num. 4 et seqq., et § 2, num. 4 et seqq., et in hoc opere v° *Congregatio*, § 2, not. 658.

In Congregatione Rituum pariter in cit. const. Sixti V erecta, conveniunt partim Cardinales, partim alii prælati et doctores, ut non solum negotia non contentiosa, meras v. g. cæremonias, ritus, officium divinum, etc., concernentia, sed etiam contentiosa, præcedentiam v. g. inter clericos seculares et regulares in functionibus publicis, cæterisque hujusmodi sacris ritibus et cæremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent, et componant. Et hæc S. Congreg. pariter causas Beatificationis et Canonizationis Sanctorum cognoscit ; vid. card. de Luca, disc. 18, num. 3 et seqq., num. 14 et seqq. ; et Schmier loc. cit. et in hoc opere v° *Congregatio*, § 5, not. 679. Congregatio Immunitatis Ecclesiasticæ, et controversiarum Jurisdictionalium, ab Urbano VIII instituta, ex aliquot Cardinalibus et prælatis, pro arbitrio Papæ, in Apostolico palatio coadunata : ad hanc causæ tangentes immunitatem ecclesiasticam, localem, personalem, et realem pertinent. Vid. card. de Luca. disc. 17, num. 4 et seqq. ; Schmier loc. cit. et Plettemberg cap. 20, num. 2, et in hoc opere v° *Congregatio*, § 3, not. 676. Congregatio Indicis librorum prohibitorum, a Sixto V cit. const. erecta, cui intersunt tot Cardinales quot deputaverit Pontifex, una cum secretario ac duodecim consultoribus, prælatis, secularibus presbyteris, vel diversorum ordinum religiosis, e quibus primarius est magister S. Palatii ex ordine Prædicatorum. Cognoscit illa de libris, aut in Indicem jam relatis, aut primum editis, sed doctrina hæretica, noxia, vel scandalosa refertis. Vid. card. de Luca, disc. 19, num. 14 et 15 ; Schmier, loc. cit.; Plettemberg, cap. 22, num. 2 et 3.

Congregatio Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum instituta est a Clemente IX, anno 1669, quæ constat Cardinalibus et prælatis cum facultate omnem difficultatem et dubietatem in indulgentiis emergentem, quæ ad fidei dogma non pertineat (circa graviora et difficiliora Romano Pontifice prius consulto) expediendi ; eum in finem ut in indulgentiis concedendis moderatio adhibeatur, omniaque pie, sancte, et incorrupte fieri curentur. « Congregatio Propagandæ Fidei, antiquitus instituta, sed ampliata a Gregorio XV et ab Urbano VIII, uti dixi paulo ante, officium habet investigandi vias et modos quibus fides catholica in omnibus mundi partibus propagari et conservari possit, eaque omnia quæ ad hunc finem conducere possint curandi, et si quæ res controversæ inter missionarios occurrant, eas, relatis ad S. Pontificem rebus gravioribus, summarie et de pleno decidendi, et expediendi. Ideoque amplam et liberam habet disponendi de missionibus ad prædicandum Evangelium institutis, missionarios dirigendi, et per regiones distribuendi, ministros illis necessarios constituendi et disponendi. » Congregatio Examinis Episcoporum a Clemente VI erecta, ad quam pro examinandis Episcopis Italiæ,

noviter creatis, tum Cardinales, tum prælati et regulares variorum ordinum deputantur; vid. card. de Luca, disc. 31, per tot., Schmier, cit. loc., Plettenberg, cap. 23. Congregatio Fabricæ basilicæ Vaticanæ S. Petri, instituta causa reparationis basilicæ Vaticanæ, exercet munus suum circa plurima. Primo exequitur dispositiones, quæ ad pias causas sunt factæ, ut suum sortiantur effectum applicando nonnullos fructus Fabricæ, quod opus loco aliorum operum, vel suffragiorum, quæ fieri debebant, potestate Apostolica succedit ; secundo, ut exigat sibique applicet dispositiones ad incerta pia opera factas ; item legata pro certo quodam opere individuo, pro quo bona relicta non sufficiant, facta ; tertio, si Ecclesiæ, loca, aut personæ, quarum favore dispositio facta est, ex instituo sunt incapaces illorum legatorum, uti Cappuccini, etc. Et de his agitur contentiose, et œconomice. Et procedit hæc congregatio etiamsi testator voluerit ne fabrica se dispositioni suæ immisceat ; vid. in hoc opere v° *Fabrica S. Petri*, not. 1, tom. IV.

Tandem, ne minor esset Rom. Pontificis cura, Urbis Romæ, uti advertit Petrus Ant. Danieli. A. R. tom. IV op. recent. *Prax. R. Cur.* ed. R. 1759, tit. 23, p. 2 et 3, in repræsentantia et figura ejus Episcopi, quam aliorum Episcoporum, qui juxta canones et censuram Trid. Synodi [1], tenentur quotannis, vel per se, vel per alios, diœceses visitare provido sane concilio Clem. VIII, an. 1692, constit. 8 incipien. *Speculatores*, Congregationem Visitationis erexit cujus munus foret ecclesias Urbis, monasteria, aliaque loca pia visitare, abusus forsan irreptos corrigere, implementum onerum Missarum recognoscere et ecclesiasticam disciplinam enixe promovere, eamdemque Congregat. ex uno Præsule secretario, nonnullis Cardinalibus, aliisque prælatis in consultores adscitis restauravit Alexander VIII, et ad ecclesias in districtu Rom. positas extendit, atque porrexit peculiari actuario, seu cancellario fiscali, aliisque ministris adjectis in constitut. 15 incipien. *Cum in pastorali*. Præterea vero Innoc. XII eo quo præpollebat augendi divini cultus, et religionis ampliandæ zelo, nedum visitationem omnium ecclesiarum et locorum piorum Urbis indixit, verum etiam cardinalibus et prælatis in adjutorium assumptis, amplissimas facultates concessit, præsertim vero ut appellatione remota, eorumdem Cardinalium ordines executioni mandarentur, ut nullo privilegio aut exemptionis titulo suffragante, ecclesiæ omnes et loca pia visitarentur, et personæ quælibet ad tradenda documenta ad eumdem effectum opportuna compellerentur. Ut insuper pontificalia munera in iisdem ecclesiis, locisque piis libera exercerentur, celebratio Missarum ab altaribus, ad quæ ob earum multitudinem celebrari non possunt, ad alia altaria posset transferri ; et demum ut causæ omnes occasione visitationis pendentes, tam civiles quam criminales, et mixtæ, ad eosdem electos judices avocarentur ; aliasque similes facultates adjecit, quæ fusius describuntur in Constitutionibus ejusdem Pontificis, prima incipien. *Agrum* 11 jan., altera *Cum in pastorali*, 16 ejusdem mensis ; tertia *Officii nostri*, quarta *Ut in prosequendo*, quinta *Quoniam* eadem die 16 jan. an. 1693 editis, quæ extant in *Bull.* ejusdem Pontificis a n. 17 ad 20. Cum ergo per hanc congregationem a prædictis vetustioribus Pontificibus erectam, et ab eodem Innocentio magis, ut diximus, ampliatam, nihil sit pro regimine optimaque directione ecclesiarum et locorum piorum Urbis et districtus ulterius desiderandum, ea forsan ratio est ob quam, licet antiquioribus sæculis aliquando legamus, ab ipsis Pontificibus tanquam Episcopis Urbis Romanum clerum coram se in synodo congregatam fuisse, juxta exempla quæ profert Benedictus XIV [2] ; imo, licet etiam Card. Vicarius jus habeat synodum indicendi, raro tamen hujusmodi synodos coactas fuisse recentius comperimus, tum scilicet quod Romana diœcesis unius Urbis mœnibus pene concluditur, ita ut Pontificis, vicarii et Cardinalium vigilantia, facile possint, si qui occurrant abusus, removeri, tum etiam quia per hanc præcipue

[1] Sess. 24, cap. 3, *de Reformat.* — [2] *De Synodo diœcesana*, lib. 1, cap. 7, num. 3, et lib. 2, cap. 2, num. 7.

visitationis congregationem ad instar synodi celerius et facilius scandala arcentur, cleri populique mores reformantur, et ecclesiastica disciplina amplissime restauratur, ut egregie advertit idem Benedictus XIV [1].

Declarationes Sacrarum Congregationum Cardinalium tunc tantum sortiuntur vim juris, quando explicant jus commune, seu si sint comprehensivæ, non extensivæ, hoc est, si solummodo jus ecclesiasticum declarent, non autem extendant, ac insuper Papa prius consulto ejusdem expresso in litteris nomine datæ sint, uti statuit Sixtus V et Gregor. XIV (card. de Luca in *Adnot. ad Concil. Trid.* disc. 17). Notat autem Peliz (*Manual.*, tract. 4, num. 108) ex Saly, quod Cardinales raro consulant Pontificem. Requiritur præterea, ut producantur in forma authentica, hoc est, ut sigillo Sac. Congr. Card. munitæ, et a Card. præfecto, et secretario subscriptæ sint, ut ordinavit Urbanus VIII anno 1631 ; si proinde habeant has tres conditiones, sunt declarationes authenticæ, et vim juris obtinent, saltem si dentur generaliter, et sine restrictione tacita, vel expressa ad certum locum, vel certam personam, quia censentur esse datæ ab ipso Pontifice, et censentur esse ipsum jus etiam jam antecedenter conditum, non vero jus novum. Cæterum observant doctores, haud ægre deferri dictarum Congregationum Declarationibus licet sigillo, et subscriptione debita munitæ non producantur, modo referantur a probatis, et fide dignis scriptoribus, et aliunde non reddantur suspectæ. De his ait Ferrarius *Bibliot.* verb. *Resolutiones* recentissimæ editionis : « Resolutiones Sacrarum Congregationum furtive obtentæ, et non expressa facti serie, non attenduntur ; nec attenduntur, quando sunt in terminis diversis, nec attendi debent si non publicentur. Resolutiones Sacr. Congregationum dicuntur rem judicatam constituere. Resolutiones S. Congregationis faciunt jus, quando non sunt certis circumstantiis adstrictæ. Resolutiones S. Congregationis approbatæ a Papa dicuntur constitutiones Apostolicæ. Resolutionibus autem particularium Congregationum deferendum est pro casibus similibus. Resolutiones ultimæ S. Congregationum prævalent prioribus. Resolutiones S. Congregationum corruunt, corruente fundamento sub quo emanarunt. » Et Ursaya, *Discept. Eccl.* iv, tom. iv, part. ii, num. 9, affirmat, resolutiones SS. Congregationum punctualiter casum decidentes, haberi pro casu eodem vim legis. Et, *Discep. eccl.* vi, tom. iv, part. ii, num. 114, ait resolutiones SS. Congreg. rem judicatam constituere. Item, *Disc. eccl.*, vii, tom. i, num. 23, seq., testatur : « Imo tanta est veneratio quam, ut par est, Tribunal Sacræ Rotæ profitetur erga oracula, declarationes, et resolutiones Sacrarum Congregationum, ut si aliquando aliquid firmaverit, aut declaraverit, cujus subinde contrarium declaratum extiterit per easdem Sacras Congregationes, statim sententiam mutaverit, et prædictis resolutionibus se uniformaverit, ut pluries protestata fuit, et observavit, et videre est in decis., etc. »

Jurisdictio harum Sacr. Congregationum mortuo Sum. Pontifice haud expirat, qua illarum jurisdictio est ordinaria, quum data sit congregationibus per const. cit. *Immensa* Sixti V, in qua instituuntur 15 Congr. S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium cum jurisdictionum et facultatum partita concessione ad faciliorem universæ reipublicæ christianæ, statusque ecclesiastici, et Romanæ curiæ negotiorum, et causarum expeditionem, ut legitur in proœmio §§ 1 et 2, et constat ex facultatibus cuique congregationi attributis. Et jurisdictio data ad universitatem causarum, vel ad unum negotium universale procul dubio est ordinaria, ut notat Bart. in l. *Ambitiosa*, num. 34, vers. *Sed concedendo*, ff. *de Decret. ab Ordin. facien.* et in l. *More* qu. 5, num. 9. Et etiam jurisdictio, quæ defertur a lege vel a statuto est ordinaria ex l. *Et quia* ff. *de Jurisd. omn. judic.* l, 1, in 1 respon., ff. *de Offic. ejus cui mandat. est jurisdict.* Immo testatur Fagnanus in cap. *Cum olim de*

[1] Loco citato.

Major, et Obed., num. 63, quod die 8 sept. 1644, vacante sede Apostolica per obitum Urbani VIII, ille consultus fuit hac de re a Sac. Collegio Cardinalium in conclavi existentium, et sic respondit: « Jurisdictionem congregationum per obitum Papæ non expirare: debere tamen conquiescere ipsis Cardinalibus in conclavi manentibus quoad illa negotia, et causas quæ in ipsis congregationibus expediuntur per subscriptionem Card. Præfecti, seu habentis sigillum. Alia vero, quæ ex communi forma a Secretario expediri solent vivente Pontifice, posse itidem expediri Sede vacante. » Cujus responsionis deinde suas affert rationes.

Præterea, quo dictarum congregationum expeditiones validæ existant, Cardinales in qualibet congregatione non sint pauciores tribus, ut habetur in declaratione facultatum dictarum congregationum in calce const. *Immensa* exarata [1], ubi Sixtus V ita loquitur § 3 : « Et quoniam divinis oraculis admonemur, ubi multa consilia, ibi salutem adesse, eædem congregationes pro earum arbitrio viros sacræ theologiæ, pontificii cæsareique juris peritos, et rerum gerendarum usu pollentes in consultationibus, advocent atque adhibeant; ut causis, quæstionibus, et negotiis quam optime discussis, quæ Dei gloriæ animarumque saluti et justitiæ atque æquitati consentanea maxime erunt, decernantur; graviora vero quæcumque, ad Nos, vel Successores nostros, deferantur, ut quid secundum Deum expediat, ejus gratia adjuvante, mature statuamus. » Deinde sequuntur dictam const. [2] nonnullæ declarationes editæ in consistorio die 11 maii 1588 circa dubia in congregationibus prædictis evenientia. Et prima est declaratio, quod si ante inchoatum judicium coram aliquo judice, pars coram congregatione conventa, renuerit in illam consentire, et noluerit causam a congregatione terminari, tunc ad judicem competentem remittatur. Secunda est, quod si coram aliquo judice inchoatum fuerit judicium, et deinde partes concordes congregationem adiverint, tunc congregatio causam decidat, et acta ad se transportari faciat. Tertia est, quod si causa coram congregatione cœpta fuerit, et deinde aliquod emergens supervenerit, tunc non tantum illa causa cœpta, verum etiam illud emergens a congregatione expediatur. Quarta, quod si causa in ipsa congregatione decisa requirat ut super illa expediatur supplicatio, vel breve, tunc decrevit Sanctitas Sua, ut in ipsa supplicatione, vel in ipso brevi fiat mentio, causam de ordine congregationis fuisse ita terminatam. Quinta, quod si alicui congregationi occurrerit, pro rebus ad ipsam congregationem spectantibus, brachio seculari indigere, tunc recurratur ad gubernatorem, auditorem Cameræ, vicarium, sive ad alium judicem, qui præceptis ab ipsa congregatione factis obedire teneatur.

Denique Innocentius XII Pont. Max. [3] confirmat const. *Immensa Sixti V*, scilicet quindecim congregationes Cardinalium, quas non debere admittere lites contentiosas, quæ sunt eæ quæ requirunt probationes, acta, examina testium, scripturas, etc., decernit; posse tamen ab his congregationibus cognosci has causas, si pars utraque consentiat, vel si Pontifex aliquas audiendas iis demandet; causas porro criminales regularium deferendas esse ad judices ordinarios voluit.

§ XV.

Declarationes S. Congr. Concilii, earum divisio, vis et usus.

Etsi, ut vidimus superioribus §§, ex omnibus congregationibus nulla sit quæ majori auctoritate polleat, quam congregatio ad interpretationem Concilii Tridentini instituta,

[1] *Bull. Rom.*, tom. IV, part. 4, pag. 400. — [2] *Ibid.*, pag. 401. — [3] Decreto incip. *Ut debitus*, 9 aug. 1695, relato a Guerra in *Epist. Bullar.*, tom. I, pag. 398.

propterea quod tanti hanc duxerat Pius IV ut personæ suæ eam reservaverit, Cardinalibus solam concedendo facultatem exequendi Concilium; attamen, magna animorum contentione disceptatur inter theologos et canonistas de auctoritate declarationum hujus congregationis, quæ aliud non sunt quam interpretationes decretorum Concilii Tridentini ad reformationem morum pertinentes a Sacra Congregatione emanatæ. Definitiones enim quoad fidei dogmata ac interpretationes Summo Pontifici sunt reservatæ. De declarationum auctoritate S. Congregationis Concilii theologi ac canonistæ in tres abeunt sententias. Nonnulli opinantur, dictas declarationes esse solummodo doctrinales; alii e contra eas vim canonicæ legis in utroque foro obligantis habere, si solemniter promulgentur; cæteri denique contendunt eas vim legis universalis atque in utroque foro obligantis habere, etsi promulgatæ solemniter non sint, modo *consulentibus* in forma authentica sint extraditæ, atque in curia consueta exhibitæ; quam posteriorem sententiam ex professo et latissime propugnat Fagnanus in cap. *Quoniam* num. 6 et seqq. *de Const.*, tom. I, pag. 130.

Hinc, antequam hanc quæstionem declaremus, notandum est cum Rupprecht in *Notis hist. in Jus canon.*, tom. I, tit. 2, cap. 7, § 1, primo declarationem legalem alicujus canonis vel constitutionis eam esse, quæ fit vel ab ipso legislatore ejusque successore, vel ad ejusdem mandatum a privatis quidem, sed nomine et auctoritate ejusdem. Hujusmodi olim fuerunt in jure civili responsa prudentium, quibus a Cæsare concessum erat jura publice interpretari cum tanta auctoritate, ut judici ab eorum responso recedere non licuerit, § *Responsa prudentum instit., de Jur. nat gent. et civ.* Declarationem vero magistralem esse illam quæ fit ab homine privato, et simul privata auctoritate, a qua proinde ex motivo contrario etiam non evidenti recedere cuilibet fas est. Notandum secundo, legislatores, dum aliis facultatem interpretandi nomine suo constitutiones a se vel a prædecessoribus latas tribuunt, eam quidem hisce interpretibus elargiri auctoritatem, ut leges juxta earumdem declarationem in praxim mitti debeant, prout constat ex mox relato § *Instit., de Jur. nat. etc.*; at nequaquam efficere ut dicti interpretes hac ipsa concessione donum infallibilitatis nanciscantur, quo prædicti genuinum semper legis sensum procul dubio assequantur; cujus rei exemplum nobis suppeditat ipsa, de qua impræsentiarum agimus, Sacra Cardinalium Concilii Congregatio, quæ aliquoties interpretationes suas, re maturius considerata, corrigendo, monstravit se donum infallibilitatis hac in re non habere; exempla similium correctionum ex Fagnano in cap. 2, sess. 24, videri possunt.

Itaque ex communi opinione sacrorum canonum interpretum, ut expendit Laurenius *For. eccl.*, lib. I, quæst. 24, hujus congregationis declarationes non solum in genere magnam auctoritatem, aut etiam vim decisivam in illo casu particulari huic congregationi proposito, et respectu personarum proponentium tantum, sed vim legis universalis in utroque foro habent, licet ad instantiam particularium personarum emanaverint, si tamen effectæ sint his tribus conditionibus: primo, ut emanatæ sint consulto Papa, hanc enim clausulam *Nobis tamen consultis* addit Sixtus V, dum congregationi hanc facultatem interpretandi confert; secundo, ut sint tantum declarativæ et interpretativæ, et vel sic dictæ *comprehensivæ*, non tamen dispensativæ, aut ultra verborum proprietatem, et hinc dictæ *extinsivæ*, nisi forte desuper habito speciali mandato Potificis; quod expendit P. Vitus Pichler, *Sum. Jurisprud. Sacr. Univ. seu Jus canonic.* edit. Aug. Vindel. 1728, in proleg., num. 46, pag. 13. Tertio, ut producantur in forma authentica, hoc est, a Cardinale præfecto et secretario subscriptæ, ac consueto sigillo obsignatæ; aliter enim productis fidem nullam habendam in judiciis, vel extra jussit S. Congregatio de mandato Urbani VIII, anno 1631, apud Barbosam *Jur. eccl.*, lib. I, cap. 4, num. 81, cujus etiam

meminit Reiffenstuel, *Jus canonic. univ.* in proœm., § 8, num. 126, tom. I, pag. 25 ; Ludovic. Engel in proœm. *Colleg. Jur. can.*, num. 16; card. de Luca in *Adnot. ad Concil. Trid.*, disc. 1, num. 17 ; Lantusca in *Theat. Regul.*, § *Congr. Concil. Trid.*, num. 2; hinc Prosper Fagnanus, tom. I, in *Monit. ad Lectorem*, expresse protestatus quod, licet ipse in suis commentariis responsa S. C. Card. Concil. Trid. Interp. ferme omnia exscripserit fideliter, dum ejusdem S. C. esset a secretis ; ea tamen minime habenda pro authenticis, quum cardinalis præfecti et secretarii subscriptione signoque carent. Quæ conditio vero, ut advertit card. de Luca in *Relat. Rom. Cur.*, disc. 16, num. 2. in fin. limitari in Urbe, ob facilitatem recognoscendi regesta Sac. Congregationis debet.

Et revera tres conditiones prædictæ declarationibus S. Congregationis Concilii, si iis sint munitæ, auctoritatem legalem, seu vim legis canonicæ pro utroque foro omnes christifideles obligantis tribuunt. Benedictus XIV, *Inst. eccl.* x, num. 1, tom. XI, pag. 53 ; *et Inst. eccl.* LXXX, num. 17, tom. XI, pag 516; Augustinus Barbosa, lib. I, *Jur. Eccl. univ.*, cap. 4, num. 8 ; Petrus Barusius, *Torcul. Jur.*, resol. 8, num. 13, et resol. 15, num. 22 ; Carolus Leopoldus Calcagninius, *de Ult. Volunt.* tom. III, observ. 28, num. 30, 31 et 34 ; Castrop. tract. III, distinc. 5, pag. 3, § 1, num. 4 ; Angelus Maria Cherubinus, *Bullar.*, const. 74 Sixti V, sch. 1 ; Joan. Clericatus, *Discord. Foren. de Benef. atq. Pens.*, disc. 3, num. 13, pag. 1 ; disc. 29, num. 32, seqq., pag. 80, et disc. 78, num. 23, pag. 228, edit. Venet. 1708 ; Joan. Cochier, *de Permut. benef.*, tom. I, in præfat.; Colonius f. 2, controv. 8, cap. 3 ; Jacobus Cohelius, *Notitia Cardinalatus*, cap. 15, congr. 6 ; Franc. Maria Constantinus, *Vot. Decis. civil.*, vot. 471, num. 41, tom. IV, et vot. 75, num. 15, tom. I; Ant. Diana part. I, tract. X, resol. 20 ; Ludovicus Engl., Proœm., num. 19; Prosper Fagnanus in cap. *Quoniam de Const.*, num. 8, lib. I, pag. 131 ; Lucius Ferrari *Bibliotheca Can. Jur. Mor. Theol.*, verbo *Resolutiones ;* Francis. de Fargna, *Comment. in Can.* XXVII, cas. 2, num. 27, part II ; Mich. Ant. Frances, *Var. et Pract. utriusq. jur. resol.*, cap. 44, num. 163 ; Didacus Ant. Frances, *Pastor. Regul.*, artic. 3, vot. 3, pag. 13, pag. 230 ; Nicolaus Gargia, *de Benef.*, in præf. tom. I ; Gonzalez, *Comment. in lib. Decret.*, tom. I, *appar. de Orig. et progr. Jur. canon.* num. 57 ; Angelus Lantusca, *Theatr. Regul.*, § *Cong. Concil. Trident.*, num. 4; Laurenius, *For. Eccl.*, lib. I, quæst. 24 ; Joan. Bapt. de Lezana, tom. III *Summ. quæst. V. S. Congr.*, num. 8 ; card. de Luca *in Adnot ad Concil. Trid.* disc. 1, num. 17 ; Meyer, *Jus Pontif. Univ. Inst.* proœm., tom. VII, punc. 42, num. 264; Augustinus Mattheucci, *Offic. Cur. Eccl.*, cap 43, num. 9 ; Lodovicus Miranda, tom. II *Manual. Prælat.*, quæst. 26, art. 2 ; Laurent De Nicollius in *Prax. Canon.* ad tit. *de Judic.*, num. 25 ; Passerinus, *de Stat. Homin.*, quæst. 187, art. 1, observ. 3, num. 447 ; Pacioni, *Select. Alleg. Civil. et Canon.*, alleg. 155, num. 6 ; Jordanus Pax, *Elucubr. divers.*, tom I, lib. IV, tit. 1, num. 515 ; Vitus Pichler, *Sum. Jurisprud. Sacr. Univ. seu Jus Canon.*, in proleg., num. 46 ; Jacobus Pignatelli tom. I, consult. 86, num. 19, et tom IX, consult 144, num. 8 ; Franciscus Pittoni, *Discept. Eccl.*, 112, num. 21, part. IV ; Ridolphinus *Praxis Judic.*, part. I, cap. 7, num. 83 ; Anacletus Reiffenstuel, *Jus canon. univ.*, in proœm., § 8, num. 126, tom. I ; Emanuel Rodriquez, tom I, *de Regul.*, quæ. 2, art. 1 et 2 ; Rupprecht in *Not. Hist. in Jus canon.* tom. I, tit. 2, cap. 7, § 1 ; Joan. de Sales, *de Legibus*, tr. 14, q. 97, disp. 21, sect. 12 ; Joan. Salgado, *de Retent. Bullar.* part. II, cap. 2, num. 7 et 8; Franciscus Schmalzgrueber, *Jus. Eccl. univ.* in dissert. proœm., § 8, num. 370, tom. I ; Dominicus Schram, *Institt. Juris Eccl.*, tom. I, § 59, pag. 66, edit. Aug. Vendelic. 1774 ; Tapia *de Legibus*, lib. IV, quæst. 8, artic. 8; De Tondutis Saulegerius, tract. *de Pension. Eccl.*, cap. 33, num. 23 ; Dominicus Ursaya, *Discept. Eccl.*, IV, tom. IV, part. II, num. 98 ; Jacobus Wiestner, *Inst. Canon.*, tom. I, pag. 48, art. 10, num. 146 ; Franciscus Zipoens, *Analyt. Jur. Pont.*, in præfat : *Dictionnaire de Droit canonique et de Pra-*

tiquæ bénéficiale, par M. Durand de Maillane, Paris, 1761, tom. I, pag. 373, *Congregation.*

Probatur assertio ratione fundamentali cum Rupprecht in *Not. hist. in Jus canon.*, tom. I, tit. 2, cap. 7, § 1, etiam illos constringente, qui Concilium supra Pontificem esse asseverant. OEcumenicum Concilium Tridentinum, sess. 25, in fin. *De recipiendis, et obtinendis decretis Concilii*, confidit Romanum Pontificem dubia, si quæ in hujuscemodi sanctionibus ocurrerint, soluturum, eidemque id numeris *commodiore quacumque ratione ei visum fuerit*, exequendum committit, Sixtus V, Rom. Pontifex, in cit. const. *Immensa,* § *Deo autem Patri, etc.*, impertitur : « Cardinalibus... præfectis interpretationi, et executioni Concilii Tridentini, si quando in his quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, et ecclesiasticis judiciis, aliisque hujusmodi statuta sunt, dubietas, aut difficultas emerserit (ipso tamen consulto) interpretandi facultatem » ; ergo, si generales sint et reliqua requisita habent, vere sunt legales, quum ex jure civili probatur illam interpretationem esse legalem, quæ fit nomine et auctoritate Supremi Principis. Nam Justinianus imperator olim postquam prohibuisset l. I, cod. *de Vet. Jur. Enucl.*, § *Nostram autem*, ne ad suum codicem ederentur commentaria, dando deinde prudentibus interpretandarum legum auctoritatem l. c., § *His itaque*, declarat eorum studia ex principalibus constitutionibus profecta esse, et, ut inquit, § *Sed neque* : « Tanquam a nostro divino ore profusa », subjungens rationem : « Quia merito omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur ». Pari ratione Sixtus V concedendo congreg. illi facultatem interpretandi decreta Concilii, quam Pius IV Sedi Apostolicæ reservarat, declarat interpretationes et declarationes hujus Congr. suas esse effectas, prout loquitur Bonifacius VIII de provisione facta a legato auctoritate ipsi a Sede concessa [1].

Sed tantum doctrinales esse prædictas declarationes, non vero in vim legis obligare, defendunt Petrus de Ledesma, *Summ.*, tom. I, *de Sacr. Pœnit.*, cap. 13, diffic. 5 ; Alphonsus de Vega, *Summ.*, tom. I, c. 62, cas. 40 ; Thomas Sanchez tom. III, lib. VIII, *de Matrim.*, disp. 2, num. 10 ; Pont., lib. V, *de Matrim.*, cap. 13, § 2, num. 7 ; Diana, p. I, tr. 10, res. 20 ; Bonacin., *de Leg. D.*, I, q. 1, p. 8; num. 4 ; Laym. lib. I, tr. 4, c. 7, num. 26 ; Pellizar., *Man.*, tr. 4, c. 4, num. 108, et illi doctores relati a Gonzalez in fin. *App.*, existimant declarationes esse solum doctrinales, magnæ tamen auctoritatis, neque habere vim decisivam, nisi in casu particulari proposito, et respectu personarum quæ casum illum proposuerunt. Horum argumenta cæterorumque, qui easdem declarationes rejiciunt, rationes refelluntur § XVII. Modo juvat ad probandam nostram assertionem de tribus supradictis conditionibus verba facere. Et quoad primam conditionem nempe si consulto Papa factæ sunt, rationes sunt : 1° quia cum Summus Pontifex facultatem interpretandi Concilium Tridentinum in bulla S. Pii V sibi soli reservaverit, Sixtus V autem eamdem facultatem ipsi Congregationi impertitus fuerit, clarum videtur quod dicta Congregatio in interpretandis hujus Concilii decretis non sua, sed Pontificis utatur auctoritate, Arg. cap. *Cum aliquibus*, 4, *de Rescript.*, in 6 ; sed illa decreta, quæ emanant Summi Principis auctoritate, habent vim legis, per l. I, § 6, C. *de V. I. E*, ubi imperator hujus addit rationem , quia merito omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur. 2° Quia Sixtus V tribuens huic Congr. facultatem interpretandi Concilium addidit hæc verba, *Nobis tamen consultis ;* sed hæc verba fuissent supervacanea si ejusdem Congr. interpretatio solum esset doctrinalis seu magistralis, cum doctores et magistri canones, et leges interpretentur citra consultationem principis, l. un., c. *de Profess. qui in Urb.* Imo patet ex ipsa Trid. Synodo, sess. 25, *de Reform.*, cap. 2, ubi universitatum et studiorum generalium magistris et doctoribus injungitur ut ad normam canonum et decretorum hujus Sanctæ Synodi ea quæ catholicæ fidei sunt, do-

[1] C. *Si Apostolica, de Rescript.*, c. 6.

ceant et interpretentur. Unde consequens est, Pontificem ideo voluisse se prius a Congregatione consuli, ut illius declarationes ex pontificia consultatione robur acciperent, et jus facerent quoad omnes juxta illud in cap. *Ex multa*, 9, *de Voto*, ibi, *In consultatione nostra jus editur ;* quod expendit Fagnanus in cap. *Quoniàm*, *de Constit.*, num. 2 [1]. 3° Quia Pontifex eodem tenore quo auctoritatem interpretandi dubia pertinentia ad fidem sibi reservavit, auctoritatem interpretandi dubia circa morum reformationem, disciplinam, moderationem et ecclesiastica judicia, S. Congreg. impertivit ; atqui auctoritas interpretandi, quam Pontifex sibi reservavit, sine dubio est apostolica, et facit jus quoad omnes ; ergo etiam auctoritas ab eodem impertita Congr., teste eodem Fagnano, cit. loc. 4, quia Pontifex sub eadem verborum structura Congregationem hanc asserit assumptam ad decreta Concilii Tridentini interpretanda et exequenda ; sed auctoritas exequendi inducit parendi necessitatem quoad omnes, ut patet ex constit. Pii IV, in qua pro Concilii exequutione tribuitur Congregationi amplissima facultas procedendi pœnis et censuris ecclesiasticis etiam usque ad officiorum privationem ; ergo etiam auctoritas interpretandi inducit necessitatem parendi quoad omnes. Denique quia Congregationis hujus utpote a Summo Pontifice institutæ, non videtur minor esse auctoritas, quam olim fuerit auctoritas prudentum in legum civilium interpretatione, atque horum auctoritas tanta fuit, ut eorum sententiæ, et responsa habuerint vim legis, ita, ut ab eis recedere judici fas non fuerit l. 1, § 8, *C. de V. I. E.* ; ergo etiam auctoritas hujus Congr. tanta erit, ut ejus declarationes habeant vim legis.

De secunda conditione sciendum est quod declarationes duplicis generis sunt, comprehensivæ, et extensivæ. Comprehensivæ sunt, si sensus sic declaratus a verborum propria, et usu recepta significatione non recedat. Extensivæ, si illam egrediantur, et ultra id quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent. Comprehensivæ cæteris munitæ conditionibus, si nempe Papa consulto factæ, a Card. præfecto et secretario subscriptæ, consuetoque Congreg. ipsius sigillo dotatæ, vim legis habent, et faciunt jus pontificium universale. Ita hodie communis sententia, quam late probat Fagnan. in cap. cit. *Quoniam, de Const.*, num 8 [2]. Ratio est, quia declaratio nomine Papæ facta authentica vim habet juris pontificii *Arg.*, l. 12, § 1 ; *C. de LL.* Sed declarationes S. C. Concilii fiunt nomine Papæ ; tum quia S. Pius V, et Sixtus V hanc facultatem interpretandi concesserunt Cardinalibus ; tum quia declaratio comprehensiva non facit jus novum, sed solum jus præexistens declarat, et est mera veteris expositio, et id quod declaratur in veteri continetur ; adeoque nititur auctoritate papali, sicut ipsa decreta Tridentini. Hinc animadvertendum cum Mattheuccio *Officil. cur. eccl.* cap. 43, num 9, quod declarationes hujusmodi habent vim obligandi pro utroque foro, non solum quoad personas ad quarum instantiam emanarunt, vel in alio particulari casu, sed sunt leges generales in similibus omnibus, ut dixit Fagnanus ad cap. *Quoniam* cit., num. 11 [3] et Rota, *Romana*, *Pensionis*, 15 *martii* 1694, *cor Priolo.* Nam ea est vis legis ut comprehendat omnes similes casus. Consequenter sunt in simili materia generaliter observandæ ; cum decreta Concilii, quæ generaliter ligant omnes, habeant semper intrinsece sensum, aut intellectum illum, quos S. C. sua declaratione manifestat. Declarationes extensivæ, quæ textum ampliant, vel restrictivæ, quæ generalitem textus restringunt, non habent vim juris ; nam juxta const. Pii IV *Alias nos*, Sacra ista Congreg. præfecta est decretis Concilii tantum const. Sixti V *Immensa*, aliorumque Pontificum data est Cardinalibus potestas tantum declarandi et interpretandi decreta reformationis, non vero dispensandi augendi, vel minuendi ; secus vero dicendum est, si illius decreta fiant cum speciali auctoritate et approbatione Papæ ;

[1] *Comment. in Decret.*, tom. I, pag. 131. — [2] Lib. 1, p. 131. — [3] Lib. 1, pag. 139.

tunc enim, licet extensivæ sint vel restrictivæ, obtinent vim juris pontificii, sicut decreta ejusdem S. Congr. jussu Urbani VIII edita *de Alienatione rerum temporalium, ad monasteria aliosque regularium cenventus pertinentium,* 7 sept. 1624, *de Apostatis regular. et ejectis,* 21 sept., anno eod., *de Celebrat. Miss.,* 21 junii 1625. Imo Gregorius XIV Sum. Pont. S. Congr. dedit auctoritatem scribendi nomine Papæ, ergo rescripta ejus censenda sunt papalia et apostolica, cap *Cum aliquibus, de Rescr.*, in 6, *Hi qui, de Præb.*, in 6, et confirmat praxis; nam, teste Garcia *de Benef.* tom. I, in præf., hæc S. Congreg.sic rescripsit cuidam abbatissæ Messanensi : « Eadem ratio habenda est in his, quæ scribuntur a Cardinalibus S. Congr. Concilii Trid. nomine ipsius Congreg., ac si a Papa scripta essent ». Idem animadvertit Pignatelli, tom. IX, consult. 174, num. 10, inquiens de dicta S. Congreg. Concilii, « quæ licet ex eadem const. Sixti V non habeat facultatem condendi leges, vel faciendi declarationes quæ vim legis habeant ultra illius præscriptum, quando tamen illas condit, credendum est eas condere cum expressa vel tacita licentia Summi Pontificis ; ac proinde omnes ejus declarationes vim legis pontificiæ habere ; ideoque ex usu Curiæ pro illis exequendis Summus Pontifex breve concedit, et auditor Cameræ monitorium, et a Sacra Rota recipiuntur tanquam leges pontificiæ sine ulla controversia, ut per Garciam, *de Benef.*, in præf., ac Lezana, d. v., num. 8 ». Ideoque S. Congr. multoties (teste Fagnano in cap. *Quoniam, de Const.*, num. 8 [1]) inscribitur Tridentini Concilii sanctissimi Domini Nostri auctoritate, seu Apostolica auctoritate interpres. Et concordat text. in c. *Si cum, de Præbend.*, in 6, ibi : « Talis receptus hujusmodi nostra auctoritate mandati, non legati, sed nostra intelligitur auctoritate receptus ». Et in c. *Hi qui* in fin., eod. tit., et lib., in illis verbis : « Cum quoque qui ad mandatum legati, vel alterius « auctoritate apostolica sibi specialiter in hac parte concessa fungentis recipitur, auctoritate apostolica receptum esse dubium non existit ».

Requiritur denique, ut declarationes ipsæ a card. præfecto et secretario subscriptæ, et consueto sigillo obsignatæ, si producantur, sint, ut vim legis obtineant. Nam declarationes, sive impressæ sint, sive manuscriptæ, quæ passim circumferuntur, quamplurimas esse apocryphas et falsas, pro certo haberi potest ; ideoque S. Congreg. de mandato Gregorii XV, die 25 april. 1621, decrevit hujusmodi declarationes Indici Librorum prohibitorum esse adjiciendas. Ac subinde eadem hæc Congreg. jussu Urbani VIII anno 1631, præcepit hujusmodi declarationibus tam impressis et imprimendis, quam manuscriptis nullam fidem esse in judicio, vel extra illud a quoquam adhibendam, sed tantum illis quæ in authentica forma, solito sigillo et subscriptione card. præfecti et secretarii ejusdem congreg. munitæ fuerint. Hinc Fagnanus, qui multis annis ejusd. Congr. a Secretis fuit, in principio suorum operum monet lectorem, et protestatur quod responsa S. Congr., quæ sparsim affert, minime haberi velit pro authenticis, quando card. præfecti et secretarii subscriptione signoque carent : eo quod similium declarationum plures alteratas, diminutas et forte omnino confictas esse, pervenerit ad notitiam S. Congr. Hujus tamen decreti rigore non obstante declarationibus istiusmodi subscriptione non munitis, privati quidam probati tamen auctores, dum eæ sensum a proprietate verborum non recedentem, nec ratione, aut communibus juris regulis non repugnantem reddunt, non ægre deferunt, et ab iis sine gravi ratione recedendum non esse judicant, eo quod Romana aliæque curiæ ecclesiasticæ contra illos pronuntiare non soleant, credantque eas ipsas ex ipsis originalibus, aliisve principio authentico depromptas esse : Fagnan in cap. *Quoniam, de Const.*, num. 59 [2]; Peliz in *Man.* cap. 4, num. 108 ; Sanchez, loc. cit.; Diana, part. I, tract. X, resol. 29, in fin., et cum illis Wiestner 153. Declarationes enim quæ per accuratos collectores ad publicam utilitatem diligenter

[1] Lib. 1, p. 131. — [2] Lib. 1, p. 137.

referuntur, vel maxime prosunt in Curia Romana, eo quod ibidem nimis facile sit de earum veritate sese certum reddere, perquirendo adnotationes, vel registra S. Congreg. Deinde juvant ejusmodi declarationes etiam pro aliis locis ; tum quia hausta prævia notitia ex diligentibus collectoribus, eas fideliter allegantibus, difficile non erit, quamlibet illarum pro occurrentis negotii qualitate, a memorata S. Congr. in forma authentica obtinere, et dein in judicio, pro plena fide facienda producere ; tum quia sæpe dictas declarationes cæteroquin in probatis collectoribus fideliter allegatas, et de quarum veritate nulla subest probabilis ratio dubitandi, ex eo dumtaxat rejicere quod non afferantur in forma authentica, atque idcirco libere contrariam sententiam tueri liceat, vix abest ab irreverentia et temeritate, uti notat Fagnanus in cit loc.. num. 59.

Animadvertendum præterea est cum Domino Ursaya (*Inst. Crim.*, lib. I, tit. 10, § 4, num. 149, seqq.), quod decretum S. C. Concilii tanquam generale emanatum, pro omnibus similibus controversiis vim legis obtinet juxta animadversa per Fagnan. in cap. *Quoniam*, 4, num. 3, et seqq. *de Const.*, et per Rot. in dec. 7, num. 3, post Antonel. *de Jurib. Cleric.*, aliisque. Ad differentiam alterius casus, quando super specialite alicujus casus consulta S. C. respondet ut distinguendo observat Rota in *Hispalen. Juris votandi*, 4 febr. 1697, § *Distinguentes*, in fin. *cor. Caprara*, quo casu si non bene exponatur facti series, et taceatur veritas, decretum nullatenus attenditur, Rota dec. 102, num. 15 et seqq., part. 19, recen.

Quanquam vero ejusdem Congreg. responsa iisdem conditionibus roborata, legem, ut diximus, faciant, congruumque plurimum sit ex Gavanto in *Prax.*, part. II, num. 39 et seq., ut Episcopus in sua diœcesi earumque observantiam, præsertim, si ad clerum dirigantur, inculcet, verbis aliquibus in edicto, vel altera quavis episcopali lege, vulgari sermone superadditis, quibus causas et rationes exponat, propter quas resolutiones emanarunt, nequaquam resolutionibus a prædecessoribus Episcopis editis, per ejusdem Congregationis responsa, vel legitima alia consuetudine præscriptum extiterit, debeant Episcopi ex vi earumdem resolutionum subditos ad observantiam compellere, cum nec contraria synodorum statuta, nec legitimos locorum usus eædem resolutiones invertere, ac labefactere censeantur. Unde quamvis a S. Congr. Concilii pluries fuerit decisum de rigore juris non posse a parocho prohiberi ne in publicis oratoriis intra suæ parochiæ fines sacra ante Missam parochialem celebrentur, ut habetur ex lib. XVI *Decret.* pag. 331 et 543 ; si tamen Episcopus in synodo, vel extra synodum contrarium jusserit, ne populus Missa parochiali, et concione per parochum habita retrahatur ; vel si contrarius usus inoleverit, Episcopi præceptum vel usus prævalebit, ut egregie advertit Bened. XIV *de Synod. Diœces.* cap. 7, lib. XII, § 7, tom. II, pag. 135, edit Parmæ 1760. Neque prætereundum arbitramur, licet lato modo et abusive Sacræ Congr. resolutiones Sedis Apostolicæ responso censeantur, eas tamen falsificantes, vel quomodolibet adulterantes, nec vigore cap. *Ad falsariorum*, *de Crimine falsi*, nec ex censura Bullæ *In Cœna Domini*, excommunicationem Summo Pontifici reservatam, aliasque pœnas contra falsificantes rescripta Sedis Apostolicæ incurrere.

§ XVI.

Auctoritas declarationum S. Congregationis Concilii confirmatur ex maxima veneratione, quam cæterœ congregationes, judices, inferiores magistratus, atque doctores, nec non fideles omnes, qui ex toto orbe catholico eas in rebus dubiis petierunt, merito habuerunt.

Quid mirum si majores nostri et Ecclesia universa ab institutione S. Congregationis

Concilii a seculo nempe XV semper in rebus dubiis hanc S. Congregationem consuluerint? Quid mirum si summa veneratione ejusdem declarationes ac decreta omnes receperint? Quid denique mirum, si omnes ab ipso S. Congregationis exordio mandatis ejusdem obtemperaverint? Illud vero mirum est maxime, quod adversus dictas declarationes earumque potestatem nonnulli garriant, et illarum auctoritatem evertere conentur, obedientiamque Ecclesiæ, et ejus capiti Summo Pontifici reverentiam, quæ prixis christianis erat naturalis initiatio pietatis, præstare renuant. Verum sicuti omnes, qui christianam religionem profitentur, in Romana Sede supremoque Pontifice centrum veræ fidei et traditionis Ecclesiæ agnoverunt; ita in S. Congregatione Concilii disciplinæ ecclesiasticæ fontem purum ac incontaminatum posuerunt. Dubium enim non est quin illa decreta purissimi sint fontes; unde certa disciplinæ scientia eo firmior esse debet, quod non meris animi commentationibus, sed luculentissimis declarationibus fulta, mentibus altius inhærescat.

Patet enim ex superioribus §§, Congregationis Concilii auctoritatem, ejusdemque declarationum vim ex plenitudine potestatis, jurisdictionis et auctoritatis Romani Pontificis promanare; idcirco super orbem universum sese extendit, et omnibus fidelibus e longinquis etiam regionibus consilia in rebus dubiis præbet, quæstiones controversiasque componit, necnon dispensationes gratiasque indulget; suisque responsis, ac resolutionibus omne dubium quæstionesque quiescunt, et una, eaque firmiter constituta, et undique servata elucet ecclesiastica disciplina. Et revera scriptores, qui tantum mente humana ducuntur, nullam legem in Ecclesia dicere possunt, dum de quæstionibus tantum verba faciunt. Sed S. Congregatio Concilii illas dissolvit. Hinc quando propugnant doctores ait Card. Petra *Comment. ad const. X Bonif. VIII,* num. 13, tom. III, pag. 317, pro dubii alicujus dissolutione : « Inhærendum est, ait, sensibus S. C. Eminentiss. Interpretum S. C., cui duntaxat ejusdem sensus perscrutari et aperire datum est ». Quando in pretio, quantæque utilitatis esse debent declarationes S. Congr. Concilii confirmatæ præsertim a Summo Pontifice, et conflatæ a cardinalibus maximarum rerum administris, qui summum gradum in christiana republica tenent? Vere dicam : quacumque eas declarationes ex parte aspicias, quamlibet breves exilesque sint nonnullæ, nihil in eis jejunium inopsque rerum, nihil quod fructu vacet, vulgo reperies. Omnes huc præsertim spectant, ut puriores disciplinæ leges, vel confirment jam stabilitas, vel in lapsum pronas erigant.

Nam sententiæ præclarissimi illius cœtus, quem amplissimi Cardinales, ecclesiasticæ disciplinæ et sacrorum canonum peritissimi, constituunt, auctoritatem a Summis Pontificibus habent, ut Ecclesiæ disciplinam per universum orbem tueantur; hinc Bened. XIV *de Sacros. Sacrif. Miss.*, lib. III, cap. 22, num. 5, pag. 398, de theologorum opinionibus disserens, ait : « His sententiis ad Apostolicam Sedem delatis, quid statuendum esset ipsa indicavit per sacram Concilii Congregationem, quæ non modo ad explicandam Tridentinam Synodum instituta fuit, sed etiam, ut Ecclesiæ disciplinam per universum orbem integre sancteque tueretur ». Hac de causa si forte aliqua controversia excitatur inter fideles, non quidem ad privatos doctores et scriptores, sed ad ipsam S. C. confugiunt, a qua definitionem authenticam tantum obtinere valent; imo ipsi scriptores eximii, atque doctissimi viri cujuscumque nationis magnam dictæ S. C. Concilii agnoscunt auctoritatem, eamque frequentibus suarum decisionum allegationibus venerantur; quinimo loquente S. C., cætera tribunalia obmutescunt, et suis decretis, ut ait idem Bened. XIV, cit. oper., cap. 8, num. 1, pag. 309, ab omnibus debetur veneratio.

Innumeræ sane in monumentis ac in commentariis S. C. Concilii decretorum consul-

tationes ac responsiones asservantur, ex quibus apparet ipsos reges terræ summosque principes, qui fidei lumine illustrati Romano Pontifici submissi vivere gloriantur, et recte percipiunt se, per submissionem quam præstant summo sacerdoti, traduci debere a terreno regno ad cœleste, reverenter S. C. Concilii sæpe consuluisse ejusdemque decretis obsequutos esse. Testes sunt preces ac postulationes principum ac regum, ultimis etiam nostris temporibus huic S. Congregationi Concilii pro rebus ecclesiasticæ disciplinæ componendis atque definiendis exhibitas. Omnes qui Archivum S. Congregationis perscrutati sunt testimonium perhibent. Quid dicam de Primatibus, Archiepiscopis, ac Episcopis cæterisque inferioribus prælatis? Isti semper omne obsequium S. C. Concilii præstiterunt, et non sunt dedignati continuo consilia exposcere et definitiones postulare. Patet enim eis, Summum Pontificem per Sacram illam Congregationem suam plenariam jurisdictionem in toto orbe catholico exercere, et Christum per suum Vicarium Romanum Pontificem, cui in persona Petri singulariter dixit : *Pasce oves meas*, hunc cœtum specialiter sibi selegisse. Et revera S. C. oracula omni honore, cultu ac reverentia digna sunt, præsertim si Summi Pontificis sententia illis accesserit ; ex quibus sacra majorum instituta, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriri potest.

Quamobrem Ridolphinus *Prax. judiciar.*, part. I, cap. VII, num. 83, seqq., de prædictis declarationibus ita loquitur : « Declarationes autem S. Congr. Concilii sunt decisivæ, et habent vim legis universalis : Garz., *de Benef.*, in præfat., circa med. ; Rota, in *Aversana*, *Beneficii*, 3 julii 1606, cor. card. Sacrato ; Ferentill. *ad Buratt.*, decis. 479, num. 21 ; et cum sint factæ ab habente potestatem, et facultatem a Summo Pontifice, ab eo factæ censentur, et faciunt jus quoad omnes, prout ipsimet sacri canones ; Rodriquez, *Quæst. regul.*, lib. I, q. 11, art. 2, ante fin. ; Garz., *de Benefic.*, cit. loc. ; et ligant tam in foro fori quam in foro poli, etiamsi non sint publicatæ, et sufficit eas allegare ad instar juris communis ». De Fagna, *Comment. in Can. de Jurepatr.*, part. II, can. XXVII, cas. 2, num. 27, ait : « Sane S. Congreg. Card. resolutiones, tanquam legis universalis vim obtinentes, et in utroque foro obligatoriæ ex plene deductis per Fagn. in cap. *Quoniam*, *de Const.*, num. 6 et seqq., nec non per Passerin. *de Stat. homin.*, quæst. 187, art. 1, observ. 3, n. 447 ». Imo Monacell., *Formul. for. eccl.*, part. II, tit. 16, form. 2, num. 18, ait ad S. C. Concilii : « Privative pertinet jus Concilium interpretandi et obligandi subditos Ecclesiæ ad observantiam suarum declarationum in utroque foro ; quia, cum fiant auctoritate a Papa Cardinalibus tradita interpretandi Concilium, ut patet ex bulla Pii IV, § 1 et Sixti V, 74 *Bull.* tom. II, eorum decreta non differunt a lege declarata ; l. *Homines et rei*, § *Verbum ex legibus*, ff. *de Reb. signif.*, l. *Qui testam.*, § *de Testam.*, et item non sunt novæ leges, sed ipsæ leges Concilii prius obscuræ, et dubiæ, aut male intellectæ, prout reassumendo fundamenta Fagnan. in cap. *Quondam*, *de Const.*, explicat P. Felix, in suo *Exam. Eccles.*, verb. *Lex*, cap. 2, q. 6, num. 214, cum tribus seqq., t. II.

Atque hanc ob causam solet S. C. non solum præcipere ut declarationes observentur, sed etiam in contumaces pœnis et censuris ecclesiasticis animadvertere. Expediuntur etiam pro executione illarum declarationum a secretario brevium litteræ Apostolicæ, et ab auditore Cameræ monitoria, quæ sine cunctatione Rota Episcopi et Sedis Apostolicæ nuntii, quin et S. R. E. Cardinales et de latere legati suscipiunt et exequuntur. Si aliquis Episcopus minime parere decretis S. C. Concilii voluerit, Summus Pontifex mandavit, ac eum coegit ut pareat sententiis dictæ S. Congregationis, uti habemus in const. *Cum ex injuncto*, 6 octob. 1593 [1], Clementis VIII, Pont. Max., qui præcepit Episcopo Pacensi ut decretum S. C. Concilii circa ordinationes novorum christianorum exe-

[1] *Bull. Rom.*, tom. V, part. 1, pag. 464.

quatur. Et Benedictus XIV de resolutionibus S. C. Concilii verba faciens in const. *Magno cum animi*, 2 junii 1751, § 2, *Bull.* ejusd., tom. III, p. 170. edit. *Venet.* 1778, ait : « Nos enim, tunc etiam cum in minoribus constituti opus aliquod inscriberemus, illud præcipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanæ Curiæ tribunalium sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificiis oraculis auctoritatis robur accedit ».

Hinc merito ipsius S. C. resolutiones per inferiores judices et magistratus, imo per cæteras S. Congregationes habentur in magna veneratione, quas plurimi omnes æstimant ; et præsertim tribunal Sacræ Rotæ Romanæ semper magna cum veneratione suscipere consuevit, ut dictum fuit in cit. *Aversana*, *Beneficiorum*, 3 julii 1606, cor. card. Sacrato, et in aliis relatis in *Calaguritana*, *Clavis*, 11 januar. 1646, in §. *Et hæc juris dispositio*, cor. Fagnan. Nam Rota Romana S. C. Concilii declarationes absque ulla oppositione vel ambiguitate reverenter recepit, atque omnimodis observat, aut etiam ipsas suas decisiones rejicit, quando in contrarium adsunt declarationes supradictæ S. Congregationis ; quod patet ex Barbosa cap. 4, *Jur. univ.*, num. 81; Fagnan., cap. *Quoniam*, num. 72; card. de Luca, disc. 6, *de Parochis*, num. 5. Et de his perhibet testimonium Petrus Pacioni *Allegat.* XLI, num. 28, ubi ait : « Et tollitur omne dubium, ex quo ita etiam pluries declaravit S. Congr. Card. S. C. Interpretum, cujus resolutiones ab omnibus, et etiam ab ipsa Rota reverenter excipiuntur et observantur... Imo Rota etiam si existat in una opinione, ubi audit S. Congregationem aliter sentire, recedit ab opinione sua, et illi adhæret ». Item De Fagna *Comment. de Jurepatr.* part. I, can. IV, cas. 11, num. 21, testatur : « Quæ, (resolutiones nempe S. C. C.) quoties Sacræ Rotæ obviæ sunt, semper ipsa judicium sistit, sibi tantum obsequii gloriam relinquendo, ut antiquum morem gerendo novissime protestata est in *Theatina, Jurisd.*, 14 decem. 1708, § *Pari difficultate*, coram me ». Et rationem in medium profert Monacelli [1] qui ait : « Declarationes S. Congr. Concilii Rota Romana observat, et reverenter recipit, quia ligant in utroque foro, etiam quod non sint publicatæ, ut præter ibi allegatos dixit Rota ».

Et quod verum sit, ipsum Rotæ Sacrum Tribunal audiamus. In decis. *Calaritana*, *Jur. paroch. super bono jure* coram Ratta, 2 julii 1725, num. 3, ait : « Quæ profecto Sacrarum Congregationum resolutiones emanatæ per viam legis universalis punctualiter ubique servandæ veniunt, et tanquam leges in quocumque tribunali recipi debent, ut animadvertit Rota in *Perusina, Præeminentiarum*, 2 decem. 1711, §. *Fortius* cor. Ansaldo ; in *Rom., Jur. paroch.*, 7 decem 1716, § *Idque*, cor. Lancetta ; in *Romana*, *Matrim.*, 3 junii 1719, § *Descendendo*, cor. Corio. Præsertim vero in nostro Sacro Auditorio, quod earumdem Sacrarum Congregationum oracula ea, qua par est, reverentia, semper venerari ac sequi professum fuit, ut in subjecta materia videre est in *Neapolitana*, *Jur. paroch.*, 13 martii 1711, § *Utique*, cor. Ansaldo ; in dicta *Romana, Jur. paroch.*, 7 decemb. 1716, § *Neque amplius*, cor. Lancetta. » Et in specie quoad declarationes S. Congregationis Concilii asseritur in decis. 15, num. 17 et num. 26, part. II, recent., quod Rota cum magna reverentia S. C. Concilii sumit, quæ non solum dat normam futuris, sed etiam elapsis non decisis, neque in judicium deductis. Et in decis. 321, num. 2, part. X, recent., pro lege servari debere determinationes S. Congr. Concilii firmatum est. Pariter in *Visen.*, *Jurisdictionis*, 2 martii et 9 aprilis 1650, cor. Cerro, inter ejus impressas, 325 et 342, num. 15, confessum est Sacrum Tribunal Rotæ. « Cæterum in hanc sententiam eo facilius DD. devenerunt, quia dicta S. Congr. DD. Card. S. Concilii Interpretum, auditis partibus super eisdem in Rota toties deductis, et in causa exactissime discussa, ita ter declaravit, quæ Rota solet, ut par est, reverenter amplecti, etc. »

[1] *Form. for. eccl.*, part. 3, tit. 2, form. 8, num. 9.

Hanc autem reverentiam atque obsequium Sacrum Tibunal magis ostendit in casibus particularibus. Nam in *Urbinaten.*, *Parochialis*, 12 febr., cor. Verosp., juxta decis. impressam a Pignatelli. consult. 147, num. 10, tom. IV, et firmantem non constare de irrationabili judicio Archiepiscopi; cujus contrarium resolvit S. C. Concilii, die 17 febr. 1629, demandatur, ut in Rota nihil in dicta causa innovaretur, ut observat cit. Pignatellus, et patet ex lib. XIV, *Decret. ejusd. Sac. Congr.*, fol. 40. Et dictus Pignatell. refert consult. 147, num. 21 et 22, tom. IV, quod in *Ferrarien.*, *Distribut.*, 4 julii 1636, cor. Pirovan. dictum fuit distributiones non deberi; sed proposita causa in S. Congr. Concilii die 3 sept. 1636, dicti anni responsum fuit deberi distributiones. Item in *Maceraten.*, *Beneficii*, 16 januar. 1640, cor. Merlin., quæ est inter ejus impressas, 825, num. 10, legitur: « Et licet Rota prius censuerit, tali esse casu sacerdotale beneficium, etc., tamen, audita contraria sententia, S. Congr. Concilii recessit a prima resolutione ». Et in *Romana*, *Capellaniæ*, 2 januar. 1589, cor. card. Pamphilio, Sacra Rota juxta declarationem S. C. Concilii judicavit hisce verbis: « Domini attenta resolutione Illustriss. DD. Sacr. Concilii Interpretum in causa *Pistorien.*, quod præsentandus non deberet esse presbyter ex eo quod in fundatione dicatur capellanum debere celebrare divina officia, etc., recesserunt a resolutis in hac causa, et dixerunt capellaniam non esse sacerdotalem », et advertit Theodosius de Rubeis in *Singularib. Rotæ*, p. II, verb. *Rotæ Rom. decisiones*, § 9, pag. 93, quod Rotæ decisionibus circa Concilium Trid. non est standum, quando in contrarium adsunt declarationes S. C. Concilii: « Hinc merito Rota nostra eisdem innixa resolutionibus, quam semper excipit reverenter, recedendo a contraria opinione quam tenuerat etc. » habetur in decis. *Mediolanen.*, *Capellaniæ*, 2 decem. 1665, cor. card. Carpin., in part. XVI, recent. decis. 335, num. 2. Fagnanus autem cap. *Quoniam*, *de Constit.*, num. 71, lib. I, effectum obligandi quem habent prædictæ declarationes, testatur non solum esse quoad futurum, sed etiam quoad præterita, quia hoc est de natura legis declaratoriæ, et potius ligat constitutio antiqua quam nova declaratoria, secundum gloss. *in Clem. Statutum* in verb. *Declaramus de Elect.* Et sententiæ latæ contra declarationes S. Congregationis, sunt ipso jure nullæ. Idem sentit Basil. Pont. in tract. *de Matrim.*, lib. V, cap. 13, § 1, num. 7: « Tantum enim, ait, non obstante decisione Rotæ, quam pro sua sententia Menochius refert; his enim ego oppono congregationis declarationes, quæ majus pondus auctoritatis habent ».

Dataria Apostolica etiam sæpissime S. C. Concilii oraculum votumque efflagitat. Hujus tribunalis objectum sunt videlicet collationes beneficiorum reservatorum, vel affectorum, tam in vim regularum cancellariæ, quam aliarum Apostolicarum constitutionum, reservationes pensionum super eisdem beneficiis, matrimoniales aliæque omnes dispensationes super irregularitatibus nempe bigamiæ, natalibus, ætate et similia, beneplacita Apostolica super alienationem bonorum, ecclesiarum uniones, coadjutoriæ, erectiones in collegium, sive collegiatam et cathedralem, suppressiones, dismembrationes, erectiones novorum canonicatuum et beneficiorum, necnon confirmationes concordiarum inter ecclesias unitarum; hinc, si aliquid ex his non statim in Dataria ad examen tantum Congregationis dicti Tribunalis, quæ fit coram datario, expediuntur juxta gravitatem et naturam negotiorum ea a datario ad S. Congregationem Concilii vel Episcoporum pro voto remittuntur. De hoc voto a Dataria postulato loquitur Pitoni *Discept. Eccles.*, 104, num. 4, ubi ait: « Ut cum Dataria in hoc statu gratiæ perfectæ et juris quæsiti expostulaverit votum Sac. Congregationis Concilii hoc intelligi debeat, prout de jure considerato statu et terminis, et quibus gratia reperitur ».

Item S. C. super bono regimine constituta S. C. Concilii consuluit de nonnullis nempe dubiis ad interpretationem cap. 2, sess. 21, *de Reform.*, Concilii Tridentini, spectantibus,

quoad bona patrimonialia clericorum, in quibus casibus privilegiis bonorum ecclesiæ gaudeant ; testatur hoc Fagnanus in cap. *Episcopus, de Præb. et Dignit.*, num. 34, lib. III, pag. 73. Dubitari ex his forsan poterit de veneratione, reverentia atque æstimatione, quas apud omnes S. C. Concilii declarationes habuerint ? Ex hoc illarum auctoritati maximum accedit pondus, illarumque potestatem ab omnibus undique fidelibus recognitam confirmat, et perspicuum videtur quod, quum declarationes prædictas Rota sequatur, cæteri judices idem faciant, cæteræque congregationes earum auctoritatem agnoscant, quia ex puro fonte, nempe a potestate Pontificia originem ducunt ; quanquam Summus Pontifex per suos excelsos consiliarios illas edendas curet ; de obsequio tamen, quod Supremo Pontifici præstant fideles, S. C. Concilii declarationes participant ; Ecclesiaque de Pontificatus culmine, tanquam e fonte præcelso in S. Congregationes, et præsertim Concilii, in cardinales amplissimos diffudit velut in rivos ; divinaque auctoritate ac cœlesti vaticinio terrarum orbem complectitur universum, nullisque adversariorum insidiis, nulla hostium violentia vacillabit.

§ XVII.

Nonnulla contra auctoritatem earumdem declarationum objiciuntur ac diluuntur.

Valide propositio nostra confirmatur et roboratur, quum omnes in medio afferamus objectiones ; et rationes, quæ in contrarium proferuntur, refellemus.

Obj. 1° ex Giberto in *Proleg. in Corp. jur. canon. per regulas ordine naturali digesti*, par. priore, tit. 3 : Cum magnus sit numerus Congregationum Cardinalium, utpote quarum ad 15 instituit Sixtus V, et quarum singulæ Pontificis auctoritatem exercent, si illarum declarationes essent legales, leges in infinitum crescerent, et simul occasiones prævaricandi.

Resp. ad primam obj. cum Rupprecht in *Not. hist. in jus canon*,, tom. 1, tit. 2, cap. 7, § 1, Gibertum omnium Congregationum Romanarum declarationes indiscriminatim oppugnare, adeoque ejus argumentum esse confusum et inerme, cum omnium auctoritatem non eadem decempeda metiamur ; quare, responsionem nostram ad præsens restringendo, dicitur quod quum declarationes cardinalium non sint novæ leges, sed canonum Tridentini Concilii legales et authenticæ interpretationes, id absurdi non sequitur ; alias etiam dicamus illud sequi ex interpretatione Papæ.

Obj. 2° ex eodem : Principes supremi, quorum nullus tot subditis præest, quot Papa, nemini jus ferendarum legum subditorum concedunt.

Resp. ad 2 : Nos hic non loquimur de potestate ferendi leges, sed de potestate, eas interpretandi legaliter, scilicet, ut talis interpretatio in eodem honore habeatur, ac si a suprema potestate fuisset lata, neminique ab ea recedere liceat, et talem olim fuisse concessam juris consultis ostendimus, § XV *Supplem. Introductionis ;* similemque Congregationi Card. quoad decreta Concil. Trid. Sixtum V elargitum fuisse ex ejus constitutione.

Obj. 3° ex eod. : Nulla affertur constitutio Pontificia, qua expresse sit declaratum Pontificem intendere et cavere ut congregationum declarationes vim legis universalis sortiantur ; quamvis opinionem varietas circa declarationum earumdem auctoritatem eum non lateat ; nec verisimile est factum fuisse ut a tam necessaria definitione abstineret, si vim legis universalis ejusmodi declarationibus impertiri dignatus fuisset.

Resp. ad 3° : Sicut Pontifex habet suas rationes quare sibi minores prærogativas reservet, sic eas pariter habuisse censendus est Sixtus V, dum in cit. const. potestatem

declarandi Concilium Trid. Card. Congregationi tribuit ; et quæso, si Cardinalium Congregatio eguit constitutione Pontificia ad hoc ut evadat magistralis, nonne omnes doctores pro suis commentariis egebunt constitutione Pontificia ? Accedit, quod Papa Cardinalibus non dederit illimitatam potestatem interpretandi Concilium, sed se consulto, quod manifeste evincit, illas interpretationes esse legales ; Papamque id in ea bulla intendisse.

Obj. 4°, ex eodem, quod sunt aliæ prærogativæ minus insignes Pontificis personæ reservatæ, quæ nunquam sine speciali clausula communicantur ipsis etiam legatis *a latere*, quorum tamen officium amplissimum est, cap. 4 *de Off. legati*, *V*. Leges vulgo legislatoris nomine feruntur ; ipse in eis loquitur, et voluntatem suam diserte asserit. Declarationes nomine cardinalium proponuntur. Hæ considerationes, inquit, gravem adversus Fagnani sententiam præsumptionem efficiunt.

Resp. ad 4, ejus primum membrum transmitti posse, si loquamur de legibus, non autem de legum declarationibus, quæ non obligant tanquam novæ leges, sed ad hoc ut juxta illarum sensum lex præhabita intelligatur, et executioni mandetur.

Obj. 5°, cum Van Espen part. I, *Jur. eccl. univ.*, tit. 22, cap. 6, num. 16 et seq., tom. I, pag. 235. Et primo quidem principale adversariorum fundamentum declarationes ab hac Congregatione emanantes per modum legis, aut constitutionis publicari non consueverunt ; ergo non sunt habendæ pro legibus generalibus. Secundo Sacra Congregatio sua decreta nonnunquam correxit, igitur non est infallibilis in attingendo genuino sensu decretorum Concil. Trid., et consequenter ejus declarationes non sunt tantæ auctoritatis, ut ab iisdem recedere nonnunquam non liceat.

Resp. ad 5, et primum argumentum falsum esse, si loquatur de illis declarationibus quæ novum jus constituunt, hoc est, quæ decretis Concilii aliquid addunt, vel demunt ; hæ enim Romæ auctoritate Pontificia solemniter promulgantur, ut supra ostendimus. Si vero loquatur de nudis declarationibus genuinum sensum decreti solummodo exponentibus, promulgatio quidem requiritur in legibus ad hoc ut obligent in actu secundo, non item in declarationibus legum, quæ legibus ipsis intrinsece insunt, ac proinde non faciunt jus novum, sed solummodo jus, quod prius erat, manifestant atque declarant ; atque juxta illas lex semper fuit intelligenda juxta gloss. in cap. *Sicut nobis*, ℣ *Respondemus*, *de Verborum significatione*, ac desumitur ex auth. *De muliere raptum passa*, § fin., collat. 9, ubi Imperator de tali legum suarum declaratione loquens, ait : « Quam interpretationem non in futuris tantummodo casibus, rerum in præteritis etiam valore sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuisset a nobis ». Hinc Bened. XIV, inst. *Eccl.* x, num. 1 [1], asserit esse nullius momenti rationes illorum qui disputant, quod Sacræ Congregationis decreta, « eo quod promulgata non fuerint, universos minime complectantur, vel forum externum solum respiciant, aut etiam internum, si tamen in lucem aspectumque publicum proferantur ». Et hanc objectionem diffuse et erudite refellit Fagnanus in cap. *Quoniam*, *de Const.*, num. 43, seqq., ubi num. 48, affirmans quod, « cum decreta concilii etiam circumscriptis Congreg. declarationibus essent a principio intelligenda et observanda et ad eum modum quo Congreg. ipsa interpretata est, defectus publicationis declarationum, et consequenter illarum ignorantia justam excusationem non parit ». Et ibi nonnulla affert exempla. Ad secundum argumentum respondetur : Esto exempla relata evincunt S. Congregationem Concil. Trid., non tamen evincunt ejusd. congreg. declarationes non esse legales, si enim ad hoc ut aliquis posset facere interpretationem legalem alicujus legis, requireretur ut dono infallibilitatis in attingendo ejus sensu sit præditus, nullam interpretationem legalem

[1] Tom. XI, pag. 125.

haberemus, præter illam quæ fit ab ipso legis conditore, et quidem adhuc durante bona memoria, cum nec ejus successores infallibilitatis dono quantum ad hoc sint prædíti. Nec probant quod pro libitu privatis liceat a simili declaratione recedere, vel nonnunquam saltem ex gravi momento ; si enim judicibus a jure civili non licebat recedere a responsis jurisconsultorum eo quod essent legales interpretes legum civilium , multo minus ex eadem ratione a declaratione Cardinalium recedere licebit; eo vel maxime quod reliquæ congregationes Romanæ, atque etiam ipsa Rota Romana, de qua § anteced. verba fecimus, statim eisdem declarationibus absque ulla oppositione vel ambiguitate sese submittant, easque omnimode observent, etiam dimissis ipsis Rotæ decisionibus, si quando contrariæ sunt ; quod manifestum signum est, has declarationes, si circumstantias supra enumeratas habeant, esse auctoritativas, et vim legis habentes. Ad dictorum huc usque majorem intelligentiam summatim hic referemus sex conclusiones Fagnani, quibus in cap. *Cum venissent*, *de Judiciis*, decretorum supra rel. sensum exponit. 1° Itaque contendit neminem alium, quam Pontificem decreta Trid. interpretari posse *per formam legis universalis;* 2° Pontificem hanc facultatem committere posse, et de facto commisisse Congregationi Card. ad interpretationem Trid. constitutæ ; 3° Episcopos non posse interpretari hæc decreta neque in conciliis provincialibus, neque in synodis diœcesanis, neque extra hæc comitia in modum legis ad suum districtum directæ, neque judices in suis judiciis in modum statuti ; 4° doctores, neque glossas, neque commentarios, neque notas in illa decreta facere posse sub pœna excommunicationis ; 5° Asserit doctores et judices illa decreta interpretari posse ratione alicujus difficultatis solvendæ et litis dirimendæ ; quam interpretationem vocat indirectam et incidentem, quæ non cadit principaliter in decreta, sed in difficultatem aut litem, quæ ipsi occasionem præbuit ; 6° has bullas non indicere interpretationem litteralem aut grammaticalem ad decretorum intellectum necessariam, quales fiunt in scholis, concionibus et catechismis.

Instat Gibertus loc. cit. : Si ratiocinio huic locus esset, conciliorum generalium definitiones tam circa fidem, quam circa mores, promulgatione haud indigerent ; quoniam in lege divina includuntur, quam Scriptura et traditio continent ; et consequenter ipsæ nihil aliud sunt quam istius legis declarationes : Nihilominus hæc concilia definitiones suas promulgari jubent, eo fine ut omnibus notum fiat id quod in eis continetur, non solum in globo, quemadmodum fit in Scriptura et traditionibus, verum etiam singillatim, ut distincte credi possit id quod diserte definitum est, et observari quod præceptum est ; sicut ergo definitiones Conciliorum ante sui promulgationem vim legis non habent circa eos, qui Concilio interfuerunt ; cum lex non obliget prius singulos, quam communitatem ; ita hæ declarationes nunquam vim legis habebunt, quum nunquam solemniter promulgantur.

Ad inst. resp. : Et primo hanc instantiam corrigere imperatorem, et ejus legem a nobis allatam, in qua dicit declarationem pro tempore præterito, quo nondum promulgata fuit, valere. Secundo illam insuper nimium, et consequenter nihil probare ; probat siquidem nullam legem humanam positivam dari, cum tam civilis, quam canonica contineantur in lege divina, vel æterna, vel positiva, quarum legum istæ juxta hanc instantiam sunt meræ declarationes ; quod esse falsissimum, si declaratio stricte sumatur, clamant myriades legum civilium et canonicarum. Distinguere ergo debuisset egregius ille et laboriosissimus juris canonici per regulas ordine naturali digestor, inter declarationem large et stricte sumptam, et nobiscum huic difficultati respondere quod declarationes large sumptæ, seu illæ quæ continentur in lege aliqua, v. g. Scriptura et traditionibus per modum sequelarum ex principiis generalibus, promulgatione egeant ad hoc ut obligent ; non autem declarationes stricte sumptæ, seu quæ genuinum sensum

legislatoris solummodo exponunt, juxta legem citatam et veritatem. Primi generis declarationes sunt definitiones conciliorum in instantia allatæ, et illæ plerumque declarationes cardinalium, quæ jus novum constituunt : secundi vero generis illæ quæ in disputationem præsentem inducuntur. Quamvis, et has promulgari posse non diffiteamur, sed quod promulgatio essentialiter ad hoc requiratur, ut rationem legum, vel potius legalium interpretationum (sic enim magis proprie appellari debent, cum non sint novæ leges Concilii, vel contrariæ, vel ex eodem deductæ) induant, id ex rationibus allegatis negamus.

Inst. 2° : Ad substantiam legis requiritur promulgatio l. 1, 2. ff. l. 3, 9, *c. de LL.*, sed responsa S. Congr. non solent promulgari : ergo, etc. Unde Gonzalez in fin. *App.* præter has relatas conditiones, scilicet, ut declarationes sint comprehensivæ, fiant consulto Papa, et producantur in forma authentica, requirit quartam, ut publice promulgentur. Hinc declarationes illæ cum non promulgentur, ideo neque obligant auth. *Ut factæ novæ const.* Nam instituuntur cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur, *c. In istis.* § *Leges*, dist. 4. Idque etiam observatur in Constitutionibus Apostolicis c. 1. v. *Solemniter editi, de Postul. præl.*

Ad 2 inst. respondetur quod declarationes S. C. Conc. obligant absque nova ipsarum promulgatione ; et ratio est, ut jam supra dictum est, quia solemnitas publicationis requiritur in legis editione ; non item in legis declaratione. Nam quod requiratur promulgatio, procedit in legibus, quæ novum jus constituunt, non item in declarationibus legum, quæ legibus ipsis intrinsece insunt, ac proinde non faciunt jus novum, sed solum jus, quod prius erat, manifestant atque declarant ; hujusmodi enim declarationes, cum contineant meram legis jam præexistentis explicationem, retrotrahuntur ad tempus conditæ legis. Aliud est, si a S. Congreg. edantur decreta per modum novæ legis, tunc ad instar aliarum Constitutionum Apostolicarum solemnis fit Romæ promulgatio, et affixio in locis consuetis, uti videre est in decretis *de Apostatis et ejectis*, *de Rebus regularium non alienandis*, aliisque, uti communiter canonistæ in procem. *Clement.*, et præsertim P. Marcus Kloz in *Jur. Canon. univ.* edit. Aug. Vindel. 1742, tit. 2, § 4, num. 2, ostendunt. Quum declaratio legis non inducat novum jus *Card. in Clem. S. Romanus*, *de Præb.* sed manifestat, quod in lege latebat ; insunt enim declarationes ipsis legibus l. 40. ff. *de Jur. fisci*, adeoque qui declarat, quasi ex spicis excutit grana, et frangit nucem, ut nucleum ostendat, l. *Adeo* 7, § *Cum quis*, 7, vers. *Videtur tamen*, ff. *de Acq. rer. dom.* Sane quis crediderit olim responsa prudentum ; utpote qui plerumque ex facto consulti respondebant, ut habet Manzius ad §, responsa 8, inst. *de Jur. nat. cen. et civil.*, num. 7, vers. *Itaque non fuit ;* illico fuisse simul publice ac solemniter promulgata ? et nihilominus judicibus ab eisdem recedere prohibitum erat, dicto §, responsa 8. His vero prudentibus æquiparari possunt Card. Congreg. Concilii ; quia utique ad juris interpretationem pro casibus occurrentibus constituti sunt. Neque urgeat, quod anterior lex dubia et obscura non sit lex ; ac proin illius declaratio nova lex censenda sit, quæ et novam promulgationem exigit. Falsum quippe est quod leges dubiæ (nisi omnem prorsus explicationem respuant ; ubi locus erit regulæ, quod idem sit non esse, ac non apparere) leges haud sint ; cum alias vane doctores laborarent et incumberent explicandis legibus, sed quoties lex dubio involuta occurrit, omnis doctorum controversia et explicandi studium quiescere deberet ; uti animadvertit Placidus Bockhn in procem. ad *Jus. canon. univ.* num. 50.

Obj. 6° : Lex concipi debet verbis præceptivis, seu obligatoriis Arg., l. 1, ff. *de Leg.*, sed responsa S. Congr. concipiuntur verbis doctrinalibus et explicativis : *censuit*, *censemus* ; hinc per modum opinionis exprimuntur. Nam declarationes nihil præcipiunt aut prohibent, adeoque non obligant.

Resp. ad 6 : *Censere* in sensu juridico sæpe idem significat quod decernere, statuere et jubere, l. *Censeri,* III, ff. *de V. S. L.*, 52, ff. *de Contrah. empt.* Præcipiunt vero ac prohibent lex et decreta, quorum sunt declarationes. Qualitates enim legis declaratæ insunt declarationi l. *Nihil*, ff. *de Conjug. cum emanc.* Liber et Auth. *de Fil. dante otal. instrum. natis* in fin. Insuper etiam Senatus Romanus cum aliquid juberet aut vetaret, uti verbo censendi consueverat, l. *Senatus*, 5, ff. *de Contrah. emp.*, quod observat Schmalzgrueber in *Jur. eccl. univ.* in dissert. proœm., § 8, num. 377, edit. Napol. 1738, tom. I, pag. 48. Denique testatur Fagnanus in cap. *Quoniam, de Constit.*, num. 16, « quod S. Congr. rescripta appellari consueverunt declarationes, resolutiones, decisiones, interpretationes, responsa ; his enim rescribendi modis uti solet : nempe declaravit, respondit, censuit, etc. ». Ex quibus rescribendi formulis (idem concludit num. 40) satis liquet Sac. Congreg. declarationes editas Apostolica auctoritate nihil aliud esse essentialiter quam decreta ipsa Concilii ex se obscura ac dubia, seu male ab aliquibus intellecta, explicatione delucidata et clarificata ; hinc necessario sequitur ut obligandi vim habeant perinde ac decreta ipsa declarata. Qua de causa dicendum merito cum Joan. de Salas *de Legibus*, tract. 14, q. 97, disput. 21, sect. 12, declarationes dictæ Congreg. non ut probabiles et doctrinales duntaxat habendas esse, sed ut auctoritativas et necessarias, tanquam si ab ipso Papa editæ fuissent ; et ideo habere vim obligandi in utroque foro tam in judicio, quam extra, non solum pro illis personis, ad quarum instantiam fiunt, seu in illo speciali casu cui Congreg. respondet, sed ut leges generales in similibus omnibus. Et id probat, tum ex verbis const. Sixti V, in quibus Papa eamdem quam ipse habet, interpretandi facultatem Congregationi impertitur ; maxime quia illa exceptio dubiorum, cum debeat esse de regula legis, id manifestius reddit ; tum ex consultatione Papæ, quia ex ea, etiam sit super particulari casu, jus generale editur juxta textum in cap. *Ex multa, de Voto.*

Obj. 7° : Cardinales æquiparantur judicibus et magistratibus auctoritate principis pollentibus, arg., l. 12, v. *Cur autem*, c. *de LL.* Sed sententiæ judicum et magistratuum non faciunt jus universale, sed solum particulare inter partes, c. 25, *de Sent. et re judic.*, l. 2, c. *Quibus res judic.* ; ergo nec responsa Cardinalium faciunt jus universale ; nam certum est decisiones judicum, qui omnem habent auctoritatem a principe, l. *Et quia*, ff. *de Jurisd. omn. jud.*, non habere vim legis generalis, sed inducere solum parendi necessitatem in particulari causa, in qua emanat l. *Non possunt*, ff. *de Leg.* ; ergo similiter, etsi S. Congr. habeat decidendi auctoritatem a principe, tamen illius interpretatio videtur illius speciei quæ generalis non est, licet sit necessaria, et in scriptis redigenda, ut judicis. Vel certe quatenus illius declarationes habeant legis auctoritatem, id videtur procedere in illis tantum, quæ generaliter et per modum legis eduntur ; non autem in illis quæ fiunt in aliquo speciali casu.

Resp. ad 7 neg. maj., quia potius æquiparantur prudentibus, quibus princeps suam auctoritatem tribuit ad universum jus interpretandum ; nam judices et magistratus habent potestatem limitatam ad certum territorium, ut inibi secundum jus judicent, l. fin. ff. *de Jurisd. omn. jud.* At Sacr. Congr. fuit generaliter assumpta a Summis Pontificibus ad decreta Trid. Concilii interpretanda, et propterea decidit non solum casus particulares, et in concreto, sed ut plurimum aperit sensus et mentem S. Synodi generaliter et in abstracto. Ea vero quæ in facto consistunt rejicit ad judices ordinarios. Unde eatenus se extendit illius auctoritas, quatenus protenditur latitudo decretorum Concilii, quibus declarationes intrinsece insunt, ut ostensum est supra, et expendit Fagnanus in c. *Quoniam, de Const.*, n. 65 seq., qui concludit : « Quibus accedit quod etsi ad hanc interpretationem faciendam desideraretur præcisa auctoritas legis condendæ, illa tamen non deesset, quia Congr. ex bulla Sixti in his quæ ad morum refor-

mationem concernunt, auctoritatem habet pro justitia et æquitate decernendi quæcumque sibi visa fuerint in universo orbe. Unde sicut princeps auctoritatem habet ubique, et quoad omnes, sic et is qui auctoritatem habet ab ipso. » Hinc declarationes ligant, non secus ac ipsæ leges, quæ declarantur, ut licet editæ sint in casu speciali, nec aliter quam responsum principis datum in particulari casu facit commune, c. *Ex multa, de Vot.*

Obj. 8° : Circumferuntur declarationes sibi contrariæ, adeoque vim obligandi non habent l. *Ubi repugnantia*, ff. *de R. I.*; lex enim debet esse possibilis, cap. *Erit autem lex*, 4 distinct. et reg. *Nemo potest, de Regul. jur.*, in 6. Nam impossibile est contrariis declarationibus assensum præbere, aut obtemperare, leg. *In ambiguo*, ff. *de Rebus dubiis.* De quibus ait Tamburinius in opere inscripto *Vera Idea della S. Sede*, § 24 : « Sono « meno rispettate le decisioni della Congregazione del Concilio di Trento, poichè spesso « si sono vedute interpretazioni del Concilio apertamente contrarie alla mente dello « stesso Concilio, e spesso avviene che la stessa Congregazione dia decisioni tra loro « discordi. Questa Congregazione per altro non pretende, che le sue Dichiarazioni sieno « leggi generali, e che non sia mai lecito da allontanarsi dalle medesime. » Cui consonat Joseph Valentinus Eybel in sua introductione in *Jus. ecclesiasticum*, tom. 1, pag. 65, edit. Viennæ 1777.

Resp. ad 8: In forma authentica vix producentur declarationes contrariæ, cum ex diversitate casus et circumstantiarum conciliari possint ; nam conveniens est jura juribus concordare, c. *Cum expediat, de Elect.*, in 6, leg. *Præcipimus* ; c. *de Appel.*, gloss. in c. *Cum dilectus* in vers. *Jure communi, de Consuet.* Si tamen verè contrariæ et essent, posterior derogat priori c. 1, *de Const.*, in 6, et arg., l. *Sed et posteriores*, ff. *de LL.* et l. fin. ff. *de Const. princip.* Complures sunt declarationes apocryphæ, ideoque nulli fides adhibenda, nisi quæ in authentica forma producitur. Quod testatur Schmalzgrueber, *Jus eccles. univ.* in dissert. procem., § 8, n. 377, inquiens : « Ad 6, illud non pugnat contra declarationes exhibitas in forma authentica, et ex principio authentico notas; quia tales nec multæ, nec falsæ, neque etiam inter se contrariæ facile reperiuntur, cum Fagnanus testis omni exceptione major l. cit. num. 57 testatur falsam et commentitiam esse hanc multiplicem declarationum repugnantiam ; quandoquidem spatio quindecim fere annorum, quo fuimus Sac. Congreg. Concilii a secretis, nunquam contigit ut Congregatio ex deliberatione retractaverit ullam resolutionem prius editam. Nec anteactis temporibus in scripturis et libris publicis usquam reperi eam ex proposito recesisse a decisis, nisi in duobus casibus, et affert casus. » Qua de re si quæ contraria sibi inveniantur pro apocryphis habendæ sunt, vel si pro veris agnoscendæ, ad speciem solum contrariæ sunt, quia in diversis circumstantiis datæ, aut si contrarietas vitari nequeat, posterior derogabit priori.

Obj. 9° : Obligatio non oritur ex eo quod ita S. Congr. declaravit, sed quod Concilium sic disposuerit, proindeque declarationes non habent vim juris.

Resp. ad 9 : Licet declarationes non habeant vim novi juris, habent tamen vim declarativam antiqui juris, ut sic et non aliter intelligendum sit ; in hoc tamen consistit differentia quod, cum post declarationem super aliquo decreto editam jus, quod ex eo decreto oritur, dicatur clarum, ejus ignorantia amplius allegari non potest, sicut aliquando allegari potuisset ante ipsam declarationem, et testatur Navar., cons. 7, *de Regul.* Hinc clarum est, vim omnem, quæ inest dispositioni declaratæ, censeri etiam inesse illius declarationi, quum declaratio sit dependens, implicita et consequens ad declaratum.

Obj. 10° : Declarationibus S. Congreg., quæ eduntur partibus in forma authentica

regulariter non apponitur tempus, nec locus, adeoque validæ esse non possunt. Invalidæ enim constitutiones papales sunt non continentes tempus et locum.

Resp. ad 10 : Expressio temporis et loci requiritur quidem in novæ legis editione, non autem in legis editæ declaratione. Hæc enim retrahitur ad tempus conditæ legis, cui inest, et ab illius promulgatione vim habet obligandi, l. *Asse toto*, ff. *Hæred. instit.* Non est igitur opus, ut declarationibus Sacræ Congreg. adjiciatur tempus aut locus, cum incipiant obligare a tempore publicationis Concilii, et qualitates omnes, quæ insunt Concilio, censeantur inesse illius declarationibus, quod probat Fagnanus in cap. *Quoniam, de Constit.*, num. 21, 23, 45 et 48.

Obj. 11° : Satis firmum præsidium obtendunt causæ suæ ii qui hujusce congregationis decretorum auctoritatem eo infringere conantur, quod Tridentinorum Patrum mens fuerit ut Summus Pontifex hac in re uteretur consilio non Cardinalium, verum Episcoporum earum provinciarum, in quibus oborta lis esset, aut concilia generalia indiceret; eorumque sententiam exquireret. Neutrum hactenus factum fuisse clamant Van-Espenius, *Jur. eccl. univ.*, part. I, tit. 22, cap. 5, § 2; Eybel *Introd. in Jus eccl. cath.*, tom. I, lib. III, cap. 4 in nota, num. 8.

Resp. ad 11 : Sed quid fieri poterat in tanta ubique locorum et nostrorum temporum difficultatum suborientium multitudine? Quod quidem suspicata fuisse videtur ipsa Trid. Synodus, quæ ibidem *commodiorem quamcumque rationem* eligendam Sum. Pontifici relinquit. Ait enim : « Quos si in his recipiendis (decretis Concil. Trid.) aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint quæ declarationem (quod non credit) aut definitionem postulant; præter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit S. Synodus beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis, ex illis præsertim provinciis unde difficultas orta fuerit, iis quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus, pro Dei gloria et Ecclesiæ tranquillitate consulatur ».

Obj. 12° cum Pehem, qui *Prælect. Jur. eccl.*, part. I, sect. V, cap. V, § 1071, ait : « Aliæ generales (declarationes) sunt, nec ad locum certum personamve restrictæ, cujusmodi sunt quas generatim consulta edit Congregatio. Ast neque his universalis legis potestas ex se attribui potest. Quid enim! si adversæ juribus ac moribus nostris? quid si secum ipsis pugnantes producantur? aut apertam Tridentini decreti sententiam captiosa verborum interpretatione in alium, eumque a mente Patrum prorsus alienum sensum detorqueant? Num ergo hisce omnibus abscisse adsurgendum? »

Resp. ad 12: Qua ratione declarationes S. C. Concilii generatim editæ vim universalis legis habent? Sixtus V Pont. Max. const, *Immensa* sæpe cit. concessit huic Congr. auctoritatem non solum in Urbe et Statu ecclesiastico, sed etiam in universo orbe christiano, ordinandi ea quæ pertinent ad divinum cultum propagandum, et mores christiani populi componendos. Si declarationes generales sunt, omni populo christiano possunt convenire, dummodo conditiones § XV recensitæ concurrant; quemadmodum conveniunt Pontificiæ constitut., quæ in utilitatem Eccl. universalis eduntur. Hoc idem expendit Mascart in proleg. *Jur. canonic.*, § 4, quæst. 4, hisce verbis : « Quod bene notandum est contra quosdam, qui zelo indiscreto propter compendiola declarationum susque deque omnia invertere volunt cum maxima difformitate in actionibus, obligationibus, divinis officiis, et cæremoniis, ac ritibus; sed si immutanda sunt quæpiam in diœcesibus recepta et usu firmita, expectandum erit mandatum Ordinarii. Unde merito Lacroix, qui magna ex parte theologiam moralem his declarationibus implevit, et uniformitatem Ecclesiarum procurare voluit, a quodam Patre S. I. Romæ degente mo-

nitus fuit circa has declarationes, ut ipsemet refert in fine tom. VII; tum quia non constat, an decreta illa compendiata prout jacent authentica sint; tum quia decreta ista sæpe dantur pro casibus et locis particularibus. Si ergo Romani doctores ignorant, quanto magis in nostris partibus dubium esse potest de sinceritate harum declarationum. At si nobis certo constiterit de aliqua declaratione, saltem ex fideli et communi relatione scriptorum gravium, licet declaratio ista legaliter non probet, utpote præscriptis solemnitatibus destituta, tamen cum omni reverentia suscipienda erit, nisi forsan obstarent particulares locorum consuetudines pie et laudabiliter introductæ, quibus regulariter nec constitutio papalis censetur derogare, nisi id sufficienter exprimat cap. I *de Constit.*, in. 6. Quod dictum est de responsis S. C. Concilii, id proportionaliter tenendum est de declarationibus aliarum SS. Congregationum. » Ceterum Pehem qui in S. Congregationem Concilii injuriose loquitur, responsionem ex allatis satis abunde inveniet.

§ XVIII.

Declarationes S. Congreg. Concilii variantur, sicut Ecclesiæ disciplina mutatur, licet unus idemque semper sit disciplinæ spiritus.

Agni sponsa Ecclesia, Ecclesiæ fides omnibus seculis, cunctis temporibus, eadem semper manet, nullique subjacens mutationi; immutabile quippe fundamentum habet Dei Verbum. Christus per se et per Spiritum sanctum veritatem omnes edocuit Apostolos; doctrinam divinitus acceptam illi tradiderunt ecclesiis, a quibus per continuam Episcoporum successionem ad nos pervenit. Hoc depositum purum et inviolatum custodit Ecclesia, columna veritatis, quæ est origo, fons legum illarum quas nec dispensatione ulla remitti fas est, nec præscriptione everti; nec morum aut temporum diversitate qualibet, aut vicissitudine labefactari. « Christi Ecclesiæ, inquit Vincentius Lyrinensis, *Commonit.* cap. 32, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit; non amputat necessaria, non adponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena; sed omni industria hoc unum studet ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua illa sunt antiquitus informata, et inchoata poliat: si qua jam expressa et enucleata consolidet, firmet; si qua jam confirmata ac definita custodiat ». Non ita Ecclesiæ disciplina, quæ conveniens temporibus, ac mutabilis est. Mutatur enim in dies, et labentibus annis senescit, ac pristinæ rursum se restituit juventuti; alia, et alia subinde, et augmenta experitur, et decrementa. Suus erat ejus juventutis vigor eximius, sed obrepebant et vitia. Vitia illa sustulit ætas posterior; verum dum bona accedunt nova, veterum alicubi splendor evanescit. Senectus autem languidior est, ut testatur remissio illa et indulgentia, quæ hisce temporibus omnino necessaria putatur. Illius igitur leges, quæ diversis in locis, vel ætatibus, auctoritatis, utilitatis, et necessitatis plus habent, vel minus, sunt temporariæ, utiliterque mutantur, quoties id exigit facilior primæ legis observatio, nempe charitas proximi, et major utilitas Ecclesiæ. Illarum ergo legum et consuetudinum temporalium mutationes sunt reverenter explorandæ, vetus disciplina sic est prædicanda ut ne quid de hodierna laude detrahatur. Qui secus fecerit, ipsam incusat Ecclesiam. Secus est equidem privata auctoritate legum vigorem inflectere; sed ubi Ecclesiæ auctoritas utilitati vel necessitati fidelium aliquid indulget, hæc remissio, quantumvis cum veterum canonum littera pugnare videatur, mirifice tamen cum eorum qui eos condidere mente consentit. Eorum observantiam revocare, privatis temerarium est; alioquin fidelibus etiamnum esset abstinendum a sanguine et suffocato.

Ita pervigil et omnipotens illa Numinis providentia, quæ fecit ut synagogæ succederet Ecclesia, quæ dispensat hujus varias ætates et alternationes : eadem ipsa summa quadam sapientia et charitate has omnes temporalium consuetudinum legumque conversiones ita regit ac moderatur, ut per has Ecclesias ad incommutabilem et æternam sponsi sui gloriam et sanctitatem provehatur. Docent nos sancti Patres ab ipso Christo et ab Apostolis, quos vicarios ipse Christus sibi adscivit, posita primum fuisse in opportunis et necessariis dispensationibus Ecclesiæ fundamenta. Nonne caput et fundamentum Ecclesiæ Petrus institutus, vel restitutus est post lapsum, ejusmodi dispensatione, quæ posterioribus seculis non admirationi tantum esset, sed et exemplo ? Nefas est privata licentia vigorem juris inflectere, et hac auctoritate Ecclesiam destituere. Hinc a Pio VI Pont. Max. const. *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794, hæretica fuit declarata propositio IV de potestate Ecclesiæ quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam, affirmans « abusum fore auctoritatis Ecclesiæ transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde » ; tum etiam « multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis ».

At ubi Ecclesiæ ipsius auctoritas ob evidentem scilicet utilitatem, aut urgentissimam fidelium necessitatem, indulget et condonat aliquid, hæc humanitatis blandimenta, quantumvis cum littera canonum pugnare videantur in speciem, mirifice tamen cum eorum mente et scopo consentiunt ; et adeo non adversantur castissimis legis æternæ institutionibus, ut pro institutis haberi debeant, et veluti pro oraculis Charitatis, quæ ipsamet est lex æterna. Quod recte Tertullianus confessus est [1] : « Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis.... Hac lege fidei manente, cætera jam disciplinæ et conversionis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei ». Et apud Coustant *Epist. Rom. Pont.* in præf., num 37, habetur quod « neque tamen inficiatur idem Pontifex, quin aliquando ob insignem aliquam Ecclesiæ utilitatem de strictiori hujus disciplinæ jure nonnihil remittendum sit. Noverant enim æquissimi illi legum æstimatores, in hujusmodi rebus, quæ meram attingunt disciplinam nihil de legibus detrahi, ubi quod detractum videtur additur charitati. Persuasum illis erat e scopo legis aberrare eum, qui quod ad unam Ecclesiæ utilitatem constitutum est, contra ipsius Ecclesiæ utilitatem tenet ». Hinc evincitur, quod etiam in constituenda disciplina ecclesiastica, Ecclesia regitur a Spiritu sancto, ideoque unus idemque semper est disciplinæ spiritus, quanquam illa interdum pro temporum ratione mutetur ; confer Jacobum Zallinger *Inst. jur. natur. et eccl. publ.*, lib. v, § 319 et seq., edit. Aug. Vind. 1784 ; et testatur Van-Espen in *Proleg. Juris univ. eccl.*, § 2, inquiens : « Ad hæc ex ipsa pristinæ disciplinæ scientia facilis solet esse accessus ad percipiendum verum spiritum Ecclesiæ in his quæ modernam disciplinam spectant. Licet enim Ecclesia nonnunquam exteriorem suam disciplinam mutet vel relaxet, non tamen mutatur spiritus Ecclesiæ, sed hic invariabilis et immutabilis perseverat, uti sæpius in hoc opere monui, et in materiis occurrentibus sollicite annotavi. »

Quapropter Summi Pontifices conati sunt quam maxime veterem traditionem Ecclesiarum servare, ut disciplinæ spiritus diligentissime custodiatur. Siricius [2] Episcopos in retinendis iisdem legibus stare fortes, stare inconcussos jubet his verbis : « Prædico, ut unam fidem habentes, unum etiam in traditione sentire debeamus ». Hæc erat Siricii severitas, hæc religio : ut fidei sic et disciplinæ a decessoribus suis acceptæ tenax, utramque eadem diligentia coli, eadem animi firmitate retineri voluerit. Scribit et ad Gallos [3] : « Si ergo una fides est, manere debet et una traditio. Si una traditio est,

[1] Lib. *de Virgin. velan.* — [2] Epist. 6, num. 2. — [3] Epist. 10, num. 9.

una debet per omnes Ecclesias disciplina custodiri ». Qua de re ait Sum. Pont. Pius VI in const. *Quod aliquantum*, 10 martii 1791 [1] : « Ab indictione anathematis contra adversantes pluribus capitibus disciplinæ, plane assequimur illam ab Ecclesia habitam fuisse tanquam dogmati connexam, nec debere quandocumque, nec a quocumque variari ; sed a sola ecclesiastica potestate, cui constet, vel perperam factum fuisse quod hactenus servatum est, vel urgere consequendi majoris boni necessitatem ». In varianda ecclesiastica disciplina caute semper Ecclesiam egisse docet Innocentius in epist. 17, num. 9, *ad Episcop. Macedon.* [2]. Nam in ambiguo erat, utrum ordinatis ab hæretico honor ordinationis nunquam non servandus sit, an semper negandus. Ambiguum hoc solvit ac superat Innocentius, dum ita eis negandum respondet, ut cum necessitas postulat, vel grave scandalum metuitur, eis servandum censeat. Et hac ratione Gregorius Magnus Sum. Pont. inveteratas consuetudines, quas in administranda Ecclesia sequebantur, Africanis integras reliquit, ut testatur Petrus de Marca [3], qui pergit quod « concilium Numidiæ a Pelagio, Gregorii decessore, petierat, ut vetusti mores qui per Numidiam ab ipsius B. Petri temporibus invaluerant, inviolati servarentur. Gregorius post obitum Pelagii rescripsit, se omnia antiqua capitula illis permittere, quæ fidei contraria non essent. Prudens sane responsum, qua pax Ecclesiarum continetur, et contentionibus, quæ de disciplina sæpissime emergunt, via penitus occluditur ». Hinc merito sanctus Leo Magnus, scribens Episcopis per Campaniam, Picenum, Thusciam et universas provincias constitutis de aliquibus disciplinæ articulis suam clausit epistolam [4] : « Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ ».

Ut enim legum quarumcumque doctrinam non scientiam, sed prudentiam juris vocamus, facile intelligitur, certas quidem prudentiæ canonum constitui sedes debuisse firmissimas, et nusquam concutienda fundamenta ; non perpetuo tamen, et ubique principiis positis eadem colligi consectaria posse ; sed in his probandis, et temporum, et locorum, et causarum similiumque id genus adjunctorum habendam merito rationem, unde suæ singulis nationibus consuetudines, sua singulis cathedralibus, minoribus etiam ecclesiis statuta, sui singulis monasteriis et religiosis domibus mores institutionesque serventur. Dixi habendam etiam temporum rationem, ut una indicarem, consignandos esse præterea multiplices ætatum casus, quibus Ecclesia aut defendi tristibus debuit, aut secundis ornari ; idcirco minime confundendas leges illas, quæ primis, quæ mediis, vel postremis seculis editæ proponantur, cum prudens gerendæ christianæ reipublicæ ratio ita temperanda omnia postulaverit, ut quæ velut aptissima primis Ecclesiæ seculis invehi potuerunt aut debuerant, velut inopportuna postremis abrogarentur, aut in aliam formam immutarentur. Igitur si sperari hominum unitas, atque animorum consensio potest, ea vel maxime fiducia habebitur in doctrina juris ecclesiastici, quæ ubique certa semper habuit, habetque principia, ad quæ si respiciant studiosi, facile invicem sine dissensione convenient. Neque vero cum unitatem dico, de ea unitate loquor, qua eadem disciplina in singulis rebus ad unam ubicumque servetur. Hæc esset unitas scientiæ, cujus natura est perpetua et constans ; non unitas prudentiæ, qualis est sapientia juris, quæ debet esse personis, temporibus, locis et adjunctis universis congrua. Loquor de unitate principiorum veluti fundamentalium, quibus singula etiam diversi generis innituntur ; non enim repugnat, ex iisdem principiis salva unitate deducere varia juxta modos, quibus principia ipsa rebus oporteat accommodari ; eadem fere ratione, qua pater-

[1] *Collect. génér. des Brefs*, etc. Paris, 1798, tom. I, pag. 154. — [2] Apud Coustant. — [3] *De Concord. Sacerd. et Imp.*, lib. 3, cap. 9, num. 2. — [4] Epist. 3, tom. 2 oper., edit. 1767.

familias accuratus et prudens aliter familiæ consulit æstate, aliter hieme, aliter conjugi, aliter liberis, aliter servis, considerata etiam æquabiliter inter istos ætate, indole, et qualitatibus universis, sine nota inconstantiæ et regiminis fluctuantis.

Quamobrem quando temporum variatio aliquam disciplinæ immutationem poscebat, Summi Pontifices id non nisi urgente necessitate, vel evidenti utilitate moti, faciebant. Et gravem affert S. Thomas rationem [1], hisce verbis : « Habet ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad observantiam legum plurimum valet consuetudo, in tantum quod ea, quæ contra consuetudinem communem fiunt, etiamsi leviora, de se graviora videntur. Unde quando mutatur lex, diminuitur, vis constrictiva legis in quantum tollitur consuetudo : et ideo nunquam debet mutari lex humana, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur... Unde dicitur a jurisperito, quod in rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut recte recedatur ab eo jure quod diu æquum visum est. » Idem magis diffuse Incmarus [2] exponit. Idcirco Gelasius ita scribebat Episcopis Lucaniæ, Samnii et Siciliæ, cap. 1 : « Necessaria rerum dispensatione constringimur, et Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum, decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri temperemus ; quo nec in totum formam veterem videamur excedere regularum, et reparandæ militiæ clericalis officiis consulamus. » Et inde cap. 2 ait : « Priscis igitur pro sui reverentia manentibus constitutis, quæ, ubi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri, eatenus Ecclesiis, quæ vel cunctis sunt privatæ ministris, vel sufficientibus usque ad eo despoliatæ servitiis, ut plebibus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant, tam instituendi, quam promovendi clericalis obsequii sic spatia dispensanda concedimus, ut si quis, etc. »

Itaque quoties disciplinæ variatio evenit in rebus quæ mutari possunt, justis de causis, et ab eo qui legitimam habet potestatem, recta debet reputari ; quid autem dicemus de nonnullis, præsertim Fleury, Racine et Febronio, qui dies veteris Ecclesiæ flere amare non desinunt. Hi hodiernam tot gravibusque rationibus constitutam disciplinam accusant. Ab his peto, ut si quæ in hodierna ecclesiastica disciplina animadverterint, ab antiquis sanctissime et sapientissime instituta ac frequentata in desuetudinem abiisse, aureæ illius sententiæ meminerint, quam Hugo a S. Victore [3] nobis tradidit hisce verbis : « Etiamsi aliis temporibus aliquando non ita fuisse, et nunc aliter esse quam fuit, demonstretur, non tamen cogitare debemus, quasi levitate aliqua factum sit, ut nunc aliter teneatur, et aliter institutum sit quam fuit ; sed quod tunc oportebat, et ita salubre fuit, ut sic teneretur et sic juberetur ; nunc autem alia esse tempora, et aliud esse congruum sive necessarium saluti humanæ ». Patres enim ea jussere quæ illis temporibus accommodata fidelium bono inserviebant : si quædam mox ad nonnulla præcavenda mala Ecclesia censuit immutanda, non idcirco ab antiquorum canonum mente decessit. Illud enim satis est, inquit S. Augustinus, epist. 54, n. 6, « si quid horum tota per orbem frequentet Ecclesia ; nam et hinc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ audaciæ est ». Hic juvat novam disciplinam recensere, quæ ad quinque capita reduci potest. Ad primum pertinent erectiones, divisiones et uniones episcopatuum et archiepiscopatuum. Ad secundum electiones, confirmationes et consecrationes Metropolitanorum et Episcoporum, necnon translationes, renuntiationes coadjutoriæ, etc. Ad tertium coarctatio eorum auctoritatis, aut ob reservationes, veluti in quibusdam casibus, indulgentiarum nempe, quæ plenariam excedunt, canonizationum sanctorum ; aut ob

[1] Lib. 3, q. 97, art. 2. — [2] In cap. 8 *de Consang. et affinit.* — [3] Lib. 2 *de Sacram. Fidei*, part. 2, cap. 12.

exemptiones et privilegia, veluti illa a Sede Apostolica concessa regularibus. Ad quartum eorum causæ, eorumque depositiones. Ad quintum bona ecclesiarum, de quibus præcipue collationes, beneficia, annatæ, pensiones, etc., locum habent. Ex quibus perspicuum est hodiernam disciplinam legitimam esse, et constare tantum in his quæ haud sunt immutabilia, et quæ possunt variari ; quum omnia ad usum ac exercitium Episcoporum facultatum referuntur.

Hac de causa quum S. Congregatio Concilii non modo ad explicandam Tridentinam Synodum instituta fuerit, sed etiam ut Ecclesiæ disciplinam per universum orbem integre sancteque tueretur ; hinc quoties concurrit evidens utilitas, gravisque necessitas, omni pollet auctoritate eadem S. Congr. disciplinam Ecclesiæ variandi, quæ auctoritatem exercet, dum suas juxta varias circumstantias, locorum ac temporum profert declarationes, editque decreta. Mirum itaque non est, si diversis temporibus, atque circumstantiis locorum, personarum, declarationes S. Congr. Concilii varientur, et contrarium etiam decernatur. Id evenit etiam primis Ecclesiæ temporibus, quod uno tempore aliqua præcipi queant, quæ alio tempore, mutatis circumstantiis, prohibeantur. Ut enim suspicio hæresis tunc vigentis tolleretur, præcipiunt patres Ancyrani, ut olera cum carnibus cocta comedantur ab iis qui volunt a carnibus abstinere : cessante autem periculo, et suspicione hæresis illius, non tantum esum carnium, sed et leguminum cum carnibus coctorum quibusdam diebus fidelibus Ecclesia interdixit : quod nullatenus huic sanctioni adversatur ; quæ auctoritatem non ademit Ecclesiæ, uno tempore statuta, mutatis circumstantiis, alio tempore abrogandi, et si fidelibus convenire judicaverint, etiam contrarium statuendi.

Itaque perspicuum est, cum asseritur, disciplinæ rationem mutari posse, non intelligitur morum doctrinam, quæ statuitur in Evangelio, et præceptis Dei et Jesu Christi continetur, æternæ animarum saluti necessaria, cujusmodi est amor Dei, amor proximi, et his similia ; sed eam tantummodo intelligi disciplinæ rationem, quæ externa est, quæ versatur vel in iis rebus, quæ saltem non necessariæ sunt, aut etiam possunt absolute omitti, vel in iis, quæ Sacramentorum administrationem respiciunt, semper tamen servata materia et forma, vel demum in iis quæ ad ecclesiasticam jurisdictionem aut cæremonias pertinent. Ecclesia neque in decisione rerum moralium, neque in articulis doctrinæ speculativæ errare potest, ut supra monuimus ; cum utraque res, æque hominum saluti necessaria, æque etiam a revelatione et traditione dimanet ; adeo ut Ecclesia veræ ecclesiæ indolem et naturam amitteret, statim ac aut falsa dogmata traderet, aut perversos mores suaderet. At vero in iis quæ in externa disciplinæ ratione sita esse diximus, Ecclesiæ definitiones non sunt semper eædem ; possunt enim hæ mutari, et corrigi pro mutatione temporum, et personarum ratione, a quibus omnes de disciplina quæstiones, prudentia ita exigente, pendere maxime debent. Ubi igitur S. Congregationis Concilii varias in hujusmodi controversiis declarationes fuisse, ipsamque Ecclesiæ universæ consuetudinem aliquando a se ipsa diversam, quam declarationes Sac. Congr. sequuntur, esse deprehendimus, non continue dicendum est Congregationem idcirco Ecclesiamque in errorem incidisse ; quod etiam multo certius est in iis, quæ sunt externi ritus et cæremoniæ ; in his enim parum refert quem potissimum usum sequaris, dummodo ad eam Ecclesiam te accommodes, in qua vivis, ne diversa agendo aliis errandi occasionem suppedites, ut admonet S. Augustinus. Qua de causa S. Congregatio Concilii id juris merito habet, ut, quæ sibi aptiora, laudabiliora videntur, decidat, consuetudinem inducat ac stabiliat ; et licet ex declarationibus appareant, ipsæ disciplinæ mutationes, quarum in Conciliis vestigia extant, spiritus tamen semper unitatis disciplinæ servare curavit.

Denique vix credo futurum quempiam adeo rudem et imperitum, qui, quum semel variationes decretorum audierit, quasi ingrata quadam insolentia et novitate nominis offendatur. Nam si is erit uspiam, audiat Innocentii III oraculum [1] : « Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit ; quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo ». Quæ quidem Pontifex Max. didicerat ex SS. Parentis Augustini libris, præsertim vero in epist. *ad Marcell.*, ubi ea sententia est : « Doctrina constans, mutato præcepto, non mutata mutavit instructionem. Neque verum est quod dicitur : Semel recte factum non esse mutandum ; mutati quippe temporis causa, quod recte ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque postulat, ut cum ipsi (adversarii) dicant, recte non fieri, si mutetur, contra veritas clamet, recte non fieri, nisi mutetur ; quia utrumque tunc erit rectum, si erit pro temporum varietate diversum ». Item Bonifacius VIII ait [2] : « Alma Mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, et consulte, quæ, suadente subjectorum utilitate, postmodum consultius ac rationabilius revocat, in meliusque commutat ». Et invidis, qui conqueruntur, quod per hæc tanta decreta immutata plane sit vetus Ecclesiæ forma, Petrus de Marca, archiepiscopus Parisiensis, lib. III *Concordiæ Sacerdotii et Imperii*, cap. 6, respondit : « Si quis res accurate expendat, non adeo laborabit de discrimine antiqui juris et recentioris ; quod rerum et negotiorum varietas AB INVITIS PONTIFICIBUS, pro utilitate reipublicæ christianæ extorsit. Itaque eo statu res Ecclesiæ nunc positæ sunt, ut si quis de absoluta et integra restitutione juris antiqui, et novi abolitione contendat, proinde agat ac si imperiorum inveteratorum administrationem ad eam formam revocare velit, quæ in ipsis regnorum initiis obtinebat ».

[1] In VI Decret., tit. 14, cap. 8. — [2] In cap. 24 *Alma mater*, *de Sentent. excommunic.*, in 6.

FINIS SUPPLEMENTI INTRODUCTIONIS PRIMI VOLUMINIS.

COLLECTIO DECLARATIONUM

SACRÆ CONGREGATIONIS CARDINALIUM

SACRI CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM

QUÆ CONSENTANEE AD TRIDENTINORUM PATRUM DECRETA, ALIASQUE CANONICI JURIS SANCTIONES, SÆCULO XVIII, IN CAUSIS PROPOSITIS, PRODIERUNT.

PARS TERTIA

DE CONCLUSIONIBUS

Abbas.

§ I.

Abbas quoad benedictionem.

Abbates regulares perpetuo infra annum post eorum electionem debent solemnem benedictionem suscipere ab Episcopo diœcesano : *Brixien.*, 18 *novemb.* 1753, § 11.

Benedictus XIII const. *Commissi Nobis* 6 maii 1725, hanc abbatibus omnibus injunxit obligationem : *Hispalen.*, *Ordin.*, 18 *sept.* 1773, § 8.

Sed excipiuntur abbates habentes privilegium a summis Pontificibus accipiendi a superioribus regularibus benedictionem; vel qui per speciale apostolicum indultum electi pro benedictis habentur : *Ibid.*, § 9, *et cit. Brixien.*

At non possunt abbates a quocumque catholico Antistite benedictionem licite suscipere, sed illam petere debent ab Episcopis in quorum diœcesibus monasteria consistunt : *Colonien.*, *seu Leodien.*, *Jur. bened.*, 14 *junii* 1738, § 4.

Et a lege qua tenentur abbates infra annum benedictionem ab Episcopo reportare, ii excipiuntur, qui privilegium habent Apostolicum ea gerendi quæ ab abbatibus benedictis geruntur : *Frisin.*, 3 *april.* 1745, § 1.

Et abbas, qui ex Apostolico privilegio facultatem habet pontificalia exercendi, idem est ac si episcopalem accepisset benedictionem : *Ibid.*

Abbates regulares duplici qualitate pollere debent, ut scilicet in ordine sacerdotali sint constituti; et ut a catholico Antistite benedicti fuerint, nisi Episcopus tertio requisitus eos benedicere renuerit : *Cit. Hispalen.*, § 14.

Imo, si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione requisitus abbates benedicere abnuerit, eisdem abbatibus liceret proprios monachos benedicere et alia exercere ad hujusmodi officium pertinentia : *Ibid.*, § 5.

Benedictio non est simpliciter necessaria ad acquirendam potestatem ordinis : *Ibid.*

Insuper benedictio non imprimit caracterem, neque a Christo Domino instituta, ita ut ad talem potestatem acquirendam necessaria simpliciter reputanda sit : *Ibid.*

Abbates semel benedictos non esse denuo benedicendos : *Colonien.*, *Funct. pont. et Bened. abbat.*, 13 *junii* 1711, § 4.

Sed id locum sibi vindicat, quando agitur de benedictione, de cujus iteratione non videtur esse dubitandum : quum benedictio abbatis nec conferat, nec imprimat characterem, sed est tantum quædam orationum solemnitas : *Ibid.*

Si Episcopus tertium cum humilitate et devotione requisitus et substitutos abbates Cistercienses benedicere renuerit, licet eisdem abbatibus proprios monachos benedicere et alia quæ ad officium hujusmodi pertinent exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiem recogitent et abbates benedicere non recusent : *Adnot. secr.*, 12 *februar.* 1724, §§ 3 et 6.

Innocentius VIII abbati generali Cisterciensi concessit ut ille abbates et abbatissas sui Ordinis benedicere possit : *Ibid.*, § 13.

Clemens VIII privilegium hoc confirmavit, et extendit ad vicarios abbates, qui ab abbate generali subdelegarentur pro reliquorum abbatum et abbatissarum Ordinis benedictione : *Ibid.*, § 14.

§ II.

Abbas quoad collationem ordinum.

Ex antiqui juris præscripto licitum erat non solum regularibus, sed aliis etiam secularibus abbatibus primam tonsuram et minores ordines conferre : *Hispalen.*, *Ordin.*, 18 *sept.* 1773, § 12.

Hinc abbatibus benedictis potestas ordines minores conferendi de jure communi competit : *Brixien.*, 28 *novem.* 1733, § 13.

Item de abbatibus qui per privilegium Apostolicum habentur pro benedictis non est hæsitandum de validitate ordinum ab ipsis collatorum : *Hispalen. cit.*, § 8.

Et hæc abbatibus non benedictis competere potest ex Apostolico privilegio : *Ibid.*

Hæc autem illimitata facultas coercita fuit a sacro Concilio Tridentino sess. 23, cap. 10, *de Reform.* : *Ibid., et Hispalen. cit.* §.

Ex dicti concilii decreto abbates utcumque exempti prohibentur tonsuram vel minores ordines conferre cuiquam, qui regularis subditus ei non sit; itidemque litteras dimissorias clericis secularibus concedere, ut ab aliis ordinentur, abrogando quæcumque privilegia, præscriptiones, aut consuetudines etiam immemorabiles : *Cit. Brixien.*, § 8.

Ob id plane sequitur abbates non posse ordines conferre, vel aliis regularibus sibi non subjectis, vel secularibus : *Ibid.*, § 13.

Et quoad abbates regulares habentes subditos, vetita ipsis est ordinatio secularium; solumque concessum, ut regulares ordinare valeant : *Cit. Hispalen.*, § 13.

Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non licet intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis vel exempti dicantur, cuiquam qui regularis subditus sibi non sit tonsuram vel minores ordines conferre : *Lucana*, 14 *april.*, § 4; etiam, *Adnot. secr.*, 12 *febr.* 1724, § 4.

Distinctio inolevit inter abbatem regularem, et abbatem sæcularem : ut abbas videlicet regularis, si sit presbyter et solemniter benedictus conferre valeat suis subditis regularibus primam tonsuram et ordines minores : *Ibid.*, § 5.

Si vero episcopus ter cum humilitate requisitus noluerit benedictionem impertire, vel nisi forte abbates habeant a Sede apostolica privilegium ut, etiamsi non sint benedicti, facere possint ea quæ fiunt ab abbatibus benedictis; in utroque enim casu abbas regularis etiam non benedictus conferre potest suis subditis regularibus primam tonsuram et minores ordines : *Ibid.*

Quando abbas habet privilegium concessum post Concilium Trid. valide confert et licite tonsuram, et minores ordines personis secularibus in privilegio designatis; et quatenus conferat personis secularibus in privilegio non designatis, ordinatio est valida, sed illicita, et ordinati remanent suspensi : *Adnotat. secret.*, 1 *sept.* 1725, §§ 8 et 17.

Item est illicita ordinatio regularium qui ei non subsunt, vel secularium, facta ab abbate potestatem habente, quamvis limitatam in usu ad certum genus personarum, quia exercitii jure carens; non vero est invalida : *Cit. Brixien.*, § 18.

Quod autem regulares non subditi, vel seculares, quibus abbas ordines minores contulerit, litteras habuerint dimissorias, vel a suis superioribus regularibus, vel a suis ordinariis, nihil refert ad licitam ordinationem : *Ibid.*, § 15.

Ordinum minorum collatio facta ab abbate secularibus habentibus litteras dimissorias suorum ordinariorum non ob aliam causam censenda videtur illicita, nisi quia facta fuerit sine assensu Episcopi ejus loci, in quo pontificalium exercitium exhibitum fuerit : *Ibid.*, § 16.

Possunt abbates primam tonsuram et minores ordines subditis conferre, dummodo sint sacerdotali caractere insigniti, et benedictionem acceperint : *cit. Hispalen.*, § 6.

Si agatur de abbate seculari, cui privilegium conferendi ordines ante Concilium tributum esset, irrita prorsus habenda est ordinatio, utpote quia hujusmodi privilegium per Concilium fuit revocatum : *Ibid.*

Quoad potestatem conferendi tonsuram et minores ordines regularibus abbati subjectis, requiri solet, vel quod abbati benedictionem solemni ritu

fuerit impertitus Episcopus : *cit Brixien.*, § 9.

Vel quod a Sede Apostolica obtinuerit privilegium, quo tribuatur facultas faciendi quæcumque agere possunt abbates benedicti : *Ibid.*

Nonnulli sunt in jure canonico textus circa collationem tonsuræ et minorum ordinum quæ fit ab abbatibus regularibus, qui benedictionem Apostolicam, aut episcopalem non receperunt, suis subditis regularibus : *Adnot. secret.*, 12 *febr.* 1724, § 1.

Abbas presbyter et benedictus primam tonsuram suis monachis conferre potest : *Ibid.*, § 2.

Abbates regulares, qui usum habent pontificalium, facultatem quoque habent minores ordines conferendi : *Frisingen.*, 3 *april.* 1745, § 1.

Abbatibus licitum non est aliis quam monasteriorum suorum conversis et qui ad illa convolaverint, et in quos ecclesiasticam et quasi episcopalem jurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonsuram, nisi eis id competat ex pleno Sedis Apostolicæ indulto : *Adnot. secret.*, 12 *febr.* 1724, § 4.

Verum abbates, qui jure gaudent conferendi ordines certo generi personarum, valide, sed tamen illicite minores ordines conferunt sibi non subditis ; quia certam ad id potestatem habent, quamvis abutantur : *Hispalen.*, *Ordin.*, 18 *sept.* 1773, § 6.

Et abbates Ordinis S. Basilii privilegio potiuntur minores ordines suis subditis conferendi : *Ibid.*, § 7.

Atque inter privilegia competentia abbatibus Ordinis Cassinensis connumerari potestatem illis impertitam conferendi subditis primam tonsuram, et minores ordines : *Ibid.*

Et facultas prædicta pendet a privilegio, aut nativo, aut concesso, non vero a benedictione, quæ fortasse nil aliud imponit, quam solam institutionem ad Præfecturam monasterii : *Ibid.*

Vel nisi speciali privilegio muniti fuerint, cujus vigore statim ac electi extiterint, valeant ea omnia gerere, quæ ab abbatibus benedictis exerceri possunt : *Ibid.*

Et hujusmodi privilegiis nullimode revocatum est const. Benedicti XIII incipient. *Commissi Nobis* : *Ibid.*

Sed imo expresse in ea præservata fuerunt privilegia abbatibus non benedictis competentia : *Ibid.*

Atque gravis oritur controversia, an illicita tantum, seu etiam invalida sit collatio minorum ordinum facta ab abbatibus regularibus de personis secularibus, aut a præsulibus secularibus de aliis personis, præter eas, quæ comprehenduntur in eorum privilegiis post Concilium concessis : *Ibid.*, § 15.

Si abbas privilegio fruitur illicite, attamen valide ordines confert ; si nullo privilegio fruitur, nec licite, nec valide : *Ibib.*

Et ratio est, quia habentes potestatem conferendi ordines certo personarum generi, nunquam potestate ordinandi destituuntur, quamvis coercita sit jurisdictio : *Ibid.*

Ac ex privilegiis concessis Ordini Cassinensi, Ordini S. Basilii, aliisque, licet nulla sit mentio de abbatibus ; tamen possunt abbates non benedicti ordinare, aliaque exercere, quæ possunt abbates benedicti : *Ibid.*, § 20.

Abbates Cistercienses primam suis monachis tonsuram, et minores ordines conferre valent : *Congreg. Cisterc.*, 28 *novemb.* 1789, § 3.

Hanc vero non habent ex ordine, et charactere, qui indelebilis est, sed ex privilegio limitato ad subditos : *Ibid.*

Et privilegium concessum abbatibus Cisterciensibus ab Innocentio VIII conferendi suis monachis subdiaconatum et diaconatum dicitur a nonnullis, quod fuerit revocatum a Concilio Tridentino : *Adnot. secr.*, 15 *novemb.* 1725, § 11.

Facultas a Pio IV Pont. Max. abbati S. Barbaræ Mantuæ concessa primam tonsuram, et minores ordines conferendi fuit concilio Tridentino posterior, et sic non fuit ab eo revocata ; quum idem antecedentia non subsequentia privilegia sustulerit : *Disc. secret.*, 23 *aug.* 1727, § 8.

Prima tonsura collata per abbatem regularem non subdito, secundum aliquos est valida ob sacramentalem potestatem quam ille accipit ex benedictione Episcopi : *Collen.*, *Ton.*, 24 *jan.* 1795, § 2.

Ex veriori sententia est nulla : *Ibid.*

Potestas enim ordinandi adnexa est soli consecrationi, seu ordini episcopali. *Ibid.*

Ita ut valide Episcopus conferat ordines non subditis : *Ibid.*

Non item abbas, qui non accipit ex simplici benedictione characterem, et potestatem habet ordinandi ex privilegio : *Ibid.*, § 3.

Ideoque tantum potest, quantum concessum est : *Ibid.*

Quamvis ei autem concessa olim fuisset potestas ordinandi non subditos cum dimissoriis eorum Episcopi : *Ibid.*

Eam tamen restrinxit S. Concil. Trid. ad subditos regulares : *Ibid.*

Et modo confert non subditis minores ordines absque privilegio, seu absque potestate, et per consequens nulliter : *Ibid. et* § *seq.*

Et S. Rota definivit non posse abbates conferre tonsuram, et minores ordines personis secularibus habentibus dimissorias a suis ordinariis : *Ibid.*, § 5.

Non solum licite, sed nec etiam valide : *Ibid.*

ABBAS COMMENDATARIUS, REGULARIS, Vide *Abbas.*

§ III.

Abbas quoad dignitatem, officium, potestatem et jurisdictionem.

De jurisdictione abbatis generalis ambigi nequit. *Namurcen.*, 19 *decem.* 1744, § 2.

Abbas prælaturæ jus per simplicem electionem acquirit : *Ordin. Cister.* 23 *nov.* 1789, § 5.

Licet contra acquirat electus jus prælaturæ, ejus tamen exercitium, et administrationem obtinet a confirmatione : *Ibid.*

Abbates, aliive prælati Episcopo inferiores pontificalibus insignibus uti non debent extra ecclesias sibi objectas : *Cremonen.*, *Synodi.*, 8 *aug.* 1753, § 9.

Non obstante contraria consuetudine et privilegio : *Ibid.*

Ecclesiasticam supellectilem pro servitio duntaxat suarum ecclesiarum vel monasteriorum abbas benedicere potest : *Brixien.*, 28 *novem.* 1733, § 18.

Reliqua pontificalia extra locum ipsis abbatibus subjectum, vel pro servitio alienæ ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valent. *Ibid.*

Ad abbatem Fuldensem spectat spiritualis et ecclesiastica jurisdictio cis amnem Fuldæ, et unicum istius juris fundamentum consistit in quadragenaria cum titulo colorato : *Herbipolen.*, 28, *aug.* 1723, § 3.

Abbas tribunal erigere nequit in locis, et domibus Episcopo subjectis, sicuti peragere id nequiret Episcopus in locis exemptis : *Aquilana, Jurisd.*, 10 *maii* 1760, § 3.

Abbatibus congregationis Cassinensium facultas concessa fuit ea omnia peragendi, quæ fiunt ab abbatibus benedictis, etiamsi benedictionis munus non acceperint : *Hispalen.*, *Ord.*, 12 *martii* 1774, § 3.

Abbas ven. monasterii B. M. de Naxera Ordinis S. Benedicti jurisdictionem habet ordinariam, et jus visitandi ecclesiam parochialem S. Crucis, et ecclesiam S. Michaëlis, eorumque clericos, ac capellanos privative quoad Episcopum, et cumulative cum eodem in reliquis : *Calagurit.*, *Visit*, 9 *sept.* 1702.

Quum ex bullis unionum deprehendatur unio parochialium monasterio factam esse plenariam subjectivam, et uti dicitur, ad mensam, vicarios curatos removendi facultas ad abbatem pertinere videtur ad terminos bullæ 47 S Pii V : *Ratisbonen.*, *Vicar.*, 2 *aug.* 1721, § 6.

Nec huic bullæ derogatum fuit in posteriori constitutione 9 Gregorii XIII, quæ eam reduxit ad terminos juris communis, et Concilii Tridentini, dummodo cum fratre, seu religioso vicario ad nutum amovibili, et deputato ad regimen parochiæ extra claustra, alius regularis socius superaddatur : *Ibid.*

Inspecto jure instituendi, et destituendi, quod sicuti adimit ordinario institutionem auctorizabilem, ita plenam tribuit facultatem abbati committendi curam cui maluerit : *Colonien.*, 10 *maii* 1760, § 5.

In iis quæ jura tangunt ecclesiæ, cujus curam habet habitualem commendatarius, nequit Episcopus aliquid contra statuere ; etiamsi ipsius commendatarii vicarii intervenerit consensus, ipso tamen non audito commendatario : *Neapol.*, *Decret.*, *febr.* 1744, § 10.

Ideoque non satis est vicarii consensus, sed alter commendatarii intercedere debet, qui curam habet habitualem, quique Ecclesiæ defensor est : *Ibid.*

Abbati denegari non potest facultas amovendi religiosum curæ animarum præpositum, quando satis vindicata remanet a S. C. Concilii, et a S. Rota : *August.*, *Paroch.*, 10 *maii* 1760, § 9.

Abbati licet ad quemcumque catholicum Antistitem dimittere monachos sibi subjectos pro ordinibus suscipiendis. *Brixien.*, 28 *novemb.* 1733, § 5.

Sac. Concil. Trid. sess. 23, cap. 10, statuit *non posse abbates subditis secularibus dimissorias concedere etiamsi abbates nulius diœcesis, vel exempti esse dicantur ;* et hoc locum etiam habet etiamsi abbates habeant territorium separatum cum plena jurisdictione quasi episcopali in clerum, et populum, quum verba illa *nullius diœcesis* verificentur in abbatibus territorium separatum habentibus : *Nullius seu Brixien.*, *Ind.*, 28 *martii* 1722, § 4.

Abbas non potest dimissorias pro majoribus ordinibus suis canonicis, beneficiatis, et clericis concedere, nisi speciale haberet atque distinctum pro concessione privilegium : *Adnot.*, 23 *august.* 1727, § 11.

Si abbas est simplex sacerdos non potest sacramentum Confirmationis, seu chrisma administrare ; si caracterem habet episcopalem, et non subditis illud conferre vellet, non licet : *Adnot. secret.*, 1 *sept.* 1725, § 21.

Liberum est abbati veluti superiori ordinario alicujus monasterii absque ullo penitus interventu, sine consensu protectorum œconomicæ ejusdem monasterii administrationi incumbere, suumque pro

singulorum ejus contractuum stipulatione consensum interponere : *Mediolanen.*, 12 *maii* 1736, § 2.

§ IV.

Abbas quoad onera.

Abbas regularis Præmonstratensis omnem parochiæ unitæ monasterio curam habitualem, et actualem per ipsum retinere, et coadjutoris partes explere aut vicarium in eadem deputare debet : *Colonien.*, 10 *maii* 1760, § 4.

Abbas ecclesiarum unitarum, quum esset parochus, utique illi onus injunctum est prædicandi verbum Dei, et accedente legitimo impedimento per alios agere tenetur, et ad illius nominationem in scriptis abbas procedere debet, atque concionator electus se Episcopo præsentare debet, qui illi episcopalem benedictionem impertiatur : *Spolet.*, *Concion.*, 13 *april.* 1737, § 8.

§ V.

Abbas quoad qualitatem nullius seu territorium separatum.

Abbas, qui territorium habet omnino separatum, tanquam abbas vere nullius connumerandus est inter prælatos tertiæ speciei, qui in suo territorio sunt veri Ordinarii : *Aquil.*, *Jurisd.*, 21 *junii* 1760, § 1.

Et ad ipsum propterea, tanquam ad verum Ordinarium, spectat publicatio Indulgentiarum, licet vetita sit prælatis primæ et secundæ speciei : *Ibid.*

Ex territorio separato validum præbet argumentum tum valida jurisdictio : *Ibid.*, § 2.

Tum facultas approbandi confessarios, quæ prælatis inferioribus nullo modo competit sine territorio separato, quia respicit curam animarum, in qua proprie jurisdictio episcopalis consistit : *Ibid.*

Nuncupatio *nullius* optime congruit prælatis exemptis secundæ speciei, vigore privilegii, vel consuetudinis, quin inducant veram qualitatem nullius, nisi jungantur cum comprobatione territorii separati, et avulsi a quacumque diœcesi. *Ibid.*, § 5.

Et quemadmodum prælatis exemptis secundæ speciei nulla competit facultas publicandi Indulgentias, ita nihil prosit ei consuetudo, quia reprobata est per concilium uti irrationabilis : *Ibid.*

Quum abbas connumerandus esset inter prælatos secundæ speciei, reservantur Episcopo solum ea, quæ sunt Ordinis, et quæ spectant ad legem diœcesanam : *Caputaquensis*, 12 *julii* 1760, § 4.

Fortius quoties cessat in favorem Episcopi præsumptio juris, quod prius loca exempta non potuerunt esse sita in ambitu suæ diœcesis : *Ibid.*

Denotatur territorium separatum, tum quoties ab antecessoribus Bajulivis retentum fuit ab immemorabili in iisdem locis tribunal cum officialibus curiæ : *Ibid*,

Quod ecclesia conservata fuit ab extero Episcopo de licentia solius vicarii Bajulivatus ; quod minime licuisset in aliena diœcesi. *Ibid.*

Et idem vicarius erexit et contulit beneficia, ecclesias visitavit, quæ præbent argumentum territorii separati, quia minime licuisset prælatis inferioribus secundæ speciei : *Ibid.*

Imo dedit licentias discedendi, et cognovit causas matrimoniales : *Ibid.*

Observantia nedum favet abbati quoad exercitium omnimodæ jurisdictionis quasi episcopalis ; sed etiam quoad nuncupationem *nullius* : *Cit. Aquil.*, § 3.

Hinc licet abbatia, ejusque territorium sit in diœcesi, et ab illa materialiter non separetur ; attamen non deficit separatio territorii formalis, et secundum quid, quæ eosdem producit effectus : *Ibid.*

In decreto Concilii Trid. sess. 7, cap. 8 *de Refor.* quo reservata est Episcopo visitatio abbatiæ *nullius* jure delegato, prælati solum diœcesani primæ et secundæ speciei comprehenduntur, non autem prælati vere *nullius* territorium separatum habentes, quorum respectu visitatio committitur Episcopo viciniori per aliam Concilii sanctionem sess. 24, cap. 9 *de Reform.* : *Ibid.* § 4.

Territorium separatum non acquiritur vigore consuetudinis, nisi probato immemorabili exercitio actuum jurisdictionalium privative quoad Episcopum : *Caputaquen.*, 17 *januar.* 1761, § 2.

Territorium separatum non excludunt visitationes Episcopi tanquam referibiles ad facultatem a Concilio in cap. 9, sess. 24 tributam Episcopo viciniori : *Ibid.*, § 3.

Territorium separatum non excludit ordinum collatio facta ab Episcopo tanquam referibilis ad qualitatem Episcopi vicinioris : *Ibid.*

Territorium separatum non excludit vocatio presbyterorum ad synodum facta ab Episcopo, tanquam referibilis ad qualitatem Episcopi vicinioris : *Ibid.*

Territorium separatum non excludunt licentiæ audiendi confessiones datæ ab Episcopo, quæ in-

telligi possunt pro locis suæ diœcesis : *Ibidem.*

Sac. Concil. Trid. sess. 23, cap. 10 *de Reform.* statuit *non posse abbates subditis secularibus dimissorias concedere, etiamsi abbates nullius diœcesis vel exempti esse dicantur ;* et hoc locum etiam habet, etiamsi abbates habeant territorium cum plena jurisdictione quasi episcopali in clerum, et populum ; quum verba *nullius diœcesis* verificentur in abbatibus territorium separatum habentibus : *Null. seu Brictin., Ind.*, 28 *martii* 1722, § 4.

§ VI.

Abbas quoad residentiam.

Abbas, cui inest cura animarum, ad residentiam in suis ecclesiis compelli debet : *Consent., Priv. et Censur.*, 17 *novemb.* 1736, § 4.

Et uti quilibet inferior parochus, præmissis nonnullis citationibus, tametsi absque Archiepiscopi licentia, et justa causa a residentia diu abfuisset, suis Ecclesiis statim destitui nequit : *Ibid.*

Imo si ipse prævia Archiepiscopi licentia et ratione justæ infirmitatis absens fuerit, contra eum per privationem ecclesiarum, et ecclesiasticas censuras procedi nequit : *Ibid.*, § 5.

Abbatia exempta, et nullius diœceseos.

Abbatia si est vere exempta, non sunt attendendæ litteræ citatoriæ episcopales : *Salutiar., Irreg.*, 8 *junii* 1765, § 7.

Sin vero controversia pendet super exemptione abbatiali, possunt easdem impune spernere : *Ibid.*

Quum ex antiquissima fundatione abbatiæ nunquam finitimi Episcopi ullum jurisdictionis actum exercuissent, nec exerceant, et non ignobilis pars diœcesis esset, vituperanda incuria esset, illam deseruisse, nisi certo deprehendissent territorium illud ad se non pertinere : *Guastallen., Prov. Mediol.*, 19 *julii* 1766, § 4.

Ex quibus de antiqua qualitate vere nullius, et summæ speciei ambigi nequit : *Ibid.*, § 5.

Fuldensis abbatia sita est intra limites diœceseos Herbipolensis, et Episcopi pro tempore in eadem abbatia, nec non in illius clerum, et populum gesserunt plures actus ordinariæ jurisdictionis : *Herbipolen.*, 28 *aug.* 1723.

Abbatissa.

§ I.

Abbatissa in genere.

Pluries in jure canonico habetur mentio de collegiis canonicarum, seu canonissarum secularium, quæ suis bonis haud renuntiantes, regularemque professionem non emittentes, vitam ducunt divino cultui addictam sub cura et regimine abbatissarum instar canonicorum in secularibus ecclesiis : *Tullen. seu Nul. S. Petri Romanic., Visit.*, 28 *julii* 1730.

§ II.

Abbatissa quomodo eligatur, et confirmetur.

In electionibus abbatissarum per suffragia secreta procedi debet : *Tyburt.*, 26 *opril.* 1722.

Ita ut electio quæ fit sine prædicta qualitate suffragiorum secretorum nulla est : *Ibid.*

Secretæ electioni non officit, si eadem expleatur per suffragia singularum monialium oretenus expressa coram superiore : *Ibid.*

Et etiam coram duobus aut tribus aliis personis adhibitis non tanquam simplicibus testibus, sed tanquam scrutatoribus obstrictis lege secreti : *Ibid.*

Hoc vero locum sibi vindicare nequit, quando magna concurreret necessitas evitandi scilicet ut subornentur vocales, aut alia adesset consimilis circumstantia quoad ingressum, sive ad prohibitionem ingressus intra claustra monasterii : *Ibid.*

Gregorius XV Pont. Max. constitutione cavit ut in monasteriis exemptis Episcopus una cum superioribus regularibus per se, vel per alium interesse valeat, et præsidere electionibus abbatissarum, citra tamen ullam monasteriorum impensam : *Ibid.* § 2.

Regulares tenentur Episcopo significare diem electionis, et usque ad præfinitum tempus expectare, si declaraverit, se velle uti facultate interveniendi, et præsidendi per se, vel per alium : *Ibid.*, § 3.

Declaratio vero hæc ab Episcopo fieri debet in synodo ; et quatenus facta non sit in synodo, alio modo legitimo deducenda est ad notitiam regularium, et electio aliter facta est valida, sed volente Episcopo, est nulla : *Ibid.*

Episcopus in electione abbatissæ monialium exemptarum exquirere voluntates eligentium debet : *Ibid.*, § 4.

Non potest Episcopus exquirere, seu recipere suffragia monialium, sed illa sunt exquirenda et recipienda a superiore regulari, sciente tamen, et audiente eodem Episcopo : *Ibid.*, 2.

Neque potest adnotare suffragia, cum id non pertineat ad ipsum, nec ad ejus vicarium generalem, neque ad ejus cancellarium ; ita ut hæc receptio sive adnotatio reservata videatur prælato regulari : *Ibid.*, § 5.

Episcopus aut prælatus regularis non potest, in hisce electionibus suffragium dare, et electio in vim hujusmodi suffragii celebrata, vires non obtinet : *Ibid.*, § 7.

Confirmatio electionis non pertinet ad Episcopum, sed ad superiorem regularem tanquam ad prælatum immediatum : *Ibid.*, § 8.

Abbatissæ electioni assistere potest Ordinarius, et suffragia colligere, et secum ducere ministros ad hunc autem necessarios : *Leodien., Visit.*, 22 *januar.* 1763, § 6.

Et nulla est electio prædicta, si qui præfuit cum suis sociis jurisdictionem non habeat : *Ibid.*, § 9.

Abbatissæ electio pro secundo triennio prohibetur solum in Italia vigore constitutionis Gregorii XIII Pont. Max.: *Ibid.*, § 6.

Sed extra Italiam incongrua etiam videtur, et regulari disciplinæ repugnans : *Ibid.*, § 9.

ABOLITIO, Vide verbum *Legatum pium* § II ; *Missa*, § VIII ; *Onus*, *Onera* § III ; *Subsidium dotale*, § VI.

Abortus.

Inter causas abortus potissimum a physicis recensetur timor, cum mulieres timidæ, et meticulosæ procliviores sint ad abortum : *S. Marci, Irreg.*, 8 *junii* 1771, § 6.

Ut cognoscatur an fœtus sit animatus, vel non, una est philosophorum sententia : *Ibid.*

Communior tamen, et recepta opinio est, quæ statuit post 40 dies in masculis, et in fœminis post 80 animam intrare in fœtum conceptum : *Ibid.*

Quo ad abortus probationem magis chirurgi relationi credendum est, quam fallaci, insulsæ, et inverosimili obstetricis opinioni : *Benev. Irreg.*, 8 *novemb.* 1769, § 7.

Fœtus a libera muliere procreatus in dubio semper mortuus ante nativitatem præsumitur, cum hujusmodi mulierculæ, ne utero graves videantur, multa agere soleant ad procurandum abortum : *Hydrunt., Irreg.* 11 *junii* 1774, § 5.

Nec quis infanticidii reus declarari possit nisi de infantis vita certa habeatur scientia, et de violento interitu indubia resultet probatio : *Ibid.*

Infantuli in cisternam dejectio, nullum sequuti homicidii certum indicium constituit : *Ibid.*

Et signa vulgo *lividure* in illius facie inventa, ut plurimum procedunt, vel ex defatigatione parturientis, vel ex morte in utero secuta, vel ex lapsu infantis in terram dum nascitur : *Ibid.*

Contra infanticidas pœna mortis statuta est : *Ibid.*, § 6.

Juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam gravissimis pœnis afficiebantur, qui abortui causam dedissent : *S. Marci, cit.* § 4.

Et adhæserunt etiam leges civiles, quæ gravioribus suppliciis procurantes abortum damnandos decreverunt : *Ibid.*

Hoc delictum, quidquid præscripserint antiqua Romanorum jura, illud gravissimis sane pœnis puniendum esse definiunt antiqui canones : *Cit. Benev.*, § 12.

Sed canonum vigorem temperare visum est Innocentio III, qui statuit, si sequutus fuisset abortus fœtus animati, tunc delinquens irregularis evaderet, et gravibus pœnis afficeretur ; mitius vero, si fœtus non fuisset animatus : *Cit. S. Marci* § 5.

Idcirco recepta fuit in jure canonico distinctio ex approbatione Innocentii III Pont. Max. inter fœtum animatum et nondum animatum, ut scilicet primo casu delinquens, tanquam homicida puniatur, et irregularis evadat : *Cit. Benev., cit.* §.

Secundo vero casu mitius agendum sit, et ita quidem, ut nec irregularitatem clericus incurrat : *Ibid.*

Sed hanc distinctionem penitus abrogavit Sixtus V in const. *Effrenatam*, ubi gravissimas pœnas inflixit procurantibus abortum fœtus tam animati, quam inanimati, formati, vel informis, precise clericis quos irregulares omnino voluit : *Ibid.*, § 13 *et cit. Marci cit.* §.

Inde rigidiorem hanc Sixti V constitutionem in aliquibus, et præsertim circa fœtum non animatum moderavit Gregorius XIV in const. *Sedes Apostolica : Ibid.*, § 14.

Nec non pœnas contra procurantes abortum ad terminos juris, et sacrorum canonum, ac Concilii Tridentini dispositionem reduxit : *Cit. S. Marci, cit.* §.

ABSENTIA A CHORO, Vide *Beneficiati*, § X ; *Canonici* § XV ; *Capellanus* § IX ; *Dignitates ecclesiasticæ* § III ; *Mansionaria* § III.

Absentia a choro causa studiorum.

Sacri canones vindicant in favorem doctorum sacræ theologiæ docentium, ac facile studentium per annos quinque de licentia Sedis Apostolicæ fructus præbendarum, ac beneficiorum, non obstante aliqua

consuetudine, vel statuto : *Eugub.*, *Punct.*, 15 *martii* 1783, § 13.

Concilium Tridentinum sess. 5, cap. 1 *de Reform.* præservavit dicta privilegia, et extendit ad doctores publice in scholis, et audientes sacram Sripturam : *Ibid.*

Sed etsi absentes causa studiorum, sive studuerint, sive docuerint pro præsentibus haberi debeant, et integros fructus lucrentur, distributiones tamen quotidianas amittunt : *Ibid.*, § 13.

Hac de causa privilegiati causa studiorum, cum tantum ficte dicantur præsentes, non participant de quotidianis distributionibus, pro quibus percipiendis non ficta sed vera præsentia requiritur : *Ibid.*

Jure ipso communi cautum est, absentiam studiorum causa, ut legitimam excusationem beneficiariis præbeat, si non summi Pontificis, Episcopi saltem licentia cohonestari debere : *Melevit.*, *Indult.*, 29 *sept.* 1743, § 4.

Num vero necesse sit, ut beneficiarius operam det litterarum studiis in aliqua publica universitate, sive academia, quæ summi Pontificis, vel supremi alterius principis auctoritate erecta sit, videtur esse communis adfirmantium sententia : *Ibid.*

Sed non facile subscribendum ei censet Card. Petra, neque sine rationis momento dici posse, quod suffragetur quoque studium in quocumque publico, et celebri gymnasio : *Ibid.*

Indulto studiorum non fruuntur canonici, dum accepta licentia ad villas et castra se transferunt, in quibus nullum est, vel minus competens studiorum exercitium : *Ibid.*

Absentia causa studiorum suffragatur canonicis, aliisve beneficiatis ad eum finem, ut integre percipiant fructus suarum præbendarum : *Ostunen.*, *Admiss. ad particip.*, 13 *maii* 1743, § 8.

Nullibi vero cautum est hanc eamdem absentiæ causam prodesse, vel clericis aliis non beneficiatis, vel diversum ob finem nanciscendi jura, et locum participantis presbyteri : *Ibid.*

Nihil juvat ficta præsentia, qualis studiorum, aliave legitima præ se fert absentiæ causa, quando verum, ac personale clerici ministerium requiritur : *Ibid.*, § 9.

Absentia causa studii suffragari debet clericis Ecclesiæ receptitiæ pro servitio præstando ante participationem : *Null.*, *Canisii*, *Particip.*, 25 *junii* 1763, § 4.

Secus si adsit contrarium statutum : *Nul.*, *Canisii*, 13 *decemb.* 1763, § 5.

Et absentes causa studii reputantur tanquam præsentes etiam in cathedralibus, et collegiatis : *Cit. Null. Canisii*, *Partic.*, § 5.

ABSENTIA A CHORO QUOAD DISPENSATIONEM, Vide *Dispensatio* § III.

Absolutio.

§ I.

Absolutio seu condonatio ab omissa celebratione, aut applicatione Missarum.

A culpabili Missarum omissione denegatur absolutio : *Albinganen.*, 15 *junii* 1793, § 8.

§ II.

Absolutio ab excommunicatione.

Solet S. Pœnitentiaria absolutionem impertiri illi, qui rectorem, aut clericum alicujus ecclesiæ per se, vel per alium interfecit, aut mutilat, aliqua adjecta conditione : *Sulmonen*, *Dispens.*, 8 *decem.* 1734, § 4.

At sub hac juris sanctione non comprehenduntur filii, ceterique occisoris posteri, qui ante patratum delictum sint nati : *Ibid.*, § 5.

Itidemque solum illius descendentes per lineam masculinam huic pœnæ subjecti sunt : *Ibid.*

Ob emphyteusim stipulatam absque solemnitatibus, si oratores nullam habuerint partem in contractu, et fuerunt opinione ut servata solemnia sint, absolutionem ad cautelam merentur, quum ob bonam fidem culpa vacent : *Privernen.*, *Emphy.*, 16 *junii* 1787, § 4.

§ III.

Absolutio a juramento.

Nefas est petere absolutionem a juramento, nisi constet, vel juramentum dolo et fraude fuisse extortum, vel iniquitatis vinculum continere, vel in perniciem æternæ salutis tendere : *Gerunden.*, *Jubil.*, 15 *febr.* 1772, § 11.

§ IV.

Absolutio a pœnis ecclesiasticis seu a censuris in genere.

Qui removet cujusvis doli, fraudis, et contumaciæ species excitato censurarum rumore, absolutio ipsi est indulgenda : *Camerinen.*, 16 *maii* 1767, § 8.

RELIQUA, vide *Episcopus* § XIV.

§ V.

Absolutio a suspensione.

Locus non est absolutioni a suspensione, nisi emendatis causis : *Alexand.*, *Suspen.*, 11 *januar.* 1772, § 9.

Absolutio suspensionis indictæ contra ordinatos sine dimissoriis proprii Episcopi, reservata est Ordinario, cujus nomine venit etiam vicarius capitularis : *Mindonien. seu Oveten., Ordin.*, 4 *junii* 1763, § 3.

Hinc minime hæc facultas reservata est sedi Apostolicæ : *Ibid.*

Quod colligitur ex verbis const. *Speculatores* Innoc. XII Pont. Max. : *Ibid.*

Ob calumniam absolvi a suspensione nequit nondum sequuta solutione pœnæ, cap. 1 *de Calumn.*: *Lunen. Sar.*, 9 *julii* 1796, § 3.

Italo-Græci ordinati a latino Episcopo, post obtentam absolutionem a suspensione ascendere ad superiores ordines ritu latino sine alia dispensatione possunt : *Rossan.*, 14 *maii* 1763, § 11.

Causæ absolvendi a suspensione sunt, paupertas oratoris, quæ miseratione digna est : *Ceph., Susp. et In.*, 24 *martii* 1787, § 5.

Et ad longum tempus abstinuit ab exercitio ordinum suorum : *Ibid.*

Silentium fisci, diuturna carceris pœna ; boni mores oratoris, quæ omnia plurimi facienda in absolvendo eumdem oratorem : *Ibid.*

Absolutio sacramentalis, Vide *Sacrament. Pœnitentiæ.*

Abusus.

Abusus, non observantia dici debet, quidquid contra legem fundationis, et contra fundatoris mentem gestum fuit : *Æsina, Capell.*, 20 *jun.* 1767, § 8.

Abusus dicitur, quando in aliqua universitate novitas invehitur, quæ dissonantiam inter membra præseferat, jus lædat, pacta subvertat, statuta violet, atque pessumdet : *Calarit.*, 4 *maii* 1772, § 3.

Et consuetudo, quæ inde manare potest, tanquam irrationabilis omnino est eradicanda : *Ibid.*

Reliqua, Vide *Consuetudo* § xi.

Academia.

Veteribus gymnasiis, quæ in cathedralibus olim et collegiatis vigebant, ac clericorum, vitæque communis erant collegia, successerunt publicæ academiæ : *Favent., Com. volunt. et Appel.*, 18 *aug.* 1792, § 5.

Easque seculo VIII colere cœperunt clerici, impetratis ab Honorio III et Innocentio IV amplissimis privilegiis : *Ibid.*

Quæ quidem privilegia a Concil. Trid. integra servata sunt : *Ibid.*

Acatholicus parochus, Vide *Matrimonium* § xxviii.

Acceptio, Vide *Concilium Tridentin.*, § ii ; *Legatum pium* § iii.

Accidentalis conditio, Vide *Conditio* § ii.

Accrescendi Jus, Vide *Jus*, § i.

Acquisitio, Vide *Jus patronatus*, § i.

Acta.

§ I.

Acta quoad circumscriptionem.

Ea est circumscriptionis virtus, ut actum reducat ad non actum : *Mont. Alti., Canon.*, 25 *april.* 1789, § 5.

Prævia inhibitione interdicta nominatio est circumscribenda, et attentata, purganda sunt saltem per viam nullitatis : *Rom., Subs. dot.*, 16 *decem.* 1769, § 10.

Acta quoad concursus, Vide *concursus*, § xi.

§ II.

Acta quoad transportationem.

De modo transferendi acta concursus ad Judicem appellationis cautum est in const. *Cum illud.* Bened. XIV Pont. Max. : *Venel., Archid.*, 20 *januar.* 1770, § 10.

§ III.

Acta quoad validitatem, vel nullitatem.

Acta per judicem putativum suam obtinent firmitatem, quandiu communis error non detegatur, et excutiatur : *Cæserag., Matrim.*, 10 *martii* 1770, § 13.

Tamen probabilior aliis visa est opinio, quæ titulum saltem coloratum requirit : *Ibid.*

Quum aliquis non potuisset aliorum jura auferre, atque abripere ; omnia acta irrita habenda sunt, atque legitime iteranda : *Colon.*, 9 *aug.* 1766, § 31.

Et omnia intemperanter, inconsulto, et præcipitanter gesta ; et quod plus est, non exspectato judicio sedis apostolicæ, causa Appellationis, imo contra ejus expressa mandata ; illico irritanda, ac rescindenda : *Ibid.*, § 34.

Damna, ac expensæ sunt sarciendæ : *Ibid.*

Actio.

§ I.

Actio in genere.

Actio creditorum negligentium extinguitur legitima præscriptione : *Fabrian., Leg.*, 14 *martii* 1795, § 4.

Spatio scilicet annorum 30 : *Ibid.*

Permittenda est uni tantum actio popularis pro ecclesia, qui a populo fuit deputatus : *Firm., Inter. et Trans.*, 19 *maii* 1787, § 6.

Actionem petendi restitutionem bonorum ex nullitate contractus, non debet experiri beneficiatus in proprium commodum, sed nomine, et in favorem ecclesiæ, ne ex sua culpa compendium consequatur : *Lauretana, Null. Contr.*, 30 *Aug.* 1788, § 6.

Et non aliter ecclesia ipsa audienda est, quam pretio restituto : *Ibid.*

Actio pœnarum contra raptores indictarum, spatio annorum viginti, de jure præscribitur : *Olomucen., Null. Matr.*, 19 *jul*, 1769, § 15.

§ II.

Actio hypothecaria.

Actio hypothecaria contra hæredes, et etiam adversus tertios possessores competit legatario : *Null. Legin., Leg.*, 7 *april.* 1787, § 8.

Quia legata annua, et perpetua realia habentur, et indicta bonis, eorumque fructibus : *Ibid.*

Actus.

§ I.

Actus in genere.

Actus unicus penitus ineptus est ad legitimam observantiam inducendam, quia unicus est : *Imolen., Distr.*, 13 *martii* 1773, § 19.

Actus vel ex informibus testibus, vel illegalibus monumentis eliciti, aut nulla immemorabili, vel saltem quadragenaria consuetudine cum titulo muniti, vel ab altera parte ignorati, legitimam præscriptionem non inducunt; *Caputaq.*, 14 *martii* 1767, § 9.

Imo ex actibus contrariis exercitis omnis excluditur præscriptio : *Ibid.*, § 10.

Non dicitur actus, cum aliquid superest agendum, etiamsi dubitetur esse de substantia : *Santandrien., Dub. ordin.*, 28 *martii* 1796, § 4.

Contradictio tollit efficaciam contrariorum actuum : *Leodien., Visit.*, 22 *januar.* 1763, § 5.

Præsertim si contrarii actus revocati fuerint causa concordiæ et stipulationis : *Ibid.*

Actus precarius nihil prodest : *Spolet. seu Nul. Ferent., Juris.*, 16 *junii* 1770, § 5.

Nec per illum sublatum, aut imminutum est jus alterius : *Ibid.*

Præsertim si actus hujusmodi perpauci sint, et ad præscriptionem ducendam prorsus inepti : *Ibid.*

Actus capitulares, Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § VII.

§ II.

Actus facultativi et voluntarii.

Actus mere facultativi, et voluntarii nunquam præscriptionem, aut consuetudinem inducere possunt : *Nepes., Rest. eccl.*, 28 *august.* 1773, § 8.

Ex actibus arbitrariis, et facultativis nec immemorabilis prodest : *Rom., Leg.*, 19 *jan.* 1788, § 4.

Facultativi actus non præscribuntur per non usum, sine prohibitione, et acquiescentia : *Bonon.*, 22 *maii* 1762, § 7.

Acta voluntaria, et facultativa præcedentium rectorum, successores non sequuntur : *Brach., Proces.*, 13 *julii* 1765, § 14.

Actus mere facultativi nullum jus tribuunt successoribus : *Comen., Canon. theol.*, 28 *sept.* 1771, § 6.

Actus gesti per tempus, centenarium non excedens, non facultativi, sed necessarii censeri debent : *Aquipen., Funct.*, 18 *decem.* 1773, § 6.

Actus facultativi ad divinum cultum tendentes, transeunt ex longa consuetudine in obligationem, et necessitatem inducunt : *Urban., Anniv.*, 24 *jan.* 1795, § 5.

Sed in qualibet alia materia nec milleni voluntarii actus obligationem inducunt : *Ibid.*

Quia ex actibus voluntariis obligationem nunquam induci aliqui arbitrantur : *Pharaonen.*, 25 *junii* 1791, § 3.

Actus tanquam mere facultativi, nullum jus tribuunt; nullamque inducere legalem possessionem possunt : *Eug., Jurid.*, 13 *martii* 1773, § 2.

Et vigore clausulæ *sublata* in brevi adjectæ, quo hæc facultas non conceditur, abusum potius, et corruptelam, quam juris argumentum præ se ferunt : *Ibid.*

Voluntarii actus obligationem inducunt : *Ibid.*

§ III.

Actus jurisdictionales.

Jurisdictionales quorumcumque rectorum actus unum vel alterum respiciunt curionatum, et particulâri nituntur consuetudine, quæ jus universale non constituit : *Egit.*, *Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 7.

§ IV.

Actus quoad Præjudicium.

Actus erronei nullum præjudicium inferunt : *Camer.*, *Sub. dot.*, 30 *maii* 1761, § 4.

§ V.

Actus quoad validitatem, et nullitatem.

Actus irriti, atque inefficaces sunt, ex quibus controversia ducit originem : *Imo, Jur. conv. capit.*, 14 *maii* 1774, § 18.

Ubi de pœnali agitur lege, validus reputatur transgressionis actus, licet illicitus, et punibilis : *Narnien.*, 21 *aug.* 1790, § 4.

Ubi aliquid sub certa pœna, et sine decreto irritante prohibet constitutio, valet actus, licet deliquens sit puniendus : *Cong. Cisterc.*, 26 *novem.* 1789, § 7.

Actus absente parte sunt citra animum contrahendi obligationem facti : *Urbin.*, *Partic.*, 6 *jan.* 1662, § 11.

Actus tanquam violentus, spoliativus, et qui liti causam dedit, attendi non meretur, nullumque jus illi, qui illum gessit, tribuere potest : *Sutrina, Stalli*, 7 *julii* 1770, § 6.

Actus gesti in fraudem transactionum, quique controversiæ causam dederunt, tanquam violenti, et attentati posthabendi sunt : *Constan.*, *Decim.*, 16 *decemb.* 1769, § 8.

ADIMPLEMENTUM, Vide *Legatum pium*, § XII; *Onus*, *onera*, § III; *Voluntas testatoris*, § V.
ADJUDICATIO, Vide *Beneficia ecclesiastica*, § VII.
ADJUNCTI, Vide *Episcopus*, § XV.

Administratio.

§ 1.

Administratio in genere.

Administratio de jure non præsumitur : *Tuder.*, *Redd. rat.*, 21 *april* 1787, § 4.

Multo minus præsumi debet in exequutoribus testamentariis, qui non tenentur ratione officii administrare : *Ibid.*

Imo urget contraria præsumptio, si agatur de hæreditate societatibus delata, et administratores potius fuerint sodales quorum principaliter intererat priorum operum implementum : *Ibid.*

Nemo disponere valet de fundo, qui sub aliena est administratione : *Ancon.*, *Vend.*, 21 *april.* 1792, § 5.

Quod enim nostrum est, nobis auferri nequit invitis : *Ibid.*

Deficientibus exequutoribus testamentariis nec aliis substitutis, bonorum Ecclesiæ administratio ad Episcopum devolvitur ; *Camer.*, 18 *novemb.* 1797, § 14.

§ II.

Administratio quoad pertinentiam, et exercitium.

Triplex est ecclesiarum redituum administratio; alia pene providentialis, quæ ad laicos pertinet ; alia pene ministerialis, atque ad Ecclesiæ rectorem, et capitulum spectat; tertia præeminentialis quæ soli Episcopo debetur : *Savon.*, 8, *febr.* 1744, § 11.

Concil. Trid. sess. 25, cap. 8 *de Reform.* loquens de hospitalibus, seu aliis piis locis, quæ ad pauperum etiam usum præcipue sunt instituta, voluit ne administratio uni ultra triennium committatur, nisi aliud in fundatione sit cautum : *Ar.*, *Mont. piet. super confir. rect.*, 9 *julii* 1768, § 15.

Et hoc decretum loquitur de administratoribus hospitalium, non autem aliorum piorum locorum : *Ibid.*, § 16.

Dictique decreti ratio est, quod non debeat quisquam administrationis, et proventuum, qui pro necessitatibus pauperum sunt instituti, dominus perpetuus constitui : *Ibid.*

Administratio prædii ex pecuniis ecclesiæ relictis empti, exerceri a communitate patrona non debet ; sed tribuenda est parocho, qui uti rector ecclesiæ de jure habet intentionem fundatam pro consequutione omnium spiritualium obventionum quæ illi offeruntur : *Fanen.*, *Exeq. decr. S. Visit.*, 30 *maii* 1761, § 2.

Nequaquam obstante ejusdem parochi amovibilitate, quæ illi administrationem bonorum ecclesiæ non adimit : *Ibid.*

Quum præsertim amotio parochi fieri inconsulto Episcopo nequeat : *Ibid.*

Quoad administrationem, et percipiendi oblationes, juris assistentia, est pro Episcopo, quoties agitur de oblationibus factis sacræ cuipiam imagini extra districtum alicujus parochiæ existenti, quemadmodum ea favet parocho pro oblationibus quæ fiunt in loco suæ parœciæ : *Hieracen.*, 16 *mart.* 1743, § 15.

In favorem autem parochi non nisi ex decennali præscriptione jus acquiritur administrandi oblationes contra specialem rectorem ecclesiæ : *Ibid.*

Aliæ vero personæ ecclesiasticæ, quæ juris adsistentia sufultæ non sint, ex quadragenaria tantum consuetudine sive præscriptione, nullo licet titulo communita, sibi possunt adquirere hanc facultatem administrandi oblationes ; quia contra eam præscriptionem jus non restitit vehementer, et ea videtur esse tacita offerentium voluntas, ut res Deo oblatas ille administret, qui administrare antea consuevit : *Ibid.*, § 16.

Licet sodalibus competat administratio bonorum societatis, sed æque Episcopo competit jus visitandi confraternitatem, et ab eorum administratoribus rationes exposcendi : *Balneor., Admis. alum.*, 26 *aug.* 1769, § 12.

Episcopo etiam incumbit abusus tollere, ut societatum bona recte, et fideliter administrentur : *Ibid.*

Deficientibus exequutoribus testamentariis, nec aliis substitutis, devolvitur bonorum ecclesiæ administratio ad Episcopum : *Camerinen.*, 18 *novem.* 1797, § 14.

Administratio bonorum capellaniæ, occasionaliter concessa capellano, non extenditur ad ejus successores : *Urbev., Admin.*, 20 *sept.* 1794, § 5.

Administratio ecclesiæ in collegiatam erectæ ad capitulum spectat : *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, § 14.

Canonici administrare debent massam constatam ex bonis ecclesiæ, e quibus beneficiati participant ob servitium ; ita tamen ut eam explorare etiam liceat beneficiatis, et ii sint audiendi, si quid opponere circa eamdem administrationem velint : *Fan.*, 6 *junii* 1731, § 7.

Liberum est abbati veluti superiori ordinario alicujus monasterii absque ullo penitus interventu, sive consensu protectorum œconomicæ ejusdem monasterii administrationis incumbere, suumque pro singulorum ejus contractuum stipulatione consensum interponere : *Mediol.*, 12 *maii* 1736, § 11.

ADMINISTRATIO SACRAMENTORUM, Vide *Episcopus* §§ I *et* II ; *Parochus*, § I ; *Sacramentum*, §§ VI *et* XXIV.

Administrator.

§ I.

Administrator quoad cautionem, seu satisdationem.

Quilibet administrator, isque potissimum qui negotia gerit ecclesiæ, satisdare debet : *Rip., Adm.* 29 *aug.* 1789, § 5.

Quilibet, qui aliena gerit negotia, satisdare tenetur, ne quid ejus dolo, aut culpa detrimenti dominus capiat : *Ascul.*, 21 *jun.* 1788 § 11.

Synodus Asculana episcopum Maratta jussit, ne administratores locorum piorum admitterentur, nisi præstita idonea cautione, et coram vicario generali juraverint se fideliter administraturos, et rationes reddituros, facta obligatione in forma cameræ reliquatum solvendi : *Ibid.*

§ II.

Administrator de qua culpa teneatur.

Speciale est in acquisitione bonorum stabilium, quæper tutores, et curatores, hæredes gravatos etc., fiat, non nisi de dolo, lataque culpa teneantur : *Rom., Del. on.*, 6 *maii* 1786, § 6.

Et ratio est, cum periculosa sit emptionum materia, et prudentissimus quisque haud raro fallatur ; ita ut neque ea satis sit diligentia quam solertes patresfamilias in rebus adhibent suis ; hinc asperum prudentibus visum est, secluso dolo, aut fallacia administratorem plectere, quod non bene pecunias investiverit : *Ibid.*, § 7.

Aliaque est ratio, quod nimirum incredibile est, tutorem, similemque legalem administratorem sine ulla sui utilitate in patrimonii perniciem conspirare velle : *Ibid.*

Hinc nisi de fraude, de dolo, de lata culpa doceatur, agi contra legalem administratorem non potest, nisi ea ex adverso probetur, cum id non sit præsumendum : *Ibid.*, § 8.

Sed non ex legali administratione, sed ex stipulatu quis tenetur, qui conductus est mercede, et est exercitor, et gratia utriusque negotium susceperat : *Ibid.*, § 10.

Illi enim præstant levem culpam, quasi ejusmodi levis culpa id est civilis quædam inadvertentia sit præstanda in his, quæ celebrantur causa utriusque contrahentis : *Ibid.*

Accedit, quæ generaliter de omnibus sub necessaria administratione viventibus traduntur, et præsertim ecclesiis locisque piis, quod nimirum ex dolo, culpaque suorum officialium, seu administratorum haud teneantur : *Ibid.*, § 11.

§ III.

Administrator quoad deputationem, et electionem.

Deputatio in administratorem irrita est ; tum quia facta ab illo qui potestatem non habebat deputandi alios contra expressam testatoris voluntatem : *Ferrar.*, 15 *sept.* 1787, § 7.

Tum quia facta in testamento, quod ipse rogaverat : *Ibid.*

Legitimi piorum legatorum, quæ parochialibus ecclesiis, vel pauperibus parochiæ incolis relicta sunt, administratores sunt parochi, ideoque illorum nomine in judicio stare potest : *Ibid.*, § 13.

Constitui debet œconomus cum salario pro cura bonorum piæ hæreditatis, quam exequutores nullum percipientes lucrum ab hæreditate gratuito ferre non debent: *Aquen., Erect. capell.*, 2 *aug.* 1760, § 6.

ADMINISTRATOR ELEEMOSYNARUM, Vide *Eleemosynæ*, § *IV*.

ADMINISTRATOR HOSPITALIUM, Vide *Hospitale*, § *II*.

§ IV.

Administrator quoad jura, et potestatem.

Tutoris instar vetitum est administratori, et officialibus loci præsertim pii, sub pœna nullitatis, reique amisione, et quadrupli cum eo contrahere cujus bona administrat : *Terrac. et Set.*, 3 *januar.* 1790, §§ 6 et 9.

Et licet decretum Congr. deputatæ ab Innocentio XII Pont. Max. respiciat duntaxat loca pia Urbis, consentaneum tamen est, dispositioni juris, ac ceteris etiam ex identitate rationis favere posset : *Ibid.*

Nonnulli autem opinantur hoc decretum extendi non debet tanquam pœnale ad civitates extra Romanum districtum : *Ibid.*

Non aliter administratoribus fabricæ S. Petri jus est transigendi super legatis ad pias causas relictis, quam si, et dies, vel conditio adimplendæ voluntatis morientium advenerit, et certum temporis spatium hæredibus, aliisve gravatis pro ejusmodi præ voluntatis executione, vel pro impetranda ab Apostolica Sede illius commutatione, si ea nequeat executioni mandari, per judicem præfiniatur : *Nul., Ter. Pont., Com. volunt.*, 5 *maii* 1742, § 6.

§ V.

Administrator quoad onera in genere.

Administrator non tenetur propriis sumptibus prosequi litem pro implemento voluntatis testatoris : *Eug., Canon.*, 7 *julii* 1770, § 12.

Administratores tenentur impedire contractum quem putant loco pio perniciosum : *Firm., Emphy.*, 12 *martii* 1799, § 7.

Administratores, seu officiales societatum aliorumque piorum locorum obstringuntur quidem bonorum fructus in pios usus a testatoribus præscriptos impendere, gestæque administrationis rationes Episcopo reddere, nequaquam vero ejus prævium consensum pro dictis fructibus erogandis expetere : *Juvenacen., Administ.*, 2 *junii* 1736, § 2.

§ VI.

Administrator quoad reddendas rationes.

Administratores omnes sive necessarii, sive voluntarii, tum legitimi, cum dativi ad redditionem rationum tenentur, et cogi possunt : *Tudet., Redd. rat.*, 21 *april.* 1787, § 3.

Maxime ubi res sit de administratoribus hæreditatis ad pios usus destinatæ : *Ibid.*

Is autem dicitur verus administrator, qui bona contrectat : *Ibid.*, § 5.

Si absolvi debeat administrator a petita redditione rationis, justam ille habuit causam non parendi præcepto : *Ibid.*, § 9.

Si contrarium erit, tunc solutio pœnæ justa de causa decreta fuit : *Ibid.*

Et decernenda est a die condemnationis : *Ibid.*

Semel reddita ratione quicumque administrator liberatur : *Vaden., Redd. rat.*, 3 *aug.* 1765, § 15.

Hinc imperator Theodosius, et Valentinus rescripserunt : *Semel securitatem de refusione munerum emissam, ab alio Judice non liceat refricari : Ibid.*, § 9.

Limitatur, nisi de errore calculi apertissime doceatur : *Ibid.*, § 10.

Vigore Tridentinæ sess. 22, cap. 9 *de Reform.* administratores tam ecclesiatici, quam laici locorum piorum tenentur singulis annis reddere rationem administrationis Ordinario. *Favent., Redd. rat.*, 8 *aug.* 1772, § 16, et *Eug., Jur. visit.*, 11 *junii* 1783, § 12.

Quamvis administratores operum piorum ex dicto decreto teneantur singulis annis de administratis rationem Episcopo reddere, tamen id procedit, dummodo non fuerit aliter in ordinatione, vel in fundatione cautum atque præscriptum : *cit. Eug.*

Et quanquam Concilium fundationum Leges præservaverit, nihilominus præservatio hujusmodi intelligenda est ad formam cap. *Tua nobis de testam, ut scilicet non sufragetur admistratoribus negligentibus : cit. Favent.*, § 17.

Præfatumque decretum Concilii præsertim cogit administratores fabricæ cujuscumque ecclesiæ etiam cathedralis ad reddendam singulis annis Ordinario rationem : *Ascul.*, 21 *junii* 1788, § 13, et *cit. Eugub.*

Id etiam cautum est a jure canonico : *Ibid.*

Ad perfectam rationis redditionem pertinet librorum et scripturarum exhibitio, eaque expleta, quælibet cessat administrationis obligatio : *Ibid.*, § 14.

Idcirco Episcopus potest cogere piorum locorum et ecclesiarum administratores ad exhibendum, adsportandumque ad palatium episcopale, seu ad alium locum, ubi Episcopus stationis causa permaneat, administrationis libros : *Cit. Favent.*, § 20.

A præcepto autem supradicto omnibus administratoribus tum ecclesiasticis, tum sacris impositum reddendi rationem singulis annis Tridentini Patres consuetudines, ac privilegia removerunt : *Forol.*, 21 *aug.* 1784, § 11.

Nisi secus forte in institutione loci pii, vel fabricæ ecclesiæ expresse cautum esset : *Ibid.*

Si aliis ad id deputatis vigore consuetudinis, vel privilegii, aut constitutionis loci reddenda sit ratio, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius : *Ibid. et cit. Eug.*, § 12.

Et aliter factum minime administratoribus liberationes juvant : *Cit. caus.*, § 12.

Ideo Episcopus potest exigere ab administratoribus locorum piorum redditiones rationis singulis annis non obstante contraria consuetudine immemorabili : *Cit. Forol.*, § 12.

Administrator, et executores testamentarii piarum hæreditatum licet exempti compellendi sunt ad reddendam rationem Episcopo gestæ administrationis juxta Trid. decretum sess. 22, cap. 8, *de Reform.* : *Ascul., Com. vol.*, 20 *januar.* 1776, § 9.

Administrantes bona monasteriorum sanctimonialium, etiam regularibus subjectarum, et quomodolibet exemptarum, Episcopo loci rationem referre singulis annis gratis tenentur etiam juris remediis : *Pharaon., Jurisd.*, 19 *sept.* 1733, § 4.

Et id cautum est in const. *Inscrutabili* Gregorii XV Pont. Max.: *Ibid.*

Administrator satis suo muneri facere videretur, si iis rationem, a quibus fuit deputatus, reddere : *Narnien.*, 23 *jan.* 1790, § 8.

Sed administratores hospitalium rationem reddere debent Episcopo, et ad eam singulis annis cogi possunt : *Ibid.*

Qui simplicem tantum habet administrationem alicujus rei, jus ei tribuitur, ad id quod administrat : *Rom., seu Spolet., Subs. doct.*, 20 *mart.* 1790, § 8.

Cujusvis ecclesiæ presbyteri administratores bonorum, et redituum rationem, consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, reddere debent : *Aliph., Red. rat.*, 3 *dec.* 1718, § 2.

Quoad redditionem rationis Episcopo faciendam ab administratoribus hospitalium excipitur casus, in quo aliter cautum fuisset in institutione, et fundatione, nisi tamen administratores essent negligentes in adimplenda mente fundatorum : *Senogallien.*, 18 *maii* 1726.

Et jurisdictio Episcopi circa redditionem rationis locum sibi vindicat, quoad administratores omnes locorum, operumque mere piorum, necnon hospitalium licet laicalium, et privatorum, quamvis illa omni qualitate ecclesiastica sint destituta : *Civit. Cast., Hosp.*, 13 *febr.* 1773, § 6, 8 *et* 9.

Et explorati juris est, Episcopum posse condere statuta, legesque, ac condita reformare pro recto regimine, administratione, et directione hospitalium, aliorumque locorum piorum : *Ibid.*, § 7.

Ac quoad administrationis rationem reddendam Ordinario sublatæ sunt consuetudines, privilegia quæcumque in contrarium nisi secus forte in institutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, et tunc cum iis etiam Ordinarius : *Ibid.*, § 10.

Administrationis ratio, quæ Tridentini decreto Ordinario reddenda est, locum quoque habet, cum a patronis administratores constituti sint : *Savon.*, 8 *febr.* 1744, § 14.

Amplia, neque contrariam consuetudinem, et usum quidquid obstare, cum illa a Tridentino improbetur, nisi saltem id expresse cautum in ipsa Ecclesiæ institutione, et ordinatione fuerit : *Ibid.*

RELIQUA, Vide *Redditio rationis*.

§ VII.

Administrator quoad remotionem.

Administrator negligens administratione privandus est : *Urbev., Adm.*, 20 *sept.* 1794, § 4.

Nec facile post præstitum consensum deputationi alterius administratoris redintegrari debet : *Ibid.*

Ad removendum administratorem nedum levis, et levissima negligentia, sed simplex etiam sufficit suspicio : *Narnien.*, 31 *januar.* 1790, § 9.

ADMISSIO, Vide *Examen*, § II ; *Presbyteri*, § I ; *Professio religiosa*, § V.

Adoptio.

Ad perfectam adoptionem solemnitates a jure civili præsciptæ sunt : *Hort., Dispen.*, 25 *sept.* 1734, § 9.

AD REM JUS, Vide *Jus*, § III.

Adulterium quoad probationem.

Criminis adulterii probatio deficit, cum imputatum crimen non aliunde desumitur, quam ex ore

ipsius mulieris, quæ velut propriam turpitudinem pandere non erubescens, rejici meretur : *Cracovien., Paroch.*, 10 *febr.* 1770, § 6.

Alii testes ad id adducti omnino sunt despiciendi, quando non aliter deponunt, quam de auditu ab eadem muliere : *Ibid.*

Præsertim, quia his obluctantur alii testes pro exclusione delicti inducti, qui prævalere debent, nedum scientiæ, quam allegant, sed etiam quia magis verosimilia referunt : *Ibid.*

Neque testis est admittendus, qui fuerat rejectus, et de nullitate illius examinis protestatus est contra suum procuratorem, qui examini consenserat, quique in committendo nullum ei præjudicium inferre potuit : *Ibid.*, § 7.

ADULTUS, Vide *Sacramentum*, § II.

ÆDIFICATIO, Vide *Ecclesia*, § IV.

ÆGROTANS, Vide *Episcopus*, § IV.

ÆQUATIO, Vide *Compensatio*.

ÆSTIMATIO, Vide *Bona*, § VI.

Ætas.

§ I.

Ætas in genere.

Ætas filii potest demonstrari, saltem in linea non levis præsumptionis, et adminiculative ex testimonio parentum : *Mont. Polit., Erect. capell.*, 2 *decem.* 1741, § 4.

Regulariter enim ad probandam ætatem admittuntur familiares, et consanguinei : *Ibid.*

ÆTAS IN BENEFICIIS, Vide *Beneficia ecclesiastica*, § V ; *Ecclesia parochialis*, § I.

ÆTAS IN CANONICATIBUS, Vide *Canonicatus*, § I.

ÆTAS IN DIGNITATIBUS, Vide *Dignitates ecclesiasticæ*, § I.

ÆTAS QUOAD DISPENSATIONEM, Vide *Dispensatio*, § II.

ÆTAS IN MATRIMONIO, Vide *Matrimonium*, § XXIII.

ÆTAS IN ORDINIBUS, Vide *Sacramentum ordinis*, § II.

ÆTAS IN PROFESSIONE RELIGIOSA, Vide *Professio religiosa*, § III.

§ II.

Ætas senilis.

Ætatem senilem incipere ab anno 50 omnes conveniunt : *Barch.*, 19 *sept.* 1767, § 5.

Tamen senectus non tantum ex annorum numero est spectanda, sed etiam a valetudine, a viribus, ab anteactæ vitæ consuetudine, omniaque judicio, et prudenti judicantium arbitrio æstimanda sunt : *Ibid.*, § 6.

ÆTAS IN SPONSALIBUS, Vide *Sponsalia*, § V.

ÆTATIS DEFECTUS, Vide *Dispensatio*, § II.

Affectio.

Affectio testatoris erga regulares ostenditur ex voto habitus illorum in funere adhibendi : *Lisbon., Appl.*, 22 *nov.* 1790, § 2.

Et ex eximia in capellam ipsorum largitione, quæ præcipuam quoque erga ecclesiam præfert voluntatem : *Ibid.*

Præsertim si etiam quibus adnexum est, pertantam capellæ sollicitudinem consulere testator voluerit : *Ibid.*, § 3.

Affectio, et charitas testatoris præsumpta abest erga eum, qui secundum juris civilis computationem non est quarto gradu fundatori conjunctus : *Imolen.*, 27 *febr.* 1768, § 9.

RELIQUA, Vide *Beneficia ecclesiastica*, § III.

Affinitas.

Affinitas est personarum proximitas ex coitu proveniens, omni carentium parentela : *Ascul., Matrim.*, 4 *julii* 1768, § 9.

De jure antiquo matrimonium usque ad septimum gradum dirimebat : *Ibid.*

At novo et hodierno jure affinitas ex copula licita, idest conjugali, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum : *Ibid.*

Illa vero, quæ oritur ex copula illicita id est fornicaria, vel adulterina solum dirimit matrimonium usque ad secundum gradum : *Ibid.*

De modo autem probandi impedimentum affinitatis, communiter distinguitur, vel agitur de matrimonio nondum contracto, et tunc ad illud impediendum levis sufficit affinitatis probatio : *Ibid.*, § 10.

Vel agitur de matrimonio jam contracto dirimendo, et tunc requiritur probatio plenissima : *Ibid.*, § 11.

Quum agitur de inito matrimonio dissolvendo, non sufficit unisona confessio utriusque conjugis de contracta affinitate ; etiamsi pars viciniæ eamdem acclamaret : *Ibid.*, § 12.

Ac in eodem judicio audiendi non sunt nisi testes probatæ vitæ, et opinionis : *Ibid.*, § 13.

Ad inducendam affinitatem, ex qua matrimonii impedimentum oriatur, requiritur, ut copula sive conjugalis, sive fornicaria perfecta fuerit, et sufficiens ad generationem prolis : *Baln., Imp.*, 12 *maii* 1770, § 7.

Affinitas mulieris ex copulâ illicita orta non protenditur ad consanguineos viri cum quo illa turpem habuit consuetudinem, qui est avunculus illius, cum quo matrimonium initura est dictæ mulieris filia : *Pient., Mat.*, 20 *mart.* 1734, § 10.

Affinitas nullam parit actionem pro alimentis contra hæreditatem amitæ, neque danda est ex æquitate, ne hujusmodi exemplo excitentur alii ad reparandam hæreditatem : *Bononien., Assig.*, 21 *junii* 1760, § 1.

AFFINITATIS IMPEDIMENTUM, Vide *Matrimonium*, § XXVI.

AFFINITATIS IMPEDIMENTUM QUOAD DISPENSATIONEM, Vide *Dispensatio*, § XIII.

AFFRANCATIO, Vide *Emphyteusis*, § I.

AGGREGATIO, Vide *Sodalitium*, § I.

Agnationis contemplatio.

Agnationis contemplationem non probant simplices conjecturæ : *Fulg., Conc.*, 26 *mart.* 1791, § 11.

Præcipuum contemplatæ agnationis argumentum est fœminarum exclusio per modum regulæ : *Ibid.*

Simplex masculorum mentio prædilectionem denotat masculini sexus : *Ibid.*

Distincta fœminarum vocatio post extinctam lineam masculinam, rigorosam inducit masculorum vocationem : *Ibid.*, § 12.

A GODERE, Vide *Contractus*, § XI.

Agricolæ.

Agricolæ sunt parochiæ incolæ ecclesiæ cathedralis : *Andrien.*, 30 *aug.* 1776, § 12.

Agricolæ, advenæ, forenses in ecclesiæ cathedrali unica parochiali suscipere sacramenta, et ibi sepeliri, si decedant absque electione sepulcri, debent : *Ibid.*, § 26.

Alienandi facultas.

Non aliter ad actum deducta censetur alienandi facultas, quam per expressam declarationem : *Asc., Cap.*, 21 *febr.* 1777, § 5.

Tributa alienandi facultate uti noluisse censetur, qui de re alienabili non disponit : *Ead.*, 3 *mart.* 1792, § 1.

Facultates alienationum, hypothecarum, locationum, et aliorum contentorum in decreto de rebus regularium non alienandis, privative spectant ad S. Congr. Concilii : *Neapol., seu Caven.*, 18 *dec.* 1723, § ult.

Facultas alienandi bona Ecclesiæ regulariter non conceditur : *Macer., Benepl.*, 26 *aug.* 1780, § 4.

Alienatio.

§ I.

Alienatio in genere.

In bonorum alienatione, quæ tangit singulorum interesse, melior est conditio prohibentis : *Firm., Emph.*, 21 *julii* 1792, § 6.

Alienatio fundi legati pii dolo fit, cum certa est scientia substituti, et vocati, quæ scientia ex ipso instrumento donationis haberi potest : *Urbin., Red. on.*, 14 *mart.* 1744, § 11.

ALIENATIO QUOAD CONSENSUM, Vide *Consensus*, § II.

§ II.

Alienatio bonorum ecclesiæ quoad prohibitionem, et beneplacitum apostolicum.

Quælibet bonorum ecclesiæ, aut beneficii interdicta est alienatio : *Lauretana, Null. contr.*, 30 *aug.* 1788, § 8.

Idemque de reditibus beneficii sub pœna nullitatis decernitur : *Ibid.*

Alienatio bonorum ecclesiæ sine justa causa, et debita solemnitate prohibita est tum jure divino : *Senogall.*, 10 *febr.* 1710, § 4 ; tum jure canonico : *Ibid.*

Nomine alienationis autem intelligitur omnis actus, ex quo directum, vel utile alicujus rei dominium, aut illius jus, seu ususfructus, in alterum transfertur, vel damnum quomodocumque ecclesiæ irrogatur : *Ibid.*

Alienatio bonorum beneficii absque beneplacito apostolico interdicitur in extrav. *Ambitiosæ, de Reb. eccl. non alien.*, in 6 : *Cervien.*, 24 *maii* 1788, § 12.

Ideo ex dicta dispositione ad validam alienationem bonorum ecclesiæ, seu loci pii, requiritur beneplacitum apostolicum : *Terrac., et Set.*, 23 *jan.* 1790, § 10.

Et huic omnes subjiciuntur ecclesiæ, monasteria, conservatoria, aliaque loca pia auctoritate Ordinarii, multo magis Summi Pontificis erecta : *Ibid.*

Neque ex contraria supplétur observantia : *Ibid.*

Et antequam beneplacitum apostolicum superveniat, locus est in favorem ecclesiæ aut loci pii, pœnitentiæ : *Ibid.*

Imo beneplacitum apostolicum omnino est necessarium in alienationibus rerum quæ ad pios usus sunt destinatæ : *Vicen., Assign.*, 20 *novem.* 1762, § 5.

Et bona Ecclesiæ nec alienari, nec distrahi, nec eorumdem commoditas locari valent sine beneplacito apostolico : *Constan., Decim.*, 7 *jul.* 1781, § 9.

Ita ut si deficiat, nullus et irritus fit contractus : *Ibid.*

Qua nullitate considerata, omnia in pristinum redeunt : *Ibid.*, § 10.

Nec præsumitur intervenisse ex lapsu triginta annorum cum observantia, sed requiritur centenaria : *Ibid.*

Beneplacitum apostolicum necessarium in alienationibus bonorum ecclesiæ non requiritur etiam in ecclesiæ obligationibus : *Pisaur., Resciss. cont.*, 30 *jan.* 1762, § 7.

Præsertim in obligationibus emissis pro celebratione Missarum, quarum onus etiam perpetuum a regularibus suscipi potest de licentia sui provincialis, seu generalis : *Ibid.*

Item universæ bonorum ecclesiæ alienationes sine beneplacito apostolico prohibentur, præterquam de rebus, et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis : *Faven., Emph.*, 18 *aug.* 178 § 3.

Ad constituendum solitum licet duæ saltem requirantur emphiteuticæ concessiones per quadraginta annos observatæ : *Ibid.*

Tamen hoc procedit in minus solemnibus investituris ; nam una omnino sufficit, si cum beneplacito apostolico expleta fuerit : *Ibid.*

At vetitum est rectoribus ecclesiarum quamcumque alienationem bonorum ecclesiæ facere in favorem eorum qui cum ipsis sanguine conjuncti sunt : *Auxim., Emph.*, 29 *nov.* 1783, § 4.

Imo Alex. VII Pont. Max. const. *In suprema* jussit, ut in Urbe beneficiati neque emphyteusim, neque locationis titulo possint bona suorum beneficiorum concedere propriis consanguineis, vel affinibus, usque ad tertium gradum inclusive : *Ibid.*

Vetita est ecclesiis, locisque piis quæcumque bonorum et rerum immobilium alienatio : *Fanen.*, 10 *jan.* 1784, § 27.

Paulus II Pont. Max. plura statuit ad coercendam ecclesiasticorum libertatem super alienatione bonorum ecclésiæ : *Ibid.*

Et decernit vacare beneficia quæcumque illorum qui bona et res dictorum beneficiorum alienarunt : *Ibid.*

Id ipsum confirmavit Concil. Trid. sess. 22, cap. 11, *de Reform.* : *Ibid.*

Emphyteusis sub alienationum genere comprehenditur ex auctoritate Justiniani : *Firm., Trans.*, 10 *dec.* 1785, § 12.

Item si per transactionem contrectata est emphyteusis, standum est regulæ generali : Cui fas non alienare, eidem transigere nefas est : *Ibid.*

Beneplacitum apostolicum in alienatione bonorum ecclesiæ potest quandocumque impetrari, si terminus præfinitus non sit ad illud impetrandum : *Novar.*, 12 *dec.* 1761, § 5.

Beneplacitum apostolicum in contractu qui tendit ad utilitatem ecclesiæ vel ecclesiastici denegari non debet : *Null., Subl. benep. ap.*, 16 *jun.* 1781, § 6.

Si testator alicui pro loco bona sua reliquerit, atque alium pium locum substituerit, eo casu, quo bona prædicta distraherentur ; si tamen illorum venditio in compendium instituti pii loci recasura sit, tunc vel judicis officio, vel petita venia, bona distrahi poterant obstante testatoris prohibitione, atque substituti dissensu : *Bonon., Benepl.*, 14 *mart.* 1744, § 4.

In alienatione rerum cum utilitas manifesta sit sive ex redituum copia emendorum bonorum, vel ex majori pretio reducenda, spreto substituti beneficio venia est indulgenda : *Ibid.*, § 5.

Inter duas ecclesias pro alienatione non requiritur beneplacitum apostolicum : *Civit. Cast.*, 15 *jun.* 1793, §§ 6, 7, 8.

Cessat enim finis extrav. *Ambitiosæ*, ne bona scilicet ecclesiæ convertantur in usus profanos : *Ibid.*

Neque aliter sentiendum ex notissimo decreto Urbani VIII Pont. Max. ; nam excepti in eo casus a jure permissi censentur : *Ibid.*

Bonorum ecclesiæ alienationes etiam lato modo sumptæ pluribus conciliorum decretis, ac Summorum Pontificum constitutionibus vetitæ sunt : *Veliter., Permut.*, 3 *aug.* 1771, § 7.

Verum eas ex justa et rationabili causa Romanus Pontifex permittere consuevit : *Ibid.*

Quod si hominis prohibitio superaccesserit, tunc alienandi facultas difficilius solet impertiri : *Ibid.*

Quia decedentium voluntas nonnisi raro, et quando magna Ecclesiæ utilitas, vel necessitas urget, immutanda est : *Ibid*

Quamcumque tamen hominis prohibitionem nonnulli spernendam esse existimant : *Ibid.*

Si nulla honesta, et laudabili causa nitatur, ne ecclesia deterioris sit conditionis, quam hæredes

extranei, quibus a prohibitione recedere ea deficiente permittitur : *Ibid.*

§ III.

Alienatio bonorum ecclesiæ quoad solemnitates, et quando illæ non requirantur.

Extravagantis *Ambitiosæ* dispositio in alienationibus procedit bonorum ecclesiasticorum, quæ ad Ecclesias pertinent, et loca pia auctoritate Ordinarii erecta, non item bonorum, quæ in simplices usus pios sunt destinata, ac laicalem retinent qualitatem : *Ferrar.*, 16 *febr.* 1788, § 1.

In alienatione bonorum Ecclesiæ, quæ fit auctoritate et scientia Pontificis, nec alia requiruntur solemnia, nec opus est distincto alio beneplacito apostolico : *Imol.*, *Val. cens.*, 23 *nov.* 1743, § 5.

Alienationes bonorum confraternitatum, quæ auctoritate Episcopi sunt erectæ, permitti sine solemnitatibus non possunt, iisdemque legibus, quibus ecclesiarum bona subjacent : *Meliten.*, *Perm.*, 9 *jul.* 1774, § 8.

§ IV.

Alienatio quoad validitatem, vel nullitatem.

Potissimum caput nullitatis alienationis desumi potest ex defectu utilitatis, quæ, in alienatione rerum ecclesiæ, evidens esse debet et certa : *Terracinen.*, *et Setina*, 23 *jan.* 1790, § 11.

Ad validam bonorum ecclesiæ alienationem, spectanda potissimum est alienantis utilitas : *Benev.*, 4 *april.* 1789, § 7.

Valide fieri non potest alienatio per contractum perpetuæ emphyteusis bonorum in pios usus destinatorum absque beneplacito apostolico : *Ferrar.*, 15 *sept.* 1787, § 7.

Multo magis, si alienata fuerunt ordinaria Episcopi auctoritate, postquam res delata erat ad S. Congr. Concilii : *Ibid.*

Nulla est alienatio hortuli, et ædificatio in eo facta sine beneplacito apostolico : *Ascul.*, *Benepl. apost.*, 10 *maii* 1755, § 2.

Præsertim eo casu quo ecclesia alicui servituti sit subjicienda : *Ibid.*

Neque hoc beneplacitum præsumi potest lapsu 30 vel 40 annorum, sed requiritur centenarii temporis spatium post Const. Urbani VIII Sum. Pont. : *Ibid.*

§ V.

Alienatio bonorum ecclesiæ quoad utilitatem, vel necessitatem.

Regula juris est, bona ecclesiæ vel alicui pio operi subjecta non esse alienanda, nisi urgente necessitate, et utilitate ecclesiæ, vel operis pii : *Rom.*, *Alien. dom.*, 14 *mart.* 1778, § 6.

Ita ut si necessitas urgeret ad illorum alienationem deveniendi, alienatio fiat cum utilitate, non autem cum detrimento ecclesiæ vel pii operis : *Ibid.*

Et licet facultas alienandi bona ecclesiæ regulariter non concedatur, permittitur, si urget æs alienum, vel alia necessitas : *Macer.*, *Benep.*, 26 *aug.* 1780, § 4.

Item si evidens ecclesiæ occurrat utilitas : *Ibid.*

Denique si bona non reddant fructus nisi magnis cum expensis : *Ibid.*

Imo alienatio bonorum ecclesiasticorum permittitur concurrente necessitate, vel utilitate : *Ascul.*, 7 *jun.* 1788, § 5; *Ancon.*, *Vend.*, 21 *april.* 1792, § 3 ; *Arimin.*, *Vend.*, 15 *sept.* 1792, § 6; *Cornet.*, *Susp. oner. Miss.*, 20 *sept.* 1788, § 8 ; *Civit. Cast.*, 15 *jun.* 1793, § 6; *S. Miniat.*, 20 *sept.* 1794, § 2.

Ideo permittitur alienatio bonorum ecclesiæ vel ex urgenti necessitate : *Ben.*, 4 *apr.* 1789, § 9.

Vel ex evidenti utilitate : *Ibid.*

Cæsionis sylvæ necessitas ex prohibita Minoribus Observantibus possessione bonorum desumi necessitas potest : *Ibid.*

Utilitas ex majori per emphyteusim quæsito canone in manutentionem sacrarii, cui licet hujusmodi accipere præstationes absque Minoriticæ paupertatis læsione : *Ibid.*

Deficit necessitas, si retinere potuissent Minoritæ et possent sylvam in proprium usum, dummodo fructus non distrahant : *Ibid.*, § 10.

Ac permittitur alienatio bonorum ecclesiæ accedente necessitate, vel utilitate, nisi dissensus obsit patroni simul et administratoris : *cit. Ancon.*

Et venia alienandi petita a simplici patrono refertur ad honestatem : *Ibid.*

Deest autem in alienatione utilitas, si pretium sit æstimatione minus, ejusque solutio in annos dilata : *cit. Arimin.*

Quum domus prorsus inutilis sit, et deficiant ad eam restaurandam nummi, nec pares impensis haberi possent fructus, alienatio permittitur : *cit. Cornet.*

Hac de causa permittitur semper alienatio, si aliqua concurrat justa et rationabilis causa : *Reg.*, *Perm.*, 3 *jul.* 1784, § 4.

Si autem hominis prohibitio accesserit, tunc difficilius alienandi facultas conceditur : *Ibid.*

Et ratio est, quia decedentium voluntates, nonnisi raro, et quando magna ecclesiæ utilitas, vel necessitas concurrit, immutandæ sunt : *Ibid.*

Verum quæcumque hominis prohibitio spernenda est, si nulla honesta et laudabili causa nititur : *Ibid.*

Et ratio est, quia ecclesia non debet esse deterioris conditionis quam hæredes extranei, quibus permissum est prohibitionem despicere, quatenus tamen honestæ et laudabili causæ non adhæreat : *Ibid.*

Quum directi dominii abdicatio vera esset alienatio, ideoque evidens requiritur ecclesiæ utilitas, ut permittatur : *Feretrana*, 18 *jul.* 1789, § 3 ; 25 *jun.* 1791, § 5.

Cum duo potissimum quoad alienationem bonorum pii operis spectanda essent, necessitas et utilitas : *Camerin.*, 15 *sept.* 1787, § 4.

Utrumque concurrit, si prædia facile locari, neque reddere valeant fructum, qui ex unico vel pluribus prædiis unitis percipi possit : *Ibid.*

Utilis ex causa ea censenda alienatio est, quæ fit ab ecclesia ob justam grati animi et meriti remunerationem erga ipsam præstiti : *Strigonien.*, 17 *dec.* 1718, § 5.

Ut fratrum indigentiis succurratur, alienari possunt mobilia et immobilia iis modo licito relicta absque Sedis Apostolicæ beneplacito : *Ord. S. Franc.*, 18 *mart.* 1719, § 3.

Ad alienationem directi dominii requiritur necessitas, atque utilitas : *Fulgin.*, 29 *aug.* 1789.

Spectanda est capellaniarum utilitas, ob quam bonorum ecclesiæ vel pii operis alienatio conceditur : *Macer.*, 14 *mart.* 1789, § 3.

Alienatio terrularum inter se dissitarum ad unum acquirendum prædium tribuitur : *Ascul.*, 5 *jun.* 1790, § 7.

Utilitate evidenti accedente emphyteuticus permittitur contractus, vel quælibet alia bonorum ecclesiæ alienatio : *Senog., Emph.*, 18 *sept.* 1790, § 6.

Ad majorem dimetiendam utilitatem, non major duntaxat canonis quantitas, sed reliquæ etiam spectandæ sunt conditiones quæ meliorem conjunctim reddant oblationem : *Ibid.*

Præ ceteris in concedenda emphyteusi spectanda est offerentium qualitas, isque præferri debet qui opibus ac bona præstat fide : *Ibid.*, § 7.

Ab extrav. *Ambitiosæ* passim recedi potest, quando alienatio in evidentem vergit ecclesiæ utilitatem : *Velit., Perm.*, 3 *aug.* 1771, § 3.

Alienationi bonorum ad pias causas spectantium semper locus est, si utilius pretio bonorum, quæ tenues reditus ferunt, bona emantur quæ tot reditus præstent quibus testatoris voluntati obtemperari possit : tunc enim bona potius distrahenda sunt, quam onus impositum minuendum : *Spol., Cap.*, 14 *mart.* 1744, § 5.

Et dicta alienatio permitti debet, etiamsi patroni repugnent ; cum ex illa alienatione novaque exemptione nullum detrimentum inferatur juripatronatus : *Ibid.*

Imo si distractio bonorum ea fiat ratione, ut ex. gr. emptione aliorum bonorum parentur reditus quibus eleemosyna sacrorum congrua compendi fiat, non appellatur alienatio, sed naturam induit permutationis et subrogationis bonorum, quæ etiam a testatore, tali cogente necessitate, expeteretur : *Ibid.*, § 6.

Amplia, quod in simili alienatione oblationes quæ fiunt, illæ utiliores censendæ et admittendæ sunt, quæ respondent causæ, rationi, et fini, ob quem fit alienatio : *Ibid.*, § 8.

Alienationis prohibitio.

Alienandi prohibitio, deficiente perpetuo fideicommisso, vel ratione conservationis bonorum in familia, non extenditur ad ulteriores hæredes : *Aprut.*, 19 *maii* 1787, § 4.

Alimenta.

§ I.

Alimenta in genere.

Alimentorum nomine veniunt medelæ, aliaque ad vitam necessaria : *Senogall.*, 8 *jun.* 1765, § 21.

Alimenta et livellum pari passu ambulant : *Comen.*, 22 *novem.* 1721, § 2.

Super alimentis, quæ testamento vel codicillis fuerint relicta, interdictum est ullo modo contrahere, nisi accedat auctoritas judicis, ad præcavendas fraudes, sive improvidas distractiones, ex quibus remaneat alimentarius necessario destitutus : *Rom. seu Januen., Assign.*, 5 *maii* 1742, § 6.

Adeoque jus alimentorum assistens in solo usu, ita inhæret ossibus alimentarii eumque tantum respicit, ut minime transferri possit in alium : *Ibid.*

§ II.

Alimenta quoad jus.

Patrono pauperi competit jus alimentorum ex textu expresso : *Colet.*, 29 *novem.* 1766, § 9.

Quod jus ampliatur ad illius hæredes, sive consanguineos, sive etiam extraneos, in quos jus patronatus transivit : *Ibid.*

At nullum jus habet patronus alimenta asse-

quendi super capellania, nisi probet gravissimam suam inopiam : *Ravennaten.*, 8 *jul.* 1775, § 7.

Verum ad obtinenda alimenta nec paupertas nec cognatio ad hunc effectum rigorosas exigunt probationes : *Panorn.*, 26 *mart.* 1763, § 6.

Petens tamen alimenta ratione egestatis, cedere tenetur pio operi suos reditus : *Ibid.*, § 7.

Nepos pauper agere valet pro alimentis adversus patruum : *Rom. seu Null., Subs.*, 19 *jan.* 1793, § 4.

Parentes omnes obligat virilis sexus ad præstanda alimenta : *Ibid.*

Non autem cogi possunt jure actionis qui non sunt agnati : *Ibid.*

Jus alimentorum communiter numeratur inter fructus patronatus, imo veluti præcipuus, et inseparabilis : *Camerin.*, 11 *aug.* 1784, § 3.

Ad assequenda alimenta requiritur paupertas : *Ibid.*

Et paupertas non debet esse extrema, sed sufficit talis, ut patronus vivere nequeat habito respectu ad ejus gradum et conditionem : *Ibid.*

Subsidiaria actio ad assequenda alimenta in favorem nobilis mulieris competit contra bona hæreditaria soceri, cum is in subsidium adferenda onera filio inhærentia teneatur : *Cæsaraug.*, *Matr.*, 23 *febr.* 1771, § 4.

Et etiam privignus tenetur in subsidium alimenta præbere novercæ in paupertatem delapsæ : *Ibid.*, § 5.

Multo magis, si privignus in bonis universis, tum liberis, tum fideicommissis, tum etiam feudalibus successerit : tenetur vel ex naturali æquitate, vel ex subsidiaria actione alimenta præstare nobili novercæ, quæ viduitatis statum servavit : *Ibid.*, § 6.

Ambigi nequit alimenta sive jure actionis sive officio judicis præstanda esse a die motæ litis, et multo magis a die expressæ petitionis : *Ibid.*, § 9.

Et privignus in subsidium ad alimenta tenetur, licet hodie datum sit filiis beneficium abstensionis, quando tamen non probetur eo usum fuisse privignum : *Ibid.*, § 11.

ALIMENTA QUOAD PATRONOS. Vide *Patronus*, § IV.

§ III.

Alimenta quibus et a quibus sint præstanda.

Canonica æquitas ex fructibus beneficii pauperibus patronis alimenta decernit : *Lucana*, 17 *jan.* 1789, § 5.

Ideo his debita sunt alimenta, et ab ecclesia subministranda : *Rom., Subst. dot.*, 8 *aug.* 1767, § 7 ; *Segusien., Reduct. Miss.*, 26 *mart.* 1791, § 7 ; *Camerin.*, 21 *aug.* 1784, § 8 ; *Barchin.*, 16 *dec.* 1769, § 9 ; *Lucan.*, 17 *jan.* 1769, § 5.

Et ratione beneficiorum patrono egeno debentur alimenta ex fructibus beneficii, quia correspectivum ei imminet onus reparandi ecclesiam ejusque necessitatibus occurrendi : *Imolen.*, 27 *febr.* 1768, § 10.

Quare si patrono non incumbat onus prædictum, nec etiam respondentia alimenta petere potest, præsertim si valde tenues sunt beneficii reditus : *Ibid.*

Et alimenta ex reditibus ecclesiæ non solum patrono pauperi, sed ejus quoque uxori, et filiis sunt subministranda : *Ead. causa.*

Nam præ omnibus ex beneficiis, et legatis piis indigentes patroni, et descendentes fundatoris alendi sunt : *Ferrar., Red. Mis., et Abs.*, 29 *nov.* 1788, § 4.

Si eorum angustias fundique legati prævidisset dispersionem, aut pium non reliquisset legatum, aut minorem Missarum numerum ad parandam illis alimoniam demandasset : *Ibid.*

Et æquitas canonica trahi potest non solum ad consanguineos, sed etiam ad hæredes fundatoris : *cit. Lucana.*

Si enim hic viveret, haud fortasse pateretur, ut integrum maneret legatum, et descendentes ex prædilecta ejus sorore perirent fame : *Ibid.*

Cæterum alimenta pauperibus patronis, aut consanguineis ex beneficio etiam pleno debentur : *Ibid.*, § 6.

Jus ea consequendi, quod patrono competit ex sacrorum benignitate protrahitur etiam ad hæredes quantumvis extraneos, in quos patronatus devenerit : *cit. Barchin.*

Patrono non debentur alimenta, si habeat fratrem divitem, vel salva honestate possit sibi victum ex industria quærere : *cit. Camerin.*, § 4.

Alimenta patrono suppeditanda sunt ab ecclesia seu beneficiato, solum ex superfluis : *Ibid.*, § 5.

Propterea ecclesia vel beneficiatus debet prius providere propriæ necessitati et cultui divino, ac deinde, si quid supererit, patrono succurrendum : *Ibid.*

Alimenta non propter dotem, sed propter obsequia matrimonialia debentur : *Rom., Subs. dot.*, 7 *jun.* 1788, § 7.

Non solum fundatori, et ejus filiis sunt alimenta præstanda, sed etiam patronis extraneis, quum textus in can. *Quicumque* 16, quæst. 7, non taxative, sed demonstrative loquatur : *Comen.*, 22 *nov.* 1721, § 7.

Cedere debet consanguineus pauper suos reditus operi pio, ut ab eo alimenta consequatur : *Panorm.*, 26 *mart.* 1763, § 8.

Alimenta decreta fuerunt pauperibus consanguineis, ex hæreditate relicta ad pios usus : *Ragus.*, 30 *jul.* 1763.

Ex æquitate canonica, converti valent piorum operum reditus, in pauperes testatoris consanguineos alendos : *Rom.*, 17 *jan.* 1789, § 5.

Alimenta debentur pauperibus puellis a testatore quomodocumque descendentibus, ex parte bonorum quæ in ecclesiam collata fuere ab eorum auctoribus : *Sutrin., Dotis*, 17 *jun.* 1780, § 6.

Maxime si accedat voluntas fundatoris imminuendi opus pium, imminutis reditibus : *Ibid.*

Præstatio alimentorum denegari non potest illi qui probat suam descendentiam a testatore, et constat de gravi suæ familiæ paupertate, cui pii legati fundator prospexisset, si illam prævidere potuisset : *Rom., Alim.*, 12 *mart.* 1774, § 2.

Maxime quia res est de alimentis præstandis optimæ indolis adolescenti, et ex causa studiorum, quam æque privilegiatam dicit ac causam dotium : *Ibid.*

Et fructus pii legati nequaquam converti potest in causam alimentorum pro masculis qui nunquam fuerunt a donante contemplati : *Ibid.*, § 5.

Patruus nepotem, et e converso nepos patruum egentem alere tenetur, juxta veram et in praxi receptam opinionem : *Mutinen.*, 13 *jun.* 1722, § 7.

Putant aliqui onus hoc esse personale, et sic minime ad hæredes transire : *Ibid.*

Aliqui vero tenent esse reale, et sic transire ad hæredes, et bona afficere : *Ibid.*

Contrarias has opiniones alii media via conciliant, quod opus hoc videlicet rigorose loquendo sit personale, sed quod ex æquitate supremi magistratus reale fieri possit : *Ibid.*

§ IV.

Alimenta ex quibus bonis præstanda.

Patrono pauperi debentur alimenta super fructibus bonorum patronatui subjectorum, in quibus adest originaria alendi obligatio : *Rom., Alim.*, 19 *april.* 1777, § 5.

Iisque deficientibus detrahuntur alimenta ex altera redituum medietate in tot subsidiis dotalibus eroganda : *Ibid.*

Est voluntas testatoris conjectata, ut potius alere suos descendentes quam dotare puellas incertas testator voluerit : *Ibid.*

Non est locus conjecturis super altera medietate redituum, neque exempla capienda, ubi pro libertate mens et voluntas testatoris cedentis apertissima est : *Ibid.*, § 7.

Fortius si cedens non est ascendens, sed transversalis, cujus patrimonium nec ad dotes nec ad alimenta in favorem collateralium subjicitur : *Ibid.*

Alimenta subsidiaria decernuntur super bonis primogenituræ in favorem descendentis ad illam vocati in defectum lineæ primogenialis : *Rom.*, 12 *jun.* 1762, § 4.

§ V.

Alimenta quoad quantitatem et taxationem.

Alimenta non ad meram victus necessitatem, sed ad cultum etiam secundum personæ conditionem dari oportet : *Rom., Subs. dot.*, 26 *mart.* 1768, § 5.

Alimenta nobilibus descendentibus pauperibus puellis pro decentia gradus a legato pio sunt subministranda : *Rom. seu Januen., Assig.*, 28 *febr.* 1761, § 3.

Scuta centum haud sufficientia sunt pro necessariis alimentis, præsertim canonico viro nobili, et cæco, cui inhumanum reditus imminuere foret : *Cæsen., Ind.*, 12 *jan.* 1760, § 3.

Alimenta nobili mulieri præstanda sunt habito respectu ad splendorem familiæ, ad qualitatem et dignitatem personarum, ac pro viribus matrimonii, et quidem a die qua petita fuerunt : *Cæsaraug., Matrim.*, 23 *febr.* 1771, § 4.

Alimenta, quæ servo sunt legata cum libertate, cum stent principaliter in obligatione, debentur a die obitus testatoris : etiamsi hæres sine mora, id est sine judiciali interpellatione, tardius præstet libertatem : *Rom., Jur. nom. et Accep. puell.*, 4 *dec.* 1762, § 6.

Quantitas alimentorum necessariis multiplicatis expensis, illarum respectu etiam augeri debet : *Rom. seu Jan., Assig.* 28 *feb.* 1761, § 5.

Quod non procedit, quando testator purum subsidium constituendum disponit, quod non intelligitur de integris alimentis : *Ibid.*, § 9.

Præsertim quando absque augmento summa subsidii sufficiens fuit pro aliis puellis reputata : *Ibid.*

Almutia.

Episcopo jus non est insignia concedendi almutiæ cum caputo capellanis : *Vigil., Insig.*, 3 *jun.* 1768, § 3.

Id Summo Pontifici, de cujus regalibus concessum est, privative est reservatum : *Ibid.*

Nec ad rem faciunt nonnulla Congr. Concili re-

scripta, quibus Episcopus innititur, cum ea spectent ad canonicos, non vero capellanos, ad quos jus Ordinarii non protrahitur : *Ibid.*, § 4.

Jus concedendi almutiam aliaque ejus generis insignia reservatum est summo Pontifici ; ita ut Episcopus ex ordinaria sui auctoritate nequeat honorifico habitus signo beneficiatos simplices, portionarios, aliosque clericos decorare : *Larien.*, *Præced.*, 21 *jul.* 1742, § 7.

Imo jus deferendi almutias nemo usurpare valet sine indulto apostolico : *Neriton.*, *Plur.*, 7 *jun.* 1760, § 8.

Hoc jure rite gaudent canonici ex tricenaria observantia Episcopi auctoritate inducta : *Ibid.*

Et arbitraria est almutiæ delatio super scapulàm, vel super brachium sinistrum : *Ibid.*

Altare.

Altaria super tumulis defunctorum construi nequeunt : *Leopolien.*, 30 *jul.* 1763, § 3.

Et decerni potest ab Episcopo demolitio illorum, vel aliorum officientium decori ecclesiæ cathedralis : *Ibid.*

Altaris jus patronatus commune non fit cum regularibus ratione præstiti fundi pro illius erectione in eorum ecclesiis : *Firm.*, *Erect. capel.*, 22 *jan.* 1763, § 2.

De ecclesiis sive altaribus destruendis, ac transferendis necessaria causa requiritur : *Leopol.*, 19 *jan.* 1765, § 4.

Potest Episcopus supprimere altaria, præsertim cum essent super imposita defunctorum tumulis : *Leopol.*, 30 *jul.* 1763. § 3.

Sed etiam potest alia decori ecclesiæ officientia demolire, oneribus ad altaria superextantia translatis : *Ibid.*

Altare privilegiatum pro celebratione Missarum concedi solet ecclesiæ publicæ : *Arim.*, 21 *jun.* 1794, § 5.

Altaristæ quoad distributiones.

Quum altaristarum reditus in solis distributionibus consistant, amittere integros ab eisdem in mensibus vacationum rigida est consuetudo : *Recanaten.*, *Servitii chori*, 8 *jul.* 1786, § 6.

ALUMNI. Vide *Seminarium*, § I.

AMISSIO. Vide *Domicilium*, § II; *Juspatronatus*, § XI ; *Pensio ecclesiastica*, § II.

AMOVIBILIS PAROCHUS. Vide *Parochus*, § XVI.

ANIMARUM CURA. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § X ; *Canonici*, § II ; *Capitulum ecclesiasticum*, § III ; *Cura animarum*.

ANIMI DEFECTUS. Vide *Irregularitas*, § II.

ANNATA. Vide *Media annata*.

Anniversariorum reductio.

Episcopo de jure, et vigore concilii Tridentini sess. 25, cap. 4, *de Reform.*, competit facultas onera anniversariorum ad minore mnumerum reducendi : *Vallijol.*, *Red. anniv.*, 8 *aug.* 1761, § 5.

Et licet hujusmodi facultas ablata fuerit Episcopis per decreta generalia publicata jussu Urbani VIII Pont. Max., et confirmata ab Innocentio XII : *Ibid.*

Tamen indultum prædictæ facultatis non videtur exorbitans, cum cohæreat juri antiquo : *Ibid.*

Imo Benedictus XIII in concilio Romano ad triennium non absimilem facultatem reducendi indiscriminatim onera Missarum concessit omnibus Episcopis qui concilio prædicto interfuerunt : *Ibid.*

Anniversarium.

§ I.

Anniversarium in genere.

Anniversarium illud est quod *pro defuncto fit anno revoluto a die mortis ejus* : *Sedunen.*, *Anniv.*, 13 *mart.* 1773, § 6.

Anniversaria tanquam legata pia distincta sunt a præbenda canonicali : *Hortanæ*, 5 *jun.* 1790, § 5.

Et relicta censentur intervenientibus, qui actu pro benefactoribus orant : *Ibid.*

§ II.

Anniversarium quoad emolumentum.

Anniversariorum emolumenta dantur ex juris dispositione iis qui præsentes sunt, non iis qui absunt, licet privilegium habeant ut præsentes reputentur : *Leodien.*, *Indult.*, 10 *jul.* 1751, § 2.

Ideoque, si privilegium exprimat omnia *et singula canonicatus et præbendæ præfatorum fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quæcunque*, trahi non potest ad emolumenta anniversariorum, quæ non veniunt ex canonicatu et præbenda, sed ex fundationibus et legatis piorum testatorum : *Ibid.*

Eoque amplius si in privilegio expresse fuerint exceptæ distributiones quotidianæ, et ideo excepta etiam censeantur stipendia anniversariorum, quæ eodem jure censentur ac distributiones quotidianæ : *Ibid.*

Multoque magis si accedat dispositio statutaria ejusdem ecclesiæ qua cautum sit ut emolumenta eorumdem anniversariorum non nisi præsentibus distribuantur, tunc enim opus esset ut huic statutariæ dispositioni Summus Pontifex expresse derogasset : *Ibid.*, § 3.

Neque opponi poterit causa privilegii, quæ sit bonum publicum, recepti siquidem juris est ut ad lucrifaciendas distributiones et emolumenta percipienda, quæ personarum operam requirunt, non proficiat causa absentiæ, licet pro utilitate Ecclesiæ universalis, et pro publico religionis, et fidei propagandæ bono : *Ibid.*

Emolumenta assignata iis qui celebrationi anniversariorum assistunt, non a beneficii titulo proficiscuntur, neque juxta naturam distributionum destinantur in mercedem servitii, quod præstetur ecclesiæ ; sed cum a peculiaribus fundatorum legatis promanent, non alia mente censentur relicta quam ut percipiantur ab iis, qui reipsa intersint celebrationi anniversariorum ad divinam opem implorandam pro defunctorum suffragio : *Bosanen., Visit. SS. LL.*, 6 *febr.* 1734, § 3.

§ III.

Anniversarium quoad ritum, et locum celebrationis.

Non satis constat quo ritu olim celebraretur anniversarium ; constat tamen peractum fuisse divinum sacrificium, et recitatos psalmos, preces, ac lectiones : *Sedun., Anniv.*, 13 *mart.* 1773, §§ 4 et 5.

Et cum legatum est prædium cum obligatione celebrandi anniversarium pro anima testatoris, satis injuncto oneri satisfit cantando Missam, et unum nocturnum defunctorum : *Ibid.*, § 7.

Nam quando celebratur anniversarium in ecclesia, dicitur officium mortuorum cum tribus nocturnis et laudibus, et antiphonis duplicatis, vel saltem unum nocturnum cum tribus lectionibus, et laudibus, ac Missa : *Ibid.*, § 6.

Et post Missam fit absolutio : *Ibid.*

Atque hic ritus officii pro defunctis adultis tam sacerdotibus et clericis quam sæcularibus et laicis servari debet in officio sepulturæ in die depositionis, sive in die 3, 7, 30, et aniversario : *Ibid.*

Extremus defunctorum dies usque a primis Ecclesiæ seculis annua recordatione fuit celebratus : *Ibid.*, § 2.

Anniversaria ideo peraguntur, quia sicut sanctis ea dies prodest ad gloriam nobisque ad utilitatem, ita defunctis prosit ad salutem et veniam, ac nostra excitat fides, ut credamus eos aliquando sanctorum consortio fore aggregandos : *Ibid.*, § 3.

Et ideo peragitur ea potissimum die qua a nobis defuncti decesserunt : *Ibid.*

Anniversaria a testatore ex præsumpta ipsius voluntate in ea ecclesia celebrari debeant, ubi cadaver fuit tumulatum : *Incol., Leg.*, 26 *febr.* 1774, § 6.

Et eo magis enixa voluntas præsumitur, si observantia accesserit : *Ibid.*

ANNUNTIATIO B. MARIÆ VIRGINIS. Vide *Officium divinum.*

ANNUS PROBATIONIS SEU TIROCINIUM. Vide *Professio religiosa*, § VII.

Antiphona.

Præire cantu antiphona *Si iniquitates* et officium super cadavere in sua ecclesia peragere ad solum parochum pertinet : *Avenion., Jur. par.*, 1 *mart.* 1766, § 24.

Antiphona *Exultabunt Domino* in Rituali Romano inter functiones parochiales numeratur : *Faven., Præem. et Fun.*, 11 *april.* 1761, § 6.

Et est præcinenda, dum cadaver effertur e domo a parocho indefinite : *Ibid.*

Licet nonnulli putant, præcinere antiphonam *Exultabunt Domino* antequam defuncti cadaver e domo efferatur cum non computetur inter actus parochiales recensitos in Rit. Rom. tit. 36 § 2, facienda sit a prima dignitate, vel digniori capituli, ad quem præcedentia in actibus communibus spectat : *Favent., Præem. et Fun.*, 7 *jun.* 1760, § 3.

Illi qui vere sunt canonici, et alii de præbenda jure debent e propriis stallis præcinere antiphonas, ne ab aliis discrepent, et ad imparia judicentur : *Calar.*, 4 *maii* 1771, § 4.

ANTIQUÆ ERECTIONIS CANONICI. Vide *Canonici*, § IX.

ANTISTES. Vide *Episcopus.*

Aperitio oris.

Aperitio oris adversus breve pontificium ad simplicem etiam læsionis, aut subreptionis, et obreptionis fumum conceditur : *Viterbien., Aperit. oris*, 27 *febr.* 1790, § 2.

Satis est ad obtinendam oris aperitionem adversus breve, ut proferantur jurium indicia, et argumenta, ex quibus appareat actorem, suspenso principis facto, esse audiendum : *Priver., Aper. oris,* 16 *martii* 1771, § 3.

Idque locum sibi vindicare, etiamsi principis factum seu gratia ex motu proprio processerit : *Ibid.*

Et etiamsi probationes tantum afferantur, quæ judicantium mentes in aliquod solum dubium conjicere possint : *Ibid.*

Multoque magis concedenda aperitio oris est, quando breve apostolicum subreptionis vitio infectum noscitur : *Ibid.*

Quoties clausula *sublata* in rescripto deficit, et imo Summus Pontifex utrumque oratorem S. C. Concilii remisit *cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis,* toties aperitionem oris concessisse videtur : *Fabrianen., Admin.,* 17 *jun.* 1786, § 6.

Non decet nec licet, salva honestate, dubitationem proponere de Pontificis intentione, sine qua oris aperitioni locus fit : *Ibid.* § 9.

Apostilla. — Nota marginalis.

In testamento aliena manu exarato requiritur subscriptio vel approbatio notarii ad confirmandam apostillam, seu notam marginalem : *Feretr., Leg.,* 36 *maii* 1786, § 6.

Neque generalis subscriptio, et approbatio potest extendi ad roborandam fidem apostillæ addictionalis, quamvis probetur illam fuisse scriptam ab eo qui scripsit integrum testamentum vel codicillum : *Ibid.*

Quod si verba, quæ marginalem notam antecedunt, ad eas coercendas sunt species quæ distincte et singillatim in præcedenti orationis parte enumerantur, ad has quoque cohiberi debeat marginalis additio in eadem oratione contenta : *Ibid,* § 8.

Apostolicæ litteræ. Vide *Exequutor.,* § 1 ; *Litteræ apostolicæ.*

Apostolicæ reservationes. Vide *Beneficia ecclesiastica,* § III ; *Reservationes apostolicæ.*

Apostolicum beneplacitum. Vide *Beneplacitum apostolicum ; Alienatio,* § II ; *Contractus,* § II ; *Emphyteusis,* § II.

Apostolicum breve. Vide *Breve apostolicum.*

Apostolicus exequutor. Vide *Exequutor,* § 1.

Apostolicus nuntius. Vide *Nuntius apostolicus.*

Apostolicus visitator. Vide *Visitator apostolicus.*

Appellatio.

§ I.

Appellatio in genere.

Appellatio ab Episcopi sententia admittenda est ab eodem, cum a Tridentino appellandi jus sublatum non fuerit : *Aquil., Dism.,* 25 *jan.* 1744, § *fin.*

Appellatio non retardat admissionem coadjutoris dati parocho inhabili : *Ascul.,* 22 *jan.* 1763, § 3.

Judiciariæ appellationi ad Sanctam Sedem ea vis est, ut decretum quodlibet ab inferiori judice postea latum penitus irritum maneat : *Cotron., Cens.,* 14 *an.* 1741, § 2.

§ II.

Appellatio quando admittenda, vel non.

Quando alicui remittitur negotium aliquod cum clausula *conscientiam oneramus,* ab ejus arbitrio, judicatu et sententia non datur appellatio : *Vot. card. Perejera,* 28 *decemb.* 1723, § 12.

Appellationem adversus Episcopi decreta respuunt indistincte omnia quæ Dei cultum, ecclesiæ reditus, et animarum curam, aliaque hujusmodi : *Colon.,* 14 *febr.* 1767, § 32.

A privilegiato visitantis decreto, et dispositione Tridentini sess. 24, cap. 10, *de Reform.,* non datur appellatio : *Firm., Int. et Trans.,* 19 *maii* 1787, § 3.

In causis correctionis morum, non obstante quacumque consuetudine appellari non potest ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine, nisi gravamen per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit : *Grav.,* 10 *jun.* 1724, § 8.

A judicio Episcopi quoad ordinationem appellatio non datur, sed recursus : *Ascul., Ord.,* 24 *mart.* 1792, § 3.

A judicatu Metropolitæ ad Pontificem tantum licet appellare : *Rav. seu Ferr., Jur.,* 29 *aug.* 1744.

Limita si agatur de legatis a latere, qui tanquam per Pontifices jurisdictionem habent : *Ibid.*

Fallit si res sit de legatis ordinariis, seu rectoribus provinciarum, qui antiquis proconsulibus, ac prorectoribus suffecti sunt : *Ibid.*

Appellatio adversus statutum admittitur, quando illud conditum fuit adversus particularem personam ; secus autem, quando factum est ad publicam utilitatem : *Bonon.,* 1 *sept.* 1725, § 1.

Limita vero, quando statutum conditum est ab eo qui superiorem recognoscit : *Ibid.*

Curia metropolitana recipere nequit appellationes in causis in quibus Episcopi procedunt jure delegato vigore facultatum eisdem a Tridentina synodo indultarum : *Derthon., Visit.*, 24 *nov.* 1759, § 13.

Appellatio admissa fuit a sententia super nullitate professionis lata per Ordinarium post concessam a S. Congr. Concilii in integrum restitutionem : *Nol., Null. prof.*, 23 *april.* 1763, § 7.

Curiæ archiepiscopali licitum est admittere appellationes a parochis interjectas adversus suffraganeorum decreta, quibus si ad residentiam compelluntur, et respective eisdem parochis concedere inhibitiones, quarum præsidio ab eorumdem decretorum executione possint se tueri : *Suess., Res. et Cen.*, 1 *mart.* 1738, § 3.

§ III.

Appellatio devolutiva vel suspensiva.

Appellatio in devolutivo facile admittitur adversus synodales sanctiones : *Asc.*, 11 *jul.* 1767, § 15.

In causis etiam correctionis morum appellari potest in devolutivo, et etiam in suspensivo, quando judicialiter causa cognita fuit : *Gravin.*, 10 *jun.* 1724, § 9.

Appellatio non nisi in devolutivo admittitur, dum agitur de parochialibus ecclesiis : *Venul., Arch.*, 20 *jan.* 1770, § 8.

Sed hæc regula non servatur, quando res est de beneficiis simplicibus, nullam animarum curam adnexam habentibus, quia tunc suspensiva quoque appellatio admittitur : *Ibid.*

Appellatio etsi a synodalibus statutis de jure admitti possit in devolutivo, hæc tamen a prudenti superiore non est statim, ac ad cujuslibet querelam admittenda : *cit. Ascul.*, § 19.

Et id ne Episcopi deterreantur a suis cogendis synodis timore litium, quas postea subire cogantur ob frivolas appellationes : *Ibid.*

Hinc appellatio quum interponatur ad S. Congr. Concilii, ejusdem secretarius compellere debet appellantes ad designandas singulas constitutiones contra quas reclamant : *Ibid.*

Imo eos adigere debet ad momenta rationum exponenda, propter quas irrationabiles et graves esse illas constitutiones contendunt : *Ibid.*

Appellatio suspensiva datur a gravamine resolutionum et sententiæ : *Cæsen., Subs. dot.*, 21 *april.* 1792, § 2.

§ IV.

Appellatio quoad interpositionem.

Episcopus potest præfinire terminum ad appellandum, quo elapso nova collatio sustinetur : *Alex., Susp.*, 11 *jan.* 1772, § 11.

Appellatio ab electo ad canonicatum interposita non afficit, qui, ea non obstante, valet intra quadrimestre variando alterum nominare : *Urb., Canon.*, 10 *jan.* 1778, § 5.

Appellatio in parochiarum concursu. Vide *Concursus*, § III.

Appellatio a mala episcopi electione, et reprobatione examinatorum. V. *Concursus*, § III.

Appellatio seu Nomen. Vide *Nomen*.

Applicatio seu Unio.

In applicanda hæreditate justa requiritur causa, quæ in ultimis derogandis voluntatibus est necessaria : *Cæsen., Appl. hæred.*, 23 *febr.* 1793, § 5.

Applicatio fructuum superextantium solent fieri in augmentum fundi capellaniæ, ut eleemosyna augeatur : *Usollen.*, 20 *jul.* 1793, § 7.

Bona quæ solum requirunt reaptationes moderatas non sunt applicanda fabricæ ecclesiæ et episcopii, sed occurrendum est istis ex quarta fructuum episcopatus et canonicatuum : *Macer., Appl.*, 20 *decemb.* 1760, § 1.

Vel ope mediæ annatæ reliquorum beneficiorum : *Ibid.*

Cum applicatio non aliter fieri possit quam ope eversionis, abolitionis, et odiosæ commutationis voluntatis, indulgenda est a Summo Pontifice, nisi ex urgentissima et necessaria causa : *Padebor., Appl.*, 21 *novemb.* 1772, § 6.

Applicatio redituum qui a piis testatoribus, vel pro celebratione Missarum, vel pro aliis usibus relicti fuerunt, vetita est de jure : *Amerinen., Appl.* 7 *sept.* 1776, § 6.

Limitatur, piæ illorum voluntates tamen illorumque legata, quæ nequeunt adimpleri modo statuto a testatoribus ob impedimentum facti, prout illud est ex redituum modicitate prosiliens, in alios usus pios converti debent : *Ibid.*

Inter pios usus principem locum tenet applicatio bonorum egeno seminario facienda : *Ibid.*

Ubi in pœnam non residentis certam fundator fructuum speciem addixit sacrario ecclesiæ, ei applicari non debent reliqui fructus beneficii, de quibus loquutus non fuit : *Auxim., Capel.*, 21 *jan.* 1797, § 7.

Reliqua. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § iv ; *Legatum pium*, § iv.

Applicatio Missæ conventualis. Vide *Beneficiati*, § x ; *Canonici* § xii ; *Capitulum ecclesiasticum*, § xiv ; *Dignatates ecclesiasticæ*, § xii ; *Missa*, § xiv.

Applicatio Missæ pro populo. Vide *Missa*, § xii ; *Parochus*, § iii.

Applicatio Missarum. Vide *Capellanus*, § ii.

Approbatio. Vide *Concionator*, § ii ; *Confessarius*, § i ; *Transactio*, § ii.

Aqua lustralis. Vide *Aspersio ; Cadaver*, § i.

Arbitri judices. Vide *Judices arbitri*.

Arbitrium.

§ I.

Arbitrium in genere.

Verba *conscientiam oneramus* important arbitrium boni viri : *Vot. card. Pereir.*, 18 *decem.* 1723, § 10.

Quando res committitur arbitrio boni viri standum est declarationi ipsius arbitrii, nisi clare repugnet sacris canonibus, aut juri civili : *Ibid.*

Et potius monitionem quam conditionem important : *Ibid.*

Et ideo apposita hæc clausula in rescripto Pontificis remittit apices et rigorem juris civilis : *Ibid.*

Quando alicui committitur negotium aliquod cum prædicta clausula, ab ejus arbitrio, judicatu, et sententia non datur appellatio : *Ibid.*, § 2.

Qui de aliqua re arbitrium habet, eam voluntate sua moderare potest, neque necessitati juris subjicitur : *Senog.*, 20 *mart.* 1790, § 3.

Sed arbitrium ad juris normam conformari debet : *Ibid.*, § 5.

Arbitrium quando ad præscriptum juris dirigitur et ad illius rationem, præteriri non potest ordo judiciorum : *Favent., Red. Miss., seu Reint.*, 27 *aug.* 1763, § 4.

Arbitrio consumpto per erectionem beneficii amplius non valet optionis beneficium : *Palmer., Reduct. Miss.*, 2 *febr.* 1797.

§ II.

Arbitrium Episcopi.

Arbitrio Episcopi S. Concil. Tridentin. cap. 3 sess. 25, *de Refor.*, remittit processum et sententias excommunicationum : *Andr.*, 29 *aug.* 1767, § 74.

Arbitrium in controversiis laicorum definiendis imperatores concesserunt episcopis *nativa*, ut vocant, in laicos jurisdictione carentibus : *Civ. Cast., Juris.*, 2 *aug.* 1749, § 3.

Hoc autem arbitrium Episcopis fuit sublatum : *Ibid.*

Et post constitutam episcopalem audientiam statutum fuit legibus Cæsarum et summorum Pontificum, ut actor forum rei sequeretur : *Ibid.*

Arborum incisio.

Episcopus jus habet ex dispositione can. *Terrulas* 12, quæst. 2, veniam dandi cædendi arbores : *Cæsenat., Benepl.*, 22 *mart.* 1755.

Et dum de necessitate et utilitate ecclesiæ et tenuitate pretii constet ex peritorum relatione, exequendum est Episcopi rescriptum : *Ibid.*

Et nonnulli doctores docent Episcopos habere facultatem usque ad summam scut. 50 : *Ibid.*

Incisio arborum frugiferarum, tanquam vera et propria alienatio, sive illæ sint magni valoris, sive parvi, sub prohibitione alienationis comprehenditur ad effectum saltem, ut necessario requiratur ordinarii licentia : *Tuder., Cens.*, 2 *jun.* 1740, § 4.

Vulgatum est, arbores sine solemnitatibus et beneplacito apostolico cædi et vendi non posse, quando incisio et venditio magnam illarum quantitatem comprehendat, cum notabiliter fundus deterior factus sit, et quando arbores non sint cæduæ, sed annuum fructum reddant, ut poma, nuces, castaneæ, aliæque hujuscemodi, et quarum incisione notabiliter fundus deterior evadat : *Senog.*, 10 *februar.* 1770, § 5.

Semper expedit vetustas et corruptas incidere arbores aliasque in earum locum substituere : *Aprut.*, 19 *maii* 1787, § 5.

Sæpe utilior est fundo ejusque culturæ frugiferarum etiam arborum incisio : *Ibid.*

Quum testator hæredi interdixerit, *che non possa taglia cosa di fondo*, seu quod idem est, arbores frugiferas, quæ pars sunt, et accessiones fundi : *Ead.*, 28 *jul.*, § 2.

Sub hac tamen prohibitione non veniunt arbores corruptæ et cæduæ : *Ibid.*

Aliæ ex his cædi possunt, ut novæ substituantur : *Ibid.*

Aliæque, quum sint in fructu, ut scilicet quæ soleant excindi ad usum quempiam lignandi vel ædificandi gratia, ideo il, ad quos fructus pertinet, vel integre, vel pro parte poterunt excindere in usum, in quem impedi solent : *Ibid.*

Idque licet beneficiato, qui reliquis antecedit usufructuariis, ac potiora habet jura : *Ibid.*

ARCHICONFRATERNITAS. Vide *Sodalitium*.

Archidiaconatus.

§ I.

Archidiaconatus dignitas ecclesiastica quoad collationem.

Illi debetur collatio Archidiaconatus prælative a fundatore vocato, dummodo intra quadrimestre vel naturaliter, vel per apostolicam dispensationem idoneus fiat : *Verul., Arch.*, 30 *jan.* 1708, § 4.

Idque consonum est tum naturali fundatoris affectioni erga ipsum prælative vocatum : *Ibid.*

Nec alteri est jus certum, sed eventuale et proprio propterea jure contendere non potest, ne prælative vocatus intra quadrimestre per apostolicam veniam evadat vocatus : *Ibid.*, § 5.

Præsertim si testator in defectu vocati indixerit concursum, hinc nullo indicto concursu, nulloque jure idoneitatis specimine dato, nullum jus certum quis habet, ac illegitimus est contradictor, ne concedatur dispensatio prælative vocato : *Ibid.*, § 6.

Ideo vocato ætatis venia, excluso illegitimo contradictore, est indulgentia, etiamsi agatur de dignitate : *Ibid.*, § 7.

Præsertim quia nullum ecclesiæ irrogatur præjudicium, cum in litteris apostolicis de stylo adjiciatur clausula imponens onerum implementum per substitutum : *Ibid.*

Nullumque damnum irrogatur subsidiarie vocatis, cum iis nullum jus certum sit quæsitum : *Ibid.*

§ II.

Achidiaconatus dignitas ecclesiastica quoad erectionem.

Licet beneficium sub titulo archipresbyteratus non cathedralibus tantum, sed etiam in collegiatis et ruralibus ecclesiis reperiatur, difficultas tamen est circa beneficium sub nomine archidiaconatus erigendum ; cum archidiaconus, qui oculus Episcopi dicitur, nonnisi ecclesiæ cathedrali decere videatur, inspectis præsertim muneribus, quæ ad eum pertinere recensentur in jure canonico : *Spolet., Erect. dignit.*, 28 *jan.* 1736, § 5.

Verum tamen constat etiam in quibusdam collegiatis ecclesiis dignitatem sub titulo archidiaconatus existere : *Ibid.*

Archidiaconus.

§ I.

Archidiaconus quoad confirmationem electionis.

Confirmatio electionis archidiaconi procedit ex dispositione juris, requirentis Ordinarii institutionem, vel confirmationem ad exercendam curam animarum ; ad elidendam idcirco contrariam quamlibet consuetudinem, unicus etiam actus sufficit : *Monast.*, 16 *sept.* 1769, § 5.

Imo etiamsi prædecessores Episcopi neglexissent archidiaconos confirmare, nihilominus nequaquam sublatam esset jus successoris, qui Concilii Tridentini decreta observare satagat : *Ibid.*

§ II.

Archidiaconus quoad dignitatem, jurisdictionem, et potestatem.

Certum est archidiaconus juxta sacros canones jurisdictionem archidiaconalem exercere, tanquam Episcopi vicarios : *Monast., Confir.*, 16 *sept.* 1769, § 6.

Et Archidiaconi munus eo spectare, ut per ipsum episcopalis sollicitudo sublevetur, atque adjuvetur : *Ibid.*

Unde est ut archidiaconus oculus Episcopi nuncupetur : *Ibid.*

Nec dubitandum, quin Episcopo debita sit etiam subjectio ab eo prælato regulari, cui concredita sunt jura archidiaconalia : *Ibid.*

Ordinaria jurisdictio archidiaconi, licet directe profluat a jure, indirecte tamen venire ab homine, sive ab Episcopo archidiaconum instituere, vel confirmare : *Ibid.*, § 7.

Plures actus ab archidiacono sine Episcopi licentia exerceri non possunt : *Ibid.*

Præcipue vetita est archidiaconis diœcesis visitatio absque Episcopi licentia : *Ibid.*

Et licet sit regularis exemptus ab Episcopi jurisdictione, tamen tanquam archidiaconus Episcopo subest in cujus diœcesi archidiaconatus existit : *Ibid.*, § 8.

Maxime, quia archidiacono adnexa est cura animarum : *Ibid.*

Cujus exercitium tunc demum archidiaconi suscipiunt, cum ab Episcopo diœcesano instituuntur vel confirmantur : *Ibid.*

Ad archidiaconum majorem alicujus cathedralis

ecclesiæ, sede episcopali vacante, competit omnimoda jurisdictio tam voluntaria quam necessaria, una cum beneficiorum collatione, iis tantum exceptis quæ sunt ordinis : *Gerund.*, 20 *nov.* 1723, § 1.

Tam ipsi archidiacono quam ejus vicario competit convocare capitulum, in eo præsidere, et alia peragere : *Ibid.*, § 3.

Vacua sede episcopali, vices omnes archidiaconus gerit Episcopi ; exceptis iis quæ ad potestatem ordinis pertinent, in cæteris omnibus subrogatur defuncto Episcopo : *Gerund.*, *Juris.*, 13 *jun.* 1733, § 10.

Archidiaconus non veluti in capituli locum suffectus, sed ex suæ dignitatis prærogativa in omnimodam Episcopi jurisdictionem, ecclesia vacante, in nonnullis ecclesiis succedit : *Gerund.*, *Jur. conv. cap.*, 13 *sept.* 1738, § 3.

Jus solemne faciendi sacrum in ecclesia cathedrali, Episcopo absente, competit archidiacono, qui dignior est in ordine hierarchico Ecclesiæ, licet vicarius, aut provicarius generalis, majorem habeat jurisdictionem : *Nebbien.*, 1 *sept.* 1753, § 3.

§ III.

Archidiaconus quoad fructus et distributiones.

Archidiaconus etiamsi nec stipendium, nec cathedram ordinariam obtinuerit in academia, in qua publice docet theologiam accepta ad id facultate ab ejusdem universitatis collegio pontificio gaudet indulto de percipiendis in absentia fructibus præbendæ : *Paten.*, *Ind.*, 6 *dec.* 1732.

Erga archidiaconum ob fundationem sui archidiaconatus cum lege participandi de communibus distributionibus, locum non habet censura conciliaris, quæ legi fundationis non derogat : *Imolen.*, *Distr.*, 25 *april.* 1761, § 5.

Et ideo non tenetur ad restitutionem distributionum perceptarum, sed demandanda est in sui favorem consignatio aliarum distributionum, quas lucratus est ratione præstiti servitii : *Ibid.*

Et quas petere potest usque ad 30 annos : *Ibid.*

Quum nunquam archidiaconus emisit professionem fidei in capitulo, et nunquam resedit, suos facere non potuit fructus præbendæ, cum satis non sit sola possessio, quam per procuratorem accepit : *Mind.*, *Fruct.*, 24 *mart.* 1753, § 2.

Neque hoc casu requiruntur monitiones a Tridentino præscriptæ, cum res non sit de privatione fructuum, sed de restitutione eorumdem, quos indebite perceperit, quia non implevit legem residentiæ, de qua interpellari judicialiter non debebat, cum adnexa sit dignitati : *Ibid.*

ARCHIEPISCOPUS. Vide *Episcopus*.

Archipresbyter.

§ I.

Archipresbyter quoad congruam, et alia emolumenta.

Archipresbytero assignanda est congrua ratione curæ actualis quam ille exercet, illamque deberi a capitulo, cui habitualis cura attributa fuit : *Baren.*, *Cong. et Expen.*, 14 *jan.* 1760, § 2.

Et ea taxanda est in 100 quantum rectoribus præservat in casu imponendæ pensionis S. Concilium Tridentinum : *Ibid.*

Quod procedit etiam quoad dignitatem curam animarum exercentem : *Ibid.*

In congruam imputari non possunt fructus præbendæ, quos percipit ratione assistentiæ divinis officiis, aut emolumenta stolæ, quæ sunt incerta : *Ibid.*

Non est idem dicendum, quando agitur de congrua jam accepta et diu retenta : *Ibid.*, § 3.

Et resolutiones S. Congr. Concilii declarantes curam habitualem esse penes capitulum, actualem vero penes archipresbyterum novum jus partibus non tribuerunt, sed juris competentiam explicarunt : *Ibid.*

Ideo archipresbyter debet esse contentus antiqua congrua, quam ipse suique antecessores ab immemorabili perceperunt : *Ibid.*

Distributiones quotidianæ in congruam archipresbyteri seu parochi de jure imputantur : *Firm.*, 14 *maii* 1788, § 4.

His accedunt emolumenta stolæ, quæ ad unum spectant archipresbyterum, ac veluti in genere certa, congruam augent : *Ibid.*

Et nulla est ratio, si post acceptam congruam, et post plurium annorum silentium, onerum levamen quæratur : *Ibid.*, § 5.

Novus archipresbyter potest petere de bonis communibus capitulo seu ecclesiæ datis, sive antea, sive postea adeptis : *Tolen.*, *Arch.*, 11 *jan.* 1766, § 6.

Æquum est, ut qui commune cum aliis servitium præstat, communiter expensas præbeat ; atque qui communia onera suffert, communia emolumenta participet : *Ibid.*, § 7.

§ II.

Archipresbyter quoad dignitatem, officium, et potestatem.

Primus presbyterorum est archipresbyter, qui aliis presbyteris præest, et curam habet animarum : *Verul.*, *Jur. par. et Præem.*, 27 *apr.* 1776, § 6.

Si archipresbyter gaudet eadem qua alii prærogativa honoris, æquum proinde est ut dispendium subeat : *Telen., Arch.*, 11 *jan.* 1766, § 17.

Archipresbyter uti caput capituli aliquando deputat vicarios in repræsentantiam totius capituli curati habitualis : *Bonon.*, 26 *mart.* 1763, § 3.

Archipresbyter cathedralis ecclesiæ cum stola gestare, ac muneris emolumenta percipere debet uti parochus, vel alius presbyter vice illius interveniens, non autem œconomi ecclesiarum filialium : *Andr.*, 11 *sept.* 1762, § 11.

Archipresbyteri officium est supplere vices Episcopi in administratione curæ animarum : *Andr.*, 23 *apr.* 1763, § 8.

Archipresbytero reservata cura animarum, ac reditibus, quasi non expressum Ecclesiæ regimen denegare voluisse censeatur : *Senog.*, 13 *junii* 1789, § 11.

§ III.

Archipresbyter quoad Missam pro populo.

Archipresbyter animarum curæ præpositus tenetur singulis diebus festis absque ullo emolumento applicare Missam pro populo : *Nepes., Restaur. eccl.*, 28 *aug.* 1773, § 7.

§ IV.

Archipresbyter quoad onera in genere.

Archipresbyter, qui pingues suæ præbendæ reditus habet, ad restaurandum fornicem turris sacræ tenetur : *Cæsen.*, 9 *jan.* 1766, § 15.

Parochiæ incolæ vero non nisi in subsidium : *Ibid.*

Ab archipresbytero, qui cum capitulo et canonicis unicum corpus constituit, unicum tantum cathedraticum in communi ab omnibus membris ejusdem capituli est præstandum : *Aquipend., Cathedral.*, 20 *decem.* 1766, § 2.

Archipresbyter cogi potest ex dispositione Tridentini ad adjungendos sacerdotes adjuvantes eum in cura animarum ob incrementum populi : *Terrac. et Priver.*, 17 *martii* 1781, § 5.

Si autem populus ob distantiam vel difficultatem locorum ad propriam paræciam accedere nequit sine magno incommodo, tunc ad erectionem novæ parochiæ a prima dismembrandæ deveniri debet : *Ibid.*, § 6.

Archipresbyter tenetur ad contributionem expensarum litium pro communi decore, utilitate, e capituli lucro factarum : *Faven.*, 18 *aug.* 1764, § 2.

Etiamsi non percipiat de distributionibus, dummodo tamen sit de gremio capituli : *Ibid.*

Archipresbyteratus.

§ I.

Archipresbyteratus dignitas ecclesiastica in genere.

Non est archipresbyteratus vere dignitas, quum non habeat administrationem cum jurisdictione et præeminentia, ac consuetudinem : *Tolent., Archip.*, 11 *jan.* 1766, § 13.

Præsertim, cum suscepta sit cum oneribus canonicorum : *Ibid.*

Quod nuda dignitatis appellatio ad nudum nomen refertur : *Ibid.*

Archipresbyteratus autem est vere et proprie dignitas ex juris sanctione, et ex voluntate testatoris : *Ibid.*, § 5.

Nec non ex auctoritate Ordinarii : *Ibid.*

Expedit decori Ecclesiæ et animarum saluti, ut antiquus archipresbyteratus titulus restituatur, et ut non a mercenario capellano, sed a perpetuo archipresbytero regatur : *Brict., Trans.*, 24 *jan.* 1763, § 4.

§ II.

Archipresbyteratus dignitas ecclesiastica quoad erectionem.

De archipresbyteratus erectione nulla difficultas ; quia beneficium sub titulo archipresbyteratus non in cathedralibus tantum, sed etiam in collegiatis ecclesiis passim reperiri compertum est, quin etiam ruralibus quoque ecclesiis præficiendum esse archipresbyterum : *Spolet., Erect. dig.*, 28 *jan.* 1736, § 5.

Archipresbyteratus dignitas erigi potest auctoritate Episcopi, quæ ex iis est, quæ in cathedrali erigi consueverunt, ac sacris canonibus cognitæ sunt, dum profecto aliæ novæ, ac insitatæ erigi non potuissent : *Tolent., Archip.*, 11 *jan.* 1766, § 20.

Archivum.

In concilio Romano mandatur Episcopis ut in episcopio et loco quo possit tutiori simul et commodiori archivum retineatur, atque in illo omnes

scripturæ curiæ reponantur : *Viterbien., et Tus.*, 14 *sept.* 1782, § 12.

Episcopale archivum publici archivi auctoritatem ex jure habet : *Cæsen., Subs. dot.*, 21 *apr.* 1792, § 3.

Expedit, ut quælibet ecclesia habeat archivum, in quo scripturæ ad eam pertinentes serventur : *Firm.*, 18 *jul.* 1772, § 11.

In archivo ecclesiæ cathedralis unicæ parochialis habetur onus deferendi quotannis libros baptizatorum, confirmatorum, junctorum in matrimonium, mortuorum, ac status animarum ecclesiæ coadjutricis : *Andrien.*, 20 *decem.* 1766, § 25.

Argumentum.

Argumentum in pœnalibus non valet a casu ad casum diversum : *Firm., Disp. ab irreg.*, 7 *apr.* 1781, § 10.

Quia pœnæ molliendæ sunt potius quam exasperandæ : *Ibid.*

Quum fundator in distributione dotium necessitatem domicilii expresserit quoad puellas et mulieres familiæ nubentes in Domino, non item quoad nubentes in seculo, ideo locum argumentum a discretiva habet : *Rom. seu Savon., Subs. dot.*, 26 *apr.* 1788, § 7.

Argumentum fallax undique et æquivocum est ex consanguinearum prædilectione desumptum, præsertim in aliarum puellarum præjudicium : *Rom., Subs. dot.*, 11 *jan.* 1778, § 7.

Præsertim quando res est de consanguineis remotissimis, ad quas extendi nequit charitatis ratio coercita intra quartum gradum jure civili computandum : *Ibid.*

Ars.

§ I.

Ars in genere.

Ars non valet, si desit exercitium : *Urb. seu Arim., Ann. assig.*, 11 *mart.* 1786, § 4.

Et ad artis exercitium bona rectaque valitudo est necessaria : *Ibid.*

§ II.

Ars aromataria.

Urbanus VIII Pont. Max. ad omnes tollendos abusus expresse jussit, ut in conventibus non retinerentur aromatariæ, nisi ad usus monasteriorum duntaxat, nec liceat reis illarum cuique vendere : *Barch.*, 4 *jun.* 1768, § 7.

Sed dictus Sum. Pontifex abusum aromatariarum regularium, ac mercimonium pharmacorum improbavit : *Ibid.*, § 11.

Et in hoc consonæ sunt frequentes Sacrarum Congr. resolutiones, præsertim S. Congr. negotiis Episc. et Reg. præpositæ : *Ibid.*

Ac Sacra Rota sequuta est, ad omnem præcidendam occasionem, ac prætextum, quo facile eludi possint Constitutiones Apostolicæ, ac decreta S. Congr. prohibentium illicitum mercimonium in aromatariis regularium : *Ibid.*

Aspersio aquæ lustralis.

Ab antiquissimo tempore in more positum est, ut in ecclesiis præsertim parochialibus, qualibet die dominica aspersio aquæ lustralis super populum fiat ante solemnem Missam : *Lucan., Serv. chor.*, 10 *jan.* 1784, § 9.

Nunquam omitti debet tali die hujusmodi aquæ aspersio, atque benedictio : *Ibid.*

Assertio. — Assertiones.

Prioribus magis, quam posterioribus assertionibus deferendum est : *Neap., Matrim.*, 29 *aug.* 1772, § 4.

Assertioni ad propriam utilitatem et commodum emissæ nulla fides adhiberi debeat : *Mediol., Prof.*, 29 *aug.* 1774, § 14.

Assertiones conjugum, licet juratæ, non attenduntur, dum concordi animo idem instant pro nullitate matrimonii : *Albin., Null. matrim.*, 30 *jan.* 1768, § 9.

Assignatio.

Assignatio rediens in animæ testatoris suffragium, cæteris omnibus piis legatis præferenda est : *Rom., Capell.*, 10 *febr.* 1770, § 10.

Reliqua. Vide *Bona ecclesiastica*, § I.

Associatio. Vide *Cadaver*, § II ; *Sacramentum Euch.*, § II.

Attentata.

§ I.

Attentata in genere.

Superflua et inanis est quæstio de attentatis, cum ea ex bono jure prorsus evanescunt : *Venul., Arch.*, 16 *sept.* 1769, § 7.

Inanis est attentatorum quæstio, quæ ad tramites boni juris semper absolvi debet : *Monop., Donat.*, 18 *nov.* 1769, § 11.

Nullo modo ex attentatis redargui potest ille, qui suo jure utitur, quia nemini facit injuriam : *Rom., Subs. dot.*, 16 *dec.* 1769, § 13.

Attentata in supremis tribunalibus regulantur a bono jure : *Fanen., Subs. dot.*, 14 *febr.* 1761, § 6.

De attentatorum viribus ad normam boni juris judicandum est in supremis tribunalibus : *Tybur., Attent.*, 24 *nov.* 1759, § 4.

§ II.

Attentata quando et quomodo dicantur commissa.

Attentata non inducunt citationes irregulares : *Fanen., Subs., dot.*, 14 *februar.* 1761, § 6.

Vel appellatio de jure non admittenda : *Ibid.*

Nulla sunt commissa attentata, cum rejecta appellatio ac spreta prorsus contradictio fuerit, et etiam recursus nonnisi in devolutivo admitti poterat : *Verul., Archid.*, 19 *sept.* 1769, § 7.

Nullum vitium attentatorum ex contemptu emissæ contestæ denunciationis oritur, cum ea nec vim habeat citationis, nec contestationem litis inducat : *Comclen., Capell.*, 17 *jun.* 1769, § 9.

Ideo gratificatio Episcopi facta contra dictam contestatam denunciationem nullo vitio attentatorum infecta est : *Ibid.*

Attestatio. — Attestationes.

Attestatio testimonii extrajudicialis minime facienda est : *Verul., Arch.*, 20 *jan.* 1770, § 5.

Præsertim si caret juramento : *Ibid.*

Jurata attestatione de onerum adimplemento satis edoceatur, veluti ab ipsius tantum conscientia repetendo : *Nerit., Adimp. oner. Miss.*, 2 *jan.* 1742, § 5.

Et in specie quod attestatio sacerdotium celebrare debentium satis probat Missarum celebrationem : *Ibid.*

Attestationes et fides tam judiciales, quam extrajudiciales, et documenta quæcumque studiose conquisita, et post concursum, ut aiunt, expiscata recipi non debent : *Firm., Paroch.*, 4 *jun.* 1763, § 4.

Auctoritas. Vide *Consuetudo*, § II.

Auditus. Vide *Testes*, § IV.

Augmentum. Vide *Pensio ecclesiastica*, § III.

Bajulivatus, Bajulivus. Vide *Religio militaris Ordinis Hierosolymitani*, § IV.

Baptismales ecclesiæ. Vide *Ecclesia matrix.*

Baptismalis Fons. Vide *Fons baptismalis.*

Baptismus. Vide *Sacramentum Baptismi.*

Barbitonsores.

Barbitonsores chirurgiam exercentes inter artifices non possunt recenseri : *Cæs., Ben.*, 20 *aug.* 1778, § 9.

Baro.

Baro loci dicendus haud est qui in eodem loco simplicem habeat criminalem jurisdictionem : *Ugen.*, 12 *jan.* 1760, § 2.

Basilicæ S. Petri fabrica. Vide *Fabrica basilicæ S. Petri.*

Belgium.

Omnes Belgii provincias, anno 1559, Paulus IV Pont. Max. distribuit in tres archiepiscopatus, Mechliniensem, Ultrajectinum, et Cameracensem, ac quindecim episcopatus, quorum sex subjecerat archiepiscopo Mechliniensi, quinque Ultrajectino, et quatuor Cameracensi : *Disser., super. Matrim.*, 1740 in fin. litt. I, discept. 1, num. 9.

Benedictio abbatis. Vide *Abbas*, § I.

Benedictio concionatoris. Vide *Concionator*, § I.

Benedictiones.

Vigore Concilii Tridentini sess. 24 cap. 1, *de Reform.*, benedictio nuptiarum fieri debet a proprio parocho, vel alio sacerdote de ipsius, vel Ordinarii licentia : *Neap., Matrim.*, 11 *jul.* 1767, § 10.

Puerperarum admissio ad purificationem sequela est sacramenti matrimonii : *Burg., S. Domn., Visit. SS. LL.*, 26 *apr.* 1788, § 2.

Et hæc fieri solet cum superpelliceo, stola, et aqua benedicta, quæ signa esse videntur jurisdictionis : *Ibid.*

Et hæc signa juridictionis ad solum Parochum, non autem ad regulares spectant : *Vasion., Jur. par.*, 20 *jan.* 1742, § 5.

Qui illam benedictionem ad regulares extendunt, ex hoc moventur, quod purificatio in novo testamento non necessitatis, sive præcepti, sed devotionis actus sit : *cit. Burg. S. Domn.*

Sed S. Cong. Rituum per decretum generale, puerperarum benedictiones pertinere ad parochos statuit : *Ibid.*

Totie S. Cong. Concilii regularibus indulsit quoties ipsis fuit consuetudo benedicendi puerperas, quæ synodalibus legibus non adversaretur ; quia non parum hac in re deferendum est consuetudini : *Ibid.*, § 5.

Et parochis vel ex privativa eorum consuetudine, vel ex synodalibus constitutionibus favit, quum regulares, eorum exemptione non obstante, parere cogantur diœcesanæ synodi sanctionibus in iis quæ respiciunt curam animarum : *Ibid.*

In statutis diœcesanis Ecclesiæ Burgi S. Domnini constantissime cautum est, ne quis regularium, præter parochum, in propria ecclesia mulieres post partum benedicere audeat sub pœna etiam suspensionis a divinis : *Ibid.*, § 5.

Voluit S. Cong. Rituum, ut benedictiones ignis, seminis, ovorum, et similium non sint de juribus mere parochialibus, et benedictiones mulierum, et fontis baptismalis fieri debere a parochis : *cit. Vasion.*, § 3.

Beneficia.

§ I.

Beneficia ecclesiastica in genere.

Beneficium est portio illa redituum ecclesiasticorum, quæ pro spirituali servitio ecclesiæ ministris assignatur : *Firm., Erect. mans.*, 10 *febr.* 1770, § 10.

Beneficium appellatur idcirco jus percipiendi proventum in ecclesia competentem alicui, tanquam uni de collegio : *Ibid*,

Ac definitur beneficium jus esse collatum clerico proventus in ecclesia percipiendi : *Ibid.*

Et id propter divinum officium : *Lauret., Null. contr.*, 30 *aug.* 1783, § 5.

Hinc jus spirituale, quod beneficiis inest, non aliunde potest oriri, quam ex legitima temporalium bonorum dedicatione facta Deo per sacrosanctos episcopos, quorum auctoritate unice a ceteris bonis profanis separantur, ac divini juris efficiuntur : *Firm., Capel.*, 29 *aug.* 1772, § 10.

Juris naturalis et divini est servare, quod semel in fundatione beneficii testatori statuere placuit : *Firm., Red. Miss*, 21 *jun.* 1794, § 3.

§ II.

Beneficia ecclesiastica quoad ætatem requisitam.

Beneficiis nonnulla ætas speciatim præstituta reperitur in superioribus Ecclesiæ seculis : *Senogal.*, 9 *aug.* 1766, § 13.

Sed sat erat ætas requisita ab ordine, qui beneficio erat annexus : *Ibid*

Postmodum vero cum beneficia non ordinatis ad majora darentur, qui onera per alios implebant, hinc ætas ad beneficia varii generis præfinita fuit : *Ibid.*, § 14.

Et constitutum est, ut etiam de beneficiis ad quæ necesse erat, ut ordines haberentur, satis esset, ut infra legitimum tempus ii ordines susciperentur : *Ibid.*

Hinc ut pueri beneficia habere non dicantur, secundum hodiernam disciplinam beneficia esse debent perpetua et in titulum perpetuum erecta, quod circa similia puerorum officia non contingit : *Ibid.*

Tamen si erigantur, non prohibetur (seposita lege positiva), pueros, licet 14 annis minores, bonæ indolis assumi : *Ibid.*

Interdicta est tamen a S. Concil. Trident., sess. 23, cap. 6, *de Reform.* beneficiorum collatio impuberi : *Firm., Capel.*, 25 *april.* 1780, § 6.

Sed aliter sentiendum est ex lege fundationis, cui sacrosancta Synodus non derogavit : *Ibid.*

Ob id admittitur ex fundatione ad beneficium, qui conciliarem non habet ætatem : *Senogal., Canon.*, 11 *maii* 1793, § 13.

Potissimum si fundator simplicem clericum vocavit : *Ibid.*

Decretum Tridentini super ætate non habet locum in beneficiis patronatus, in quorum fundatione lex data fuit minoris ætatis : *Null., seu Orb., Erect. can.*, 26 *febr.* 1752, § 2.

Et servanda est voluntas testatoris de pueris septennio minoribus, quia non repugnet naturæ et substantiæ beneficii, ut retineatur ex lege fundationis etiam a puero ante tonsuram titulo seculari administrationis : *Ibid.*, § 2.

Nam ad obtinendum beneficium sacri canones requirunt annum 14 : *Bonon., Dispen.*, 11 *jan.* 1783, § 9.

Conc. Trid. innovavit hanc disciplinam sess. 23, cap. 6 cit. : *Ibid.*

Sed receditur ab hac regula si agatur de persona passive vocata, et unica ex contemplata familia : *Ibid.*, § 10.

Puero annorum 12 ecclesiastica beneficia juxta claram Tridentini sanctionem sess. 23, cap. 6, *de Reform.* conferri nequeunt : *Civit., Capel.*, 21 *jan.* 1786, § 3.

Imo collatio beneficii quæ fit non habenti ætatem a jure præscriptam viribus haudquaquam subsistit : *Viterbien., Concur.*, 21 *julii* 1742, § 4.

§ III.

Beneficia ecclesiastica quando dicantur affecta, seu reservata

Beneficium jurispatronatus ecclesiastici reservationi Apostolicæ obnoxium est : *Cæsen., Ben.*, 20 *aug.* 1768, § 14.

Beneficium utpote regulare est de libera collatione abbatis, neque subjectum reservationibus apostolicis vel Episcopi collationi, quando est de mensa monasterii eique subjective unitum : *Caser., Cap. seu Ben.*, 11 *aug.* 1759, § 2.

Non inspecto quod in collationibus ulterius exprimatur beneficium spectare ad collationem abbatis, quia hæc verba innuunt potius qualitatem inferioris collatoris, ita ut dubitari non possit de subjectione beneficii reservationibus apostolicis : *Ibid.*, § 4.

Et ultimus status est attendendus in judicio privilegiato exequutionis litterarum apostolicarum : *Ibid.*, § 5.

Secus in judicio plenario petitorio inter collatorem ordinarium abbatem : *Ibid.*

Et in collatione beneficiorum allegari non potest observantia in linea præscriptiva, quia regulæ Cancellariæ, uti renovatæ in crastinum occasione assumptionis cujuslibet Summi Pontificis, cum derogatione quibuscumque contrariis usibus, vel privilegiis, non subjacent præscriptioni : *Ibid.*

Gratia *si nulli* concedi solet alteri ex collitigantibus, quatenus nemo beneficium obtinuerit : *Mont. Alti., Can.*, 18 *julii* 1789, § 2.

Et purificatur per exitum litis, omnesque exclusos a beneficio concurrentes : *Ibid.*

Atque hujus gratiæ fundamentum constitutum est in affectione beneficii, quæ inducta est ex triplici beneficii affectione : *Ibid.*

Quæ facultatem patronis adimit præsentandi : *Ibid.*

§ IV.

Beneficium ecclesiasticum quoad applicationem.

S. Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 18 *de Ref.* permittit ut ad mercedem præceptoribus et ministris solvendam episcopali seminario applicentur beneficia aliqua simplicia cujuscumque qualitatis et dignitatis fuerint, etiam ante vacationem sine cultus divini ac illa obtinentium præjudicio : *Tol., App.*, 20 *mart.* 1790, § 5.

§ V.

Beneficia ecclesiastica quoad capacitatem illa assequendi et retinendi.

Nullus obtinere potest beneficium vigore Concilii Tridentini sess. 23, cap. 6, *de Reform.* nisi sit prima tonsura initiatus, et ante 14 annum : *Senogall., Canon.*, 14 *maii* 1768, § 17.

Ad obtinenda beneficia ecclesiastica, certum est doctoratum non receptum in publica universitate non suffragari : *Fanen.*, 8 *jun.* 1723, § 4.

Dum quis dispensationem postulat ætatis, propriam inhabilitatem ad beneficium assequendum fatetur : *Perus., Capel.*, 24 *maii* 1774, § 3.

Cum agitur de beneficio quod qualitatem ecclesiasticam in possessore requirit, ab illius consequutione uxorati excluduntur : *Reat., Capell.*, 18 *sept.* 1773, § 3.

Nulla est disputatio de potestate ut indulgeatur beneficium retinendum a clerico etiam in statu conjugii : *Comen.*, 21 *julii* 1764, § 10.

Beneficio assequendo dignior reputatur qui servivit ecclesiæ in qua illud erectum est : *Montis Alti, Canonic.*, 4 *decem.* 1762, § 7.

Et gratificatio debetur ei qui alio beneficio caret : *Ibid.*

Ille qui in suspensionem incidit, assequendi beneficium ecclesiasticum incapax evasit : *Alex., Susp.*, 11 *jan.* 1772, § 11.

Beneficium relictum in favorem ejus qui velit esse sacerdos potest consequi etiam clericus qui propositum habeat assumendi statum sacerdotalem : *Spol., Assig. patrim.*, 14 *maii* 1763, § 5.

Diffamatio quoad mores sufficit pro repellendo concurrente a beneficii consecutione, licet non sufficeret ad irrogandam pœnam privationis : *Lancian., Arch.*, 19 *sept.* 1761, § 7.

Non obstat tamen diffamatio consistens in paucorum dicto : *Ibid.*, § 9.

In beneficii consequutione præferendus est idoneus alteri qui indiget dispensatione : *Terul., Benef.*, 21 *aug.* 1763, § 3.

Quod procedet, dum concurrentium requisita paria sunt : *Ibid.*, § 6.

Sicuti etiam gratificatio magis debetur non habenti quam habenti aliud beneficium : *Urbin., Canon.*, 26 *martii* 1763, § 6.

Ad beneficium sacerdotale admitti debet clericus agnatus ex præsumpta fundatoris voluntate, licet actu ad majores ordines non idoneus : *Null. S. Ægis. Benef. Sacris.*, 19 *junii* 1790, § 5.

Non est idoneus clericus conjugatus ad assequendum beneficium clerico reservatum : *Firm., Capel.*, 25 *april.* 1789, § 7.

Idoneitas quæ supervenit attendi non debet in præjudicium alterius expresse et æque principaliter vocati, quique ipsomet vacationis die habilis repertus est, certumque ac validum jus sibi comparavit : *Perus., Capell.*, 14 *maii* 4, § 1774.

Beneficii ecclesiastici de jurepatronatus reditus percipi possunt a laico patrono vel hærede, non jure et titulo beneficii (quod equidem vacaverit dimissione vestium et tonsuræ clericalis facta per possidentem), sed jure et titulo secularis administrationis, donec aliquis veniat qui capax sit : *Senogal., Capell.*, 9 *maii* 1750, § 3.

Potest, accedente superioris approbatione, beneficium ecclesiasticum ea lege fundari, ut etiam laici per aliquod temporis spatium illud possint obtinere, non quidem spirituali titulo beneficii, sed titulo laicalis administrationis cum facultate percipiendi suosque faciendi fructus, necnon satisfaciendi interim per alium oneri celebrationis missarum : *Segovien., Capell.*, 17 *nov.* 1731, § 8.

Potest etiam Summus Pontifex indulgere ut beneficium ecclesiasticum a clerico conjugato retineatur, quemadmodum deducitur ex cap. *Joannes, de Clerico conjug. : Ibid.*

Sacerdotium vel à jure vel ab homine in beneficio seu in capellania requisitum non est necessarium de tempore collationis sive præsentationis ; sed sufficit quod intra unius anni spatium valeat obtineri : *Rom., Capell.*, 4 *febr.* 1719, § 3.

Amplia etiam in capellania, ad quam vocatus est sacerdos cum onere celebrandi Missas : *Ibid.*

Necessaria est sacerdotis qualitas, quando fundator voluit ut nominetur sacerdos, vel ut beneficium seu capellania conferatur sacerdoti : *Ibid.*, § 5.

Sed ordo sacerdotalis in ipso actu præsentationis, institutionis, vel collationis requiritur, quoties verba fundationis beneficii ipsum actum necessario respiciunt : *Comen.*, 10 *mart.* 1770, § 5.

Quia qualitas intelligenda est de tempore quod per verbum indicatur, id est in ipso actus initio : *Ibid.*

Et verba *Teneatur, et obligatus sit celebrare Missam quotidie*, actualem sacerdotis qualitatem optatam fuisse præ se ferunt : *Ibid.*

Statim ac aliquis civilitatem obtinuit Hydruntinam, dici etiam valet effectus capax beneficiorum quæ Summi Pontificis privilegio civibus Hydruntinis conferri debent : *Ug. seu Hydr., Ord.*, 23 *jul.* 1718, § 5.

Hæreticorum filii beneficiorum ecclesiasticorum incapaces sunt : *Mel.*, 13 *aug.* 1718, § 4.

Ratione incapacitatis ad beneficia non sufficit ut quis sit illicite tonsuratus; sed ulterius opus est ostendere ut per dolum vel cum sui Ordinarii positivo contemptu tonsuram receperit : *Port.*, 16 *mart.* 1720, § 2.

§ VI.

Beneficia ecclesiastica quoad collationem.

Beneficia adhuc vacatura conferre tantum valet Summus Pontifex ratione suæ potestatis, etiam vigore apertæ declarationis Tridentinæ : *Firm. seu Rip.*, 19 *febr.* 1780, § 7.

Beneficia tunc habentur ex jure canonico pro derelictis quando est decennale tempus elapsum : *Ibid.*, § 6.

In beneficiis quorum collatio etsi nativo quodam jure penes Summos Pontifices resideat, nihilominus non solum permitti servitutem patronatuum laicalium, sed etiam in fundatione prohiberi potest, ne S. Sedes suis reservationibus manus apponat : *Nul. S. Laur. in Camp.*, 30 *maii* 1767, § 9.

Sed non potest sine Pontificis auctoritate beneficium ecclesiasticum ad tempus vel sub certa conditione dari : *Firm., Capel.*, 9 *aug.* 1732, § 11.

Nam conditio ad tempus apponi nequit, neque a patrono, neque ab Ordinario, cum sacri canones vetent beneficium perpetuum ad certum tempus conferri : *Aug., Benef.*, 3 *mart.* 1736, § 8.

Et quæcumque pactio per quam beneficium vel ad tempus vel sub certa aliqua conditione confertur sive ad illud præsentatio fit per ecclesiasticas sanctiones reprobatur : *Nul. Ter. Pont., Cap.*, 28 *febr.* 1739, § 4.

Ecclesiasticum beneficium ex ingenita sua indole et natura ita in titulum perpetuum conferri debet, ut ab illius possessore nequeat ulla ratione abstrahi, nec aliqua in ejus præsentatione, vel collatione possit adjici nova lex, conditio, aut onus ; unde beneficii rector ad certum duntaxat tempus, vel donec clericus passive vocatus superveniat, debet illud retinere, nisi id fuerit explicite ab ipso fundatore sancitum : *Baren., Benef.*, 21 *nov.* 1739, § 6.

Juxta receptam Ecclesiæ disciplinam, sex mensium intervallum dederat Alexander III Sum. Pont. in concilio Lateranensi ad providenda beneficia quocumque modo illa vacarent, et sive per collationem, sive per electionem danda illa essent : *Urbev.*, 9 *sept.* 1786, § 11.

Beneficium valide conferri censetur ab illo, qui in vetustissima quasi possessione conferendi remanet : *Casert., Cap. seu Benef.*, 22 *mart.* 1760, § 2.

Beneficia quæ sunt membra monasterii vel mo-

nasterio subjecta spectant pleno jure ad mensam abbatis, nec possunt in titulum conferri : *Ibid.*

Et illorum provisiones per abbatem factæ sub reservatione annui census potius videntur concessiones fructuum *ad firmam*, in quibus vacatio revera non datur per obitum : *Ibid.*

Et sepositа vacatione locum non habet regula reservatoria mensium : *Ibid.*

Advertendum quod non omnia beneficia careant titulo collativo, sed ea solum quæ pleno jure subjective unita sunt mensæ ; cetera autem, et nomen beneficii retinent, et in titulum conferuntur, ita ut negligente abbate, collatio devolvatur ad Episcopum: *Ibid.*, § 4.

Quodque census in collationibus reservatus non indicet concessionem *ad firmam*, de fructibus duntaxat verificabilem, non autem quoad titulum beneficii et ecclesiæ : *Ibid.*

Sed refertur ad subjectionem beneficii erga monasterium, quæ non excludit potiusque confirmat illius perpetuitatem, et titulum collativum : *Ibid.*

In collationibus beneficiorum servari omnino debent leges et conditiones in ipso fundationis limine appositæ : *Reat., Capel.*, 14 *maii* 1774, § 4.

Hæc procedit regula in beneficiorum collationibus, quod ipsorum vacatione sequuta, debent hæc posthabita spe qua personæ priori loco ad ea passive vocatæ superveniant, conferri iis qui posteriori loco fuerunt invitati : *Baren., Benef.*, 21 *nov.* 1739, § 5.

Beneficia ecclesiastica conferenda sunt dignioribus, eisque qui ætate, moribus, doctrina, prudentia ceteros antecellunt : *Verul., Archid.*, 16 *sept.* 1769, § 8.

Id autem ut exacte adimpleretur in collatione ecclesiarum, sive eæ sint de jurepatronatus ecclesiastico, sive de libera Ordinarii provisione, certam normam omnino servandam præscripsit Concil. Trid. sess. 24, cap. 18, *de Reform.* : *Ibid.*

Beneficium ecclesiasticum ex ordinatione fundatoris potest conferri puero ante primam tonsuram titulo seculari, donec fiat clericus : *Melev., Indul.*, 10 *sept.* 1735, § 9.

Inverosimile est, ut ad beneficium præsertim magistrale et pro erudienda in pietate ac litteris juventute simplices clerici contra SS. Canonum præscriptum fuerint sacerdoti comparati : *Comen., Beneficia.*, 13 *jul.* 1771, § 14.

Ecclesiastica beneficia conferri nequeunt accusatis, accusationis judicio pendente : *Juven., Can. theol.*, 11 *aug.* 1759, § 2.

Nemo compelli potest ad suscipiendam cujuscumque beneficii collationem sibi factam : *Viter.*, 28 *sept.* 1737, § 3.

Omnia beneficia diœcecis Hydruntinæ, Sedi Apostolicæ etiam reservata, debent solis civibus originariis conferri juxta Clem. VII bullam : *Ugen. seu Hydrunt., Ord.*, 23 *jul.* 1718, § 6.

§ VII.

Beneficium ecclesiasticum quoad commutationem.

Simplex beneficium jurispatronatus laicali, ad hoc ut possit commutari in residentiale patronorum omnium consensus requiritur : *Nul. seu Farf., Com. ben.*, 2 *aug.* 1749, § 2.

Episcopus, accedente patronorum consensu, et justa ex causa, potest beneficium perpetuum mutare in manuale : *Satrian. seu Camp., Jurisp.*, 23 *nov.* 1748, § 3.

Vacante beneficio de jurepatronatus, nulloque præexistente clerico passivo vocato, Episcopus potest illud in simplicem capellaniam ad instantiam patronorum commutare : *Ibid.*, § 2.

§ VIII.

Beneficia ecclesiastica quoad compatibilitatem, seu pluralitatem

Beneficiorum simultanea pluralitas vetita in eodem beneficiato : *Velit., Ben.*, 20 *nov.* 1762, § 3.

Nam beneficiorum pluralitas improbatur tanquam sacris canonibus inimica : *Sign., Benef.*, 3 *aug.* 1771, § 13.

Et multæ sunt causæ ob quas plurium beneficiorum retentio interdicta ac prohibita fuit : *Ibid.*

Pluriumque simplicium beneficiorum retentio absque apostolica dispensatione est interdicta : *Ibid.*

Beneficiorum pluralitas per sacros canones bene multos improbata reperitur a variis veteribus conciliis per diversas ætates habitis, et pariter sequiori ævo, et recentius a S. Tridentina Synodo, quæ renovavit jam pridem sancita per sacros canones : *Brach., Dispens.*, 17 *apr.* 1734, § 1.

Hinc eadem Synodus Tridentina inhærens antiquioribus disciplinæ Ecclesiæ institutis pluralitatem beneficiorum improbavit : *Firm., Cap.*, 15 *sept.* 1770, § 8.

In hac censura locum non obtinet, quando res est de simplici et temporali capellania nullum canonicum et ecclesiasticum titulum præ se ferente, et quæratur de ea acquirenda, vel retinenda cum alia capellania, aut canonicatu : *Ibid.*, § 9.

Nam sacri canones et anquiora ecclesiasticæ disciplinæ instituta improbant pluralitatem beneficiorum : *Senogal., Capel.*, 6 *maii* 1729, § 3.

S. Synodus Tridentina, illis inhærens, saluberrimam constituit regulam (imposterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre) : *Ibid.*

Memorati canones et Tridentinum Concilium loquuntur de beneficiis ecclesiasticis, eorumque duntaxat pluralitatem prohibent, ita quidem ut plures laicales capellaniæ possint licite valideque retineri : *Ibid.*, § 4.

Hodie vigore Tridentini Concilii sess. 24. cap. 17. *de Reform.* duo beneficia sufficientia sunt adeo incompatibilia (excepto Pontificio indulto) ut post pacificam possessionem secundi ipso jure inducatur vacatio primi : *Ast.*, *Resign. benef.*, 8 *maii* 1734, § 4.

Vel saltem inducenda per sententiam : *Ibid.*

Nam secundi beneficii retentio vetita est a S. Concilio Tridentino : *Faven.*, *Benef.*, 3 *jul.* 1762, § 7.

Ex sententia S. Thomæ plures circumstantiæ possunt evenire ad cohonestandam pluralitatem beneficiorum : *Brach.*, *Disp.*, 17 *april.* 1734, § 10.

Ideo beneficia plura quam duo, etiamsi non sint ad vitæ conservationem sufficientia, invalide ab Episcopo conferuntur : *Aug.*, *Benef.*, 3 *mart.* 1736, § 5.

Beneficium pluralitatem permittit concilium Tridentinum sess. 24. cap. 17, *de Reform.*, si ad vitam ejus cui « unum beneficium » confertur honeste sustentandam non sufficiat : *Trid.*, 20 *sept.* 1788, § 3.

Secundum in hoc casu conferre potest Episcopus quoties simplex sit et personalem non requirat residentiam, uniforme non sit primo et sub eodem tecto : *Ibid.*

His enim concurrentibus, apostolica opus est dispensatione : *Ibid.*

Uniformia ac similia dicuntur beneficia, quæ in una ad eumdem finem instituta sint ecclesia, idemque habeant onus et officium, eodem tempore peragendum : *Ibid.*

Sacrosancta Tridentina Synodus antiquioribus Ecclesiæ institutis pluralitatem beneficiorum improbat : *Firm.*, *Capel.*, 23 *febr.* 1785, § 6.

Duo beneficia residentiæ onere gravata sunt incompatibilia, etiamsi sint reditus modici : *Mont. Alti.*, *Disp.*, 3 *aug.* 1782, § 7.

Duo beneficia habentia onus residentiæ sive illa sit præcisa, sive causativa, semper incompatibilia sunt, nec sine indulto possunt retineri : *Ibid.*, § 10.

Recepta hodie sententia est, ut etiam in beneficiis jurispatronatus unio in uno individuo trium beneficiorum ferenda non sit tanquam primigeniæ beneficiorum naturæ, canonicisque sanctionibus contraria : *Ascul.*, *Disp.*, 30 *maii* 1786, § 4.

Et ut licet habenti unum insufficiens concesserit Episcopo Concilium Tridentinum facultatem alterum beneficium conferendi, tertium tamen utcumque omnia sint insufficientia, sine apostolica dispensatione dari non potest : *Ibid.*

Ac ipsæmet canonicæ leges, quæ hanc pluralitatem interdixere, casum dispensationis ab Apostolica Sede, ac legitima causa obtinendæ excepere-runt : *Ibid.*, § 5.

Jure canonico, ne quis sub eodem tecto, id est sub eadem Ecclesia plura beneficia obtineret, pro ipsius Ecclesiæ dignitate sanctissime cautum fuit : *Nepos.*, 17 *jul.* 1786, § 1.

Nulli licet, nisi unum personatum, vel dignitatem, aut præposituram, sive administrationem, vel officium perpetuum cum præbenda insimul obtinere in eadem ecclesia absque Sedis Apostolicæ dispensatione : *Ibid.*, § 4.

Beneficiato retinenti absque dispensatione apostolica plura beneficia quam duo, non suffragatur regula de triennali : *Aug.*, *Ben.*, 3 *mart.* 1736, § 6.

Clerici, qui duo beneficia aut officia obtinent, pluribus ecclesiis avaritiæ stimulo præsumuntur inservire : *Sancti Sev.*, 15 *dec.* 1736, § 3.

Conferri valent plura beneficia, ubi satis non est unum ad congruam beneficiati : *Sabin.*, 26 *nov.* 17 *nov.* 1791, § 11.

Præsertim si non sint sub eodem tecto et residentialia : *Ibid.*

De jure satis non est paupertas, ut duplicis residentialis beneficii retentio concedatur : *Alex.*, *Can.*, 8 *aug.* 1789, § 6.

In quibuscumque personis quocumque titulo, etiamsi cardinalatus fulgeant honore observari debet, ut unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod si ad congruam illius, cui confertur, vitæ conservationem non sufficit, licet aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri : *Bileten.*, 22 *nov.* 1721, § 4 ; *Abul.*, *Ben.*, 12 *jan.* 1732, § 2.

Episcopus habenti unum simplex beneficium, quod non sufficit ad vitæ conservationem, potest aliud simplex conferre absque dispensatione apostolica ; sed si duo non sufficerent ad conservationem, non potest conferre tertium absque apostolica dispensatione : *Ibid.*

Putant nonnulli doctores secundum beneficium de jurepatronatus absque dispensatione apostolica

retineri posse, si primum sive liberæ collationis, sive de jurepatronatus sit sufficiens ad congruam conservationem, et putant etiam tertium et quartum beneficium de jurepatronatus laicorum retineri posse sine dispensatione apostolica, si prima duo non sint sufficientia : *Ibid.*, § 3.

Quia dicunt, Concilium Tridentinum sess. 24, cap 17, *de Reform.*, loqui de collatione, non de institutione, et ponderant, ut beneficia de jurepatronatus laicorum non comprehendantur sub regulis Cancellariæ, et aliis juribus : *Ibid.*

Alii e contra putant citatum cap. 17 sibi vendicare locum etiam in beneficiis de jurepatronatus ; et hanc sententiam sequuta est S. Congr. : *Ibid.*, § 4.

Episcopus non potest auctoritate sua conferre tertium beneficium vel plura beneficia clerico jam possidenti duo, quorum etiam conjuncti proventus impares sint ejus conservationi, sed necessaria est apostolica dispensatio : *Cit. Abul.*, § 3, 4 *et* 5.

Non desunt alii qui existimant, posse episcopum uni conferre plura etiam quam duo beneficia, si fructus utriusque beneficii victui suppeditando non sufficiant : *Ibid.*, § 6.

In Hispania viget consuetudo, ut Episcopi etiam post S. Concilii Trid. promulgationem conferant uni clerico plura beneficia, et ut omnia retineantur a beneficiario, etiamsi unum sit ad honestam conservationem sufficiens, dummodo alioquin non sint incompatibilia : *Ibid.*, § 7.

Vim tamen hujus consuetudinis, quidquid in facto sit, improbant auctores aliqui : *Ibid.*, § 8.

Per constitutiones autem Innocentii XIII et Benedicti XIII, pro ecclesiastica disciplina in Hispanis Regnis derogatur consuetudini etiam centenariæ atque immemorabili, quæ sit contraria sanctionibus S. Concilii Trid., nisi tamen consuetudinis aut præscriptionis materia capax sit, aut probata ipsa sit per rem judicatam : *Ibid.*, § 9.

S. Congr. semper censuit Episcopo non licere conferre uni præter duo beneficia, etiamsi utriusque reditus non æquent competentem beneficiati conservationem : *Ibid.*, § 10.

Episcopus permittere nequit retentionem trium beneficiorum simplicium de jurepronatus laicorum sub eodem tecto non existentium, et quorum reditus non sufficiant ad congruam conservationem : *Ibid.*

Ac proinde refellitur opinio illorum qui censent ut dispositio S. Concilii Tridentini non comprehendat beneficia jurispatronatus laicorum : *Ibid.*, § 11.

In controversia est, an si primum beneficium sit ad congruam conservationem insufficiens, vetita censeatur a S. Concilio Trid. retentio illius cum secundo beneficio, quod per se sit sufficiens ; adeo ut per retentionem secundi sufficientis, vacet primum insufficiens, vel sit beneficiatus eo privandus per sententiam : *Ibid.*, § 12.

Quænam vero ratio servari debeat in judicio faciendo de sufficientia vel insufficientia beneficii ad congruam honestamque conservationem dubitatur : *Ibid*, § 13.

Plures censent hoc pendere ab Episcopi judicio, qui inspicere debet morem regionis, qualitatem loci, et conditionem personæ : *Ibid*, § 14.

Si quis possidens beneficium simplex et sufficiens acquirat possessionem alterius itidem simplicis, vacat primum ipso jure : *Ibid.*, § 15.

Si Ordinarius conferat tertium beneficium habenti duo simplicia alias ad conservationem insufficientia, collatio quidem tertii est valida ; sed si tertium sit sufficiens, vacant illa duo priora beneficia ; si vero sit insufficiens tenetur provisus dimittere alterum ex illis ; et si possessionem amborum retinuerit, ambo vacant : *Ibid*, § 16.

Fagnanus putat collationem tertii beneficii, factam ab Episcopo illi qui jam habuerit duo insufficientia, esse nullam atque irritam, eo quod S. Concilium Trid., quum tribuat Ordinariis facultatem conferendi duo ad summum beneficia, necessario prohibeat collationem tertii : *Ibid.*

Si possidens beneficium ad honestam conservationem sufficiens obtineat ab Episcopo alterum sine apostolica dispensatione, primum per consecutionem secundi ipso jure vacat, et, ex retentione utriusque beneficii cum perceptione fructuum per biennium, utrumque beneficium ipso jure vacat : *Ibid.*, § 17.

Quum S. Concilium Trid. sanciverit primum beneficium sufficiens, etiam incompatibile cum secundo ; hinc pœna inflicta afficere videtur etiam retinentes primum beneficium sufficiens cum secundo absque Apostolica dispensatione : *Ibid.*

Sunt qui putent ex decennali retentione beneficiorum ob pluritatem vel aliam causam incompatibilium induci præsumptionem impetratæ dispensationis apostolicæ : *Ibid.*, § ult.

§ IX.

Beneficia ecclesiastica quoad concursum.

Beneficia curata absque concursu et examine collata nulla sunt : *Bojan., Elect. et Erect.*, 18 *apr.* 1744, § 4.

Sed beneficia unita, et manualia immunia sunt a formali concursu atque examine : *Eug., Juris.*, 13 *mart.* 1773, § 5.

Ac propterea Concilii Tridentini decretum de

concursu ad parochiales ecclesias indicendo, minime habere locum quoad vicarias unitas : *Ibid.*

Cum beneficia manualia non sint vere et proprie beneficia, nec vacare censentur : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Concursus.*

§ X.

Beneficia ecclesiastica quoad curam animarum.

Excluditur cura animarum a beneficiis, si in collatione de ea nulla facta est mentio : imo expressa denominatione simplicis beneficii, et perpetui absque ullo concursu, vel examine et ex facto ipsorum Episcoporum, etsi adsit res judicata AC., ac Sacræ Rotæ : *Urb.*, 17 *jun.* 1769, § 5.

Et spernenda est unica mentio in quadam collatione facta cum occulta conspiratione addita, et inanis in penitus redditur in ceteris collationibus inde concessis : *Ibid.*, § 6.

Utrum electio ad beneficia curata juste, an injuste facta fuerit, quærendum haud est, si sacerdos nominatus publice notatus sit populi offensione odioque: *Bojan., Elect. et Erect.*, 18 *apr.* 1744, §6.

§ XI.

Beneficia ecclesiastica quoad dimissionem.

Quisquis beneficium ecclesiasticum per simoniam obtentum, ante omnem judicis sententiam una cum fructibus tenetur dimittere, quam primum noverit collationem fuisse sibi simoniace factam : *Salut., Ben.*, 3 *sept.* 1740, § 3.

Nisi forte in proviso per simoniam concurrissent ignorantia inculpata, et pacifica beneficii possessio ad triennium bona fide protracta : *Ibid.*

Dimissio beneficii in favorem certæ personæ, et sub reservatione jurium, nisi in manibus fiat Summi Pontificis, simoniaca est : *Terr. seu Set., Cap.*, 19 *sept.*, 1789, § 4.

Ideoque subreptione caret illius expositio absque mentione conditionis : *Ibid.*

§ XII.

Beneficia ecclesiastica quoad dismembrationem, seu divisionem.

Vetita est dismembratio, seu divisio beneficiorum : *Adrien., Pav.*, 18 *decem.* 1773, § 7.

Nec ad eam, justa urgente causa, deveniri potest, nisi adhibitis solemnitatibus in alienatione bonorum Ecclesiæ præscriptis : *Ibid.*

Solemnitates hujusmodi sunt : citatio rectoris Ecclesiæ, cujus bona dismembrantur : *Ibid.*

Citatio interesse habentium : *Ibid.*

Consensus capituli ecclesiæ cathedralis : *Ibid.*

Compilatio processus : *Ibid.*

Quamvis beneficia dividi non debent : *Amalp.*, 30 *sept.* 1724, § 5.

Admittitur tamen sectio ex causa rationabili : *Ibid.*

Sed causa rationabilis esse non potest, quando fructus non sufficiunt pro omnibus beneficiatis, nulla habita consideratione prætextus incrementi cultus divini, quum cultus divinus consistat in hoc, ut divina officia celebrentur : *Ibid.*

§ XIII.

Beneficia ecclesiastica quoad dotem et fundum.

Fieri valet investimentum beneficii in locis Montium, quæ æquiparantur bonis stabilibus : *Ascul.*, 16 *aug.* 1794, § 3.

Beneficii investimenta facienda sunt in bonis stabilibus frugiferis, veris, et non fictis : *Eccles.*, 16 *aug.* 1794, § 58.

Dotes beneficiorum debent esse certæ, et perpetuæ nullique periculo obnoxiæ : *Fanen., Erect. can.*, 22 *mart.* 1760, § 10.

Demonstrative assignati videntur fundi beneficii, quum fundatio ab oneribus incipiat : *Viglev.*, 14 *mart.* 1789, § 3.

Dos conspicua beneficiato a patrono data non intelligitur tradita pro ædificatione ecclesiæ seu capellæ, seu pro ejus conservatione, ferendisque oneribus spiritualibus et temporalibus, quæ simplicium reparationum limites non egrediuntur : *Aletr., Red. cap.*, 8 1775, § 6.

§ XIV.

Beneficia ecclesiastica quoad electionem.

In eligendis seu promovendis ad beneficia ecclesiastica requiritur scientia, et rerum agendarum peritia, quæ sufficit, ad rite exequendum officium ad quod eliguntur seu promoventur : *Lauret.*, 22 *apr.* 1784, § 6.

§ XV.

Beneficia ecclesiastica quoad erectionem, et fundationem.

Erectio beneficiorum in augmentum cultus divini et catholicæ religionis tendet, hinc quam maxime

expedit, ut fundatores alliciantur ad augendum Ecclesiæ decus, et propriam substantiam erogandam in pia causa : *Macer.*, 23 *febr.* 1771, § 11.

In erectione beneficiorum requiritur omnino consensus omnium interesse habentium tantum ratione proprii interesse et præjudicii, ne erectio in aliorum vergat jacturam : *Ibid.*, § 12.

Et si dissensus justa et legitima causa non sit innixus, etiam iis invitis ad erectionem est deveniendum : *Ibid.*

Ut dissensus attendatur, opus est, ut undique sit rationabilis, et fundatus in aliqua justa et gravi causa ob quam expediat, congruum sit potius omittere, et perdere incrementum cultus divini, quam justitiæ leges conculcare in alterius detrimentum : *Ibid.*, § 13.

Ecclesiastici beneficii erectio cedit in augmentum cultus divini ; cum certum sit, per illam bona dicari Deo, et ex temporalibus sacra effici, ac spiritualia : *Firm.*, *Mans.*, 15 *decem.* 1770, § 4.

Pro valida erectione beneficiorum requiritur Ordinarii approbatio : *Pisan.*, *Canon.*, 14 *apr.* 1736, § 4.

Edictorum affixiones publicæ necessariæ sunt in erectione seu institutione beneficii ecclesiastici, etiamsi agatur de institutione nominati a testatore : *Aquip.*, *Expens.*, 22 *jul.* 1738, § 2.

Beneficia, etiam accedente necessitate aut legitima causa, nequeunt ex fructibus canonicatuum institui, si isti tenues sint et congruæ canonicorum conservationi impares : *Castrim.*, 7 *jul.* 1736, § 6.

Quum ex pluribus probatæ fidei viris patriæ testatoris indigenis exarata relatio esset, quod ipse non simplex Missarum legatum, sed erectionem ecclesiastici beneficii, si germanus eorumdem verborum sensus attendatur, præcipere voluerit ; rite ac valide ab Ordinario erectio est peracta : *Trid.*, *Trans. oner. Miss.*, 10 *jan.* 1739, § 2.

Etiamsi agatur de dispositione per ultimam voluntatem, in qua sicuti tempus deest implorandæ auctoritatis episcopi, ita a testatoris silentio validum haud colligitur argumentum a nimia beneficii ecclesiastici erectione alieni : *Burgell.*, 16 *dec.* 1786, § 4.

Pro obligatione redintegrandi legatum pium demandari potest erectio beneficii simplicis secundum ea quæ de solutionibus aliisve præstationibus ad necessariam præcedentis obligationis causam referuntur : *Viterb.*, *Leg. pii*, 28 *sept.* 1742.

Beneficii erectio, sive ab ipsomet fundatore, sive a legitimo patrono explicita sub pactione, lege, aut conditione, quæ simoniacam pravitatem quoquo modo redolet, a sacris canonibus improbatur : *Salut.*, *Benef.*, 3 *sept.* 1740, § 2.

§ XVI.

Beneficia ecclesiastica quoad impetrationem.

In impetratione beneficiorum silentio prætermitti nequit vacationis expressio beneficii in reservato mense Ordinarii contra Cancellariæ regulam IX : *Mont. Alti*, *Can.*, 25 *apr.* 1789, § 6.

§ XVII.

Beneficia ecclesiastica quoad incompatibilitatem.

Advertendum quod incompatibilitas beneficiorum potest inducere solum vacationem primi beneficii : *Saler. seu Cap.*, *Par.*, 9 *febr.* 1760, § 6.

Et ad hunc effectum requiritur ut possessio secundi beneficii incompatibilis pacifica sit, nec provisus patiatur molestias de jure, vel de facto : *Ibid.*

Solumque ubi per duos menses utrumque retinuerit post intermissas molestias illatas, tunc verificari possit utriusque vacatio : *Ibid.*

Ad inducendam incompatibilitatem non videtur satis esse conditio residentiæ *causativæ* videlicet necessariæ ad percipiendum emolumentum destinatum beneficiario residenti ; sed annexam esse oportere residentiam *præcisam*, qua non servata, fiat locus amissioni tituli, et privationi : *Aq.*, *Cap.*, 2 *maii* 1733, § 9.

Nam duo beneficia residentiam præcisam requirentia incompatibilia sunt : *Amal.*, 17 *jan.* 1761, § 7.

Et acquiri nequeunt vigore provisionis Ordinarii : *Ibid.*

Imo utrumque vacat ob pervicacem retentionem utriusque : *Ibid.*

Utpote post perceptionem fructuum utrique beneficii per duos menses : *Ibid.*

Etiamsi primum non sufficeret ad congruam conservationem : *Ibid.*

Nec beneficiatus amplius facit fructus suos : *Ibid.*

Beneficii residentialis retentio incompatibilis est cum parochiali : *Venus.*, 25 *jun.* 1763, § 5.

Etiamsi tenues essent fructus parochialis : *Ibid.* § 6.

Nam inspecta parochiarum inopia non possunt illæ reddi compatibiles cum beneficio residentiali in ecclesia cathedrali : *Ibid.*

Incompatibilitas exurgit ex retentione beneficii cum cura animarum, ratione oneris et residentiæ, quæ, licet non sit continua, nihilominus tunc solum alterius beneficii onera possunt ab eodem beneficiato diversis temporibus adimpleri : *Sign.*, *Ben.*, 3 *aug.* 1771, § 14.

Ubi beneficia difformia sunt sub eodem tecto existentia, incompatibilitas non attenditur : *Mont. Alt., Can.*, 24 *jul.* 1762, § 7.

Sed Dataria apostolica plerumque censet incompatibilia duo sub eodem tecto erecta beneficia, sive conformia, sive difformia : *Ibid.*

Beneficium quod adnexum ex lege fundationis onus residentiæ habet, est omnino incompatibile cum alio quocumque beneficio residentiali, adeoque sine dispensatione Apostolica retineri non potest cum parochiali ecclesia, sed ipso jure vacavit ex sacrorum canonum sanctione : *Aug., Ben.*, 3 *mart.* 1736, § 4.

Clericus qui seculari militiæ nomen dedit incapax est retinendi beneficia tanquam incompatibilia cum militia seculari : *Anag., Pens.*, 5 *sept.* 1778, § 3.

§ XVIII.

Beneficia ecclesiastica quoad institutionem, nominationem, præsentationem, et adjudicationem.

Promissiones vel nominationes ad ministerium vel beneficium ecclesiasticum antequam vacet, nullas esse præscripserunt sacri canones, et rejecit S. Congr. Concilii : *Rom., Capel.*, 15 *jan.* 1780, § 7.

Ob vacationem beneficii sequutam in mensibus reservatis Sanctæ Sedi, spernenda est penitus forma a fundatore præscripta nominationis et extractionis, cum hæc non comprehendat vacationes in mensibus reservatis, sed intelligenda est de vacatione quæ accidit in mensibus Ordinarii : *Imolen., Dist.*, 13 *maii* 1773, § 12.

Qualificatus ad beneficium tanquam a fundatore vocatus, nulla indiget nominatione : *Æsin., Capel.*, 20 *jun.* 1767, § 6.

Relicta nominatione ad beneficium sub conditione, hac purificata legitima expletur nominatio : *Firm., Capel.*, 25 *apr.* 1789, § 7.

Beneficii nominatio, sive ab ipsomet fundatore, sive a legitimo patrono expleta sub pactione, lege, aut conditione, quæ simoniacam pravitatem quoquo modo redolet, a sacris canonibus improbatur : *Salut., Benef.*, 3 *sept.* 1740, § 4.

Tempus ad præsentandum incipit non a die obitus ultimi possessoris sed a die scientiæ vacationis : *Med. seu Nov.*, 19 *sept.* 1767, § 6.

Lite pendente, tempus ad præsentandum nec currere potuit communitati, etiamsi non præsentasset, nec locus factus esse dicitur jure devolutivo : *Ripan., Benef.*, 17 *jun.* 1775, § 13.

Per solam præsentationem, dicitur jus duntaxat quæsitum ad rem, seu ad beneficium : *Aurien.*, 9 *apr.* 1785, § 8.

Quando res est de habilitate requisita ex parte personæ, satis est ; ut illa infra terminum quadrimestris laicis personis dati ad præsentandum superveniat, sive id per naturam rei contingat, quia eo temporis intervallo præsentatus ad requisitam ætatem adolescat, sive per apostolicam dispensationem, qua Summus Pontifex supplet in eo defectum ætatis : *Civit., Cost.*, 20 *jan.* 1780, § 6.

Nulla est præsentatio ad beneficium facta post litem super eadem actam : *Salern., Disp.*, 19 *decem.* 1750, § 4.

In præsentato sufficit, ut qualitas concurrat habitu et potentia : *Casal.*, 12 *decem.* 1767, § 9.

Idoneitas requisita a testatore ad beneficium satis est, ut ea superveniat intra tempus patronis ad præsentandum assignatum : *Senogal. Can.*, 14 *maii* 1768, § 7.

Nec ullum intercedit discrimen inter idoneum naturaliter et idoneum ex dispensatione : *Ibid.*

Præsentatus subsidiarie, in eventum dispensationis ab alio non impetratæ, nequit illius dispensationi se opponere : *Favent., Benef.*, 3 *jul.* 1762, § 6.

Si Clericus ad beneficium præsentatus, et nondum in eo institutus vitæ fundatoris, aut patroni, qui eum præsentavit, fuerit insidiatus, aut alia ejus generis signa ingrati animi in patronum præbuerit, ita ut alius possit a patrono præsentari : *Salut., Benef.*, 1 *jul.* 1741, § 3.

Præsentatus a patrono laico ad beneficium parochiale, dummodo sit idoneus, debet institui, quamvis non sit de magis idoneis : *Olomucen., Paroch.*, 6 *maii* 1741, § 3.

Amplia, etiamsi in synodali constitutione, aut alio statuto arceantur a parochiali, qui non sunt digniores : *Ibid.*, § 2.

In favorem præsentati ad beneficium ab omnibus patronis in fundatione designatis, et de genere vocatorum ex prædilectis lineis a fundatore litteræ dispensationis sunt exequendæ : *Balneot., Dispensat.*, 21 *jun.* 1760, § 3.

Beneficii capax si passive vocatus non sit, libere potest patronus alium extraneum præsentare, nec tenetur expectare ut passive vocatus ad beneficium capax evadat : *Eug., Disp.*, 18 *febr.* 1764, § 7,

Maxime dum agitur de qualitate non requisita a jure, sed ab homine, quæ inspicitur tempore vacationis, vel saltem præsentationis : *Ibid.*, § 5.

Ac tempore, quo electio facienda erat, res amplius non est integra : *Ibid.*

Dum expresse in fundatione cautum est ut præsentatus sacerdos sit, vel saltem a die adeptæ possessionis infra annum ad præsbyteratus ordinem

promoveri valeat, tunc exquisivit fundator qualitatem in potentia, et habitu tantum : *Casal.*, 12 *dec.* 1767, § 15.

Qui plane intellectus, quam maxime consonus est tum dispositioni juris canonici, tum etiam sacri Concilii Tridentini : *Ibid.*

In quibus locis statuitur ad obtinendum cujusvis generis beneficium, cui ordo sacer sit adnexus, necesse haud esse, nisi aliter in fundatione cautum sit, ut quis eo præditus sit in actu collationis, sed sufficere, ut intra tempus a jure præfinitum, ad illud evehi possit : *Ibid.*

Præsentatio ad ecclesiasticum beneficium vel ab ipsomet fundatore, vel a legitimo patrono facta sub pactione, lege, aut conditione, quæ simoniacam pravitatem quoquo modo præ se fert, sacrorum canonum disciplinæ repugnat, nulliusque momenti est : *Mont. Reg.*, *Capel.*, 15 *dec.* 1736, § 3.

Ea vero simoniaca reputatur, si fiat in personam creditoris, sub lege quod iste credito suo renunciet in favorem patroni debitoris, ipsum ad beneficium præsentantis : *Ibid.*

Vacatione sequuta beneficii, et deficiente clerico de familia primo loco contemplata, alteri ex fundatoris præcepto beneficium est adjudicandum : *Reat.*, *Capel.*, 14 *maii* 1774, § 5.

Institutio ad beneficium debetur ei qui legitime fuit a patrono præsentatus : *Benev.*, 10 *jan.* 1784, § 7.

Institutio, seu collatio beneficii ab Episcopo facta, si per clericum accepta fuerit, tribuit jus in re, sive jus perfectum respectu beneficii etiam ante traditionem possessionis, ejusque apprehensionis : *Tiras.*, *Visit. SS. LL.*, 20 *apr.* 1782, § 9.

Institutio ad beneficium proximiori purificata vocatione denegari nequit : *Æsina*, *Capel.*, 20 *jun.* 1767, § 9.

Fortior cum habeat patroni nominationem : *Ibid.*

Institutio debetur ad præbendam vacantem passive vocato uti qualificato : *Firm.*, *Præb.*, 26 *mart.* 1791, § 7.

Jus solum competit Episcopo pro confirmatione, seu institutione beneficiorum, non vero prælatis inferioribus, nisi jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum habeant : *Eug.*, *Juris.*, 7 *aug.* 1773, § 14.

Explorati juris est, institutionem beneficii ei deberi, qui juxta fundationis mentem exoptata pollet qualitate, quique, licet nominatione carens, tanquam ab ipso fundatore nominatus habetur ; *Senog.*, *Can.*, 11 *maii* 1793, § 11.

Qualitas clericatus expedita ab homine, actu concurrere debet in collatione beneficii : *Ibid.*

Maxime si tempus electionis respiciat : *Ibid.*, § 12.

Superveniens tamen intra quatrimestre patronis laicis concessum ad præsentandum qualificat, etsi expetita fuerit in actu electionis : *Ibid.*, § 13.

§ XIX.

Beneficia ecclesiastica manualia, vel perpetua.

Beneficii ecclesiastici ingenita est conditio, ut suapte natura sit perpetuum : *Firm.*, *Capel.*, 9 *aug.* 1732, § 8.

Nam adversatur dispositioni Concilii Trid. sess. 14, cap. 9, et naturæ beneficii, quum perpetuum sit, ad nutum amovibile evadat : *Mediol. seu Nov.*, 19 *sept.* 1767, § 16.

Verum licet perpetuitas censeatur de essentia beneficii, non tamen repugnat, ut speciali quodam jure manuale reddatur : *Med.*, *Sub. cap.*, 23 *febr.* 1773, § 5.

Præsertim si dispensatio apostolica intercesserit : *Ibid.*

Ad excludendam qualitatem beneficii ecclesiastici plurimum momenti habere videtur vox illa *Capellaniæ laicalis*, qua testator usus fuit : *Rom.*, *Cap.*, 22 *nov.* 1723, §

Imo accedente patronorum consensu potest Episcopus beneficium de perpetuo facere manuale : *Caput.*, 20 *sept.* 1727, § 3.

Sed nonnulli doctores contrarium docent, quia cum beneficium jam sit constitutum in statu suæ perpetuitatis, immutatio sapere videtur speciem aliquam alienationis, vel dismembrationis, quæ etiam in spiritualibus sine causa et solemnitate est prohibita : *Ibid.*, § 4.

§ XX.

Beneficia ecclesiastica quoad onera.

De oneribus novis injunctis post primam erectionem alicujus beneficii agentes canonistæ recensentur : *Flor.*, 18 *maii* 1765, § 12.

Episcopus non potest quidquam detrahere vel remittere ex oneribus valide injunctis in fundatione beneficiorum : *Aux.*, 17 *januar.* 1761 § 10.

Beneficia omnia tum Episcopo subjecta, tum etiam ab ejus ordinaria jurisdictione immunia tenentur contribuere pro reparatione ecclesiæ cathedralis : *Cels.*, *Exac.*, 2 *dec* 1741, § 5.

Diminutioni locus esse nequit in beneficiis, nisi constet de certa qualitate fundi redituum, e quibus onus expleri debet : *Urb.*, *Red.*, 14 *mart.* 1744, § 11.

Nil statuere possit de beneficii onere, quod ex

fundatione, vel observantia non resultet : *Cas., Ben.*, 26 *nov.* 1796, § 6.

Quum sint tenues reditus beneficii, minuenda sunt potius onera quam addenda, et hoc non licet Episcopis : *Col.*, 9 *aug.* 1766, § 25.

Erigendo beneficium residentiale, alia onera famulentur : *Mon. Fal.*, 15 *sept.* 1770, § 6,

Quæ beneficiis sunt conjuncta, religiose servari debent : *Anag.*, 10 *febr.* 1781, § 7.

Nova onera præter illa in fundatione data beneficiis non imponuntur : *Leod., Benef.*, 27 *jun.* 1744, § 4.

Ideoque sustineri nequit episcopale decretum quo fundationes mutat, novas leges, novaque onera præter illa fundationis imponit, vel beneficiis, vel beneficiariis : *Ibid.*

Non est in potestate Episcopi, nec hæredis, qui nihil de suo contribuit, onera superaddere præter ea, quæ fuerunt a fundatore expressa : *Mon. Fal.*, 25 *jan.* 1721, § 6.

Nec esse est ut tabulæ edantur, quo dignosci possint onera beneficii, cum nequeant Episcopi earum leges variare : *Vercel.*, 12 *sept.* 1756, § 2.

Quia post completam fundationem beneficii, nec Episcopus auctoritate ordinaria, nec ipsemet fundator nova onera, et conditiones adjicere potest : *Præn., Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 16.

Nihilominus si Summus Pontifex, suprema qua pollet auctoritate, nova onera imposuerit, vel imposita confirmaverit, tunc tenetur beneficiatus ea subire, atque adimplere : *Ibid.*

Auctoritas ordinaria satis non est ad novum superaddendum onus beneficio jam erecto, sed requiritur in id potestas pontificia : *Velit., Resid. et Serv., ch.*, 20 *mart.* 1798, § 5.

Nec officit centenaria subsequuta observantia, sive quia independenter beneficiatus a suis decessoribus possidet beneficium : *Ibid.*

Sive quia de infecto constat oneris initio ex ordinaria potestate : *Ibid.*

Sive quia intercessit judicium, ex quo centenaria interrumpitur : *Ibid.*

Desumi debent beneficiorum onera ex tabulis fundationis aliisque publicis monumentis, ut sunt sacrarum visitationum acta, tabellæ et similia : *Civit. Pleb.*, 11 *maii* 1793, § 4.

Fundationis defectum supplere etiam debent litteræ collationum : *Ibid.*, § 5.

Simplex copia quoque illarum in antiquis actis reperta : *Ibid.*

Licet simplex copia bullæ absque originali legitimam non constituat onerum probationem : *Ibid.*

Attamen simplex copia in actis reperta aliisque adminiculata probationibus, authenticam fidem sibi vindicat : *Ibid.*

Beneficia subjective unita Mendicantibus non contribuunt taxæ seminarii : *Tran., Tax.*, 14 *maii* 1763, § 5.

Secus beneficia unita non subjective : *Ibid.*

Beneficia etiam jurispatronatus ratæ seminarii contribuere debent : *Ibid.*

Si tamen non excedunt reditus septem florenorum auri, non contribuunt decimis papalibus : *Ibid.*

Nisi una persona plura possideat beneficia, quæ simul unita dictam summam excedant : *Ibid.*

§ XXI.

Beneficia ecclesiastica quoad permutationem.

Lis peragenda inter patronum et capellanum, ejusque odium, atque ira, justa est causa permutandi beneficium in perpetuum : *Spol., Cap.*, 14 *martii* 1444, § 9.

Permutatio sustinetur beneficii, etiam non facta mentione quod ad ejus titulum fuerit quis ordinatus, si tamen aliud beneficium ex permutatione acceptum parem fructum reddat, ejusque possessionem vere fuerit adeptus permutans : *Asten., Resig. ben.*, 20 *martii* 1734, § 7.

Permutato loco, et exercitio ordinis, amittitur possessio, et jus optionis, quod non beneficio, sed possessori adnexum est : *Rom., Præced.*, 12 *sept.* 1750, §§ 2 *et* 3.

Ideoque, licet vi retrocessionis et novæ permutationis in priorem ordinem rediturus sit, non eamdem tamen antiquitatis prærogativam quam ante permutationem habebat recuperare poterit, ne alii, qui medio tempore ad superiores sedes gradatim ascenderunt, ex hac restitutione sentiant detrimentum : *Ibid.*

Nec dicatur jure regressus ad suum ordinem redire, cum hosce regressus vetet Tridentinum, nisi reservati et admissi fuerint auctoritate Summi Pontificis : *Ibid.*, § 3.

Et sicuti ex nova gratia id fieri potest, ita locum et jura quæ ante permutationem habebant non recuperant regrediendo in perniciem eorum quibus medio tempore jus quæsitum fuit : *Ibid.*

§ XXII.

Beneficia ecclesiastica quoad possessionem.

In beneficiis duplex distinguitur a doctoribus possessio : una verbalis, quæ fit per verba cum traditione alicujus signi, puta cum impositione birretti : *Tiras., Visit. SS. LL.*, 20 *april.* 1782, § 10.

Altera realis, quæ fit per actualem introductionem in possessionem beneficii : *Ibid.*

§ XXIII.

Beneficia ecclesiastica quoad prælationem.

Qui primus in Dataria comparuit, et obtinuit signari supplicationem, jus quæsitum ad beneficium habuit, cui posterior supplicatio præjudicium afferre non potuit : *Cæsen., Benef.*, 10 *aug.* 1768, § 11.

Idque procedit etiam in paritate meritorum, et qualitatum : *Ibid.*

Propterea posterior supplicatio nihil officit juri per præcedentem provisionem antea quæsito : *Ibid.*, § 12.

Et in omni casu inquirendum est de intrinseco supplicantium jure, non vero de ordine temporis, quo supplicationes fuerint exhibitæ : *Ibid.*

Inverosimile est, quod ad beneficium præsertim magistrale, et pro erudienda in pietate, et litteris juventute fuerint simplices clerici contra SS. Canonum præscriptum sacerdoti comparati : *Comen., Benef.*, 13 *jun.* 1771, § 14.

Duobus idem beneficium postulantibus, quorum alter sit vere habilis, alter per dispensationem, qui vere est habilis est præferendus : *Teru., Benef.*, 27 *aug.* 1763, § 3.

Et alteri non favet habilitas postmodum acquisita : *Ibid.*, § 5.

Sed regula illa de præferendo habili qui non indiget dispensatione obtinet tantummodo in paritate, et dum concurrentium requisita æqualia sunt : *Ibid.*, § 6.

Inter æque dilectos præferri debet major ætate, et antiquior clericatu : *Senogall., Can.*, 11 *maii* 1793.

Prælatio vero non debetur remotiori in gradu, et in diversa substitutionis sede vocato : *Ibid.*

In beneficiis quæ sunt jurispatronatus prælationis locus est, quando agitur de præsentatis, quos inter ætate major, ceteris paribus, aliis præfertur : *Tolen., Can.*, 16 *decemb.* 1769, § 12.

Non tamen inter patronos, quia jus præsentandi ætate seniori tributum huic competit non ratione antiquitatis, sed veluti a fundatore unice vocato, exemplo successionis primogenialis, ad quam vocatus qui fuerit, parem non habet, cui vere ac proprie dicatur præferri : *Ibid.*

§ XXIV.

Beneficia ecclesiastica quoad primarias preces imperiales.

Preces primariæ imperiales locum habere possunt erga eos tantum collatores, seu collatrices, qui, quæve quatuor saltem beneficia ecclesiastica in titulum perpetuum conferant juxta apostolicum indultum : *Mogun., Prim. prec.*, 14 *dec.* 1748, § 2.

Secus, si talia beneficia sint manualia, et ad nutum amovibilia, tunc enim immunia sunt a primariis precibus imperialibus : *Ibid.*

§ XXV.

Beneficia ecclesiastica quoad privationem.

Sacro Concilio Tridentino non adversatur, quod in statutis collegii beneficiatorum apponitur privatio ipso jure incurrenda ob non residentiam : *Vercell., Resid.*, 1 *oct.* 1720, § 9.

Sed trina præcedere debet monitio : una cum subtractione fructuum, antequam suo beneficio quis spoliari vel suspendi possit : *S. Sever.*, 4 *april.* 1778, § 8.

Si nulla monitio, præcesserit nulla fructuum subtractio, nullum præceptum est, omnia ob non servatam canonicam formam sunt infirmanda, et revocanda : *Ibid.*

Nam beneficii privatio inter graviores pœnas a doctoribus recensetur : *Crac., Per.*, 10 *febr.* 1770, § 4.

Et tria requiruntur omnino, videlicet gravis causa, quæ privationem mereatur : *Ibid.*

Insuper causa plenissime probata : *Ibid.*

Ac tandem, quod privationis pœna infligatur juxta formam a legibus ecclesiasticis præfinitam : *Ibid.*

Si in infligenda pœna neglecta fuerit forma a sacris canonibus præscripta, scilicet trina monitio, quæ præmitti debuisset, sententia insanabili nullitatis, et injustitiæ vitio laborat : *Ibid.*, § 5.

Etiamsi ageretur de incontinentia qualificata cum adulterio : *Ibid.*

Et crimina, quæ privationi causam præbuerunt, plane concludenterque justificata probarentur : *Ibid.*

Ac hæc forma adamussim servanda, ideo præscripta a sacris canonibus fuit : quia alias verificari non posset incorrigibilitas, et contumacia, ad privationem necessario probanda : *Ibid.*

Nam privatio beneficiorum approbatur, servata in omnibus et integre forma a Concilio Trid. præscripta sess. 24, cap. 12, *de Reformat.* : *Spiri., Canon.*, 23 *mart.* 1765, § 8.

Dubia res est an fructuum subtractiones ad solvendos creditores, non ad privationem comminandam sufficiant ut servata dicatur forma Concilii : *Ibid.*, § 9.

Ex dispositione Tridentini Concilii ses. 21, cap. 6, *de Reform.*, privandi sunt beneficiis illi qui, turpiter vivendo, incorrigibiles evadunt : *Cracov., Par.*, 10 *febr.* 1778, § 12.

Item clerici, postquam prava quælibet cum mulieribus consuetudo interdicta fuerat : *Ibid.*, § 13.

Et decretum illud conciliare non procedit in simplici incontinentia absque qualitate concubinatus : *Ibid.*, § 14.

Trinam quoque monitionem requirit Concilium Tridentinum, antequam clericus prava aliqua consuetudine detentus beneficio privetur : *Ibid.*, § 15.

Verum in cap. *Si autem* 6 tit. *de Cohab. cler. et mul.*, duplex tantummodo monitio sufficit : *Ibid.*

Beneficiatus adigi non debet ad pœnam privationis beneficii, quoties fundator residentiam non præscripsit : *Prænes., Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 11.

In beneficiatum contumacem a præstando servitio procedi potest ad formam Concilii Tridentini per privationem scilicet medietatis fructuum primo anno, omnium secundo, ipsius tandem beneficii : *Velit., Ben. et Serv. ch.*, 20 *mart.* 1790.

Beneficiatus absque legitima causa absens non solum quotidianas distributiones lucratus non est, sed propter diuturnam adeo, contumacem absentiam ipso quoque beneficio privandus est : *Osnabrug., Distrib.*, 3 *maii* 1736, § 6.

Recurrens ad judices laicos ad tramites sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum, nedum incurrit pœnam excommunicationis ipso jure privationem beneficii, et cujuscumque juris ad beneficium : *Urgel.*, 28 *sept.* 1726, § 6.

Clericus criminosus tantum de suspecto, licet non notorius, ac non emendabilis, beneficio privatur : *Spirem., Can.*, 23 *mart.* 1765, § 6.

A beneficio repellitur diffamatus, et infamia facti ad hoc satis est, præsertim ubi imputatum crimen fundamentis non caret, quod utile esse potuerit diffamato : *Posn, Jur. opt.*, 2 *aug.* 1755, § 3.

Eoque amplius si res non de privatione beneficii, sed agatur ne illud diffamatus assequatur : *Ibid.*

Etsi diffamatio quoad mores sufficiat pro repellendo concurrente a beneficii consecutione, non sufficit ad irrogandam pœnam privationis : *Lanc., Archipres.*, 19 *sept.* 1761, § 7.

Multo minus obstat diffamatio consistens in paucorum dicto : *Ibid.*, § 9.

Præbendati absentes a chori servitio per mensem non completum, vel non continuum multari tantum possunt per subtractionem quotidianarum distributionum pro rata fructuum dierum absentiæ tum ex juris dispositione : *Serv.*, 12 *maii* 1770, § 11.

Tum ex rotali judicio : *Ibid.*

Et pœna privationis indicta in absentes per mensem continuum mullomodo extendi potest ad absentes per mensem vel non completum, vel non continuum : *Ibid.*

Beneficia religionis hierosolymitanæ. Vide *Religio militaris*, § 1.

§ XXVI.

Beneficia ecclesiastica quoad resignationes.

Resignationes beneficiorum, etsi a nonnullis immerito excogitatæ tanquam sacris canonibus et Tridentinis sanctionibus inimicæ, strenue a doctoribus defenduntur : *Rom.*, *Can.*, 9 *sept.* 1786, § 7.

Supplex libellus ad effectum renunciandi in favorem certæ personæ porrectus inducit jam vacationem, et hac accedente nec resignationi, nec renunciationi amplius locus est : *Ibid.*, § 13.

Beneficium etiam collatum in perpetuum titulum ultro resignari, ejusque resignatio admitti potest : *Pient. seu Ilcin., Ord.*, 18 *jul.* 1733, § 11.

Sed tenent communiter doctores, ut resignans teneatur individuam expressionem adjicere, quod tuerit ad ejus titulum ordinatus, et ut per expressionem æquipollentem non satisfaciat : *Lanc.*, 9 *febr.* 1726, §§ 4 et 5.

Imo irrita est resignatio beneficii facta cum pensione etiam ad conservationem resignantis congrua, si fuerit omissa expressio de promotione ad sacros ordines ad ejus beneficii tutulum : *Asten., Resig. ben.*, 20 *mart.* 1734, § 4.

Si Episcopus certo sciret satisfactum esse menti Tridentinæ legis, parum momenti habet prætermissa mentio ordinationis ad titulum beneficii, quod resignabatur, et cujus proinde resignationem nullitatis vitio obnoxiam esse doctores tradunt : *Ibid.*, § 6.

In resignatione beneficii, ut valida sit, exprimi debet quod ad titulum ejusdem promotus fuerit, nisi constet quod aliunde commode vivere possit : *Ibid.*, § 2.

Et expressio illa censetur præscripta, ut aiunt doctores, pro forma : *Ibid.*

In casu quo resignatio beneficii, ad cujus titulum fuit quis ordinatus, non sit voluntaria, sed necessaria, et de jure facienda, tunc resignatio non comprehenditur sub Tridentino decreto sess. 21, cap. 2, *de Reform.* : *Ibid.*, § 1.

Mentio in resignatione ut in illius beneficii titulum fuerit ordinatus facienda omnino ex decreto Concil. Trid., ut sciat Episcopus, quidnam aliud prædicto titulo subrogetur ; quod utique Episcopum expresse scire expedit, cum hic secundus titulus

induat eamdem qualitatem inabdicabilitatis, seu inalienabilitatis, qua erat affectus primus titulus, cui subrogatur : *Ibid.*

Hinc duo sunt in hisce resignationibus exprimenda, hoc est, ut resignans fuerit ad titulum beneficii ordinatus, et ut habeat aliunde quo vivere possit : *Lancian. cit.*, § 6.

Confessio resignantis quod habeat aliunde quo vivere possit, quamvis jurata, non sufficit, sed debet eadem per concludentes probationes probari : *Ibid.*, § 7.

Beneficiato interdicitur beneficii resignatio, si bona deteriora fecerit, vel in parte alienaverit : *Macer.*, *Resig. ben.*, 8 *aug.* 1778, § 5.

Item si beneficium sit de jurepatronatus, quo casu requiritur patroni assensus : *Ibid.*

Resignatio beneficii libere facta in manibus Summi Pontificis patronorum consensum non requirit : *Macer.*, *Resig. ben.*, 8 *aug.* 1778, § 7.

Sed solum de stylo et urbanitate, non autem ex justitia : *Ibid.*

§ XXVII.

Beneficia ecclesiastica sacerdotalia.

Ut judicari tuto queat, num beneficium sit actu sacerdotale, vel solum habitu, præ oculis habenda est theoria quam primus omnium invexit abbas : *Tudert.*, 9 *julii* 1785, § 4.

Nempe quod vel qualitas sacerdotalis adnectitur actu præsentationis, nominationis, collationis, et tunc cum qualitas adesse debeat secundum tempus verbi et actus cui adnectitur, hinc beneficium dicitur actu sacerdotale : *Ibid.*

Aut qualitas sacerdotalis respicit et adnectitur exequutioni et prosequutioni obtentæ nominationis, præsentationis, collationis, et tunc beneficium censetur esse sacerdotale habitu tantum : *Ibid.*

Hanc regulam sequutum est Sacræ Rotæ tribunal in suis decisionibus, et Sacra Congr. Concilii : *Ibid.*

Lex indicta nominatis vel institutis excipiendi confessiones et residendi in loco, non inducit qualitatem actu sacerdotalem : *Ibid.*, § 5.

Eadem ratione qua dicta lex indicitur a jure nominatis vel institutis ad parœcias, ad quas quis potest ascendere, si infra annum ad sacerdotium promoveatur : *Ibid.*

Doctores, et S. Congr. Concilii sæpe in eam iverunt sententiam, ut inducta non censeatur sacerdotalis beneficii qualitas, nisi per expressum præceptum celebrandi per se ipsum : *Prænest.*, *Can.*, 16 *jun.* 1787, § 6.

Hoc tamen fallit, ubi ex verbis in personam beneficiati directis, et ex aliis argumentis ac demonstrationibus a fundatione resultantibus, æquipollenter conjici potest fundationem voluisse, ut onus celebrationis Missarum per ipsummet capellanum, et non per alium adimpleri debeat : *Ibid.*

Observantia constans ad arguendam sacerdotalem beneficii qualitatem plurimi facit : *Ferrar.*, *Capel.*, 7 *junii* 1788, § 5.

Spernenda est, si sit veluti facultativa : *Ibid.*

Beneficium factum fuisse sacerdotale argui nequit ex præsentationibus, nisi probetur præsentationes actu sacerdotum factas fuisse necessario, et coacte : *Imol.*, *Benef.*, 23 *sept.* 1758, § 2.

Non præsumitur qualitas sacerdotalis beneficii, quod non ita certum fortasse est, ut requiratur, omnino in iis, qui ab ipsa communitate nominandi erant : præsertim ubi onus celebrandi per se ipsum injunctum non est : *Senog.*, 9 *aug.* 1766, § 31.

Nam beneficia omnia ejus indolis jure præsumuntur, ut non sacerdotibus tantum, sed clericis quoque conferri possint : *Comen.*, 10 *mart.* 1770, § 12.

Voluit testator aptitudinem saltem ad sacerdotium, dum et sacerdotem in primum beneficiatum ipse nominavit, et sacerdotes, aut clericos in posterum instituendos esse præcepit : *Reat.*, *Capel.*, 18 *sept.* 1773, §§ 4.

§ XXVIII.

Beneficia ecclesiastica secularia vel regularia.

Juris regula est, quod omnia beneficia ecclesiastica præsumuntur secularia : *Aug.*, *Paroch.*, 10 *maii* 1760, § 3.

Ex sola possessione beneficiorum regularium ad quadraginta annos a secularibus habita, illorum status immutatio esse censetur : *Assisien.*, *Cath.*, 18 *dec.* 1734, § 2.

Sed primævus regularis beneficii status non potuisset immutari, cum semper illud datum sit clericis secularibus in commendam : *Ibid.*, § 3.

Quia virtus commendæ, ut præservet beneficia in eo statu quo antea reperiebantur : *Ibid.*

Nec officiunt visitationes ecclesiæ ab Episcopo factæ, ut a statu regulari ad secularem transitum probent, quia peragi potuerunt vi apostolicæ delegationis in exemptos Episcopis tributæ a Tridentino Concilio : *Ibid.*

Vulgatissimum est illud axioma, quod beneficia secularia secularibus, regularia regularibus sint conferenda : *Constan.*, 20 *nov.* 1734, § 4 et *Mars.*, *Capel.*, 28 *jan.* 1764, § 8.

Imo a canonicis sanctionibus contrarium vetitum est : *Colonien.*, *Disp.*, 9 *febr.* 1732, § 3.

Ita veteribus quoque canonicis sanctionibus inhibitum est, beneficia secularia, quibus etiam animarum cura adnexa est, personis regularibus conferre : *Frising., Perm. seu Un.*, 18 *jun.* 1735, § 6.

Ob id beneficium seculare nequit a regulari possideri ; etiamsi regulare collegium sit hæres fundatoris, et habeat jus nominandi : *Mars., Capel.*, 28 *jan.* 1768, § 6.

Sed semper patronus tenetur nominare presbyterum secularem : *Ibid.*

Ita quidem, ut beneficium seculare, nec etiam in commendam vero religioso dari possit, juxta regulam 43 Cancellariæ apostolicæ, atque collatio, seu institutio personæ regularis, in beneficio seculari ipso jure irrita, et invalida existat : *Const. cit. loc.*

Prætermissis antiquioribus Ecclesiæ legibus quæ sive ex dispensatione sive ex jure communi elargiebantur monachis, multoque magis canonicis regularibus facultatem assequendi beneficia secularia, quibus animarum cura adnexa erat : *Ibid.*, § 5.

Dummodo tamen iidem monachi, seu canonici regulares de uno ad alium ordinem non fuissent translati : *Ibid.*

Jure novissimo cautum habetur, ut ad beneficia secularia etiam curata incapaces existant non solum monachi, sed etiam canonici regulares, sive de uno ad alium ordinem regularem translati fuerint, sive etiam in eodem ordine permancant : *Ibid.*

Et quamvis regulares præfici possunt parochialibus ecclesiis eorum monasteriis unitis, id tamen procedit duntaxat in casu quo eædem ecclesiæ *subjective* nimirum tam quoad temporalia, quam quoad spiritualia fuerint dicto monasterio unitæ : *Ibid.*, § 5.

Secus autem est in casu quo unio dictarum ecclesiarum *accessorie*, et quoad temporalia facta fuerit ; tunc enim in iis constitui debet rector, seu vicarius perpetuus : *Ibid.*

Idcirco ad eas deputari non potest persona regularis, cujus instituto repugnat beneficiorum collatio, seu instituto in titulum perpetuum : *Ibid.*

Item beneficia regularia alicujus ordinis non solum possunt conferri duntaxat religiosis illius ordinis ex *Tridentina* sess. 14, cap. 10 *de Reform.* : *Ibid.* § 7.

Verum etiam beneficia unius monasterii assequi non potest religiosus alterius monasterii ; tametsi fuerit ejusdem Ordinis, ex canonica dispositione in cap. *Cum singula, de Præben.* in 6 : *Ibid.*

§ XXIX.

Beneficia ecclesiastica simplicia, vel residentialia.

Beneficium curatum est residentiale : *Sabin.*, 26 *nov.* 1791, § 3.

Deficiente fundatione omnis pro beneficii libertate militat præsumptio : *Signin., Benef.*, 4 *aug.* 1771, § 4.

Dubitari non potest de aperta testatoris voluntate pro erectione beneficii residentialis statim ac beneficiatum adegit ad implendam per se ipsum in designata ecclesia Missarum celebrationem, cum hujusmodi onus personalem residentiam omnino præ se ferat : *Comad.*, 18 *sept.* 1775, § 3.

Præsertim si prædecesssores residentiæ legem servassent, et negligentes coacti fuissent ad illam auctoritate S. Congr. Concilii : *Ibid.*

Verum beneficia simplicia ex Ecclesiæ indulgentia residentiæ onus non præ se ferunt : *Ibid.*, § 9, et *Prænes.*, 21 *aug.* 1774, § 15.

Quod si in fundatione lex residentiæ indicta fuerit aut onus beneficiato injunctum celebrandi per seipsum, tunc a residentia minime posset excusari : *Ibid.*

Attamen non ita rigide residentiæ onus intelligendum est in beneficiis simplicibus solo Missarum onere gravatis : *Ibid. et* § 10.

§ XXX.

Beneficia ecclesiastica quoad statum et qualitatem.

Beneficia ecclesiastica a canonica erectione emergere debent ut in titulum conferantur : *Fir., Mans.*, 15 *dec.* 1770, § 5.

Et consuetudine, beneficiorum natura mutari nequit : *Prænes., Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 15.

Expedit testatoris animæ et Ecclesiæ, ut beneficium sit collativum, dum uberius ac firmius onera adimplentur : *Firm., Mans.*, 15 *dec.* 1770, § 4.

Status beneficii legitime erecti non est immutandus : *Null., seu Farf.*, 21 *nov.* 1761, § 5.

Non censetur Summus Pontifex voluisse statum beneficii immutare, nisi expresse declaraverit : *Papien., febr.* 1791, § 6.

Observantia per quadragenarium tempus protracta sufficit ad beneficii statum et indolem immutandam : *Sign., Benef.*, 3 *aug.* 1771, § 5.

Beneficiorum naturam non immutant provisiones apostolicæ : *Ven.*, 25 *jun.* 1763, § 8.

Nam provisiones apostolicæ unionem non evertunt, nec beneficii statum immutant : *Feren., Ben.*, 16 *jan.* 1762, § 10.

Ubi ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione qualitates aliquæ requiruntur, eis non derogari debet : *Alex., Can.*, 8 *aug.* 1789, § 5.

Nisi justa concurrat et necessaria causa : *Ibid.*

Nequit dari beneficium ecclesiasticum sine aucto-

ritate Episcopi : *Civit. Cast., Cap.*, 25 *apr.* 1761, § 5 ; *et Amer., Cap.*, 22 *jan.* 1763, § 9.

Sane ecclesiasticum est beneficium, ob illius erectionem et collationem auctoritate Ordinarii : *Jan., Ben.*, 17 *jan.* 1797, § 4.

Si variatio qualitatis beneficii accidentalis tendat in damnum Ecclesiæ fieri nequit, neque adjici possunt novæ qualitates ; si vero qualitas nova nullum Ecclesiæ detrimentum infert, neque est contra juris dispositionem, licet variare et novam qualitatem adjungere : *Mel., Erect. can. et Cant.*, 11 *aug.* 1753, § 3.

Si beneficium cujus fundator adjicerit legem ut ex causa legitima possit ejus rector removeri, sit erectum approbante Episcopo, beneficium hujusmodi veram habet naturam beneficii ecclesiastici : *Pien. seu Illic., Ordin.*, 18 *jul.* 1733, § 9.

Capitulum non potest naturam beneficii immutare : *Emb., Jur. can.*, 9 *jan.* 1765, § 9.

Qua de causa ejusdem statuta desuper facta sunt omnino nulla : *Ibid.*

Etiamsi usus probetur, quod nihil facit absque beneplacito apostolico : *Ibid.*, 10.

Qualitas beneficii extra actum erectionis minime valet immutari a patronis, a proviso, et ab ipso ordinario : *Null. Lepr., Cap.*, 12 *jan.* 1773, § 7.

Non potest adjicere nova onera, nec beneficii naturam immutare, tum etiam ob difficultatem inveniendi presbyterum, vel clericum, qui illud acceptare velit, tum denique ne fideles a beneficiorum fundatione retrahantur : *Præn., Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 9.

Præsertim si patronus non sit interpellatus : *Ibid.*

Beneficium erectum in titulum est ecclesiasticum, et ecclesiasticam requirit qualitatem in possessore illius : *Laur., Cap.*, 23 *jan.* 1796, § 5.

Præsertim comprobatur ex facto fundationis, qui ad illud nominavit sacerdotes, et masculos deinde vocavit : *Ibid.*

Non item fœminæ, quæ juxta indolem simplicis legati pii illud æque ac conjugati retinere potuissent : *Ibid*

Testator demandavit erectionem beneficii ecclesiastici, quoties erigi jussit mansionariam quæ vere beneficium est ecclesiasticum : *Firm., Erect. mens.*, 10 *febr.* 1770, § 4.

Et in dubio, beneficii ecclesiastici institutionem fuisse censeri debet : *Ibid.*, § 6.

Atque illa verba *qualche altro beneficio* non aliud important, nisi quod mansionaria ejusdem naturæ et qualitatis esse debeat : *Ibid.*, § 6.

Ac imperitiæ sacrorum canonum tribuenda est erectionis prohibitio, cujus vigore nullum illatum est præjudicium auctoritati Ordinarii, qui semper inclusus censetur, quoties expresse non reperiatur exclusus : *Ibid.*

Lex fundationis beneficii immutari nequit ab exequutore testamentario, vel hærede fundatoris : *Viterb., Erect. can. et Appl. fruct.*, 28 *maii* 1796, § 4.

Licet aliqua eidem beneficio addiderit bona : *Ibid.*

Certum est non dari patronis, neque Episcopo facultatem, ut beneficii qualitatem immutent, et laicalem capellaniam in contractu præsertim inter vivos præsumptam, in beneficium ecclesiasticum convertant : *Burgel.*, 16 *dec.* 1786, § 3.

Pro qualitate laicali a fundatore exoptata verba expressa *beneficio laicale*, et volente etiam vagientis pueri ad illud assequendum aptitudinem, *quel soggetto possa essere nominatio in culla* plurimum juvant : *Ibid.*, § 3.

Sed his opponitur adhibitum a testatore verbum *nominationis*, et factum primi patroni, simulque executoris deputatio ab ipso fundatore : *Ibid.*

Quum ecclesia agitur nunquam in collegiatam erecta, pro simplici beneficiorum qualitate urgere videtur præsumptio : *Sutrin.*, 21 *april.* 1787, § 3.

Plurimum quoque in id confert ultimus status, retentio scilicet alterius beneficii una cum canonicatu residentiali : *Ibid.*

Collatio rursus beneficiorum tanquam de simplicibus, nulloque onere affectis :

Ac denique unio unius ex beneficiis seminario episcopali, quæ juxta Trid. Concilium de simplicibus tantum beneficiis fieri debet : *Ibid.*

Auctoritas Episcopi requisita in fundatione est causa efficiens beneficii ecclesiastici, qua deficiente nunquam verum ostenditur beneficium ecclesiasticum, etiamsi concurrant cetera requisita ad illud constituendum necessaria : *Mut., Cap. seu Leg. pii*, 2 *novemb.* 1760, § 4.

Multo magis si desint alia requisita, et expressus titulus, sub quo erigendum erat beneficium, nec certus locus erectionis designatus fuerit, qui requiritur in qualitate ecclesiastici beneficii : *Ibid.*

Nec officiunt verba *affine che sia fondato un beneficio*, quia beneficii vocabulum non semper significat de beneficio ecclesiastico : *Ibid.*, § 5.

Et fundationis verbum æque comprobari potest de capellania mere laicali : *Ibid.*

Et mentio facta in testamento presbyteri non sufficit, cum deficiat onus celebrandi per seipsum, tunc nunquam beneficium reputatur sacerdotale : *Ibid.*, § 6.

Auctoritas Ordinarii non obscure exoptata censetur per demandatam fundationem beneficii, cujus vocabulum, nisi repugnet expresse voluntati testa-

toris intelligendum est de beneficio ecclesiastico : *Ibid.*, § 7.

Et dote non deficiente ex hæreditate testatoris, quæ juncta contemplationi presbyteratus testatorem intellexisse de beneficio ecclesiastico probatur : *Ibid.*

§ XXXI.

Beneficia ecclesiastica quoad suppressionem.

Quæcumque beneficia non nisi accedente legitima causa, ac prævio patronorum consensu supprimi, et ad inferiorem statum reduci queant : *Pisan., Can.*, 14 *april.* 1736, § 6.

Non facile admittitur beneficiorum suppressio, ne divinus cultus imminuatur : *Mediol., Supp. capel.*, 23 *febr.* 1773, § 4.

Permittitur autem, si Ecclesiæ utilitas vel necessitas, aut divini cultus incrementum id exigat ; imo alterutrum ex his sufficere censetur : *Ibid.*

Si beneficii suppressio nullum affert interesse habentibus damnum, ac utilis contra est universo populo jam irrationabilis est illorum contradictio, eorumque consensus a S. Cong. Concilii suppleri potest ; *Firm., Erect.*, 18 *aug.* 1787, § 7.

Maxime si præsumpta accedit fundatorum voluntas, cujus commutationi in præmissis circumstantiis, si viverent, assentirentur : *Ibid.*

Sed interdictum est a jure canonico, ne beneficia de jurepatronatu laicorum, iis dissentientibus, supprimantur : *Ibid.*, § 14.

§ XXXII.

Beneficia ecclesiastica quoad titulum ordinationis.

Hæc servari debet regula : Ut nemo subjectionem ad effectum suscipiendi ordines subire censeatur, nisi beneficium ejus sit reditus ad congruam vitæ conservationem, sive juxta taxam synodalem, sive ea deficiente juxta morem regionis, quodque per se detractis oneribus suscipiat, et pacifice possideatur : *Pien. seu Ilcin., Ad.*, 18 *jul.* 1733, § 4.

Idcirco inquirendum est, an liceat ordines conferre ad titulum beneficii manualis, et amovibilis? propterea, quod hujusmodi titulus non videatur legitimus ad effectum ordinationis; aliud, an Episcopus, qui ordines contulit clerico possidenti in sua diœcesi beneficium manuale et amovibile, censeatur violasse canonicas leges prohibentes ad ordines alienum subditum ordinare : *Ibid.*, § 5.

Ad priorem distinctionis partem communis est sententia, non sufficere beneficium manuale vel temporale ; sed oportere, ut ordinatio fiat in titulum beneficii perpetui : *Ibid.*

Ad alteram distinctionis partem plures doctores in ea sunt opinione ut beneficium etiam manuale, et amovibile satis sit ad hoc ut beneficiarius subjiciatur jurisdictioni Episcopi in cujus diœcesi illud existat : *Ibid.*

Quia ad beneficium manuale, licet non sit per se idoneum pro titulo ordinationis, est tamen idoneum pro inducenda subjectione ad effectum suscipiendi ordines, tanquam ab Episcopo proprio : *Ibid.*

In id etiam confert exemplum tenuis beneficii, quod quamvis non suffragaretur pro titulo, suffragabatur tamen, antequam prodiret bulla Innocentiana, pro subjectione, ut scilicet licite posset quis ordinari ab Episcopo, in cujus diœcesi possideret tenue illud beneficium : *Ibid.*

Alii dissentiunt, existimantes requiri beneficium perpetuum, ad hoc ut quis constituatur subditus Episcopo, in cujus diœcesi illud sit, etiam ad effectum ordinationis : *Ibid.*, § 7.

Sed fortasse, qui secundam sententiam tradunt, id intelligunt de beneficio manuali, quod non sit erectum auctoritate Ordinarii, adeo ut dici nequeat beneficium ecclesiasticum : *Ibid.*, § 8.

Sed hi doctores agunt de clerico ad docendum conducto, assignatis ei fructibus unius præbendæ tandiu percipiendis quandiu magistri officio fungeretur : *Ibid.*

§ XXXIII.

Beneficia ecclesiastica quoad translationem, et suspensionem.

Beneficia simplicia etiam jurispatronatus, possunt ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato transferri ex ecclesiis vetustate collapsis ad matrices seu alias ecclesias locorum eorumdem, seu vicinorum : *Comen., Trans. Mis.*, 15 *sept.* 1764, § 20.

Et in eisdem ecclesiis erigi altaria vel capellas transponi cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis : *Ibid.*

Convocatis tamen omnibus in translatione interesse habentibus : *Ibid.*

Translatio beneficii ad hospitale contrariatur dispositioni Concilii Tridentini sess. 14 cap. 9 *de Reform.* : *Med. seu Nov.*, 19 *sept.* 1767, § 9.

Non est locus suspensioni beneficii, cum patronus obligatus est ad refectionem ecclesiæ : *Viter., Benef.*, 18 *nov.* 1797, § 5.

§ XXXIV.

Beneficia ecclesiastica quoad vacationem.

Beneficium ecclesiasticum eo plane modo quo per naturalem beneficiati obitum vacat, per regula-

rem professionem vacare dicitur : *Canar., Fruct.*, 22 *aug.* 1739, § 4.

Limitatur. Si vero agatur de ecclesia, in qua viget statutum loquens de vacatione per obitum, cum res sit de materia odiosa et exorbitante, nequit casus vacationis per ingressum et professionem in religionem comprehendi : *Ibid.*, § 5.

Non vacat beneficium deficiente consensu clerici in matrimonium : *Brix., Can.*, 18 *sept.* 1790, § 5.

Et deficit consensus in matrimonium, non purificata conditione sub qua contractum est : *Ibid.*

Benficii vacatio non inducitur ipso jure, nisi in casibus a jure expressis : *Ibid.*, § 7.

Expressa non est in cap. 1 *de Cler. conjug.* et cap. 1 *Nuper.* 4 *de Bigam. non ordin.* ob contractum a clerico matrimonium nullum : *Ibid.*, § 8.

Nam in illis capitibus haud ad validum duntaxat respexisse censetur matrimonium, sed ad simplicem etiam animi destinationem : *Ibid.*, § 13.

Secundum aliquos non vacat beneficium ipso jure ob contractum matrimonium nullum, præter quam ex defectu consensus : *Ibid.*, § 9.

Sed declaratoria requiritur vacationis sententia, quæ non retrotrahitur ad diem impetrationis beneficii : *Ibid.*

Secundum alios vero, quibus Rotales accedunt decisiones et S. Congr. Concilii decreta, vacat beneficium ipso jure, ob liberum consensum in matrimonium : *Ibid.*, § 14.

Hujusmodi consensum probat parochialis codex et subsequens contrahentium declaratio ; neque illum excludit contraria declaratio, suspecto tempore emissa : *Ibid.*, §§ 11 et 12.

Ubi simplex requiritur declaratoria vacationis beneficii ob contractum matrimonium, necesse non est ut collationem præcedat sententia : *Ibid.*, § 15.

Sententia lata ab extero tribunali, licet in abstracto non sufficiat, si prolata tamen sit super vacatione beneficii ob contractum matrimonium quoad reliqua beneficia, constituit judicatam : *Ibid.*, § 6.

Neque requiritur processus ad formam Benedictinæ const. *Dei miseratione*, quæ procedit duntaxat ubi agitur de validitate vel nullitate matrimonii : *Ibid.*

Beneficii vacationem inducit ipso jure assumptio militaris cinguli cum stipendio : *Ibid.*, § 16.

Quando vacet beneficium ob non impletam legem suscipiendi sacros ordines infra præfinitum tempus, ubi adjecta sit pœna caducitatis : *Ipso jure, eo ipso, ipso facto*, magna est inter doctores controversia : *Cæsen., Mans.*, 15 *sept.* 1792, § 3.

Secundum aliquos, non vacat ante monitiones et ntentiam declaratoriam facti : *Ibid.*

Æquum namque non est quemquam, indicta causa, beneficio privari : *Ibid.*

Licet imposita sit caducitatis pœna cum clausula : *Ipso jure, et facto* : *Ibid.*

Vel ampliori etiam altera : *Sine ulla monitione, et declaratione judicis* : *Ibid.*

In notorio assumpti sacri ordinis *facto*, aliqua esse potest excusatio, quæ ad excludendam odiosam caducitatis pœnam admittitur : *Ibid.*

Secundum alios vero, caducitatis pœna sub illa clausula : *Ipso jure, et facto*, est latæ sententiæ, et resolutiva gratiæ ; ideoque vacat beneficium per simplex legis implementum : *Ibid.*, § 5.

Sic tamen utraque conciliatur sententia, ut, si agatur de beneficio nondum collato, sed conferendo, præmittenda non sit privationi declaratoria sententia ; præmittenda vero, si de beneficio agatur collato et possesso : *Ibid.*

§ XXXV.

Beneficia ecclesiastica quoad unionem.

Ex necessitate et utilitate fieri debent uniones beneficiorum : *Lucan., Union. benef.*, 23 *febr.* 1793, § 4.

Necessitatem inducit tenuis census pii loci : *Ibid.*

Imo justam unioni beneficiorum piorumque operum causam præbent necessitas, Ecclesiæ utilitas, major commoditas, interesse habentium consensus : *Sutr.*, 31 *julii* 1790.

Et ad necessitatem tenuitas redituum refertur : *Ibid.*

Hinc S. Synodus Tridentina, sess. 24, cap. 5, *de Reform.*, permittit perpetuas beneficiorum uniones, ut ecclesiarum status, ubi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conserventur : *Spol., Erect. mans.*, 23 *april.* 1796, § 11.

Sed necessarium est, pro unione, de justa et rationabili causa inquirere : *Ibid.*

Atque regulæ Cancellariæ XIII, quæ effectum non habuit, locus non est, quando unio facta est auctoritate Concilii vel ex necessitate Ecclesiæ : *Tud., Un.*, 23 *aug.* 1755, § 2.

Quandoque beneficiorum unio non a loci, vel personarum dignitate pendet, sed a causa, quæ necessarium ecclesiæ servitium et conservationem ministrorum præ se ferat : *Basil. seu Const.. Un.*, 26 *martii* 1768, § 15.

In unionibus beneficiorum, sive dismembrationibus ecclesiarum a summo Pontifice faciendis, satis est aliquam justam causam proponi ; licet non desint qui putent nullam requiri : *Pisau.*, 14 *dec.* 1743, § 7.

Ad solemnitates quoad unionem beneficiorum

servandas, duæ recensentur : ut exprimatur valor annuus secundum communem æstimationem tam beneficii uniendi, quam illius cui uniri petitur : *Basil. seu Const.*, 26 *martii* 1768, § 29.

Secundo, ut semper in unionibus commissio fiat ad partes convocatas quorum interest : *Ibid.*

Hanc postremam cautelam etiam demandavit Concilium Tridentinum sess. 7 cap. 6 *de Reform.*, præscribens ut legitimæ aut alias rationabiles unionis causæ coram loci Ordinario, *vocatis quorum interest, comprobentur* : *Ibid.*

Unio subjectiva deducitur ex verbis bullæ unionis, quando unio fit cum omnibus juribus et pertinentiis : *Derth.*, *Visit.*, 24 *nov.* 1759, § 8.

Et distinguitur casus in quo duo beneficia uniuntur ab altero in quo unum beneficium uniatur alteri : *Ibid.*

In secundo casu, unio est subjectiva, et beneficium unitum subjective sortiatur privilegia alterius cui fuit unitum : *Ibid.*

Unio ad effectum non deducta revocatur per regulam XIII cancellariæ conditam a Martino V : *Spir.*, *Par.*, 18 *jul.* 1761, § 9.

Unionem non inducit Apostolica approbatio donationis decimarum et jurispatronatus : *Ibid.*

Et unio facta ab exequutore vigore dictæ approbationis, tanquam excedens limites delegationis, irrita est : *Ibid.*

Unio præsumitur accessoria et quoad temporalia tantum, stante reservatione jurispatronatus : *Ibid.*

Uniones beneficiorum quæ Sanctæ Sedi reservatæ sunt, eo duntaxat casu valide recensentur, quando nempe eorum unitio ante vacationem eorumdem facta est ; secus, si postea : *Puteo.*, *Un.*, 11 *jan.* 1744, § 4.

Declaratum est, facultatem a Tridentino Concilio Episcopis tributam uniendi beneficia erga S. Sedem reservata, exerceri ab eis posse cum de reservatione agitur *eventuali*, et *temporali*, non autem de fixa et invariabili, quæ venit ex personalibus qualitatibus, puta familiaris Papæ, protonotarii apostolici, et curialis : *Ibid*, § 5.

Nequit enim iniqua conditio inferri juribus S. Sedis : *Ibid*, § 6.

Ad augendos inopis parochi reditus locus est unioni beneficiorum, : *Camer.*, 18 *novem.* 1797, § 16.

Nam tenuitas parochiæ redituum rationabilem inducit necessitatis ac utilitatis causam, ex qua simplicia beneficia uniantur : *Perus.*, *Com. vol.*, 18 *dec.* 1790, § 5.

Et ubi aliter succurri nequit inopi parœciæ, perpetuo ei unienda sunt beneficia et legata pia : *Spol.*, 13 *jun.* 1789, § 3.

Honorius III permittit hanc perpetuam unionem beneficiorum ad inopes succurrendas parochiales ecclesias : *Mutin.*, *Un. et Red.*, 26 *nov.* 1791, § 3.

Et fieri cum eisdem oneribus unio debet : *Ibid.*, § 4.

Item ex Tridentino Concilio, ubi tenues sunt parœciæ reditus, providendum est per abolitionem et respectivam simplicium beneficiorum unionem : *Civit. Cast.*, *Red. oner.*, 19 *dec.* 1789, § 3.

Et hæc conciliaris sanctio ad legata pia Missarum extendi non valet : *Ibid.*

Uniones beneficiorum ante vocationem factæ non nisi post obitum possidentis effectum sortiuntur, licet urgeat inopia parochialis ecclesiæ, sive seminarii, vel chori, ecclesiæque servitium hoc postulet ; *Tricar.*, *Ben.*, 10 *febr.* 1748, § 3.

Imo et ad restitutionem fructuum perceptorum a die spolii agi potest, etiamsi beneficium aliqua ex causa vacasset, si sine judicis declaratione beneficiatus e sua possessione dejectus sit : *Ibid.*

Non licet Episcopo ad instituendam theologalem vel pœnitentiariam præbendam simplicia beneficia unire, quando præbendæ vel canonicatus adsint : *Cajet.*, 22 *jan.* 1774, § 6.

Quod si in cathedrali nullæ adsint præbendæ, et fructus omnes in quotidianis distributionibus consistunt, assignari poterunt hujusmodi distributiones, quæ loco præbendæ succedant : *Ibid.*.

Et unire Episcopus potest aliquod beneficium ad consulendum tenuitati præbendæ theologalis, ut saltem ad reditum annuum scut. 60 monetæ romanæ ascendat : *Ibid.*, § 7.

Beneficia simplicia Concilium uniri permittit ad succurrendum cathedralibus ecclesiis quarum adeo tenues sint reditus ut episcopali dignitati minime respondeant, vel ecclesiis parochialibus quarum fructus ita sint exigui ut debitis oneribus subeundis impares comperiantur : *Basil. seu Const.*, 26 *mart.* 1768, § 26.

Vel ad augendas tenues præbendas cathedralium ecclesiarum aut insignium collegiatarum : *Ibid.*

Vel demum ad perficiendam seminariorum erectionem : *Ibid.*

Verum, dum egit de beneficiis curatis, aliter plane Tridentina Synodus loquuta est, et nonnisi ex gravi causa illarum unionibus assentiri visa est : *Ibid.*, § 9.

Sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, decrevit Romanum Pontificem vel Episcopos ad tempus duntaxat providere posse de beneficiis curatis qui fructuum subventione, pro diœcesis suæ calamitatibus ac redituum tenuitate, indigerent : *Ibid.*

Et ne ecclesiæ parochiales uniantur monasteriis, abbatiis, beneficiis simplicibus, hospitalibus, et militiis : *Ibid.*

Advertitur tamen Concilium ibi loqui de parochiis in quibus monasteria jurepatronatus potiuntur, cum in casu Concilii legem mitius intelligendam esse doceant canonistæ : *Ibid.*

Licet Episcopo, ad augendam massam distributionum illarum ecclesiarum quarum fructus non sufficiunt præbendatis ad eorum gradum sustinendum, unire beneficia simplicia secularia et distributionibus quotidianis applicare : *Reg., Un.*, 4 *maii* 1739, § 7.

Imo, integrum est Episcopis beneficia mensæ capitulari uniri, vel etiam aliquem ex canonicatibus supprimere, ut quotidianæ distributiones, si fuerint tenues, augeantur : *Castr.*, 7 *jul.* 1736, § 6.

Invalida est unio beneficiorum facta in augmentum mensæ choralis seu capitularis, proindeque cessura in commodum et utilitatem capituli; nequit idem capitulum consensum suum præstare, sed beneplaciti apostolici accessio requiritur : *Saler., Un.*, 21 *nov.* 1739, § 3.

Accedit, si nulla urgeat causa ob quam possit ad dictam unionem procedere : *Ibid.*

Præsertim, quod unio simplicium beneficiorum potest quidem canonicalibus præbendis fieri, si admodum tenues illæ comperiantur, sed beneficia simplicia nequeant communi massæ quotidianorum distributionum uniri : *Ibid.*

Pro erectione seminarii, ex lege Tridentini Concilii, uniri debent ea quæ ad instituendos alendosque pueros sunt destinata ; inde aliqua portio fructuum a massa episcopali, capitulari, aliisque omnibus beneficiis detrahi, et in subsidium beneficia uniri debent : *Pader., Appl.*, 21 *nov.* 1772, § 7 *et* 11.

Et, pri mis omissis, injuria descenditur ad unionem beneficiorum vel bonorum pro beneficiis destinatorum, quæ non nisi in subsidium iis deficientibus, uniri et applicari possunt : *Ibid.*

Beneficia uniri possunt, nisi post erectum seminarium introductosque alumnos : *Ibid.*, § 3.

Et ea tantum uniri possunt quæ sunt liberæ collationis Ordinarii, non vero quæ sunt jurispatronatus vel ad inferiorem collationem spectant : *Ibid.*

Remedium autem subsidiarium unionis adhiberi nequit, nisi præcesserit dismembratio partis fructuum mensæ episcopalis, capitularis, et beneficiorum : *Ibid.*, § 1.

Et hac fructuum dismembratione non expleta, unio beneficiorum nullo modo subsistit : *Ibid.*

In hoc casu non quælibet beneficia cujuslibet speciei uniri possunt, sed tamen ea quæ liberæ sunt collationis Ordinarii et Sanctæ Sedis : *Ibid.*, § 11.

Adeo ut nec beneficia jurispatronatus, præsertim laicalis, nec quorum collatio ad inferiores spectat, uniri et applicari seminario queant : *Ibid.*

Ubi inopia concurrit seminarii, aliaque desunt remedia, per unionem beneficiorum provideri debet : *Tolen., Appl., Benef.*, 20 *martii* 1790, § 7.

Episcopus valide potest unire beneficia seminario, adhibito consilio quatuor deputatorum, duorum de capitulo, et duorum de clero : *Feren., Benef.*, 16 *jan.* 1762, § 9.

Unio ab Episcopo facta nulla est, ob defectum facultatis in eodem Episcopo commutandi pias testatorum voluntates et applicandi seminario reditus pro celebratione Missarum aut pro aliis usibus relictos : *Ibid.*, § 8.

Unio nulla est pro qua Summum Pontificem circumvenerunt, quando preces porrexerunt nomine communitatis, quæ tamen dissentiebat : *Ibid.*.

Nonnulli doctores putant unionem quoad beneficia jurispatronatus laicalis intelligendam esse Episcopo absolute vetitam, in eo solum casu quo deficeret patroni consensus : *Ibid.*, § 10.

Dum monasterii summa inopia tantummodo asseritur concludenter, non probatur, deficit justa causa, quæ necessaria est ad unionem beneficii eidem faciendam : *Basil. seu Const., Un.*, 27 *mart.* 1768, § 16.

Et minime standum est Episcopi voto, vel assertioni, si non innitatur certæ probationis causæ, quæ ex mente Concilii Tridentini plenissima requiritur : *Ibid.*

Causa autem ad uniones beneficiorum necessaria, et ab indigentia petita, non ab antiquiori Ecclesiæ statu, sed a præsenti rerum conditione desumenda est : *Ibid.*, § 18.

Quoad causam utilitatis, tantummodo ea pro beneficiorum unione attenditur, quando a diuturno tempore expleri non possunt pia exercitia et divina officia, magno cum Ecclesiæ et populi detrimento : *Ibid.*, § 19.

In uniendis beneficiis, ac præsertim ecclesiis parochialibus, de jure est ut audiatur capitulum ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, vel alterius cleri, cujus partem ecclesia unienda constituit : *Ibid.*, § 22.

Pax Jordan. expresse negat beneficium posse uniri, vel seminario, vel capitulo, vel parœciæ tempore illius vacationis : *Rip., Benef.*, 17 *jun.* 1775, § 6.

Certum est beneficia simplicia, sive sint de jure patronatus Ecclesiæ, sive laicali, mutata fundatorum lege vel voluntate, sine justa et urgenti causa uniri, converti ac erigi non posse in capellanias concuratas, dissentiente patrono, ac presbyteris,

et clericis loci passivum patronatum habentibus : *Ibid.*

Imo, etiamsi facta jam fuerit unio, sive erectio, ea tamen non sustinetur : *Ibid.*

Hæc unio est remedium subsidiarium, nisi quando non suppetit aliud remedium parochiæ incolarum necessitatibus occurrendi : *Ibid.*, § 8.

Et hæc petitur propter distantiam et difficultatem parochiæ incolarum accedendi ad matricem ecclesiam : *Ibid.*, § 10.

Concilium Tridentinum sess. 14 cap. 9, *de Reform.*, prohibet uniones beneficiorum unius diœcesis cum alterius diœcesis beneficio, monasterio, seu collegio, vel loco pio : *Mediolanen., seu Nov.*, 17 *sept.* 1767, § 17.

Ac vetantur hæ uniones, ne ordo ecclesiasticus perturbetur : *Cracov. et Gnesn., Un.*, 21 *jan.* 1786, § 5.

Disputationes adsunt inter doctores de adempta per Concilium Tridentinum Episcopis facultate ad unienda inter se beneficia simplicia, deque ea solum ampliori modo concessa, cum unio facienda est ad cathedrales ecclesias, et insignes collegiatas, aut parochiales : *Sarsin., Un. et Red.*, 8 *jul.* 1786, § 7.

Fructuum paucitas eorumque omnimoda imparitas ad beneficiorum unionem fundamentum præbet : *Ibid.*, § 8.

Et rectorum consensus non est exquirendus, si post eorum obitum unionis effectus differatur : *Ibid.*

Aliud est quum duo beneficia *invicem et simul* uniuntur, aliud vero cum unum alteri unitur : *Naul., Visit.*, 2 *decemb.* 1752, § 2.

Primo casu utrumque æquali unione afficitur, et ideo utrumque æque principaliter uniri et connecti oportet : *Ibid.*

Altero casu, quo unitur alteri, non nisi accessorie et subjective unitur et connectitur : *Ibid.*

Ubi enim beneficium alteri unitur, desinit esse corpus quod per se ipsum consistat, et ideo necesse est ut alterius cui unitur pars et membrum fiat, quod est esse unitum accessorie et subjective, quæ fuit *Angeli* jurisprudentia : *Ibid.*

Unio beneficii ad hospitale contrariatur dispositioni Concil. Tridentini sess. 14, cap. 9, *de Reform.* : *Mediol. seu Nov.*, 19 *sept.* 1767, § 9.

Beneficii unio facta supra quadraginta annos, et ad suum effectum plene deducta, nequit ab Ordinario rescindi : *Augus., Ben.*, 3 *martii* 1736, § 7.

Reliqua. Vide *Episcopus* § xii.

Beneficiales causæ. Vide *Causæ*, § iv.

Beneficiati.

§ I.

Beneficiati in genere.

Nihil interest Ecclesiæ ex una potius quam ex alia familia idoneum habere beneficiatum : *Ger.*, 14 *dec.* 1771, § 5.

§ II.

Beneficiati quoad capitulum.

Beneficiati non sunt de gremio capituli, nec appellatione capituli comprehenduntur : *Fir., Voc. in cap.*, 21 *aug.* 1734, § 6 ; et *Brix.*, 8 *mart.* 1760, § 3.

Attamen communiter receptum est beneficiatos ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, licet de jure communi non reputentur de gremio capituli, neque sub ejus appellatione comprehendi, proindeque a ferendo in capitularibus actibus suffragio arcendos, possunt nihilominus capitularibus actibus aliquando interesse, ibique suffragium suum una cum canonicis proferre, si id juris sive apostolico indulto, vel Ecclesiæ statuto, vel legitima consuetudine, sive ex reservatione quoad aliquem actum a fundatore facta acquisierint : *Calar., Elect.*, 5 *jul.* 1738, § 4.

Beneficiati, quia non sunt canonici qui debent ecclesiæ servire, non vocantur ad omnes tractatus cum canonicis : *Nar., Jur.*, 11 *junii* 1783, § 9.

Et nomine capituli non comprehenduntur beneficiati, qnamvis sint perpetui : *Ibid.*

§ III.

Beneficiati quoad curam animarum.

Si beneficiati cum paroco nullam habeant partem, sive ad emolumenta, sive ad curam, non tenentur adjuvare illum : *Col.*, 9 *aug.* 1766, § 26.

Beneficiatus curatus nequit eodem die festo utrumque præceptum per se ipsum explere, applicando nempe generatim pro benefactoribus suæ cathedralis vel collegiatæ, et celebrando pro populo : *Nul. Ter., Visit.*, 7 *apr.* 1781, § 6.

§ IV.

Beneficiati quoad distributiones quotidianas, et fructus.

Privari nequit distributionibus beneficiatus absens, non servata præscripta Concilii forma, sess. 23, cap. 12, *de Reform.* : *Bonon.*, 27 *apr.* 1765, § 6.

Compertum est quod integri fructus beneficia atque etiam quotidianæ distributiones infirmo absenti dentur : *Ibid.*, § 11.

Juxta sanctiones juris canonici et laudabilem S. Congr. Concilii stylum, nullus beneficiatus a choro absens ratione muneris sibi commissi quotidianas distributiones lucrantur, ubi pro dicto munere aliquod percipit stipendium, quemadmodum de canonico munus vicarii generalis Episcopi obeunte : *Raven., Distr. quotid.*, 1 *aug.* 1739, § 5.

Beneficiatus tenetur restituere omnes fructus mala fide perceptos a tempore quo fuit beneficio privatus : *Aug., Benef.*, 3 *mart.* 1736, § 3.

Iniquum est ut beneficiati ecclesiæ inservientes, atque assiduo et personali servitio adstricti insufficiens subsidium habeant : *Vicen.*, 14 *mart.* 1767, § 3.

Illegitimus detentor beneficii nullimode fructus suos facere potest : *Reat., Capel.* 18 *sept.* 1773, § 5.

Si nullam erga parochum obligationem habeant beneficiati, neque is vicissim aliquid ab eis debet; Missarum eleemosynæ, funerumque emolumenta ad parochum tantum pertinent : *Sutrin.*, 21 *apr.* 1787, § 5.

Quod attinet ad fructus vacantium beneficiorum, inspecto jure canonico, aut debent impendi in utilitatem ipsarum ecclesiarum, aut sunt reservandi iis qui beneficia sunt assecuti : *Astoric., Visit. SS. LL.*, 28 *nov.* 1733, § 6.

Hinc plures interpretes deducunt tales fructus esse dividendos, et dimidiam eorum partem fabricæ ecclesiæ esse applicandam, alia vero similem portionem beneficiariis successoribus obvenire debere : *Ibid.*

Beneficiatus a residentia suæ ecclesiæ absens, vel ob inimicitias adversus eum ibi exortas, aut ob principis indignationem, vel propter aliam injustam molestiam, lucratur fructus omnes sui beneficii, nec non quotidianas distributiones, una cum ceteris emolumentis, dummodo antea chori et ecclesiæ servitio incumbere consueverit : *Major., Distr.*, 14 *april.* 1736, § 3.

Licet beneficiatus abfuerit a residentia, ut liti sibi motæ invigilet, quotidianas tamen distributiones acquirit : *Imol., Distrib.*, 28 *jan.* 1736, § 5.

Et id procedit ex duplici accedente conditione : primo, ut lis mota fuerit super juribus beneficii, ita ut illius defensio in utilitatem ecclesiæ vel beneficii de cujus agitur residentia, vel ex natura rei, vel ex persona propria beneficiati cessura sit : *Ibid.*

Secundo, ut beneficiatus ex præmissa causa absens licentiam ab Episcopo obtinuerit : *Ibid.*

Quum beneficiatus absit sua culpa, non ex aliorum persecutione, non lucratur fructus neque distributiones quotidianas : *Maj., Distrib.*, 14 *apr.* 1736, § 2.

Alias absentes a beneficio residentiali pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciunt : *Brach.*, 7 *jun.* 1788, § 5.

Beneficiatos, qui ex fundatione onus habent inserviendi choro, iniquum est sine ullo compendio teneri præstare in functionibus extraordinariis servitium quod impleri debet a canonicis, qui commodum sentiunt legatorum : *Verul.*, 20 *jan.* 1776, § 5.

Imo si res est de anniversariis, vel quæ obvenerunt capitulo post eorumdem beneficiorum erectionem, tunc beneficiati munus obire simul et participes esse debent de emolumentis relictis eidem capitulo : *Ibid.*, § 7.

§ V.

Beneficiati quoad jura.

Beneficiarius proprie acquirit jus in beneficio non ex nominatione patroni, sed ex collatione vel institutione episcopi : *Fir., Cap.*, 9 *aug.* 1732, § 12.

Beneficiatus rector beneficii, in cujus fundo ecclesia erigitur per patronatum, super ea ita jus acquirit, ut ipsius custodem vel alium ministrum possit libere ac independenter ab Episcopo nominare ac deputare : *Tud., Benef.*, 12 *aug.* 1741, § 3.

Beneficiatus reliquos usufructuarios antecellit, ac potiora habet jura in prædiis sui beneficii : *Aprut.*, 23 *jul.* 1787, § 2.

§ VI.

Beneficiati quoad onera in genere.

Beneficiato nulla alia onera adjici possunt præter ea quæ in fundatione injuncta sunt : *Prænes., Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 7.

Ideo beneficiatus alia onera implere non tenetur, quam ea quæ in fundatione expressa leguntur, non alia a patrono in nominatione super addita : *Macet., Resig. benef.*, 8 *aug.* 1778, § 6.

Reputatio ex incremento divini cultus desumpta, inefficax est ad cogendum beneficiatum alia onera subire præter ea quæ in fundatione apposita sunt : *Præn., Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 10.

Non est in arbitrio Ordinarii legem fundationis alterare, novaque onera beneficiatis adjicere : *Casal.*, 12 *dec.* 1767, § 11.

Beneficiati tenentur ex veteri jure ad reparanda ecclesiæ suæ tecta : *Ver., Med. an.,* 19 *nov.* 1788, § 5.

Beneficiati juxta vires insimul cum canonicis de præbendis, *deducto ne egeat,* concurrere debent pro urgenti necessitate fabricæ ecclesiæ cathedralis (non autem pro ornatu), si insufficiens sit tum portio pro fabrica destinata, tum quarta pars fructuum episcopalis mensæ : *Terræ et Set.,* 17 *martii* 1781, § 7.

Beneficiatus decessor reddere tenetur successori sumptus reparationum a se commissarum in bonis ecclesiæ : *Novar.,* 12 *dec.* 1761, § 4.

Attamen exceptione doli repellendus est, qui pacto convento in se assumpsit onus reparationis incumbens antecessori : *Ibid.*

Provisus apostolicus non tenetur ad aliam solutionem præter illam quam solvit in actu expeditionis litterarum Apostolicarum : *Tuder., Med. ann.,* 13 *jan.* 1744, § 7.

Ubi reditus deficitur ecclesiæ, supplere tenentur ejus beneficiati : *Rom., Un. red.,* 17 *april.* 1790, § 3.

Beneficiatus qui absque ulla contestata denunciatione accipit beneficium cum omnibus oneribus, quasi contraxisse videtur, non facile ab assumpto onere eximi valet : *Velit., Resid. et Serv. ch.,* 20 *martii* 1790, § 7.

Et licet majus ecclesiæ servitium fuerit impulsiva causa, attamen, ea non deficiente, non cessat : *Ibid.* §.

Vetitum non est ex jure quin, ex fundatione speciali, ab onere divini officii beneficiatus eximatur : *Senogal., Can.,* 11 *maii* 1793, § 11.

Beneficiatus tenetur ad manutentionem bonorum beneficii : *Fav., Red. miss.,* 23 *april.* 1796, § 3 ; *Cer.,* 24 *maii* 1788, § 13.

Cum modica tamen impensa, quæ non respiciat perpetuam illius utilitatem : *Ibid.*

Ideo redintegrari debet de gravi impensa per suspensionem Missarum, alio tamen deficiente modo : *Ibid.,* § 4.

Beneficiatus, qui possidet frugifera bona pro dote beneficii assignata, percipitque illorum reditus, onera quoque a fundatore beneficii præscripta, assignatisque bonis affixa et personæ beneficiati inhærentia subire debet : *Parmen.,* 26 *jan.* 1782, § 9.

In manutentione venit subrogatio arborum et vitium, in locum demortuarum, non ædium refectio, quæ absque culpa beneficiati pessum iverunt, vel ibant, quum beneficiatus uno onere gravatus ab altero liberatus censetur : *Ibid.*

Alienum non est a canonicæ disciplinæ institutis, et conforme tum jure communi, tum sanctioni S. Concilii Tridentini aliquid ex fructibus beneficii exigere, dummodo in pios usus convertatur : *Const.,* 10 *nov.* 1734, § 10.

Dummodo novum onus beneficiato imponitur pro fabrica, vel sacrario ecclesiæ, id temperatur conditione, ut medios fructus anni unius non excedat : *Ibid.,* § 13.

Beneficiati omnino servare tenentur leges fundationis seu erectionis beneficiorum : *Set., Plur.,* 18 *dec.* 1762, § 3.

Et constitutiones a singulis beneficiatis approbatæ suo juramento, observandæ sunt in vim pacti : *Ibid.*

Atque incongruum non est onus appositum in fundatione, ut beneficiati inferioris ecclesiæ aliquibus diebus inserviant cathedrali, in signum subjectionis : *Ibid.*

Beneficiatus cui incumbit onus Missas per se ipsum celebrandi, si aliquando ægrotat, non tenetur Missas per alium presbyterum celebrari curare : *Laud., Capel.,* 23 *aug.* 1738, § 12.

Beneficiati quantumvis gravati onere Missas per se ipsos celebrare, obstringuntur earum celebrationem per alium supplere, si infirmitas aut aliud impedimentum legitimum ultra decem aut ad summum quindecim dies protrahatur : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Beneficia ecclesiastica quoad onera.*

§ VII.

Beneficiati quoad remotionem.

Beneficiatus in manualibus fundationibus, potest a parocho sine causa, et ad nutum removeri : *Spol., Capel.,* 14 *mart.,* 1744, § 10.

Cum tamen subesse possit iræ, odiique aut vindictæ argumentum, necesse erit causam proponi, et propositam probari, ut remotioni sit locus ; *Ibid.*

§ VIII.

Beneficiati quoad residentiam et absentiam.

Cap. 2, sess. 6 *de Reform.,* Concilium Tridentinum præcipit ut obtinentes beneficia residentialia opportunis juris remediis residere cogantur : *Eug. seu Null. Non., Conc.,* 21 *jan.* 1797, § 11.

Residentia præcisa de jure præscribitur in beneficiis curatis, vel de capitulo cathedralium, aut collegiatarum : *Auxim.,* 17 *jan.* 1761, § 7.

Residentiæ onus quoad beneficia præscriptum in constitutione *Cupientes* S. Pii V intelligitur quoad

beneficia curata, vel de capitulo cathedralium, vel collegiatarum ecclesiarum : *Ibid.*

Sed capellanarium vel simplicium beneficiorum possessores, de generali totius orbis consuetudine, minime tenentur ad residentiam ; *Ibid.*, § 8.

Et præfata constitutio S. Pii V loquens de quibuscumque beneficiatis intelligenda est de solis curatis vel capitularibus, non autem de simplicibus : *Ibid.*

Non divisio inter doctores adest de residentia in præcisam et causativam : *Alex., Serv, chor.*, 9 *jul.* 1768, § 8.

Prima obligat sub pœna amissionis beneficii, quod per alium expleri nequit ; secunda, solum sub pœna amissionis fructuum, et potest per alium adimpleri : *Ibid.*

Et dignoscitur utrum beneficio adjecta sit residentia præcisa, seu causativa, nempe, si pœna amissionis fructuum a fundatore expressa in dubio residentiam tantum causativam inducat : *Ibid.*

Secus, si aliunde constet ipsum præcise residentiam voluisse : *Ibid.*

Insuper sicut christiana charitas, urgens necessitas, et evidens Ecclesiæ utilitas, ita etiam debita obedientia beneficiatum non residentem excusat : *Aux., Cap.*, 21 *jan.* 1797, § 5.

Quum per beneficiatum non stet quominus resideat, atque ecclesiæ inserviat, nullum idcirco ex absentia reportare debet detrimentum : *Ibid.*

Et absens a residentia privari debet primo anno dimidia fructuum parte ; inde omnibus privari debet fructibus beneficii : *Ibid.*

Nec excusatur qui voluntarie abest, ac se propter delicta in necessitatem posuerit absentandi : *Ibid.*

Quare exsul, carceratus, excommunicatus amittit fructus beneficii : *Ibid.*

Nam absentia a beneficiis residentialibus rigide interdicta est : *Brach.*, 7 *jun.* 1788, § 3 ; *Segus., Red. Miss.*, 26 *mart.* 1791, § 8 ; et *Caser., Ind. Abes.*, 16 *dec.* 1777, § 5.

Vixque eam per tres menses ad recreandos beneficiati spiritus permittit Trid. Synodus sess. 24, cap. 12, *de Reform.* : *Ibid.*

At humanam miserans infirmitatem, absentiam per tres anni menses canonicis indulsit : *Alex., Serv. ch.*, 20 *mart.* 1790, § 3.

Ex jure beneficiatis concessa est absentia causa studiorum : *Senog., Can.*, 11 *maii* 1793, § 11.

Sed beneficiati quicumque non relaxantur a canonica residentia causa studiorum, nisi ad celebres scholas pergant, sacrasque Litteras discant, theologiam nempe et jus canonicum : *Nepes.*, 2 *decem.* 1775, § 9.

Minime vero si sit res de grammaticalibus institutionibus : *Ibid.*

Juxta hodiernam Ecclesiæ praxim, beneficia simplicia onus residentiæ non præ se ferunt : *Mont. Alti, Disp.*, 3 *aug.* 1782, § 2.

Verum si ex fundationis præcepto residentiæ lex indicta sit, aut onera beneficio injuncta servitium personale requirant, tunc a residentia nemo potest excusari : *Ibid.*

Triplex modus residentiæ assignatur : alia est continua et præcisa, quæ si non adimpletur, inducit tituli privationem : *Ibid.*, § 8.

Secunda est non continua, sed certis duntaxat temporibus limitata : *Ibid.*

Tertia demum est residentia continua, non tamen simpliciter, sed causativa, ita ut beneficiatus, licet non residendo privetur fructibus, titulo tamen spoliari non potest ; *Ibid.*

Ab onere residentiæ non solum eximuntur possidentes beneficia simplicia, sed etiam beneficiati qui non sine gravi incommodo ob adversam valetudinem residere possint : *Comaclen.*, 18 *sept.* 1773, § 12.

Quando beneficiati abesse volunt, nihil pertinet ad parochum ; satis superque est, si ipsi ab Ordinario facultatem obtineant : *Colon.*, 9 *aug.* 1766, § 28.

Beneficiatus non tenetur ad residentiam, si fundator eam non injunxerit, et ille adactus expresse non appareat ad inserviendum per se ipsum : *Præn., Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 11.

Ac minime obstat, ut residentia causativa demandata in transactione fuerit, cum ob spretam istius residentiæ legem privari beneficiatus possit emolumentis, non vero reditibus beneficii, ne a fundatoris voluntate recedatur : *Ibid.*

Prudenti Episcopi arbitrio reservatum est decernere quot beneficiati debeant ecclesiæ inservire, quotve utentes vacatione sibi indulta possint a residentia discedere : *Castrim., Serv. ch.*, 13 *apr.* 1737, § 5.

Atque ei permissum est prohibere, ne eorum ullus tempore solemniorum festivitatum sine ejus licentia e loco residentiæ absit ; *Ibid.*

Cuilibet beneficiato licitum est residentiam deserere, ut patrocinio litis sibi motæ invigilet ; *Major., Resid.*, 20 *dec.* 1738, § 2.

Ac dissidia et inimicitia contracta ab illo præstant justam causam non revertendi ad residentiam : *Ibid.*

§ IX.

Beneficiati quoad sacros ordines.

Arctati ratione beneficii intelliguntur illi qui obtinent aliquod beneficium, ratione cujus tenentur

ad sacros ordines ascendere, et arctati occasione beneficii recipiendi sunt illi qui habent jus, seu sunt vocati ad aliquod beneficium vacans, quod actu requirit certum ordinem, quo iidem carent, vel qui non habentes primam tonsuram sunt præsentati ad aliquod beneficium : *Legion.*, *Visit. SS. LL.*, 15 *dec.* 1725, § 12.

Conveniunt doctores non esse mentem Concilii Tridentini sess. 14, cap. 1, *de Reform.*, ut in cujusvis prælati arbitrio positum sit, quemcunque ut libet per indirectum beneficio privare, denegato ascensu ad eos ordines sine quibus illud retineri non posset : *Angl.*, 4 *febr.*, 1786, § 6.

Nam si agatur de arctatis, ad eos lex Tridentina non pertinet, sed denegationis ascensus ad ordines causas Episcopus aperire debet : *Ibid.*

Cum illo qui nominatus est ad parœciam, uti cum arctato agendum est : *Ibid.*, § 7.

Beneficia vero simplicia obtinentes non tenentur sacros ordines suscipere, nisi aliter in fundatione cautum fuerit : *Null. Guast.*, 10 *maii* 1783, § 8.

Dum tribui nequit culpæ beneficiati ut ad ordines sacros promoveatur juxta const. Ecclesiæ, ideo non tantum excusandus est a pœna, sed etiam integros fructus sui beneficii accipere debet : *Rom.*, 14 *mart.* 1750, § 3.

Congruit rationi ut ille cui subjicitur ratione beneficii, ab illo recipere sacros ordines debeat : *Amer. seu Inter.*, *Ord.* 11 *aug.* 1759, § 2.

Et id tum ex dispensatione juris, tum ex dispositione Innocentianæ constitutionis : *Ibid.*

§ X.

Beneficia quoad servitium chori et Missam conventualem.

Quotidie ex veteri disciplina tenebantur recitare beneficiati officium in choro : *Alev.*, *Serv. ch.*, 20 *mart.* 1790, § 3.

Veteri diciplinæ consentanea est quotidiani servitii institutio : *Ploc.*, *Serv. ch.*, 19 *febr.* 1791, § 6.

Singulis diebus tenentur beneficiati sacros psalmos in templo cantare : *Ibid.*

Nec voluit hanc institutionem immutare Concilium Tridentinum : *Ibid.*

Quod etsi permiserit trium mensium vacationes, salvas tamen perseveravit consuetudines, quæ minores induxissent vacationes, non quæ nullas : *Ibid.*

Nam patres Tridentini humanam commiserantes fragilitatem, aliquandiu vacandum censuerunt : *Ibid.*

S. Carolus Borromæus in concilio provinciali Mediolanensi statuit duplicem conditionem ut ad celebrandam Missam possit præbendatus chorum deserere, nempe si jussio adsit præfecti, et necessitas celebrationem postulet : *Inter.*, 26 *jan.* 1771, § 9.

Imo neque præcisa deputatione, neque legitimi superioris licentia, neque consuetudine introduci potest ut quotidianas distributiones lucretur qui tempore divinorum Officiorum ad celebrandam Missam a choro abfuerit : *Ibid.*, § 10.

Beneficiati ad Missam conventualem tenentur eleemosyna desumpta ex massa distributionum : *S. Sever.*, *Elee. Miss. conv.*, 18 *februar.* 1764, § 5.

Mulctandi sunt beneficiati arbitrio Episcopi, quando gravior fit contumacia negligentiæ in servitio ecclesiæ : *Setina*, *Plur.*, 18 *dec.* 1762, § 6.

Beneficiatus inservire debet ecclesiæ cui adscriptus est : *Velit.*, *Resid. et Serv. ch.*, 20 *martii* 1790, § 5.

Et ad servitium cathedrali ecclesiæ præstandum cogi nequit, dum suæ inservit ecclesiæ, ne duplici onere gravetur : *Ibid.*

In jure vulgatum est, beneficiatum morbo aut alio legitimo detentum impedimento compelli nequire ad divina officia in choro celebranda, minusque pro contumaci habendum esse, si citatus coram judice non comparuerit : *Cotron.*, *Cens.*, 14 *jan.* 1741, § 3

Simplices clerici beneficiati qui nullum a cathedrali ecclesia percipiunt emolumentum minime cogendi sunt ad aliquid, potissime cum ipsis suffragetur consuetudo non inserviendi ecclesiæ : *Sues.*, *Serv.*, 3 *dec.* 1735, § 2

XI.

Beneficiati quoad stallum in choro et suffragium in capitulo.

Locus beneficiatis est assignandus in inferioribus scamnis : *Set.*, *Plur.*, 18 *dec.* 1762, § 5.

Beneficiati non sunt de gremio capituli, neque in eo suffragii jure potiuntur : *Brix.*, *Voc. in cap.*, 8 *mart.* 1760, § 3.

Attamen vulgata est limitatio, ut ex privilegio vel consuetudine possint utramque prærogativam adipisci : *Ibid.*

Beneficiati, licet arcendi sint a ferendo suffragio in actibus capitularibus : *Calar.*, *Elec. conc.*, 5 *jul.* 1738, § 4.

Nihilominus possunt capitularibus actibus aliquando interesse, ibique suffragium suum una cum canonicis proferre, si id juris sive ex Apostolico indulto, vel Ecclesiæ statuto, vel legitima consuetudine, sive ex illius reservatione quoad aliquem actum per fundatorem facta acquisierint : *Ibid.*

Previlegio aut legitima consuetudine accedente, repelli non possunt beneficiati a suffragio ferendo una cum canonicis · *Firm.*, *Voc. in cap.*, 21 *aug.* 1734, § 7.

Præbendarius non canonicus, licet participet de reditibus ecclesiæ, voce nihilominus caret : *Sen.*, *Voc.*, *in cap.*, 27 *febr.* 1768, § 11.

Quamvis ideo desit participatio, non ob id privandus est jure vocis, si ex solo jure canoniæ ipsi tanquam capituli membro debetur : *Ibid.*

Beneficiatus coadjutus, et coadjutor.

Coadjutor ex gratia coadjutoriæ per litteras apostolicas acquirit jus ad beneficium, quod aveniente obitu coadjuti, transit in jus plenum, et in re, ut nova collatione non sit opus : *Mediol.*, *Benef. seu Coad.*, 10 *februar.* 1759, § 3.

Beneficiati coadjutores in locum subrogati censentur, et cum nec statuto, nec decreto capitulari aliquo excludantur, æquitas postulat ut eodem utantur beneficio Pontificis vacationum, dummodo tamen illo non utantur coadjuti : *Civit.*, 20 *martii* 1745.

Coadjutoria etiam cum futura successione, nullum coadjutori jus super ipso beneficio sed jus duntaxat, ut vocant, ad rem tribuit : *Tarrac.*, *Ordin.*, 1 *jul.* 1741, § 5.

Adeo ut coadjutoria haudquaquam possit nuncupari ecclesiasticum beneficium : *Ibid.*

Atque inde sequitur, ut possessio coadjutoriæ capta veluti vero beneficii titulo destituta, minime suffragetur coadjutori post obitum coadjuti, sed novam ille debeat beneficii possessionem obtinere : *Ibid.*

Et fictus beneficiatus in jure nuncupetur : *Ibid.*

Coadjutoria nullum tribuit titulum quo coadjutor dici possit subditus Episcopo ad effectum ordinationis : *Ibid.*, § 6.

Et ratio est quod ad hunc effectum non sit satis certa spes et jus ad beneficium, sed requiratur actualis illius consecutio et pacifica possessio : *Ibid.*

Atque hoc procedit etiamsi a coadjuto assignetur ex ejusdem beneficii certa annua portio ratione pensionis, aut congruæ coadjutori, quæ cum non sit beneficium ecclesiasticum nec beneficii ecclesiastici appellatione comprehenditur : *Ibid.*, § 7.

Hinc nullum de jure communi, multoque minus ex constitutione *Speculatores* sufficientem tribuit titulum, quo quis posset ordines ab Episcopo, in cujus diœcesi pensio, seu portio ista sibi fuerit assignata, recipere : *Ibid.*

Sed in dicto casu simultaneus est concursus duplicis tituli, certæ nempe spei succedendi ad beneficium et præsentis perceptionis alicujus ratæ partis fructuum ejusdem beneficii, quod non adversatur Trid., nec bullæ *Speculatores*, ut ad effectum ordinationis subditi reputentur Episcopo, in cujus diœcesi situm est beneficium : *Ibid.*, § 8.

Beneficium domicilii. Vide *Domicilium*, § III.

Beneficium restitutionis in integrum. Vide *Professio religiosa*, § XI.

Beneplacitum apostolicum.

Id quod constitutum est cum beneplacito apostolico ceterorum potestatem excludit : *Call.*, *Subs. dot.*, 15 *dec.* 1787, § 5.

Beneplacitum apostolicum in concessione capellæ vel sepulcri jam constructi requiritur : *Terrac. et Priv.*, 19 *dec.* 1789, § 5.

Notissimum in jure est, nullam esse piis locis, præter causam et utilitatem, sine apostolico beneplacito contrahendi facultatem in obligationibus quæ sint perpetuæ : *Pisau..*, 11 *jan.* 1744, § 6.

Reliqua. Vide *Alienatio* § II ; *Contractus* § II ; *Emphyteusis* § II ; *Transactio* § II.

Bigamus.

Bigamus inter laicos non inter clericos connumeratur : *Fulg.*, *Fun.*, 29 *jul.* 1732, § 2.

Imo denudati sunt bigami clericali privilegio, non obstante contraria consuetudine : *Ibid.*

Et non possunt deferre habitum ac tonsuram : *Ibid.*

Bigamus est etiam ille qui duxit unam uxorem ante baptismum, et aliam post baptismum : *Flor.*, 29 *mart.* 1727, § 31.

Bona.

§ I.

Bona clericorum.

Bona clericorum dicuntur in jure peculium quasi castrense ; super quo pater nec jus aliquod habet, nec usum, nec lucrum, nec administrationem : *Civ.*, *Capel.*, 9 *aug.* 1777, § 5.

§ II.

Bona quoad dominium.

Dominium probari ad eum spectare debet qui bona mobilia et stabilia repetere cupit : *Tuscul.*, 16 *jan.* 1768, § 6.

Bonorum dominium non ipsis tertiariis, sed ipsi conservatorio et scholæ, quæ adhuc extant, acquisitum est, quum acquisitio eorum conservatorium respexit : *Ibid.*, § 22.

Et id procedit, etiamsi postmodum personæ dicti conservatorii mutatæ fuerint : *Ibid.*, § 23.

Res quæ ad certum usum largitione fidelium sunt destinatæ, ad illum et non ad alium salva Sedis apostolicæ auctoritate debent convertit : *Null. Guast.*, 10 *maii* 1783, § 4.

Bona quæsita ex fructibus beneficii pertinent ad ecclesiam : *Præn., Trans.*, 16 *junii* 1792, § 3.

Bona vero proprio ære vel industria beneficiati quæsita transmitti possunt ad hæredes : *Ibid.*

Bona reperta penes Episcopum præsumuntur ex fructibus ecclesiæ, illiusque contemplatione comparata : *Acer. seu Mather.*, 18 *dec.* 1734, § 4.

Dominium directum in dimidia parte valoris fundi æstimatur : *Fulgien.*, 29 *aug.* 1789, § 5.

Item utile dominium, ac per consequens etiam directum in dimidia parte valoris fundi constituitur : *Feretr.*, 18 *jul.* 1789, § 3.

Ex mente concedentis, ac indole bonorum acquisitorum, desumitur dominium alicujus rei : *Tuscul.*, 16 *maii* 1767, § 10.

Quum emptio prædii facta fuerit in favorem domus piæ, non magistrarum piarum, ideo dominium eidem domui fuit privative acquisitum : *Tuscul.*, 16 *jan.* 1768, § 7.

Et quum aliud prædium fuit donatum mulieribus prædictis *et suis in earum instituto successoribus*, dominium ejusdem non ipsis mulieribus, sed scholæ, et successoribus id eadem acquisitum est : *Ibid.*

Redactis bonis emphyteuticis mensæ abbatialis instar allodalium, nullum jus vindicationis mensæ esse potest. *Null. Ter. Pont.*, 20 *jan.* 1745, § 4.

Bona dotalia. Vide *Subsidium dotale.*

§ III.

Bona novalia.

Prædia, quæ nonnisi diuturno temporis spatio solent ad culmen pervenire, vere, et proprie inter novalia recensentur : *Const., Dec.*, 16 *dec.* 1769, § 5.

Prædium novale dicitur, quod de novo ad culturam est redactum, de quo non extat memoria quando ad culturam redactum fuisset : *Ibid.*, § 13.

§ IV.

Bona patrimonialia.

Dubitari potest de subsistentia bonorum patrimonialium, si de iis non constet ex testamentariis institutorum tabulis, vel ceteris publicis monumentis : *Brig.*, 30 *maii* 1791, § 5.

§ V.

Bona primogenialia.

Confessio et agnitio potissima est in judicio, et extra ad bona primogenialia defendenda : *Camer., Subs. dot.*, 30 *maii* 1791, § 7.

§ VI.

Bona quoad valorem et æstimationem.

Terrularum valor statuitur in solidis 20 seu scutis 30, et etiam ab aliquo evehitur ad scut. 30 : *Laur., Null. contr.*, 30 *aug.* 1788, § 4.

Bona ecclesiastica quoad administrationem. Vide *Administratio.*

Bona ecclesiastica quoad affrancationem. Vide *Emphyteusis*, § 1.

Bona ecclesiastica quoad alienationem. Vide *Alienatio contractus.*

Bona ecclesiastica quoad applicationem vel unionem. Vide *Applicatio seu Unio.*

Bona ecclesiastica.

§ I.

Bona ecclesiastica quoad assignationem.

Est regula juris, ut si bonorum assignatio pro implemento legati pii facta fuerit ante præscriptum Missarum onus, tunc ea dicitur *taxative* relicta : *Inter.*, 17 *aug.* 1776, § 6.

Si vero legatum incipiat ab onere, et post illud sequatur designatio fundi vel quantitatis pro illius implemento eo casu dicitur *demonstrative* facta bonorum assignatio : *Ibid.*

Hinc *taxativa* est assignatio fundi quando ab ea incipit dispositio : *Civit. Cast., Red. oner.*, 17 *april.* 1790, § 4.

Et quando aperte appareat assignatio ex quibus rebus, quibus et ob quæ facta sit, *taxativa* facta dicitur : *Faven., Capel.*, 19 *dec.* 1744, § 4.

Item quando expressa fuit summa, quæ cum alia sufficere possit ad conservationem mediocrem capellani : *Spolet.*, 23 *jan.* 1790, § 4.

Sed posterior designatio fundi videtur *demonstrativa : Placent., Red. Mis.*, 9 *sept.* 1797, § 4 ; *Fanen., Red. Miss.*, 10 *maii* 1794, § 5 ; *Æsina, Red. Mis.*, 13 *nov.* 1797, § 3 ; *Null. Guast.*, 26 *nov.* 1791, § 4.

Quo casu suppleri deficientia debet per hæredem : *Placent., Null. Guast. et Æsin., cit. loc.*

Assignari nequeunt prætentiones litigiosæ sed bona omnino libera : *Rom., Subs. dot.*, 16 *dec.* 1769, § 9.

Assignatio fundi non prodest hæredi, quam ille ultro fecerit, si progressu temporis impares oneri reddantur ejus proventus : *Rom., Red. oner. Mis.*, 18 *apr.* 1733, § 2.

Qui quantitatem vel aliud quidquam ponit per quod res agnosci possit, demonstrandi causa id fieri dicitur : *Spol.*, 23 *jan.* 1790, § 4.

Fundus certo si alicui oneri sit assignatus, alia testatoris legata, cum vires hæreditariæ suppetunt, ex aliis bonis solvenda sunt ; ac si vires non suppetant, fundus certo operi destinatus non est distrahendus, vel minuendus : *Faven., Red. Mis. seu Reint.*, 17 *aug.* 1763, § 10.

Bona ecclesiastica quoad caducitatem. Vide *Caducitas*.

§ II.

Bona ecclesiastica quoad cessionem.

Cessio bonorum Ecclesiæ, accedente necessitate, facile conceditur : *Pient., Cess.*, 22 *nov.* 1794, § 3.

§ III.

Bona ecclesiastica quoad divisionem et separationem.

Regula est, ut res in communi possessa pro collatarum partium modo et mensura dividenda sit, et ut non docto de inæqualitate partium ab initio immensarum ex æquo facienda divisio sit : *Sutr. seu Nep., Par.*, 20 *jan.* 1787, § 8.

De modo ineundæ ex æquo divisionis, non solum civilia jura eam approbarunt, multorum usu populorum, firmatam consuetudinem, ut unus dividat et alter eligat : *Ibid.*, § 10.

Sed et sanctissimi quoque Ecclesiæ Patres unanimi consensione laudarunt : *Ibid.*

Idcirco major dividere debet, minor eligere : *Ibid.*

Hæc tamen regula, quæ in pacifica obtinet, et extrajudiciali quodam modo divisione, quando semel judicem quis venit, illiusque implorat officium, haud amplius sequenda videtur, totumque illius majestati, et auctoritati relinquendum : *Ibid.*

Divisio prædiorum fieri debet per quadriennium, et, ut aiunt, a *quartaria* pro educenda responsionis quantitate. *Nep., Rest. eccl.*, 28 *aug.* 1773, § 5.

Ex vulgato beneficio separationis patrimoniorum ratio haberi non potest contra bona fundatricis, quæ pertinent ad bona fratris ipsius usufructuarii : *Jan., Red. et Trans. Miss.*, 16 *dec.* 1786, § 4.

Cum fundatrix legavit bona nonnulla, et reliquorum proprietatem reliquerit fratri suo, non licet, implorato quocumque modo separationis patrimoniorum beneficio, ea impetere bona, et ad eam sese convertere proprietatem quam ipsamet testatrix ab hoc periculo exemit alteri relinquendo, ut ipsa fert natura legati beneficii : *Ibid.*, § 5.

Bona ecclesiastica quoad donationem. Vide *Donatio*.

Bona ecclesiastica quoad emphyteusim. Vide *Emphyteusis*.

Bona ecclesiastica quoad emptionem et venditionem. Vide *Contractus* § xii.

§ IV.

Bona ecclesiastica quoad erogationem.

Bona sunt eroganda juxta dispositionem pii testatoris, quam decet inviolatam servare, si gravissima causa non urgeat pro commutatione : *Macer., Appl.*, 20 *dec.* 1760, § 1.

§ V.

Bona ecclesiastica exempta et libera.

Bona primæ erectionis beneficiorum, si retinentur, a collectis exempta remanent : *Mont. Alt.*, 1 *febr.* 1766, § 13.

Passim in Hispania et apud doctores Hispanos reperiuntur indicatæ fundationes, quibus bona Missarum onere gravata per modum fidei commissi vel majoratus in familia disponuntur ita ut onus pium materialiter se habeat et bona remaneant liberæ dispositionis fundatoris : *Com.*, 13 *jan.* 1731, § 10.

Bona ecclesiastica quoad fructus. Vide *Fructus*.

§ VI.

Bona ecclesiastica quoad hypothecam.

Bona quoadusque existunt hypothecata debent permanere ad oneris implementum : *Bur. Reg., Miss.*, 1 *mart.* 1777, § 8.

§ VII.

Bona ecclesiastica quoad investimentum.

Investimentum, juxta decreta de celebratione Missarum auctoritate Urbani VIII impressa, fier debet in bona stabilia, fructifera, vera, non autem ficta, ut sunt census : *Camer.*, 13 *sept.* 1787, § 5.

Investimentum in favorem capellaniæ permittendum non est in censibus, et spernere præceptum testatoris de investienda pecunia in bonis stabilibus : *Ascul.*, 7 *jun.* 1788, § 4.

§ VIII.

Bona ecclesiastica quoad licitationem.

Edicta sunt obligatoria cum fuerit ad licitandum in eis expressus terminus quindecim dierum, quo elapso bona *si concederanno nelle forme solite a favore del maggiore oblatore : Civit. Cast., Emph.*, 7 *sept.* 1776, § 6.

Elapso tempore præstituto nullus alius, nisi invita lege, publicaque fide læsa, ad licitandum admitti possit : *Ibid.*

Et qui, extra tempus in edictis sive in programmate præfinitum, exhibuit vel suam licitationem produxit, nihil egit : *Ibid.*

Elapso dicto tempore licitationis contractus dicitur perfectus, et jus quæsitum illi qui solum obtulit, vel in plurium concursu plus obtulit : *Ibid.*, § 7.

Ita ut locator et venditor cogi possint ad rem locandam vel vendendam juxta legem in edictis expressam : *Ibid.*

Etiamsi nullum instrumentum concessionis fuerit stipulatum, quod ad illius duntaxat probationem requiritur : *Ibid.*

Licet nulla certa lege circumscriptum sit tempus quo sub hastæ actione manere debeant fiscalia bona, aliaque eorum quibus fisci privilegia communicata fuerunt, ut intra illud adjectiones in diem recipi possunt, tamen quoad ecclesias, et pia loca aut dati videntur dies viginti, aut assignati communi doctorum traditione : *Plac., Delib. et Præl.*, 9 *sept.* 1786, § 6.

Et quoad initium horum viginti dierum, an scilicet ab affixione programmatum an ab aperitione oblationum, et demum an a die initi perfectique contractus numerari iidem deberent, placuit Tribunalibus tertiam amplecti et sequi interpretationem, vix relicta secunda pro eo casu, in quo inspectis circumstantiis in ipsa die aperitionis schedularum contractus omnino completur : *Ibid.*, § 7.

Quando de extraordinario agitur remedio restitutionis in integrum ex capite læsionis, privilegium, quod attinet addictionis in diem, sufficit oblatio major, exclusiva minimæ quantitatis : *Ibid.*, § 8.

Non adeo rigide insistendum est termino viginti dierum, ut non etiam liceat, eo emenso, utiliorem ecclesiæ oblationem recipere : *Ibid.*

BONA ECCLESIASTICA QUOAD LOCATIONEM, ET CONDUCTIONEM. Vide *Contractus*, § XV.

§ IX.

Bona ecclesiastica quoad permutationem et subrogationem.

Bonorum et subrogationibus et permutationibus locus est, ubi evidens Ecclesiæ sit utilitas : *Firm., Perm.*, 21 *jul.* 1759, § 3.

Permittitur permutatio, prout etiam alienatio, si aliqua concurrat justa et rationabilis causa : *Reg., Perm.*, 3 *jul.* 1784, § 4.

Quum domus prorsus inutilis est, et deficiant ad eam restaurandam nummi ; nec pares impensæ haberi possent fructus, sicuti alienatio permittitur, multo magis utilis permutatio : *Civit. Castell.*, 15 *jun.* 1793, § 6.

Nam permutatio est species alienationis : *Melit., Perm.*, 9 *jul.* 1774, § 3.

Coactiva permutatio non habet locum, quando alia via potest remedium afferri : *Ibid.*, § 4.

Ad contractum permutationis, qui assimilatur contractui emptionis et venditionis, aliud requisitum non debet concurrere quam ut scilicet tantum recipi debeat quantum traditur : *Ibid.*, § 5.

Et præcipue servatur in permutationibus, quæ fiunt inter ecclesias : *Ibid.*

Ex capite læsionis non sustinetur permutatio ecclesiæ præjudicalis : *Ibid.*

Et si adsit circumstantia tanti ponderis, tunc admissa etiam permutationis necessitate, permitti nihilominus non debet ob præjudicium Ecclesiæ obventurum : *Ibid.*, § 6.

Permutationes, aut in præjudicium Ecclesiæ, aut sine causa fieri omnino prohibentur : *Melit., Perm.*, 9 *jul.* 1774, § 8.

Quæ requirunt tum legitimum procuræ mandatum, tum ut sint sub reservatione beneplaciti apostolici exaratus contractus : *Ibid.*

Subrogatio numeratæ pecuniæ in locum prædii legati, species est emptionis et venditionis, quæ non aliter loco pio, quam ex necessitate et evidenti utilitate permittitur : *Raven., Leg.*, 25 *apr.* 1789, § 4.

BONA ECCLESIASTICA QUOAD REINTEGRATIONEM. Vide *Reintegratio*.

§ X.

Bona ecclesiastica quoad reparationem.

Reparationum nomine antecessoris debito adscribendarum haud veniunt ea quæ conferunt ad meliorandum bonorum statum : *Nov.*, 12 *dec.* 1761 § 6.

Ubi alius pro reparandis beneficii bonis deficit modus, ultimum remedium est Missarum suspensio aut diminutio : *Mathel., Susp. oner. Miss.*, 15 *sept.* 1787, § 3.

Breve apostolicum.

Breve directum pro exequutione officiali Episcopi ad effectum perduci nequit nomine delegati ab eo qui ex officiali vicarius evaserat capitularis : *Brach., Rest. in integ. sup. circum.*, 20 *april.* 1793, § 5.

Et ob non præsentatas delegationis litteras excitari potest in vacario capitulari jurisdictio ad exequendum breve : *Ibid.*

Breve Clementis VIII, Pont. Max., quo per modum legis universalis regulares jubentur ordines suscipere ab Episcopo diœcesano, editum anno 1596, servandum est : *Brix.*, 28 *nov.* 1733.

Bulla Romani Pontificis.

Bullæ Pontificum, ut obligent, non indigent receptione subditorum, cum proveniant ab auctoritate suprema a Christo Domino data Papæ; nihilominus admitti debet communis doctrina, quod, scilicet per contrarium usum et cum scientia Papæ, per cursum temporis abrogari valeant : *Disser. super Matrim.*, 1740, *in fin. litt. F.*, § 22.

Bullæ Pontificis subreptitiæ et obreptitiæ dicuntur, quoties in supplicatione expressa non sit præsentatio alterius de sanguine fundatoris : *Faven., Capell.*, 31 *mart.* 1759, § 3.

Etiamsi eamdem præsentationem supplicans ignorasset : *Ibid.*

Bulla Gregorii XV Pont. Max. super absoluta pertinentia ad Episcopos Hispanos conferendi canonicatus pœnitentiarios observata semper fuit, et ad ejus tramites S. Rota pluries de collatione canonicatuum pœnitentiariorum tulit judicium : *Oriol., Can. pœnit.*, 1 *oct.* 1720, § 4.

Cadaver.

§ I.

Cadaver quoad aspersionem.

Si non probatur, consuetudo attenditur in aspersione cadaveris antequam de domo elevetur; jus est commune : *Aven., Jur. par.*, 1 *mart.* 1766, § 23.

Nempe, ut quando quis in una parochia moritur, et in alia sepelitur, benedictionem in domo mortui faciat circa corpus proprius parochus : *Ibid.*

Inter jura sua parochus aspersionem recenset lustralis aquæ in actu consignationis cadaveris, quod alibi ex voluntate defuncti sepeliri debet : *Raven.*, 13 *jun.* 1780, § 12.

Id in hospitalibus capellano tribuitur : *Ibid.*

Ad solum parochum spectat aspergere aqua benedicta cadaver, antequam levetur de domo : *cit. Aven.*, § 14.

Aspersio cadaveris potest spectare etiam ad capitulum ecclesiæ metropolitanæ : *Aven. cit.*, § 14.

§ II.

Cadaver quando, quomodo, et a quibus associatur.

Sancitur in Rituali Romano, ut constituto tempore quo corpus ad ecclesiam deferendum est, convocetur clerus, et alii qui funeri interesse debent, in ecclesia parochiali, vel alia juxta loci consuetudinem, et datis certis campanæ signis, parochus una cum aliis ad domum defuncti procedat : *Fanen. et Pisau., Fun.*, 31 *maii* 1783, § 6.

Hinc, iis qui funus comitari debent non permittendum est ut expectent per vias, vel ad domum defuncti : *Ibid.*

Idque etiam observandum est a regularibus, quamvis cadavera in eorum ecclesiis tumulari debeant : *Ibid.*

Juris ratio suadet, parochos majorem eleemosynam petere non posse ob delationem cadaverum in ecclesia regulari illa, quam exigunt quando efferunt in ecclesia seculari : *Hort., Funer.*, 3 *april.* 1745, § 2.

Nec magis parochi lucrari possunt ob cadaverum delationem stante itineris longitudine : *Ibid.*, § 3.

Nec quisquam valet objicere contrariam consuetudinem : *Ibid.*

Quando quis in una parochia moritur et in alia sepelitur, parochus qui stolam deferens a domo defuncti usque ad ecclesiam in qua corpus sepeliendum erit aliis omnibus præcedere debet : *Aven., Jur. par.*, 1 *martii* 1766, § 23.

Et in ecclesia in qua sepelitur corpus, officium faciat circa corpus, et alios præcedat parochus ipsius ecclesiæ : *Ibid.*

Cadavera prius asportari debent ad parochialem ecclesiam, deinde deferri ad aliam in qua vel majorum sepulcrum existat, vel sibi sepulturam dari jusserit defunctus; id decrevit S. Congr. Rituum : *Tolen., Fun.*, 13 *jun.* 1733, § 2.

Limita : Cadavera non prius debent ad parochialem ecclesiam asportari, deindeque deferri ad aliam in qua vel majorum sepulcrum existat, vel sibi sepulturam dari jusserit defunctus ; sed ab ædibus defunctorum, recto tramite ad eam ecclesiam debent efferri in qua sunt tumulanda ; nisi in contrarium urgeat consuetudo legitime præscripta, aut aliter defunctus, vel hæres, statuerit : *Sabin.*, *Fun.*, 18 *dec.* 1734, § 5.

In cadaverum comitatu elevatur crux illius duntaxat ecclesiæ in qua cadaver est sepeliendum, ita ut parochus incedere debeat in cruce regularium. si cadaver ad eorum ecclesiam deferatur : excepto casu quo capitulum cathedralis vel collegiatæ funeris comitatui intersit : *Ibid.*, § 6.

Si propter defuncti paupertatem totus clerus nequeat convocari, saltem parochus cum sacellanis et duo ex vicariis præeunte crucifero, comitentur : *Colon.*, 14 *febr.* 1767, § 12.

Cadavera defunctorum in fratrum ecclesiis sepelienda, ab ædibus defunctorum ad eorumdem fratrum ecclesias recto tramite deferri debent ; monito prius, et requisito ac expectato proprio defunctorum parocho, a quo benedictionem et ultimum vale recipere possint : et eo expresse recusante, possunt iidem fratres, etiam ipso invito, dicta cadavera ad suas ecclesias transportare ; licet hæredes defunctorum contradicerent, et vellent, ut prius deferrentur ad ecclesiam parochialem : *Luc. Fun.*, 17 *jan.* 1722, § 3.

Pro funeribus invitandi sunt presbyteri ecclesiæ parochialis, prælative quoad alios exteros presbyteros : *Bonon.*, 26 *mart.* 1763, § 4.

Maxime vicarius curatus : *Ibid.*

Intellige, quando adest consuetudo, statutum, vel decretum synodale ; secus autem de jure : *Ibid.*, § 6.

Consuetudo tamen in facultativis non inducitur sine contradictione et acquiescentia : *Ibid.*

Et statutum cleri Romani hanc prælationem tribuit presbyteris ecclesiæ parochialis ; dummodo non sint regulares : *Ibid.*

Funeribus interesse nequeunt regulares laici, tanquam capellani conductitii : *Ibid.*, § 7.

Atque regularium et secularium presbyterorum mixtus incessus in funeribus deformitatem parit sub unica, quæ elevatur, cruce : *Ibid.*, § 8

Etiam ad sensum statuti cleri Romani, quod ceteroquin præcedentiam tribuit presbyteris ecclesiæ parochialis : *Ibid.*

Intellige tamen ut præcedant seculares intra eumdem ordinem : *Ibid.*, § 9.

Et absolute debetur præcedentia clero seculari, quando regulares incedunt in forma capituli claustralis : *Ibid.*

Etiamsi parochialis ecclesia esset regularis : *Ibid.*, § 10.

Priori vero, seu præposito ecclesiæ matricis debetur præcedentia super ceteros de clero : *Ibid.*, § 8.

Sed prior, qui est superior regularium, non autem totius cleri, non præcedit presbyteros seculares : *Ibid.*, § 11.

Ad cadavera associanda vocati regulares prius adire et convenire debent ad ecclesiam parochialem, ubi clerus congregatur : *Amer.*, *Assoc. fun.*, 7 *jul.* 1781, § 2.

De jure cautum est, ut cadavera sepelienda in ecclesiis regularium a parocho associentur usque ad limen ecclesiæ tumulantis : *Null. seu Subl.*, *Fun.*, 25 *apr.* 1761, § 5.

Ex const. *Prætiosus* Bened. XIII Pont. Max. declaravit licere omnibus regularium communitatibus ad processiones funebres per quasvis parochias singulatim propriis erectis crucibus accedere, et parocho respective ecclesiam regularem tumulantem cum stola intrare : *Vas.*, *Jur. par.*, 20 *jan.* 1742, § 6.

Parochi in comitatu cadaverum suorum parochiæ incolarum non possunt ingredi ecclesiam cathedralem cum stola et cruce erecta, etiam sub prætextu consignandi cadaver, nulla extante in eorum favorem consuetudine : *Faven.*, *Præm. et Fun.*, 7 *jun.* 1760, § 4.

Quia actus hujusmodi, utpote jurisdictionales et qualificati, nequeunt expleri in ecclesiis non subjectis, sed cadaver consignandum est ante limen ecclesiæ tumulantis : *Ibid.*

Solumque parocho licet ecclesiam non subjectam ingredi sine stola, et dimissa cruce : *Ibid.*

Præpositus alicujus parochialis seu collegiatæ ecclesiæ, vel solus, vel cum clero in comitatu cadaverum non potest ingredi intra limites ecclesiæ humantis cum stola et cruce elevata : *Viglev.*, *Fun.*, 18 *maii* 1743, § 7.

Hoc etiam procedit quando canonici ecclesiæ non cathedralis una cum parocho ad ecclesias regularium accedunt : *Ibid.*

De loco processionis funeris inchoandæ, licet ea regulariter initium sumat ab ecclesia parochiali defuncti : *Fav.*, *Præm. et Fun.*, 7 *jun.* 1760, § 2.

Attamen omnes Ordines una cum parocho convenire debant in ecclesia cathedrali, ubi ejus capitulum interveniat comitatui cadaveris juxta resolutiones SS. Urbis Congregationum : *Ibid.*

Quas prodesse etiam ecclesiæ collegiatæ Rota definivit : *Ibid.*

In comitatu cadaverum, postulat præcellentia ecclesiæ cathedralis munus parochi interveniente capitulo non ab alio, quam ab archipresbytero ipsius,

uti suo vicario nativo, esse peragendum : *Andrien.*, 20 *dec.* 1766, § 8.

Præsertim causa prærogativæ qualitatis veri parochi, in tota civitate unice penes ipsum extantis : *Ibid.*

Et id in favorem capituli statuit S. Congreg. Rituum : *Ibid.*

Spectant omnia ad capitulum metropolitanæ ecclesiæ in funeribus ducendis : *Aven.*, *Jur. par.*, 1 *mart.* 1766, § 14.

Tum præire funebrem cantum, tum statuere horam ducendi funeris : *Ibid.*

Item parochus una cum suo clero debet ad ecclesiam cathedralem accedere, et incedere sub capituli cathedralis cruce : *Ibid.*

In funeribus interveniente capitulo ecclesiæ cathedralis, processio funebris ab ea ecclesia est inchoanda : *Faven.*, *Præem. et Fun.* 11 *apr.* 1761, § 4.

Et nihil officiunt synodi diœcesanæ, quæ neque expresse comprehendunt capitulum cathedralis, neque derogare juri communi possunt : *Ibid.*

Atque improbatur consuetudo simul conveniendi in via : *Ibid.*

Ecclesiam cathedralem non licet parocho in comitatu cadaveris ingredi cum stola, et cruce elevata : *Ibid.*, § 7.

Ac licet parocho cadavera solum associare usque ad januam ecclesiæ cathedralis exclusive : *Ibid.*

Sed limitatur ; hujusmodi ingressus vetitus est pro peragendis exequiis, non autem pro simplici comitatu cadaveris : *Ibid.*

Præsertim inspecta const. *Prætiosus* Bened. XIII Pont. Max., qua simplex ingressus hujusmodi pro nullis peragendis officiis declaratur non esse actus jurisdictionalis : *Ibid.*

Ac etiam inspecta consuetudine, quæ in hac materia servanda est : *Ibid.*

§ III.

Cadaver quoad exhumationem, et restitutionem.

Tametsi Bonifacius VIII Pont. Max. statuerit cadavera defunctorum contra ipsius sanctionem sepulta propriæ ecclesiæ restitui debere, usus tamen plerumque obtinuit, ut eadem cadavera non exhumentur, neque ex loco ubi quiescunt dimoveantur : *Alex.*, *Fun.*, 13 *jul.* 1743, § 10.

Nisi forte cadaver loco depositi fuerit alicubi seorsim tumulatum : *Ibid.*

Vel parochus, aut aliter quispiam in exportatione cadaveris sese gesserit violenter : *Ibid.*

Nam cadaverum exhumatio haud facile permittitur, ne defunctorum cineres vexentur populique offensio generetur : *Sab.*, *Fun.*, 18 *dec.* 1734, § 3.

Præsertim si bona fide, et in confuso cum ceteris cadaveribus in aliud quam in proprium sepulcrum fuerunt illata : *Ibid.*

Exhumatio cadaverum procedit, quando eadem cadavera mala fide, et in loco seu in capsa distincta recondita sunt, ut ab aliis facile separari possint : *Ibid.*, § 4.

Cadaver in loco depositi servatum consignandum est ecclesiæ cathedrali, in qua defunctus sepulturam elegerat : *Fav.*, *Præem. et Fun.*, 7 *junii* 1760, § 5.

Electione sepulturæ non rite facta, restituendum est cadaver, quod depositum, non conditum est, cum omnibus emolumentis funeris : *Brict. seu Null.*, *Jur. par.*, 31 *maii* 1766, § 3.

Quum puellæ in familia monasterii sint, sub ejusdem regulis vivant, communemque vitam cum monialibus agant, habent commune sepulcrum ; hinc non est restituendum cadaver, neque ullum emolumentum : *Ibid.*, § 8.

Restitutio cadaveris, si petatur, fieri debet ab ecclesia, quæ præsumpsit sepelire, una cum omnibus, quæ illa occasione pervenit ad illam etiam infra decennium : *Ibid.*, § 23.

Ceterum ad humanitatem pertinet, ne salvis, quanto minus fieri possit, juribus et emolumentis, cui debentur, defunctorum ossa vexentur, et commoveantur : *Ibid.*, § 27.

Cadavera alio in loco recondita exhumari debent, atque ecclesiis, ubi electa fuit sepultura, restitui : *Nusc.*, *Sepult.*, 19 *novemb.* 1735, § 5.

Licet exhumatio cadaveris et ejus restitutio non ita de facili permittenda sit, id tamen non procedit, quando pars formaliter instat pro illius restitutione : *Soran.*, *Fun.*, 24 *april.* 1723.

§ IV.

Cadaver quoad funus.

In jure est ut, non electa sepultura a defuncto, funus ejus peragendum sit in ea ecclesia ubi familiæ sepulcrum extat, et ad ecclesiam sit cadaver recto tramite deferendum : *Civit. Castel.*, *Fun.*, 28 *jan.* 1764, § 2.

Officium super cadaveribus in ecclesiis regularium spectat et pertinet ad ipsos regulares, et non ad curatos defunctorum : *Novar.*, 5 *jul.* 1727, § 2.

Hoc procedit etiam in terminis monialium, quando ad earum ecclesias exteriores cadavera defunctorum deferuntur : *Ibid.*

Ad parochum autem pertinet facere officium super cadaveribus defunctorum, qui elegerunt sepulturam in ecclesiis regularium subjectorum jurisdictioni Ordinariorum : *Ibid.*, § 3.

Et ad eumdem parochum spectat facere officium funebre super cadaveribus humandis in ecclesiis, et oratoriis publicis confraternitatum, si tumulandus sit subjectus parocho, intra cujus fines est ecclesia, vel oratorium : *Ibid.*, § 3.

Vetitum est obligare hæredes eorum quorum cadavera sepeliebantur in ecclesiis regularium, ad celebrandas præventive exequias in parochiis : *Tuder., Fun.*, 13 *aug.* 1718, § 11.

Ad parochum spectat facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in ecclesiis sodalium, et eorum publicis oratoriis ; quando vero tumulandus est subditus parocho, intra cujus fines est ecclesia, vel oratorium sodalitii : *Fab., Fun.*, 3 *apr.* 1773, § 13.

De functionibus funeris ducendi, in quibus cum parocho adsit capitulum ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, præcedentia datur archypresbytero et canonicis supra parochum proprium : *Adven., Jur. par.*, 1 *martii* 1766, § 21.

Jus tamen officium faciendi in propria ecclesia parocho reservatur : *Ibid.*

Et reliqua jura eidem parocho de jure, vel consuetudine legitima loci competentia : *Ibid.*

Idque locum habet, etiamsi parochus stola induatur : *Ibid.*

Parochus vero cum clero accedere debet ad ecclesiam cathedralem : *Ibid.*

Et incedere sub cruce capituli.

Quando quis in una parochia moritur et in alia sepelitur, parochus, qui stolam defert a domo defuncti usque ad ecclesiam, in qua corpus sepeliendum erit, alios cunctos præcedere debet : *Ibid.*, § 23.

Id statuit S. Congr. Rituum : *And.*, 18 *aug.* 1770, § 22.

Et in ecclesia in qua sepelitur corpus, officium faciat circa corpus, aliosque præcedat parochus ipsius ecclesiæ : *Ibid.*

Funerum pompa reposita est arbitrio hæredum, ut invitato solo parocho actuali, qui stolam deferens funus ducit, alios vocare non teneantur : *Bonon.*, 22 *maii* 1762, § 6.

Vel possint hæredes eos quos malunt, invitare, sive de gremio ecclesiæ parochialis, sive exteros, et nedum collegialiter, sed etiam singulariter : *Ibid.*

Funus peractum in aliqua ecclesia contra Episcopi edictum, pro infecto habendum est : *Civit. Castel., Fun.*, 18 *jan.* 1764, § 4.

Et restituenda sunt integra emolumenta : *Ibid.*

Cogi tamen nequeunt hæredes ad funus in ecclesiis parochialibus peragendum, quando cadavera tumulanda sunt in ecclesiis regularium : *Ibid.*, § 5.

Sed consanguinei, si id velint, facere non prohibentur : *Ibid.*

Si nulla sepultura electa quis decesserit, jus funeris integre ad ecclesiam parochialem pertinet : *Balneor., Jur. par.*, 23 *nov.* 1771, § 6.

Idemque jus est de civibus, atque peregrinis, qui nullo certo loco consistunt, vel itineris causa extra proprios lares forte moriuntur, cum neque ulla consuetudo, neque locorum conditio aliter suadere videatur : *Ibid.*

Archipresbytero ecclesiæ cathedralis vicario nato, et totum capitulum ecclesiæ cathedralis repræsentanti, aperta favet juris dispositio pro funebri officio et exequiis peragendis super quocumque cadavere in ecclesiis civitatis et territorii tumulando : *And.*, 18 *aug.* 1770, § 6.

Pannus cadaveri substratus ad funus pertinet, adeoque debetur ecclesiæ in qua tumulatur : *Trojan., Fun.*, 29 *aug.* 1733, § 2.

Etiamsi auro, vel serico, vel omnino pretioso pallio uti voluerint nobiles homines, ecclesiæ cedere debet : *Ibid.*

Parochi debent retinere pannum feretri, et culcitram decentem pro deferendis cadaveribus defunctorum, et pro illis nihil exigere : *Ibid.*, § 1.

Quando hæres cupiat feretrum, vel pannum feretri nobilius, de iis provideat propriis sumptibus, et parochus quidquam ex illis prætendere nequit : *Ibid.*

In funeribus cardinalium, principum, ducum, hæres solvere debet ecclesiæ parochiali pro culcitra scut. 20 : *Ibid.*

Pro aliis titulatis, prælatis, abbatibus, mitratis, et canonicis trium basilicarum, scut. 10 : *Ibid.*

Pro filiis principum, ducum, et aliis personis quæ exponuntur super pegmate aut lecto funebri, scut. 5 : *Ibid.*

Sed si in his funeribus hæres faciat culcitram de proprio, eam relinquere debet ecclesiæ parochiali : *Ibid.*

§ V.

Cadaver quoad sepulturam.

Antiquissima et maxima apud omnes cultiores gentes cura de sepeliendis mortuis fuit : *Viter., Jur. tum.*, 10 *maii* 1766, § 10.

Hæc originem habuit, non tantum ex necessitate quantum ex pietate hominibus ab ipsa natura indita, ne defunctorum et præsertim conjunctorum cadavera feris, avibusque dilanianda relinquerent : *Ibid.*

Et etiam ab occulta quadam communi omnibus persuasione de animorum immortalitate : *Ibid.*

Hinc non minor fuit unicuique sollicitudo de suo corpore humando, de eligendo loco sepulturæ, de inferendo corpore, et de suo sepulchro ab aliis non violando : *Ibid.*, § 11.

Commune desiderium fuit apud suos condi cadavera : *Ibid.*, § 12.

Ad infausta referebatur indeploratum jacere *non inter nota sepulcra*, nec *prope cognatos cineres* : *Ibid.*

Ideo ubique per omnes fere terras, tot monumenta excitata, tot familiarum sepulcra extructa : *Ibid.*

Romani loca ipsa sepulcrorum religiosa statuerunt, ab ipso commercio exemerunt, de iis violatis actionem popularem, quæ ad ultionem publicam pertineret et infamiam irrogaret, fecerunt : *Ibid.*

Reos sepulcrorum violatorum aliquando summo supplicio affecerunt : *Ibid.*

Ei qui funerasset solutionem impensæ dederunt, ne insepulta jacerent ossa : *Ibid.*

Putarunt insuper religionis interesse, monumentum extrui et exornari : *Ibid.*

Mortui vero ne in Urbe sepelirentur, neve urerentur, prohibuerunt, ne funestarentur sacra Civitatis : *Ibid.*

Quod etiam de municipiis servabatur, ne municipiorum jura polluerentur : *Ibid.*

Primis quoque christianis temporibus usu receptum fuit ut ista ita relinqueretur incolarum domicilio sanctitas : *Ibid.*

Deinde sepulcra urbana, quæ sensim introducta erant, generaliter permissa sunt : *Ibid.*

Christiani primum apud sedes martyrum sepeliri cœperunt : *Ibid.*, § 13.

Deinde apud publicas ecclesias, sed in atrio, porticu, exedris : *Ibid.*

In ecclesiam tamen inferri non licebat exceptis Episcopis, aut abbatibus, aut dignis presbyteris vel fidelibus laicis : *Ibid.*

Ob id facta fuerunt cœmeteria, et de iis consecrandis constitutæ cæremoniæ : *Ibid.*

Sed hæc distinctio odiosa aliis partim invidiæ, partim ambitionis causam præbuit : *Ibid.*, § 14.

Et pro publica tranquillitate et animorum concordia provisum est, ut in ecclesiis publicis, quæ populum haberent, omnes tumularentur : *Ibid.*

Ex quo originem habuit jus parochiarum quæ, habentes populum, suos sepeliendi et funerandi qui in illis sacramenta viventes receperant jus acquisiverunt : *Ibid.*

Sacerdotes non sunt sepeliendi in tumulo majorum, quando in cathedrali, vel matrice, adest proprium clericorum sepulcrum a laicalibus separatum : *Ibid.*, § 8.

Rituale Romanum disponit, ut clericorum et sacerdotum sepulcra cujuscumque ordinis a laicorum sepulturis sint separata : *Ibid.*, § 9.

Quum in monumento familiæ duo filii sint tumulati, de jure est ut in eo alius quoque filius sit sepeliendus : *Ibid.*, § 2.

Nec est recedendum a jure si sit sacerdos vel clericus, pro quibus sepulcrum designatum in parochiali adest : *Ibid.*, § 3.

Sacerdotes vel clerici addicti servitio ecclesiæ, vel in ea titulum beneficii habentes, in ea sepeliendi omnino sunt : *Ibid.*

Pro sacerdote nullo vinculo aut nullo beneficio parochiali alligato præferendum est sepulcrum familiæ, juxta receptiorem ac veriorem doctrinam : *Ibid.*, § 4.

Hoc ipsum declaravit cognita ex imperio Pontificio plenissime controversia S. Congr. Rituum : *Ibid.*

Nam dubitatur de iis qui servitio ecclesiæ addicti non sint, an in sepulcro majorum vel in parochiali ecclesia, in qua adsit proprium presbyterorum et clericorum sepulcrum, sint tumulandi : *Ibid*, § 20.

Primam opinionem nonnulli doctores tuentur : *Ibid.*

Secundam alii amplexi sunt : *Ibid.*

Sententiæ Sacrarum Congregationum juxta circumstantias discrepantes fuerunt : *Ibid.*, § 21.

In favorem parochialis in qua adsit sepulcrum respondit S. Congr. Episcop. et Regular. negotiis præposita : *Ibid.*

Sepulcrum autem majorum esse præferendum edixit S. Congr. Rituum : *Ibid.*, § 22.

Sed non defuit qui dixit in hac varietate adhærendum esse potius S. Congr. Episcoporum et Regularium, quam posteriori rescripto S. Congr. Rituum : *Ibid.*, § 23.

Ratio est prima, quia agitur non de ritu sepeliendi, sed de jure funerandi; quod declarare, ad quem spectat, potius ad S. Congr. episc et Regul. quam Rituum pertinet : *Ibid.*

Secunda ratio est, quia, sicut laicis non electa sepultura provisum fuit a jure in cap. 4 *de Sepul.* in 6, ut sepeliri debeant in sepulcro majorum, ita clericos sic decedentes, ut in sepulcro clericorum in cathedrali vel matrice ecclesia construendo, sive sint intitulati, sive non, sepeliri debere statuitur in Rituali Romano : *Ibid.*

Rota autem prædicta perpendit, et dixit non adversari inter eas auctoritates, quæ habent locum quoties agitur de sacerdotibus vel clericis perpetuo Ecclesiæ addictis : *Ibid.*, § 24.

Parochi tenentur cadavera parochiæ incolarum, quibus nihil superest ut possint humari, gratis omnino suisque sumptibus juxta ecclesiasticos ritus,

Ecclesiæque piam consuetudinem sepelire : *Senog., Fun., 5 decem.* 1739, § 2.

Decedentes in parochia, nisi propriam habeant sepulturam vel eam elegerint, in parochiali sepeliendi sunt ecclesia in qua recipiunt sacramenta : *Raven.*, 13 *jun.* 1789, § 9.

Nam de loco sepulturæ certa juris regula est, defunctum abscondendum esse in ecclesia quam sibi elegit : *Aven., Jur. par.*, 1 *martii* 1766, § 15.

Si vero non elegit, in sepulcro majorum sepeliendus est ; sin minus in parochiali : *Ibid.*

Dubitatum fuit de puellis quæ educantur in monasteriis, num in ecclesia monasterii, vel parochiali sepulcro reddi debeant : *Bricl. seu Null. S. Ruph.*, 21 *maii* 1766, § 20.

Nonnulli canonistæ sunt pro monasterio, alii vero pro parochiali ecclesia : *Ibid.*

Puellæ quæ in familia monasterii sunt, sub ejusdem regulis vivunt, communem vitam cum monialibus agunt, commune habere possunt sepulcrum : *Ibid.*, § 6.

Maxime ex consuetudine, si de ea re habetur generaliter in diœcesi : *Ibid.*, § 7.

Multoque magis, si in synodo diœcesana præscriptum id extat : *Ibid.*

In ecclesiis monialium etiam exterioribus non licet exteros utriusque sexus, nec principes, etiamsi ibi eorum majores humati sint, sepelire : *Ibid.*, § 18.

Puellæ, educationis causa in monasterio, debent in parochiali non autem in ecclesia monasterii sepeliri : *Penen., Sepul.*, 6 *julii* 1737, § 4.

Prohibitum est dare sepulturam in ecclesiis etiam exterioribus monialium, quatenus aliquis in ea condi voluerit : *Nov.*, 5 *jul.* 1727, § 3.

Cadaver inservientium monialibus sunt in parochia humo mandanda, nisi ab eis fuerit alibi electa sepultura : *Ibid.*

In jure communiter receptum est, unamquamque laicorum confraternitatem posse in propria ecclesia cadavera sodalium sepulturam ibidem eligentium tumulare, si modo sepulcra pro suis sodalibus ibi fuerint rite legitimeque, accedente scilicet Episcopi licentia, ac salvis juribus parochialibus extructa : *Senogal., Jur. sepel.*, 20 *dec.* 1738, § 2.

Sodales, si absque sepulturæ electione decedunt, tunc sunt sepeliendi in ecclesia parochiali : *Nusc.. Sepul.*, 19 *nov.* 1735, § 6.

Non desunt aliquibus in diœcesibus synodales constitutiones quæ eamdem parocho potestatem faciunt, quamvis defunctus non subsit parochiæ intra cujus limites existit ecclesia, in qua tumulari debet : *Cassan.*, 30 *maii* 1767, § 29.

Prior qui nullo electo sepulcro decedit, in collegiata ecclesia sepeliri debet : *Pisauren.*, 30 *jan.* 1772, § 11.

Neque ratione quartæ funeris ; nam, ejus percipiendæ fundamentum cum sit administratio sacramentorum dum defunctus viveret, ratio hæc parocho viciniori nullo pacto convenit : *Ibid.*

Clericus non humatur in sepulcro majorum, quando in cathedrali vel matrice ecclesia adest proprium clericorum sepulcrum a laicalibus separatum. *Andr.*, 18 *aug.* 1770, §§ 23 et 24.

Ex jure habetur, ut filii impuberes sepeliri debeant in sepulcro majorum, aut in parochiali ecclesia, nec ullo modo liceat patribusfamilias alibi pro filiis sepulturam eligere ; nisi contraria consuetudo regionis arbitrium hoc ipsis adscripserit : *Reat., Jus. tum.*, 10 *mart.* 1770, § 11.

Et verba text. in cap. *Licet de sepult.*, in 6, non sunt intelligenda in sensu diviso, ut scilicet seposita consuetudine possit pater filiorum impuberum pro libito, vel in sepulcro majorum, vel in parochiali ecclesia, ipsos sepelire, sed omnino eos humari debere in sepulcro majorum, si adsit ; si vero non adsit, in parochiali : *Ibid.*

Et cohæret id text. in cap. *Nos instituta* 1. *de Sepult.* : *Ibid.*, § 12.

Atque de hac re exemplum habetur veterum patrum patriarcharumque, qui cadavera filiorum in sepulcro parentum collocarunt : *Ibid.*

Item decrevit S. Congr. Episcop. et Regul., ut infantes aliique qui facultatem non habent sibi eligendi sepulturam, vel non electa decedunt, tumulandi sint in monumento suorum majorum, vel in ecclesia parochiali : *Ibid.*, § 13.

Ex Rituali Romano, filiorum impuberum corpuscula sepelienda sunt non in communibus et promiscuis cœmeteriorum et ecclesiarum sepulcris, sed separatas habeant sepulturas : *Ibid.*, § 16.

Verum verba ejusdem Ritualis hortari magis quam cogere parochos videntur, ut separata sepulcra pro infantibus retineant, neque vetant quominus cadavera impuberum in sepulcro majorum sepeliantur ; ac idem sanxit S. Congr. Rituum : *Ibid.*, § 17.

Apertissima est lex de sepeliendis in propria ecclesia, qui sepulturam alibi non elegerint, aut familiæ conditoria non habeant : *Aven., Jur. par.*, 1 *martii* 1766, § 8.

Etsi quis etiam exterus plures menses habitaverit in parochia, ad effectum hunc exuberat : et in parochia est sepeliendum : *Ibid.*

De exteris, peregrinis, et viatoribus regula est, sepeliendos in cathedrali ecclesia : *Ibid.*, § 20.

Nisi contraria consuetudo habeatur, vel nisi per aliquod tempus habitaverint in aliqua parochia, in cujus ecclesia sunt sepeliendi : *Ibid.*

S. Congr. negotiis Episc. et Regul. præposita rescripsit viatores, exteros, vagos, et peregrinos fixum non habentes in loco domicilium, in ecclesia cathedrali sepeliendos esse : *Ibid.*, § 13.

Idcirco viatores, peregrini, et advenæ ad sepulturam dandi sunt in ecclesia cathedrali potius quam in parochiali ecclesia intra cujus fines moriuntur ; ideoque dicendum tam de iis, quam de obeuntibus violenta morte, absque electione sepulturæ : *Cav.*, *Fun.*, 24 *jan.* 1733, § 8.

§ VI.

Cadaver quoad translationem.

Parochus, causa majoris itineris, majus stipendium ab hæredibus defuncti petere et exigere nequit : *Aux. seu Recin.*, *Fun.*, 8 *jul.* 1752, § 2.

Nullum ob translationem cadaverum vectigal solvitur : *Ibid.*

Caducitas.

Caducitatis pœna, utpote odiosissima, requirit sententiam declaratoriam : *Ferrar.*, *Hæred.*, 15 *jan.* 1791.

Quælibet ad excludendam caducitatem sumenda est interpretatio : *Faven.*, *Com. vol.*. 4 *april.* 1789, § 6.

Prohiberi nequit recursus ad S. Sedem sub pœna caducitatis : *Firm.*, *Præb.*, 26 *martii* 1791, § 11.

Non incurritur caducitas per viam modi inducta, deficiente dolo et culpa : *Viterb.*, *Prorog.*, 30 *april.* 1766, § 16.

Pœna caducitatis est potissima in alienationibus bonorum ecclesiæ vel beneficii : *Fun.*, *Capel.*, 29 *jan.* 1791, § 4.

Et ad eam incurrendam, quæ odiosissima est, dolus et fraus requiritur : *Ibid.*, § 5.

Caducati habentur a testatore primo loco vocati, si commutata fuit ejus voluntas sine consensu fundatoris et aliorum omnium interesse habentium : *Anag.*, 18 *mart.* 1780, §§ 7 et 8.

Reliqua. Vide *Capellania*, § I ; *Legatum pium*, § V ; *Subsidium dotale*, § II.

Cæcus.

Robertus Scotus, quamvis cæcus a puerili ætate, Parisiis theologiam adeo didicit insigniter, ut Romæ creatus sacerdos, et archiepiscopus Armacanus in Hybernia, et legatione pro Julio III Pont. Max. fuerit perfunctus : *Pampil.*, *Disp.*, 28 *mar.* 1733, § 7.

Sed erravit Surius, qui cæcum dixit fuisse dictum Robertum Scotum, cum solum angusta ille fuerit et suppressa vi oculorum : *Ibid.*, § 8.

Multoque etiam certius evincunt legationes quas ille a Paulo III et Julio III Pont. Max. ad Cæsarem, et ad Galliæ regem accepit, antequam Tridentinæ synodo interfuisset : *Ibid.*

Et is, cui hebes vel obtusa sit oculorum acies, non est irregularis : *Ibid.*

Adfuit quidam Belga a teneris annis oculorum sensu destitutus, nihilominus in Parisiensi academia floruit, et monachus Ordinis S. Benedicti, ac etiam diaconus fuit : *Ibid.*

Cæremoniale Episcoporum.

Cæremoniale Episcoporum in cap. 26. lib. 1. interpretandum est de assistentia præstanda Episcopo, non item dignitatibus, vel canonicis : *Bojan.*, *Præm.*, 19 *apr.* 1760, § 3.

Vel locum habet tantummodo, ubi canonicorum præbendæ sint distinctæ in diaconales et subdiaconales : *Ibid.*

Cæremoniarum sacrarum magister. Vide *Magister*, § II.

Calculus.

Calculo exhibito fidendum non est, quando deficiunt pensiones domorum in favorem hæreditatis præservatarum in decisionibus S. Rotæ : *Camer.*, *Subst. dot.*, 30 *maii* 1761, § 8.

Calumnia.

Calumnia subdiaconi in sacerdotem ratione publicæ infamiæ quamdam inducit speciem irregularitatis : *Lun.*, *Sar.*, 9 *jul.* 1796, § 3.

Et suspensionem ipso jure per eam irrogari nonnulli censent : *Ibid.*

Imo in cap. 1 *de Calum.*, decernitur ejusdem privatio ab officio : *Ibid.*, § 8.

Sed requiritur ad privationem declaratoria sententia Ordinarii, seu pœna ferendæ sententiæ : *Ibid.*

Et nondum solutione sequuta absolvi, ac dispensari nequit a pœna in cap. 1 *de Calum.* : *Ibid.*, § 3.

Campana. Vide *Tintinnabulum*.

Candelæ.

Distributio candelarum ex consuetudine inducta est : *Cesen.*, 19 *jan.* 1765, § 35.

Et ex usu Italiæ perpetuo, necessario servanda : *Ibid.*

Ex juris dispositione, candelæ Episcopo præstandæ sunt a capitulo pro sacris functionibus agendis: *Nicien.*, *Dec.*, 29 *febr.* 1744, § 20.

Capitula in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, necnon parochi in parochialibus ecclesiis, tenentur candelas in festo Purificationis B. M. V. solemniter benedicere, easque suis sumptibus clero ac populo distribuere : *Juven.*, 1 *sept.* 1736, § 4.

Ipsisque cavendum est ne candelæ hujusmodi ad laicorum ædes transmittant, sed eæ recipi debent in ecclesia juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem : *Ibid.*

Candelæ quæ manualiter gestantur a regularibus in delatione funeris, ferentibus acquiruntur, neque ulla ex illis portio parochis debetur : *Mediol.*, *Quar. fun.*, 5 *maii* 1731, § 2.

CANON. Vide *Emphyteusis*, § III.

Canones sacri.

Canonum sacrorum rigor quandoque relaxandus est, si aliqua urgeat necessitas, vel publica concurrat utilitas [1] : *Val.*, 17 *jan.* 1761, § 5.

CANONICA ELECTIO. Vide *Electio*, § V.

CANONICA PORTIO. Vide *Episcopus*, § XVII.

Canonicatus.

§ I.

Canonicatus quoad ætatem et habilitatem.

Monstruosum nimis foret, si in canonicorum cœtu puer recenseatur : *Aret.*, *Disp.*, 20 *aug.* 1774, § 9.

Proindeque nonnisi ex urgentissima causa dispensatio impetrari debet : *Ibid.*

Et hæc causa, dum de canonicatu agitur vel respicere debet publicum bonum, vel magnam Ecclesiæ utilitatem, vel maximam personæ dignitatem : *Ibid.*

Canonicatus ecclesiæ cathedralis exigit ætatem annorum 22, nisi major ordo præbendæ sit adnexus : *Baln.*, 17 *dec.* 1753, § 4.

Et idem procedit pro canonicatu ecclesiæ collegiatæ, erectæ in cathedralem : *Ibid.*, § 5.

Imo ætatem saltem annorum 21 colligitur ex eodem Tridentino requiri pro consecutione canonicatus in ecclesia cathedrali : *Leodien.*, *Canon.*, 5 *martii* 1735, § 5.

Potissimum, quia decretum præfati concilii consonat ecclesiasticæ disciplinæ in pluribus aliis conciliis stabilitæ : *Ibid.*

Sed, quum ætas annorum 14 idonea sit ad quæcumque beneficia sine cura obtinenda, nequit ob peculiarem censuram sacri Tridentini Concilii illegitima judicari : *Ibid.*, § 7.

Præsertim, si illa sanctio conciliaris non fuerit usu recepta in ecclesia, ubi canonicatus obtineri desideratur : *Ibid.*

Ad obtinendum canonicatum collegiatæ ecclesiæ, sufficit ætas annorum 14 : *Senog.*, *Can.*, 11 *maii* 1793, § 13.

Ex fundatione vero idoneus est hac etiam ætate minor : *Ibid.*

Maxime ubi vocavit fundator simplicem clericum : *Ibid.*

Nulla præscripta a testatore ætate, et qualitate, quousque adsit aliquis de familia, qui ope dispensationis canonicatum assequi valeat, nullum omnino jus quis acquirere potuit : *Aret. cit.*, § 7.

Ideo clericus annorum 16 inhabilis est ex defectu ætatis ad canonicatum ecclesiæ cathedralis assequendum, ad quem requiritur ad minus 22 annorum pro subdiaconatu infra annum suscipiendo, nisi majores ordines sint præbendæ adnexi : *Balne.*, *Dispens.*, 21 *junii* 1760, § 8.

Et inhabilitas vel ex solo defectu clericatus, minor non debet reputari, quam altera ex defectu ætatis, quia laicus omnino incapax est beneficio ecclesiastico, quamvis sit de jure patronatus : *Ibid.*

Si verba fundationis *dum sint habiles* referantur ad tempus vacationis, omnes æqualiter tanquam incapaces ex defectu ætatis vel clericatus exclusi videntur, nullumque habent jus quæsitum, quod solum quæsitum dicitur illi, qui unice est capax, et habilis tempore vacationis : *Ibid.*, § 9.

Sin autem eadem verba referantur ad tempus

[1] Gelasius papa ita scribebat Episcopis Lucaniæ, Samni, et Siciliæ, cap. 1 : « Necessaria rerum dispensatione constringimur, et Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro « Præsulum Decessorumque Nostrorum præcepta metiri, « utquæ præsentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis, relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligendi, quantum potest fieri, temperemus; quò nec in « totum formam veterem videamur excedere regularum, « et reparandæ militiæ clericalis officiis consulamus. » Nefas est privata licentia rigorem canonum inflectere, et hac auctoritate Ecclesiam destituere. Pius VI Pont. Max. const. *Auctorem fidei* 28 aug. 1794 propositionem IV de potestate Ecclesiæ quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam synodi Pistoriensis hisce verbis conceptam « abusum fore auctoritatis Ecclesiæ transferendo « illam ultra limites doctrinæ, et morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod « pendet a persuasione et corde » ; ac etiam « multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis » declaravit hæreticam.

præsentationis, vel institutionis, nulli pariter jus quæsitum videri potest : *Ibid.*

Et ratio est, quia liberum est patrono intra quadrimestre eligere quem maluerit de genere vocatorum, qui intra idem tempus, vel sit, vel fiat habilis, sive naturaliter, sive per dispensationem : *Ibid.*

Et deficiente jure quæsito in competitoribus, denegari non potest dispensatio illorum intuitu, etiamsi sint in majori ætate : *Ibid.*, § 10.

Ratio est, quia nemo est directe vocatus a fundatore, sed pendet concurrentium electio a nominatione patroni, qui, postposito habili et capaci, potest præsentare inhabilem sub conditione obtinendi clericatum, vel dispensationem : *Ibid.*

Clericatum potest suscipere post vacationem præsentatus, ita ut impediri non debeat dispensatio ætatis, post vacationem ab oratore petita : *Ibid.*

Cum parem habeat efficaciam habilitas superveniens naturaliter ac per dispensationem : *Ibid.*

Tres requirit Synodus Tridentina qualitates ad canonicatum assequendum : scilicet bonos mores, litteraturam, et prudentiam : *Alex.*, *Susp.*, 11 *jan.* 1772, § 10.

Distinctio, quando idoneitas intervenire debeat tempore vacationis, vel tempore præsentationis, locum duntaxat habet, si habilitas præscripta sit a lege vel a consuetudine, non autem quando ab homine est præscripta : *Senog.*, *Can.*, 14 *maii* 1768, § 14.

Præsertim si testatrix usa sit hac loquendi formula *vifia capace*, cum verbum *fia* idoneitatem denotet tempore vacationis canonicatus : *Ibid.*

Supplicatio clerici, qui infra annum ex defectu ætatis tum ex dispositione Concilii ac fundationis lege promoveri nequit ad ordinem canonicatui adnexum, rejicienda est : *Tolen.*, *Can.*, 16 *dec.* 1760, § 14.

§ II.

Canonicatus quoad dotem et dotationem.

Omnes canonicorum præbendæ institutæ ac fundatæ præsumuntur ex bonis communibus ecclesiæ : *Troj.*, *Præb.*, 30 *aug.* 1731, § 8.

Taxative assignata est canonicalis præbenda, quum ab ea incipiat canonicatus fundatio : *Sars.*, 25 *april.* 1789, § 4.

In quo casu deficientes reditus supplere non tenentur patroni, sed concedenda est ipsis onerum reductio : *Ibid.*

Præsertim si foret fundatoris voluntas, qui, si viveret, ab oneribus fortasse canonicum levaret ob imminutos reditus, maxime quia absque ulla ejus culpa evenit imminutio : *Ibid.*

Certa assignatio præbendæ si satis non esset tot subeundis oneribus novo canonico impositis, præsumi non potest fundatorem voluisse meliorem efficere conditionem aliorum canonicorum : *Sabin.*, *Part.*, 13 *jul.* 1771, § 5.

§ III.

Canonicatus quoad expectativas.

Ex quo S. Concilium Tridentinum expectativas abrogaverit, non potest ideo canonicus admitti, qui inserviat cum expectatione ad futuram præbendam : *Velit.*, 5 *jul.* 1727, § 6.

§ IV.

Canonicatus quoad fundationem et erectionem.

Pro erectione canonicatuum requiritur Ordinarii approbatio : *Pis.*, *Can.*, 14 *april.* 1736, § 4.

Ambigi nequit, in erigendis novis canonicatibus, de necessitate voti et consensus capituli : *Sabin.*, *Partic.*, 28 *april.* 1779, § 9.

Alias erectio penitus nulla et irrita est : *Ibid.*; *Martu.*, *Erect. can.*, 25 *jan.* 1738, § 4.

Hinc non est locus novæ erectioni canonicatuum, circumspecto capituli dissensu : *Melev.*, *Erect. nov. mas. distr.*, 25 *april.* 1762, § 1; *et Tolent.*, *Archip.*, 11 *jan.* 1766, § 18.

Ideo pro erigendo novo canonicatu, necessarius est capituli consensus, ut in eo licite præcaveri possit ne detrimentum inferatur juribus antiquorum capitularium : *Urbin.*, *Partic.*, 6 *jan.* 1776, § 12.

Et cum in erectione canonicatus expressa contestata denunciatio facta est, ne aliquod jus acquireret novus canonicus; ille non est admittendus ad ullam partitionem tanquam expresse denegatam in erectione : *Ibid.*

Minimeque cogi potest capitulum, ut consentiat admissioni novi canonici ad communicationem emolumentum antiquo cœtui ante erectionem quæsitorum : *Ibid.*

Multo magis erectio novi canonicatus facta inconsultis et dissentientibus iis qui sunt de capitulo, vel in eo vocem habent, irrita prorsus et invalida est, si in bulla erectionis capituli præfinitus fuerit certus numerus canonicorum, mansionariorum, et clericorum beneficiatorum et proventus ecclesiæ non sunt aucti, sed potius imminuti : *Firm.*, *Erect. can.*, 21 *aug.* 1734, §§ 5 *et* 6.

Erectio canonicatus impugnari nequit ab eo qui eum ad formam ejusdem erectionis adiit, nisi expleta fuerit contra formam rescripti S. Congr.

Concilii : *Nul. Ter. Pont., Canon. et Sub. dot.*, 12 *mart.* 1786, § 8 *et* 10.

Si fundator erectionem canonicatus præceperit hac conditione, si ad sacerdotium ascenderet frater suus germanus, tunc erectio illius fieri debet auctoritate ecclesiastica : *Præn.*, *Can.*, 16 *jun.* 1787, § 3.

§ V.

Canonicatus quoad incompatibilitatem.

Canonicatus sunt incompatibiles cum ecclesiis parochialibus : *Ven.*, 25 *jun.* 1763, § 5.

S. Pius V Pont. Max. constitutione 64 sancivit, ut ii qui ex Apostolica dispensatione retinent ecclesiam parochialem simul cum canonicatu, vel dignitate in alia ecclesia, fructus quidem præbendæ lucrentur, dum resident in parochiali, sed ut amittant distributiones quotidianas aliaque emolumenta quibus potiri non solent absentes ex causa justa : *Mont. Reg.*, *Distr.*, 22 *nov.* 1732, § 5.

§ VI.

Canonicatus quoad nominationem, præsentationem, institutionem et collationem.

Collatio canonicatuum de jure spectat ad Episcopum : *Pin.*, *Can. theol.*, 28 *febr.* 1761, § 2.

Nec potest capitulum sibi vindicari jus conferendi, nisi probetur titulus specialis privilegii vel consuetudinis : *Ibid.*

Institutio canonicatuum etiam post Concilium Tridentinum, fuit a summis Pontificibus reservata inferioribus Ordinario, ad favorem nempe patronorum laicorum, ne retrahantur a fundatione : *Taur.*, 14 *mart.* 1722, § 4.

Ille est præferendus ad canonicatum qui est de genere vocatorum, et habet in sui favorem jus patronatus passivum, cui derogari non solet a Sancta Sede : *Urbin.*, *Can.*, 26 *mart.* 1763, § 4.

Concilium Trid. hortatur canonicatuum saltem dimidiam partem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus conferri solum magistris, vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia, vel jure canonico : *Alex.*, *Præp.*, 31 *aug.* 1771, § 27.

Imo canonicatus esse conferendos magis idoneis in formali concursu ab examinatoribus renunciatis, eo plane modo, quo parochiales ecclesiæ conferuntur, sancivit Bened. XIII Pont. Max. : *Alex.*, *Can. pœnit.*, 19 *april.* 1777, § 2.

Laurea doctorali satis fit concilio Trid., si assumatur intra annum a die collationis canonicatus : *Ibid.*

Ad canonicatum collegiatæ præsertim insignis, etiamsi sit de jure patronatus, in personis præsentatis requiritur aptitudo quædam, et consilium : *Senog.*, *Can.*, 14 *maii* 1768, § 11.

Quum ad canonicatum testator præferri voluit majorem natu, nemo alius ad nominationem ejusdem admitti potest : *Tolent.*, *Can.* 16 *dec.* 1769, § 3.

Ille excludi ad nominationem nequit ullo modo, nec incidenter sua quasi possessione privari, qui in ultima vacatione canonicatus ad præsentationem fuit admissus : *Ibid.*, § 7.

Et quidem possessio plurimi facienda est, utpote adepta scientibus et probantibus aliis patronis, quorum intererat illum rejicere et reprobare : *Ibid.*

Jus nominandi et præsentandi ad vacantem canonicatum, unico vero et legitimo patrono de jure competit, qui suis bonis canonicatum congrue dotavit : *Urban.*, 19 *aug.* 1775, § 4.

Etiam de facto id competit, si in actu dotationis sibi explicite reservavit juspatronatus in perpetuum : *Ibid.*

Et ita præsentationis jure tanquam fructu et quidem præcipuo jurispatronatus augmento frui debet : *Ibid.*

Tempus ad præsentandum non currit de jure impeditum judicialibus inhibitionibus : *Ibid.*, § 5.

Multoque minus factus est locus juri devoluto : *Ibid.*

Provisio ab Episcopo facta, quæ nulla est, nunquam convalescere potest ; etiamsi devolutio supervenisset absolutis prorogationibus : *Ibid.*, § 6.

Legitime nominatus ad canonicatum danda est institutio : *Præn.*, *Can.*, 16 *jun.* 1787.

Prima testatoris nominatio ob defectum sacerdotii conditionis resoluta est ; hæc utique in implicito erat validitatis statu, nec valide idcirco fieri potest a patronis secunda nominatio : *Ibid.*, § 11.

Quandiu adest nominatus per testatorem, cessat nominatio facienda per patronum ; et vocatus per testatorem admittendus et ceteris præferendus est : *Ibid.*

Dum ipsum non stat, quominus ad sacerdotium ascendat nominatus, sed vitium est tardi ejus ingenii, quo assiduo labore et studio vincere non potest, jam conditio *de jure* habetur pro impleta, et pura remanet nominatio : *Ibid.*, § 12.

Accedit præsumpta testatoris voluntas, qui si impossibilem ex defectu ingenii ascensum ad sacerdotium prævidisset, vel conditionem illam fortasse non addidisset, *ai farsi sacerdote*, aut ei Missarum celebrationem per alium permisisset : *Ibid.*, § 13.

Nam verosimilius hoc fecisset, quam eum per impossibilem conditionem a beneficio repellere, si uti

filium nominatum educaverit ac diligeret, cujus intuitu erectionem canonicatus fecerat : *Ibid.*

Canonicatus, qui fundati sint juribus, et reditibus propriæ mensæ, quorum percipiendorum jus ad veteres duntaxat spectat canonicos, novis omnino exclusis, nequeunt hi ad illorum electionem admitti, sed jus eligendi hoc ad seniores tantum pertinet : *Nic., Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 13.

Maxime quando ante novorum canonicatuum erectionem jus hoc eligendi, et nominandi ad seniores spectabat : *Ibid.*, in fine.

Nam juris ratio non patitur novos canonicos ad hoc jus esse admittendos, cum non agatur *de jure quærendo, sed de quæsito : Ibid.*

§ VII.

Canonicatus seu præbenda pœnitentiaria quoad erectionem et collationem.

Concilium Tridentinum mandavit præbendam pœnitentiarii in omnibus ecclesiis cathedralibus erigi, nulla adjecta lege concursus : *Benev.*, 22 *maii* 1784, § 6.

Et id servatum etiam a Benedicto XIII, Pont. Max., qui pœnitentarii officium in metropolitana Beneventi instituit : *Ibid.*

Fortius, quia in institutione nulla certa præbenda assignata dignoscitur, et pœnitentiarii officium pro solis canonicis institutum deprehenditur : *Ib.*

Nec obest const. *Pastoralis officii* dicti Pontificis, qua collationem præbendæ pœnitentiarii per concursum fieri mandavit : *Ibid.*

Nam per hanc constitutionem nequaquam invertere voluit leges in actu erectionis constitutas, minusque lædere jura capituli ecclesiæ metropolitanæ : *Ibid.*

Insuper idem Pontifex, qui legem concursus edidit pluries post emanatam constitutionem, pœnitentiariæ officium absque concursu, uni ex canonicis metropolitanæ ecclesiæ contulit : *Ibid.*

Idque etiam observatum fuit ab aliis Archiepiscopis : *Ibid.*

De pœnitentiarii officio, ejusque munere nonnulla prostant in ecclesia antiquissima monumenta : *Ibid.*, § 11.

Socrates refert sua ætate jam statutum esse, ut singulis ecclesiis presbyter quidam pœnitentiæ præsset, quo, qui post baptismum lapsi fuissent, coram presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur : *Ibid.*

Et prioribus seculis Ecclesiæ ad solos episcopos spectabat publicam pœnitentiam indicere, vel relaxare, ideoque hoc tantum fuit munus pœnitentiarii, ut eorum, qui post baptismum lapsi essent, secretas audiret confessiones, secretasque indicaret pœnitentias : *Ibid.*

Si vero aliquis talia patrasset, quæ nonnisi publica pœnitentia abstergi possent, is teneretur Episcopi tribunal adire, et pro modo culpæ publicam subire pœnitentiam : *Ibid.*

Mos hic etiam in occidentati Ecclesia servatus est : *Ibid.*

Et presbyter pœnitentiarius, absente episcopo vel ægrotante poterat publicam pœnitentiam decernere, vel remittere : *Ibid.*

Seculo XI in Romana Ecclesia, pœnitentiarium majori cum facultate jam diu præextitisse deprehenditur : *Ibid.*, § 12.

Et refert Berthodus presbyter Constantiensis se a Romano Pontifice ordinatum fuisse presbyterum, et pœnitentiarium Romanæ Ecclesiæ eodem tempore constitutum, cum facultate suscipiendi pœnitentes ex Apostolica auctoritate : *Ibid.*

Idemque in omnibus ecclesiis cathedralibus et conventualibus fieri præcepit Innocentius III. Pont. Max. in concilio Lateranensi 1215 : *Ibid.*

Hac Pontificis dispositione excitati quamplurimi Episcopi, curarunt in eorum ecclesiis pœnitentiarii præbendam constituere ; nec defuerunt qui inter capituli dignitates pœnitentiarium annumeraverint : *Ibid.*

Hujusmodi disciplinam instauravit Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 8, *de Ref. : Ib.*, § 13.

Et mandat ut in omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ ab Episcopo inducatur, qui magister sit, vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel jure canonico, et dum confessiones in ecclesia audit, interim præsens in choro censeatur : *Ibid.*

Postmodum Bened. XIII. Pont. Max., in const. *Pastoralis officii* statuit, ut in omnibus ecclesiis cathedralibus et collegiatis in quibus pœnitentiaria præbenda instituta nondum foret, omnino erigeretur : *Ibid.*, § 14.

Insuper methodo constabilita in provisione præbendæ theologalis, illa quoque observaretur in casu vacationis præbendæ pœnitentiarii : *Ibid.*, § 15.

Hinc in erectionem præbendæ pœnitentiariæ facta, non ex canonicatu primo vacaturo, sed ex beneficiis quibusdam simplicibus addictis servari debet norma a S. Concilio Tridentino præscripta : *Mart., Erect. can.*, 25 *janv.* 1738, § 8.

Ex mandato Concilii Tridentini in omnibus ecclesiis cathedralibus, ubi commode fieri potest, pœnitentiaria cum unione præbendæ proximæ vacaturæ ab Episcopo institui debet : *Priv., Aper. or.*, 16 *mars* 1771, § 11.

Erectionem præbendæ pœnitentiariæ præcepit Concilium Tridentinum faciendam in ecclesiis cathedralibus cum unione præbendæ proximo vacaturæ, ut provisus audiat in ecclesia confessiones : *Caj.*, 22 *jan.* 1774, § 5.

Urgente necessitate erigendi præbendam pœnitentiariam, aut accidente impossibilitate theologalem instituendi, tributa quandoque fuit a Sede Apostolica facultas Episcopis, ut præbendam pœnitentiariam, postposita theologali erigerent : *Camer., Præben., theol. et pœnit.*, 3 *dec.* 1735, § 5, *et Nucer. Pag., Præb. theol.*, 8 *feb.* 1738, § 4.

Et quando injuncta est Episcopis utriusque erectio, et data fuit facultas ei cum unione simplicium beneficiorum supplendi pœnitentiaria præferenda est : *Nuc.* cit., § 3.

Præbendam pœnitentialem conferendam esse magis idoneo in formali concursu ab examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo parochiales ecclesiæ conferuntur, sancivit Benedictus XIII. Pont. Max.: *Alex., Can. pœnit.*, 19 *april.* 1777, § 2; et *S. Miniat., Visit. SS. LL.*, 14 *mart.* 1733, § 4.

Per lauream doctoralem est satisfactum concilio Tridentino, si assumatur intra annum a die collationis præbendæ pœnitentiariæ : *Ibid*, § 7.

Et collatio aliter facta irrita ipso jure ac nulla est : *Ibid.*, cit. *S. Miniat.*

Servari id minime potest, si præbendæ sint jurispatronatus laicorum; nam legitima patronorum jura tollere, æquitati consentaneum non est : *Ibid.*

Quoad pœnitentiariam nihil tale de assignandis ei fructibus alicujus beneficii cavit S. Synodus, sed solum jussit sacrum hujusmodi administrum constitui in ecclesiis cathedralibus cum unione præbendæ proximo vacaturæ : *Ibid.*, § 6.

Et non est permissum Episcopo beneficia simplicia in hunc effectum unire, ubi sunt præbendæ, et canonicatus : *Ibid.*

Præbenda pœnitentiaria facto concursu conferri debet magis idoneo ab examinatoribus renunciato : *Sal., Can. pœn.*, 23 *jun.* 1753, § 3.

Per erectionem præbendæ pœnitentiariæ præservatum censetur tam jus conferendi, quam jus nominandi et eligendi, quod prius capitulo aliisque personis competebat : *Crem., Erect. præb. theol.*, 2 *jul.* 1729, § 10.

§ VIII.

Canonicatus seu præbenda theologalis quoad erectionem et collationem.

Sancta Synodus Tridentina sess. 5, cap. 1, *de Reform.* præbendæ Theologalis erectionem præcepit, ad sacram Scripturam exponendam, ac interpretandam : *Pacen.*, 24 *aug.* 1765, § 14 ; *Cajet.*, 22 *jan.* 1774, § 5.

Et id mandavit fieri in omnibus metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis : *Com., Can. theol.*, 28 *sept.* 1771, § 14.

Imo præbendæ theologalis erectio fieri et esse potest in singulis collegiatis, etiam reluctante quacumque alia collegiata antiquiore in dicta erectione: *Theat., Erect. theol.*, 10 *dec.* 1746, § 2.

Sed S. Congr. Concilii inde declaravit locum non esse erectioni præbendæ theologalis, quoties in cathedralibus jam ante concilium stipendium pro lectore S. Theologiæ fuisset destinatum : *Ibid.*, cit. *Comen.*

In erectione præbendæ theologalis facta non ex canonicatibus primo vacaturis, sed ex beneficiis simplicibus quibusdam addictis servari debet norma a S. Concilio Trid. præscripta : *Matur., Erect. can.*, 25 *jan.* 1738, § 8.

Tridentina sanctio de assignanda ad lectionem sacræ Scripturæ præbenda primo vacatura, habet locum in iis etiam ecclesiis, in quibus omnes præbendæ sint jurispatronatus laicorum : *S. Min., Visit. SS. LL.*, 14 *mart.* 1733, § 3.

At ubi exigua est cleri populique multitudo, saltem magister habeatur : *Ibid. cit. Panen.*

In erectionibus præbendæ theologalis ecclesiæ Farsensis, et ecclesiæ Montis Falisci extat præscriptum onus conjunctim, vel alternatim docendi theologiam moralem et exponendi sacræ Scripturæ libros : *Ibid.*, § 19.

Expositionem et interpretationem sacræ Scripturæ Tridentinum enixe voluit, « ne cœlestis ille « sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus « sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, « neglectus jaceat » : *Ibid.*, § 10.

Ad lectionem sacræ Scripturæ tenentur accedere canonici, aut ceteri ecclesiæ presbyteri; ac Episcopus potest illos cogere : *Ibid.*, § 11.

In const. *Pastoralis officii* Ben. XIII. Pont. Max. mandavit, ut in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in quibus theologalis præbenda instituta nondum foret, omnino erigeretur : *Benev.*, 22 *maii* 1784, § 14.

Insuper mandat, ut, quæ institutæ jam fuerant, vel in posterum erigendæ erant, conferantur doctoribus in sacra theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat, et eo modo, quo parochiales ecclesiæ conferuntur : *Ibid.*

Innocentius III, in concilio Lateranensi IV anni 1215, expresse jussit, ut in metropolitanis ecclesiis eligeretur theologus, qui sacram Scripturam, et ea omnia, quæ ad animarum salutem pertinent, edoceret : *Fulg.*, 3 *jul.* 1784, § 7.

Id postea concilium Lateranense V sub Leone Pont. Max. an. 1516. extendit ad omnes ecclesias cathedrales : *Ibid.*, § 8.

Jussitque, ut Ordinarius collator canonicatum seu præbendam theologalem conferre debeat uni magistro, seu licentiato, aut baccalaureo formato in theologia : *Ibid.*

Et si defecerit in lectura hujusmodi, per subtractionem distributionum totius hebdomadæ ad arbitrium capituli puniri possit : *Ibid.*

Laudabilem hanc disciplinam probavit Concilium Tridentinum sess. 5, cap. 1, *de Reform.* : *Ibid.*, § 9.

Decrevitque ut in ecclesiis in quibus præbenda theologalis instituta jam erat, locorum Ordinarii eos qui illam obtinerent ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem et interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per substitutum compelleret : *Ibid.*

In aliis vero ecclesiis in quibus institutio præbendæ prædictæ nondum esset secuta, illam omnino institui mandavit : *Ibid.*

Hanc autem sacræ Scripturæ lectionem fieri præcipitur ab eodem Tridentino in regularium monasteriis, in quibus studia commode vigere possent : *Ibid.*

Post Concilium Tridentinum Episcopi summa diligentia curarunt, ut in eorum ecclesiis cathedralibus et conventualibus theologi præbenda institueretur : *Ibid.*, § 10.

Idem Concilium Tridentinum *cit. loc.* præscribit ut per institutionem lectionis sacræ Scripturæ nequaquam omitterentur aliæ lectiones, quæ vel consuetudine, vel quavis alia ratione institutæ fuissent : *Ibid.*, § 22.

Ac præscribit regula, ut congrua canonico theologo constituatur : *Firm.*, *Un. paræc. et Erect. præb. theol.*, 3 *jul.* 1784, § 13.

Atque vult ut præbenda primo vacans ad theologalem erigatur, et si nulla vel non sufficiens sit præbenda, unione beneficiorum simplicium, vel per contributionem beneficiatorum civitatis provideatur : *Ibid.*

Casu quo urgeat necessitas erigendi pœnitentiariam, aut accedente impossibilitate theologalem instituendi, tributa fuit quandoque a Sede Apostolica Episcopis facultas ut pœnitentiaria, postposita theologali, erigatur : *Cam.*, *Præb. theol. et pœn.* 3 *dec.* 1735, § 5 ; et *Nucer. Pag.*, *Præb. theol.* 8 *febr.* 1738, § 4.

Atque injuncta Episcopis erectione utriusque, congrua canonico theologali assignata, quam S. Concil. Trid. et Const. Bened. XIII ex simplicium beneficiorum unione supplerisancivit, pœnitentiaria præferenda est eo plane modo quo eadem in erectione præferri debet : cit. *Nucer. Pag.*, § 3.

Indoles præbendæ vere theologalis postulat in collatione concursum : *Com.*, *Can. theol.*, 28 *sept.* 1771, § 5.

Ex Tridentino erectio theologalis præbendæ tunc solum injungitur, quando nullum adsit aliud stipendium, seu præstimonium pro doctore, vel theologiæ interprete : *Ibid.*, § 5.

Benedictus XIII, Pont. Max., jussit utramque præbendam tam theologalem quam pœnitentiariam deinceps conferri per formalem concursum, eo plane modo quo parochiales ecclesiæ conferuntur : *S. Min.*, *Vis. SS. LL.*, 14 *mart.* 1733, § 4.

Et collatio aliter facta, irrita ipso jure ac nulla est : *Ibid.*

Servari id minime potest, si præbendæ sint jurispatronatus laicorum, nam legitima patronorum jura tollere æquitati consentaneum non est : *Ibid.*

Idcirco præbenda theologalis est conferenda magis idoneo in formali concursu, ab examinatoribus renunciato, eo plane modo quo parochiales conferuntur : *Alerien.*, *Can. pœn.*, 19 *april.* 1777, § 2 ; *Pin.*, *Theol.*, 25 *april.* 1761, § 2.

Si laurea doctoralis assumatur infra annum a die collationis canonicalis præbendæ, id erit juxta conciliaris sanctionis præceptum : cit. *Aler.*, § 7.

Quum in concursu theologalis eadem servanda sint quæ in parochialis concursu, hinc dignior magisque idoneus est eligendus : *Urb.*, *Præb. theol.*, 23 *jun.* 1764, § 3.

Dignior ac magis idoneus est, non ille quem sola scientia commendat, sed spectandæ sunt aliæ in eligendo qualitates : *Ibid.*, § 4.

De ætate maxima habenda est ratio, de moribus, de prudentia, de existimatione, quam de eo habeat clerus et populus : *Ibid.*

Præbenda theologalis facto concursu conferre debet magis digno ab examinatoribus renunciato : *Sater.*, *Can. pœn.*, 23 *jun.* 1753, § 3.

Ad Episcopum spectat electio dignioris inter plures approbatos in concursu ad præbendam theologalem : *Pin.*, *Can. theol.*, 28 *febr.* 1761, § 2.

Præbenda theologalis conferri semper debet doctori in sacra theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat : *Urban.*, 12 *dec.* 1761, § 3.

Cautum est in jure, ut præferantur illi qui scientia præcedunt, imo statutum expresse est, ut præcipue de moribus aliisque rerum circumstantiis habeatur ratio idque etiam in parochialibus : *Cajet.*, *Præb. theol.*, 14 *jan.* 1764, § 4.

Benedictus XIII, Pont. Max., cit. const. *Pastoralis officii*, inhærens Concilii Tridentini decreto statuit imposterum erigi et conferri debere præbendam theologalem quæ habeat annuum saltem

fructuum 60. scutorum, etiam mediante unione beneficiorum : *Melph., Præb. theol.*, 19 *nov.* 1740, § 1.

Doctor in jure canonico, et theologus non doctor, si non adsit doctor æqualis, obtinere potest præbendam theologalem : *Valen.*, 16 *jan.* 1723, § 5.

Hæc tamen et similia, quæ supponunt capacitatem in doctore juris canonici pro obtinenda præbenda lectorali, non excludunt in dicto doctore examen super sacra Scriptura, nec ei dant facultatem, omissa sacra Scriptura, legendi jus canonicum : *Ibid.*, § 5.

Erectio præbendæ in theologalem sibi vindicat locum, quando in ecclesia non adest ulla præbenda, ullum præstimonium, ullum stipendium deputatum pro lectoribus sacræ Theologiæ : *Urgel.*, 28 *sept.* 1726, § 2.

Ad hoc ut in cathedralibus et collegiatis præbenda primo vacatura pro theologali ipso facto constituta, et deputata intelligatur, oportet, ut requiratur prius declaratio, et actualis deputatio, quod illa præbenda sic vacans sit theologalis, quodque ante hanc actualem deputationem nominari possit persona, quamvis incapax obeundi per se ipsum munus theologale : *Crem., Erect. præb. theol.*, 2 *jul.* 1729, § 9.

Post erectionem præbendæ theologalis, præservatam censetur tam jus conferendi, quam jus nominandi et eligendi, quod prius capitulo, aliisque personis competebat : *Ibid.*, § 10.

S. Congr. declaravit, ut inconcusse, et in omni casu electio personæ spectet ad Episcopum, et scilicet Episcopus eligat personam quæ præsentanda est per patronum vel capitulum habens jus nominandi eidem Episcopo, vel alteri habenti jus instituendi : *Ibid.*, § 11.

At quum ex constitutione secunda impressa post concilium Romanum demandatur, ut præbenda theologalis conferri debeat eo plane modo quo conferuntur parochiales, suboritur quæstio an quemadmodum in parochialibus de jurepatronatus ecclesiastico electio dignioris inter approbatos in concursu spectat ad patronum, quem præsentare tenetur episcopo pro institutione; ita etiam servandum sit hoc quoad jus eligendi in collatione præbendæ theologalis : *Ibid.*, § 11.

Sed notandum est ut ea constitutio solum in litteris parem reddit præbendam theologalem parochialibus quoad modum conferendi per concursum, et quoad jus passivum personæ eligendæ, ut scilicet eligi debeat, qui in formali concursu magis idoneus renunciatus fuerit; prout servatur in parochialibus, nihil autem dicit de jure activo seligendi digniorem : *Ibid.*, § *ult.*

Si terra quædam composita sit ingenti numero sex mille animarum, ac numeroso clero seculari ac regulari, potest inter insignia oppida recenseri et canonicatum in præbendam theologalem erigi : *Casert., Conc.*, 17 *dec.* 1729.

Ad theologalem vero sufficit ut concursus fiat coram Episcopo et quatuor examinatoribus, etiamsi synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis ac deputandis in theologali tamen facultate, licentiatis, et valde peritis, sive secularibus, sive regularibus : *Ibid.*, § 10.

§ IX.

Canonicatus quoad privationem.

Antequam canonicatu quis privari possit, expectandus est lapsus trium annorum, et, transacto tertio anno, trina citatio per edictum est adversus absentem expedienda, et deinde expectari debet per alios sex menses, antequam devenire quis valeat ad privationem : *Rom., Can.*, 5 *dec.* 1818, § *ult.*

Minime destituuntur suis canonicatibus, non servatis pœnarum gradibus substractionis fructuum, licet canonici per tres, imo et plures etiam annos residentiam neglexerint : *Castrim., Priv. can.*, 14 *jun.* 1841, § 4.

At regula hæc a Tridentina sanctione derivata non æque procedit, ubi reditus omnes canonicatus in quotidianis distributionibus consistunt : *Ibid.*, § 5.

Tunc enim, etiam non servatis prædictarum pœnarum gradibus, licet Episcopo ad canonicatus privationem post elapsum triennium, quo canonicus renuit ad residentiam se conferre, prævia legitima ejusdem canonici citatione procedere : *Ibid.*

In privatione canonicatus debet Episcopus servatis servandis causam cognoscere, an sit locus, quia nulla est pœna privationis quæ non incurritur ipso jure, ut accidit in parochialibus, sed post sententiam, causa cognita, latam ab Episcopo : *Senog.*, *Can.*, 23 *nov.* 1854, § 3.

Et hunc ordinem sequi debet Episcopus, adimendo primum vocem activam, inde subtrahendo fructus, demum re ad contumaciam et obstinatam reluctantiam redacta, privando canonicatu : *Ibid.*

At contumax dici nequit canonicus, nisi præcesserit ademptio vocis activæ et substractio fructuum : *Ibid.*

Nam unanimi sacrorum canonum consensione interpretes docent, de omnimoda necessitate judicialis sententiæ, illamque præeuntium admonitionum, ut quis ex juris dispositione privari canonicatu possit : *Rom., Can.*, 9 *sept.* 1786, § 2.

Præsertim si adnexio obligationis ad sacros ordines ascendendi sub pœna privationis canonicatus facta non fuerit ipsismet canonicatibus aut præbendis, sed personis duntaxat canonicorum, quorum unus late ab altero distat pro effectu potissime incurrendarum pœnarum : *Ibid.*

Consentiunt doctores, ut quantacumque sit virtus et efficacia verborum *vacet eo ipso,* nunquam tamen sententiæ necessitas excluditur : *Ibid.*, § 3.

Ex dictis accedentibus clausulis licet necessaria non sit sententia ad pœnam privationis condemnans, utpote quæ a lege ipsa, aut decreto inflicta est, requiritur tamen sententia, super facto contraventionis, sive ut alii dicunt sententia declaratoria : *Ibid.*, § 4.

Amplia : Etiamsi pontifex ulterius progrediendo hanc declaratoriæ sententiæ necessitatem auferat addendo : *absque alia declaratione : Ibid.*

Quia ne tunc quidem sublatum censetur a doctoribus sententiæ declaratoriæ super facto contraventionis præcedentem concursum, sed duntaxat derogatum necessitati sententiæ declaratoriæ super pœnis in quas inciderunt : *Ibid.*

Sententia declaratoria necessaria non est in vacatione in vim, uti dicitur cum clausula præterea *eo ipso,* vel *ipso jure,* vel *ipso facto : Ibid.*, § 10.

Si tribunalia et doctorum placita in oppositam iverint sententiam, ea intelligenda est, cum de dejiciendo agatur a possessione sua actuali canonicatus detentore, non ad eum casum traducenda, in quo de impetrando, aut conferendo eodem canonicatu agatur, cum in ipsa impetrationis et collationis exequutione illa eadem esset contra veterem detentorem de caducitate, in quam lapsus est, disquisitio, quæ ad expellendum possessorem præmittenda fuisset : *Ibid.*, § 11.

Si autem summus Pontifex præcedentis sententiæ exhibitionem haud requisiverit, utique quæstionem juris ipse facto suo definiisse videtur, atque hujus declaratoriæ sententiæ antecedentem concursum uti non necessarium exclusisse : *Ibid.*, § 12.

Monendus est canonicus, utcumque absens sine licentia, antequam deveniatur ad privationem fructuum sui canonicatus : *Rom., Fruct.*, 15 *april.* 1780, § 6.

Canonicus juxta Concilium Tridentinum negligens per triennium residentiam privari potest canonicatu : *Spir., Can.*, 23 *mart.* 1765, § 5.

In privatione canonicatus, in omnibus et integre, forma a Concilio præscripta sess. 24 cap. *de Ref.* servanda est : *Ibid.*, § 8.

In canonicum per triennium negligentem potest procedi ad privationem canonicatus, omissis pœnarum gradibus : *Spir., Can.* 18 *aug.* 1764, § 6.

Hoc idem statutum est de notoria lascivia : *Ibid.*

Canonicatus, qui vix congruæ conservationi sufficiunt canonicorum, iis privari nequeunt : *Leod., Pror. Ind.*, 19 *jan.* 1765, § 5.

Quum obstet de obfirmata canonici repugnantia erga sacrum ordinem, locus est privationi canonicatus : *Senog., Can.*, 23 *nov.* 1754, § 3.

§ X.

Canonicatus quoad reductionem.

Quum canonicatus possessor nequit se congrue sustentare, et id redundat in aliorum canonicorum dedecus, opus est eumdem canonicatum ad simplex beneficium rducere ; *Pisa., Can.*, 14 *april.* 1736, § 5.

§ XI.

Canonicatus quoad reservationem.

Pacifica hodie in tribunalibus recepta esse videtur opinio, ut in limine fundationis admitti possit exclusio cujuscumque reservationis canonicatuum : *Taur.*, 14 *mart.* 1721, § 2.

Fundator in limine fundationis post Concilium Tridentinum non potest alteri reservare institutionem, quam Episcopo, vel alteri habenti jurisdictionem ordinariam : *Ibid.*, § 3.

§ XII.

Canonicatus quoad statum, et qualitatem.

Canonicatus qualitates immutare nequit exequutor fundationis : *Senog., Can.* 11 *maii* 1793, § 7.

Nisi concurrat dotis incrementum, et consensus Episcopi ac patronorum : *Ibid.*

Probata primæva canonicatus natura, hæc non potest non approbante Pontifice immutari : *Embr., Jur. can.*, 19 *jan.* 1765, § 20.

Nam mutatio ad Ecclesiam ipsam pertinet et Sedis ipsius Apostolicæ interest, ne Ecclesiarum status immutentur, nisi re cognita, et summo Pontifice comprobante : *Ibid.*, § 21.

Ex verosimile fundatoris canonicatus mente derogatur sacerdotali qualitati : *Null. Guas., Can.* 31 *maii* 1794, § 5.

Et expresse derogatur, nisi concurrat vel necessitas, vel utilitas ecclesiæ, vel maxima personæ prærogativa : *Ibid.*, § 6.

Monstruosum tamen est nominare puerulum inter canonicos ecclesiæ cathedralis : *Ibid.*

Atque exempla suspensionis et administrationis

pro pauperibus pueris consanguineis, simplicia respiciunt beneficia : *Ibid.*, *et* § 7.

§ XIII.

Canonicatus quoad suppressionem.

Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 15, *de Reform.* expresse prohibet, ne fiant in capitulo absque ejus consensu suppressiones : *Firm.*, *Erect.* 18 *aug.* 1787, § 13.

Quod si dissentit capitulum, non sine ratione, quia quo major est canonicorum numerus, eo levius est singulorum servitium : *Ibid.*

Potissimum, quia jus ad integrum canonicorum numerum quæsivit ex contractu, auctoritate Apostolica confirmato, qui absque ejus consensu dissolvi nequit : *Ibid.*

In dubium non revocatur jus Episcopi in supprimendis præbendis canonicorum, accedente consensu capituli : *Cæsen.*, *Suppres. can.*, 11 *sept.* 1728, § 5.

§ XIV.

Canonicatus quoad vacationem.

Pati non debet canonicatus diuturnam vacationem : *Null. Guas.*, *Can.* 31 *maii* 1794, § 6 ; *Mediol.*, *Can.* 31 *maii* 1794, § 5.

Diuturna vacatio canonicatus adversatur dispositioni juris : *Senog.*, *Fabr. eccl.*, 20 *febr.* 1796, § 8.

Canonici.

§ I.

Canonici in genere.

Essentia canoniæ consistit in stallo, in choro, in voce in capitulo, et in jure fruendi præbenda ac quotidianis distributionibus : *Calar.*, 24 *jan.* 1767, § 5.

Qui hæc omnia habet, verus est canonicus : *Ibid.*

Canonicus decentem debet habere suam manutentionem : *Novar.*, *Red. Miss.*, 28 *nov.* 1795, § 5.

Præ omnibus consulendum est decenti canonicorum exhibitioni : *Nul. Ter. Pont.*, *Can. et Subs. dot.*, 12 *mart.* 1776, § 8.

Juxta circumstantias constituendæ sunt præbendæ temporis, loci et personæ : *Ibid.*

Canonicus in canonicorum absolute numerum adlectus et acceptus non videtur a ceteris capitularibus congregationibus excludi debere, ad quas eo ipso quod canonicus sit, accedere jure debet : *Rom.*, 9 *jul.* 1785, § 3.

Provisus de canonicatu, verus est canonicus ante impletam formam capitularis statuti : *Brix.*, *Can.*, 18 *sept.* 1790, § 10.

Canonia enim quæ per provisionem acquiritur, distincta est a perceptione fructuum quæ ad implementum statuti suspenditur : *Ibid.*

Duo distincte considerantur in præbenda : jus nempe et perceptio fructuum ; et unum sine altero ad omnes juris effectus consistit : *Ibid.*

§ II.

Canonici quoad curam animarum.

Prohibitum est Episcopo curæ animarum onus, quod neque in canonicatuum erectione, neque in eorum collatione adjectum legitur, canonicis imponere : *Viterbien.*, 28 *sept.*, 1737, § 3.

Jure recentiori cautum est, ut qui una cum canonicatu parochialem obtinet ecclesiam, residere teneatur in parochiali : *Fulden.*, 21 *novemb.* 1767, § 9.

Canonici a capitulo quotannis electi pro exercenda animarum cura, egent Episcopi approbatione : *Cingulana*, *Cur. anim.*, 19 *jul.* 1732, § 7.

At canonici instituti in canonicatibus habitualem curam habentibus, non indigent approbatione Episcopi, et parochi venia, ad excipiendas parochiæ incolarum confessiones : *Urbev.*, 30 *aug.*, 1788, § 5.

Canonicus, cujus canonicatus provisio facta sine ulla approbatione ad curam animarum ac prævio examine speciali, qui in beneficiis curatis requiritur, non habet onus animarum curæ : *Civit. Castel.*, 25 *sept.* 1762, § 8.

Canonici coadjutores, licet non hebdomadarii, saltem accessorie ut in subsidium præpositi et canonici hebdomadarii legitime impediti, tenentur curæ onera subire, ne animæ pereant, sed salventur : *Ripan.*, 17 *jun.* 1755, § 11.

Curam animarum habitualem habentes canonici nequeunt se immiscere in illius exercitio : *Faven.*, *Coadj.*, 22 *jan.* 1764, § 6.

Curam animarum dum exercent canonici, quæ suæ præbendæ vel capitulo imminet, lucrantur in absentia distributiones : *Ibid.*

Ita canonicus, cui animarum cura incumbit, habetur tanquam choro præsens, dum sacramentales excipit confessiones : *Laur.*, *Jub.*, 11 *juin* 1774, § 3.

Æquitas et justitia exigit ut ipsius ecclesiæ canonici, qui parochi juribus et emolumentis utuntur, in laboribus et oneribus parocho opem ferant, cum eoque laborum et onerum suam partem habeant : *Urbev.*, 10 *maii* 1766, § 9.

Canonici qui eliguntur sine examine, concursu, et nulla in litteris de cura animarum facta est mentio, et ad audiendas confessiones peculari indigent approbatione, et nunquam, vacante parochia, curam gerunt, nec viventem parochum adjuvant, omnem excludunt curæ animarum obligationem : *Ibid.*, § 10.

Imo si e contra parocho tota cura tribuatur, et non admittatur sine concursu et examine, et eo impedito œconomus deputetur, aperte libertas canonicorum ostenditur : *Ibid.*, § 11.

Etsi canonici administrent baptismum, et elevent cadavera, et habeant partem de quarta funebri, tamen hæc oriri ex privilegio, consuetudine, et præscriptione possunt : *Ibid.*, § 14.

Canonicis quando in casu necessitatis tenentur adjuvare parochum, congrua pro incommodo merces constitui debet : *Ibid.*, § 16.

Canonici qui curam animarum exercent debent Missam conventualem celebrare et applicare pro benefactoribus in genere, et pro Missis parochialibus alterum substituere : *Fesul.*, *Miss. par.*, 16 *jun.* 1770, § 9.

Exercitium curæ animarum, cui addicti sunt canonici tanquam coadjutores ecclesiarum parochialium, non est intermittendum pro assistentia præstanda archipresbytero : *Bojan.*, *Præem.*, 19 *april.* 1760, § 3.

Canonicus curam animarum exercens in eadem ecclesia, tanquam in choro præsens habendus est, dum fidelium excipit confessiones, et sacramenta cætera parœciæ incolis administret : *Laur.*, *Jub.*, 11 *jun.* 1774, § 9.

Adigi non potest canonicus ad suscipiendum onus curæ animarum, præsertim ubi nullum ei augetur emolumentum : *Viterb.*, 28 *sept.* 1737, § 3.

Et licet habitualis resideat penes capitulum, canonicus curatus qui in titulum perpetuum curam animarum per concursum independenter a capitulo assequitur, debet quoties aliquo morbo vexatus, aut legitimo detentus impedimento, alii presbytero per Episcopum approbando dictam curam delegare : *Ibid.*, § 3.

Atque constans jam obtinuit consuetudo ut vacante præbenda canonicali, aut ægrotante, sive alias impedito canonico curato, alter sacerdos extra gremium capituli, nunquam vero canonicus, fuerit in œconomum sive coadjutorem deputatus : *Ibid.*

Non licet canonicis extra ecclesiam cathedralem exercere curam parochialem, quæ neque actualiter, neque habitualiter spectat ad capitulum ; cum titulus beneficii curati sit incompatibilis cum canonicatu : *Venusina*, 4 *decemb.*, 1762, § 6.

Multoque minus illis licet distributiones quotidianas percipere, et de massa participare, cum distributiones debeantur quidem canonico qui in cathedrali, vel etiam extra exercet curam adnexam suæ præbendæ : *Ibid.*

Non autem si curam animarum habeat, et exerceat ex dispensatione in aliis ecclesiis : *Ibid.*

Canonicus, exercendo munus confessarii canonicatui non adnexum, non lucratur in absentia quotidianas distributiones : *Ibid.*

Et reliquæ duæ partes ad omnes effectus cedunt loco præbendæ : *Ibid.*

Canonicus curatus nequit eodem die festo utrumque præceptum per se ipsum explere, applicandi nempe generatim pro benefactoribus suæ cathedralis ecclesiæ, vel collegiatæ, et celebrandi pro populo : *Nul. Feren.*, *Visit. SS. LL.*, *april.* 1781, § 6.

§ III.

Canonici quoad fructus, distributiones, et emolumenta.

Distributiones inductæ sunt, ut promptius canonici divinis officiis intersint : *Fulg.*, *Red.*, 24 *mart.* 1792, § 6.

Ubi nullæ, vel tenues sunt distributiones, tertia in eas converti debet præbendarum pars, aut etiam simplicia beneficia, vel alter ex canonicatibus, dummodo ad divinum cultum augendum sint relicti : *Ibid.*

Nomine distributionum intelliguntur tantummodo emolumenta quæ tanquam fructus canonicatus dietim lucratur canonicus ratione servitii et laboris : *Reat.*, *Jub.*, 28 *april.* 1770, § 9.

Non autem comprehenduntur punctaturæ et anniversariorum emolumenta : *Ibid.*

Et ratio est, quia punctaturæ non sunt fructus canonicatus, sed tanquam præmium intervenientibus debentur ; anniversaria sunt pia legata a titulo et præbenda canonicali sejuncta : *Ibid.*

Distributiones quotidianæ sunt stipendia personalia, quæ canonici divinis officiis intervenientes lucrari debent : *Sabin.*, *Part.*, 13 *jul.* 1771, § 10.

In illis ecclesiis in quibus vel nullæ vel adeo tenues sunt distributiones, ut verosimiliter negligantur, ita ut non sint sufficientes constitutæ distributiones, tertiam hanc fructuum partem in eam causam erogandam detrahi posse : *Ibid.*, § 12.

Idque etiam eruitur ex declaratione S. Congr. Concilii : *Ibid.*, § 13.

Distributiones quotidianæ quæ ex communibus massæ capitularis reditibus aut ex tertia parte cujuslibet præbendæ ita constitutæ sunt ut canonicis choro et ecclesiæ inservientibus tradantur, quæve ordinariæ nuncupari soleant, regulariter accrescunt iis qui divinis intersunt, si ab aliis qui a servitio chori absunt amittantur : *Alex.*, *Distr.*, 30 *jul.* 1735, § 4.

Secus vero beneficio ecclesiæ cedere, eique ab Episcopo applicandæ sunt distributiones illæ extraordinariæ quæ non ex reditibus communibus, sed ex propriis dignitatum, personatuum, vel officiorum, atque a mensa capitulari distinctis proventibus detractæ fuerunt ad præscriptum S. Concilii Tridentini sess. 22, cap. 3, *de Refor.* : *Ibid.*

In ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones vel tenues, tertia pars fructuum et quorumcumque proventuum separari debet, et in distributiones quotidianas converti : *Zamor.*, *Un.*, 29 *mart.* 1738, § 3 ; et *Leod.*, *Distr.*, 5 *julii* 1738, § 3.

Et si præbendæ adeo sint tenues, et una cum distributionibus non sufficiant ad decentem canonicorum conservationem, uniuntur iisdem aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia : *Ibid.* et *cit. Leod.*

Distributiones ii quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat a choro, lucrantur : *Acern.*, *Distr. quot. et Jub.*, 10 *maii* 1738, § 2.

Distributiones quotidianæ, in quibus canonicorum præbendæ consistunt, sub nomine veniunt fructuum : *Reat.*, *Med. an.*, 16 *maii* 1789, § 7.

Æquum est ut canonici tantum efformantes capitulum sentiant commodum illud quod eidem capitulo accrescit, qui enim damnum experitur, ad lucrum admittatur, ex æquo necesse est : *Gad.*, 21 *nov.* 1767, § 5.

Canonici qui tenues habent fructus dimittere non debent tertiam illorum partem in distributiones quotidianas : *Civit. Cast.*, *Punct.*, 16 *maii* 1795, § 11.

Fructus percipiuntur a canonicis noviter receptis etiam a primo anno sui ingressus, non obstante quacumque contraria immemorabili consuetudine, quæ tamen sublata fuit a S. Concilio Tridentino, et a Pio V. Pont. Max. : *Math.*, *Part.*, 9 *jul.* 1735, § 3.

Ad componenda et comprimenda dissidia inter canonicos seniores, et juniores, in unam massam, atque acervum fructus omnes colligi debent, ut inde æque fiat inter eosdem distributio per sortem ; *Ver. Port.*, *Can. et Elec. cell.*, 11 *jan.* 1744, § 2.

Canonicus injuste a capitulo impeditus servire ecclesiæ, consequitur nihilominus distributiones et fructus suæ præbendæ : *Rom.*, *Jur. nom.*, *et Accep. puel.*, 4 *dec.* 1762, § 2.

Alexander III Pont. Max. voluit, ut canonici Episcopo inservientes nihil amittant, nisi forte sint victualia quæ non consueverunt absentibus exhiberi : *Leod.*, 24 *aug.* 1765, § 22.

Honorius III. Pont. Max. item statuit, ut canonici in Episcopi servitio existentes, integros fructus percipere ac præsentes dici debeant : *Ibid.*

Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 12, *de Reform.* loquens de residentia canonicorum, nullum de canonicis inservientibus Episcopo sermonem habet : *Ibid.*, § 23.

Canonici absentes ratione servitii Episcopo præstandi, solos fructus acquirunt, non autem distributiones : *Venus.*, 4 *dec.* 1762, § 4.

Et emolumenta anniversariorum et funerum quæ distributiones sunt minutæ, solis præsentibus sunt debitæ : *Ibid.*, § 5.

Imo sunt potius stipendium personalis interventus : *Ibid.*

Nam nulla consuetudine induci potest, ut canonici etiam suæ ecclesiæ utilitatem prosequentes valeant in absentia distributiones percipere : *Venus.*, 25 *jun.* 1763, § 2.

Etiamsi munere fungantur vicarii Episcopi : *Ibid.*

Sed absentes ex justa causa evidentis utilitatis ecclesiæ, distributiones jure percipiunt : *Ibid.*

Et inservientes Episcopo, ecclesiæ inservire censentur : *Ibid.*

Atque improbata non est consuetudo, ut inservientes Episcopo, exceptis emolumentis comitatus cadaverum, distributiones consequantur : *Ibid.*

Canonici a choro absentes, ut sui Episcopi servitio vacent, admittuntur ad portionem fructuum, sed non ad communicationem distributionum : *Monast.*, 15 *maii* 1723, § 5.

Canonici vero absentes et missi ab Episcopo ad visitanda limina Apostolorum, admittuntur ad partitionem tam fructuum, quam distributionum : *Ibid.* § 6.

Canonicis absentibus aut assistant liti suos canonicatus respicienti, nonnulli censent deberi fructus et distributiones : *Ibid.*, § 7.

Aliquando facta est distinctio inter negotium, quod commode per procuratorem tractare potest, et negotium, quod personalem requirit assistentiam canonici ; ita ut in secundo casu debeantur distributiones, non in primo : relicta Ordinario facultate judicandi an lis requirat vel non requirat personalem præsentiam : *Ibid.*, § *ult.*

Et aliquando habita fuit distinctio inter litem

super titulo beneficii, et litem super præteritis distributionibus, denegando in hoc secundo casu admissionem ad distributiones pro tempore absentiæ : *Ibid.*

Canonicus absens pro servitio capituli tam fructus quam distributiones lucratus est : *Com.*, 30 *sept.* 1724, § 3.

In cap. *Quum non decent*, de Elect. in 6, pro canonico absente denegantur distributiones; sed textus iste procedit in eorum statu, in quo juxta Ecclesiæ consuetudinem canonici absentes, et Ecclesiæ, et capitulo inserviant, non admittuntur ad distributiones, et locum sibi vindicat, cessante prædicta particulari consuetudine : *Ibid.*

Licet canonicus abfuerit a residentia ut liti sibi motæ invigilet, quotidianas distributiones acquirit : *Imol.*, *Distr.*, 28 *jan.* 1736, § 5.

Tamen id procedit duplici accedente conditione : primo ut lis mota fuerit super juribus canonicatus, ita ut illius defensio in utilitatem Ecclesiæ, de cujus agitur residentia, vel ex natura rei, vel ex persona propria canonici cessura sit : *Ibid.*

Secundo, ut canonicus ex præmissa causa absens licentiam ab Episcopo obtinuerit : *Ibid.*

Canonico, qui abfuit pro tuenda lite capituli, a quo constitutus fuerat procurator, dandæ sunt distributiones : *Adjac.*, *Distr.*, 24 *jul.* 1762, § 4.

Etiam quando speciale indultum absentandi cum clausura amissionis distributionum apponi solita a S. Congr. Concilii obtinuisset : *Ibid.*

Ut consuetudo faveat canonico exercenti munus vicarii Episcopi ad lucrandas distributiones, oportet, ut non assumatur præter duos a jure permissos : *Venus*, 25 *jun.* 1763, § 2.

Juxta sanctiones juris canonici, et laudabilem stylum S. Congr. Concilii canonicus a choro absens ratione muneris sibi commissi quotidianas distributiones non lucratur, ubi pro dicto munere aliquod percipit stipendium, quemadmodum de canonico munus vicarii generalis Episcopi obeunte : *Raven.*, *Distr. quot.*, 1 *aug.* 1739, § 5.

Canonicis qui Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire debent, competunt quotidianæ distributiones, dum id officii præstant erga Episcopum, sive in templo cathedrali, sive in aliis civitatis locis, ejusve suburbiis : *Bossa.*, *Visit. SS. LL.*, 6 *febr.* 1734, § 2.

Quanquam si ex diverso assistere canonici velint Episcopo rem sacram privatim facienti, cum ad id minime teneantur, seclusa consuetudine, distributiones eo tempore amittant : *Ibid.*

Si fundatorum mens veram postulet præsentiam ad percipienda anniversariorum emolumenta, minime competit eorum participatio canonicis, qui justo etiam titulo absint, vel pontificium indultum ad percipienda canonicalia emolumenta impetraverint, etiamsi divinis officiis non intersint : *Ibid.*, § 4.

Distributiones quotidianæ ex rescripto Bonifacii VIII Pont. Max., tradendæ sunt iis tantum qui divinis officiis adfuerint, exceptis illis quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret : *Ibid.*, § 12.

Qui aliter receperint, ad omnium restitutionem tenentur; item sancitum est de distributionibus pro defunctorum anniversariis largiendis : *Ibid.*

Et regula constituta de quotidianis distributionibus non percipiendis nisi ab iis, qui divinis officiis intersunt, militat etiam quoad emolumenta anniversariorum : *Ibid.*

Et limitatio quoad eos, *quos infirmitas seu justa, et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*, locum vindicare potest, ubi non refragatur mens testatorum, qui solum vere præsentibus emolumenta ab eis relicta assignari voluerint : *Ibid.*

Cæterum Sanchez putat non per hoc solum quod testator dixerit eleemosynas dividendas esse inter eos duntaxat, qui anniversario officio interfuerint, exclusos a participatione censeri eos quos juris dispositio pro præsentibus et intervenientibus habet : *Ibid.*

Sufficiens debet esse reditus canonicatus, pro commoda conservatione canonicorum ne vitam ipsi cogerentur ducere inter augustias : *Fan.*, *Erect. can.*, 22 *mart.* 1760, § 7.

Canonicus ex sanctione Tridentina, ut lucretur distributiones, tenetur ad integrum, assiduumque chori servitium præstandum : *Asten.*, *Visit. SS. LL.*, 10 *febr.* 1781, § 4.

Necnon ad celebrationem Missæ conventualis : *Ibid.*

Canonici ad lucrandos fructus, et distributiones residere debent, et divinis interesse : *Spol.*, *Serv. chor.*, 28 *febr.* 1795, § 7.

Ideoque quotidianas amittunt distributiones, qui non resident et non intersunt choro : *Ibid.*

Ecclesiastici juris disciplina postulat, ut canonicus a capitulo vel ab alio injuste impeditus, ne cum aliis choro intersit, suoque muneri satisfaciat, quotidianas distributiones quas alias præsentia sua percepisset, lucretur : *Incol.*, *Distr.*, 28 *jan.* 1736, § 3.

Amittit distributiones toto eo tempore quo, nullo sibi justo titulo suffragante, servitium Ecclesiæ canonicus neglexit : *Ibid.*, § 4.

Distributiones quotidianas canonici, qui ob conservationem salutis, aut recreationis causa absunt, percipere non debent : *Ploc.*, *Serv. chor.*, 19 *febr.* 1791, § 8.

Est juris dispositio, quod per incrementum distributionum divinus augetur cultus, quem facile canonici ob tenues prœbendas negligerent : *Bonon., Com. volun.*, 21 *jun.* 1794, § 5.

Canonicus absens ex causa utilitatis religionis, et Ecclesiæ etiam universalis, non autem propriæ Ecclesiæ commodum respiciente, quotidianas distributiones de jure non lucratur : *Colon., Ind.*, 1 *aug.* 1739, § 3.

Canonici alta voce non psallentes, distributiones quotidianas non lucrantur, non obstante quavis consuetudine : *Salern., Edict.*, 27 *sept.* 1723, § 20.

Canonici non residentes ac divinis officiis non intervenientes, fructus non faciunt suos : *Senogal.*, 5 *april.* 1794, § 7.

Eis vero ob bonam fidem condonari solent fructus male percepti : *Ibid.*

Amissæ distributiones accrescunt canonicis in choro præsentibus, et reddi debent perceptæ : *Ibid.*, § 8.

Ille privari non potest quotidianis distributionibus, quæ ex constanti consuetudine tribuuntur canonicis, aliquibus dumtaxat horis intervenientibus, licet in reliquis absint : *Terrac.*, 28 *april.* 1770, § 11.

Et canonico organum pulsanti, quamvis a choro absenti, distributiones non sunt denegandæ, cum ceteros præsertim omnes in musicis artibus antecellat : *Ibid.*

Concilium Tridentinum a distributionibus quotidianis non repellit canonicos, quos aut infirmitas prohibet, aut justa et rationabilis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas impedit, quominus choro interesse valeant : *Ibid.*, § 13.

Canonici cathedralium, qui fidei profesionem non emittunt, vel non debito modo, fructus non faciunt suos, sed percipiunt distributiones quotidianas : *Cathac.*, 26 *jan.* 1726.

Canonicus, quem Episcopus sibi assumit, habetur pro præsente, et residente, ac lucratur fructus præbendæ : cit. *Leod.*, 24 *aug.* 1765, § 13.

Et hæc regula habet locum, etiamsi capitulum dissentiat; ac etsi ipsius capituli de residendo peculiares leges, ac constitutiones adsint etiam auctoritate apostolica ac jurejurando canonicorum firmatæ, quæ contrarium probant; sive agatur de cathedrali, sive de collegiata ecclesia : *Ibid.*, § 14.

Distributiones quotidianas percipit canonicus, dum exercet curam animarum, adnexam suæ præbendæ : *Venus*, 4 *dec.* 1762, § 6.

Secus, si illam exercet in parochiali ecclesia, obtenta ex dispensatione : *Ibid.*

Neque distributiones percipit canonicus, dum exercet munus confessarii non adnexum suæ præbendæ : *Ibid.*

Ubi autem omnes fructus consistunt in distributionibus, duæ tertiæ cedunt loco præbendæ : *Ibid.*

Inservientes Episcopo consequuntur in absentia fructus præbendarum, non autem quotidianas distributiones : *Ibid.*, § 4.

Canonicus qui ex dispensatione apostolica retinet ecclesiam parochialem cum cononicatu vel dignitate in alia ecclesia, fructus omnes canonicatus percipere potest, dum residet apud parochialem, non autem distributiones quotidianas et alia quæ percipi non solent ab absentibus ex justa causa : *Aquil.*, 2 *jun.* 1731, § 7.

Canonicales fructus amissi a canonico, eidem condonari nequeunt absque consensu reliquorum ex capitulo : *Rom., Fruct.*, 15 *april.* 1780, § 10.

Canonici qui in suis ecclesiis non resident, divinisque officiis non intersunt, arcentur a percipiendis fructibus et quotidianis distributionibus : *Ibid.*, § 4.

Condonantur autem, si absentia evenerit sine malitia : *Ibid.*, § 7.

Excipiuntur vero illi quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat a servitio ecclesiæ et chori : *Ibid.*

Qui in hoc casu nullo indigent indulto : *Ibid.*, § 6.

Maxime, si pro istis coadjutor existat, qui residet et incumbit chori ac ecclesiæ servitio : *Ibid.*, § 5.

Emolumenta anniversariorum debentur canonico jubilato in hypothesi in qua non fuerat a testatoribus apposita conditio, ut tantum inter præsentes dividantur : et in hypothesi in qua immemorabilis fuerat introducta consuetudo, ut participantes de distributionibus participarent etiam de anniversariis : *Aquipen., Ind.*, 18 *mar.* 1719, § 3.

Limita in casu in quo concessum est consuetum jubilationis indultum cum facultate percipiendi omnes fructus, una cum distributionibus quotidianis, perinde ac si jubilatus choro interesset; etenim jubilatus admittendus non est ad participandum de emolumentis anniversariorum, non obstante quod anniversaria videantur æquiparari distributionibus : *Ibid.*, § 4.

Ad consulendum præbendarum tenuitati, statuit Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 15, *de Reform.*, ut in illis ecclesiis in quibus præbendæ et distributionnes quotidianæ adeo tenues sunt, ut habita ratione loci et personarum canonicorum conservationi non sufficerent, Episcopus cum consensu capituli aliquot beneficia simplicia unire possit : *Nucer., Reduct.*, 13 *mart.* 1784, § 4.

Vel si hoc modo provideri non posset, præbendæ ad pauciorem numerum redigantur ; ita ut tot supersint quot dignitati ecclesiæ et divino cultui

sufficiant, ac quæ suppressæ forent reliquis applicarentur : *Ibid.*

Quum testator in fundatione canonicatus mandavit fundasse præbendam, ut habeat fructus æquales alterius canonicatus determinati ; est locus regulæ de distributionibus non recensendis inter canonicatuum fructus : *Tolent.*, 7 *maii* 1785, § 5.

Et ratio est, quia est materia favorabilis pro canonico : *Ibid.*

Canonico absenti a choro propter morbum et habenti indultum percipiendi omnes et singulos fructus ac distributiones perinde ac si actu interesset, debentur etiam fallentiæ aliorum non intervenientium : *Rom.*, *Distr.*, 3 *dec.* 1729, § *ult.*

Id etiam ipsum decisum generaliter est, quoad alios ex legitima causa impeditos a choro : *Ibid.*

Canonicus infirmus inservire intelligitur et omnia percipere debet ac si sanus esset, cum satis affligatur ipse infirmitate : *Rip.*, *Ind.*, 8 *febr.* 1783, § 6.

Limitatur. In jure ac in praxi æque receptum est, canonicis infirmis sive coadjutorem habentibus, sive illo destitutis, quotidianas distributiones minime deberi, quoties ipsi, dum bona valetudine fruerentur, divinis officiis interesse neglexerunt : *Ovet.*, *Coad. et Distr.*, 16 *jan.* 1740, § 2.

Ideo canonici absentes causa infirmitatis lucrantur distributiones quotidianas : *Anag.*, *Distr.*, 28 *febr.* 1795, § 9.

Nisi abesse etiam consueverint sani : *Ibid.*, § 5.

Canonici privari debent dimidia parte fructuum si, moniti, abfuerint primo anno ; fructibus omnibus, si abfuerint secundo : *Ibid.*, § 8.

Certum est canonicos infirmos nullo potiri jure lucrandi distributiones quotidianas, si antea consueverint divinis officiis abesse : *Colon.*, *Ind.*, 24 *maii* 1734, § 6.

Canonico infirmo absenti debentur non solum fructus, sed etiam distributiones quotidianæ, *dummodo* tamen *infirmitas sit principalis causa non serviendi : S. Agath. Goth.*, *Exemp.*, 13 *febr.* 1773, § 5.

Et a perceptione distributionum arceri non debet infirmus, si ad balnea accedat, aut e civitate exeat, ut salubriori aere fruatur : *Ibid.*

Et ratio est, quia hæc conferunt ad valitudinem recuperandam atque ad sublevandum ægrotum ab iis quibus affligitur infirmitatibus : *Ibid.*

Canonicus infirmus sedulo assidueque ante infirmitatem choro inserviens, divinisque officiis interesse assuetus, si de præsenti ægritudine constat, non fructus tantum, sed etiam distributiones quotidianas, ac si præsens sit, lucri facere potest : *Tran.*, *Distr.*, 12 *sept.* 1750, § 2.

Et ad easdem distributiones lucrandas necesse non est ut causa morbi gravissima sit, sed satis est ut abesse choro possit etiam ex levi morbo, cujus incrementum timeatur : *Ibid.*, § 3.

Eoque amplius, si res sit de vitio morbove interno, qui sensibus aliorum non subest, quique incrementum accipere potest ex chori frequentatione, ex cantu, ex hominum strepitu, ex aeris calore : *Ibid.*

Duo canonici inservientes Episcopo, absentes causa studiorum, atque alii privilegiati, quoties integri fructus in solis distributionibus consistunt, amittunt tertiam illarum partem, et reliquas duas lucrantur : *Recan.*, *Serv. chor.*, 8 *jul.* 1786, § 6.

Per gratiam a canonicis obtentam, permittitur canonicis studiorum causa absentibus percipere vel fructus duntaxat præbendæ, vel, si isti nulli sint aut admodum tenues, duas solum partes distributionum, tertia tamen amissa, quæ inservientibus accrescit : *Arian.*, *Distr.*, 18 *aug.* 1731, § 5.

Eos qui in cathedralibus ecclesiis obtinent dignitates, personatus officia, vel præbendas, quibus certi ordines annexi sunt, nisi ad hujusmodi ordines intra annum promoveantur, capitulari voce et dimidia distributionum parte carere debere : *Reat.*, 2 *jun.* 1731, § 13.

Dimidiæ partis distributionis amissio inflicta canonico non promoto intra annum ad sacrum ordinem annexum præbendæ, non subsistit accedente legitimo impedimento ætatis, aut alia justa causa : *Rom.*, *Fruct. can.*, 22 *julii* 1741, § 6.

Et est quæstio an distributiones et fructus lucretur canonicus dispensatus super defectu ætatis, ut obtineat canonicatum habentem adjunctum ordinem sacrum, quamvis statutum Ecclesiæ contrarium a lege decernat : *Ibid.*, § 7.

Canonicus qui intra tempus a jure statutum sacris ordinibus insigniri non curavit, licet officiis divinis interfuerit, medietatem quotidianorum distributionum amittit : *Tiras.*, *Ord.*, 30 *maii* 1778, § 13.

Integras tamen consequitur, si non ex sua segnitie aut crimine, sed alia de causa, promotus non fuerit : *Ibid.*

Magis si contestationem emiserit coram capitulo de eisdem distributionibus non amittendis, tunc ipsas enim obtinet : *Ibid.*

At reliqui canonici excusari nequeunt a restitutione earum quas perceperunt injuste : *Ibid.*

S. Concilium Tridentinum statuit, non emittentem fidei professionem non facere fructus suos ; sed non decernit cui sint applicandi : *Tolet.*, 17 *april.* 1728, § 10.

Gregorius XIII Pont. Max. fructus male perceptos ob non factam fidei professionem semper condonavit, quando abfuerat malitia : *Ibid.*, § 9.

Et S. etiam Congr. hos fructus sæpe condonavit facta aliqua eleemosyna : *Ibid.*

Canonicus divinis non interveniens non lucratur distributiones, licet sit inquisitor adversus hæreticam pravitatem : *Compost.*, 17 *jan.* 1728.

Secus autem est si ex Apostolico privilegio indultum sit canonicis inquisitoribus ut fructus et distributiones lucrentur etiam in absentia : *Ibid.*

Amplia : Quod tam ipsi, quam secretarii, fiscales, relatores, et commissarii deputati ad causas S. Officii, in absentia lucrentur fructus, reditus, proventus, et quotidianas distributiones suorum beneficiorum in sequelam privilegiorum apostolicorum, quæ de quinquennio in quinquennium prorogantur : *Ibid.*

Canonicus qui in carceribus detentus est nequit reditus canonicatus percipere qui in solis distributionibus quotidianis consistunt, sed inter capitulares sunt distribuendi : *Anag., Distr. quot.*, 29 *febr.* 1744, § 2.

Canonicus qui, principis jussu, sed cui ipse causam dedit, in carcerem conjectus est, nequit principis factum pro legitima affectionis causa capitulo ad obtinendas opponere, sed tanquam ex propria culpa absens a capitulo distributiones quotidianas amittit : *Ibid.*, § 4.

Justa est absentiæ causa pro percipiendis etiam quotidianis distributionibus, si quis fuerit injuste expulsus a civitate, ad quam idcirco redire sine periculo non possit : vel si quis absque sua culpa adversarium habeat gravem, et infensum, vel principem, vel alium potentem virum in eodem loco : *Caput.*, 18 *aug*, 1731, § 6.

Hinc canonicus a residentia suæ ecclesiæ absens, vel ob inimicitias adversus eum ibi exortas, aut ob principis indignationem, vel propter aliam injustam molestiam, lucratur fructus omnes sui canonicatus necnon quotidianas distributiones, una cum ceteris emolumentis, dummodo antea chori et ecclesiæ servitio incumbere consueverit : *Major.*, *Distr.*, 14 *april.* 1736, § 3.

Canonicus absens a residentia suæ ecclesiæ, quam adire timet ob inimicitias adversus eum ibi excitatas, lucratur fructus omnes et quæcumque emolumenta quæ canonicis chori et ecclesiæ servitio incumbentibus præstantur : *Fund., Distr. et Fruct.*, 3 *jul.* 1734, § 4.

Si canonicus culpabilem causam præbuerit inimicitiis ob quas abest a residentia, factus est indignus percipiendi distributiones quotidianas, necnon cetera sui canonicatus emolumenta : *Ibid.*, § 6.

Inspiciendum est, an capitulum contendens privare distributionibus quotidianis canonicum absentem ob inimicitias, teneatur concludenter probare easdem inimicitias ex culpa canonici insurrexisse : *Ibid*, § 7.

Canonici ex causa infirmitatis vel ex alia legitima causa absentes lucrantur distributiones quotidianas tam ordinarias quam extraordinarias et alia quæcumque emolumenta ex anniversariorum celebratione provenientia, dummodo aliter dispositum non fuerit a testatoribus : *Ibid.*, § 8.

Nonnullæ sunt legitimæ causæ, inter quas urgens necessitas, ex quibus legitime abesse potest canonicus a sua ecclesia, et nihilominus tanquam præsens considerari lucrarique debet tam ordinarias quam extraordinarias distributiones : *Nar.*, *Jub.*, 13 *julii* 1782, § 9.

Ita procedendum est cum canonico qui abstinere ab ecclesia cogitur, vel ob graves inimicitias contra ipsum factas, vel aliud grave urgensque vitæ periculum : *Ibid.*

Statuta ac consuetudines utcumque immemorabiles, et etiam auctoritate apostolica confirmatæ, per quas in utilitatem aliorum canonicorum adimitur novo proviso pars ejus canonicalium redituum, improbantur a Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 14, *de Reform.* : *Leod.*, 2 *dec.* 1775, § 3.

Easque abrogarunt S. Carolus Borromæus in synodo Mediolanensi II, ac sum. pont. S. Pius V et Innocentius XII : *Ibid.*,

Hæc et hujusmodi sunt delenda tanquam pravæ, illicitæ, scandalosæ, et simoniacæ labis, seu sordidæ avaritiæ suspicionem habentes : *Ibid.*, § 4.

Quod non procedit in statutis in quibus mandatur aliquid a novo proviso cedi vel solvi occasione electionis, collationis, seu possessionis canonicatus et præbendæ : *Ibid.*, § 6.

Sed in illis statutis, novi canonici, per annum ac etiam per diuturnum temporis spatium, privantur certis redditibus : *Ibid.*

Insuper valent dicta statuta ac consuetudines, quando id quod solvitur a noviter proviso, cedit in utilitatem et beneficium ecclesiæ vel sacrarii, aut in pios usus : *Ibid.*, § 8.

Non vero si cedit in commodum, lucrum et utilitatem aliorum canonicorum : *Ibid.*

Eadem S. Congregatio in terminis statuti, seu consuetudinis, cujus vigore canonici noviter provisi tenentur gratis per aliquod temporis spatium incumbere servitio ecclesiæ et chori, censuit esse observandam : *Ibid.*, § 9.

Sed ubi statutum, vel consuetudo aufert canonico noviter proviso partem redituum præbendæ, vel massæ, vel distributionum, illam non esse inter alios canonicos partiendam S. Congr. censuit ; *Ibid.*, § 10.

Illa traditio quæ fructibus præbendæ privat ca-

nonicorum, tanquam contraria juris sanctioni, admitti non debet, nisi demonstretur probatio in contradictorio judicio : *Leod., Fruct. can.*, 19 *jul.* 1777, § 10.

Et procedere videtur in casu in quo centenaria non concurrat : *Ibid.*

Et centenaria præsumit interventum apostolici indulti, vel apostolicæ confirmationis : *Ibid.*

In satisfactionem consuetudinis, cedere non poterant canonicatus fructus, non adepta illius possessione, quos canonicus non residens in loco canonicatus vel præbendæ suos facere nequiverat : *Ibid.*

Statuta et consuetudines ecclesiarum, quibus cautum est ut canonici aut sacerdotes noviter recepti per aliquod temporis spatium illarum servitio gratis incumbere teneantur, valida et licita reputantur a doctorum sententia, nec sub Trid. Synodi, cap. 14, sess. 24, *de Reform.*, et const. S. Pii V, l. 60, in *Bull. Rom.*, tom. 2, censuram cadunt : *Ibid.*, § 4.

Quod procedit, quando illi fructus canonicatus et præbendæ cedunt in utilitatem et beneficium ecclesiæ, vel fabricæ, vel sacrarii, vel in pios usus erogantur ; secus vero, si convertuntur in commodum, lucrum et aliorum canonicorum utilitatem : *Ibid.*, § 6.

Ac doctores firmant consuetudinem valere, si biennii fructus quibus carere debet noviter provisus pro primo anno applicentur ecclesiæ fabricæ : *Ibid.*

Et pro secundo anno reserventur pro hæredibus defuncti canonici : *Ibid.*

§ IV.

Canonici quoad jura et potestatem.

Nequeunt canonici decernere aliquid arbitratu suo contra statuta, aut synodales constitutiones, aut inveteratam consuetudinem : *Imol., Jur. conv. cap.*, 14 *maii* 1774, § 18.

In canonia resident canonici, ne ex ea profluant in novum canonicum jura omnia quæ aliis canonicis competunt : *Combr., Jur. can.*, 14 *sept.* 1745, § 2.

Ita ut nefas sit capitulo onus novo canonico imponere atque ipsum interea lucri facere : *Ibid.*

Canonici celebrare nequeunt Missam privatam tempore divini officii in choro : *Scepusien., Serv. chor.*, 30 *jul.* 1796, § 39.

Nisi de licentia præfecti chori, et pro necessitate ecclesiæ : *Ibid.*

Non possunt canonici tempore divini officii a choro ad celebrandam Missam discedere, nisi necessitas urgeat ecclesiæ et præfectus chori licentiam concedat : *Rom., Ser. ch.*, 17 *sept.* 1796, § 12.

Pro canonicorum interesse, ipsorum etiam requiritur consensus : *Firm., Erect.*, 18 *aug.* 1787, § 12.

Canonici aliique ecclesiæ metropolitanæ servitio adscripti, ubicumque domicilium habent, in ea sacramenta percipiunt : *Aven., Jur. par.*, 1 *mart.* 1766, § 12.

Et veri parochiæ cathedralis ecclesiæ incolæ sunt atque uti tales in eadem sepeliendi : *Ibid.*

§ V.

Canonici quoad Missam conventualem.

Ex sacrorum canonum dispositione, canonici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum tenentur quotidie celebrare et applicare Missam conventualem pro benefactoribus : *Albingan., Reduct. Miss. conv.*, 11 *jan.* 1783, § 3.

Hinc non excluduntur canonici ecclesiæ collegiatæ ad quotidie Missas conventuales celebrandas et applicandas pro benefactoribus : *Favent., Reduct. serv. chor., et Miss.*, 27 *nov.* 1779, § 5.

Hujus disciplinæ enixe præcepit Bened. XIV const. *Quum semper*, 19 aug. 1754, observantiam : *Albing*, cit. loc. ; *Collen., Applic. Mis. conv.*, 8 *febr.* 1783, § 5; et *Setina, Chor. et Miss. conv.*, 10 *dec.* 1785, § 15.

At idem Pontifex voluit ut, causa inopiæ præbendarum, canonici recursum habeant ad S. Congr. Concilii, ut Missam conventualem ad dies festos tantum reducat : *Albing.*, cit. loc. ; et *Null. S. Ruph., Prov.; Raven., Miss. conv.*, 24 *jan.* 1767, § 8.

Ideo etiam vigore pontificiæ constitutionis canonici cathedralium ecclesiarum et collegiatarum insignium, Missam conventualem applicare debent : *Scepusien., Serv. chor.*, 30 *jul.* 1796, § 35.

Secundam quoque et tertiam, ubi est hujusce applicationis consuetudo : *Ibid.*, § 38.

Deficiente vero consuetudine, libera est hujusmodi applicatio : *Ibid.*

Missa conventualis a singulis canonicis et capitularibus, sive primæ, sive secundæ, et ulterioris erectionis existant, posthabita quacumque etiam immemorabili contraria consuetudine, debet celebrari illiusque sacrificium in benefactorum suffragium applicari : *Senogal., Miss. conv.*, 9 *sept.* 1741, § 4.

Si cura animarum sit penes canonicos, iidem tenentur diebus festis applicare pro populo et ulterius satisfacere oneri Missæ conventualis pro benefacto-

ribus applicandæ : *Fan., Applic. Miss.*, 13 *sept.* 1721, § 4.

Canonici non valent canere Missam conventualem ad elevationem tantum : *Scepus., Servit. chor.*, 30 *jul.* 1796, § 39.

Augenda est Missarum canonicalium eleemosyna, ob auctum servitium chori : *Faven., Aug. præb.*, 26 *sept.* 1795, § 5.

Particulare onus canonicatus non eximit ab applicatione Missæ conventualis : *Brug., Mis. conv. et pro popul.*, 23 *april.* 1796, § 6.

Permittitur tamen reductio ad dies festos Missæ conventualis, ubi exiguæ sunt canonicorum distributiones : *Ibid.*

Canonicis incumbit onus celebrandi Missam conventualem per vices absque stipendio : *Fav.*, 15 *apr.* 1780, § 6.

Ratio est, quia ipsi, celebrando divina officia, incumbunt ecclesiæ chorique servitio, ac fructus canonicales percipiunt : *Ibid.*

In nonnullis cathedralibus consuetudo introduxit immemorabilis ut canonici possint in diebus ferialibus celebrare seu canere Missam conventualem per alios, nempe per presbyteros participantes tanquam suos adjutores : *Squil., Mis. conv.*, 24 *sept.* 1729, § 6.

Sciendum vero est, quod hoc intelligatur de capellanis, qui sunt de mensa capituli participantes ex quotidianis distributionibus : *Ibid.*

§ VI.

Canonici novæ et primæ erectionis, ac fundationis.

Duplicis speciei sunt canonici novæ erectionis, alii sunt, qui vocantur canonici supernumerarii, omnino discreti ab antiquis, quique non sunt vere canonici, sed sola fruuntur honorifica denominatione : *Sabin., Part.* 28 *april.* 1770, § 13.

Hi non participant de massa distributionum, aliisque quæ percipiuntur per canonicos numerarios, nec per illorum admissionem augetur antiquus numerus, sed semper salvum integrumque manet jus canonicorum qui sunt numerarii : *Ibid.*

Altera species illorum, qui vere et proprie aggregantur ad capitulum, et de ejus corpore fiunt cum omnibus privilegiis, et honoribus, et his semper æqualis debetur omnium emolumentorum participatio, nisi aliud in novorum erectione cautum expresse fuerit : *Ibid.*, § 14.

Imo admittuntur ad emolumenta post erectionem eorum obvenientia, quia cum capitulum constet ex veteribus et novis, ideo quidquid capitulo relictum est, æque inter omnes dividi debet : *Ibid.*, § 15.

Quidquid concessum est antiquis canonicis demonstrative, acquiritur etiam canonicis novæ erectionis : *Eug., Erect. can.*, 26 *febr.* 1763, § 10.

Et quantum jus antiqui acquirunt in massa novorum, tantumdem istis debetur de massa antiqua : *Ibid.*

Novi canonici excluduntur a jure ferendi suffragium in electione officialium capituli curam habentium antiquæ massæ : *Ibid.*, § 7.

Veteres canonici per erectionem novorum canonicorum amittere non debent sua jura, et jam quæsita emolumenta : *Ibid.*, § 8.

Novi canonici non aliter excluduntur a partitione antiquorum legatorum, nisi in limine acceptionis expresse fuerint exclusi : *Imol., Distr.*, 13 *maii* 1773, § 9.

Canonici novæ erectionis nullum ferre debent suffragium in iis quæ privative ad antiquos canonicos spectant : *Sen., Voc. in capit.*, 27 *febr.* 1768, § 4.

Præsertim si in erectione recentiorum canonicatuum expresse legatur adjecta clausula *sine præjudicio* antiquorum, per quam primævum horum jus illæsum et administratio remansit intacta : *Ibid.*

Et licet novi canonici admissi sint cum iisdem juribus quibus antiquiores potiebantur, tamen ampliari jus suffragii nequit ad negotia particularia antiquorum canonicatuum, super quibus recentiores nullum jus nullumque interesse acquisiverunt : *Ibid.*, § 5.

Et frustra recurritur ad observantiam, tum quia est contraria juris dispositioni, tum quia conniventia antecessorum hodiernis canonicis præjudicium irrogare nequit : *Ibid.*, § 6.

Monstrosum non est, canonicos recentiores vel conticescere, vel egredi e capitulo debere, dum habenda ratio est de massis antiquis, quum id ipsum servetur in Sacra Rota, vel in causis, in quibus aliquis ex auditoribus munus advocationis exercuerit : *Ibid.*, § 7.

Vel in causis consanguineorum et affinium : *Ibid.*

Non aliter novus canonicus admissus præsumitur, quam juxta fundatoris voluntatem, nisi contrarium demonstretur : *Sabin., Part.*, 13 *jul.* 1771, § 6.

Præcipue, quia repugnaret capitulum in favorabilibus tantum testatoris dispositionem suscepisse, eamque quoad onera respuisse : *Ibid.*

Nec ullo modo obstat præbendæ diversitatem novo canonico assignare, cum ea non circa universalitatem et genus jurium canonicalium, sed solum quoad particularia et speciem proventuum versetur : *Ibid.*

Multoque minus abest, ut canonicorum numerus

taxative fuerit designatus, cum hic augeri pro libito possit : *Ibid.*

Canonicatus erectio cum omnibus honoribus et oneribus antiquorum canonicorum, parem antiquis reddit novum canonicum : *Urbin.*, *Part.*, 16 *jan.* 1762, § 7.

Et consensus admittendi novum canonicum ad partitionem antiquorum emolumentorum validus est : *Ibid.*, § 8.

Nec hujusmodi conventioni potest capitulum contra ire : *Ibid.*

Quum novus canonicus non habeat vocem in capitulo, nec arcam, nec massam communem, neque de antiquorum canonicorum emolumentis participet, hac receptione a capitulo facta, tantum jura honorifica dedit canonicatus, non vero jura veræ et formalis canoniæ : *Sabin.*, *Part.*, 28 *april.* 1770, § 6.

Quæcumque novi canonicatus admissio, nullum jus tribuit ad emolumenta et legata antea capitulo quæsita : *Ibid.*, § 7.

Et ab inveterata observantia, quæ ignotæ fundationi præsumitur conformis, nefas est recedere, quæ vices fundationis supplet illiusque locum tenet : *Ibid.*

Negant nonnulli, quod novus canonicus ad omnia emolumenta et legata capituli indistincte sit admittendus : *Ibid.*, § 12.

Et ratio est ob legalem præsumptionem juris, quod admissio ab antiquis canonicis facta censeatur sine ulla proprii juris diminutione, et detrimento, ideoque magis æquitati congruum ut novus canonicus ea emolumenta non lucretur, quæ antiqui canonici perderent : *Ibid.*

Præsertim si res sit de novis canonicis, qui propriam præbendam, distinctosque fructus habeant : *Ibid.*

Canonici novæ erectionis cum assignatione præbendæ et juris canonicalis plenitudine, utpote unum idemque capitulum cum canonicis antiquæ erectionis componentes, absque ulla differentia admitti debent ad eosdem honores et prærogativas, quibus antiqui canonici potiuntur ; tametsi servitium a novis canonicis ecclesiæ præstandum inæquale sit, et minus illo quod antiqui canonici obire tenentur : *Null. seu Ter. Pon.*, *Præced. et Distr.*, 5 *martii* 1735, § 5.

Canonici novæ erectionis participes fieri non debent de distributionibus et emolumentis, quæ præsertim ante novam canonicatuum erectionem canonicis antiquis relicta fuerunt, nisi a capitulo voluntarie fuerint aggregati, et ad partitionem eorumdem emolumentorum admissi : *Ibid.*, § 8.

Adjunctio nominis canonicorum noviter erectorum, ad indicandam diversam erectionem, nihil detrahit juribus veræ canoniæ : *Calar.*, 22 *nov.* 1760, § 4.

Et de essentia canonicatus non est, ut ejus dos et præbenda uniatur mensæ communi : *Ibid.*

Ac canonici semel admissi ad consortium canonicorum debent participare de omnibus juribus et præeminentiis canonicalibus, quibus non resistit lex fundationis : *Ibid.*, § 5.

Et parem cum antiquis habent facultatem vacandi a choro tribus mensibus indultis a S. Concilio Tridentino sess. 25, cap. 12, *de Reform.* : *Ibid.*

Percipiendique in absentia duas ex tribus partibus quotidianarum distributionum, quæ, cum absorbent integros fructus canonicales, loco præbendæ accipiuntur, et tertia tantum pars inter veras distributiones recensetur : *Ibid.*

Atque præcedentia reservata antiquis canonicis de præbenda, competit etiam novo ad illorum cœtum cooptato : *Ibid.*, § 6.

Canonici quoad numerum. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § vii.

§ VII.

Canonici quoad onera in genere.

Canonici ad psallendum in choro, non ad assistendum archipresbytero celebranti instituti sunt *Boj.*, *Præem.*, 19 *apr.* 1760, § 3.

De jure est, ut celebrantibus dignitatibus canonici assistant : *Tolen.*, *Archip.*, 11 *jan.* 1766, § 12.

Quilibet canonicus ecclesiæ cathedralis ex juris dispositione tenetur Episcopo in solemnioribus functionibus inservire : *Brictin.*, *Servit.*, 14 *dec.* 1771, § 9.

In Concilio Tridentino sess. 24, cap. 13, *de Reform.*, id unum cautum reperitur, ut canonici ecclesiæ cathedralis debeant Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, assistere et inservire : *Ibid.*, § 17.

Et hoc servitium clarius exprimitur in Cæremoniali Episcoporum cap. 15 : *Ibid.*

Idque a canonicis prædictis observandum esse voluit S. Congr. Rituum, quamvis Episcopi palatium ducentis passibus ab ecclesia cathedrali distaret : *Ibid.*

Item, dicti canonici ex decreto dictæ Congregationis, assistere pontificalia exercenti etiam in ecclesia collegiata vel parochiali tenentur, neque id incumbit canonicis collegiatæ vel presbyteris parochiæ, etiamsi sufficiens adsit presbyterorum numerus : *Ibid.*, § 19.

Et licet Episcopo eosdem compellere, quoties ad alias ejusdem civitatis et suburbiorum ecclesias

accedit ad aliquod speciale munus exercendum : *Ibid.*, § 18.

Canonici tenentur ad reparationem ecclesiæ, pro rata parte tantum fructuum suarum præbendarum : *Nepes., Rest. eccl.*, 31 *aug.* 1771, § 12.

Bulla S. Pii V 104 temperat onus novo canonico impositum pro frabrica aut sacrario ecclesiæ, ea conditione ut medios fructus unius anni non excedat : *Leodien.*, 18 *jul.* 1733, § 10.

Rota censuit, Pianam illam constitutionem eo solum spectare ut beneficiarius non careat redituum portione ad vitam sustentandam necessaria, ideoque non sic esse intelligendam ut solum permittat converti in pios usus medietatem fructuum primi anni, idemque onus vetet protendi in alios annos consequentes ; sed satis esse, ut cujusque anni fructus pro dimidia parte cedant commodo beneficiarii : *Ibid.*, § 11.

Statuto vel consuetudine fieri potest, ut canonicus noviter admittendus adigi valeat ad solutionem alterius summæ in pios usus erogandæ : *Ibid.*, § 3.

Noviter provisus convivium ex obligatione præstare non tenetur : *Bing.*, 13 *aug.* 1729, § 2.

Non solum dulciaria sunt de genere prohibitorum ; sed etiam dulciaria quædam vulgo nuncupata *confitures*, in casu quo provisus ea dispensare cogitur : *Ibid.*, § 7.

Nec est servanda consuetudo juxta quam noviter provisi solvere vel parare debeant prandium : *Ibid.*

Non solum convivium, sed etiam alias temporales præstationes, quæ non sponte, sed coacte dantur a canonicis recipiendis ac etiam a canonicis receptis : *Ibid.*, § 8.

Canonici recedere non possunt ab iis quæ per Apostolicas litteras et per fundatoris legem constituta fuere : *Fan.*, 15 *april.* 1780, § 5.

Onus per canonicos in præteritum non impletum, absolutionem meretur, si id evenit propter diminutionem redituum et citra illorum culpam : *Faven., Red. ser. chor. et Miss.*, 27 *nov.* 1779, § 7.

In futurum autem dimetiri et expleri debet ad normam redituum : *Ibid.*

Limita tamen in onere celebrandi Missas, quale integrum impleri debet, si certus fundus distinctus assignatus fuerit : *Ibid.*

In diverso namque casu, quo testator promiscue demandaverit et suffragia Missarum et chori servitium, bona confusim relinquendo, tunc et Missas et chori servitium, proportione adhibita, diminui oporteret : *Ibid.*, § 8.

Canonici ecclesiæ collegiatæ tenentur per se ipsos, et non per substitutos divina munia obire : *Hildes.*, 2 *dec.* 1739, § 6.

Amplia : Refragante consuetudine immemorabili : *Ibid.*

Canonici ecclesiæ solvere tenentur æs alienum contractum ob necessitatem ecclesiæ : *Narn.*, 21 *aug.* 1790, § 4.

Canonici præter Missam conventualem in erectione assumptam, ad ea tenentur sacra quæ a certis præscripta sunt fundatoribus : *Taur., Miss. com.*, 10 *jul.* 1790, § 4.

Duo sunt distinguenda canonicorum onera : alterum, ut ordo canonicatui adnexus intra annum suscipiatur ; alterum, ut officium canonicatui adnexum per se ipsos, non vero per substitutos canonici exerceant : *Rom., Præc.*, 23 *nov.* 1754, § 4.

Canonici ecclesiæ cathedralis tenentur sacram supellectilem pro pontificalibus functionibus, tam in cathedrali quam extra peragendis, Episcopo subministrare : *Tenac. et Set.*, 23 *nov.* 1771, § 13.

Ac tenentur quidem sacra paramenta Episcopo in cathedrali ecclesia vel in episcopali sacello pontificalia peragenti suppeditare ; secus autem, si in alia ecclesia vel capella celebret : *Ibid.*

Provisi de canonicatibus et dignitatibus in cathedralibus facere tenentur fidei professionem ad minus intra duos menses a die adeptæ possessionis, et forma fidei professionis ab iis emittenda, statuta fuit a summo pontifice Pio IV : *Cathac.*, 26 *jan.* 1726, § 2.

Ad hanc vero fidei professionem emittendam non tenentur provisi de canonicatibus et dignitatibus in collegiatis ecclesiis : *Ibid.*, § 3.

Nonnulli affirmant eamdem fidei professionem emitti posse per procuratorem, sed alii, quibus S. Congr. Concilii et S. Rota Romana accedunt, respondent canonicos per se ipsos hanc fidei professionem emittere debere ; et pronuntiare canonici debent coram canonicis capitulariter congregatis : *Ibid.*, §§ 4 et 5.

Provisi tenentur emittere professionem non solum in capitulo, sed etiam coram Episcopo, sive ejus vicario generali ; et juxta praxim, si fiat coram vicario, etiam Episcopo impedito, aut capitulo, in quo sit præsens Episcopus vel vicarius, satisfactum dici debet obligationi fidei professionem emittendi : *Ibid.*, § 5.

Alienum non est a canonicæ disciplinæ institutis, et conforme tum juri communi, tum sanctioni S. Concilii Tridentini aliquid ex fructibus beneficii exhibere, seu persolvi ; dummodo in pios usus convertatur : *Const.*, 20 *nov.* 1734, § 10.

Dummodo novum onus canonico impositum pro fabrica, vel sacrario ecclesiæ, ea temperetur conditione, ut medios fructus unius anni non excedat : *Ibid.*, § 13.

§ VIII.

Canonici quoad optionem.

Optio definitur jus quoddam quo antiquiores canonici propria dimissa præbenda, aliam vacantem quæ reservata non est intra certum tempus eligere et consequi valeant: *Sutr.*, *Stal.* 7 *jul.* 1770, § 7.

Et distinguere præstat jus ipsum præbendæ, quatenus pro titulo beneficii sumitur, a fructibus ex ea provenientibus, qui nihil de spirituali habent, nisi per quamdam communicationem, et participationem, qua rei spirituali adhærent: *Ibid.*

Quoties præbenda ita canonicatui adnexa est ut fiat unum individuum, tunc optio præbendæ etiam tituli optionem, et mutationem necessario præ se fert: *Ibid.*, § 8.

Si vero unio præbendæ cum canonicatu sit temporalis, et revocabilis, et sejungi ab eo valeat, tunc priori canonicali titulo retento, bona tantum canonicatus per optionem mutari possunt: *Ibid.*

Ideo quando in optione non mutatur titulus canonicatus, sed duntaxat temporalitas præbendæ, illud omnino sequitur quod canonicus senior digniorem locum in choro non amittat: *Ibid.*

Et mutatio loci in optione præbendæ sit ratione antiquitatis, non ratione novi tituli canonicatus, hinc ascendit canonicus, qui optaverit ad stallum superius, non tanquam de juribus præbendæ, sed tanquam de appertinentiis illius, qui, uti senior, majus ecclesiæ servitium præstitit: *Ibid.*, § 9.

Canonico competit jus optandi meliorem præbendam: *Volat.*, *Jur. opt.* 15 *jun.* 1793.

Exceptis canonicis theologo et pœnitentiario, quorum officiis inseparabiliter unitæ sunt præbendæ: *Ibid.*

Et hac in re theologus et pœnitentiarius deterioris sunt conditionis, quam ceteri canonici: *Ibid.*, § 8.

Alias præbendæ illorum inseparabiliter, et perpetuo unitæ, a respectivo eorum officio dividerentur, quod absque legitima causa fieri nequit: *Ibid.*, § 9.

Sed utriusque præbendæ tenuitati prospici debet per unionem tantum beneficiorum: *Ibid.*, § 10 et § 13.

Generalis regula exclusiva optionis, quoad canonicos limitationem recipit, si ipsi tenuem obtinentes præbendam, sub ea conditione ad jus optandi meliorem admittantur: *Ibid.*, § 11.

Absurdum namque est, ut canonicus theologus et pœnitentiarius, qui majus subeunt onus, minora in perpetuum habeant emolumenta, quam alii simplices canonici: *Ibid.*

Optiones omnes intra terminum 20 dierum fieri debent: *Milev.*, 5 *jun.* 1728, § 4.

Optio debita jure antiquitatis distinguitur a jure canoniæ, et defertur ad proximum seniorem, non autem ad successorem in canonicatu: *Urbin.*, *Part.*, 16 *jan.* 1762, § 6.

Jus non est canonicis theologo et pœnitentiario optandi præbendas in eorum ecclesia vacantes: *Reg.*, *Opt.*, 7 *jun.* 1755, § 1.

Receditur ab hac opinione, quoties præbenda horum canonicatuum tenuis est: licet enim tunc, dimissa tenui, pinguiorem optare, quæ perpetuo affecta remaneat his officiis: *Ibid.*

§ IX.

Canonici quoad præcedentiam.

Insignes ecclesiæ collegiatæ, cathedralibus comparantur: *Pisan.*, 11 *jan.* 1772, § 14.

Ac proinde parochiali quacumque ecclesia, aliisque inferioribus sunt digniores: *Ibid.*

Ob id canonici ecclesiæ collegiatæ, si sit unica in tota diœcesi, post capitulum cathedralis, præcedere debent omnes parochos aliosque presbyteros: *Ibid.*

Licet, antequam in collegiatam ecclesia erigeretur, locum aliis ecclesiis cedere consueverit, et licet in bulla erectionis addita fuerit clausula *sine alterius præjudicio*: *Ibid.*, § 19.

Canonicis collegiatarum etiam non collegialiter unitis, si functionibus ecclesiasticis intersint, præcedentia debetur: *Fung.*, *Præem.*, 14 *dec.* 1782, § 5.

Immediate post capitulum cathedralis et abbates, locus sedendi in synodo tribuitur canonicis collegiatarum civitatis, ita tamen ut antiquior et dignior collegiata civitatis præferatur aliis collegiatis ejusdem civitatis: *Ibid.*

Canonici ecclesiarum collegiatarum præcedere debent omnes rectores, plebanos ac presbyteros ecclesiarum parochialium in publicis supplicationibus et functionibus etiam synodalibus: *Pisan.*, 11 *jan.* 1772, § 31.

Etiamsi ante erectionem in collegiatam, commixtim ac promiscue incederent cum dictis rectoribus: *Ibid.*

Et licet inferiores ecclesiæ essent antiquiores, et fuissent in quasi possessione præcedendi ante erectionem: *Ibid.*

Ac non obstante clausula in erectione adjecta *sine præjudicio alicujus*.

Canonici quantum præcedunt simplices sacerdotes ac clericos, tantumdem convenit eos decentiori habitu insignitos esse, cum habitus in Ec-

clesia Dei sit præcipuum dignioritatis signum : *Imol.*, 20 *jan.* 1770, § 14.

Canonicus dimittens canonicatum ut alium in eadem ecclesia obtineat, priorem admittit præcedentiam, ultimoque sedere debet in loco : *Call.*, *Præem.*, 18 *aug.* 1792, § 2.

Nec juvatur consensu cum suffragiis medietatis capitularium, ut pristinum gradum cum suis prærogativis retinere valeat : *Ibid.*

Ubi enim res est de singulorum interesse, melior est conditio prohibentis : *Ibid.*

§ X.

Canonici quoad præminentiam.

Canonici ecclesiæ etiam collegiatæ, non tam sede et loco, sed etiam habitu distingui debent a ceteris sacerdotibus et clericis : *Imol.*, 20 *jan.* 1770, § 14.

Hoc interest discrimen inter canonicatos veros et honorarios, quod primi pleno jure canoniæ fruantur, et unum idemque capitulum constituant : *Nic.*, *Decr.*, 29 *febr.* 1774, § 2.

Canonicus dignoscitur ex habitu et insignibus canonicalibus propriis canonicorum, non beneficiatorum ; et ex ipsa fidei professione a solis canonicis non vero a beneficiatis emittenda : *Calar.*, 24 *jan.* 1727, § 6.

Maximum intercedit discrimen inter canonicos et simplices capellanos ; quum hi habeantur velut ministri canonicorum, nec partem ullam habeant in capitulo : *Vigil.*, *Insig.*, 4 *jun.* 1768, § 4.

Idcirco S. Cong. Concilii decreta quæ decori consulunt capituli nullomodo trahi possunt ad capellanos sub eorum dispensatione non comprehensos : *Ibid.*

§ XI.

Canonici quoad residentiam et absentiam.

Inspecta in erectione canonicatus tum juris dispositione, tum decreto Concilii sess. 24 cap. 12, *de Reform.*, residentia ex ipsa beneficii natura inducta censeri debet ; quamvis non fuerit expresse demandata : *Mont. Falis.*, 15 *sept.* 1770, § 7.

Propterea canonicus cujuscumque ecclesiæ tenetur ad residentiam : *Nebien.*, 28 *jul.* 1781, § 7.

Alias mulctandus venit pœnis a Tridentina Synodo præscriptis : *Ibid.*

Plurimæ vero sunt causæ graves, et sufficientes ad eum excusandum a personali residentia, et consequenter ab indictis pœnis : *Ibid.*, § 8.

Quænam autem sint assignari nequeunt, cum plurimum dependeant a circumstantiis per Episcopum dignoscendis : *Ibid.*

Gravis et sufficiens esse potest illa quæ vitæ necessaria non suppeditat : *Ibid.*, § 9.

Residentiæ onere tenentur omnes canonici, licet jurispatronatus regii : *Vened.*, *Resid.*, 23 *jun.* 1764, § 11.

Residentiæ onus de jure incumbit canonicis in propria ecclesia collegiata : *Frising.*, *Resid.*, 3 *jul.* 1762, § 2.

In aliis vero beneficiis non præsumitur, nisi probetur : *Ibid.*

Canonicus usque ab initio absens a loco residentiæ absque Sedis Apostolicæ vel Episcopi licentia, qui choro interesse non potuit neque peregit sacra, usque ab initio plecti debet mulctæ pœna præscripta in capitularibus constitutionibus, quæ eum adstringunt : *Nephes.*, 2 *dec.* 1775, § 6.

Quæ constitutiones fortius eum obligant, cum fuerint tum ab Ordinarii decretis, tum a capitularibus resolutionibus confirmatæ : *Ibid.*

Causa studiorum est justa et rationabilis causa per quam canonicus absens amittit duntaxat distributiones quotidianas, seu tertiam partem præbendæ suæ, si hæc in quotidianis distributionibus consistat : *Ibid.*, § 7.

Quæ causa juvare non potest canonicum absentem, nisi interveniat licentia Episcopi, vel cum indulto Sedis Apostolicæ exhibito coram Episcopo : *Ibid.*

Canonico interdicitur absentia à choro et residentia, causa obeundi munus vicarii generalis extra diœcesim : *Macer.*, 24 *jan.* 1778, § 11.

Residere censentur qui permanent intra diœcesim : *Spolet.*, *Serv. chor.*, 28 *febr.* 1795, § 8.

Canonicus infirmus qui duplici ecclesiæ inservit, sicut potest residere in utraque ecclesia interpolatis temporibus, ita infirmus haberi potest ut in utraque ecclesia residens : *Leod. seu Colon.*, *Fruct.*, 5 *sept.* 1736, § 4.

Canonici, qui pertinaces sunt, et residentiam ac interventum in choro statutis temporibus negligunt, publice excommunicati daclarantur : *Gien.*, *Distr.*, 3 *april.* 1700.

Residentiæ onus incumbit canonicis tum coadjuto, tum coadjutorio etiam infirmis, nisi habeant unus et alter indultum : *Rom.*, *Fruct.*, 15 *apr.* 1780, § 8.

§ XII.

Canonici quoad sacros ordines.

Canonici tenentur suscipere presbyteratum eorum canonicatui annexum, sub pœnis contentis in

constitutione Clementis V, in concilio Viennensi edita : *Hildesimen.*, 18 *nov.* 1730, § 5.

§ XIII.

Canonici quoad servitium chori.

Canonici, ex veteri Ecclesiæ disciplina, quotidie recitare tenebantur divinum officium in choro : *Firm.*, *Serv. chor.*, 23 *apr.* 1796, § 3.

Propterea canonici ceterique ecclesiarum cathedralium et collegiatarum servitio addicti, singulis diebus choro interesse, ibique horas canonicas psallere tenentur : *Castrim.*, *Serv. chor.*, 30 *jul.* 1736, § 3 ; *Hyeracen.*, *Dispens.*, 13 *martii* 1762, § 3 ; et *Arimin.*, *Serv. chor.*, 3 *julii* 1784, § 6 ; *Alexan.*, 19 *sept.* 1767, § 7.

Et ad hoc onus tenentur canonici ex dispositione etiam Concilii Tridentini sess. 24, cap. 12, *de Reformat.* : *Setin.*, *Chor. et Miss. conv.*, 10 *decem.* 1785, § 15.

Item ex dispositione juris canonici et ex sacro Concilio Tridentino, canonici, nedum in festis de præcepto et primæ classis, sed singulis etiam diebus, cogi possunt ad integrum recitandum divinum officium in choro : *Alban.*, 4 *april* 1789, § 6.

De collegiatis ecclesiis insignibus idem procedit : *Scepus.*, *Serv. chor.*, 30 *jul.* 1796, § 33.

Quia consuetudo non recitandi singulis diebus integrum officium in collegiata insigni, veluti contraria dispositioni juris, abusus dici potest et corruptela : *Ibid.*, § 7.

Quia canonici collegiatæ ecclesiæ subire debent onus quotidiani chori : *Sutrin.*, *Offic.*, 18 *sept.* 1779, § 3.

Præsertim, ubi in erectione collegiatæ est servitium chori singulis diebus : *Firm.*, cit. loc.

Concilium tamen Tridentinum trimestrem permittit vacationem : dummodo non omnes simul absint canonici : *Ibid.*, § 4.

Servanda vero est brevioris vacationis consuetudo : *Ibid.*

Tolerantur consuetudines vel statuta vacationum pro solis tribus mensibus continuis, aut interpolatis : *Hyerac.*, *cit. loc.*

Nec sublata nec improbata est consuetudo, juxta quam in nonnullis ecclesiis, inspecta præsertim proventuum tenuitate, receptum est ut illarum canonici et capitulares per vices sive, ut aiunt, per hebdomadas choro et ecclesiæ inserviant : *Castrim.*, *cit. loc.*

Servandum est a canonicis servitium chori omnibus diebus et horis, exceptis tantum tribus mensibus vacationis, non obstante quocumque statuto, vel consuetudine : *Leod.*, 12 *maii* 1770, § 14.

Et est abusus invectus in aliqua ecclesia servandi contrarium : *Ibid.*

Eoque magis spernendum ecclesiæ statutum, si illud tanquam intrinsece nullum atque irritum jam declaravit S. Rotæ auditorium : *Ibid.*

Et in casu negligentiæ chori servitii, pecuniarum subire pœnam canonici debent : *Scepus.*, *cit. loc.*

Integrumque divinum officium quotidie in eo recitare : *Ibid.*, § 32.

Remittendum vero quotidianum servitium sub cœlo rigido, cum gravi detrimento salutis : *Ibid.*, § 32.

Consuetudo quotidie non inserviendi servanda est : *Ibid.*

Canonici singuli ecclesiæ cathedralis ad omnes divini officii horas per sese decantatas obligantur : *Scepus.* cit., § 15.

Et a canonicis horæ canonicæ persolvendæ sunt reverenter, distincte ac devote : *Terrac. et Set.*, 23 *nov.* 1771, § 3.

Atque hora præscripta in consueto horario, vel quatenus præscripta non fuerit, est ab Ordinario præfinienda : *Ibid.*

In collegiatis ecclesiis non insignibus, licet regulariter canonici pariter teneantur ad assiduum servitium chori, tamen ex triplici limitatione ab eo absolvuntur, nempe : si aut ecclesiæ sint rurales, si adsit contraria immemorabilis consuetudo, aut demum adeo tenues sint reditus ut canonici ali non valeant ; quæ limitationes si concurrant, sufficit alternatim : *Narn.*, *Serv. chor.*, 3 *februar.* 1787, § 6.

In cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis cunctis, canonici quotidie in choro locis debitis devote psallere debent, et omnibus horis canonicis assistere : *Angl. et Turf.*, 2 *oct.* 1723, § 2.

At juxta Cajetani doctrinam receptum hodie est ut minuatur onus, ubi stipendium tenuissimum est, quum semper maneat obligatio dicendi officium integrum et inserviendi ecclesiæ in aliis oneribus : *Ibid.*, § 3.

Consuetudo interveniendi choro in Matutino, Laudibus, Missa conventuali et Vesperis tolerari potest, si aliqui canonici saltem divisa hebdomada per vices punctaturis subjecti fuissent, et aliis horis interventum præstitissent : *Ibid.*

Secus autem, quando aliquæ horæ indefinite punctaturis non erant suppositæ, quum casus dari possit ut omnes absint, et ut horæ canonicæ per unum vel duos recitentur : *Ibid.*

Laudabilis etiam admitti potest consuetudo, qua canonici in pietatis officiis occupati, diebus feriatis Missæ tantum conventuali intersint, et in festivis Missæ solemni, ac Vesperis ; dummodo quotidia-

num integrum pensum in choro persolvatur a beneficiatis, seu portionariis : *Ibid.*

Per immemorabilem consuetudinem licite potest induci, ut soli capellani efficiant chorum, canant, aliaque officia exerceant, assistentibus tantum et audientibus canonicis, juxta opinionem moralistarum : *Squill.*, *Miss. conv.*, 14 *sept.* 1729, § 6.

Hæc tamen opinio, si consuetudo sumatur in linea præscriptiva, improbatur a canonistis tanquam contraria concilio, et constitutioni S. Pii V quidquid sit : si accipiatur in linea præsumptiva præ se ferente scilicet præsumptum privilegium : *Ibid.*

Per consuetudinem immemorabilem potest etiam introduci ut canonico celebranti assistant simplices capellani in munere diaconi et subdiaconi : *Ibid.*, § 7.

Toto jure cavetur, ne canonici materialem tantum in choro exhibeant præsentiam, sed divina etiam peragant officia, psalmosque concinant et hymnos : *Leod.*, 18 *aug.* 1770, § 2.

Et hæc, quæ Concil. Trident. præcesserunt, majus robur acceperunt post Tridentini Concilii mandatum residendi ac canendi reverenter, distincte, ac devote : *Ibid.*, § 3.

Et hanc dispositionem sequuta sunt concilia provincialia, ac summi Pontifices : *Ibid.*

Concilium Tridentinum obligat canonicos omnes cathedralium et collegiatarum ecclesiarum, ideoque etiam extracapitulares ad servitium chori, eosque subjicit punctaturis : *Civit. Castel.*, *Punct.* 16 *maii* 1795, § 7.

Neque distinguit inter collegiatas simplices et insignes : *Ibid.*

Ideoque constitutiones capitulares et consuetudo inducere nequeunt libertatem inserviendi choro : *Ibid.*

Eoque magis extra capitulares subjiciuntur punctaturis, si de his cum reliquis canonicis convenerunt : *Ibid.*, § 8.

Immunes tamen sunt a chorali servitio canonici qui non participant de distributionibus : *Ibid.*, § 9.

Maxime si hac frui consueverint immunitate ab ipsa fundatione : *Ibid.*

Imo, ubi expresse prohibita non est immunitas a servitio chori et punctaturis, servanda est quadragenaria consuetudo : *Ibid.*, § 10.

Quum canonici cupiunt invertere modum inserviendi choro, quia exiguos ex canonicatibus percipiunt reditus, videndum est an id justam præbeat causam ut illorum petitioni annuatur : *Lucan.*, *Serv. chor.*, 10 *jan.* 1784, § 6.

In ecclesiis collegiatis non insignibus, licet canonici teneantur ad assistendum chori servitio, tamen ab hac inserviendi methodo eximuntur, si ecclesiæ sint rurales, aut si adsit contraria consuetudo, vel demum adeo tenues sint reditus ut canonici alimenta habere non possint : *Ibid.*

Cautum est in Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, ut omnes per se, et non per substitutos, compellantur divina officia obire, et Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere ac inservire : *Alatr.*, 20 *aug.* 1785, § 2.

Item, sess. 23, cap. 8, *de Reform.*, ut canonici vocati in ordinationibus statutis a jure temporibus peragendis in ecclesia cathedrali, sint chorò præsentes : *Ibid.*

Exoptatum est ut a canonicis omnibus cathedralium et collegiatarum ecclesiarum continuum diuturnumque servitium præstaretur, et ex quadam indulgentia permissum ut usque ad tres menses, et non ultra, abesse possent, quacumque non obstante consuetudine : *Recan.*, *Serv. chor.*, 8 *jul.* 1786, § 3.

Sed hoc decretum Concilii Tridentini ad illam non pertinet collegiatam in qua habent canonici tenues reditus, quæ est una ex tribus causis propter quas Tridentina sanctio limitatur : *Ibid.*

Nam canonici in collegiatis non insignibus, licet regulariter teneantur ad assiduum chori servitium, tamen ex triplici limitatione ab eo absolvuntur : nempe si aut ecclesiæ sint rurales, aut si adsit contraria immemorabilis consuetudo, aut demum adeo tenues sint reditus ut canonici ali non valeant : *Ibid.*

Canonicus qui fidelium confessiones ex pietate excipit, vel qui devotas suscipit peregrinationes, sicuti uterque laudatissima opera exercet, pro præsenti in choro habetur : *Ibid.*, § 4.

Per Tridentinum Concilium sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, sublata fuit facultas inserviendi alternis vicibus, non obstante quacumque contraria consuetudine, aut statuto : *Terrac.*, *Jub.*, 16 *mart.* 1771, § 4.

Et canonici tenentur per se ipsos, non autem per substitutos, munia obire, neque id alternatim licere, quamvis contrarium adesset statutum, aut immemorabilis consuetudo : *Ibid.*

Canonici obire debent per se divina officia : *Spolet.*, *Serv. chor.*, 28 *febr.* 1795, § 6.

Proindeque secundum rigidiores canonistas substituere nequeunt ad chorale servitium, non obstante statuto, vel immemorabili consuetudine : *Ibid.*, § 7.

Secundum alios vero, toleranda est substituendi consuetudo : *Ibid.*, § 3.

Expresse enim S. Concilium Tridentinum non prohibet, quin sese invicem substituant canonici in servitio chori : *Ibid.*

Facultatem tamen substituendi permittit S. Congr. Concilii sub nonnullis conditionibus : *Ibid.*, §§ 6 *et* 10.

Consuetudo substituendi alterum canonicum ad servitium chori adversatur S. Concilio Tridentino : *Senegal.*, 5 *april.* 1794, § 3.

Ex Tridentina enim lege tenentur clerici beneficiati obire officia per se ipsos : *Ibid.*

Neque ab hujusmodi obligatione solvi queunt canonici per capitulares constitutiones, vel per immemorabilem etiam consuetudinem : *Ibid.*, § 4.

Rigidam vero hanc Tridentini disciplinam moderavit S. Congr. Concilii sub pluribus tamen conditionibus, ac dummodo præsertim frequenter non contingat substitutio : *Ibid.*, §§ 5 et 6.

Præter ea quæ sacri canones disposuerunt de horis canonicis in choro persolvendis, Tridentinum Concilium statuit omnes canonicos teneri per se, et non per substitutos, obire officia divina : *Terrac. et Set.*, 23 *nov.* 1771, § 8.

Et canonici cathedralium et collegiatarum suo muneri minime satisfacere, si choro intersint, et solam ibi præsentiam præstent, nisi simul canant, et psallant, suasque voces adjungant inferioribus ministris, horas canonicas aliasque præscriptas preces canentibus : *Ibid.*

Hanc sententiam probavit quoque S. Congreg. Concilii, et quamlibet contrariam consuetudinem tanquam abusum rejecit, atque damnavit : *Ibid.*, § 9.

Imo summus pontifex Benedictus XIV de vera et rigorosa canonicorum obligatione decretum edidit in constitutione *Cum semper*, et const. *Præclara decora : Ibid.*

Ea est præcipua canonicorum obligatio, ut choro intersint : *Terrac.*, 28 *april.* 1770, § 2.

Huic oneri non satisfacit canonicus, qui pulsandis organis dat operam, dum divinæ laudes persolvuntur et offerunt sacrificium, cum de essentia residentiæ sit ut præcisè et corporaliter in choro adsit et divinas psalmodias concinat : *Ibid.*

Verum canonicus pulsans organum censetur cum aliis Dei laudes persolvere, et in divinis convenire, atque etiam proprio oneri satisfacere, quin opus sit ut materialem præsentiam in loco, qui chorus dicitur, assidue præstet : *Ibid.*, § 9.

Præsertim si accedat mandatum Episcopi, cui in id auctoritas est : *Ibid.*

Canonici tenentur diebus in rubrica præscriptis recitare in choro officium parvum B. M. V., et defunctorum, ac psalmos pœtentiales, et graduales : *Melev., Erect. nov. mas. distr.*, 25 *sept.* 1762, § 6.

At in illis ecclesiis in quibus neque lex erectionis, neque statutum, neque consuetudo est officia B. M. V., vel defunctorum, vel psalmos pœnitentiales, aut graduales diebus in rubrica præfinitis recitandi, canonici compelli non possunt ad hujusmodi recitationem : *Mont. Alt.*, 28 *sept.* 1754.

Canonicus Episcopo inserviens ipsi ecclesiæ inservit : *Leod.*, 24 *aug.*, 1765, § 22.

Dubitatur autem an locum habeat hæc regula in ecclesia ab Ordinarii jurisdictione exempta : *Ibid.*, § 25.

Si exemptio passiva est, non liberat ab Episcopi jurisdictione, de visitatione, de corrigendis moribus, de disciplina, de legibus synodalibus : *Ibid.*, § 26.

Ex communi doctorum sententia valida et licita reputantur, nec sub lege Tridentini et constitutionis S. Pii V Pont. Max. comprehenduntur statuta vel consuetudines ecclesiarum quibus cautum est ut canonici aut sacerdotes noviter recepti per aliquod temporis spatium illarum servitio gratis incumbere teneantur : *Mather.*, *Partic.*, 9 *jul.* 1735, § 3.

Immutari non debet forma servitii, quod in erectione canonicatuum, in synodo a S. Congr. Concilii confirmata, fuit per tertiariam statutum : *Nerit.*, *Plur.*, 7 *jun.* 1760, § 4.

Nam in his decet servari legem fundationis et gloriam statuti confirmati a Sancta Sede, quibus concilium non derogavit : *Ibid.*

Substitui potest in servitio chori, dummodo substitutio fiat a præsente in loco, vel suburbiis, et substituatur alius ejusdem ordinis, qui non sit adstrictus eidem servitio pro se ipso : *Ibid.*

Et limitatur in munere diaconi et subdiaconi : *Ibid.*

Canonici tempore divini officii in choro celebrare nequeunt Missam privatam, et amittunt distributiones : *Spol.*, *Serv. chor.*, 28 *febr.* 1795, § 11.

Nonnulli opinantur consuetudinem lucrandi distributiones in ea absentia non esse reprobandam, quia, celebrando sacrum, actum æque exercent divini cultus : *Ibid.*

Præsertim si celebrent pro oneribus adnexis canonicali præbendæ, quo in casu exequuntur munus suum, quod nemini esse debet damnosum : *Ibid.*

Ut canonici ad chorum procedant bini et bini, servandum tantummodo est festis diebus solemnioribus : *Saler.*, *Edict.*, 27 *sept.* §§ 8, 9 et 12.

Canonici Basilicæ Vaticanæ alta voce concinere debent etiam psalmos et responsoria, non obstante contraria consuetudine etiam post Concilium Tridentinum servata : *Ibid.*, § 20.

Canonici qui sacramentales excipiunt confessiones, habéntur pro præsentibus in choro : *Spol.*, *Serv. chor.*, 28 *febr.* 1795.

Dummodo ad excipiendas teneantur ex officii fundatione et mandato Episcopi, vel ob commoditatem populi : *Ibid.*

Canonici annorum 14 tenentur ad servitium chori : *Senogal., Con.*, 11 *maii* 1793, § 8.

Idque per fundatores silentio prætermissum censetur sub dispositione juris : *Ibid.*

Haud facile immutandum est servitium chori, quod ab ipsa forsan collegiatæ fundatione observatum est: *Vercell., Serv. chor.*, 5 *jun.* 1790, § 2.

In permittenda canonicis recitatione divini officii in majoribus solemnitatibus, comprehendi solent Adventus, Quadragesima, et octavæ privilegiatæ : *Scepus., Serv. chor.*, 30 *jul.* 1796, § 40.

Servitium canonicorum præstantius est subsidiis dotalibus : *Nul. Ter. Pont., Can. et Subs. dot.*, 12 *mar.* 1796, § 9.

Canonici tenentur singulis diebus festis præsertim solemnioribus præstare ecclesiæ cui sunt adscripti servitium juxta gradum quo sunt insigniti : *Colon.*, 14 *febr.* 1767, § 7.

Parochialis ecclesiæ prior, qui alterius collegiatæ ecclesiæ est, adesse debet lustralis aquæ benedictioni die sabbati majoris hebdomadæ quæ fit in ecclesia collegiata ubi canonicus est : *S. Miniat.*, 13 *febr.* 1745, § 2.

Canonici absentes a residentia et servitio chori causa studiorum et cum indulto S. Congr. Concilii, non subjacent punctaturis: *Null. Far., Punct.*, 5 *aug.* 1780, § 6.

Unius canonici fallentias non acquirunt ceteri canonici inservientes, cum quibus distributiones communes non sunt, sicuti oporteret ad comprobationem juris accrescendi, vel non decrescendi, sed applicandæ sunt fabricæ, aliisve piis usibus juxta Tridentinum Concilium, sess. 22, cap. 3, *de Reform. : Spolet., Punct.*, 8 *maii* 1762, § 7.

Sed putant nonnulli hoc in dicto casu non procedere, quia concilium citato loco loquitur de dignitatibus solum, personatibus, et officiis, non autem de canonicatibus, qui, cum unum cœtum constituant cum aliis canonicis, et commune habeant servitium, ideo potius subsunt alteri decreto conciliari cap. sess. 21, ut absentium fallentiæ acquirantur præsentibus per jus accrescendi, vel non decrescendi : *Ibid.*, § 8.

Canonici negligentes ad servitium chori, sunt remediis sacri Concilii Tridentini coercendi : *Leod.*, 12 *maii* 1770, § 15.

Canonici, qui pertinaces sunt et residentiam ac interventum in choro statutis temporibus negligunt, publice excommunicati declarantur : *Gien., Distrib.*, 3 *apr.* 1700.

Pœna canonicis non intervenientibus ad servitium chori statuta fuit a Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 12, *de Reform.: Leod.* cit., § 5.

Quæ fuit ut priventur dimidia parte fructuum præbendæ, deinde omnibus fructibus, et, crescente contumacia, ad privationem tituli est procedendum : *Ibid.*

Præsentes in choro, sed nullo modo, aut submissa tantum voce canentes, tanquam absentes sunt coercendi : *Ibid.*

Et ubi distributiones sunt ita tenues ut negligatur servitium chori, remedium a Tridentino præscriptum est adhibendum, quod scilicet tertia pars fructuum pro distributionibus constituatur : *Ibid.*, § 6.

In jure vulgatum est, canonicum morbo aut alio legitimo impedimento detentum, compelli nequire ad divina officia in choro persolvenda, minusque pro contumaci habendum esse, si citatus coram judice non comparuerit : *Cotron., Cens.*, 14 *jan.* 1741, § 1.

§ XIV.

Canonici quoad stallum chori.

Retentio antiqui stalli competit canonicis, ex descriptione sui nominis in eminentiori tabellæ choralis loco, atque ex sui installatione, ac possessione, quam tum Episcopo, tum capitulo annuente adeptus est : *Sutr., Stal.*, 7 *jul.* 1770, § 2.

Præsertim si accessit concensus canonici contradictoris, cui non amplius licet resilire : *Ibid.*

Ex juris dispositione præpeditum non est novam præbendam optare, priori stallo, ac titulo retentis, cum præbenda sit distincta a canonia, cui stallum dicitur adnexum : *Ibid.*, § 5.

Hinc absurdissimum foret, si antiquum stallum, quod ratione suæ antiquitatis possidet, dimittere cogatur, ut junior seniorem præcedat : *Ibid.*

Canonici antiquiores præeminentia gaudent in stallo chori super eos qui posteriori tempore admissi fuerunt: *Tiras., Ord.*, 30 *maii* 1778, § 14.

Intellige tamen, si sint omnes de eodem ordine: *Ibid.*

Secus, si diversi ordinis ; tunc enim distinctione opus est: aut enim canonicus, qui nulliter possessionem cœperat, dejectus fuit, et ejus locus ab alio occupatus remansit; tunc etsi restituatur, pristinum stallum non recuperat : *Ibid.*

Et injuste, et absque ejus culpa remotus, eo casu pristinam suam possessionem animo semper retentam recuperat : *Ibid.*

Quum canonicus regressum fecisset ad stallum suum et exercitium presbyterale, sicut nunquam permutatum est, præcedere alios debet, quod est

natura resolutæ vel rescissæ permutationis : *Rom., Præc.*, 23 *nov.* 1754, § 2.

Præsertim cum hic regressus non competat ex gratia et beneficio principis, quo casu nocere non posset tertiis seu canonicis posterioribus, sed ex juris dispositione : *Ibid.*

§ XV.

Canonici quoad vacationes.

Seclusa consuetudine, vel statuto, canonici ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum non possunt ecclesiam deserere, et trium mensium vacatione gaudere : *Rip., Jub.*, 8 *febr.* 1783, § 8.

Et ratio est, quia Concilium in decreto sess. 24, *de Reform.*, processit non concedendo, sed prohibendo, ne capitulares prætextu statuti vel consuetudinis ultra tres menses abessent a residentia; cum expresse præservaverint consuetudines quæ longius servitii tempus requirerent : *Ibid.*

Ideo Patres Tridentini tolerandas decreverunt dicto decreto consuetudines et statuta trium mensium vacationes concedentia : *Albin., Vacat.*, 19 *maii* 1787, §§ 1 *et* 5.

E contra in eodem decreto statuitur, non licere vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus quæ longius servitii tempus requirunt : *Capuan., Ind.*, 5 *dec.* 1739, § 5.

Consentanee ad hanc conciliarem dispositionem, S. Congr. Concilii adstrictis ecclesiæ servitio ultra novem menses, consuevit vacationem trium mensium denegare : *Ibid.*

Attamen quoad canonicos qui ex constitutione aut consuetudine ecclesiæ tenentur toto anno chori ecclesiæque servitio incumbere, oportet indulgeri aliquod tempus ad recreationem corporis et animi : *Ibid.*

Vacationum dies possunt esse continui, vel interpolati : *Spolet., Serv. chor.*, 28 *febr.* 1795, § 9.

Sed cavendum ne omnes eodem tempore absint canonici, et chorus debito servitio destituatur : *Ibid. et* § 4.

Et ne vacationes incidant in tempore Adventus, Quadragesimæ, Paschalis Resurrectionis, Nativitatis Domini : *Ibid.*, § 9.

Canonici absentes a residentia et chori servitio per tres menses eorum muneri non satisfaciunt, quum opinionem contrariam, quæ inolevit, nusquam S. Cong. Concilii amplexa fuerit : *Civit. Castel.*, 7 *apr.* 1781, § 9.

Dum privilegium absentiæ diversum est a decreto Concilii, ne ultra trimestre canonicorum vacationes ampliari non debent : *Eugub., Serv. chor.*, 13 *jun.* 1795, § 4 et *Ibid.*

Canonici vacationes sumere nequeunt tempore Adventus, Quadragesimæ et majorum solemnitatum : *Terrac. et Set.*, 23 *nov.* 1771, § 3.

Tridentina Synodus concedit trium mensium vacationem a residentia, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt : *Veral., Serv. chor.*, 5 *jun.* 1790, § 2.

Ita tamen ut non omnes simul canonici per trimestre absint, ne omni servitio ecclesia destituatur : *Ibid.*

Si canonici quotidiano servitio absque ulla vacatione gravarentur, inanis atque impossibilis redderetur collati beneficii consecutio, imo benefactorum affectio ad utilitatem et commodum ordinata, in gravamen detorqueretur : *Leod.*, 21 *nov.* 1772, § 6.

Quum concilium humanam miserans infirmitatem, absentiam per tres anni menses canonicis permiserit, at dum illi voluerunt se accommodare constitutionibus Ecclesiæ, tacite conciliari beneficio renunciasse censentur : *Alex., Serv. chor.*, 20 *mart.* 1790, § 3.

§ XVI.

Canonici quoad vocem in capitulo.

Vulgata est canonici juris functio, in qua statuitur ut nullus cathedralis vel collegiatæ ecclesiæ canonicus vocem in capitulo habeat, nisi saltem in subdiaconatus ordine sit constitutus : *Rom., Voc. in cap.*, 1 *jul.* 1741, § 2 ; *Terracinen.*, 17 *jul.* 1779, § 5, et *Eug., Elect.*, 7 *sept.* 1793, § 6.

Quod procedit etiam in ecclesiis regularibus : *Sabin.*, 31 *maii* 1783, § 8.

Prædicta regula militat tamen in veris cathedralibus verisque collegiatis, non autem in ecclesiis quarum presbyteri instar collegiatarum se gerunt : *Ibid.*

Indulgeri autem valet ex gratia beneficiato, ut suffragium præstet, si votum Episcopi intercedat atque assensus majoris partis beneficiatorum, licet duo dissentiant : *Ibid.*

Nam si isti a ferendo suffragio hac de causa abstinuerint, eorum jus illico est devolutum ad alios suffragium ferentes : *Ibid.*

Canonicus clericus vocem habere nequit in capitulo : *Firm. et Farf., Ind.*, 26 *nov.* 1796, § 4.

Contrarium sustineri potest, ex quo canonicis in sacris non constitutis statim conceditur stallum in choro et locus in capitulo : cit. *Eug.*

Habere tamen valent vocem in fundatione : *Ibid.*

Probatur a jure capitularis electio sive per secreta suffragia, sive per schedas : *Ibid.*, § 7.

Canonicis in ecclesiis collegiatis recipi possunt, licet in ætate annorum 14, vocem tamen in capitulo non habent, quousque ad annum 21 non pervenerint, et sacrum subdiaconatus ordinem non susceperint : cit. loc. *Sabinen.*

An autem prohibitio ferendi suffragium in capitulis indicta canonicis, qui in sacro subdiaconatus ordine non sunt constituti, præ se ferat etiam privationem vocis passivæ, ita ut ad nullum officium eligi possint, disputant doctores ; nonnulli affirmativam, alii negativam tuentur sententiam, ideo præstat animadvertere quod decidit. S. Congr. Visitationis Apostolicæ 3 dec. 1663, hanc prohibitionem duntaxat habere locum in voce activa, et non in passiva : *Ibid.*, § 10.

Canonicus, qui obtinuit dispensationem apostolicam, ut in ætate 16 annorum, vel in alia sufficienti, canonicatum in cathedrali assequi possit, lucratur non solum fructus præbendæ, sed etiam vocem in capitulo habet : *Ibid.*, § 11.

Et si canonicus ob distantiam, infirmitatem, vel aliud impedimentum interesse non possit per se in capitulo, procuratorem constituere potest ad ferendum suffragium, dum modo procurator sit de gremio capituli : *Ibid.*, § 12.

Ex quo aliquos canonicos vocem activam non habentes in capitulo, inferre non licet, non esse de capitulo : *Nicien.*, *Decr.*, 19 *febr.* 1744, § 5.

Nihil enim vetat, vocem non habere in certis rebus gerendis, et tamen absque illis posse esse capitularem : *Ibid*, in fin.

Jus suffragii, onerum communio, nequeunt canonicos noves veteribus adsimilare, ac unum cum his constituere capitulum, cum novi certis legibus admissi sint, nec suffragium facit in omnibus et per omnia veteribus pares sint : *Ibid.*, § 5.

Ad suffragii jura exercenda, sat non est sola qualitas canonicalis, nisi simul concurrat altera tribuens potestatem habenti vocem in capitulo : *Sen.*, *Voc. in cap.*, 27 *febr.* 1758, § 3.

Ita nec jure ferendi suffragii frui valent in rebus ad eamdem massam pertinentibus : *Ibid.*

Canonicus.

§ I.

Canonicus coadjutus et coadjutor

Coadjutor durante vita coadjuti, fictus et non est verus canonicus : *Apoc.*, *Jub.*, 26 *aug.* 1780, § 7.

Et cum non sit verus canonicus, nulla ei debetur ab aliis canonicis præcedentia : *Calar.*, 22 *nov.* 1760, § 2.

Ecclesia jus habet servitium exigendi ab iis omnibus qui veros canonicos auxiliantur quique coadjutores dicuntur : *Ovet.*, *Coadjut.*, 16 *maii* 1745, § 2.

Ac proinde sequitur, quod si coadjutor in hujus muneris implemento deficiat, jus sit alterum, in illius locum subrogandi : *Ibid.*, § 3.

Coadjutoriæ gratia ea ratione concessa est qua expeditior fit ecclesiæ cultus : *Ibid.*

Competunt canonico coadjutori omnes prærogativæ, præeminentiæ, honores, et privilegia coadjuti : *Urbin.*, *Serv. chor.*, 21 *jun.* 1794, § 2 ; et *Spolet.*, *Serv. chor.*, 28 *febr.* 1795, § 11.

Ideoque ei competit etiam facultas substituendi alium in servitio chori, quam habet canonicus coadjutus : *Ibid.*

Maxime, quia per hujusmodi substitutionem augetur potius quam minuitur cultus divinus : *Ibid.*

Præsertim, si adsit consuetudo et exemplum in eadem ecclesia : *Urbin.*, cit. loc.

Quia æquum est ut qui ecclesiæ inservit absque præbenda commodo substituendi fruatur : *Spol.* cit. loc.

Hac de causa coadjutotes sunt veri canonici : *Urbin.* cit., § 3, et *Spol.* cit. loc.

Et per S. Congr. Concilii adempta est facultas iis tantum qui substituere volunt canonicum diversi ordinis : *Urbin.* cit. loc.

Verba quæ in litteris coadjutoriæ opponuntur, ut nempe coadjutor habere debeat omnes prærogativas, præeminentias, et honores in choro, processionibus, et aliis actionibus capitularibus, quos canonicus coadjutus haberet, non stant ad exclusionem aliorum canonicorum, sed ad exclusionem aliorum inferiorum : *Æsin.*, *Præem.*, 16 *decemb.* 1719.

Canonicus coadjutor pro labore et servitio præstando in munere coadjutoris, regulariter nihil petere, aut exigere valet juxta consuetam litterarum coadjutoriæ formulam : *Bar.*, *Præced.*, 19 *apr.* 1760, § 3.

Ob reticentiam obtenti salarii a coadjuto, subreptio inducitur ; quia summus Pontifex, si notitiam illius habuisset, vel nullomodo, vel difficilius concessisset indultum antiquitatis contemplatione servitii, quod satis compensatum fuerat cum dicto salario : *Ibid.*, § 4.

Alia subreptio deducitur ex reticentia occupationis stalli ultimi, quod durante coadjutoria canonicus coadjutor retinuit, licet aliquando in litteris coadjutoriæ tribuatur coadjutori præeminentia, quam canonicus coadjutus haberet, si præsens esset : *Ibid.*

Verum probabiliter indultum non concessisset, si scivisset illius indulti vigore tribui coadjutori stallum nunquam possessum in præjudicium antiquorum canonicorum : *Ibid.*

Alia subreptio inducitur ex reticentia rescripti S. Congr. Concilii, quod denegata fuit coadjutori antiquitas sui coadjuti : *Ibid.*, § 5.

Nec suffragatur quod mutatus esset rei status ob resignationem quæ supervenit, quia nec resignatio surrogationem tribuit in antiquitatem resignantis : *Ibid.*

Ex allatis subreptionibus gratia corruit : *Ibid.*

Sed gratia infringenda non est duntaxat innixa servitio, quod plenissime comprobatur, neque in pretio habendum est præjudicium antiquorum in indulto de sui natura præjudiciali : *Ibid.*, § 6.

Nec subreptio inducitur ex reticentia rescripti S. Congr. Concilii, quia de congregatione ad congregationem vetitum est recursum habere juxta decretum Innocentii XII. Pont. Max.: *Ibid.*

Imo ob immutatum rei statum, opus non est exponere præcedens S. Congr. Concilii rescriptum : *Ibid.*

Præsertim, quia in munere coadjutoris omnibus postponendus erat : *Ibid.*

In qualitate autem resignatarii surrogatus remansit, in locum resignantis quoad omnes affectus : *Ibid.*

Canonicus coadjutus non excusatur per coadjutorem ab onere residendi in loco ubi canonicatum obtinet, nisi habeat indultum : *Rom.*, *Fruct.*, 15 *april* 1780, § 8.

Imo nec lucratur fructus, et quotidianas distributiones, si coadjutor quoque absens sit sine indulto, licet causa infirmitatis : *Ibid.*

Ob id residentiæ onus incumbit canonicis tum coadjuto, tum coadjutori, etiam infirmis, nisi habeant unus et alter indultum : *Ibid.*

Et canonicus coadjutus residere tenetur in loco canonicatus sub pœnis S. Concilii Tridentini : *Rom.*, *Distr. quot.*, 23 *jan.* 1796, § 6.

Ac absens ex Pontificio indulto quotidianas amittit distributiones : *Ibid.*

Cessio distributionum per eum facta in favorem primi coadjutoris, ratione divini cultus censetur abdicatione, et secundo etiam favet coadjutori ; ideoque per obitum primi coadjutoris non resolvitur, nisi facta sit in gratiam personæ primi coadjutoris : *Ibid.*, § 8.

Hoc enim casu ob contemplatum etiam divinum cultum censetur mixta, quæ ad vitam duntaxat cessionarii est abdicativa : *Ibid.*, § 9.

Canonicus coadjutor præsens, acquirit distributiones coadjuto absenti : *Ibid.*, § 7.

Canonicus coadjutus absens bona fide a chori servitio, amisso coadjutore distributiones non percipit : *Barch.*, *Jub.*. 28 *febr.* 1761, § 2.

Et capituli consensus in favorem illius est inefficax, ob defectum potestatis admittendi absentes ad participationem distributionum : *Ibid.*

Coadjutori, qui datus fuit canonico jam habenti indultum jubilationis, minime suffragatur hoc indultum coadjuto concessum, quin inservire debeat : *Calag.*, *Jubil.*, 18 *apr.* 1733, § 7.

Facile usuvenit, ut possidentes canonicatus vel dignitates impetrent coadjutores sibi dari suos nepotes, ut beneficia remaneant in familia, quasi per speciem hæreditariæ successionis, contra decreta Patrum et tot factas constitutiones : *Ibid.*, § 12.

Canonicus coadjutus, etiamsi ad differentiam canonici jubilati non excusetur ab onere residendi in loco, ubi canonicatum obtinet ; tamen immunis est omnino a servitio chori et ecclesiæ, cui coadjutor obstringitur incumbere : *Ovet.*, *Coadjut. et distr.*, 16 *maii* 1739, § 4.

At si velit per se ipsum choro interesse, et omnibus ecclesiasticis functionibus canonicatui suo adnexis defungi, impediri non potest : *Ibid.*

Insuper canonicus coadjutus, si coadjutore absente vel impedito, choro intersit ecclesiæque servitio vacet, gaudere debet omnibus vacationis et recreationis diebus, quibus, canonicus coadjutor, si choro interfuisset, frueretur : *Ibid.*

Canonicus coadjutus tempore, quo infirmitatis causa nequit choro interesse, quotidianas distributiones haud lucratur, si contingat coadjutorem absque legitima causa, seu ex propria culpa a residentia abesse : *Ibid.*, § 5.

Ex decreto S. Congr. Rituum habetur, ut canonico coadjuto infirmo, vel alias legitime impedito, non debeantur quotidianæ distributiones, quando habet coadjutorem qui non residet ; punctatur tamen in ipsius coadjutoris damnum : *Ibid.*, et 16 *jan.* 1740, § 6.

Disceptandum hodie non est, an ægrotanti canonico coadjuto quotidianæ distributiones debeantur, si forte eodem tempore coadjutor quoque morbo teneatur, aut simili ex causa compellatur a residentia abesse ; tunc enim quotidianis distributionibus privandus non est canonicus coadjutus : *Ovet.* cit., 16-30 *jan.* 1740, § 2.

Canonicus coadjutorem habens, et pridem choro assuetus, si aliquando infirmetur, debet quotidianas distributiones lucrari, tametsi ejus coadjutor non ex justa causa, sed propria culpa coactus sit e loco residentiæ abesse, nequeatque proinde in sua ecclesia divinis vacare officiis : *Ibid.*, § 5.

Ea ratione quod sicuti canonicus coadjutore carens quotidianas distributiones acquirit, si morbo, aut alio justo impedimento detineatur, ita ca-

nonicus coadjutore provisus, ne sit deterioris conditionis canonico illum non habente, neve privilegium coadjutoriæ in ipsius odium, et detrimentum retorqueatur, quotidianas distributiones debet lucrari : *Ibid.*

S. Congr. Rituum contrarium sentit, uti antea dictum est. Sed hæc resolutio non procedit ex sententia Garziæ, quando coadjutus legitime impeditus non vult, ut resideat coadjutor, qui sine ejus voluntate et consensu residere non potest, tunc lucrabitur coadjutus, cum ipse sit legitime impeditus, nec coadjutor sit in culpa : *Ibid.*

At Castropal. ait, potius mulctandum esse coadjutum impeditum nolentem ut coadjutor inserviat quam volentem, quia nolens ut inserviat repugnat fini ob quem est coadjutoria assignata, et inique procedit, ejusque voluntas habenda est pro non adjecta ; at volens ut inserviat, juri se conformat : *Ibid.*

Canonicus ob servitium ultra 40 annos continuo et laudabiliter præstitum, jubilationis indulto prius obtento, si postea coadjutorem sibi dari impetret, obtentum jubilationis indultum amplius eum non juvat, sed punctaturis obnoxius manet, quotiescumque nec ipse nec ejus coadjutor inservit : *Ibid.*, § 8.

Canonicus coadjutus eo tempore quo et ipse ei coadjutor fuerint pro recuperanda valetudine absentes, et quo ecclesia debito caruit servitio, quotidianas distributiones consequi potest : *Rom., Distrib.*, 3 *dec.* 1729, § 2.

Canonicus coadjutus percipere etiam debet emolumenta provenientia a punctaturis, quæ veluti de jure accrescendi spectant ad illos canonices qui vere sunt canonici : *Ibid.*

Coadjutus tenetur ex reditibus beneficii suo coadjutori ministrare expensas necessarias, ex quibus vivere possit : *Ibid.*, § 4.

In antiquis litteris consuetum semper erat, quando coadjutor non habebat unde possit vivere, eidem centum vel plus vel minus reservare : *Ibid.*

Juxta modernum vero Datariæ stylum, quæ obsequitur conventioni partium omnia emolumenta, fructus, et distributiones reservantur coadjuto ; appellatione tamen istorum fructuum, et distributionum venire nequeunt controversa emolumenta incertissima punctaturarum, quæ lucrantur, qui intersunt vere et non ficte : *Ibid.*

Fallentiæ non debent incrementum facere coadjutis, qui nec vere nec realiter intersunt, sed lucrari coadjutores debent, qui præter ordinarium interventum, sentiunt etiam et subeunt majorem laborem, ob absentiam aliorum, et qui vere inservire debent : *Ibid.*

Emolumenta incerta, consistentia præcipue in communibus et exequiis, quæ ex voluntate testantium præstantur actu intervenientibus, exclusis absentibus, quamvis ad legitima causa impeditis, debentur coadjutori, non vero coadjuto : *Ibid.*, § 5.

Hæc emolumenta non comprehenduntur sub illa generalitate litterarum coadjutoriæ reservantium coadjuto *omnes et singulos canonicatus fructus, jura, obventiones, et emolumenta tum certa quam incerta Ibid.*

Stante generali reservatione omnium fructuum et distributionum in favorem coadjuti, omnia et quæcumque emolumenta, quæ ratione servitii acquirit coadjutor, cedere debent eommodo sui coadjuti, etiamsi ageretur de illis obventionibus quæ ex statuto ecclesiæ percipere nequiret coadjutus, si ipse vere et actu inserviret : *Ibid.*, § 7.

Coadjutoria continet duplicem gratiam, unam in favorem coadjutoris, ut succedat in beneficio, et alteram in adjutorium coadjuti, ut ea omnia emolumenta canonicatus lucretur mediante servitio coadjutoris, unde ille debet esse contentus sola spe futuræ successionis, quæ cedit in compensationem suorum laborum, ac debet manum extendere in portionem gratiæ quæ respicit coadjutum, videlicet in ejus emolumentum : *Ibid.*

Doctores communiter asserunt illos accrescere, seu per jus accrescendi, acquiri intervenientibus. Alii vero et auditorium Rotæ censent, dictas fallentias spectare ad intervenientes per jus non decrescendi : *Ibid.*, § 8.

Potentius autem ad propositum, est jus accrescendi : quippe, quia per jus accrescendi, portio non data accrescit ; per jus vero non decrescendi, pars data retinetur juxta distinctionem quam primus omnium adducit Justinianus in *Leg. unic.* § : *Ubi autem*, cod. *de Caduc. tollend.* : *Ibid.*

Fallentiæ potius ad coadjutum quam ad coadjutorem pertinent, quia eæ non comparantur subtractione fructuum a portione canonicorum non intervenientium derivante, sed verius finguntur ministerio juris nunquam separatæ a propria portione coadjuti, quæ censenda est magis pinguis ab initio : *Ibid.*

§ II.

Canonicus decanus.

Canonicus decanus nulla privative quoad capitulum potitur facultate puniendi per modum fraternæ correctionis alios canonicos, et beneficiatos, seu ministros ecclesiæ servitio addictos in eorum munere delinquentes, sed id ad universum capitulum pertinet : *Colon., Jur. mult.*, 15 *dec.* 1736, § 3.

Qualitas ordinis et subsellii presbyteralis, nihil

conducit ad consequutionem decanatus; quia decanatus non est dignitas per se subsistens, sed est præeminentia quædam ipso jure deferenda antiquiori de collegio; adeo ut qui prius in illud receptus fuit, suapte natura, ipsoque jure decanus nuncupetur : *Rom., Decan. cap. Later.* 22 *nov.* 1732, § 8.

In iis quæ non competunt ratione ordinis, sed ratione diuturnioris servitii, nihil momenti habet præcellentia ordinis, sed solum inspicitur tempus, quo quisque canonicus aggregatus est ad capitulum : *Ibid.*, § 9.

Amplia quod nec attendi debeat, quis canonicorum prius majori ordine fuerit initiatus : *Ibid.*

Et amplia quod eadem ratione nihil referre soleat transitus ab uno ad alterum canonicatum in eodem capitulo, eademque ecclesia; quia mutatio canonicatus non efficit diversam receptionem in collegium, proindeque firmo manente initio admissionis, antiquiori canonico deferuntur prærogativæ, quæ competunt ratione antiquioritatis : *Ibid.*, § 10.

§ III.

Canonicus depositarius.

In singulis diœcesibus debent Episcopi constituere in depositarium aliquem ex canonicis cathedralis ecclesiæ, qui mulctas retineat, de illis rationem præsente capitulo quotannis redditurus : *Bissac.*, 1 *mart.* 1738, § 2.

§ IV.

Canonicus honorarius, et supernumerarius.

Novum non est canonici honorarii nomen : *Terrac. seu Set.*, 19 *jan.* 1788, § 2.

Illud nomen appellatur *sine re, et nomenclaturam vacuam, ac inanem* præ se ferens :

Inductum fuit remotioribus Ecclesiæ seculis, ut receptus in canonicum honorarium, seu supernumerarium, instituatur in minoribus officiis ecclesiasticis, et inserviat prioribus ac antiquis canonicis et ecclesiæ : *Ibid.*

Et in extraordinariis canonicorum admissionibus, inspici potissimum debet Ecclesiæ necessitas, et consuetudo : *Ibid.*

Non potest esse canonicatus sine præbenda, id est sine spe et expectatione futuræ præbendæ, quod sequitur in admissione canonici honorarii : § 3.

Adeo conjuncta sunt canonia et præbenda, ut cui confertur canonicatus, debeat assignari et præbenda, si quæ vacat; et si non vacat, debeat expectari vacatio : *Ibid.*

Quæ quidem expectativa, utpote juris, sublata non est a S. Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 19, *de Reform.* : *Ibid.*

Ponderandum est, an conferre liceat canonicatum honorarium absque expectatione præbendæ, quæ ei debetur ex dispositione juris, et vi receptionis, ac connexionis, quam habet præbenda ad canoniam : *Ibid.*

Recipi valent canonici honorarii Pontificia auctoritate sine præbenda : *Ibid.*, § 4.

Per simplicem stalli concessionem, non tenetur canonicus honorarius residere, et in choro interesse, neque ad id compelli potest, quum in præmium residentiæ non habeat fructus seu distributiones : *Ibid.*

In negotiis indifferentibus, et officiis honorariis, quorum canonici honorarii capaces sunt, debent habere vocem in capitulis activam, et passivam : *Ibid.*

Duplicis speciei sunt canonici novæ erectionis, altera est illorum, qui vocantur canonici supernumerarii omnino discreti ab antiquis, quique non sunt vere canonici, sed sola fruuntur honorifica denominatione : *Sabin., Part.*, 28 *april.* 1770, § 13.

Hi non participant de massa distributionum, aliisque, quæ percipiuntur per canonicos numerarios, nec per illorum admissionem augetur antiquorum numerus, sed semper salvum, integrumque manet jus canonicorum, qui sunt numerarii; *Ibid.*

Altera species est illorum, qui vere et proprie aggregantur ad capitulum, et his semper æqualis debetur omnium emolumentorum participatio, nisi aliud in novorum erectione cautum expresse fuerit : *Ibid.*, § 14.

Canonici *honorarii* ea tantum jura et honores obtinere possunt, qui in illorum canonicatum erectione concessa ac concordata fuerunt : *Nicien., Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 4.

Et illi canonici honorarii non sunt, si uti vere canonici pleno jure canonia potiantur, ideoque unum idemque corpus, et capitulum cum senioribus canonicis constituant : *Ibid.*, § 2.

Jus vero suffragii et communio honorum ac privilegiorum non potest facere, ut novi canonici accipiendi sint uti pares veteribus, et unum idemque capitulum constituentes, cum non fuerint admissi pure, sed certis legibus ac conditionibus, ne suffragium faciant, et ne *in omnibus, et per omnia* senioribus pares sint, et unum cum iis capitulum efficiant : *Ibid.*, § 4.

Præsertim cum novi hi canonici in actibus capitularibus, qui proponuntur his præsentibus *supranumerariorum* nomine, tituloque vocantur : *Ibid.*

Et ostendunt apertius id, loca in choro, quæ sunt separata, nec novi canonici optarunt unquam loca superiora, quæ a veteribus tenentur, quæ res firmat, juniores esse canonicos honorarios, alias servari inter omnes debuisset ordo admissionis in capitulum, et jus senii et antiquioris temporis : *Ibid.*

Canonicus supranumerarius et honorarius non potest adigi ad residentiam : *Veliter.*, 5 *jul.* 1722, § 8.

Non debet esse canonicus sine præbenda, prout non debent plures clerici institui in ecclesiis quam de ecclesiis vivere possint : *Eystet., Can.*, 1 *dec.* 1731, § 3.

Nec valida est promissio præbendæ vacaturæ, quæ alienæ mortis votum ingerit : *Ibid.*, § 4.

Episcopus potest canonicos supernumerarios creare, sed ea conditione ut nullum jus ad præbendam vacaturam habeant vel vindicent sibi ex tali erectione : *Ibid.*, § 5.

Quamvis tamen jus canoniæ sit per se diversum a jure præbendæ, et unum subsistere possit sine altero ; nihilominus hoc ipso quod sit quis canonicus, talem acquirit prærogativam, ut ei debeat conferri præbenda postmodum vacans, non quidem ex promissione, quæ irrita est, sed ex juris dispositione : *Ibid.*, § *ult.*

§ V.

Canonicus jubilatus.

Ecclesiæ necessitas permittit Episcopo, ut illos qui per 40 annos ecclesiæ cum laude inservierunt et jubilationem obtinuerunt, ad suæ ecclesiæ obsequium revocare possit : *Alatr.*, 20 *aug.* 1785, § 7.

Canonicus jubilatus licet choro non intersit, nedum integros percipere potest suæ præbendæ fructus, sed etiam lucrifacere debet quotidianas distributiones, fallentias, ceteraque emolumenta inter præsentes distribuenda, perinde ac si ipse quoque præsens esset in choro : *Spol. seu Reat.*, 7 *aug.* 1779, § 7 ; *Lauret., Jubil.*, 11 *jun.* 1774, § 11 ; *Mantuan., Jubil.*, 16 *mart.* 1737, § 3 ; *Apen., Jubil.*, 26 *aug.* 1780, § 5 ; *Benev., Distrib.*, 26 *jan.* 1782, § 7 ; *Lauret., Distrib.* 19 *sept.* 1722, § *ult.* ; et *Civit. Pleb., Jub.*, 23 *nov.* 1782, § 10.

Fallentiæ vero canonico jubilato debentur, etiamsi choro non intersit, nisi obstet constitutio, aut consuetudo ecclesiæ : *Lauret.* cit., 19 *sept.* § 3 ; et *Civit. Pleb.*, cit. loc.

Verum alias S. Congr. concilii censuit punctaturas, seu fallentias canonico jubilato, si choro non intersit, non debere : *Aquipen., Ind.*, 18 *martii* 1719, § 2.

Emolumenta vero anniversariorum debentur canonico jubilato in hypothesi, in qua non fuerat a testatoribus apposita conditio, ut inter præsentes dividantur ; et in hypothesi, in qua immemorabilis fuerit introducta consuetudo, ut participantes de distributionibus, participarent etiam de anniversariis : *Ibid.*, § 3.

Limita in casu, in quo concessum est consuetum jubilationis indultum cum facultate percipiendi omnes fructus una cum distributionibus quotidianis, perinde ac si jubilatus choro interesset ; attamen jubilatus admittendus non est ad partitionem de emolumentis anniversarium, non obstante, quod anniversaria videantur æquiparari distributionibus : *Ibid.*, § 4.

Iniquum est ut canonici jubilati potiori jure gaudeant, quam alii, quia iidem eam legem servare debent, quam olim quoad alios probaverunt : *Reat., Jub.*, 28 *april.* 1770, § 12.

Licet canonicus jubilatus nihil contribuere teneatur de propria crumena, attamen pati debet, ut onera intrinseca, sive infixa, minuant quantitatem distributionum, et ante illarum partitionem deducantur : *Senen., Jub.*, 12 *jan.* 1760, § 4.

Canonicus indultum jubilationis assequutus neque per seipsum, neque per alium Missam conventualem, aut alias functiones, ut antea, per vices obire obstringitur, nisi res sit de ecclesia, ubi viget peculiaris consuetudo, vel statutum præscribens, functiones quasdam debere a canonicis jubilationis indulto quoque munitis expleri : *Const., Jub.*, 4 *maii* 1737, § 6.

§ VI.

Canonicus pœnitentiarius.

Soli Episcopo tribuitur facultas eligendi canonicum theologalem : *Pinn., Can. theol.*, 25 *apr.* 1761, § 3.

Quamvis regulariter in aliqua ecclesia canonicorum electio ad capitulum, confirmatio tamen ad Episcopum pertinet : *Ibid.*

Quando canonico theologo ita tenuis assignata est præbenda, ut ejus conservationi non respondeat, juxta sanctionem Tridentinam ; Episcopus tenetur ei simplicia beneficia unire : *Martur., Erect.*, 25 *jan.* 1738, § 8.

Canonicus theologus juxta dispositionem conciliarem sess. 5, cap. 1, *de Reform.*, ad propria munera ad amussim exequenda, per subtractionem fructuum est cogendus : *Cajet.*, 22 *jan.* 1774, § 3.

Pœnitentiarius debet ratione sui muneris statis diebus et horis in ecclesia cathedrali, et sua in sede, confessiones excipere : *Pisaur., Cas. reform.*, 21 *nov.* 1761, § 9.

Pœnitentiarius, dum confessiones in ecclesia audit, tanquam in choro præsens habetur : *Inter.*, 26 *jan.* 1771, § 11.

Pœnitentiarius respuere nequit delegatam jurisdictionem in foro pœnitentiali, et facultatem absolvendi a casibus reservatis; quia munus publicum, uti est jurisdictio, a nemine recusari potest : *Pisaur.* cit., § 7.

Et etiam invitus compelli potest delegationem suscipere : *Ibid.*

Neque deest gravis et legitima causa cogendi pœnitentiarium ut accipiat delegatam jurisdictionem absolvendi a reservatis : *Ibid.*

Quia ille institutus est a S. Concilio Tridentino ad confessiones audiendas : *Ibid.*

Et ideo pro illis excipiendis semper debet esse paratus, horis, loco, et sede opportunis, arbitrio Episcopi : *Ibid.*

Maxime, quia ex generali fere consuetudine receptum est quod pœnitentiarii, ratione officii, adjunctam habeant facultatem absolvendi a reservatis : *Ibid.*

Episcopus potest punire canonicum pœnitentiarium renuentem suum munus implere : *Ibid.*, § 8.

Canonicus pœnitentiarius jurisdictionem in foro pœnitentiali assequutus est cum suo canonicatu : *Ibid.*, § 2.

Nequaquam vero illa extenditur ad peccata ab Episcopo reservata, pro quibus indiget speciali delegatione Episcopi : *Ibid.*

Canonicus pœnitentiarius, qui eligi potest a capitulo ad officia secretarii, archivistæ, et aliorum similium, nequit excusari ab exercendo officio, quod de facto compatibile est cum suo munere : *Taur., Camer.*, 21 *nov.* 1761, § 4.

Nec hujusmodi officia requirunt totum hominem, ut illum a dicto munere necessario divertant, sed sunt officia quæ manualiter parvo momento expediuntur : *Convers., Offic. cap.*, 24 *sept.* 1729, § 5.

Regula generalis esse videtur exclusiva optionis in theologo pœnitentiario, qua inspecta, licet adsit indultum optandi, videtur tamen quod ipse optare non possit : *Melev.*, 23 *febr.* 1726, § 5.

Limitationem autem hæc regula pati videtur, quod si canonicus pœnitentiarius præbendam tenuem haberet, et vacantem præbendam pinguioris reditus optare nequiret, sequeretur, quod canonicus pœnitentiarius, qui majus onus subit, minora emolumenta ferre cogeretur : *Ibid.*, § 6.

§ VII.

Canonicus regularis.

Quoad capacitatem canonicorum regularium Lateranensium obtinendi beneficia secularia communior recepta est opinio, ipsos ea assumere non posse ; adeo ut pro assequendis canonicatibus, aliisque beneficiis secularibus ac præsertim iis quibus animarum cura non sit adnexa, Pontificia indigeant dispensatione : *Pistor., Ind.*, 16 *mart.* 1737, § 2.

Ideo canonici prædicti regulares Lateranenses non possunt absque Pontificia dispensatione obtinere canonicatus, aliave beneficia secularia, quibus annexa non sit animarum cura : *Ead.*, 18 *maii* 1737, § 2.

Canonici regulares antiquitus erant capaces obtinendi parochiales ecclesias, aut alia beneficia curam animarum adnexam habentia : *Ibid.*

Canonici regulares sunt incapaces obtinendi beneficia non curata, tam si sint simplicia quam cum dignitate : *Ibid.*

Canonici regulares sunt incapaces obtinendi dignitates seculares : *Ibid.*

Canonici regulares indigent Pontificia dispensatione pro obtinendis beneficiis secularibus, alias collatio seu institutio nullius est momenti : *Ibid.*, § 3.

Canonici regulares solent solum dispensari quoad obtinenda beneficia curata : *Ibid.*, § 4.

Leo X Pont. Max. decrevit ut canonici Lateranenses ad episcopatum assumpti deferant ejusdem coloris et formæ vestes quibus utuntur Episcopi seculares tam in sacello pontificio, quam extra : *Firm.*, 23 *maii* 1722, § 5; et *Adnot. secret.*, 5 *jun.* 1727, § 6.

Prætenditur ut canonicus regularis asumptus ad beneficia secularia deferat habitum clericorum secularium : *Adnot.* cit., § 2.

Quoad canonicos regulares assumptos ad canonicatus seculares in metropolitanis, cathedralibus et collegiatis ecclesiis, urgetur assumptio vestis clerici secularis : *Ibid.*

Ratio est ut in unum habitum conformentur, ne populi offensio ex vestium diversitate excitetur : *Ibid.*, et § 4, et 5.

Si canonici regulares assumuntur ad beneficia curata secularia, beneficium curatum seculare exposcit habitum presbyteri secularis : *Ibid.*, § 6.

Canonici regulares per consecutionem beneficii curati non remanserunt liberati a voto paupertatis : *Firm.*, cit. loc.

Canonicus regularis nullum a conventione qua, si ad seculum reverteretur, regressum haberet ad

bona renunciata, valet præsidium reportare; eo quod adversus votum paupertatis conventio illa pugnet : *Ibid.*, § 6.

Nemo ex canonicis regularibus S. Augustini congregationis Lateranensis, quamvis non translatus, ad curam animarum in ecclesiis secularibus etiam de jurepatronatus exercendam admitti debet, nisi præter abbatis generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ indultum accedat : *Ordin., Can. reg. SS. Salvat.*, 17 *jul.* 1723, § 2; in *Bonon., Ind.*, 18 *sept.* 1723; et in *Adnot. secret.*, 5 *jun.* 1727.

Id quod contingit in capacitate canonicorum regularium in ordine ad beneficia curata secularia, contingit etiam in beneficiis simplicibus, et signanter in canonicatibus, quum citra dispensationem apostolicam ad canonicatus in cathedralibus præsertim ecclesiis assumi non possint : *Bonon., Ind.*, 18 *sept.* 1723, § 2.

Quod etiam extenditur ad canonicos regulares SS. Salvatoris : *Ordin., Can., cit. loc.*

Nonnulli putant textum conciliarem, qui translatum, etiamsi cononicorum regularium ille fuerit, ad beneficia secularia etiam curata, omnino incapacem existere declarat, loqui de canonicis regularibus, qui ad aliam religionem sunt translati, et non de translatis ab alia religione ad canonicos regulares : *Ibid.*, § 4.

Alii e contra credunt concilium loqui de translatis ab una religione ad canonicos etiam regulares, tum quia non erat opus ulla nova providentia circa translatos a canonicis regularibus ad aliam religionem, quum a prima liberati novæ religioni subjecti remansissent, adeoque beneficiorum curatorum incapaces ; tum etiam quia Concilii Tridentini intentio fuit, auferre translatis spem manendi extra claustra, vigore beneficiorum curatorum : *Ibid.*, § 5.

Canonicus regularis ad officium plebani assumptus, unum canonicum regularem ad cautelam secum retinere debet : sed regula hæc non absolute et simpliciter retentionem socii præscribit, sed cum modificatione, *si commode fieri possit* : *Firm., Renun.*, 17 *jul.* 1723, § 2.

Canonici regulares, utpote inservientes regulæ laxiori, sunt capaces ecclesiarum parochialium etiam secularium : in *Adnot. secret.* cit.

Canonicus regularis exercens plebani officium, si commode fieri poterit, unum canonicum regularem socium ad cautelam retinere debet : *Ibid.*, § *ult.*

Hæc vero socii retentio pendet a commoditate, ita ut canonicus regularis, cessante commodo, præfici possit sine socio ecclesiæ seculari : *Ibid.*

Clemens X statuit ut nemo ex canonicis regularibus Ord. S. Augustini congreg. Lateranensis, quamvis non translatus ad curam animarum in ecclesiis secularibus etiam de jurepatronatus, seu ad tempus, quocumque titulo exercendam, admittatur; nisi præter abbatis generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ indultum accedat : *Firm.*, 23 *mart.* 1722.

§ VIII.

Canonicus senior.

Canonico seniori approbato ad excipiendas confessiones, deficiente prima et unica dignitate, jus est exercendi omnes sacras functiones : *Pisaur.*, 11 *jan.* 1772, § 8.

Præsertim, quia in funeribus parochiæ incolarum, canonicis cathedralis et collegiatæ ecclesiæ præeminentia competit supra parochos defunctorum : *Ibid.*

Nonnisi canonico seniori sunt adjudicanda emolumenta funerea, quæ in præmium et mercedem laboris pro administratione sacramentorum, et funere peracto debentur : *Ibid.*, § 10.

§ IX.

Canonicus theologalis.

Unaquæque metropolitana ecclesia debet habere theologum qui sacerdotes et alios in sacris paginis doceat, et in his præsertim informet, quæ ad animarum curam spectare noscuntur, assignata theologo præbenda, non sic tamen, ut ipse efficeretur canonicus, sed tandiu reditus percipiat, quandiu persistit in docendo : *Adnot. secr.*, 5 *jun.* 1723, § 2.

Et, ut quævis metropolitana ecclesia facilius theologum sibi comparare possit, capitula mittere debent juniores clericos ad frequentandas universitates, et veniam facere residentiæ tum clericis studentibus, tum magistris theologiam profitentibus : *Ibid.*

Amplia etiam, et extende ad omnes cathedrales ecclesias : *Ibid.*, § 3.

Et amplia ulterius, quum sacr. Concilium Tridentinum nedum voluerit theologum statui in quacumque cathedrali, sed etiam in quacumque collegiata, existente in aliquo oppido insigni : *Ibid.*

Nulla primis temporibus distinctio aderat inter theologos et canonistas : *Ibid.*, § 4.

Canonico onus imponitur exponendi sacram Scripturam, et eamdem interpretandi ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem : *Ibid.*, § 5.

Obtinens præbendam theologalem suo muneri satisfacit, sive sacram Scripturam interpretetur,

sive doceat theologiam scholasticam : *Ibid.*, § 6.

Et theologiæ scholasticæ subrogata postea fuit lectio casuum conscientiæ, sive theologiæ moralis ; et hæc etiam fieri cœpit cumulative cum ipsa lectione sacræ Scripturæ : *Ibid.*, § 7.

Quum maxima esset connexio inter jus canonicum et theologiam moralem, hinc nonnulli satis esse putarunt pro obtinenda præbenda theologali, si aliquis sit doctor in jure canonico, licet magisterium in sacra theologia non receperit; et eo fortius, quando in metropolitana ecclesia, vel collegiata aut cathedrali, mos inolevit, ut loco lectionis sacræ Scripturæ aut theologiæ scholasticæ, lectio theologiæ moralis habeatur : *Ibid.*, § 8.

Non est eadem ratio de præbendis theologalibus ac de præbendis canonicalibus ; nam præbenda theologalis tunc solum canonico conferri potest, quando facta diligentia non invenitur theologus in loco, ubi confertur : *Ibid.*, § 9.

Canonicus theologus ad certas lectiones juxta consuetudinem, vel ad arbitrium episcopi, tenetur ; dummodo tamen lectiones non sint infra numerum quadragenarium singulis annis : *Convers., Offic. capit.*, 24 *sept.* 1729, § 5.

Canonicus theologalis potest eligi in officio capituli secretarius, archivarius, vel in aliis similibus; quia hujusmodi officia non requirunt totum hominem, ut illum a dicto munere necessario divertant, sed sunt officia quæ manualiter parvo momento expediuntur : *Ibid.*, § *ult.*

Plurimæ diœcesanæ synodi ediderunt statuta circa tempus, horam, et materiam sacræ Scripturæ, quam theologus publice exponere debeat : *Fulgin.*, 3 *jul.* 1784, § 10.

Synodus Turonensis anno 1583, et Bituricensis anno 1584, decreverunt, ut obtinentes theologalem præbendam teneantur bis, aut ad minus semel in hebdomada prælegere, et diebus dominicis, ac festis solemnibus concionem publicam habere : *Ibid.*

Synodus Aquensis voluit, ut theologus saltem bis in hebdomada idem præstet docendo : *Ibid.*

S. Carolus Berromæus in synodo Mediolanensi XI de theologo canonico statuit, ut die festo ille sacras Litteras in ecclesia publice interpretetur : *Ibid.*

In feriis autem hebdomadæ, ubi cleri numerus est, sacram Scripturam, casuum conscientiæ tractationem, aut alterius ecclesiasticæ doctrinæ lectionem exponat : *Ibid.*

Concilium Romanum anno 1725 præscripsit methodum, qua sacræ Scripturæ lectio explenda foret : *Ibid.*, § 11.

Idcirco in una quaque lectione, litterali textus enarratione præmissa, duas ex Scripturæ sacræ locis proponant semper, solvantque quæstiones ; historicam unam, moralem alteram ; vel de nostræ fidei articulis et sacramentis ; vel de catholicæ Ecclesiæ Ritibus, eorumque materiis ; vel aliis ad sanam doctrinam spectantibus : *Ibid.*

Synodus Fulginatensis, anno 1722, statuit ut canonicus theologus pro tempore, singulis diebus dominicis eam materiam, seu sacræ Scripturæ partem, eaque hora, quam Episcopus pro tempore præscripserit, legere et explicare teneatur : *Ibid.*

In Concilio Tridentino orta quæstione, an lectio sacræ Scripturæ, vel potius theologiæ scholasticæ, institui deberet ? responsum est præferendam lectionem sacræ Scripturæ : *Ibid.*, § 16.

Hinc exclusa non remansit lectio sacræ theologiæ : *Ibid.*

Et canonicus theologus muneri suo satisfacit, si explicet sacram Scripturam, vel legat theologiam scholasticam : *Ibid.*

Et ratio est, quia Concilium Tridentinum se refert ad decretum *Quia nonnullis de magistris* Innoc. III, in quo disponitur ut theologus doceat in sacra pagina, et in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare dignoscuntur : *Ibid.*

Hanc quæstionem illustrat Benedictus XIV in *Synodo diœcesana* lib. 13, cap. 9, num. 17 : *Ibid.*

Et expositam sententiam confirmat, dummodo circa quæstiones gravis momenti et utilitatis versetur : *Ibid.*

Additque quod aliqui Episcopi laudabiliter fecerint, qui de conscientiis et moribus dirigendis per canonicum theologum tradi curarunt theologiam : *Ibid.*

Attamen Episcopus juxta sui prudentiam statuere debet, quid canonicum theologum tradere oporteat : *Ibid.*, § 18.

Qui, si agnoverit auditores capaces, adigat theologum, ut sacram Scripturam explicet ; si populus non adfuerit, et clerus rudis sit ; melius est, ut in theologia et morali instruatur : *Ibid.*

Canonibus theologus menti sacr. Tridentini Concilii haud satisfacit, si loco explicationis sacræ Scripturæ, parochis et confessariis quæstiones morales semel, aut bis in mense, dissolvendas proponat : *Ibid.*

Et si Episcopus id necessarium cognoverit, omittere non potest ob eam causam explicationem publicam Scripturæ sacræ in iis, quæ utiliora populo sunt : *Ibid.*

Non desunt etiam concilia provincialia et diœcesana quæ canonico theologo facultatem tribuunt docendi theologiam scholasticam, vel moralem; dummodo explicatio sacræ Scripturæ penitus non omittatur : *Ibid.*, § 21.

Id ipsum decrevit concilium Compostellanum, et

concilium Toletanum, dummodo sub aliquo Scripturæ loco versetur lectio : *Ibid.*

Card. Barberinus in concilio synodali Farfensi idem statuit : *Ibid.*

Nec non in synodo Montis Falisci, anno 1710 idem cautum est : *Ibid.*

Quia canonicatui theologali injunctum est a Tridentino Concilio munus legendi sacram Scripturam : *Leod., Resid.*, 2 *sept.* 1734, § 10.

Lectio moralis non est aliena a Concilii Tridentini, sess. 5, cap. 1, *de Reform.*, mente : *Pacen.*, 24 *aug.* 1765, § 5.

Quæ licet in principio ad sacram Scripturam tantummodo respicere visa sit, attamen postea indiscriminatim de Scriptura ac de theologia locuta est : *Ibid.*

Lectionum numerus, dies, modus, et materia, arbitrio Episcopi relicta sunt : *Ibid.*

Patres Tridentini potestatem Episcopis fecerunt assignandi lectori sacræ Scripturæ fructus alicujus simplicis beneficii non absolute, et generatim, sed quatenus in ecclesiis ipsis cathedralibus vel collegiatis nulla vel non sufficiens præbenda foret : *S. Miniat. Visit. SS. LL.*, 14 *mart.* 1733, § 6.

Canonicus theologus, ex quo in dignitate constitutus non reperitur, primum locum canonicis in receptione antiquioribus relinquere debet : *Mediol., Preced.*, 19 *sept.* 1761, § 3.

Præsertim accedente expressa fundationis lege præscribente præcedentiam ab antiquitate esse regulandam ; quæ lex omnino attendenda : *Ibid.*

Regula generalis est ut canonicus theologalis habeat exclusivam optionis, qua inspecta, licet adsit indultum optandi, videtur tamen, quod ipse optare non possit : *Melev.*, 23 *febr.* 1726, § 5.

Canonicis theologalibus et doctoribus utriusque juris, qui in unaquaque ecclesia cathedralium omnium regnorum Castellæ et Legionis creati fuerunt, imposita inter cetera fuit strictissima lex residentiæ : *Compost.*, 17 *jan.* 1728, § 4.

Canonicus theologus juxta dispositionem Concilii Tridentini sess. 5, cap. 1, *de Reform.* ad propria munera adamussim exequenda, per subtractionem fructuum, est cogendus : *Cajet.*, 22 *jan.* 1774, § 3.

Nequit Episcopus canonico theologo beneficia simplicia unire, nisi præbenda assignata ita sit tenuis ut congruæ ejus conservationi non respondeat : *Maturan., Erect. can.*, 25 *jan.* 1738, § 8.

Episcopo soli tribuitur facultas a Concilio Tridentino eligendi canonicum theologum : *Pinn., Can. theol.*, 25 *april.* 1761, § 3.

Quamvis regulariter in aliqua ecclesia electio canonicorum pertineret ad capitulum, et confirmatio ad Episcopum : *Ibid.*

Canonicus obtinens præbendam theologalem, ad continuam et præcisam residentiam arctatur, ut per semetipsum, et non per substitutum, publice legat et doceat sacram Scripturam, etiamsi illius antecessores eam docere nunquam consueverint : *Leod., Resid.*, 11 *sept.* 1734, § 12.

Canonico præbendam theologalem obtinenti, privilegia tributa iis, qui theologiam, aut jus pontificium docent in publicis universitatibus, non suffragantur, ut ab illius ecclesia abesse valeat : *Ibid.*, § 14.

Nec idem canonicus potitur indulto, quo fruuntur ceteri canonici, in Episcopi aut ecclesiæ servitium absentes : *Ibid.*, § 12.

Quum canonicus theologus aliquod stipendium percipit, non jure præbendæ suæ theologalis, et intuitu ecclesiæ ; sed ratione celebrationis Missarum, et ex peculiari testatorum dispositione, non est in taxam benedictinam scut. 60. imputandum : *Melph., Præb. theol.*, 19 *nov.* 1740, § 5.

Ubi suo munere obeundo negligens fuerit ; fructuum et distributionum subtractione mulctari, et in casu gravioris contumaciæ, potest alius sacerdos theologus deputari, sive secularis, sive regularis, qui suppleat illius vices, atque interim præfatis fructibus et distributionibus potiatur : *Ibid.*, § 8.

CANONISSÆ. Vide *Capitulum seu Collegium canonissarum.*

Cantus Gregorianus, harmonicus.

Cantus Gregorianus melior est harmonico : *Bonon., Com. vol.*, 15 *maii* 1790, § 2.

Harmonicus in ecclesiis non probatur : *Ibid.*

Limita : Sed intelligi debet de musica lasciva, et profana, non item de sacra. *Ibid.*

Et ratio est, quia hæc auditum demulcet, devotionem provocat ; et psallentium Deo animos torpere non sinit : *Ibid.*

Cantum Missarum conventualium prescribunt sacri canones : *Brugn., Miss. conv.*, 19 *decemb.* 1795, § 5.

Quum præcipuum canonicorum et beneficiatorum munus sit divina officia in ecclesia solemniter canere ; tenentur ii sub lethali culpa addiscere cantum, quo possint munus suum recte obire ; vel canonicatus, et beneficia jam obtenta, dimittere : *Muran., Mans.*, 19 *nov.* 1735, § 5.

Alias possunt ab Episcopo ad cantum Gregorianum addiscendum compelli subtractione non solum distributionum quotidianarum, sed etiam fructuum præbendalium : *Ibid.*

Imo, si ex peculiari ecclesiæ consuetudine, statuto, aut fundationis lege, cantus Gregoriani pe-

ritia requiratur ad canonicatum, vel ad alterius beneficii consecutionem, qui ea carent, nequeunt illa obtinere : *Ibid.*, § 6.

Et capitulum legitime contradicit, si nolit eum admittere, qui super eodem cantu, prævio examine, approbatus non fuerit : *Ibid.*

Capacitas. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § v ; *Legatum pium*, § vi ; *Pensio ecclesiastica*, § ii ; *Regulares*, § ii.

Capella.

Capellæ in nosocomiis erectæ non comprehenduntur in decreto Concilii Tridentini Missas in oratoriis privatis vetante : sed ex nomine religiosæ domus veniunt, et fruuntur ecclesiarum privilegiis : *Grosset.*, 16 *maii* 1778, § 6.

Missas audiendo in oratorio, seu capella privata, diebus festis, ecclesiastico præcepto non satisfaciunt præsentes, præter comprehensos in pontificio indulto : *Ibid.*, § 9.

Implent tamen præceptum Missæ eam audiendo in publicis oratoriis, in aliis locis Deo dicatis, et capellis hospitalium : *Ibid.*

Quamvis hortandi essent fideles, ut in ecclesia parochiali convenirent ad audiendum sacrum, nihilominus ex Tridentino cogi non possunt, et liberum eisdem est in oratoriis publicis sacrificio Missæ adesse ac præceptum implere : *Ibid.*, § 10.

Nec populo id prohibere valet Ordinarius : *Ibid.*

Capellæ, tametsi erectæ intra limites alterius ecclesiæ parochialis, huic nonnisi quoad jura parochialia sunt subjectæ : *Cassan.*, 30 *maii* 1767, § 21.

Capellarum publicarum, carcerum positorum subtus pallatium apostolicum, præsidiis Montis Alti, jurisdictionem non sibi reservarunt summi Pontifices, excludendo illam Episcoporum, sed generalem tantum eis tribuerunt exemptionem, quæ non vetat Episcopis ne in iis visitationem expleat : *Mont. Alti, Visit.*, 17 *sept.* 1757.

Capellæ semper præsumuntur liberæ, et de dominio illius ecclesiæ intra cujus ambitum reperiuntur ædificatæ : *Leopol.*, 30 *jul.* 1763, § 3.

Capella seu Oratorium. Vide *Oratorium*.

Capellania. Vide *Episcopus*, § ii.

Capellania.

§ I.

Capellania quoad caducitatem.

Non incurritur caducitas a capellania, absque malitia et dolo : *Sutr.*, *Capel.*, 15 *jul.* 1797, § 5.

§ II.

Capellania quoad commutationem.

Sine justa et rationabili causa, in perpetuam converti non potest capellania : *Turrit.*, 28 *maii* 1791, § 5.

Ex jure utilius defunctis censetur ut statim celebrentur Missæ, quam per institutionem perpetuæ capellaniæ in annos partiantur : *Ibid.*

Licet capellaniam laicalem in ecclesiasticam convertere, si vel expressa, vel tacita accedat Ordinarii auctoritas : *Camerin.*, *Cap.*, 19 *sept.* 1772, § 11.

Sine juxta et necessaria causa, et sine Apostolico beneplacito, capellania erigi in conicatum nequit : *Null. seu Farf.*, 21 *novemb.* 1761, § 4.

Derogari non debet voluntati fundatoris capellaniæ, nisi ex necessitate vel utilitate ecclesiæ, aut prærogativa personæ : *Raven.*, *Capel.*, 14 *mart.*, 1795, § 5.

Non potest simplex capellania laicalis ad statum beneficii collativi reduci : *Null.*, *Guast.*, 10 *maii* 1783, § 4.

Imo male se gerunt Ordinarii locorum qui contra fundatorum voluntatem illas in ecclesiastica beneficia erigunt ; cum in ipsorum Ordinariorum potestate minime sit decendentium dispositiones invertere : *Ibid.*

Et hoc procedit, etiamsi Ordinarius fecerit erectionem in titulum de consensu patroni, qui auxit reditus legati : *Ibid.*

Et ratio est, quia augmentum sortitur naturam principalem institutionis : *Ibid.*

Atque solus patronus ex illis quæ dedit creare potest beneficium, non autem miscere cum reditibus legati pii, quod, resistente fundatoris mente, in titulum perpetuum erigere non licet : *Ibid.*

Ad immutandum statum capellaniæ laicalis in beneficium ecclesiasticum, requiritur quadraginta annorum præscriptio : *Ibid.*, § 7.

Et capellania profana, potest fieri ecclesiastica, si per tempus quadraginta annorum ter, quaterque, aut etiam bis, conferatur : *Ibid.*

§ III.

Capellania quoad dotem et fundum.

Qui fundum capellaniæ ære suo vindicavit, imponere potest novum onus super sorte impensa : *Senog.*, *Oner. Miss.*, 6 *decemb.* 1794, § 4.

Permittenda est utilis commutatio investimenti in favorem fundi tenuis capellaniæ potius cum as-

signatione prædiorum, quam in locis montium : *Sabin., Capel.*, 17 *april.* 1795, § 4.

Pertinentia fundi ad institutionem capellaniæ probatur ex testimonio publici archivarii, de sibi exhibita apocha acquisitionis : *Senog., cit. loc.*

Si originarii spectentur capellaniarum fundi, incongruum non esset censibus addere census, qui bonis stabilibus æquiparantur : *Macer.*, 14 *mart.* 1789, § 4.

Ex superextantibus reditibus, augendus est tenuis fundus capellaniæ : *Novar., Reduct. Miss.*, 17 *aug.* 1793, § 9.

In damnum cadit capellani, imminutio sortis traditæ in fundum capellaniæ : *Rom., Capel.*, 15 *jul.* 1797, § 9.

Quamvis utilior sit animæ fundatoris erogatio superextantis reditus vacantis capellaniæ, in celebrationem Missarum : *Novar., Reduct. Miss.*, 26 *sept.* 1795, § 6.

Ubi dos tamen capellaniæ est tenuis, erogari potius ad eam augendam debet : *Ibid.*

Capellaniæ sortes redintegrari debent ab ejus administratore : *Feretr., Capel.*, 28 *febr.* 1795, § 7.

Alienationem consectarium est capellaniæ fundi redintegratio : *Firm., Capell.*, 29 *jan.* 1791, § 6.

Superextantes fructus capellaniæ investiendi potius sunt in augmentum illius fundi : *Reduct.*, 19 *jan.* 1793, § 8.

Taxativa qualitas sortis assignatæ in fundum capellaniæ, eximit hæredem fundatoris vel patronum ad eam supplendam : *Ibid.*, § 6.

§ IV.

Capellania quoad electionem et vocationem.

Vocatus ad capellaniam per posterius impedire nequit assumptionem clericatus primo vocato : *Prænest., Capel.*, 19 *jun.* 1790, § 3.

Ex una præventione, prælatio ceteris paribus mereri potest : *Ripan., Capel.*, 16 *april* 1791, § 7.

Patres Carmelitæ non possunt deputare unum ex sacerdotibus ad capellaniam quæ non est ecclesiastica, quia utpote beneficii secularis ipsi sunt incapaces : *Camerin., Capel.*, 19 *nov.* 1735, § 3.

Sed de capellania solum naturam legati pii cum onere Missarum habente, quæ a regularibus retineri potest, illiusque onus nedum in propriis ecclesiis, sed etiam in ecclesiis secularibus per sacerdotem regularem adimpleri non prohibetur, id non tenet : *Ibid.*

In vocatione capellaniæ præsertim laicalis dubium non est, quin nomine *presbyteri* veniant etiam simplices clerici : *Null. Leprin., Capel.*, 13 *jul.* 1771, § 12.

Maxime dum onus celebrandi per se ipsum injunctum non est : *Ibid.*

Prælatio consanguinei ad capellaniam, locum habet ceteris paribus : *Forol., Capel.*, 25 *jun.* 1791, § 6.

Sed in concursu præferri debet extraneus habilis consanguineo inhabili : *Ibid.*

§ V.

Capellania quoad fundationem et erectionem.

Nulla est erectio capellaniæ contra mentem testatoris, nisi fiat ad instantiam exequutoris testamentarii, qui præsumitur conscius ejus voluntatis : *Fulg., Capell.*, 27 *aug.* 1796, § 6.

Contra mentem testatoris, neque exequutor testamentarius, neque Episcopus potest capellaniam mere laicalem erigere in beneficium simplex : *Ibid.*, § 5.

Erectio capellaniarum ad augendum divinum cultum, ut commode percipere possint capellani congruam conservationem, facienda est ad modum collegii : *Milet., Erect. capell.*, 22 *mart.* 1760, § 4.

Erectio capellaniæ manualis in beneficium ecclesiasticum, tendit ad majorem Dei cultum ex obligatione recitandi officium divinum, quæ superadditur beneficiato præter onus Missarum : *Viglev., Capell.*, 11 *april.* 1761, § 8.

Nec obest præceptum testatoris non erigendi beneficium *etiam interveniente quacumque auctoritate superiori;* quia per hoc non est exclusa suprema summi Pontificis auctoritas : *Ibid.*, § 9.

Licet capellaniam in ecclesiasticam erigere, dummodo non resistat fundationis lex, nec fundator expresse vel tacite fuerit alienus ab ecclesiasticæ qualitate capellaniæ : *Firm., Capell.*, 29 *aug.* 1772, § 9.

Potest auctoritate ordinaria legatum pium erigi in capellaniam ecclesiasticam, petente hærede, vel patrono, dummodo testator a capellania ecclesiastica alienus non fuerit : *Viterb., Capell*, 4 *april.* 1767, § 22.

Testator dicitur alienus, quando ordinarium ab institutione capellanorum exclusit, quum bona non capellaniæ, sed capellanis reliquerit; quumque ea reliquerit capellaniæ, sed expresso titulo stipendii et salarii capellani : *Ibid.*, § 23.

Non alienus vero, si fuerit ecclesiasticus testator, si exequutionem capellaniæ demandaverit in certo altari, vel ecclesia; dotem constituerit, ac ipsam capellaniam appellaverit beneficium : *Ibid.*

Quando qualitas ecclesiastici beneficii non est incongrua capellaniæ erectioni optatæ in testamentariis dispositionibus, in titulum ecclesiastici beneficii ea est erigenda : *Mont. Falis., Erect. capel.*, 23 *aug.* 1760, § 6.

Et in erectione capellaniæ seu beneficio, non licet onera superaddere per fundatorem non imposita, et erectionem peragere præter voluntatem fundatoris : *Ibid.*, § 7.

Capellania erigenda, est collativa cum designatione ecclesiæ, vel altaris, quum nemo privatus constituere valeat locum sacrum vel rem spiritualem sine auctoritate Ordinarii : *Reat., Capel.*, 8 *febr.* 1794, § 4.

Et quanto citius fieri debet illius erectio : *Ibid.*

Necessitas erigendi et conferendi capellaniam, impugnari nequit contra enunciativam pontificii chirographi : *Ibid.*

Hæc vero enunciativa non probat in præjudicium tertii : *Ibid.*

Nulla est erectio capellaniæ in beneficium ecclesiasticum, ubi non constat testatorem eam voluisse : *Urbin.*, 28 *maii* 1796, § 11.

Simplex capellania erigi nequit in beneficium ecclesiasticum : *Ibid.*, § 10.

Nisi fiat ad instantiam exequutoris testamentarii qui præsumitur conscius ejus voluntatis : *Ibid.*, 9.

Et facta servanda est : *Ibid.*

Fieri etiam valet per Episcopum, ubi fundator laicalem non expressit qualitatem capellaniæ : *Ibid.*

Quum res sit de capellania ordinata non in actu inter vivos ; sed in ultima voluntate, in casu, ubi Ordinarius expresse non fuerit exclusus, licet accedentibus aliis requisitis, capellaniam in ecclesiasticam erigere : *Camer., Capel.*, 19 *sept.* 1772, § 9.

Ordinarius minime potest capellaniam per actum inter vivos fundatam, qui nullam Ordinarii auctoritatem imploravit, etiam petente hærede, eam ex intervallo in ecclesiasticam erigere : *Ibid.*, § 11.

Communis regula est : Capellaniam ordinatam per actum ultimæ voluntatis, instante hærede, vel exequutore testamentario in ecclesiasticam erigi posse : *Ibid.*, § 12.

Nisi tamen voluntas fundatoris vel expresse vel etiam tacite resistat, ita ut constet illius animum a capellaniæ erectione fuisse alienum : *Ibid.*

Fundatio capellaniæ facta a filio fidei committentis, sustinetur super detractionibus legitimæ et Trebellanicæ, nisi probentur consumptæ : *Mont. Polit., Capell.*, 5 *april* 1794, § 6.

Utraque enim detractio debetur filio, eamque impugnare nequeunt hæredes fundatoris : *Ibid.*

In exequutionem voluntatis defuncti erigenda est capellania absque ulla eleemosynæ sive præscripti stipendii diminutione : *Rom., Capell. et Legat. pior.*, 30 *aug.* 1777, § 8.

Nec est suspendenda hæc erectio capellaniarum, nec numerus Missarum, ac præscriptum emolumentum, si reditus hæreditarii impares sunt ad omnia onera ferenda ; sed potius suspendenda alia onera, legata profana, ac pia : *Ibid.*, § 9.

Si sub conditione demandata sit erectio capellaniæ, deficiente conditione etiam dicta erectio concidit : *Anug., Erect. capel.*, 14 *mart.* 1772, § 5.

Erectio capellaniæ potest esse diversa a fundatione et circumstantiis : *Aquen., Reduct. oner.* 29 *jan.* 1791, § 5

Quoties testator expresse vetuit, ne legatum pium Missarum in capellaniam ecclesiasticam erigeretur, a qualibet erectione desistendum est : *Cingul., Erect. mans.*, 23 *nov.* 1771, § 10.

Capellaniæ institutio facta in reciproco testamento, secundum aliquos per superstitem infringi nequit : *Nucer., Com. volunt. et Trans.*, 15 *martii* 1794, § 8.

Maxime post perceptum ex eodem testamento emolumentum : *Ibid.*

Ex veriori tamen aliorum sententia, revocare valet superstes quoad se reciprocam dispositionem, licet amplissimis irrevocabilitatis clausulis munitam : *Ibid.*, § 9.

In capella patronali nequeunt regulares prohibere patrono fundationem capellaniarum : *Firm., Erect. capel.*, 22 *jan.* 1763, § 3.

Nulla est erectio capellaniæ ab Ordinario facta, quia non erat in potestate Ordinarii commutare voluntatem pii testatoris, qui simplex legatum Missarum reliquerat : *Mediol. seu Laud.*, 23 *aug.* 1760, § 4.

Ita ut erectio in eo quod repugnat voluntati fundatoris sustineri nequeat, etiam ex consensu patroni, et ex incremento dotis : *Ibid.*

Edictorum affixiones publicæ, necessariæ sunt in erectione, seu institutione capellaniæ perpetuæ; alias erectio nulla est, etiamsi agatur de institutione nominati a testatore : *Aquip., Expens.*, 22 *jul.* 1758, § 2.

§ VI.

Capellania quoad habilitatem assequendi et retinendi.

Ad assequendam capellaniam laicalem ad nutum amovibilem, ex juris communis censura, satis est ætas annorum septem : *Corn.*, 6 *maii* 1775, § 3.

Et ex præscripto S. Concilii Tridentini sess. 23, cap. 5, *de Reform.*, requiritur ætas 14 annorum : *Ibid.*

Imo talis capellania exempta ab ecclesiastica jurisdictione, seu merum legatum pium, recte assequi ac retineri valet a laicis, infantibus, et etiam a mulieribus : *Ibid.*, §. 4.

Nec contrarium statuit Synodus Tridentina sess. 13, cap. 6, *de Reform.* : *Ibid.*

Hæc vero patiuntur exceptionem, quando vel expressa, vel tacita fundatoris voluntas obstat : *Ibid.*, § 5.

Pro obtinenda capellania ætas 14 annorum, quæ necessaria est in ecclesiastico beneficio, non requiritur : *Perus.*, *Capell.*, 8 *jul.* 1775, § 7.

Idoneitas et habilitas satis est, ut superveniat intra quadrimestre patronis datum ad præsentandum : *Ibid.*, § 8.

Si patrono nulla competat capellaniæ retentio, ea est adjudicanda clerico ab ipso testatore passive vocato : *Balneor.*, 8 *jul.* 1775, § 10.

Capellania est adjudicanda illi qui, ea vere vacante et servatis omnibus tam de jure quam ex voluntate fundatorum, fuit nominatus : *Firm.*, *Capel.*, 23 *febr.* 1782, § 12.

Ad capellaniam actu sacerdotalem, ut in clericali statu instituereturr, nullum jus habet clericus, licet consanguineus fundatoris : *Perus.*, *Capel.*, 15 *decemb.* 1787, § 14.

Non desunt doctores qui in beneficiis etiam *actu* sacerdotalibus sufficientem dicunt in consanguineo habilitatem proximam ad sacerdotium, ad illud nempe assumendum intra annum : *Ibid.*, § 5.

Dummodo contra expressam fundatoris voluntatem, qui consanguineos præferri ait, ut invitentur ad ordinem sacerdotalem assumendum, excessisset clericus legitimam ætatem, ut ad eum quanto citius assumendum ordinem compellantur : *Ibid.*, § 6.

Idoneus dici debet ad assequendam capellaniam ille, qui, etiamsi tempore vacationis, clericus non esset, et sextum ætatis annum non excesserit ; dummodo voluntatem habeat ingrediendi statum ecclesiasticum postea per susceptionem ordinum expressam, et in habitu clericali incedat : *Arimin.*, *Capel.*, 26 *febr.* 1774, § 5.

Sacerdotium vel a jure, vel ab homine, in capellania requisitum, non est necessarium tempore collationis, seu præsentationis ; sed sufficit, si intra unius anni spatium valeat obtineri : *Rom.*, *Capel.*, 4 *febr.* 1719, § 3.

Amplia etiam in capellania, ad quam vocatus est sacerdos cum onere celebrandi Missas : *Ibid.*

Necessaria est sacerdotii qualitas, quando fundator voluit ut nominetur sacerdos, vel ut capellania sacerdoti conferatur : *Ibid.*, § 5.

Admissio laici ad capellaniam, cum qualitate sacerdotali pugnat : *Æsin.*, *Capel.*, 20 *jun.* 1767.

Ad capellaniam de jurepatronatus laicali, ad quam vocantur sacerdotes, actu requiritur sacerdotium de tempore vacationis : *Ibid.*

Ideo habilitas obtenta a clerico prælative vocato revocanda est, quum non soleat concedi in præjudicium juris quæsiti substitutio, habili et capaci tempore vacationis : *Ibid.*

Sed hoc minime procedit, quoad capellanias quæ in titulum non conferuntur, sed per substitutos dimitti debent in favorem cujuscumque consanguinei, qui habilis fiat sive per susceptionem sacerdotii, sive per legitimam dispensationem quæ parem efficaciam habet : *Ibid.*

Pro consequutione capellaniæ, ad quam vocavit fundator, *i Putti di detta scuola*, sub hac appellatione veniunt solum scholastici actu studentes in eadam schola tempore nominationis : *Jan.*, *Cap.*, 11 *apr.* 1761, § 3.

Patronus nequit capellaniam laicalem retinere, nisi probet gravissimam inopiam : *Balneor.*, 8 *jul.* 1775, § 7.

Sed dubitatur, si agatur de capellania laicali, instar legati pii cum onere Missarum, cujus capaces sunt etiam laici, fœminæ, et infantes : *Ibid.*, § 8.

Seu de capellania ecclesiastica naturam qualitatis ecclesiasticæ habente : *Ibid.*

Si capellania habeat solum naturam legati pii cum onere Missarum, sive, ut aiunt, officiaturæ, ejus profecto incapaces non sunt religiosi : *Rom.*, *Capel.*, 22 *nov.* 1732, § 5.

Istiusmodi capellanias non solum in propriis ecclesiis, sed etiam in ecclesiis secularibus, obtinere possunt iidem religiosi : *Ibid.*

Capellaniæ laicales, quæ tanquam legata pia considerari debent, possunt retineri a quibuscumque laicis, et etiam a mulieribus, et infantibus : *Civit. Cast.*, 1 *februar.* 1766, § 12 ; *Ancon.*, 12 *maii* 1770, § 13 ; *Auxim.*, *Capel.*, 15 *dec.* 1787, § 3 ; et *Firm.*, *Capel.*, 7 *jun.* 1788, § 4.

Et sola communiter exceptio hujus regulæ obtinet, dum expressa, vel tacita fundatoris voluntas repugnat : *Ibid.*, § 13 ; *ibid.*, § 16 ; *ibid.*, § 4 ; et *ibid.*

Haud enim repugnat, diversis respectibus esse laicalem capellaniam, et quoad personas nominandas, ecclesiasticam : *Auxim.*, *cit. loc.*

Justa causa requiritur ut clericus assequi possit dispensationem ad retinendam capellaniam habitu sacerdotalem : *Ast.*, 30 *aug.* 1788, § 5.

Ubi capellania est mere laicalis, retinere sibi valet patronus, aut hæres, quod ex hæreditatis fructibus manualem excedit eleemosynam : *Null. S. Salv. Maj.*, *Capel.*, 18 *aug.* 1792, § 5.

Dummodo tot celebrentur Missæ quot juxta synodalem taxam faciunt hæreditatis fructus : *Ibid.*

Quin obstent decreta generalia S. Congr. Concilii per Urbanum VIII et Innoc. XII S. P. confirmata, quæ loquuntur de Missis manualibus, nec trahi possunt ad Missas ex fundatione capellaniæ celebrandas : *Ibid.*, § 6.

Capellanus namque in hoc casu dicitur dominus fructuum capellaniæ : *Ibid.*

Et assignata censetur eleemosyna pro conservatione capellani : *Ibid.*

In capellaniis mere laicalibus nullam spiritualitatem habentibus, quæ sunt instar legati Missarum, regula est, ut etiam a clericis conjugatis et laicis retineri possint, nisi mens expressa vel tacita fundatoris resistat, quæ semper servanda est : *Urbev.*, 27 *nov.* 1784, § 8.

Capellania laicalis retineri potest etiam in statu conjugali, quæ non tam a clericis conjugatis, quam a laicis, fœminis, et infantibus retineri queat : *Firm., Capel.*, 29 *aug.* 1772, § 5 ; et *Civit. Castel.*, 22 *nov.* 1794, § 7.

Eo magis accedente paupertate : *Civ. Cast., c. l.*

Capellania vero uti ecclesiastica retineri non potest in statu conjugali : *Firm., cit. loc.*

Et in capellaniis etiam laicalibus excludi debent conjugati, laici et fœminæ, quoties ex fundationis lege sacerdotes, sive actu, sive habitu, sunt eligendi : *Ibid.*

Et quum in fundatione injuncta esset celebratio Missarum capellano ab hæredibus eligendo, apertum est sacerdotes actu, vel habitu in capellanos eligendos esse : *Ibid.*

Capellania laicalis, seu legatum pium Missarum, cujus implementum et administratio hæredibus commissa est, a laicis etiam et a mulieribus acquiri et retineri potest : *Rom., Capel.*, 17 *sept.* 1774, § 10 ; et *Rip., Capel.*, 16 *apr.* 1791, § 4.

Et id procedit quando voluntas testatoris non adversatur : *Ibid.*

Et satis est, si Missarum celebrationem per deputatum sacerdotem adimpleant : *Rip., cit. loc.*

Præsertim quando voluit esse sacerdotem capellanum : *Ibid.*

Nam quum agitur de capellania mere laicali, nihil repugnat in jure, ut eam obtineat puer, cum ad hasce capellanias admittantur etiam fœminæ : *Pisaur., Dispens.*, 31 *maii* 1766, § 7.

Quum agitur non de capellania, sed de simplici Missarum legato, a conjugatis infantibusque, imo etiam a mulieribus, possideri potest : *Romana, Capel.*, 17 *sept.* 1774, § 5.

Quia conjugatus de jure retinere potest capellaniam mere laicalem : *Fungin., Capel.*, 17 *aug.* 1796, § 5.

Capellaniæ in titulum non erectæ, et proinde laicalis, capaces sunt etiam fœminæ : *Ascul., Capel.*, 5 *martii* 1792, § 4.

Capellaniæ laicales, tanquam pia legata cum onere Missarum recte a laicis acquiri ac retineri possunt : *Ancon., Capel.*, 12 *maii* 1770, § 5.

Nec obest quod fundator fuerit sacerdos vel quod sacerdotes fuerint primi capellani ab eo nominati, quia ad dijudicandam capellaniarum naturam, non qualitas fundatoris, nec capellanorum, quos ipse prima vice elegerit, sed verba fundationis unice sunt perpendenda : *Ibid.*

Causa personalis residentiæ in utraque capellania, non potest utraque retineri ab eodem, ob apertam prohibitionem text. in cap. *De multa.*, *de Præb.* a S. Concilio Tridentino innovatam : *Sign., Capell.*, 15 *dec.* 1756, § 4.

Retinere minime debet capellaniam homicida, qui jam eam ob declaratoriam voluntarii homicidii sententiam amisit : *Prænes., Capel.*, 19 *jun.* 1790, § 4.

Serotina comparitio clerici prælative vocati, uti testatoris consanguinei, nequit adimere jus quæsitum substituto valide interim admisso ad capellaniam : *Forosempr., Capell.*, 11 *april.* 1761, § 6.

Præsertim quia caret qualitate sacerdotali a testatore requisita etiam in suis consanguineis, et ideo re non integra præferendus non est substitutis qualificatis : *Ibid.*

Quum testator unum ex filiis familiæ nominatæ vocavisset, et capellania ille potitus fuisset, nulli amplius est locus substitutioni : *Arim., Capell.*, 26 *febr.* 1774, § 9.

§ VII.

Capellania quoad incompatibilitatem.

Vacat capellania per consecutionem episcopalis dignitatis : *Firm., Capell.*, 23 *febr.* 1782, § 7.

Lim. : Non autem si agitur de laicali capellania, quæ tanquam non comprehensa sub decreto sacri Concilii Tridentini pluralitatem beneficiorum improbante, potest licite valideque retineri : *Ibid.*, § 8.

Limit. etiam a doctoribus, dummodo scilicet capellania nullam personalem requirat residentiam, et non sit incompatibilis cum obtenta dignitate, parochia vel alio residentiali beneficio aut dignitate residentiali : *Ibid.*, § 9.

Capellania, cujus fundator disposuerat, quoties capellanus dignitatem ecclesiasticam obtinuerit, ipso jure, per promotionem capellani ad dignitatem episcopalem, vacare dignoscitur : *Ibid.*, § 11.

Et illa vacare dicitur de jure communi, non per simplicem capellani promotionem ad episcopalem

dignitatem, sed per illius consecrationem, et per promotionem ad episcopatum : *Ibid.*, § 12.

Habenti jam capellaniam, vetitum est aliam appetere, aut canonicatum assequi, quoties vel fundator prohibuit alterius consecutionem, vel utriusque onera impleri a capellano nequeunt : *Firm.*, *Capell.*, 15 *sept.* 1770, § 9.

Capellania, cui adjunctum est onus deserviendi in choro, obtineri non potest cum canonicatu : *Nepes.*, 17 *jun.*, 1786, § 5.

Nunquam fundator incompatibilitatem sanxisse censendus est cum capellaniis cujusvis alterius ecclesiæ, de quibus ille non cogitavit, et quarum non meminit : *Macerat.*, *Dispens.*, 8 *febr.* 1787, § 5.

Capellanus ipso jure excidit a capellania ecclesiastica, si matrimonium contrahat : *Civit. Cast.*, *Cap.*, 22 *nov.* 1794, § 7.

Quia capellanus hujusmodi contrahens matrimonium, tacite renuntiare beneficio censetur : *Ibid.*

CAPELLANIA QUOAD INDULTUM ASSEQUENDI ET RETINENDI. Vide *Dispensatio*, § v.

§ VIII.

Capellania quoad nominationem, præsentationem, et institutionem.

Qualificatus unice jus quæsitum acquirit ex oppositione facta coram Ordinario, quæ præsentationi æquipollet : *Ancon.*, *Capell.*, 12 *jun.* 1762, § 6.

Jus nominandi capellanum non læditur, ubi incerta est persona nominantis : *Nucer.*, *Com. volunt. et Trans.*, 15 *mart.* 1794, § 10.

Ad avertendam litem permitti debet nominatio nepotis capellani bona meliorantis ad eamdem capellaniam cum cessione meliorationum : *Turrit.*, *Capel.*, 9 *jul.* 1796, § 4.

Capellaniarum patronus conferre valet illas etiam incapaci, si in ea præscripta non sit actu qualitas capellani : *Papien.*, *Disp.*, 16 *sept.* 1780, § 8.

Dummodo tempore debito fiat capax, vel naturaliter, vel per dispensationem : *Ibid.*

Clericus qualificatus, et ab ipso fundatore prælatus, alterius nominatione ad capellaniam non indiget : *Æsin.*, *Capel.*, 23 *martii* 1765, § 9.

Nihil nocet ut uno gradu remotior sit, cum deficientibus requisitis in proximiore, is qui gradu remotior est, non extante idoneo, proximior suo jure efficiatur : *Ibid.*, § 10.

Capellania collata simplici clerico sustineri non debet : *Civit. Pleb.*, *Capel.*, 26 *aug.* 1780, § 6.

Intellige, quando onera a testatore ordinata personalia sunt : *Ibid.*

Maxime quando collata fuerit per rescriptum subreptitium et obreptitium : *Ibid.*, § 7.

Capellania laicalis in concursu laici et ecclesiastici, conferenda est ecclesiastico : *Civit. Castel.*, *Capel.*, 22 *nov.* 1794, § 7.

Neque in præjudicium ecclesiastici concedenda est dispensatio eam retinendi in statu conjugali : *Ibid.*, § 8.

Missarum celebratio cum eleemosyna manuali, adversatur institutioni capellaniæ in titulum : *Ibid.*

Prælatio consanguinei ad capellaniam locum habet, ceteris paribus : *Forol.*, *Capel.*, 25 *jun.* 1791, § 6.

Sed, in concursu, præferri debet extraneus habilis consanguineo inhabili : *Ibid.*

Patroni possunt pro se retinere capellaniam laicalem, vel ad eam nominare laicos etiam infantes, imo etiam fœminas, quum satis sit ut Missæ per alium celebrentur : *Rom. seu Portuen.*, *Capel.*, 16 *januar.* 1768, § 11.

Patronus simplicem clericum etiam præsentare potest, quum demandata non est capellano celebratio Missarum *per se ipsum* : *Ibid.*, § 12.

Et conferri capellania potest cuicumque personæ vix prima tonsura insignitæ : *Ibid.*

Ad capellaniam institui valet absque nominatione, vocatus a testatore verbis coactivis : *Prenes.*, *Capel.*, 19 *jun.* 1790, § 6.

Capellania relicta sacerdoti, convenit etiam clerico, qui sacerdotis nomine continetur : *Reat.*, *Capel.*, 8 *febr.* 1794, § 4.

Non obstante adjectione idoneitatis, quæ probitatem respicit morum : *Ibid.*

Imo pauper clericus præferri debet sacerdoti : *Ibid.*

Ubi institutio capellaniæ respicit sacerdotem celebrantem, intelligitur de sacerdote *actu* : *Ibid.*, § 7.

Nemo in institutione capellaniæ interpretari potest sacerdotis nomen, quam ex facto et observantia fundationis : *Ibid.*

Quum agitur de capellania laicali, nullus in jure præfinitus reperitur terminus patronis ad nominandum, sed nominandi facultas etiam quoad tempus, tota pendet a patronorum arbitrio independenter ab Ordinario : *Arim.*, *Capel.*, 26 *feb.* 1774, § 9.

Capellania conferri potest etiam simplici clerico, quando fundator dixerit : *Instituatur capellanus, qui Missas celebret*, quia hoc modo censetur testator indicare potius voluisse onus celebrationis Missarum, quam capellani qualitatem : *Ibid.*, § 11.

Quod si testator dixerit : *Volo ut præsentetur, aut instituatur sacerdos vel capellania conferatur sacerdoti*, tunc nonnisi presbyterum ad illam nominare voluisse putatur : *Ibid.*

Capellaniarum promissio vel nominatio, antequam vacent, nulla est; prohibita est enim a sacris canonibus, eamque rejecit S. Congr. Concilii: *Rom., Capel.*, 15 *januar.* 1780, § 7.

Magis, si capellania ecclesiastica sit: *Ibid.*

Tum ex testatoris voto, tum ex illius erectione, auctoritate Ordinarii sequuta: *Ibid.*

Nec jam nominato præsidio est triennalis possessio, vel titulo suffulta: *Ibid.*, § 8.

Quo sublato ruit triennalis possessio, etiamsi pacifica esset: *Ibid.*

In jure nominandi ad capellaniam mere laicalem, succedere etiam possunt fœminæ et minores: *Firm., Capel.*, 2 *dec.* 1780, § 5.

Maxime quando ordinatæ fuerunt sub conditione, ne quilibet superior ecclesiasticus jus aliquod habeat in eis: *Ibid.*

Limita, si quando capellania sit presbyteralis, cum onere celebrandi per se ipsum; quamvis prædicta limitatio adjecta sit a fundatoribus, ut expleatur a substitutis ad jus nominandi: *Ibid.*, § 6.

Præcipue, cum extat præter testamentum etiam codicillus, inter quæ repugnantia nulla appareat: *Ibid.*, § 7.

§ IX.

Capellania quoad reductionem et unionem.

Locus est reductioni capellaniarum, ut sufficiens reliquis assignetur congrua: *Melev.*, 12 *mart.* 1796, § 3.

In reductione capellaniæ, justis fraudantur Missarum suffragiis animæ fundatorum: *Spolet., Erect. mans.*, 23 *april.* 1796, § 12.

Capellania de jurepatronatus laicalis, et etiam ecclesiastici, nequit uniri seminario vigore Concilii, secus vero vigore const. *Credite Nobis* Bened. XIII: *Feren., Benef.*, 16 *jan.* 1762, § 10.

Et doctores nonnulli putant, unionem quoad beneficia jurispatronatus laicalis, intelligendam esse Episcopo absolute vetitam, in eo solum casu, quo deficiat patronorum consensus: *Ibid.*

§ X.

Capellania quoad remotionem, et privationem.

Removeri nequit sine justa et rationabili causa capellanus simpliciter amovibilis, ita vero amovibilis ad nutum: *Null. Farf., Capel.*, 16 *jul.* 1791, § 3.

Etiamsi agatur de capellania mere laicali et ad nutum amovibili, nequit capellanus jam semel nominatus, ob irrationabilem causam removeri: *Firm., Capel*, 23 *april.* 1735, § 6.

Ut quis privari valeat perpetua capellania, requiruntur monitiones, et sententia declaratoria: *Senogal., Tax. sem.*, 6 *decemb.* 1794, § 4.

Quando agitur de capellania in ecclesiasticum beneficium erecta, capellanus semel institutus nequit a patronis absque legitima causa removeri: *Firm., Capell.*, 23 *april.* 1735, § 4.

Ille jure retinet capellaniam, et a sua possessione amoveri nequit, nisi de malo jure illegitimoque titulo constiterit: *Rom., Capel.*, 17 *sept.* 1774, § 5.

Capellanus privatur capellania, nisi servet residentiam *præcisam* a fundatore expetitam: *Taur.*, 15 *april.* 1780, § 8.

Ex indole et qualitate capellaniarum, quæ cum non fuerint in titulum ecclesiastici beneficii, auctoritate Ordinarii erectæ, sed ex pluribus facti circumstantis appareant mere laicales, possunt earum rectores absque ulla justa causa, et ad nutum, amoveri, dummodo in ipsorum odium non fiat: *Civit. Pleb.*, 15 *dec.* 1736, § 5.

Capellanus amovibilis ad nutum removeri potest ex qualibet levi causa, dummodo sit ab odio, et dedecore capellani sejuncta: *Mont. Alt., Rem. capel. et Jur. par.*, 22 *maii* 1762, § 5.

Capellanus in capellaniis manualibus, potest a parocho sine causa, et ad nutum removeri: *Spolet., Capel.*, 14 *mart.* 1744, § 10.

Cum autem subesse possit iræ, odiique aut vindictæ argumentum, necesse erit causam proponere, et propositam probare, ut remotioni sit locus: *Ibid.*

Semel legitime admissus ad capellaniam et ad ejus titulum bona fide ordinatus, removeri ab illa amplius non debet: *Januen., Capel.*, 30 *jan.* 1762, § 6.

Capellanus ad nutum amovibilis conqueri nequit de sua amotione sequuta sine causa, et nulla illi debita est redintegratio: *Rom., Reint.*, 21 *nov.* 1761, § 4.

In solis capellanis ecclesiasticis simpliciter amovibilibus, requiritur de jure causa amotionis, non autem in amovibilibus ad nutum, multoque minus capellaniis mere laicalibus seu legatis piis, in quibus licita est amotio pro libito voluntatis, dummodo non fiat in odium, vel cum dedecore capellani: *Ibid.*, § 5.

Et remotio improbanda non est, quando non constat de aliquo ipsius dedecore exinde resultante, neque de dolo patroni, qui non præsumitur: *Ibid.*

Non adeo ampliandum est arbitrium removendi capellanum, ut illud etiam adhiberi possit, quando

non deest in utente suspicio odii, aut malitiæ : *Firm., Capel.*, 3 *februar.* 1787, § 4.

Multoque magis, quando fundator *ad conscientiam* arbitrio utentis appellavit : *Ibid.*

Si remotio provenit ex pravo animo occultoque odio, et causæ sunt inquisitæ pro injuria pallianda ; in his circumstantiis, non de æquo, retinendoque arbitrio, sed de manifesto, semperque improbato arbitrii abusu agitur : *Ibid.*, § 7.

Pacifica tamen non est inter doctores doctrina illa, quod si nullam alleget causam, qui dato sibi arbitrio ad nutum removendi, eo utitur ; ex malitia et odio agere videatur : *Ibid.*, § 8.

At nulla oritur dubitatio, quod si malitia, et odium aliunde emergat, et probetur ; absurdus hic concessi arbitrii abusus ferendus, et in judicio laudandus non sit : *Ibid.*, § 9.

§ XI.

Capellania quoad statum et qualitatem in genere.

Qualitas in capellano de tempore electionis a testatore expetita, censetur actu perseverare : *Senogal., Capel.*, 20 *april.* 1793, § 5.

Facile permitti non debet, ut capellania libera, fiat patronalis : *Civit. Cast., Capel.*, 16 *aug.* 1794, § 3.

Capellani amovibilitas probatur, quando non constat aliquem titulum fuisse, ut ad sacros ordines promoveatur : *Mont. Alti, Remot. capel. et Jur. par.*, 22 *maii* 1762, § 5.

Quando fuit quis deputatus expresse *in capellanum ad nutum*, qualitas in litteris deputationis apposita, nequit in dubium revocari : *Ibid.*

Capellanus pro exercitio curæ deputatus ad adjuvandum verum parochum, et hujus sumptibus conductus, amovibilis de jure censendus est : *Ibid.*, § 4.

Etiamsi non constet aliquem fuisse amotum, quia in facultativis jus proprium non amittitur per non usum, nisi concurrat prohibitio, cum longi temporis acquiescentia : *Ibid.*

Si capellania jam rite fuisset adjudicata alicui cum perpetuitate tituli, abstrahi ab eo non potest, sed expectare debet alter nominatus novam illius vacationem : *Firm., Capel.*, 9 *aug.* 1732, § 10.

§ XII.

Capellania an sit beneficium ecclesiasticum, vel simplex legatum ?

Capellania in dubio præsumitur ecclesiastica : *Urbin.*, 28 *maii* 1796, § 6.

Talis vero est, ubi demandata fuit ejus erectio, eo magis sub certo titulo, et cum reservatione jurispatronatus : *Ibid.*

Quando agitur de capellania a laico testatore constituta, nulla Ordinarii auctoritate quæsita, in quolibet dubio laicalis habenda est : *Viterbien., Capel.*, 23 *nov.* 1765, § 8.

Et nullum est dubium de voluntate testatoris, non solum ex nominata toties qualitate laicali, ex defectu mentionis dotis et institutionis, et ex nunquam requisito consensu Ordinarii : *Ibid.*, § 9.

Præsertim si Ordinarius fuerit exclusus prorsus ab omni jure : *Ibid.*, § 10.

Quæ si impugnatur, contra agnitam veritatem agitur : *Ibid.*, § 11.

Ordinarius potest efficere capellaniam ecclesiasticam, si ex ultima voluntate constituenda sit, petente hærede, vel patrono, dummodo testator alienus a qualitate prædicta non fuerit : *Ibid.*, § 17.

Testator tunc alienus dicitur, cum Ordinarium ab institutione capellanorum exclusit : *Ibid.*, § 18.

Quando bona non capellaniæ, sed capellanis reliquit : *Ibid.*

Et cum ea reliquit capellaniæ, sed expresso titulo stipendii et salarii capellani : *Ibid.*

Non dicitur alienus, si fuerit ecclesiasticus, si erectionem capellaniæ demandaverit in certa ecclesia, dotem constituerit, ipsam capellaniam appellaverit beneficium : *Ibid.*, § 19.

Quæ omnia sunt intelligenda, si de eo testatore agitur, qui discrimen inter ecclesiasticam et laicalem cognoscere potuisset : *Ibid.*

In dubio autem laicalis habenda est : *Ibid.*, § 10.

Ex ratione eruta ab ipso fonte legum Romanarum, quæ in dubio semper minus oneris intelligunt : *Ibid.*

Quas æquissimas juris Romani regulas sapienter excepit Bonifacius : *Ibid.*

In jure non repugnat, ut capellania sit ecclesiastica, ac juspatronatus laicale, et nullum super ea jus curia habeat : *Ibid.*, § 22.

Capellania etiamsi amovibilis sit, quia nihilominus potestate, habitu, seu aptitudine perpetua est ; sufficit ad indolem seu essentiam capellaniæ ecclesiasticæ, et beneficii : *Firm.*, 8 *aug.* 1767, § 3.

Et dicta capellania venit nomine beneficiorum : *Ibid.*, § 4.

Capellania, quæ habet peculiarem dotem, proprium titulum, suum altare, certum onus Missarum, et jurisdictioni, ac visitationi Ordinarii subest, et vere ecclesiastica est : *Firm.*, 8 *aug.* 1767, § 3.

Capellania ex sui natura parum differt a legato pio : *Firm.*, *Capel.*, 29 *aug.* 1772, § 3.

Et ab exclusa, vel saltem non requisita Ordinarii auctoritate, tam in erectione, quam in collatione, omnis excluditur qualitas ecclesiastica; quæ non nisi Ordinarii auctoritate induci potest : *Ibid.*

Et cum fundator, nec Ordinarii auctoritatem, nec titulum collationum desideraverit, id unum abunde sat est, ut deficiente causa effectiva ecclesiasticitatis, semper pro simplici legato pio habeatur, etiamsi qualitas aliqua concurrat beneficiis conveniens : *Ibid.*, § 4.

Quum fundator sacerdos fuisset, certam dotem assignasset, in altari perpetuo capellaniam erexisset, bona capellano reliquisset, et in primum capellanum sacerdotem elegisset; habuit voluntatem pro qualitate ecclesiastica, ut nonnisi sacerdotes actu, vel habitu ad eam eligantur : *Ibid.*, § 6.

Et quando capellania instituitur per actum ultimæ voluntatis, sat est ordinarium non excludi, aliaque requisita concurrere ecclesiasticitatis, ut inde ecclesiastica dicatur : *Ibid.*, § 7.

Atque ut primum fundator erat sacerdos ac sacerdotem in primum capellanum elegit, nihil magis ejusdem voluntati consonum est, quam ut ecclesiastica dicatur et ut tutius fundatoris voluntas impleatur : *Ibid.*

Certum est, quod nisi constet de erectione capellaniæ auctoritate Ordinarii, vel vere, vel saltem *præsumpte*, capellania non ecclesiastica, sed laicalis dicenda sit : *Ibid.*, § 10.

Etiamsi concurrant cetera, quæ naturæ ecclesiasticæ capellaniæ conveniunt : *Ibid.*

Pro ecclesiastica qualitate capellaniæ facit, ut prima erectio sit in curia ecclesiastica facta, et confirmata nominatio, ac taliter per multum tempus habita, etsi postea tanquam laicalis, ad solvendum laicalia onera adacta sit : *Æsin.*, *Capel.*, 18 *maii* 1765, § 7.

Dummodo ex mente et qualitate testatricis laicalis non desumatur : *Ibid.*, § 8.

Præsertim si in toto testamento nulla mentio habeatur, vel consensus curiæ, vel approbationis : *Ibid.*

Si ecclesiastica est capellania, bona ejusdem a quibuscumque oneribus cameralibus tanquam primæ erectionis, immunia sunt : *Ibid.*, § 8.

Videndum, quod dixerit Rota in casu, quo ex littera testamenti nihil habetur, quod ad capellaniam ecclesiasticam, sive ad beneficium simplex perpetuum referendum sit : *Ibid.*, § 9.

Non potest ea effici ecclesiastica ab Ordinario, petente hærede, vel patrono, si vivente domino erecta sit : *Ibid.*, § 10.

Potest tamen, si ex ultima voluntate constitui debeat; dummodo testator a capellaniæ ecclesiasticæ qualitate non fuerit alienus : *Ibid.*

Alienus dicitur, si defunctus excluserit Ordinarium ab institutione capellanorum : *Ibid.*, § 11.

Si bona non capellaniæ, sed capellanis reliquerit : *Ibid.*

Si ea reliquerit capellaniæ, sed expresse titulo stipendii, et salarii capellani : *Ibid.*

Non est prætermittenda circumstantia de interpretanda testatoris mente, si agatur nempe de eo qui intellexerit qualitatem ecclesiasticæ capellaniæ, non vero de rustico, de muliere, et similibus : *Ibid.*, § 12.

In dubio pro qualitate laicali judicandum est : *Ibid.*, § 13.

Aliquando potest capellania simul esse ecclesiastica, et amovibilis etiam in terminis capellaniæ cum cura animarum : *Ibid.*, § 15.

Inspectio, an in casu fundator a qualitate ecclesiastica vel expresse, vel tacite fuerit aversus, tam ex verbis fundationis, quam ex verosimili mente, aliisque conjecturis dijudicandum est : *Camer.*, *Capel.*, 19 *sept.* 1772, § 14.

Ex decreto erectionis capellaniæ in titulum, est ecclesiastica : *Perus.*, 29 *aug.* 1789, § 2.

Præsertim si accedant erectionis consectaria, primi capellani institutio, et apostolica secundi provisio : *Ibid.*

Quod a nonnullis doctoribus negatur, nisi quadragenaria accesserit præscriptio : *Ibid.*

Capellania, ut dici possit ecclesiastica, et in perpetuum titulum collativa, in nominatione, seu præsentatione aptari nequit conditio temporanea contra ingenitam beneficii ecclesiastici indolem, quæ illud non temporale, sed perpetuum et liberum postulat : *Nul. Terr. Pont.*, *Capell.*, 28 *febr.* 1739, § 4.

Ita ut sine Pontificis auctoritate nequeat ad tempus, vel sub certa conditione conferri : *Ibid.*

Canonica capellaniæ erectio, et jus Episcopi approbandi, et confirmandi capellanum, conveniunt beneficio ecclesiastico : *Fulgin.*, *Capell.*, 29 *aug.* 1796, § 6.

Capellania sine Ordinarii auctoritate erecta, licet fundata a persona in dignitate episcopatus constituta, sed tanquam persona privata, nuncupari non potest beneficium : *Firm.*, 8 *aug.* 1767, § 8.

Præsertim si agatur de capellania mere manuali, et ad nutum patronorum amovibili, quod repugnat naturæ, et essentiæ beneficii, et nonnisi improprie, et abusive beneficium est : *Ibid.*

Nullo proinde modo nomine beneficii venire potest, præsertim in re odiosa, et juris dispositionis terminos excedente : *Ibid.*

Ecclesiasticam induit qualitatem capellaniæ demandata erectio, licet non expleta : *Civ. Castel., Capel.*, 22 *nov.* 1794, § 7.

Una eademque capellania potest esse ecclesiastica, quoad nominandum ; laicalis, quoad nominantem : *Ibid.*

Qualitas ecclesiasticæ capellaniæ desumitur ex designatione loci sacri, ex dote non capellanis aut hæredibus, sed ipsi capellaniæ relicta, ex onere sacrorum, ex sacerdotio, quo actu, habituque honestatos voluit testator capellanos, ex prælatione data iis qui facultatem haberent sacramentales confessiones excipiendi, et aliis : *Rom. seu Anag.*, 1 *martii* 1755, § 2.

Argui non potest qualitas ecclesiasticæ capellaniæ, si omnia conveniant legato pio cum onere sacrorum, et communia sint tam legato pio, quam ecclesiasticæ capellaniæ : *Ibid.*, § 3.

Auctoritas Episcopi, quam voluit testator, non facit, ut capellania dicenda sit beneficium ecclesiaticum : *Ibid.*

Quod si etiam dici posset capellaniam esse ecclesiasticam, non ideo necessaria est institutio Episcopi, quia cum non desinat esse amovibilis, non requirit institutionem : *Ibid.*

Licet enim beneficium ecclesiasticum possideri nequeat sine canonica institutione, id tamen locum habet in beneficiis ecclesiasticis perpetuis, et collativis, non in iis, quæ, licet sint ecclesiastica, non sunt tamen perpetua et collativa : *Ibid.*

Quum de capellania nullum in fundatione de amovibilitate verbum habetur, proinde non manualis, sed perpetua est : *Viterb., Capel.*, 4 *april.* 1767, § 7.

Si testator nullibi beneficium appellaverit, nunquam Ordinarii auctoritatem imploraverit, imo vetuerit commutationem in beneficium, bona capellæ reliquerit, in administratores laicos elegerit ; est capellania laicalis de sui natura amovibilis : *Ibid.*, § 14.

Apostolicæ provisiones attendi nequeunt, quum per easdem nunquam immutetur capellaniæ natura, quæ ex causa resignationis possessorum processerunt : *Ibid.*, § 15.

Certum est non dari patronis neque Episcopo facultatem ut beneficii qualitatem immutent, et laicalem capellaniam in contractu præsertim inter vivos præsumptam, in beneficium ecclesiasticum convertant : *Bugell.*, 16 *dec.* 1786, § 3.

Haud repugnat laicalem sub diversis respectibus esse capellaniam, et quoad capellanum ecclesiasticum et sacerdotalem : *Fir., Capel.*, 7 *jun.* 1788, § 4.

Capellania est laicalis, non ecclesiastica, quæ etiamsi de jurepatronatus sit, sine Ordinarii auctoritate, vel institutione, obtineri potest : *Rom. seu Port., Cap.*, 16 *jan.* 1768, § 9.

Præsertim si fundator dederit facultatem testamentario exequutori nominandi capellanum, suo arbitrio ad nutum amovibilem :

Ecclesiastica vero capellania perpetua esse debet : *Ibid.*

Nec obstat, quod testator ob inscitiam in erectione laicalis capellaniæ, Ordinarii auctoritatem requisiverit : *Ibid.*, § 10.

Si non absolute Ordinarii consensum expostulasset, sed indeterminate, *o il consenso deli Ordinario, o di altra persona ele di ragione fara necessaria : Ibid.*

Quæ verba referenda magis sunt ad quamdam rei ecclesiasticæ curam ei commissam, quam ad veram ecclesiasticæ capellaniæ erectionem : *Ibid.*, § 28.

Simplex Missarum onus, et amovibilitas celebrantis, ecclesiasticam excludit capellaniam : *Reat., Capel.*, 8 *febr.* 1794, § 5.

Maxime quando mandata est celebratio cum eleemosyna manuali, quæ adversatur illius institutioni in titulum : *Ibid.*

Quum testator fundasset capellaniam mere laicalem nulla auctoritate Ordinarii quæsita, imo ea ex ipsius verbis excludi videretur, clare constat esse capellaniam mere laicalem, seu legatum pium cum onere Missarum : *Ancon., Capel.*, 12 *maii* 1770, § 3.

Ideoque nihil potest obstare, vel hujusmodi legatum capellaniæ nomine fuisse appellatum, et onus Missarum injunctum, ac certam dotem constitutam, et ad certum altare factam erectionem vel consequutionem fuisse Episcopo commissam : *Ibid.*

Hoc discrimen intercedit inter capellanias ecclesiasticas, et laicales, quod illæ Ordinarii auctoritate erectæ sint, hæ vero canonica erectione sint destitutæ : *Ibid.*, § 8.

Vocabulum capellaniæ ambiguum est non magis beneficio ecclesiastico, quam pio Missarum legato, seu capellaniæ mere laicali conveniens : *Urbin., Capel.*, 25 *sept.* 1762, § 3.

Intelligendum est de capellania mere laicali, quando dispositio facta est a laico de bonis in laicalibus : *Ibid.*

Et quando Ordinarii auctoritatem non requisivit testator in erectione, vel in institutione, quemadmodum opus est in beneficio ecclesiastico : *Ibid.*

Et quando exclusis regulis Cancellariæ, etiam ob vacationem in curia, semper electio et nominatio capellani perseveravit patronis, ad quorum electionem, sine ecclesiastici collatoris auctoritate, solæ capellaniæ laicales provideri possunt : *Ibid.*

Nec officit, quod testator capellaniam addixerit certo altari, dotemque ad onus Missarum adjecerit : *Ibid.*, § 4.

Quia hæc omnia congruunt etiam capellaniæ laicali : *Ibid.*

In dubio, pro libertate ex juris præsumptione sentiendum est : *Firm.*, *Capel.*, 20 *aug.* 1774, § 7.

Et hæc regula comprobatur in beneficiis ecclesiasticis, ac potiori jure admitti debet in casu quo de capellaniis laicalibus agitur : *Ibid.*

Et quando adest in dispositione vocabulum *qualde sacerdote*, minime censetur inducta qualitas sacerdotalis, quia idem vocabulum convenire potest etiam clerico, non solum dum res est de capellania laicali, sed etiam de beneficio ecclesiastico : *Ibid.*

Nec sacerdotalis judicari debet capellania, nisi expresse injuncta capellano fuerit obligatio celebrandi per se ipsum, et vetita per alium celebratio : *Ibid.*

Capellania si in fundatione ab omni Episcopi vel alterius superioris jurisdictione fuerit exempta, tunc mere laicalis est : *Urbev.*, 27 *nov.* 1784, § 8.

Verum si auctoritate Episcopi erigatur, ecclesiastica reputari debet, quia bona ex legitima dedicatione facta Deo per Episcopum a ceteris bonis separantur, et divini juris efficiuntur : *Ibid.*

Capellania est laicalis deficientibus requisitis perpetuitatis, fundationis, auctoritate Episcopi, et alterius adnexi operis spiritualis : *Urbin.*, 28 *maii* 1796, § 10.

Et esse potest laicalis quoad nominantem, ecclesiastica quoad nominandum : *Ibid.*, § 9.

Deficiente fundationis lege, præsumenda est capellania laicalis : *Ast.*, 30 *aug.* 1788, § 4.

Maxime si in instrumento ejus dotationis, nullum legatur onus celebrandi per se ipsum : *Ibid.*

Et statuta ecclesiæ antiquissima, ac observantia centenaria, non probant qualitatem ejusdem sacerdotalem : *Ibid.*

Non assumit capellania naturam beneficii ecclesiastici absque erectione Ordinarii : *Mont. Alt.*, *Capel.*, 22 *aug.* 1795, § 5.

Potest tamen esse laicalis quoad nominantem, ecclesiastica quoad nominandum : *Ibid.*, § 6.

Et in hoc casu retineri nequit a laicis et fœminis : *Ibid.*

Ubi vero simpliciter est laicalis, ab iis retineri valet : *Ibid.*, § 5.

Ob defectum ecclesiasticæ erectionis, capellania est laicalis : *Null. S. Salv. Maj.*, *Capel.*, 18 *aug.* 1792, § 5.

Tum ob illius fundationem coram judice laico factam : *Ibid.*

Et ob non demandatam, neque expletam capellani institutionem : *Ibid.*

Atque ideo verbum *erectionis*, quod convenire potest beneficio, adhibitum a testatore, censetur pro fundatione : *Ibid.*

Per solam enim et formalem erectionem Ordinarii, bona dicuntur Deo dicata : *Ibid.*

Qua deficiente, fundata censetur simplex capellania, quæ sine ecclesiastica consistit auctoritate ; *Ibid.*

Nam capellania censetur laicalis, quando erecta non est auctoritate Ordinarii : *Senogal.*, *Capel.*, 17 *april.* 1790, § 4.

Quando expressum deest præceptum celebrandi per se ipsum : *Ibid.*

Nec officit, quod testator iterum atque iterum capellanum nuncupaverit sacerdotem : *Ibid.*

Quia hoc nomine simplex etiam venit clericus : *Ibid.*

Contrarium suadet, si facultatem dedit testator celebrandi per alium : *Ibid.*

Quia casus exceptus firmat regulam in contrarium, optatamque ostendit sacerdotalem qualitatem : *Ibid.*

Et in capellania etiam habitu sacerdotali, habilitas requiritur ad assumendum sacerdotium intra annum : *Ibid.*

Capellania est laicalis, quando testatrix nullo usa sit capellaniæ vocabulo, in toto, qua late patet, testamento, et dispositio facta sit a laico de bonis laicalibus : *Taur.*, *Capel.*, 23 *nov.* 1776, § 4.

Præsertim si Ordinarii auctoritas non intercessit in erectione, nec in institutione, quod opus fuisset in beneficio, seu capellania ecclesiastica : *Ibid.*

Etiamsi capellania seu legatum pium addixerit certo altari, certumque adjecerit testator Missarum onus cum assignatione certæ dotis et reservatione jurispatronatus : *Ibid.*, § 5.

Fundator quando nihil aliud facit quam bona sua clerico aut sacerdoti relinquere cum onere sacra agendi, procul dubio pium legatum aut capellaniam laicalem dare censetur, non vero beneficium ecclesiasticum : *Ascul.*, *Cap.*, 22 *aug.* 1750, § 4.

Eoque amplius, si testator nunquam nominavit dispositionem suam de hac capellania beneficium ecclesiasticum : *Ibid.*

Amplia : Si testator consensum, et auctoritatem Episcopi in erectione capellaniæ non requisivit, sed illam jure proprio facere voluit ; casu hoc nil aliud in mente habere potuit, quam fundationem simplicis capellaniæ piique legati, quod sine consensu et auctoritate Episcopi poterat consistere : *Ibid.*, § 5.

Et si testator capellanis, vel illos nominantibus nullam obligationem, aut necessitatem imposuerit

petendi institutionem ab Episcopo; id explicat mentem testatoris fuisse, ut simplex onus pium et capellania laicalis institueretur : *Ibid.*

Similiter, si jusserit ut nominari debeat inops clericus, volueritque ut ex fructibus hujus capellaniæ patrimonium sacrum constitui possit; cum enim titulus patrimonii proprie conveniat bonis laicalibus, et inductus sit in defectum tituli beneficialis, dici nequit beneficium ecclesiasticum : *Ibid.*, § 6.

Et ideo capellania, quæ pro sacro patrimonio constituta fuit, laicalis censenda est : *Ibid.*

Idque colligitur etiam ex privatione et remotione capellani, nisi impleto vigesimo quinto ætatis anno ad sacerdotium ascenderit; naturæ siquidem beneficii ecclesiastici diercte adversatur hæc remotio, et privatio quæ monstrat fundatorem, non beneficium ecclesiasticum, sed capellaniam laicalem, cui convenit amovibilitas, fundare voluisse : *Ibid.*

Et ex defectu erectionis formalis hujus capellaniæ nunquam factæ ab Episcopo; cum explorati juris sit, capellanias a testatoribus institutas beneficii ecclesiastici naturam non suscipere, nisi cum episcopali auctoritate erigantur, et Episcopus approbet pacta et conditiones quæ a testatoribus et fundatoribus appositæ fuerint : *Ibid.*, § 7.

Pariter nomen capellæ a fundatore adhibitum excludit potius qualitatem beneficii ecclesiastici; cum capellaniæ proprie sumptæ non sint beneficia, nomen vero *præsentationis* non satis est ad ecclesiasticum beneficium necessario designandum, cum promiscue pro *nominatione* et electione accipiatur, ideoque uti æquivocum nihil ad rem concludit : *Ibid.*

Designatio altaris denique non facit, ut capellania beneficium ecclesiasticum dici possit : *Ibid.*

§ XIII.

Capellania simplex vel sacerdotalis.

Sacerdotalis non est capellania, nec habitu, nec actu, nisi testatrix præceperit capellanum per se ipsum celebrare debere, ac nisi concurrant æquipollentia verba id ipsum significantia : *Taurin., Capel.*, 23 *nov.* 1776, § 5.

Ideo in casu, quo fundator in fundatione præscripserit, ut *institueretur capellanus qui Missas celebret*, vel eligatur *capellanus*, *vel sacerdos*, beneficium, seu capellania non est sacerdotalis : *Ibid.*, § 8.

Et tunc potest conferri clerico 14 annorum, quia hoc modo censetur testator indicare potius voluisse onus celebrationis Missarum, quam capellani qualitatem : *Ibid.*

Sin autem in fundatione mandatum fuerit, ut *præsentetur*, aut *instituatur sacerdos*, vel *capellania conferatur sacerdoti* : *Ibid.*

In his circumstantiis nominandus est, vel presbyter, vel clericus, qui infra annum ad sacerdotium promoveri possit : *Ibid.*

Ut judicari tuto queat, num capellania sit actu sacerdotalis vel solum habitu; præ oculis habenda est theoria quam primus omnium invexit abbas : *Tudert.*, 9 *jul.* 1775, § 4.

Nempe, ut vel qualitas sacerdotalis adnectatur actui præsentationis, nominationis, collationis, et tunc cum qualitas adesse debeat secundum tempus verbi, et actus, capellania dicitur sacerdotalis : *Ibid.*

Aut qualitas sacerdotalis respiciat, et adnectatur exequutioni et persequutioni obtentæ nominationis, præsentationis, collationis; et tunc capellania censetur esse sacerdotalis habitu tantum : *Ibid.*

Hanc regulam sequutum est tribunal S. Rotæ in suis decisionibus, et S. Congregatio Concilii : *Ibid.*

Lex excipiendi confessiones, et residendi in loco, indicta nominatis et institutis, non inducit qualitatem actu sacerdotalem : *Ibid.*, § 5.

Eadem ratione, qua dicta lex indicitur a jure nominatis vel institutis ad parœcias, ad quas quis potest promoveri, si infra annum ad sacerdotium ascendat : *Ibid.*

Clericalis censetur capellania ex facultate celebrandi per alium : *Civit. Cast.*, *Capel.*, 23 *febr.* 1793, § 4.

Ad capellaniam, quæ est nec habitu, nec actu sacerdotalis, clerico simplici, et decimum octavum duntaxat annum agenti, petita institutio denegari non debet : *Salut.*, *Capell.*, 18 *jun.* 1735, § 4.

Capellaniæ manuales, seu amovibiles, nunquam sunt sacerdotales : *Comen.*, 10 *mart.* 1770, § 14.

Neque admittunt prælationem sacerdotis supra clericum : *Ibid.*

Præscriptum a testatore cum sit ut capellania conferatur a *soggetti che fieno sacerdoti*, sequitur qualitatem sacerdotalem in ipso actu electionis, a quo disjungi non potest : *Firm.*, *Capel.*, 12 *mart.* 1774, § 6.

Capellania non est censenda sacerdotalis, nisi expresse injunctum capellano fuerit onus celebrandi per seipsum : *Ibid.*, § 7.

Capellania dici nequit actu sacerdotalis, nisi dispositio concepta sit verbis negativis, quibus nempe testator jubeat, nonnisi sacerdotem esse præsentandum, vel saltem ita expressis, ut denotetur tempus, seu actus præsentationis, quo requiratur ordo presbyteratus : *Rom.*, *Capell.*, 14 *april.* 1736, § 5.

Ex perpetua mentione sacerdotis quoad ipsum nominationis actum, ejusque prælationem, capellania ut sacerdotalis debet considerari : *Prænes.*, *Capell.*, 19 *jun.* 1790, § 5.

Præsertim si accessit observantia, quæ in statuenda

sacerdotali vel clericali capellaniæ qualitate maximi facienda est : *Ibid.*

Desumitur capellaniæ sacerdotalis qualitas, ex verbis illis *sempre si conferi ca detta capellania ad un prete sacerdote;* quæ respiciunt ipsum collatoris actum : *Foroliv., Capel.*, 25 *jun.* 1791, § 3.

Et id confirmatur, si facta semper fuerit nominatio sacerdotum : *Ibid.*

Imo si intercessit dispensatio, quæ necessitatem supponit sacerdotalis qualitatis : *Ibid.*

Sacerdotalis non est capellania, quando fundator nominationem sacerdotis per verba negativa, puta : *Non admittatur, nisi sacerdos fuerit : Ibid.*, § 5.

Nominatio cognati sacerdotis in primum capellanum præ se ferre non potest qualitatem capellaniæ sacerdotalis, hinc præsumi debet nominatum fuisse a testatore ex affectione potius et sanguinis conjunctione, quam ad sacerdotalem capellaniæ qualitatem suadendam, erectum esse : *Ibid.*, § 5.

Capellania, in qua onus celebrandi Missas directe fuerit impositum capellanis, et ipse fundator atque patroni semper sacerdotem nominaverint, est sacerdotalis : *Ancon., Capell.*, 12 *jun.* 1762, § 6.

Qualitas sacerdotalis capellaniæ erui nequit ex onere capellanis injuncto celebrandi Missas, aut ex præsentatione sacerdotum a fundatore et patronis facta : *Ibid.*, § 8.

Quia onus celebrandi Missas, nisi ex lege fundationis implendum sit a capellano per se ipsum, non inducit qualitatem sacerdotalem : *Ibid.*

Observantia cum præscesserit ex libera patronorum voluntate, in exemplum adduci non potest : *Ibid.*

Cum onus celebrandi per se ipsum deficit, nunquam beneficium dicitur sacerdotale, utcumque voluerit fundator nominandum esse actu sacerdotem, et ad ordinem sacerdotii promotum : *Crem., Disp.*, 2 *decemb.* 1775, § 4.

§ XIV.

Capellania quoad titulum ordinationis.

Capellania laicalis suam retinet naturam etiam collata in titulum patrimonii : *Senogal., Tax. sem.*, 6 *dec.* 1794, § 5.

Vetitum enim non est aliquem ad ordines promoveri cum capellania laicali : *Ibid.*

Quum titulus patrimonii sit subsidiarius : *Ibid.*

Nonnulli putant onera sacrorum, quæ insunt capellaniæ, non esse detrahenda pro constituenda congrua patrimonii sacri : *Amen. seu Inter., Ordin.*, 11 *aug.* 1759, § 2.

Titulus constitutus super capellania, jam effecta litigiosa, præjudicare nequit vocatis, sed salva ordinato est actio petendi alimenta contra Archiepiscopum *Jan., Capell.*, 11 *april.* 1761, § 7.

Non est tributa facultas capellanis sese promovendi ad titulum illarum capellaniarum, quæ, dato onere applicationis Missarum etiam per alios celebrandarum, non sufficerent pro congrua synodali : *Compost.*, 12 *jul.* 1760, § 6.

Pro assequenda capellania titulo sacræ ordinationis, purificari debet casus ætatis adultæ pro sacris ordinibus recipiendis requisitæ a S. Concilio Tridentino : *Jan., Capell.*, 30 *jan.* 1762, § 5.

Et ille qui grammaticam et humaniores litteras didicerit, capax non est, nisi perceperit etiam scientias pro eisdem sacris ordinibus necessarias : *Ibid.*

§ XV.

Capellania quoad translationem.

Translatio capellaniarum, dum opponitur voluntati testatoris, non aliter conceditur quam ex justa, urgenti, et necessaria causa : *Arim., Transl. oner. Miss.*, 18 *sept.* 1779, § 9.

Quia præsumitur testatorem illas fundasse, aut in suffragium propriæ animæ, vel ex devotione erga aliquem sanctum, aut ex affectione erga aliquam ecclesiam : *Ibid.*, § 8.

Ubi apparet testatorem respexisse ad suffragium propriæ animæ, tunc facilius conceditur translatio capellaniarum ad aliam ecclesiam : *Ibid.*, § 7.

Sin autem celebratio Missarum demandata deprehendatur ex devotione erga aliquem sanctum, seu pro decore alicujus ecclesiæ, tunc translatio denegatur : *Ibid.*

Nec quælibet causa admittitur; sed duntaxat ea quæ præcisam necessitatem inducat : *Ibid.*, § 6.

Vel ea quæ oboritur ab obscura voluntate, vel quæ exequutioni dari nequit : *Ibid.*

Quo casu in interpretationem potius voluntatis, quam in absolutam communicationem resolvitur : *Ibid.*

Justa vero et urgenti deficiente causa, et tertii præjudicio accedente, nunquam translationi fit locus : *Ibid.*, § 10.

Translatio capellaniæ non admittitur, quoties tertio præjudicium inferri videtur, vel si non concurrat justa, et necessaria translationis causa : *Civit. Pleb.*, 7 *sept.* 1776, § 5.

Præsertim quando testator pro Missarum celebratione certam ecclesiam, certumque altare designavit, tunc difficilius conceditur : *Ibid.*

Urgente siquidem justa et rationabili causa, lo-

cum esse commutationi voluntatis, præscripsit S. Concilium Tridentinum sess. 22, cap. 6, *de Reform.*: *Ibid.*, § 6.

Facilius, quando ad illius exequutionem assentiuntur ii quorum interest ne translatio fiat; nimirum illi qui Missarum celebrationem amitterent, et capellanus onere adjuvandi parochum gravaretur: *Ibid.*, § 7.

Item, si accedat judicium Episcopi: *Ibid.*

Justa est causa illa quæ respicit animarum curam, et sacramentorum administrationem faciendam plurimis parochianis incolis, qui longe distant ab ecclesia parochiali: *Ibid*, § 8.

Itemque parœciæ inopia, e cujus reditibus coadjutor in exercitium curæ animarum assumi nequit, est sufficiens causa inducens necessitatem: *Ibid.*, § 9.

Denegari non debet translatio quæ tendit in augmentum divini cultus animarumque salutem: *Ibid*, § 10.

Si regulares renuant præstare patientiam pro implenda Missarum celebratione per sacerdotem ab hæredibus designatum, tunc capellaniæ translatio ad aliam ecclesiam permittitur: *Rom.*, *Celeb. Miss.*, 12 *jun.* 1773, § 3.

Capellani. Vide *Religio militaris Ordinis Hierosolymitani*, § II.

Capellanus.

§ I.

Capellanus in genere.

Capellani nomen, in simplici præsertim beneficio, convenit etiam clerico: *Ferrar.*, *Capel.*, 7 *jun.* 1788, § 3.

Nam simplex celebrationis onus sacerdotalem non exigit qualitatem, nec personale capellani ministerium: *Ibid.*

Ubi sacerdos capellanus appellatur, cui onus est celebrandi, de sacerdote saltem intelligitur habitu: *Ibid.*, § 2.

Ad differentiam casus, qui respiciat præsentationis, institutionis, vel collationis actum, nam tunc de sacerdote etiam accipitur actuali: *Ibid.*

Capellani ad servitium chori in ecclesiis cathedralibus deputati, quos jura vocant *Assisios*, beneficium ecclesiasticum habere dicuntur, et sunt ecclesiæ intitulati: *Firm.*, *Erect. mens.*, 10 *febr.* 1770, § 11.

Capellani hujusmodi alii vocantur mansionarii, alii beneficiati, vel capellani, aut portionarii: *Ibid.*

Capellani non sunt de gremio capituli, nec appellatione capituli comprehenduntur: *Firm.*, *Voc. in cap.*, 21 *aug.* 1734, § 6.

§ II.

Capellanus quoad applicationem Missarum.

Capellaniis perpetuis injuncta est applicatio sacrorum suapte natura; etsi de sola celebratione Missarum lex data fuerit: *Regin.*, 13 *jul.* 1765, § 13.

Nisi adsit contraria mens testatoris, aut conjecturæ urgentes, puta commodum populi, vel monialium: *Ibid*, § 14.

Aut clara distinctione testator usus sit, quæ facit ea ipsa discriminata ac discreta loquendi ratio: *Ibid.*

Onus orandi in Missa pro anima testatoris, diversum est ab applicatione Sacrificii, cum sit distinctum verbum juxta sui propriam et nativam significationem: *Ibid*, § 15.

Inspecta tenuitate dotis assignata in capellaniæ erectione, non est verosimile, quod capellano injunctum sit onus applicandi Missam quotidianam: *S. Miniat.*, *Appl. Mis. quot.*, 20 *nov.* 1734, § 7.

Capellanus non tenetur applicare Missam pro anima fundatoris, argumento ducto a designatione horæ et ecclesiæ illarum celebrationis; ita ut contemplata videatur potius commoditas populi, et ecclesiæ cultus, ac honorificentia quam suffragium ipsius fundatoris: *Compost.*, 12 *jul.* 1760, § 5.

Hinc sufficit sola præsentia et celebratio in hora et ecclesia designatis, cum facultate applicandi Missam pro aliis: *Ibid.*

Injuncta celebratione, censetur quoque indicta applicatio, nisi expresse hæc arbitrio capellani fuerit relicta: *Triden.*, *Appl.*, 27 *febr.* 1768, § 8.

Ideo deficiente in fundatione expressa exemptione ab applicatione, ad hanc applicationem capellanus tenetur: *Ibid.*

Inverosimile est, congruum capellano datum fuisse stipendium, et tamen sola celebratione absque applicatione fuisse gravatum: *Ibid.*, § 9.

Extranea regula est, si voluisset applicationem testator, expressisset; quum applicatio sit effectus consecutivus celebrationis: *Ibid.*, § 10.

Sed magis est spectanda regula 45 juris in 6°: *In obscuris inspiciendum esse quod est verosimilius*: *Ibid.*

Verosimiliter autem fundatorum voluntati magis consonum est, præscriptam celebrationem Missarum secum ferre applicationem in eorumdem commodum, nisi contrariam ipsi voluntatem patefecerint: *Ibid.*

Nefas est, eam legem in institutione adjectam

impugnare cum qua capellaniam habet, eamdemque individuam institutionem in parte proficua et utili suscipere, in odiosis vero rejicere: *Ibid.*, § 11.

§ III.

Capellanus quoad celebrationem Missarum.

Capellania est onus celebrandi Missam in aliqua ecclesia seu capella : *Recin., Capel.*, 27 *aug.* 1791, § 3.

Indefinite instituta declaratur ab altera cum onere Missarum, ob relativa præsertim verba *come appresso : Ibid.*

Missarum contra designatio quoad unam capellaniam, discretivam inducit quoad alteram, in qua non sunt expressæ : *Ibid.*, § 4.

Ea tamen in dubio capienda interpretatio, quæ magis faveat intentioni fundatoris : *Ibid.*, § 3.

Capellania relicta in patrimonium sacrum absque expresso Missarum onere, gravari nequit Missa quotidiana ; sed locus est arbitrio in statuenda illius celebratione : *Ibid.*, § 4.

Augeri non debet numerus Missarum, ob auctos reditus ex industria capellani, nisi testator celebrari jusserit Missas cum mensura ad proventus ; neque augeri debet, ubi testator taxative designavit per dictionem tantum : *Spol., Cap.*, 26 *nov.* 1796, §§ 6, 7 et 9.

Capellanus celebrare omnino tenetur Missam quotidianam, de qua pacto convenit : *Castel., Capel.*, 19 *dec.* 1795, § 5.

Maxime si aliquandiu exequutus fuerit contractum : *Ibid.*

Atque ex hujusmodi exequutione, par oneri præsumitur emolumentum : *Ibid.*

Qui potest celebrare per alium, si infirmetur, tenetur hoc onus implere, et alteri eleemosynam dare, ut celebret : *In Disc. Secr.* § III, 8 *aug.* 1722, *num.* 4.

Si capellanus, cui a testatore fuit onus impositum ut quotidie per se ipsum celebraret, celebrationem autem nonnullis mensibus causa infirmitatis omiserit, est obligatus ad curandam celebrationem Missarum, quas non celebravit tempore infirmitatis : *Ibid.*, § 5.

Sunt qui distinguant inter longam infirmitatem, et brevem, ita ut primo casu non tenetur per alium satisfacere, secus autem in secundo : *Ibid.*

Capellanus infirmus, eatenus non tenetur alium substituere in celebratione Missarum sibi incumbentium, quatenus onus habet celebrandi per se ipsum : *Mediol. seu Laud.*, 23 *aug.* 1760, § 3.

Et quatenus infirmitas longo tempore non sit duratura : *Ibid.*

Capellanus de jure absolvitur in casu infirmitatis ab obligatione Missarum : *Segus., Red. Miss.*, 26 *mart.* 1791, § 8.

Et abstinere quandoque valet ex honestate vel devotione a Sacrificio ; semel scilicet in hebdomada : *Ibid.*

Quamvis illis diebus vacationis applicare nequeat pro se ipso vel aliis, accepto stipendio : *Ibid.*

Quum testator favorem capellanorum contemplaverit, latius accipienda est oppidi designatio quoad Missæ celebrationem : *Firm.*, 8 *aug.* 1789, § 2.

Unusquisque capellanus quotidiana Missæ celebratione gravatus, ex benigna quadam juris dispositione, semel in hebdomada ab illa vacare potest, nisi id ei fuerit in capellaniæ fundatione expresse prohibitum : *Casert., Capel.*, 23 *nov.* 1737, § 4.

Vacationes a celebratione Missarum ex causa infirmitatis, ad decem dies limitantur, et obligatio capellani sumenda est non in abstracto, sed juxta legem fundationis : *Mediol.* cit. § 3.

Sacrum capellanus infirmus non tenetur celebrare : *Civit. Pleb., Visit. SS. LL.*, 27 *aug.* 1791, § 2.

Supplere tamen debet per alium, si infirmitas sit diuturna : *Ibid.*, § 4.

Alii brevem censent infirmitatem dierum octo aut decem, alii unius mensis, alii dierum quindecim juxta sententiam S. Congr. Concilii : *Ibid.*

Si vero fundator excepit casum impedimenti relative ad celebrationem Missarum, tunc non tenetur supplere per alium : *Ibid.*, § 2.

§ IV.

Capellanus curatus.

Cura actualis exerceri potest etiam a capellanis amovibilibus, quando cura habitualis est penes capitulum : *Alip., Cur.*, 12 *jan.* 1726, § 2.

Nullo jure cautum est, ut congrua alimentatio capellanis servetur, quæ tantum beneficiis curam animarum habentibus reservanda est : *Viter., Cens.* 4 *april.* 1767, § 5.

Capellanus curatus ecclesiæ filialis, non potest jure proprio infantes baptizare, matrimoniis assistere, cadavera tumulare, aliasque functiones exercere ; *Mont. Alt., Rem. capel. et Jur. par.*, 22 *maii* 1762, § 6.

Quia ille curam exercens vicario nomine parochi, eas solum habet facultates quæ a parocho conceduntur : *Ibid.*

Capellano curato ordinis Hierosolymitani licet sacramenta administrare degentibus intra septa commendæ pro illius servitio : *Const., Jur. par. et Exemp.*, 25 *sept.* 1762, § 4.

Quia illi plena gaudent exemptione à potestate ordinaria : *Ibid.*

Quoties tot parocho reditus non suppetunt ut capellano stipendium possit præstare, tenetur communitas capellano stipendium suppeditare : *Com., Dism.*, 22 *aug.* 1750, § 6.

Quum præstatio debita capellano curato ab incolis non sit decima, sed demandata in bulla erectionis pro partiali ejusdem stipendio, considerari non possunt termini decimarum et redecimarum : *Firm.*, 17 *aug.* 1776, § 9.

Et agnito onere ac vigente consuetudine dictæ præstationis, imposterum quoque incolæ tenentur eam servare : *Ibid.*, § 10.

Cum vix ad congruam vitæ capellani conservationem sufficiant reditus assignati, nihil ergo est per ipsum erogandum in restaurationem et reædificationem ecclesiæ, ædiumque adnexarum, ne sine alimentis deservire cogatur : *Ibid.*, § 12.

Stipendium assignatum capellanis curatis, in erectione collegiatæ augeri non debet : *Assis., Stip.*, 17 *sept.* 1796, § 5.

Ubi vero ex gravi causa augendum est, ab eo præstandum venit augmentum, a quo debetur stipendium ; vel ab eo, qui sentit capellanorum commodum : *Ibid.*, §§ 6 et 7.

Pro causa haud nova sed antiqua, constituendi non sunt capellani curati in ecclesiis capitulo filialibus, quibus opus non esse, duorum ferme seculorum experientia comprobavit : *Vic. par. de Lluss.*, 23 *aug.* 1760, § 2.

Novos capellanos constituere non oportet in ecclesiis capitulo filialibus, quando locorum distantia, et asperitas viarum, non grave incommodum rusticis hominibus afferunt : *Ibid.*

Pro impetranda deputatione coadjutorum, ante oculos poni debet distantia locorum cum asperitate viæ, quodque parochiæ incolis sine magno incommodo non pateat accessus ad majorem ecclesiam, quo casu locus esset dismembrationi et novæ parochiæ erectioni : *Ibid.*, § 3.

Multo magis jure postulatur deputatio capellani coadjutoris in oratoriis, vel ecclesiis filialibus, qui munera parochialia exerceat, cum ad hunc effectum sufficeret etiam sola populi affluentia : *Ibid.*

Si populus distet ab ecclesia parochiali, S. Congr. Episc. et Regul. solet concedere ejus capellano facultatem baptizandi, et administrandi, etiam tempore Paschatis, ecclesiastica sacramenta, necnon publicandi et assistendi matrimoniis, et cadavera tumulandi, dummodo capellanus quolibet mense transmittat nomina defunctorum, baptizatorum et matrimoniorum, parocho, qui solus libros in quibus hæc adnotantur retineat : *Albin., Cur. an., et Funct.*, 29 *jul.* 1752, § 2.

Capellanis auxiliaribus in exercitio curæ animarum, nulla debetur congrua, sed stipendium tantum, seu salarium ab initio eis constitutum : *Carpen.*, 15 *sept.* 1781, § 8.

Quod semel eis placitum est, nec augeri imposterum, nec novum constitui debet, nisi probetur originaria ejusdem insufficientia, aut subsequuta imminutio : *Ibid.*

Juste remotus est capellanus ab Episcopo, cum ille tenetur curæ animarum providere de idoneis pastoribus : *Ascul.*, 24 *jul.* 1762, § 4.

Posita in eadem ecclesia parochiali præexistentia alterius rectoris, capellani superadditi nequeunt censeri parochi, sed simplices coadjutores parochi, seu præpositi : *Rip. Tur., Par.*, 20 *nov.* 1761, § 7.

Ideo nihil valet exceptio illorum provisionis per concursum, cum hic haberi possit etiam pro beneficiis non curatis : *Ibid.*

Et capellani prædicti debent exercere curam animarum cumulative, et dependenter ab eodem præposito, et ad ejus nutum : *Ibid.*

Et quoad eorum præsentiam matrimoniis ineundis præstandam, præsumendum est eam peregisse de licentia præpositi : *Ibid.*, § 8.

Necnon retentio librorum parochialium, ac participatio emolumentorum, spectat de jure ad solum parochum : *Ibid.*

Repugnat in jure, ut in pluribus in solidum resideat cura per modum collegii, a quo repræsentetur formalis persona rectoris, seu parochi : *Ibid.*, § 9.

§ V.

Capellanus quoad fructus et eleemosynam.

In manutentionem capellani censetur Missarum eleemosyna principaliter assignata : *Sutr., Capel.*, 18 *april.* 1755, § 11,

Assignatio facta demonstrative capellano pascuorum reditus, illius augmentum in commodum capellani recidit : *Spolet.*, 23 *jan.* 1790, § 4.

Qui ob injustam patronorum contradictionem non obtinuit capellaniam, consequi debet illius fructus ab initio : *Ripan., Capel.*, 16 *april.* 1791, § 8.

Sed contra, fructuum perceptio sequela est possessionis : *Ibid.*

Ideoque percepti ante possessionem applicari potius debent capellaniæ, in augmentum ejus dotis : *Ibid.*

Augere non debet hæres stipendium capellani præfinitum per rem judicatam : *Faven., Capel.*, 21 *jun.* 1794, § 2.

Tenetur tamen, ubi indefinitam obligationem habet ex testamento manutenendi capellanum, et pares sunt reditus hæreditatis supplemento stipendii : *Ibid.*, § 3.

Adigi debet capellanus ad fructuum restitutionem a die vacationis beneficii, utpote quia injuste illos et mala fide perceperit : *Reat., Capell.*, 14 *maii* 1774, § 5.

Fructus ab initio vacationis capellaniæ sunt capellano restituendi a patrono qui percepit sine jure, mala fide, et cum certa scientia eorum pertinentiæ ad capellanum : *Baln.*, 8 *jul.* 1775, § 11.

Capellanus nec jure petere, nec assequi potest capellaniæ fructus præteriti temporis, quo ipse non erat capellanus, nec impleverat onera capellaniæ, sed erat simplex et mere laicus : *Balneor.*, 7 *sept.* 1776, § 4.

Fortius in exclusionem patroni, qui illos percepit, implevitque onera capellaniæ usque ad diem nominationis factæ : *Ibid.*

Stipendium capellaniarum unicuique capellano debetur a die obitus testatoris, quia ab illa die erant erigendæ capellaniæ, et quia de fructibus et de sorte eadem ratio viget : *Rom., Capell. et Leg. pii.*, 30 *aug.* 1777, § 9.

Præcisive accedente bona vel mala fide stipendia quamvis præterita debentur, quando petuntur uti sors et jura dominii : *Ibid.*, § 10.

Iniquum videri potest, atque a mente fundatorum alienum, eam redituum partem, quæ conservationi capellani destinata est integre, in eleemosynam sacrorum convertere, nilque relinquere pro beneficiato in congruentiam onerum eidem incumbentium, et præsertim diuturnæ obligationis recitationis officii : *Sars., Un.*, 8 *jul.* 1786, § 10.

§ VI.

Capellanus quoad jura et potestatem.

Quando capellani legitimam societatem, seu legitimum corpus, conficiunt, iis non vetat lex, ut ad exemplum reipublicæ, communi nomine agant : *Aux.*, 21 *jun.* 1766, § 14.

Indubii juris est, licere capellano, occasione expositionis Sanctissimi Sacramenti, populo benedicere, cum hæc benedictio de juribus parochialibus fit : *Fav., Fun.*, 3 *apr.* 1773, § 3.

Capellanus nullo modo potuit facto suo patronis præjudicium inferre : *Rom. seu Port., Capel.*, 16 *jan.* 1768, § 15.

Quia certum est procuratorem nullum mandanti posse præjudicium inferre : *Ibid.*

Maximum intercedit discrimen inter canonicos et simplices capellanos, quum hi habeantur veluti ministri canonicorum, nec partem ullam habeant in capitulo : *Vig., Insig.*, 4 *jun.* 1768, § 4.

Idcirco S. Congr. Concilii decreta, quæ decori consulunt capituli, nullomodo trahi possunt ad capellanos sub eorum dispositione non comprehensos : *Ibid.*

Quia capellani non sunt de gremio capituli, nec appellatione capituli comprehenduntur : *Firm., Voc.*, 21 *aug.* 1734, § 6.

§ VII.

Capellanus quoad onera in genere.

De oneribus novis injunctis post primam erectionem alicujus capellaniæ, canonistæ tractant : *Flor.*, 18 *maii* 1765, § 12.

Nova opera, præter contenta in litteris fundationum, capellanis non debent imponi : *Urbev.*, 15 *mart.* 1777, § 4.

Capellanus in capellaniis habitu sacerdotalibus, debet promoveri ad sacerdotium intra annum : *Ferrar., Capel.*, 7 *jun.* 1788, § 6.

Episcopus consensum præstare nequit impositioni novorum onerum capellaniis suæ liberæ collationis, in præjudicium suorum successorum : *Vigil., Serv. chor.*, 23 *aug* 1760, § 6.

Absonum est, onus in erectione adjectum, a S. Cong. Concilii approbatum, et fere datum per seculum exequutioni, modo ab hodierno capellano impugnari qui capellaniam cum eo onere accepit : *S. Sever., Eleem.*, 26 *nov.* 1768, § 5.

Omnes capellani ex juris dispositione tenentur ad utensilium solutionem, etiamsi sacrarium dives sit : *Viter., Capel.*, 19 *sept.* 1767, § 4.

Verba, quoad capellanos prolata *purche abbiano l'autorita di confessare*, obligationem inducunt excipiendi confessiones : *Sutr., Capel.*, 18 *april.* 1795, § 13.

Si alii ad capellaniam primario vocati, et sacros ordines suscipere, et onera per se ipsos implere tenentur, id ipsum quoque trium familiarum vocatarum clerici exequi debent : *Firm., Capel.*, 12 *mart.* 1774, § 5.

Omnes capellani tenentur assumere indispensabiliter sacerdotium, sine quo personali obligationi Missarum satisfacere non valent : *Ibid.*, § 6.

Si S. Congr. Concilii compertum habuisset juspatronatus, certe capellano haud imposuisset onus adjuvandi parochum, patronis inferens præjudicium, a quo S. Congr. nimis abhorret : *Rom. seu Port., Capel.*, 16 *jan.* 1768, § 8.

Onus a testatore impositum capellano hortativis verbis impleri debet veluti ex præcepto : *Senogal., Capel.*, 20 *april.* 1793, § 5.

Licet censeatur relinqui libero arbitrio quod committitur alicujus voluntati : *Ibid.*, § 4.

Per assumptam obligationem explendi onera capellaniæ, ad omne id tenetur capellanus quod in scriptura per ipsum subscripta continetur : *Ibid.*, § 6.

Si vero aliquod onus ex contraria opinione neglexit, odiosa pœna caducitatis excusatur : *Ibid.*

§ VIII.

Capellanus quoad residentiam, et quando teneatur celebrare per se ipsum.

Nulla de jure requiritur personalis residentia, et nullum onerum implementum per se ipsum, quoties res est de capellania pure et simpliciter laicali, et prorsus exempta a quavis Ordinarii jurisdictione : *Hort.*, 2 *dec.* 1775, § 4.

Etiamsi in beneficiis et capellaniis laicalibus quoque ex lege fundationis inhærere possit præcisa residendi necessitas : *Ibid.*, § 5.

Attamen cum testator nullam non residentibus imposuerit pœnam privationis capellaniæ, hinc residentia non intelligitur præcisa, sed tantum causativa : *Ibid.*

Residentia hæc causativa nedum imcompatibilitatem beneficiorum excludit : *Ibid.*

Nec impedit quominus capellanus per alium impleat onera capellaniæ : *Ibid.*

Quamvis verba fundatoris fuerint in personam capellani directa, nisi testator dixerit quod capellani per se ipsos celebrare teneantur : *Ibid.*, § 5.

Fortius, si testator expresserit in casu legitimi impedimenti vel absentiæ, vel infirmitatis, posse per alium supplere : *Ibid.*, § 6.

Capellanus celebrans per alium sacerdotem, implere dicitur onera capellaniæ tanquam unice sacerdotalis : *Comac.*, *Capel.*, 3 *febr.* 1776, § 3.

Maxime quia capellano non celebranti per se ipsum nulla fuit imposita privationis capellaniæ pœna ; sine qua residentiæ onus non inducitur : *Ibid.*, § 4.

Quinimo etiamsi pœna privationis adjecta fuisset per verba affirmativa, adhuc tamen inflicta censeri deberet tantum in casu, quo capellanus neque per se neque per alium celebraret : *Ibid.*

Onus residentiæ non infertur ex simplici demandata celebratione Missarum, quod onus est ex expressis, non ex tacito, desumendum : *Ibid.*, § 7.

Infertur vero in casu, quo testator mandaverat capellanum celebrare debere personaliter : *Ibid.*, § 8.

Non videtur præ se ferre claram et perspicuam legem capellanus celebrandi per se ipsum, uti necesse est, si interdicta satisfactio per alium affirmetur : *Æsina.*, 26 *nov.* 1785, § 7.

Idque etiamsi personalis assistentia functionibus aliis indicta sit : *Ibid.*

Et ratio est, quia cum sint onera separabilia eo quod unum sit personale, non sequitur quod etiam alterum sit : *Ibid.*

Personale censetur onus celebrandi per se ipsum sacra hisce verbis conceptum : *Il canonico pro tempore fia tenuto, ed obligato celebrare le Messe.* *Pren.*, *Canon.*, 16 *jun.* 1787, § 7.

Testatores, dum voluerunt implementum onerum per alium, expresse dixerunt; in reliquis casibus, in quibus idem non dixerunt, noluisse censentur : *Ibid.*, § 8.

Ob residentialem beneficii qualitatem celebratio *per se ipsum* a capellano implenda est : *Cervien.*, 14 *maii* 1788, § 8.

Dummodo expressum sit in testamento onus celebrandi per se ipsum : *Ibid.*

Quia non desunt doctores, qui in beneficiis etiam residentialibus facultatem tribuant celebrandi per alium : *Ibid.*

Bene hæc componuntur, ut capellanus debeat esse sacerdos, et nihilominus Missas celebrare possit per substitutum : *Ferrar.*, *Capel.*, 7 *jun.* 1788, § 5.

Præcepto expresso deficiente celebrandi per se ipsum, per alium celebrari potest : *Terrac. seu Priv.*, *Capell.* 18 *jul.* 1789, § 4.

In simplicibus capellaniis nunquam censetur inesse onus residentiæ, nisi fundator eam perspicue imperaverit : *Perus.*, *Capel. chor.* 20 *jan.* 1770, § 4.

Demandata a fundatoribus celebratione Missarum absque ulla personali celebrantis nota, per alium expleri sacra possunt : *Trid.*, 20 *sept.* 1788, § 7.

Seposita lege fundationis celebrandi per se ipsum, capellanus potest alium pro celebratione Missarum substituere : *Jan.*, *Capell.*, 11 *april.* 1761, § 8.

Ex lege imposita celebrandi per alium, quatenus infirmitate aliqua detineretur, arguitur ut, seposito casu infirmitatis, vel alterius impedimenti, celebrationem Missarum per semetipsum facere teneatur : *Com.*, 10 *mart.* 1770, § 6.

Quando capellania residentiam præcisam in loco requirit, apparet id ex onere injuncto celebrandi per seipsum : *Camerin.*, 21 *jun.* 1766, § 8.

Et ex privationis pœna, in casu omissæ per seipsum celebrationis : *Ibid.*

Qua de causa, nefas est hanc voluntatem evertere : *Ibid.*

Ad inducendum onus celebrandi per se ipsum,

necesse non est, ut in fundatione cautum sit id verbis expressis, sed satis est, id colligi posse ex æquipollentibus : *Novar.*, 14 *maii* 1768, § 17.

Hinc excluditur, quoties a fundatione abessent verba, quæ saltem æquipollenter personale hujusmodi onus præ se ferant : *Ibid.*, § 22.

Quum nulla præscribuntur onera personaliter implenda per capellanum, tunc is non tenetur ad residentiam, sed potest onera explere per substitutum : *Aux.*, 17 *jan.* 1761, § 9.

In capellaniis Missarum celebratione gravatis, nisi verba disponentis sint adeo stricta, ut imponant expresse capellano onus celebrandi per seipsum, facultas implendi per alium nunquam adempta censetur : *Civit. Cast.*, *Celeb. Miss.*, 4 *aug.* 1736, § 5.

Testator, dum ille expresse potestatem fecit celebrandi per alium in casu absentiæ, satis aperte ostendit, mentem suam fuisse ut, eo casu cessante, per seipsum celebrare teneatur : *Ibid.*, § 6.

Capellanus Missas per seipsum celebrare non adstringitur, nisi a testatore expresse id cautum fuerit : *Jan.*, *Capel.*, 14 *april.* 1736, § 6.

Si ex verbis testatoris colligi possit, ipsum voluisse, ut capellani Missas per seipsos celebrare teneantur, illi non possunt huic oneri per alios satisfacere : *Ibid.*, § 7.

Capellanus, cui incumbit onus Missas per seipsum celebrandi, si aliquando ægrotet, non tenetur Missas per alium presbyterum celebrari facere : *Laud.*, *Capel.*, 23 *aug.* 1738, § 12.

Capellani quantumvis gravati onere Missarum per seipsos celebrandi, obstringuntur earum celebrationem per alium supplere, si infirmitas aut aliud impedimentum legitimum ultra decem, aut ad summum quindecim dies, protrahatur : *Ibid.*

Capellania mere laicalis, non exposcit personalem residentiam, nec implementum onerum per seipsum, nisi id clare, aperteque ex fundatorum voluntate resultet : *Aux.*, *Ind.*, 4 *jun.* 1768, § 8.

Neque onus residentiæ erui potest ex injuncta celebratione trium sacrorum, si nullibi impedimentum eorumdem per seipsos fuerit præscriptum, nec per alios impleri vetitum : *Ibid.*, § 6.

Tantoque minus ex injuncto onere recitandi quolibet die divinum officium, cum in hisce capellaniis, seu officiaturis, deficiente expressa lege fundationis, ex eo tantum inducatur residentia impropria et causativa inducens solum omissionem emolumentorum et distributionum , non vero propria et præcisa sub pœna privationis : *Ibid.*

Quum deest in testamento et in instrumento fundationis lex celebrandi per seipsum, per alium satisfieri potest : *Rom.*, *Capel.*, 13 *jul.* 1789, § 9.

Et plurimum confert consuetudo ad interpetrandam fundationis voluntatem : *Ibid.*

Onus celebrandi in una ecclesia, *e non altove* injunctum, est ad augendum in ea Missarum numerum et ad designandum personale capellanorum ministerium : *Ibid.*

Neque hoc inducitur ex onere residendi : *Ibid.*

Neque ex sola facultate celebrandi per alium, in casu infirmitatis : *Ibid.*

Sed simul sumenda sunt personalitatis argumenta : *Ibid.*

Et casus exceptus celebrationis per alium firmat regulam in contrarium : *Ibid.*

Excluditur præcisa residentia ex facultate data capellanis celebrandi per alium, et patrono nominandi clericum minorum ordinum : *Lucen.*, 1 *febr.* 1766, § 7.

De jure, exceptis canonicatibus et beneficiis curatis, de omnibus aliis fundationibus, quodcumque servitium requirant, nonnisi *causativa residentia* intelligatur : *Ibid.*, § 8.

Nec officit, quod capellania sit in cathedrali ecclesia fundata : *Ibid.*, § 9.

Nam ex Concilii præscripto etiam in cathedralibus unice hanc *præcisam residentiam* habent, quæ beneficia ad certum determinatum numerum redacta sunt, et collegium, seu capitulum constituunt, non autem cetera, licet *improprie et abusive canonicatus aut mansionariæ* vocentur : *Ibid.*

Nec obstat quod pœna privationis expresse injuncta fuerit capellanis : *Ibid.*, § 10.

Quum odiosa hæc privatio ad alios casus extendi de jure non possit : *Ibid.*

Ex onere celebrandi per seipsum, assistendi divinis officiis, personalis desumitur residentia : *Papien.*, 19 *febr.* 1791, § 3.

Pœna privationis per verba affirmativa non inducit obligationem residendi, et inflicta censetur in casu quo, neque per se, neque per alium, capellanus celebrat : *Ibid.*, § 4.

Præsertim si in litteris apostolicis nuncupata fuerit capellania una ex tribus residentiam personalem non requirentibus : *Ibid.*

Cum non fuerit statutum, ut capellanus celebret per seipsum , huic oneri stricte satisfacere potest per alium : *Aquil.*, *Capel.*, 1 *maii* 1733, § 3.

Quamquam ex conjecturis constet aliam fuisse mentem fundatoris : *Ibid.*

In casu, quo a testatore imposita capellano fuisset lex ut auxiliarem operam præstaret parocho ac ut in divinis officiis inserviret ecclesiæ, dubitari valde potest indictam etiam esse legem residendi : *Ibid.*, § 5.

Sacra Rota quamvis fundator constituisset capellanum debere divinis officiis in choro inservire, et

Missæ sacrificium facere in certo altari, necnon inhabitare domum assignatam, ad stipem pauperibus largiendam, nihilominus determinavit non requiri personalem residentiam : *Ibid.*, § 8.

Communiter receptum est, legem capellano impositam præstandi auxiliarem operam parocho in exercitio curæ animarum, atque in sacramentorum administratione, secum ferre onus præcisæ ac personalis residentiæ : *Sign., Capel.*, 15 *dec.* 1736, § 5.

Sola fundatoris voluntas spectanda est ad dignoscendum utrum onera capellanis injuncta sint per seipsos capellanos implenda : *Firm., Capel.*, 12 *mart.* 1774, § 5.

Si facultas concessa sit in certis casibus implendi per alium, hujusmodi facultas in aliis circumstantiis vetita est : *Ibid.*, § 6.

Si clero contemplato a testatore injunctum est onus assumendi sacerdotium statim ac per ætatem potuerit et onera per seipsum implere, id a fortiori aliis non contemplatis præscriptum fuisse dijudicari debet : *Ibid.*, § 7.

Cum expresse deficit præceptum capellanis injunctum, jure possunt per alios sacerdotes Missarum celebrationi aliisque oneribus satisfacere : *Ibid.*, § 11.

Vix hodie in tribunalibus admittitur ut sacerdos teneatur celebrare per seipsum, nisi claris et rotundis litteris fundator dicat eum debere celebrare per seipsum ; non enim sufficit ut dicat debere esse presbyterum, eum debere residere, eum debere celebrare, quum hæc omnia dicantur compatibilia cum facultate celebrandi per alium : *In Discur. Secr.*, 8 *aug.* 1722, § 3, *num.* 4.

Obligatus ad celebrandum per seipsum non tenetur tempore infirmitatis vel alterius justi impedimenti onus explere per alium : *Ibid.*, §§ 5 et 8.

A valore beneficii non sunt deducenda onera Missarum, quando beneficiatus tenetur celebrare per seipsum : *Ibid.*, § ult.

Ex hoc sequitur ut detrahantur onera Missarum, quando beneficiatus potest celebrare per alium : *Ibid.*

Possessores capellaniarum, de generali totius orbis consuetudine, minime tenentur ad residentiam : *Aux.*, 17 *jan.* 1761, § 8.

Capellanus celebrare nequit per alium, ubi demandata est celebratio *per se et non per alium* : *Rom., Capel.*, 26 *nov.* 1796, § 4.

Quæ clausula aufert facultatem substituendi, et satis est tantum clausula per se : *Ibid.*

Maxime si eam testator *discretive* non adhibuit in institutione alterius capellaniæ : *Ibid.*

Capellanus infirmus celebrare non tenetur per alium, si infirmitas sit brevis ; secus, si diuturna : *Ibid.*, § 6.

Alii brevem censent infirmitatem dierum octo, aut decem, alii eam extendunt ad mensem ; et alii restringunt ad dies quindecim : *Ibid.*

§ IX.

Capellanus quoad servitium chori.

Redituum tenuitas non patitur ut capellano adjiciatur onus diuturni servitii, cui paria non sunt emolumenta capellaniæ, illudque proinde juxta consentaneam emolumenti quantitatem est moderandum : *Perus., Capel. chor.*, 20 *jan.* 1770, § 5.

Diminutio vero servitii chori a capellano postulata, si aperte adversatur menti testatoris, omnino est neganda : *Ibid.*, § 6.

Præsertim si capellanus electus cum capitulo convenit, promisitque onera capellaniæ implere, unde arguitur, ex sola unius partis voluntate recedi non posse ab iis quæ mutuo consensu statuta sunt : *Ibid.*, § 7.

Dum ex capellanorum absentia nullum detrimentum divinus cultus patitur, modificationi servitii quotidiani accedente etiam verosimili fundatoris mente, est indulgendum : *Alex.*, 19 *sept.* 1767, § 5.

§ X.

Capellanus quoad vacationes.

Longiores vacationes non sunt capellano concedendæ ex dispositione juris, quam quæ ex fundatoris expressa voluntate evincuntur : *Med. seu Laud.*, 23 *aug.* 1760, § 2.

§ XI.

Capellanus seu vicarius exercitus.

Capellanus castrensis, si non habet specialem facultatem a Sede apostolica, vel expressam licentiam ab Ordinario, non potest assistere seu interesse matrimoniis quæ contrahuntur a militibus, sive hi degant in præsidiis, sive in castris, et stationibus hybernis, aut æstivis, seu etiam sint positi in actuali expeditione : *Jadr.*, 24 *aug.* 1720 ; *in Barch., Matrim.*, 5 *jun.* 1723, §§ 1 *et* 3 ; *in ead.*, 28 *nov., eod. an.*

Capellani castrenses citra facultatem Sedis apostolicæ, aut parochi, vel Ordinarii, licentiam matrimoniis interesse nequeunt : *Taur., Matr.*, 16 *nov.* 1720, § 6.

Militum in aliquo præsidio degentium capellani confessiones excipere non possunt, nisi vel habeant speciale apostolicum privilegium, vel approbatio-

nem Ordinarii in cujus diœcesi existunt : *Viter., Visit. sacr. lim.*, 22 *nov.* 1721, § 4.

Clemens XI nuntio apostolico concessit, ut pro excercitibus, qui tunc in Germania consistebant, aut inde ad alias regiones, provincias et regna, et etiam in Italiam et Insulas adjacentes expedirentur, capellano majori exercituum dari possit facultas, ut ab ipso vel aliis sacerdotibus ab aliquo Ordinario approbatis, et ab eodem capellano majori subdelegandis, administrarentur sacramenta, et plura alia peragerentur : *Mechlin.*, 17 *jan.* 1722, § *ult.*

Capellanus deputatus tantum intelligitur pro iis sacramentis quæ administrari consueverunt a simplicibus parochis, et quidem pro tempore quo exercitus est in actuali expeditione : secus autem, quando milites in stationibus degunt et præsidiis : *Barchin., Matrim.*, 20 *nov.* 1720, § 3.

In Hispaniis vigebat opinio quod capellani exercitus assistere non possint matrimoniis militum, vigore brevis Innocentii Papæ X : *Ibid.*, § *ult.*

Capellani exercitus, quamvis ex apostolico diplomate præditi facultate administrandi sacramenta militaribus personis, adeoque subrogati in locum parochi, non videntur posse assistere matrimoniis, dum milites ea ineuntes non sunt in actuali expeditione, sed morantur in castris, aut in hybernis stationibus, vel arcibus, et præsidiis, nisi et hoc peculiariter concessum a Sede Apostolica fuerit : *Neapol., Matrim.*, 29 *aug.* 1733, § 4.

A Benedicto XIII Pont. Max. facultates tributæ capellano majori exercituum cæsareorum, vel aliis sacerdotibus ab eo subdelegatis, exercendæ sunt duntaxat erga milites aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus pertinentes, huc intellectis etiam copiis auxiliaribus, quomolibet spectatis : *Ibid.*, § 12.

Communiter receptum est, ut capellani exercituum non possint valide assistere matrimoniis eorum militum qui non sunt in actuali expeditione, sed in castris, aut in hybernis stationibus, vel in arcibus, et præfidiis morantur, nisi et hoc in apostolico diplomate expresse fuerit indultum : *Mediol., Matr.*, 25 *sept.* 1734, § 7.

Jurisdictio capellanorum erga milites est privativa, non cumulativa cum parochis locorum, et deprehenditur ex politica atque œconomica moderandi exercitus ratione, quæ prætoribus, seu, ut vocant, auditoribus generalibus, tota committitur : *Olom., Matrim.*, 14 *mart.* 1782, § 14.

§ XII.

Capellanus xenodochii.

Per simplicem consuetudinem, licet peculiari lege destitutam, acquirere potest xenodochium jus administrandi per suos capellanos sacramenta universæ ejus familiæ : *Raven.*, 13 *jun.* 1789, § 6.

Et actus contrarii parochi observantiam xenodochii non inficiunt : *Ibid.*

Capitulares actus resolutiones. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § v ; *Regulares*, § iii.

Capitularis vicarius. Vide *Vicarius capitularis*.

Capitulum seu Collegium canonissarum.

Pluries in jure canonico habetur mentio de collegiis canonicarum seu canonissarum secularium, quæ suis bonis haud renunciantes, regularemque professionem non emittentes, vitam ducunt divino cultui addictam sub cura et regimine abbatissarum instar canonicorum in secularibus ecclesiis : *Tull. seu Null. S. Petr. Rom., Visit.*, 28 *jul.* 1730.

Clerici seu presbyteri, qui sacra ministrant, aliaque gerunt sexui fœmineo vetita, et qui nullum suffragium habent in electione abbatisssæ, et in aliis actibus capitularibus, non dicuntur esse de collegio ; sed gerunt tantum figuram coadjutorum seu administratorum ecclesiæ in divinis inservientium : *Ibid.*, § 2; *in Fan.*, 16 *jun.* 1731, § 6.

Revera inserviunt tantummodo in divinis, nec sunt de collegio mulierum, quoties ipsi non se ingerunt in officia collegii, nec nominantur in regulis et statutis capituli : *Ibid.*

Faciunt vero collegium mixtum unum idemque corpus cum canonissis componentes, si canonici habent vocem activam in electione abbatissæ, in collatione præbendarum, deputatione officialium, et similium, ac etiam si quotidie vel in certis diebus solemnioribus conveniant choro divinas horas canentes una cum canonissis, ac in processionibus insimul procedunt : *Ibid.*, § 3.

Adest etiam collegium aliarum inferiorum dignitatum, pluriumque canonissarum ex illustri ac equestri sanguine ab utroque parente progenitarum, quæ simul conveniunt in choro divinum officium aliasque preces dietim canentes, nullam tamen emittunt professionem, ac propria bona retinentes, possunt ad libitum matrimonium contrahere : *Ibid.*, § 4.

Capitulum. Vide *Beneficiati*, § ii.

Capitulum.

§ I.

Capitulum ecclesiasticum in genere.

Capitulum cujuslibet ecclesiæ, sive cathedralis, sive collegiatæ, ex solis canonicis constituitur, ut

ipsis duntaxat jus suffragandi in actibus capitularibus vel aliis capitulo reservatis competat : *Calar., Elect. conc.*, 5 *julii* 1738, § 3.

Capitulum constituitur a veteribus æque ac recentioribus canonicis : *Urbin., Particip.*, 16 *jan.* 1762, § 6.

Quare pensio reservata capitulo, debita videri potest etiam canonico novæ erectionis : *Ibid.*

Capituli nomine veniunt omnes canonici sive antea, sive postea erecti : *Tolent., Archip.*, 11 *jan.* 1766, § 6.

Capitulum potest pro suo nativo jure cum conditionibus consensum dare in acceptatione novæ erectionis canonicatus : *Ibid.*, § 14.

Nequeunt in una eademque cathedrali duo esse capitula diversa : *Nicien., Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 2.

Ex solis canonicis juxta veterem juris communis sanctionem consuevit constitui capitulum, ita ut ipsis tantum veluti ejusdem capituli membris olim jus esset, suffragium ferendi in iis quæ ad rectum ecclesiæ regimen pertinent : *Piscien., Voc. in cap.*, 8 *febr.* 1738, § 2.

Capitulum illi non constituunt qui neque interesse neque suffragium dare queunt : *Nicien.* cit., § 6.

In novorum canonicorum aggregatione si lege pactoque isti in quibusdam capituli gerendis actibus sese exemerint, idque veteribus reliquerint canonicis, tunc juris effectus in his habetur, ac si nunquam capitulum actum fuerit, ac si canonici nunquam interfuerint : *Ibid.*, § 8, in fine.

Canonici, mansionarii ac beneficiati novæ erectionis cum assignatione præbendæ, unum idemque capitulum seu corpus cum canonicis, mansionariis et beneficiatis antiquæ erectionis constituunt : *Bonon., Præced.*, 22 *nov.* 1738, § 7.

Ideo absque ulla differentia admitti debent ad eos honores, et prærogativas, quibus antiqui canonici et mansionarii potiuntur : *Ibid.*

Et hoc procedit, etiamsi massam distinctam et separatam habeant, servitiumque ab ipsis præstandum inæquale sit, ac minus illi quam antiqui obire teneantur : *Ibid.*

Sed hæc juris dispositio locum non sibi vindicat ubi constat fundatorem aut ordinarium statuisse, ut novi canonici seu mansionarii novum efficiant corpus a veteri distinctum, iidemque ultimum semper locum post canonicos vel mansionarios erectionis antiquæ occupare, solamque inter se præcedentiam juxta possessionis anterioritatem obtinere debent : *Ibid.*, § 8.

Capitulum sive cathedralis, sive collegiatæ ecclesiæ solis constare censetur canonicis : *Eug., Elect.*, 7 *sept.* 1793, § 4 ; *et Firm., Voc. in cap.*, 17 *jun.* 1797, § 7.

Ideoque sub nomine capituli et canonicorum non continentur mansionarii : *Ibid.*

Et ferre nequeunt suffragium in electionibus reservatis capitulo et canonicis : *Ibid.*

Maxime, si discretive vocati sunt ad passivum jus electionis : *Ibid.*

Efficiunt tamen mansionarii mysticum corpus capituli : *Ibid.*, § 5.

Et in eo habere valent vocem ex privilegio, statuto, vel consuetudine : *Ibid.*

Facile autem ab eorum vocatione passiva fit illatio ad activam : *Ibid.*

Inspecta potissimum dictione seu inter ipsos et canonicos adjecta, quæ alternativam inducit : *Ibid.*

Capitula non tantum instituta sunt, ut canonici et capitulares in divinis celebrandis officiis occuparentur, verum etiam ut pro consilio et opera Episcopis in Ecclesiæ regimine opem ferant : *Fuld.*, 21 *novemb.* 1767, § 11.

Hæc disciplina ab antiquissimis est ducta temporibus : *Ibid.*

Et licet instituta capitula cathedralium essent, tamen præcipitur in concilio Carthag. IV, ut Episcopus, in ordinatione clericorum et in causis dicendis, consensum petat clericorum : *Ibid.*

Institutis seculorum progressu cathedralium capitulis, Ecclesiæ regimini convenire judicatum est, ut Episcopi in Ecclesiæ suæ administratione canonicorum cathedralium opera et consilio uterentur, imo et in quibusdam, ne sine eorum assensu procedere possint : *Ibid.*

Concilium Tridentinum passim mandat Episcopis, ut, in negotiis Ecclesiæ definiendis, consensum adhibeant vel consilium capituli : *Fuld.* cit., § 12.

Cœtus canonicorum merito vocari potest Ecclesiæ senatus : *Ibid.*

Ad capitulum constituendum tres saltem capitulares requiruntur : *Ibid.*, § 13.

Communiter proinde receptum est, mansionarios, ceterosque beneficiatos cathedralis vel collegiatæ ecclesiæ, de jure communi, non reputari de gremio capituli, neque sub ejus appellatione comprehendi : *Calar., Elect. conc.*, 5 *jul.* 1738, § 4.

CAPITULUM ECCLESIASTICUM QUOAD CONSENSUM. Vide *Consensus*, § IV.

§ II.

Capitulum ecclesiasticum quoad convocationem.

Certum est, ex juris communis dispositione, jus convocandi capitulum, ad illum spectare, qui caput est corporis capitularis : *Imol., Jur. conv. cap.*, 14 *maii* 1774, § 22.

In hoc conveniunt omnes canonistæ et etiam S. Congregatio Concilii : *Ibid.*

Idcirco uni præposito, tanquam digniori, jus competit, absente Episcopo, convocandi capitulum : *Ibid.*, § 2.

Et ratio est, quia convocatio capituli est actus jurisdictionis, seu præeminentiæ, quæ nullatenus competere potest inferioribus, seu membris, in concursu superioris seu capitis : *Ibid.*

Et quum constitutiones loquantur de camerario pro capituli convocatione, nihil id officit juribus ejusdem præpositi, qui ob suam præcellentem dignitatem major est, et superior, nec unquam excludi potest : *Ibid.*

Præsertim quia in prædictis constitutionibus prærogativa convocandi capitulum et subscribendi schedulam indictionis, expresse tribuitur præposito, *subsidiarie* autem camerario : *Ibid.*

Quia contradictio tam patens, ab iisdem constitutionibus est omnino avertenda : *Ibid.*

Quum nonnullæ schedulæ convocatoriæ manu camerarii signatæ inventæ sint, præsumptio ex jure et constitutionibus oritur, eas subsidiarie tantum, et absente præposito, fuisse a camerario subscriptas : *Ibid.*, § 8.

Convocationes capituli, præsertim a camerario factæ, referendæ sunt ad actus mere facultativos, nisi duo copulative probentur, nempe præposito fuisse interdictum quominus capitulum convocaret, ipsumque per tempus præscriptioni aptum prohibitioni acquievisse : *Ibid.*

Jus cognoscendi scrutinia convenit præposito ; cum a juris dispositione tribuatur digniori et præsidi : *Ibid.*, § 9.

Jus convocandi capitulum non ad Episcopum, sed ad decanum pertinet : *Camer.*, 7 *april.* 1781, § 7.

§ III.

Capitulum ecclesiasticum quoad curam animarum.

Cura habitualis animarum in ecclesiis collegiatis pertinet ad totum capitulum : *Bonon.*, 3 *jul.* 1762, § 1.

Verba concessionis, quibus injungitur a capitulo cura animarum, ut illa geratur per se, vel per alium, seu alios sibi benevisos, intelligenda est de cura actuali, non de habituali : *Ibid.*, § 2.

Inspecta qualitate personæ, quia caput collegii in exercitio ipsum collegium repræsentat : *Ibid.*

Et quia parochus actualis potest sibi adjungere ministros, et coadjutores in exercitio curæ : *Ibid.*

Sed deputatio eorum qui curam actualem exercent indiget Ordinarii approbatione : *Ibid.*

Cura animarum imminens ecclesiæ cathedrali, spectare præsumitur ad capitulum, non ad Episcopum : *And.*, 11 *sept.* 1762, § 6.

Ex prærogativis parochiali jure tributis capitulo ecclesiæ cathedralis, probatur pertinentia curæ ad capitulum ejusdem : *Ibid.*

Cura animarum argumentis probatur existere penes capitulum, et non penes Episcopum : *Andr.*, 23 *april.* 1763, § 6.

Ut si capitulum deputet coadjutores, quorum assumptio spectat ad parochum : *Ibid.*

Vel subeat expensas necessarias pro curæ administratione aliaque expleat ad parochum pertinentia : *Ibid.*

Si capitulares præter suas præbendas, participent tum de decimis, tum de emolumentis parochialibus, sequitur, quod ferre debeant quæcumque onera et labores parochiæ : *Urbev.*, 20 *maii* 1766, § 5.

Quum cura animarum ipsi capituli collegio insideat, propterea necessarium non est ut unicuique in *Litteris*, dum canonicatum accipit et in collegium intrat, demandetur : *Ibid.*, § 6.

Propterea quod collegio universo hoc onus injunctum sit, quapropter possunt canonici sine examine et concursu admitti, atque etiam simplices clerici : *Ibid.*, § 7.

Novum non est ut ubi cura habitualis spectat ad capitulum, emolumenta curæ sint partienda inter capitulares et exercentem curam actualem, qui tempore quo incumbit oneribus parochiæ exemptus est a servitio chori, et lucratur beneficii reditus, pro quibus assequendis reliqui canonici choro ceterisque muneribus capitularibus inserviunt : *Bar.*, *Cong. et Exp.*, 12 *jan.* 1760, § 5.

Capitulum ecclesiæ cathedralis, unicus est totius civitatis parochus, et unicus totius populi rector : *Andr.*, 20 *dec.* 1766, § 4.

Cui a jure commissum est onus, ut tot sibi adjungat sacerdotes, quot ad sacramenta exhibenda sufficiant : *Ibid.*

Ad ipsum pertinet jus deputandi præficiendique in altera ecclesia sacerdotem, vel sacerdotes, qui ibi sacramenta administrent : *Ibid.*

A capitulo cathedralis ecclesiæ exhiberi debent sacramenta licet presbytero vel clerico ecclesiæ collegiatæ, quæ non gaudet instar cathedralis jure parochiali : *Ibid.*, § 13.

Idem dicendum de funere illi dando, nam hoc cum administratione sacramentorum æquo jure procedit : *Ibid.*

Quando non peragitur divisio formalis parochiæ, sed nuda materialis distinctio facta est pro sola commodiori sacramentorum administratione, illæsum remanet apud capitulum præexistens jus parochiale, quod antea obtinebat super parte divisa ; *Ibid.*, § 9.

Capitulares de jure valent exercere curam animarum habitualiter et actualiter imminentem capitulo : *Venus.*, 25 *jun.* 1763, § 5.

In ecclesiis vero liberæ collationis, non possunt capitulares deputari, cum illæ sint conferendæ in titulum, prævio concursu : *Ibid.*

Et ideo sunt incompatibiles cum beneficiis residentialibus ecclesiæ cathedralis : *Ibid.*

Licita est deputatio capitularium pro exercitio curæ animarum, cum non habeant in titulum, sed unice sunt cooperatores et coadjutores in exercitio prædictæ curæ pro Episcopo, vel archipresbytero, unico civitatis parocho : *Ibid.*, § 8.

Cum alias nec in ecclesiis capitulo unitis exerceri posset cura animarum per capitulares, sed deputandi essent vicarii perpetui : *Ibid.*

Quantum attinet ad jus curæ habitualis, regulariter ubi ecclesia, quæ erat parochialis, erigitur in collegiatam : habitualis cura animarum translata censetur in ipsum collegium vel capitulum : *Oriol.*, *Decr.*, 9 *jan.* 1734, § 4.

Hæc regula locum sibi non vindicat, ubi constat Summum Pontificem in instituendo collegio haud quaquam transferre in ipsum voluisse jus ac titulum parochialem, sed in aliam certam personam, quasi subrogatam in locum pristini rectoris ecclesiæ parochialis : *Ibid.*, § 5.

Hoc casu habitualis cura animarum non residet penes capitulum, sed is cui parochiale ministerium commissum est, jure suo illud exercet independenter a capitulo : *Ibid.*

Cum archipresbyter, vel alius quilibet parochus teneatur per se ipsum animarum curam exercere, minime compelli possunt ejusdem parochiæ presbyteri et capitulares ad curam exercendam : *Sypon.*, 1 *dec.* 1736, § 3.

Non liquet de habituali cura cathedralis ecclesiæ penes capitulum, si non nominet vicarium perpetuum, seu archipresbyterum, qui curam animarum exerceat, sed archipresbyteratus ad unius Episcopi arbitrium confertur, quod est potissimum habitualis curæ argumentum : *Urbev.*, 19 *sept.* 1786, § 2.

Decimas, primitias, aliaque parochialia emolumenta capitulum non percipit, sed ea integre deferuntur archipresbytero, contra quem in iis observatur, ut existente cura habituali penes alterum, sola congrua debeat esse contentus : *Ibid.*

Sacra supellectilia, vasa sacra, ceras, et similia non suppeditat archipresbytero capitulum, quæ nihilominus ab habituali parocho dari generaliter usu receptum est : *Ibid.*

Quum vicarii capituli per concursum, sive a Dataria, sive ab Episcopis, eliguntur, ex sententia Rotæ, repugnat cum cura habituali capituli, ut eam alius habeat : *Vicen.*, *Par. de Luss.*, 30 *aug.* 1766, § 14.

Imo quando vicarii ipsi omnia sine capituli scientia agunt, emolumenta parochialia percipiunt integra ; dicendum est, non ad alios curam pertinere : *Ibid.*

Atque ad illos spectat onus alendi, si quem velint, adjutorem : *Ibid.*, § 15.

Cum capitulum decimas et oblationes percipiat, parochiales functiones agat, onus ei celebrandi pro populo incumbit : *Embr.*, *Jur. can.*, 19 *jan.* 1765, § 13.

Præsertim si ab antiquissimo tempore semper fuit celebrata Missa pro populo a capitulo : *Ibid.*, § 24.

§ IV.

Capitulum ecclesiasticum quoad jurisdictionem et potestatem

Potestas capituli residet in majori et saniori illius parte : *Trid.*, 17 *jun.* 1761, § 5.

Jurisdictiones capituli et Episcopi unum constituunt corpus : *Macer.*, *Jur. funer.*, 15 *jul.* 1780, § 5.

Omnibus notissimum est, facultatem inesse capitulis leges condendi, quæ eorum interesse respiciunt etiam absque Episcopi licentia : *Verul.*, *Port. can.*, 19 *dec.* 1744, § 2.

Sed non licet capitulo leges condere sine consensu et approbatione Episcopi, si lex in privatam canonicorum utilitatem cedat : *Fulg.*, *Fun.*, 29 *jul.* 1752, § 1.

In propriis negotiis uti nequit capitulum pecunia fabricæ, distinctosque ejus reditus in proprium commodum assumere : *Ascul.*, 21 *jun.* 1788, § 4.

In jure firmum est, ut sicut capitulum potest canonicos, ceterosque Ecclesiæ servitio addictos in eorum munere delinquentes, per modum fraternæ correctionis mulctare medietate fructuum, seu distributionum subtractione, aut alia levi pœna : *Criol.*, *Decr.*, 5 *jun.* 1734, § 4.

Haud impari ratione capitulo jus est, mulctam, quæ unum regale non excedat, imponere adversus eos qui juxta eorum munus, aut non intersunt, aut negligunt rite peragere ecclesiasticas functiones : *Ibid.*

Capitulum habet jus duntaxat coercendi capellanos, beneficiatos, aliosque ecclesiæ servitio addictos, intra limites paternæ ac œconomicæ correctionis, circa leves culpas servitium ecclesiæ aut chori respicientes, levique pœna puniendos : *Leod.*, 12 *maii* 1770, § 10.

Nulla dignitas capituli potitur privative quoad ipsum capitulum facultate puniendi per modum fraternæ correctionis alios canonicos, et beneficiatos, seu ministros ecclesiæ servitio addictos in eorum munere delinquentes, sed id ad universum capitulum pertinet : *Colon.*, *Jur. mult.*, 14 *dec.* 1737, § 4.

Penes capitulum debet esse custodia librorum parochialium, si possideat parœciam et jurisdictionem in eamdem habeat : *Carpen.*, 25 *sept.* 1781, § 12.

In ecclesia quæ sita est intra limites ecclesiæ collegiatæ et parochialis alicujus loci, imo huic uti patronæ speciali titulo est subjecta, capitulum tum Missas solemnes, tum certas quoque functiones in illa explere debet : *Null. seu Ter. Pont.*, *Miss. solemn.*, 9 *jul.* 1735, § 3.

Quum agitur de jure singulorum canonicorum et de notorio capituli præjudicio, unius sufficit contradictio : *Leod.*, *Visit.*, 24 *aug.* 1765, § 8.

Capitulum sine beneplacito apostolico juri suo renunciare non potest : *Ibid.*

Unicuique de gremio capituli permissum est, quemadmodum unicuique de populo datum est, communitatis jura tueri : *Terrac.*, 28 *april.* 1770, § 5.

Justæ sunt conditiones adjectæ a capitulo in acceptione novi canonicatus, de exclusione nempe ab emolumentis, quæ antea quæsita fuerant, et a jure suffragii super iisdem bonis : *Tolen.*, *Arch.*, 11 *jan.* 1766, § 15.

Neque inde refragari possunt novi capitulares, ut expensas pro sacrario et pro ecclesia præstent : *Ibid.*

Capituli consensus requiritur de novis erigendis dignitatibus et canonicatibus ; aliter erectiones sine hoc consensu essent nullæ, ac irritæ : *Ibid.*, § 23.

§ V.

Capitulum ecclesiasticum quoad massam fructuum et distributionum.

Massæ redituum constitutio consona est dispositioni juris : *Senog.*, 13 *jun.* 1789, § 14.

Necessitas instituendi massam distributionum, ubi nullæ sunt, ex parte tertia fructuum quorumcumque, proventuum et obventionum capituli, præscribitur a Concilio Tridentino cap. 3 sess. 21. *de Reform.* : *Vico-Æq.*, *Visit. sacr. lim.*, 10 *maii* 1777, § 4.

Et si valde tenues sint præbendæ simul cum distributionibus pro decenti gradu canonicorum ; licet Episcopis cum consensu capituli, vel beneficia aliquot simplicia unire, vel præbendas ad pauciorem numerum reducere : *Ibid.*

Ac deficientibus conciliaribus remediis, prohibetur a Concilio Tridentino sess. 14, cap. 9, unio beneficiorum alterius diœcesis : *Ibid.*, § 7.

Administratio massæ communis, ex juris dispositione privative spectat ad canonicos, nec isti ullam rationem gestæ administrationis reddere tenentur beneficiatis : *Nar.*, *Jur. interes. et vol.*, 11 *jan.* 1783, § 10.

Quod si beneficiati in communi massa interesse habeant, et illa ex bonis propriis beneficiatorum fuerit conflata, tunc ipsi una cum canonicis ad administrationem admittendi sunt : *Ibid.*

In Concilio Tridentino sess. 21, cap. 3 *de Reform.* jubetur segregatio tertiæ partis redituum canonicatuum, dignitatum, personatuum, etc., ejusque inter præsentes distributio : *Rom.*, 9 *jul.* 1785, § 8.

Altera sess. 22, cap. 3, eadem segregatio præcipitur proventuum dignitatum, personatuum ; ejusque in casu non servati interventus, applicatio in favorem fabricæ ecclesiæ ; ac si illa non indigeat, ad usus pios ab Episcopo designandos erogandi : *Ibid.*

Harum dispositionum repugnantia tollitur, si discrimen statuitur inter dignitates, quæ proventus ex mensa capitulari percipiunt, et inter dignitates quæ secretos ab ea proventus habent : *Ibid.*

Illi dividendi sunt inter præsentes : *Ibid.*

Hi fabricæ ecclesiæ aut alteri pio loco assignandi : *Ibid.*

Interpretatio æquationis distributionum a Pontifice Summo demandatæ, ut extendatur ad casum absentiæ causa studiorum, non est admittenda : quia studiorum causa absentes, qui benigna juris fictione præsentes reputantur, melioris essent conditionis præsentibus, qui distributiones amittunt si choro non intersint : *Firm.*, 19 *maii* 1787, § 6.

Statuit Concil. Trid. sess. 21, cap. 3, *de Reform.*, ut tertia canonicalium fructuum pars pro distributionibus segregetur : *Ibid.*, § 8.

Et non improbat consuetudines quæ pinguiores invexerint distributiones : *Ibid.*

De tertia redituum parte, quæ in usum distributionum ex præbendis detrahitur, vel ipsi intervenientes absque aliorum capitularium partitione lucrantur, vel in pœnam eorum negligentiæ, si choro non intersint, amittunt ; portio hujusmodi fabricæ ecclesiæ vel alteri pio loco applicari debet : *Imol.*, *Dist.*, 15 *sept.* 1787, § 5.

Nulla est ratio, cur una cum altera confundi debeat distributionum massa, ac par illis tribuatur portio qui minus in distributiones conferunt : *Ibid.*, § 6.

Et merito intelligi debet de geometrica immissarum portionum proportione verbum illud *proportionaliter*, quo, post S. Concil. Tridentinum, usus est in Apostolicis suis litteris Benedictus XIV Pont. Max. : *Ibid.*

Et hæc est verior canonistarum sententia, justitiæ distributivæ innixa : *Ibid.*

Concilii decretum sess. 21, cap. 3, *de Reform.* intelligendum est de dignitatibus, et canonicatibus communem massam habentibus, cui applicanda est tertia pars fructuum pro quotidianis, et ordinariis distributionibus, ut proportione servata dividantur inter servientes : *Spol., Punct.*, 8 *mart.* 1762, § 6.

Et cum divisio qualibet die facienda sit inter præsentes istis accrescit portio absentium per jus non decrescendi : *Ibid.*

Alterum Concilii decretum sess. 22, cap. 3, *de Reform.* loquitur de distributionibus impropriis, et extraordinariis, quæ constituuntur ex tertia parte fructuum dignitatis, personatus, officii, cujus possessores non participant de massa communi, sed particulariter consequuntur suarum distributionum lucrum haud commune ceteris capitularibus, quoties ecclesiæ inserviunt : *Ibid.*

Et in casu emissi servitii, fallentiæ applicantur fabricæ, aut alteri pio usui arbitrio Episcopi : *Ibid.*

Et conciliatur hoc modo utraque Concilii sanctio : *Ibid.*

Atque seposita contraria observantia, in omni controversia decidenda, locum habere debet una vel altera concilii dispositio : *Ibid.*, § 6.

Sicuti antiqua massa capitularis ex solis distributionibus quotidianis constituta reperitur, ita præbendarum fructus, qui suppressis canonicatuum præbendis eidem massæ applicati, atque incorporati fuere, ipsius quoque naturam, et qualitatem respective quotidianarum distributionum, quibus ea constat, sortiti sunt : *Neap., Spol.*, 27 *jul.* 1737, § 5.

Et iidem fructus instar aliorum ex massa obvenientium distribuuntur singulis canonicis ad ratam servitii præstiti, ita ut absentes eos amittant, lucrentur vero jure accrescendi, qui choro et ecclesiæ servitio incumbunt, atque ex hac circumstantia, quotidianæ distributiones a fructibus præbendalibus, tametsi non singulis diebus sed nonnullis anni temporibus, discerni, ac inter canonicos dividi debent : *Ibid.*, § 6.

Canonici beneficiati, vel alter quicumque ecclesiæ servitio addictus, ab ipso capitulo, vel ab alio injuste impeditus, quominus choro intersit suoque muneri satisfaciat, quotidianas distributiones, et reliqua emolumenta, quæ alias præsentia sua perciperet, lucratur : *Juvenacen., Admiss. ad Con.*, 17 *aug.* 1737, § 4.

Distributiones ex conciliari dispositione, qui statis horis interfuerunt, recipere debent reliquis (quavis collusione, aut remissione exclusa) his carentibus : *Alban.*, 29 *aug.* 1789, § 9.

Quod servari debet ex antiquo jure, quoad cathedrales et collegiatas ecclesias insignes : *Ibid.*

Communis cum capitularibus esse debet participatio omnium largitionum et legatorum capitulo factorum, nullo habito discrimine, an eadem legata sui canonicatus erectionem præcesserint, vel subsecuta fuerint : *Sabin., Part.*, 28 *april.* 1770, § 4.

Ab emolumentis autem longe ante erectionem massæ capituli quæsitis, excludi debent capitulares posterioris erectionis : *Imol., Distr.*, 9 *maii* 1772, § 15.

Ex juris dispositione fallentiæ accrescere debent tantummodo intervenientibus, qui ob aliorum absentiam majorem subeunt in choro laborem : *Reat., Jub.*, 28 *april.* 1770, § 8.

Hinc potiori jure procedit quoad emolumenta anniversariorum, processionum, aliorumque similium, quæ ex præsumpta testatorum voluntate relinquuntur capitularibus intervenientibus, pro animabus benefactorum preces fundentibus : *Ibid.*

Quum massæ capitularis sit origo ex donationibus, ejusque destinatio in fabricam Ecclesiæ, in alios usus converti non debet : *Arim., Repar. eccles. cath.*, 17 *sept.* 1789, § 8.

Canonici administrare debent massam conflatam ex bonis ecclesiæ e quibus beneficiati participant ob servitium ; ita tamen, ut cam explorare etiam liceat beneficiatis, et sint audiendi, si quid opponere circa eamdem administrationem velint : *Fan.*, 16 *jun.* 1731, § 7.

Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 15, *de Reform.*, agit de ratione augendi cathedralium et insignium collegiatarum præbendas, methodumque proponit, vel suppressionis aliquarum ex illis, vel unionis beneficiorum, vel denique reductionis earum ad pauciorem numerum : *Perus., Un.*, 17 *jun.* 1786, § 4 ; et *Melev.*, 23 *april.* 1763, § 9.

Ad augendas præbendas canonicorum tenues, Bened. XIV, Pontif. Max. in const. *Quum semper*, 18 *aug.* 1754, recursum haberi ad S. Congreg. Concilii voluit, ut perspecto statu capituli, concedatur reductio Missæ conventualis ad dies festos : *Melev.* cit., § 11.

§ VI.

Capitulum ecclesiasticum quoad missam conventualem.

In ecclesiis cathedralibus et collegiatis, Missa conventualis qualibet die celebrari debet, quia

sicut quotidie divinum officium psallendum est, ita suo nomine officii divini comprehenditur etiam Missa conventualis : *Terr. et Set., Serv. chor. et Miss. conv.*, 14 *sept.* 1782, § 10.

Hoc onus Missæ conventualis per solam celebrationem impleri nequit ; sed requiritur, non obstante quacumque contraria consuetudine, pro benefactoribus in genere applicatio : *Ibid.*, § 11.

Et Benedictus XIV Pont. Max. die 19 aug. 1744, *Cum semper oblatas*, indulsit, ut quando canonicorum præbendæ exigui reditus sunt, onus prædictum ad solos dies festos de præcepto reduci possit : *Ibid.*

Ab obligatione applicandi Missam conventualem, immunes sunt ecclesiæ omnes quæ collegiatæ non sunt ; quamvis in illis horæ canonicæ quotidie persolvantur, et Missa cum cantu celebretur : *Ibid.*, § 12.

Capitulum quod Missam conventualem secundam et tertiam applicat pro benefactoribus vi consuetudinis ecclesiæ vigentis, perseverare in eadem consuetudine debet ; si id usu receptum non inveniatur, libera applicatio secundæ et tertiæ Missæ conventualis relinquenda est celebrantibus : *Ferrar.*, 10 *jul.* 1783, § 17.

§ VII.

Capitulum ecclesiasticum quoad numerum canonicorum.

In jure receptum est, certum canonicorum vel presbyterorum participantium numerum ab initio præfinitum, sine capituli aut eorumdem presbyterorum participantium voto et consensu augeri nequaquam posse, tametsi reditus canonicatuum, seu massa communis notabiliter excreverit : *S. Sever.*, 27 *sept.* 1738, § 4.

Ideo Episcopus propria auctoritate, aut independenter a capitulo, nequit certum canonicorum numerum in cathedrali vel collegiata ecclesia constitutum augere, sed consensum et votum capituli exquirere : *Mart., Erect. can.*, 25 *jan.* 1738, § 4 ; et *Firm., Erect. can.*, 21 *aug.* 1734, § 5.

Et episcopus cum capituli consensu, legitima pollet facultate augendi canonicorum numerum, tam in cathedrali, quam in collegiatis ecclesiis : *Hort., Erect. can.*, 26 *mart.* § 5 ; et *Neocast., Erec., can.*, 19 *nov.* 1740, § 5.

Præsertim quando ecclesiæ reditus augentur : *Ibid.* ; cit. *Hor.*

Imo, ubi concurrit benefactoris relictum in eam causam, tunc Episcopus debet et cogitur ad id non solum ab ipsa ecclesia, sed a quolibet etiam de populo : *Ibid.*

Additur, ut hæreditas erectioni canonicatuum destinata, non canonicis incertis et incognitis sed ecclesiæ ipsi ejusque intuitu relicta censeatur : *Ibid.*, § 6.

Auctusque canonicatuum numerus maxime confert ad utilitatem Ecclesiæ, cujus interest plures habere consiliarios, ministros, et defensores : *Ibid.*

Nec obest, quod ex dicta hæreditate tenuiores eveniant præbendarum reditus, quia satis est quod si sint sufficientes ad novos præbendatos alendos : *Ibid.*, § 7.

Ad incrementum numeri canonicatuum expedit ut capituli consensus accedat : *Ibid.*, § 14.

Alias irrita censetur erectio, si hujusmodi consensus defuerit : *Ibid.*

At si capitulum irrationabiliter assensum denegaverit, tunc eo etiam reluctante, erectio perfici potest : *Ibid.*, § 15.

Tamen novi canonicatus ex bonis in alios pios usus destinatis, piorum disponentium voluntate immutata, prohibentur erigi : *Neoscast., cit. loc.*

Numerus canonicorum aut presbyterorum partipantium, aliorumque ministrorum, auctis receptitiæ ecclesiæ reditibus, ipsius juris ministerio crescere debet : *S. Sever.* cit., § 7.

Major canonicorum, seu clericorum, numerus non est in ecclesiis constituendus, quam qui juxta ecclesiæ ejusdem facultates possit convenienter sustentari : *Mart.* cit., § 6.

§ VIII.

Capitulum ecclesiasticum quoad officiales.

Intrinsecum officium scrutatoris in his tribus consistit, nempe secrete scrutari suffragia eligentium, eaque in scriptum redigere, et sic redacta publicare : *Imol., Jur. cap.*, 14 *maii* 1774, § 19.

In scrutiniis quæ fiunt in capitulis cathedralium, nullum jus competit dignitatibus illa recognoscendi, sed jus est capitulo duos, vel tres scrutatores eligere, qui id exequantur : *Ibid.*

Et iidem scrutatores tenentur ex officio *per se ipsos* protinus electionem publicare : *Ibid.*

Munus punctatoris semper uni ex vicariis collatum, nonnisi in vicariorum odium nunc personæ laicæ et conjugatæ fuit adjudicatum contra juris dispositionem : *Leod.*, 12 *maii* 1770, § 13.

Punctatoris officium in capitulo cum per vices diuturno usu ac consuetudine sit exercitum, consuetudo ut in alia qualibet re, ita in hac, est observanda : *Nic., Decret.*, 29 *febr.* 1744, § 19.

§ IX.

Capitalum ecclesiasticum quoad onera in genere.

Cathedralia præ ceteris capitula suscipere prohibentur perpetua Missarum onera sine Episcopi,

vel vicarii generalis, consensu et licentia in scriptis ex decreto Urbani VIII Pont. Max. : *Narn.*, 21 *aug.* 1790, § 3.

Nec officit capitularis resolutio, etiamsi decretum Urbani non irritet actum : *Ibid.*

Conspectus et licentia Episcopi vel ejus vicarii generalis, suppleri ex justa causa potest a S. Congr. Concilii : *Ibid.*, § 4.

Ob certam tamen inobedientibus impositam pœnam, valida censetur, licet illicita : *Ibid.*, § 3.

Canonici, beneficiati, ceterique cathedralium vel collegiatarum ministri, nisi majoribus subinde ditentur emolumentis, non aliis chori ecclesiæve sacris functionibus interesse tenentur, præter eas in limine fundationis præscriptas : *Castrimar.*, 7 *jul.* 1736, § 8.

Capitulum debet ad cubiculum accedere: ubi Episcopus induitur cappa, et eum ad ecclesiam venientem debito cum honore comitari : *Brict.*, *Serr.*, 14 *dec.* 1771, § 18.

In reditu debet etiam saltem usque ad ostium domus ipsum Episcopum comitari : *Ibid.*

Eum venientem sine cappa, nonnulli ex dignitatibus et canonicis ad ostium ecclesiæ excipere, et in reditu similiter usque ad ostium ecclesiæ comitari debent : *Ibid.*

Munus diaconi et subdiaconi subeundum est ab illis juxta formam Cærem. Episcop. lib. 2, cap. 17 : *Nerit.*, *Plur.*, 7 *jun.* 1760, § 4.

Si solis portionariis vigore consuetudinis incumbat, consuetudo attendenda est : *Ibid.*

Nec cæremonialis dispositio trahenda est ad canonicos, onere adjuvandi archipresbyterum in cura animarum gravatos : *Ibid.*

A Concilio Tridentino permittuntur nonnullæ subministrationes, quas pro iis usibus novi capitulares elargiuntur : *Eccles.*, 16 *aug.* 1774, § 19, et 32.

Præcipitur tamen, eas unius tantum semestris fructum excedere minime posse : *Ibid.*

§ X.

Capitulum ecclesiasticum quoad resolutiones, seu deliberationes capitulares.

Nulla capituli nomine edi potest resolutio, nisi omnibus legitime vocatis, qui capitulum constituunt: *Nic.*, *Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 10.

Et resolutio capituli, quæ tangit capitulares universos, edita a majori parte, afficit omnes, et legitima est : *Assis.*, *Stip.*, 17 *sept.* 1796, § 4.

In iis quæ proprium repiciunt interesse, jus habent mansionarii, clerici et capellani, deliberandi cum capitulo, nisi prohibitio probetur, et acquiescientia ; quæ tamen præjudicium non infert successoribus : *Firm.*, *Voc. in cap.*, 18 *nov.* 1797, § 3 et 4.

Capitularis resolutio, quæ omnes tangit et singulos, per contradictionem minoris partis irritatur : *Ibid.*, § 6.

Capitulares agere nequeunt litem adversus capitularem communi eorumdem ære : *Ibid.*

Et ubi non agitur de interesse capituli, sed de privato illorum jure, ab iis fieri debent expensæ, qui dederunt causam liti : *Ibid.*, § 7.

Deliberari non potest per unum capitulum neglectis beneficiatis, et clericis de re ad singulos, uti singulos spectante : *Firm.*, 24 *maii* 1788, § 4.

Validæ sunt resolutiones, si convocato capitulo et capitularium fere omnium interventu, majoris partis consensus interveniat : *Ibid.*, § 7.

Et utraque, licet contraria, resolutio manet in statu validitatis ; sed posterior præferenda est ; quia quæ sunt voluntatis, posteriora derogant prioribus : *Ibid.*

Capitulares deliberationes expedit non committere unius cognationis arbitrio, admittendo ad gerendum suffragium plures quam duos ex agnatis, vel cognatis primi et secundi gradus : *Trident.*, 17 *jan.* 1761, § 6.

Et usus improbatur palam suffragandi in capitularibus deliberationibus : *Ibid.*

Quum capitulum plenum jus suffragii obtinuerit, nullo modo licet uni canonico contradicere, vel dissentire, et uti illegitimus contradictor non est audiendus : *Ser.*, *Voc. in cap.*, 27 *febr.* 1768, § 8.

Magis expedit majorem esse votantium numerum, ut magis integrum, et prudens capituli judicium habeatur : *Ibid.*, § 12.

§ XI.

Capitulum ecclesiasticum quoad sacros ordines.

Voluit Tridentina Synodus, ut in omnibus cathedralibus ecclesiis cuncti canonicatus et portiones adnexum ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus habeant : *Civit.*, *Cast. Cap.*, 23 *febr.* 1793, § 5.

Communis est canonistarum sententia, in quibuslibet officiis choralibus teneri omnes capitulares per se ipsos suum munus obire, ideoque ab his ordinem ad implendum munus necessarium recipiendum esse : *Leod.*, *Ben.*, 1 *febr.* 1766, § 10.

Etiamsi sint beneficia ante Concilium Tridentinum erecta : *Ibid.*

Non est ambiguum in jure, ut capitulares in cathedralibus ac collegiatis ecclesiis, qui habent one-

ra celebrandi sacrum, canendi evangelium et epistolam, suo ordine sint insigniti, aut ætatem idoneam ut suscipiant et per se ipsos munus suum expleant : *Ibid.*, § 9.

§ XII.

Capitulum ecclesiasticum sede vacante.

Mortuo prælato ejus jurisdictio ad solum cathedralis ecclesiæ capitulum transit : *Nul. Ter. Pont., Elect. vic. cap.*, 16 *dec.* 1741, § 7.

Imo eo defuncto, ad capitulum redit jurisdictionis exercitium : *Angl., Jur. dep. vic. cap.*, 1 *sept.* 1753, § 3.

Capitulum cathedralis infra octo dies post mortem Episcopi, unum duntaxat officialem, vel vicarium constituere, vel existentem confirmare tenetur, non autem duos aut plures in eadem diœcesi potest deputare, nisi ibi contraria vigeat immemorabilis consuetudo : *Elv., Jurisd.*, 1 *dec.* 1736, § 2.

In electione vicarii capitularis ita obstringitur capitulum universam illi jurisdictionem conferre, ut nequeat ex facultatibus, quæ vicario capitulari de jure competunt, ullam sibi reservare, nec potestatem vicarii capitularis quoquo modo restringere; et si secus fiat, vicarius capitularis sub aliqua licet conditione aut suæ potestatis limitatione electus, potest munus sibi commissum libere exercere, quousque novus Episcopus advenerit : *Ibid.*, § 3.

Olim vicarius capitularis poterat a capitulo ad certum tempus constitui, et ad libitum quoque amoveri, dummodo alium infra octo dies deputaret : *Ibid.*, § 4.

Sed ut recto ecclesiarum regimini satius consultum sit, idem vicarius capitularis eligi debet pro toto tempore, quo episcopalis sedes vacua remanet, nec potest nisi ex justa causa per S. Congr. Episcop. et Regul. cognoscenda et approbanda revocari : *Ibid.*

Capitulum, sede vacante, non potest in vicarii deputatione aliquid ad ecclesiasticam jurisdictionem pertinens sibi reservare, nec illius potestatem conditione aut modificatione aliqua coarctare, sed obstringitur omnem omnino in eum transferre : *Ibid.*

Capitulum, sede vacante, potest synodum diœcesanam congregare per vicarium capitularem, ad quem pertinet curare, ut alii examinatores ibidem deputentur in locum demortuorum : *Visen., Par.*, 9 *aug.* 1732, § 8.

Capitulum, sede vacante, Episcopo in jurisdictione succedit, et visitationem civitatis, et diœceseos potest explere, dummodo tamen elapsus sit annus a die ultimæ visitationis ab Episcopo factæ : *Dub., Visit.*, 13 *sept.* 1721, § 4.

Controversia est, num capitulum, sede vacante, sive ejus vicarius valeat in visitandis monasteriis, aliisque locis exemptis, ea uti potestate delegata, quæ per S. Concilium Tridentinum tradita est Episcopis : *Gerund., Jurisd.*, 15 *jun.* 1733, § 13.

Aliqui doctores negant id propterea quod non transeat in capitulum ea delegatio, quam concilium Episcopis potissimum contulisse videtur : *Ibid.*

Alii affirmant ea ducti ratione, quod ubi potestas delegata non confertur in personam certam Episcopi, sed perpetuo annectitur officio episcopali, ad salubriorem gubernationem Ecclesiæ, et diœcesis, et in bonum eorum in quos talis delegata jurisdictio est exercenda, tunc ea quasi pars accedens ad totam episcopalem jurisdictionem, devolvatur etiam ad capitulum episcopali sede vacante : *Ibid.*, § 14 *.

* *Pius PP. VII. Vener. Fratri Joanni Card. Maury Eppo Montisfalisci et Corn.*

Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Litteræ tuæ quinque abhinc diebus a nobis acceptæ, in quibus de tua in archiepiscopum Parisiensem, deque suscepta illius diœcesis administratione certiores nos reddidisti, tantum doloris cumulum ceteris nostris miseriis addiderunt, quantum vix moderate ferre, nullo autem modo explicare valemus. Postquam enim optime noveras nostram ad Card. Caprara, tunc archiepiscopum Mediolanensem epistolam, in qua gravissimas causas recensuimus, quibus omnino vetabamus, Episcoporum nominationes, rebus sic permanentibus, ab Imperatore recipere, postquam noveras, res in eadem conditione non modo permanere, verum etiam in deteriores partes auctas, et continenter cum solemni Clavium contemptu in pejus augeri, quoniam generalis regularium utriusque sexus suppressio, parochiarum, et episcopatuum defectiones; uniones, concentrationes et finium assignationes, ne ipsis quidem episcopatibus suburbicariis exceptis, et omnia hæc ex imperali tantum et civili decreto in Italia exinde ausa et attentata sunt, ut de eo quod actum est adversum clerum Romanæ Ecclesiæ, aliarum Ecclesiarum matris et magistræ, deque plurimis aliis sileamus; postquam, dicimus, hæc omnia, et singula tibi nota, et manifesta erant, nunquam putabamus fieri posse, ut præfatam nominationem ab Imperatore exciperes, eaque animi lætitia annuntiares, ac si nihil tibi gratius et optatius nihil accidere possit. Itane igitur mutatus es, ab eo qui in teterrimis gallicanæ Ecclesiæ temporibus adeo laudabiliter ac strenue pro catholicæ Ecclesiæ causa dixisti, dum modo amplissimis ornatus cumulatusque beneficiis, et jurisjurandi religione adstrictus Ecclesiæ dignitatem contemnentium particeps fieri non verearis? Itane auctoritas nostra apud te parum valuit, ut hoc publico facto sententiam quodammodo proferres adversus Nos, quibus obsequi et adhærere debuisti? Ast vero magis magisque animo angimur ex eo quod archiepiscopatus administratione a capitulo emendicata, ad alterius Ecclesiæ regimen auctoritate propria, et inconsultis Nobis, temetipsum transtulisti, neque imitatus es præclarum exemplum Cardinalis Fesch Archiepiscopi Lugdunensis, qui habita ad eumdem Parisiensem episcopatum nominatione adeo laudabiliter duxit a spirituali

§ XIII.

Capitulum ecclesiasticum quoad statuta et constitutiones.

Constitutiones capitulares, licet non sint confirmatæ a Sede apostolica, vim legis habent, et sunt exequendæ in ea parte, qua minime adversantur juri communi : *Pisaur., Cam.*, 21 *nov.* 1761, § 2.

Executioni mandari debent capitulares constitutiones per canonicos approbatæ, ubi præsertim consentaneæ sunt cæremoniali : *Brict.*, 20 *april.* 1793, § 16.

Statuta capituli lata etiam sine Episcopi vel Sedis apostolicæ approbatione : *Embr., Jur. can.*, 19 *jan.* 1765, § 17.

At capitulo nulla est potestas condendi statuta in detrimentum aliarum ecclesiarum : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 26.

Statuta capituli assumunt vires a confirmatione Sedis apostolicæ, quæ denegari non solet, ubi concurrit justa et rationabilis causa, ac Ecclesia debito non fraudatur obsequio : *Urgel., Stat.*, 8 *mart.* 1790, § 3.

Statutum capituli, ne dentur ægrotis, aut quavis causa absentibus distributiones quotidianæ, non est confirmandum, cum sit irrationabile et contra bonum Ecclesiæ, et semper fuit a S. Congr. Concilii rejectum : *Segobr., Ind.*, 19 *jan.* 1765, § 20.

Potissimum attendendus est stylus, et consuetudo, seu capituli statutum, quo immutato, jure possunt capitulares actum irritare : *Baln., Elect. alum.*, 25 *aug.* 1769, § 17.

Certum est itidem, non posse Episcopum, seu vicarium, qui capitulo interest, ferre suffragium : *Ibid.*, § 18.

Ecclesiæ administratione, vel ipso suffragante capitulo sibi omnino abstinendum fuisse; mittimus enim inauditum a sæculo esse, ut ad episcopatum nominatus, ante canonicam institutionem per vota capituli ad Ecclesiæ gubernationem advocetur; mittimus (utrum autem ita fuerit, tu optime noscis) vicarium capitularem antea electum non minis, metu, aut pollicitationibus, sed sua sponte et prorsus libere muneri jus renunciasse, et subinde electionem tuam fuisse liberam, unanimem et regularem : mittimus quærere, utrum quis eidem muneri obeundo idoneus in gremio capitulari non reperiretur. Quid tandem agitur? scilicet agitur de novo in Ecclesiam eoque pessimo exemplo inducendo, propter quod civilis potestas eo paulatim pervenit, ut in vacantium sedium administrationem instituat quos sibi libuerit, quod cum libertati ecclesiasticæ officere, tum invalidis electionibus et schismati latam sternere viam nemo est, qui non videat; præter quam quod a spirituali vinculo, quo Ecclesiæ Montisfalisci devinctus es, quisnam te dissolvit? aut quisnam tecum dispensavit, ut a capitulo eligi posses, et alterius Ecclesiæ administrationem suscipere?

Eam itaque administrationem ut statim dimittas, non imperamus modo; verum etiam precamur, et obtestamur, paterna urgente charitate, qua te prosequimur, ne inviti ac dolentes ex statuto canonum procedere cogamur. Quid præscripserint adversus eos, qui uni Ecclesiæ præfecti, antequam a priori vinculo solvantur, alterius Ecclesiæ administrationem suscipiunt, apud omnes perspectum est. Id vero te libenter facturum speramus, dum probo animo adverteris, quantum Ecclesiæ dignitati tuo hujusmodi exemplo noceas.

Hæc tibi scribimus summa libertate, ut auctoritas nostra postulat, quæ si tu non aliter accipias, atque a Nobis scripta sunt; præcipuum amoris argumentum hisce litteris Nostris Nos tibi præbuisse cognosces. Interea non cessabimus Deum optimum maximum enixis precibus exorare, ut ventos atque procellas adversus naviculam Petri adeo furentes imperio suo sedare, nosque in littus optatum, unde munere nostro libere fungi possimus, restituere tandem velit. Tibi vero Apostolicam benedictionem exanimo impertimur.

Datum Savonæ 5 nov. 1810, Pont. Nostri XI.

Epistola Pii Papæ VII responsiva canonico metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ, et completens breve datum illius Ecclesiæ vicario capitulari ad satisfaciendum quæsitis Pontifici propositis.

Pius Papa VII. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

In summis occupationibus, et in maxima angustia temporis, postulationibus tuis, et aliquorum de gremio istius metropolitani capituli nobis porrectis, satis esse facturos existimamus, si responsionem dilecto filio ejusdem capituli archidiacono, et vicario capitulari, hac super re a Nobis datam tibi etiam significemus. Ejus namque tenor est.

Dilecto filio Averando Corboli, archidiacono metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ, et Sede vacante, vicario capitulari Florentino.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Non valde adlaborandum Nobis est, ut percontationibus, tuo et istius metropolitani capituli nomine ad Nos delatis respondeamus. Earum summa hæc est.

« Verum Ven. Fr. Episcopus Nanceiensis nuperrime in Florentinum archiepiscopum (quo autem privilegio non interest modo quærere, quo nec ipsi quidem magni Hetruriæ duces fruebantur, quibus ob præclara in Ecclesiam merita, hoc solum concesserunt Prædecessores Nostri, ut pro qualibet Hetruriæ vacatione tres viros idoneos proponerent, ex quibus Romanus Pontifex unum pro libito institueret, quod etiam privilegium postremo Hetruriæ regi, ac reginæ rectrici ob eximiam eorum pietatem indulgere Nos ipsi non detrectavimus) nominatus, ab eodem metropolitano capitulo, prævia renunciatione tua, in vicarium capitularem, seu in Ecclesiæ administratorem deputari, et eligi, ac in vim hujusmodi deputationis, seu electionis aliqua facultas, potestas, vel jurisdictio in eum valide conferri possit?

« Habemus in primis celeberrimum canonem sacri œcumenici concilii Lugdunensis II, quo cavetur, et vetatur, ne quis ad Ecclesiam electus ipsius administrationem, aut regimen ante confirmationem, sub œconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel per alium, pro parte, vel in toto, gerere, vel recipere, vel illi se immiscere præsumat. Verba sunt adeo generalia, et adeo perspicua,

§ XIV.

Capitulum ecclesiasticum quoad vacationes.

Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, vacationem intra tres menses in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, toleravit : *Cordub.*, 14 *dec.* 1765, § 14; *Melph.*, *Ind.*, 7 *jun.* 1760, § 4; *et Melev.*, *Vac.*, 10 *mart.* 1742, § 3.

Ideo capitulo insignis collegiatæ ecclesiæ competit annua vocatio trium mensium vigore prædicti concilii : cit. *Melev.*, § 1.

Longiorem autem vacationem proscripsit : *Cord.* cit. loc.

Omnesque constitutiones et consuetudines quæ longiorem vacationem ultra tres menses dabant, abrogavit : *Ibid.*

Sub qua dispositione comprehenduntur omnes dignitates, canonici, præbendarii cathedralium ac collegiatarum ecclesiarum, qui non possunt vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis abesse quolibet anno : *Castrimar. Priv. can.*, 14 *jan.* 1741, § 3; et *Arimin.*, *Serv. chor.*, 3 *jul.* 1784, § 6; *Atrien.* 5 *dec.* 1722, § 2; *Anag.*, *Ind.*, 7 *jun.* 1777, § 4; *Pient.*, *Vac. chor.*, 30 *aug.* 1777, § 3; *Ferent.*, *Chor.*, 3 *aug.* 1782, § 6; *Rip.*, *Jub.*, 8 *febr.* 1783, § 7.

Alioquin privantur primo anno dimidia parte fructuum, inde omnibus proventibus, et, crescente contumacia, contra eos proceditur : *Castrimar.*, cit. loc.

Sed S. Concilium voluit salvas esse constitutiones et consuetudines earum ecclesiarum quæ longius servitii tempus requirunt : *Arimin.*, cit. loc.

ut nulli exceptioni, aut interpretationi relinquant locum.

« Huic adstipulatur decretalis Bonifacii VIII *Injunctæ* in extrav. inserta, et constitutiones summorum pontificum Alexandri V, Julii II, Clementis VII, Julii III, quæ canonem illum confirmant, atque corroborant, quæque tanta ab universa Ecclesia sunt exceptæ reverentia, ut iis salutaris, quæ usque nunc viguit, universalis Ecclesiæ disciplina hac in re fuerit sancita, atque firmata.

« Porro Synodus Tridentina, quæ capitulorum cathedralium officium Ecclesia vacante stabilivit, tantum abest, ut canoni Lugdunensis, et tot Summorum Pontificum decretis quidquam derogaverit, ut e contrario manifeste ea supponat, nihil aliud muneris, ac proinde potestatis ipsis capitulis incumbere declarans, quam ut œconomum unum, vel plures, ut officialem, seu vicarium infra octo dies constituere teneantur : eosdem vero œconomos, et vicarios seu officiales semel electos, non capitulo obnoxios declarat, sed futuro Episcopo, qui, cum ad eamdem Ecclesiam vacantem promotus fuerit, rationem ab eis exigere jubetur officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscumque eorum muneris, eosque punire, qui deliquerint, etiam si a capitulo absolutionem, aut liberationem obtinuerint.

« Ex quo duo manifeste apparent, nempe : officialibus semel constitutis, non in capitulo amplius, sed apud ipsos exercitium ecclesiastici regiminis residere; et officialem ipsum capitularem, personam ab Episcopo promovendo plane distinctam esse oportere.

« Est igitur prædemoratus ven. frater episcopus Nanceiensis juxta canones et pontificias sanctiones, et vigentem Ecclesiæ disciplinam, contra quam nulla dari potest legitima missio, prorsus inhabilis, hoc ipso, quod nominatus fuerit archiepiscopus Florentinus, qui in vicarium, seu officialem capitularem ipsius metropolitanæ Ecclesiæ constituatur.

« Verum ex alio capite idem inhabilis habendus est, ex eo scilicet, quod ipse alteri Ecclesiæ spirituali conjugio sit copulatus, quod absque expressa Apostolicæ Sedis dispensatione dissolvi non potest; quo fit, ut Episcopus unius Ecclesiæ ad aliam transferri, nisi ejusdem Sanctæ Sedis specialissima gratia non possit, minime concedenda, nisi justis gravibusque de causis.

« Quæ cum ita sint, profecto intelliges te omnino temere et valde culpabiliter facturum, si muneri tuo renunciaveris, ut alteri aditum aperias ab Ecclesia præclusum, et quamcumque capituli deputationem, seu electionem hujusmodi non modo improbandam, verum etiam nullam, et irritam fore, quemadmodum ad ulteriorem cautelam quatenus opus sit, irritam et nullam auctoritate Nostra nunc pro tunc declaramus, quoniam adversus sanctissimas Ecclesiæ leges, ejusque vigentem disciplinam attentaretur, et manifeste tenderet ad legitimæ missionis principia obscuranda, ac destruenda, atque ad auctoritatem Sedis Apostolicæ spernendam, atque adnihilandam.

« Hæc tibi graviter rescribenda judicavimus ea tantum de causa, quia Nostram sententiam rogasti, nunquam vero ex eo, quod sive pro parte tua, et metropolitanis istius capituli, sive pro parte Ven. Fr. episcopi Nanceiensis tale aliquod patrari posse suspicemur.

« Adeo enim de vobis omnibus præclare sentimus, ut minime dubitemus futurum, ut sacras canonum regulas contemnatis, quia potius pro certo habemus, vos ad eas servandas, profitendas, ac tuendas, omni timore ac assentatione posthabita, jugiter fore paratos.

« Hanc igitur animi Nostri declarationem, nomine, et jussione Nostra, notam facies dilectis filiis, dignitatibus, et canonicis istius metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ, quibus singulis, et tibi Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. »

Datum Savonæ die 2 decembris 1810, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pius Papa VII.

Vides igitur, quæ sit sententia, et voluntas Nostra, quam prorsus sacrorum canonum mentem et sanctionem dixerimus. Quæ responsio Nostra, si forte ad eumdem dilectissimum Nostrum filium vicarium capitularem non pervenerit, præcipimus tibi, ut statim ac litteras hasce nostras acceperis, eas dilecto filio vicario capitulari communices, ac denique nomine Nostro denuncies, ut ipsas universo capitulo palam faciat.

Præterea tibi Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Savonæ die 4 dec. ann. 1810.

Pius Papa VII.

Cor. dub. cit. loc.; *Atrien.* cit. loc.; *Anag.* cit. loc.; *Pient.* cit. loc.; *Ferent.* cit. loc.; *Ripan.* cit. loc.

Et licet in eo præserventur consuetudines et statuta longiori servitio faventia, attamen per hoc quod statutum vel consuetudines requirant assiduum totius anni servitium, non excluditur indulgentia conciliaris pro vocatione trium mensium : *Melp.* cit. loc.

Ac juris terminos excedens non est vacatio per tertiariam, qua vix attingent vacationes ad octoginta dies, qui minores sunt tribus mensibus concili aribus : *Ibid.*

Atque nihil refert num continui sint, seu potius interpolati : *Ibid.*

Si autem constitutio aut consuetudo Ecclesiæ requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa ; est enim dura residentia totius anni, oportetque maxime juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquod tempus ad recreationem corporis et animi : *Atrien.* cit., § 3.

Ob id a Concilio Tridentino nequaquam omnibus ecclesiarum servitio addictis permissum fuit, ut trium mensium spatio vacatione a choro fruerentur, quia prohibendo mandavit servari constitutiones et statuta quæ longius servitii tempus requirerent : *Arim.* cit., § 7.

Capitula ecclesiarum cathedralium et collegiatarum quæ, ex consuetudine, nullo vel minori vacationis tempore gaudent, debent ad Sac. Congr. recurrere : *Ibid.*

Et S. Congr. ex gratia, trium mensium vacationes quandoque indulgere solet : *Ibid.*

Sed diversa a S. Congr. in concedendo vacationis indulto servata fuit regula : *Ibid.*

Si ex statuto vel consuetudine assiduum servitium requiritur absque intermissione, et tunc trium mensium vacatio conceditur : *Ibid.*

Denegatur tamen, si ex statuto vel consuetudine aliquæ indulgeantur licet breviores vacationes : *Ibid.*

Propterea S. Congr. Conc. Canonicis adstrictis ecclesiæ servitio vacationem, ultra tres menses denegare consuevit : *Anag.* cit. loc., et *Pient.* cit. loc.

Sed procedit quoad canonicos, sive beneficiatos, qui ex constitutione, sive consuetudine Ecclesiæ tenentur toto anno chori ecclesiæque servitio incumbere : *Ibid.*

S. Congr. Concilii in ecclesiis quæ quotidianum servitium non habebant canonicas unice causas postulantium consideravit, non vero indiscriminatim trium mensium vacationem dedit : cit. *Card*, § 20.

Testatur Fagnanus ecclesiam Æsinam non potuisse, licet S. Congr. Concilii exorasset, pergere in consuetudine immemorabili fruendi vacatione quatuor mensium : *Ibid.* § 28.

Nicolaus Garcias affirmavit, si constitutio, aut consuetudo ecclesiæ requirat servitium totius anni, tunc locum habere absentiam trium mensium a Concilio permissæ : *Ibid.*, § 15.

Sed male interpretatur Garcias mentem concilii et non veram S. Congr. Concilii sententiam suo errori subjecit : *Ibid.*, § 16.

Peculiares causæ vacandi a choro ultra tres menses conciliares, aer nempe æstate fervidus, hiems rigida, capitulares ætatis provectæ, ecclesia prope mœnia ab habitatoribus civitatis distans, legitimæ sunt : *Ibid.*, § 6.

Non desunt aliæ ecclesiæ, quæ ultra tres menses vacatione gaudent : *Ibid.*, § 9.

Quarum constitutiones post Concilium Tridentinum fuerunt a Pontifice Summo approbatæ : *Ibid.*

Non solum Tridentinum Concilium de residentia, sed etiam de chorali loquitur servitio, dum in prohibenda ultra tres menses absentia, earum ecclesiarum excipit constitutiones, quæ *nempe tempus longius servitii requirunt : Alban.*, 29 *aug.* 1789, § 5.

§ XV.

Capitulum ecclesiasticum quoad vocem et jus ferendi suffragium.

Ex solis canonicis, juxta veterem juris communis sanctionem, consuevit constitui capitulum, ita ut ipsis tantum veluti ejusdem capituli membris olim jus esset, suffragium ferendi in iis, quæ ad rectum Ecclesiæ regimen pertinent : *Pisc.*, *Voc. in cap.*, 8 *febr.* 1738, § 2.

Jus ferendi suffragium in capitularibus actibus, ex canoniæ jure promanat : *Ibid.*, § 3.

Jus vocis in sessionibus capitularibus, seu negotiis, quæ toto convocato capitulo tractantur, et expediuntur, respicit capitulum uti collegium, non canonicos uti singulos : *Sen.*, *Voc. in cap.*, 27 *febr.* 1768, § 8.

Hinc quæritur de admittendo, vel excludendo aliquos a jure ferendi suffragium in re pertinente ad universitatis interesse, non singulorum : *Ibid.*

Proprium est canoniæ, ut canonicis tribuat indistinctum, et æquale jus vocis, quoad omnia quæ in capitulo fiunt, et collegialiter expediuntur : *Ibid.*, § 9.

Et omnes qui sunt membra capituli æquali jure vocis in omnibus capitulariter definiendis frui de-

bent, etiamsi iidem canonicatus fuerint recentius erecti : *Ibid.*

Ambigi non potest juxta fundationum leges a capitulo et archiepiscopo approbatas, amplissime frui debere voce activa in omnibus negotiis capitulariter tractandis : *Ibid.*, § 10.

Accedente præsertim unisona observantia, quæ metam centenariæ attingit, et ab ipso capitulo solemniter confirmata est, sive interpretative, sive præscriptive exuberat ad vocem in capitulo acquirendam : *Ibid.*

Privilegio aut legitima consuetudine concurrente, repelli non possunt beneficiati, aut mansionarii a suffragio ferendo una cum canonicis : *Firm.*, *Voc. in cap.*, 21 *august.* 1734, § 4.

Mansionarii suffragii jure saltem potiuntur in iis quæ eamdem massam communem respiciunt, cum de cætero administratio massæ communis competat solum canonicis, ubi eadem massa constata est non ex bonis tam canonicorum, quam mansionariorum, sed ex bonis ecclesiæ, et mansionarii duntaxat audiendi sunt, si velint administrationem a canonicis gestam explorare, aut aliquid adversus illam opponere : *Ibid.*, § 9.

Jus ferendi suffragium in capitulis, portionariis non competere, firmat glossa : *Nerit.*, *Plur.*, 7 *jun.* 1760, § 9.

Sed si illud jus datum est eis in decreto Episcopi, capitularibus consentientibus, adstipulante longa etiam consuetudine, recedendum est ab opinione glossæ : *Ibid.*

Et limit. : solum concessum est votum œconomis portionariis : *Ibid.*

Suffragia sunt computanda in capitulis collective : *Ibid.*

Ut tantam vocem habeant dignitates, et canonici simul, quantam ipsi portionarii : *Ibid.*

Præsertim ad evitandum absurdum, exurgens ex præponderantia numeri canonicorum : *Ibid.*

In actibus capitularibus suffragia sunt computanda singillatim : *Ibid.*

Quia collegium licet compositum ex membris diversi ordinis, unam habet vocem computandam a majoritate suffragiorum : *Ibid.*

Mansionarii, ceterique beneficiati ecclesiæ cathedralis et collegiatæ, quum non sint de gremio capituli, a ferendo in capitularibus actibus suffragio arcendi sunt : *Calar.*, *Elect. conc.*, 5 *jul.* 1738, § 4.

Verum possunt capitularibus actibus aliquando interesse, ibique suffragium suum una cum canonicis proferre, si id juris sive ex Apostolico indulto, vel Ecclesiæ statuto, vel legitima consuetudine, sive ex illius reservatione quoad aliquem actum per fundatorem facta acquisierint : *Ibid.*

Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Clemens VIII Pont. Max. in const. 48. sancivit ut Cardinales ab ordine diaconali post decennium transeant ad ordinem presbyteralem : *Rom.*, *Dec. Capit. Later.*, 22 *nov.* 1732, § 10.

Sed quum Paulus IV Pont. Max. in const. 5. *Bul. tom.* 1. statuerit illum esse deferendum Episcopo cardinali antiquiori in curia præsenti, decisum fuit anno 1721, decanatum spectare ad Cardinalem in ordine episcopali antiquiorem, quamvis juniorem in cardinalatu ; non vero ad eum, qui vice versa fuerit antiquior in promotione ad cardinalatum, sed recentius in ordinem episcopalem admissus, ut habetur in bull. san. mem. Clementis XI Pont. Max. et in ultima oratione consistoriali ejusdem Pontificis : *Ibid.*, § 11.

Protectores Cardinales non habent jurisdictionem contentiosam : *Ascul.*, *Jurisd.*, 12 *mar.* 1763, § 9.

Et nequeunt eligi per subditos, sed dandi sunt a Papa : *Ibid.*

Jus est S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, tonsura, ac minoribns ordinibus insignire suos familiares : *Frising.*, 3 *april.* 1745, § 2.

Cardinalis legatus, vel non legatus, dum accedit ad ecclesiam, mandatur in cæremoniali episcoporum, libr. 1, cap. 18, § 4, campanarum pulsatio : *Terrac. et Set.*, 21 *aug.* 1784, § 13.

CASTITATIS VOTUM. Vide *Votum*, § XI.

CASTITATIS VOTUM QUOAD DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § XX.

Casus.

Casus insoliti, et id quod nonnisi rarissime, et ex gravi tantum causa accidere solet, a legibus contemnuntur : *Barchin.*, 19 *sept.* 1767, § 7.

Non est trahendum ad casum mixtum, quod in casu simplici fuit dispositum : *Faven.*, 20 *jun.* 1767, § 12.

CASUUM CONSCIENTIÆ CONGREGATIO. Vide *Congregatio*, § I.

CATECHISMUS. Vide *Doctrina christiana.*

CATHEDRALIS ECCLESIA. Vide *Ecclesia cathedralis.*

CATHEDRATICUM. Vide *Episcopus*, § III.

Causa, Causatum.

Causa publica studiorum privato hominis commodo prævalere debet : *Imol.*, 27 *febr.* 1768, § 8.

Causa pia.

Quum res est de causa pia Missarum, omnis sumenda est lata interpretatio : *Casert.*, *Benef.*, 26 *nov.* 1796, § 5.

Nullum habet locum piæ causæ favor, qui toties cessat, quoties non de solemniis, sed de voluntate disponentis quæstio est : *Feret.*, *Leg.*, 30 *maii* 1786, § 9.

CAUSA PIA SEU LEGATUM PIUM. Vide *Legatum pium.*

Causæ.

§ I.

Causæ judiciales in genere

Controversiæ, quæ circa corporis valetudinem aguntur, medicorum potius, quam juris peritorum judicio definiendæ sunt : *Aquil.*, *Ind.*, 13 *febr.* 1745, § 2.

CAUSÆ JUDICIALES QUOAD APPELLATIONES. Vide *Appellatio.*

CAUSÆ JUDICIALES QUOAD EPISCOPOS. Vide *Episcopus*, § IV.

§ II.

Causæ criminales.

Causarum criminalium cognitio fuit a Tridentino reservata examini et jurisdictioni Episcoporum, sublatis quibusvis privilegiis : *Fulg.*, *Jurisd.*, 15 *dec.* 1736, § 7.

Causas criminales cognoscere possunt abbates regulares, si id eis concessum fuerit, non obstante lege Tridentina sess. 24, cap. 20, *de Reform.* : *Ibid.*

§ III.

Causæ matrimoniales.

Causæ matrimoniales pendent a solo judicio Ecclesiæ : *Cord.*, *Mull. matr.*, 26 *febr.* 1763, § 10.

In causis matrimonialibus processus, et formale examen faciendum est cum præsentia defensoris matrimonii : *Theat.*, *Null. matrim.*, 4 *jun.* 1763, § 7.

In causis matrimonialibus confectio solemnis processus remittitur, ubi est impossibilis, aut valde difficilis : *Sant. seu Cub.*, *Matr.*, 26 *april.* 1788, § 5.

In causis matrimonialibus spiritualis potissimum attenditur utilitas : *Gnes.*, *Nul. matrim.*, 15 *jan.* 1791, § 8.

Causas matrimoniales non decani, archidiaconi, aliique inferiores etiam visitando, sed Episcopi duntaxat examinare debent : *Const.*, *Jurisd.*, 31 *mart.* 1770, § 27.

Causa matrimonialis saltem ubi agitur de matrimonii vinculo dirimendo, quod jure naturali, et divino indissolubile est, est causa gravissima et criminalibus æquiparatur : *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. *F.*, § 56.

Causa matrimonialis cap. finali *de Sent. et Re jud.* est inegabiliter favorabilis, adeoque validitati matrimonii favendum est ; tum quia in dubio pro valore actus est præsumendum, quod in axioma apud jurisperitos transiit : *Ibid.*, § 27.

Causa matrimonialis ad vitandam occasionem peccandi, celerem exigit expeditionem : *Jan.*, *Matr.*, 20 *jul.* 1793, § 8.

Et audiendus est vir, quando juxta diversitatem casuum ejusdem impotentiæ, inspiciendum est ejus corpus : *Ibid.*, § 9.

Ad videndum, num sit impotentia absoluta, vel respectiva, omnino examinare, et inspicere virum ante definitionem causæ oportet : *Ibid.*

Si est contumax, adest remedium citationis ad valvas, vel confinia : *Ibid.*, § 10.

Jus est vicario capitulari de causis matrimonialibus cognoscendi : *Albin.*, *Null. matr.*, 30 *jan.* 1768, § 7.

Et jure potest, præsertim justa urgente causa, alium subdelegare, qui documenta et probationes ad judicii ordinem necessarias tantum paret : *Ibid.*

Quum parochus delegatus summarie tantum ad examen conjugum et testium inductorum devenerit, egit contra formam Benedictinæ constitutionis : *Ibid.*, § 8.

Nam constitutio Benedictina formale examen, datis a defensore matrimonii defensoribus, præscribit : *Ibid.*

Non octo tantum testes loco septimæ manus contra juris dispositionem adhiberi debent, quæ requirit juramentum septem propinquorum cujuslibet conjugis, vel vicinorum bonæ famæ, et sic quatuordecim : *Ibid.*

Demum, omitti non debet defensor matrimonii contra constitutionem Benedictinam qui vel voce, vel scriptis audiendus est : *Ibid.*

§ IV.

Causæ spirituales, seu beneficiales, et ecclesiasticæ.

Causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in

prima instantia coram ordinariis locorum cognosci debent : *Cæsar.*, 30 *sept.* 1724, § *ult.*

Primam instantiam causarum ecclesiasticarum præservat Concilium Tridentinum Ordinario : *Novar.*, *Un.*, 11 *sept.* 1762, § 5.

Et Concilii Tridentini decretum impedimento non est, quominus in gradu appellationis reparentur gravamina illata decreto visitationis : *Ibid.*, § 6.

In causa beneficiali in judicem ecclesiasticum licet compromittere ; ac ille laudum exequi potest : *Camer.*, *Conc.*, 13 *april.* 1796, § 5.

Atque arbitrorum judicium, ex arbitraria potestate, rectumque pro bono pacis, et utilitatis, validum fuit : *Ibid.*, § 6.

In majoribus Ecclesiæ causis, et difficilioribus quæstionibus circa fidem, et sacramenta, exquirendum est Apostolicæ Sedis judicium : *Brix.*, *Dub. bapt. et matr.*, 27 *aug.* 1796, § 1.

In causa præeminentiæ, plurimum est deferendum judicio Episcopi : *Feren.*, *Præc.*, 23 *april.* 1768, § 4.

Quæstiones præeminentiarum et prærogativarum, ut plurimum a consuetudine dirimuntur : *Senog.*, *Præem.*, 12 *dec.* 1778, § 14.

Maxime, si diuturna sit, et per plurima secula observata : *Ibid.*

Decretum Tridentini Concilii sess. 24, cap. 19 *de Regul.*, quo permittitur solum intra quinquennium proponi causa nullitatis professionis, locum sibi vindicat etiam in casu, quo professio irrita, sive a religione, sive a professo prætendatur silentio prætermissum ab isto incurabilem morbum, quo emissæ professionis tempore laborabat, ita quidem, ut impetrari prius debeat ab Apostolica Sede restitutio in integrum, deindeque cognosci causa nullitatis professionis coram Ordinario, et superiori cœnobii, in quo illa emissa fuit : *Veron.*, *Rest. in. int.*, 27 *jul.* 1738, § 2.

Causalis conditio. Vide *Conditio*, § II.

Cautio. Vide *Administrator*, § II.

Celebratio Missæ conventualis. Vide *Beneficiati*, § X ; *Canonici*, § V ; *Capitulum ecclesiasticum*, § VI ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § III ; *Missa*, § VII.

Celebratio Missarum. Vide *Anniversarium* ; *Capellanus*, §§ III, VIII ; *Missa*, §§ III, IV *et* V.

Cenotaphium.

De loco cenotaphii hæc disponuntur, vetitum esse pro iis poni qui nullo modo nomine inter mortales fuerunt : *Rom.*, *Leg.*, 22 *jul.* 1758, § 3.

Pretium saltem est solvendum ecclesiæ : *Ibid.*

S. Congr. Concilii tamen neque vetare, ut ponatur, neque postulare pretium voluit : *Ibid.*

Satis est ut ponatur honesto loco non in illustri, atque honestissimo, qui reservatur S. Rom. Ecclesiæ Cardinalibus : *Ibid.*

Censura.

§ I.

Censura excommunicationis.

Excommunicatio indicta est a Concilio Tridentino sess. 22, cap. 11, ob occupationem et usurpationem jurium, vel bonorum, vel fructuum locorum piorum, quamdiu restitutio integre sequuta, et absolutio obtenta non fuerit : *Camer.*, 16 *maii* 1767, § 20.

Ex incisione arborum ecclesiæ incurritur, quæ contra alienantes et usurpantes bona Ecclesiæ statuitur in extrav. *Ambitiosæ*, et Concil. Trid. sess. 22, cap. 11, *de Reform.* : *Tudert.*, *Cens.*, 2 *jun.* 1742, § 4.

Multiplici vinculo innodatus est excommunicationis, qui est raptor fructuum, et emolumentorum ecclesiæ : *Triv.*, *Cens.*, 28 *jan.* 1747, § 1.

Qui est occupator bonorum ipsius contra Pontificum constitutiones, et Tridentini decretum, et qui est contemptor præcepti Paschalis : *Ibid.*

Nullus Episcopus, presbyter, aut diaconus ad solemnia Missarum celebranda potest introire cum baculo aut velato capite, et altari Dei assistere sub pœna excommunicationis : *Juven.*, *Susp. et Irreg.*, 3 *dec.* 1735, § 4.

Regulares, qui administrant sacramenta Extremæ Unctionis vel Eucharistiæ ac Matrimonia solemnizant absque licentia speciali parochi, aut qui excommunicatos a canone præterquam in casibus a jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis, a pœna ac culpa absolvunt, incurrunt excommunicationem ipso facto Sedi Apostolicæ reservatam : *Suess.*, *Jur. par.*, 3 *dec.* 1735, § 2.

Intra ditionem Ecclesiæ sine Apostolica facultate munus præpositi secularis, sive vice-comitis, sacerdos sub pœna excommunicationis, si remittere noluerit, gerere nequit : *Terrac.*, 19 *april.* 1766, § 19.

Neque officia secularia clerici exercere possunt : *Ibid.*

Excommunicatio infligi nequit, nisi competens admonitio præmissa ex personis præsentibus idoneis, possit probari : *Savon.*, 14 *sept.* 1782, § 10.

Imo excommunicatio in scriptis proferri debet, et causa excommunicationis expresse conscribi,

ejusque exemplum tradi infrà mensem, si requiratur ; super qua requisitione instrumentum publicum fieri debet, vel litteræ testimoniales confici sigillo authentico consignatæ : *Ibid.*, § 11.

Quisque presbyter, diaconus, subdiaconus suspectus de crimine fornicationis, post primam, secundam, et tertiam admonitionem, si inveniatur famulari cum muliere, et aliquo modo conversari, excommunicetur : *Cam. seu Fabr.*, 8 *maii* 1784, § 13.

Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, prohibetur vicariis generalibus in dispensationum matrimonialium exequutione acceptio cujuslibet muneris, et præmii : *Dub., sub. exer. disp. matr.*, 16 *dec.* 1786, § 2.

Explorati juris est, ad anathema incurrendum, satis esse quamlibet injuriam, et contumeliam, quæ ecclesiasticæ personæ infertur, sive manibus, sive pedibus, sive toto corpore, quæ gravior etiam sit, spectatis circumstantiis loci, temporis, et adstantium : *Baln., Cens.*, 20 *aug.* 1757, § 3.

Magister, sive alius superior, si disciplinæ vel correctionis causa adolescentem clericum percutiat, non efficitur obnoxius anathemati inflicto in can. *Si quis suadente : Call.*, 16 *maii* 1733, § 2.

Id tamen exigit conditionem, ut castigatio sit moderata, et ecclesiasticæ disciplinæ modum non excedens, sed et causæ, et personæ respondens, ita quidem, ut ad violentam manuum injectionem, vel ad vindictam ex concepta ira intentatam, referri nequeat : *Ibid.*, § 3.

Quod ipsum traditur a doctoribus, de verberante clericum suo servitio addictum : *Ibid.*, § 4.

Hinc quum clericum quemdam in minoribus constitutum, manuali mercede sacristiæ servientem, et minus prompte obtemperantem canonicus leviter percusserit cum aliqua indignatione, et increpatione, non incidit in excommunicationem : *Ibid.*, § 5.

Reus ex sola injectione manus in clericum, atque ex animo et violentia injuriam illi inferendi, in censuram excommunicationis incidit : *Albin. Cens.*, 18 *jun.* 1746, § 2.

Quod tenet, etiamsi vicarius foraneus, cui gravium causarum cognitio nequit mandari, extrajudicialiter nulla prævia citatione processerit ad excommunicationem ; quoties enim jussu Episcopi, et ex delatione fisci causam assumpserit, hoc factum censetur, ut veritas rei gestæ apertius pateat, utque animus judicis certior fiat : *Ibid.*, § 3.

Eoque amplius, si factum publicum, et ad omnium cognitionem scientiamque fuerit, quo casu, sine ulla prævia citatione, publicari potest excommunicatio : *Ibid.*

§ II.

Censura interdicti.

Censura interdicti in scriptis proferenda est, et causam interdicti expresse conscribere, et tradere exemplum scripturæ infra mensem, si requiratur, super qua requisitione instrumentum publicum fieri debet, vel litteræ testimoniales confici sigillo authentico consignandæ : *Savon.*, 14 *sept.* 1782, § 2.

Interdicto locali et personali ob populi nequitiam civitas aliqua vel oppidum etiam multatur : *Caput., Jurisd.*, 2 *dec.* 1723, § 7.

Capella, cujus erectionis leges pactaque sub pœna interdicti præcepta, ac servata non fuerunt, jure idcirco interdicto supposita est : *Albin., Interd.*, 12 *maii* 1770, § 5.

CENSURA EXCOMMUNICATIONIS QUOAD ABSOLUTIONEM. Vide *Absolutio*, § II.

§ III.

Censura suspensionis.

Suspensio vel ab homine indici, vel inferri a jure, vel a jure incurri potest : *Alex. Susp.*, 31 *aug.* 1771, § 4.

In suspensionem a jure latam nemo incidit, nisi in casibus a jure expressis : *Ibid.*

Suspensio ab homine lata non contrahitur, nisi ob crimen grave et in suo genere completum, atque etiam ob dolosam contumaciam, seu inobedientiam monitis, latisque præceptis : *Ibid.*

Suspensio ab Episcopo indicta, nullitatis vitio laborat, si canonica monitio fuerit prætermissa, si verbis tantum inflicta, contra dispositionem SS. canonum sub pœna suspensionis per mensem ab ingressu ecclesiæ, et a divinis officiis præscribentium, ut sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti, in scriptis proferatur : *Ibid.*, § 5.

Nemo ullus potest inducere suspensionis pœnam, nisi trina canonica monitione præmissa, vel saltem, si necessitas postularet, una peremptoria monitio præcesserit, quæ trinæ monitioni æquivaleat : *Ibid.*, § 11.

Ex jure antiquo indicta fuit suspensionis pœna iis, qui absque titulo sacros ordines suscepissent : *Ibid.*, § 15.

Verum Innocentius III, Pont. Max., veterum canonum rigorem moderavit, et sublata pœna suspensionis, mandavit ordinatoribus vel successoribus, providere ordinatis : *Ibid.*

Sed Concilium Tridentinum contra initiatos sa-

cris ordinibus absque titulo sufficienti, pœnas veterum canonum iterum innovavit : *Ibid.*

Et pœnam suspensionis a priscis sanctionibus inflictam, iterum confirmavit Sixtus V, pont. max. : *Ibid.*

Atque ad quæstionem, an per Concilium Tridentinum censeatur innovata pœna indicta in cap. *Neminem*, et in cap. *Secundum* dist. 70, ita ut post Tridentinum, qui sine titulo ordines susciperet, suspensus, et si ministrasset, irregularis evaderet, S. Congr. Concilii censuit fuisse innovatas duntaxat pœnas cap. *Secundum.*, *de Præb.* : *Ibid.*, § 16.

Si tamen res sit de ordinato sine titulo, quem ementitis probationibus ordinatus effinxerit, ut ordinantem deciperet ; tunc ordinatus incurrit suspensionis pœnam indictam : *Ibid* , § 17.

Idcirco qui Episcopum ordinantem decipit, ostendendo se habere titulum, remanet suspensus, et ministrando irregularitatem incurrit : *Burg.*, 13 *april.* 1720, § 7.

Suspensio inflicta absque trina monitione, absque sententia scripto lata, et quin causa indictæ suspensionis assignata fuerit, nullitatis vitio laborat : *Sav.*, 14 *sept.* 1782, § 2.

Imo suspensio non solum in scriptis proferenda est et causam suspensionis expresse continere, sed trahendum est exemplum scripturæ infra mensem, si requiratur, super qua requisitione instrumentum publicum faciendum est, vel litteræ testimoniales conficiendæ ac sigillo authentico consignandæ : *Ibid.*, § 11.

Quando fertur præceptum aliquid faciendi, et contra transgressores suspensionis pœna ipso facto incurrenda statuitur, eo casu nulla requiritur monitio, et non obedientes statim intentata pœna irretiti evadunt : *Ibid.*, § 12.

Et locum habet, tam si præceptum sit particulare, et alicui determinatæ personæ directum, quam si sit universale, et universam communitatem, ac locum comprehendat : *Ibid.*

Suspensio quando juridice fertur, necessario requiritur, ut illa in scriptis publicetur, secus vero, si Episcopus extrajudicialiter agat, tunc quamvis verbis indicta fuerit, sustinetur : *Ibid.*, § 13.

Comminatio suspensionis a divinis, tanquam extremum remedium, est tantum tunc adhibenda, cum malum gravissimum, neque aliter præcidi, neque aliis pœnis cohiberi potest : *Pisaur.*, *Cas. reserv.*, 21 *nov.* 1761, § 3.

Suspensionis pœna valide infligitur ipso facto incurrenda in re gravissima, et in defectu æquioris remedii : *Ibid.*, § 8.

Suspensio incurritur ex alienatione bonorum beneficii, ex dispositione Tridentini sess. 22, cap. 11 : *Alex.*, *Susp.*, 11 *jan.* 1770, § 2.

Et neglecto investimento ab aliquo censuum extinctorum, bona Ecclesiæ alienasse dicitur, quia ipsi suorum bonorum fructuum ademit ; in suspensionem ideoque incidit : *Ibid.*

Suspensio inflicta non requirit, ut in scriptum reddatur, et monitio præcedat, quoties culpa ex sui natura suspensionem inducit, et agitur de suspensionis pœna a jure inflicta : *Ibid.*, § 8.

Ingressus Episcopus aut presbyter ad Missarum solemnia celebranda, nisi aliqua passio intervenerit, non audeat, dicta oratione recedere, ut ab alio suppleatur, sed qui initium ponit, suppleat usque ad finem sub pœna suspensionis : *Juven.*, *Susp. et irreg.*, 3 *dec.* 1735, § 4.

Cum in can. *Nullus Episcopus.*, *de Consecr.*, dist. 1, præcipiatur sine ulla mentione verbi *consecrationis*, ut *ingressus ad Missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat, dicta oratione recedere* trahitur argumentum, vel post solum ingressum ad altare, ac initium Missæ positum, pœna suspensionis incurritur a sacerdote, qui, nulla interveniente gravi corporis molestia, eam incompletam relinquit : *Ibid.*, § 8.

Sicuti *Nullus Episcopus*, *de Consecr.*, dist. 1, loquitur de sacerdote relinquente Missarum solemnia, ut ab alio suppleantur, ita pœnæ suspensionis in eodem canone contentæ subjacet tantum presbyter, a quo missa relinquitur incompleta, postquam eo usque perducta est, ub ab alio suppleri debeat : *Ibid.*, § 9.

Canonissæ possunt clericos, aliosque ecclesiasticos, et ministros Ecclesiæ delinquentes suspensione ac pœnis canonicis ferire ; et si isti despiciant suspensionem, debent per censuras ecclesiasticas compelli ad servandam suspensionem et salubria mandata : *Tull.*, *seu Nul. S. Petr. Rom.*, *Visit.*, 28 *jul.* 1730, § 12.

Suspensio incurritur a Græcis si animo retinendi Græcum ritum, ordinentur a Latino Episcopo : *Rossan.*, 14 *maii* 1763, § 6.

Sacerdos, qui tremulas habet manus, propter periculum subversionis sanguinis, suspenditur ab ordinis sacerdotalis administratione : *Civit. Cast.*, 21 *maii* 1718, § 2.

Sacerdoti epileptico alterius sacerdotis assistentia admittitur ex Gloss. in can. *Communiter* in verb. *De iis* dist., 33, ita ut si ille in terram labatur, sacrificium ab assistente perficiatur : *Ibid.*

Can. *Autem illud*, 7, quæst. 1, assistentiam sacerdotis generaliter admittit, quando agitur de infirmo sacerdote celebrante : *Ibid*

Clericum sine sufficienti titulo ordinatum, tunc pœna suspensionis afficit, dum ipse ordinantem decepit falsas producendo probationes super sui ti-

tuli idoneitate : *Sanc. Cruc. de La Sier. in Ind. Occid.*, 8 *jul.* 1719.

Omnes et singuli qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora a jure statuta, vel absque dimissoriis litteris citra montanis ad aliquem ex sacris ordinibus promoveri se fecerint, a suorum ordinum exequutione, ipso suspensi sunt : *Vis., Disp. ab irreg.*, 11 *sept.* 1784, § 13.

Id statuit Pius II, pont. max., const. *Cum ex sacrorum ordinum*, 17 nov. 1461 : *Ibid.*

Et confirmavit Clemens VIII, pont. max., const. *Romanum Pontificem*, 28 febr. 1569 : *Ibid.*, § 14.

Clerici falsificantes litteras Episcopi, vel capituli, ab officio suspensi sunt : *Ibid.*, § 15.

Et suspensio, quam contrahunt promoti ad ordines cum falsis dimissoriis, Sedi Apostolicæ est reservata : *Ibid.*

Quum Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 14, *de Reform.* statuerit, ut cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare; ex hoc decreto sublata fuit quæstio, num promoti per saltum essent ipso jure suspensi : *Ibid.*, § 18.

Et ratio est, quia cum Concilium permiserit, ut Episcopi possint dispensare, si in ordine suscepto non ministraverint, consequens est, sic promotus ipso jure suspensus esse debeat ab exercitio ordinum, et si ordines exerceat, irregularitatem incurrat : *Ibid.*

In simplicem suspensionem incidit promotus ad sacros ordines per saltum, dummodo non celebraverit sacra : *Visen., Disp.*, 18 *aug.* 1787, § 2.

Item in suspensionem incidit ordinatus cum falsis Ordinarii litteris : *Ibid.*

Item in suspensionem ordinatus absque patrimonio sacro, incidit : *Ibid.*

Per calumniam subdiaconi in sacerdotem prolatam, reo, ipso jure suspensio irrogatur : *Lunen. Sarzan.*, 9 *julii* 1796, § 3.

CENSURA SUSPENSIONIS QUOAD ABSOLUTIONEM. Vide *Absolutio*, § V.

Censuræ seu Pœnæ ecclesiasticæ in genere.

Potestas ferendi censuras nedum fundatur in illis verbis : *Quæcumque alligaveritis*, sed in aliis Apostoli primæ ad Corinthios : *Auferte malum ex vobis ipsis*, quum idem Apostolus hanc potestatem exercuisset incestuosum Corinthium excommunicando; et ex illis etiam verbis, quæ habentur secunda ad Thessalonicenses 3 : *Quod si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur* : *Pacer.*, 15 *jan.* 1729.

Ignorantia canonum in persona seculari excusat a censuris : *Urb., Cens.*, 28 *mart.* 1744, § 7.

Ad eliminandas censuras non fuisse comminatas, satis est dolum abesse et fraudem, et ab eis excusat quælibet causa licet tantum colorata, et verosimilis : *Camer.*, 16 *maii* 1768, § 7.

Nonnullæ causæ excusant ab incurrendis censuris, inter quas est ignorantia sive juris, sive facti; dummodo tamen ignorantia crassa, aut supina non sit : *Ibid.*, § 14.

An autem, et quando a censuris excuset defectus doli, fraudis, et contemptus, ac bona fides, late traditur a Card. Petra : *Ibid.*, § 24.

Quum pecuniam capellæ consiliarii in communitatis usus converterint, incidunt in censuras tum ex littera erectionis capellæ, tum ex dispositione Concilii Tridentini : *Ibid.*, § 13.

Comminatio, et fulminatio censurarum sunt remedia, quibus judices ecclesiastici utuntur ad compellendos non obedientes subditos ad debitum obsequium exhibendum : *Col.*, 14 *febr.* 1767, § 38.

Pœnæ inflictæ adversus eos qui bona ecclesiastica minus legitime riteque distrahunt, habentur a Concilio Trid. sess. 22, cap. 11, *de Reform.*, necnon extrav. *Ambitiosæ*, *de Reb. Eccl. non alien.* : *Ug. seu Hyd.* 11 *mart.*, 1741, § 2.

Sub censura decretalis Alex. VIII, pont. max., in cap. *In quib.*, *de Pœn.*, non comprehenduntur filii aliique occisoris posteri, ante patratum delictum nati : *Sulmon., Disp.*, 30 *jul.* 1735, § 3.

Quoad executionem decretorum S. Visitationis, nullus requiritur ordo, præter nudum præceptum implendi, sub pœna censurarum ipso facto incurrenda : *Dert., Visit.*, 12 *jan.* 1761, § 11.

Nulla desideratur causa præter nudam contraventionem præcepto, cujus respectu posse ecclesiastico interdicto subjici ecclesiam exemptam, quæ administratur a contravenientibus subditis Episcopo : *Ibid.*

CENSURÆ SEU PŒNÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD ABSOLUTIONEM. Vide *Absolutio*, § IV; *Episcopus*, § XVI.

CENSURÆ SEU PŒNÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD JUS FERENDI. Vide *Episcopus*, § XIII.

Census.

§ I.

Census in genere.

Census æquiparantur bonis stabilibus, eorumque nomine veniunt : *Camer.*, 15 *sept.* 1787, § 5; et *Ascul.*, 7 *jun.* 1788, § 6.

Tamen pro beneficio non videntur investimentum : *Ibid.*

Census assignati pro dote beneficii, et inde pro fundatione operum piorum, sors principalis, et fructus effecti sunt spirituales, et pii : *Gerund., Cens.*, 14 *maii* 1768, § 7.

Nec idcirco erogari possunt, nisi in causam piam, quæ, sequuta ejusdem beneficii extinctione, jure quodam proprio in bonis assignatis succedit : *Ibid.*

§ II.

Census quoad constitutionem et impositionem.

Census creari debet juxta formam substantialem Pianæ constitutionis præscribentis realem pecuniæ numerationem, ita ut pretium a dominio emptoris abductum, efficiatur ipsius venditoris : *Gerund., Cens.*, 14 *maii* 1768, § 11.

Pro valida erectione militat juris præsumptio : *Ibid.*

Onusque est alterius partis probare nullitatem, et quidem plene, ac concludenter ; nam si hæc ambigua sit, pro validitate, cui suffragatur juris præsumptio, est respondendum : *Ibid.*

Præsertim si præsumptioni additur continuata fructuum solutio sine querela debitoris peracta, quæ ad validitatem improbandam sufficeret, etiamsi per sexdecim tantum annos facta fuisset : *Ibid.*, § 6.

Imo si accessit res judicata, quum nefas sit adversus rem semel judicatam insurgere : *Ibid.*

Census reservari potest in fundatione, vel consecratione ecclesiæ, aut occasione unionis : *Auxi seu Cing. Cath.*, 25 *jun.* 1763, § 6.

Ex censura tex. in cap. *Pervenit, de Censib.*, qua improbantur census ignorantiæ, seu ignotæ originis, pertinere ad census de novo impositos, et in vita unius beneficiati solutos : *Ibid.*

Non autem ad census antiquos, quorum legitima reservatio fieri potest, vel in fundatione ecclesiæ, vel in illius consecratione, aut occasione unionis beneficiorum : *Ibid.*

Census creationis probatio ex publico instrumento desumpta, non admittit alias probationes contra illud : *Gerund.* cit., § 9.

Pecunia censualis emptori numerata, et in ipso stipulationis actu ab eo immediate restituta, aperte indicat numerationem fuisse simulatam : *Ibid.*, § 10.

Maxime si accessit declaratio facta a testatore, tum quia continet ipsius confitentis præjudicium : *Ibid.*

Tum quia facta legitur ad propriæ conscientiæ exonerationem, et in supremo elogio : *Ibid.*

Tum denique, quia res est cum exequutoribus ab ipso testatore designatis, quibus fas non est confessioni a testatore factæ contradicere, cum præsertim facta appareat in eo testamento ; in quo concredita ipsis fuit hæreditatis administratio : *Ibid.*

§ III.

Census quoad fructus et solutionem.

Censuum fructus conventi a locis piis, propria auctoritate absque beneplacito apostolico reduci nequeunt; v. g. a scutis quinque ad scuta quatuor, pro centenario retrahi non valent : *Senogal.*, 15 *jan.* 1718, § 1.

Id locum habet in censibus reservativis, secus vero in censibus consignativis : *Ibid.*

Nonnulli doctores affirmant reductionem fructuum in censu confirmativo fieri non posse absque beneplacito apostolico : *Aquip.*, 4 *jul.* 1722, § 4.

Nonnulli vero contrarium sentiunt : *Ibid.*, § 5.

Dum demandatur taxative solutio fructuum census perpetui legati pii, ex reliquis bonis hæreditatis suppleri non debet decrementum : *Null. seu Ter. Nonn., Capel.*, 7 *maii* 1791, § 5.

§ IV.

Census quoad venditionem et Pianam constitutionem.

Censum realem, qui jus dicitur percipiendi annuam pensionem ex prædio, aliove fundo, vendi et emi posse absque ulla usuræ labe, declararunt Romani Pontifices : *Gerund., Cens.*, 14 *maii* 1768, § 15.

Ut autem omne usuræ vitium ab hujusmodi censu procul absit, quædam servandæ sunt conditiones, quarum aliquæ ex ipso jure naturæ, aliæ vero ex jure ecclesiastico, seu ex præfatis Summorum Pontificum constitutionibus proficiscuntur : *Ibid.*

Inter ceteras conditiones ecclesiastico jure requisitas ea recensetur, ut scilicet census non constituatur, nisi ex pecunia numerata præsentibus testibus, ac notario et in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro justo pretio: *Ibid.*

Constitutio Piana in pluribus regionibus usu non est recepta, vel si primitus recepta fuit, per contrariam consuetudinem fuit abrogata : *Ibid.*, § 16.

Et id accidit in Gallia, Belgio, et Germania : *Ibid.*

Hinc Summus Pontifex ad petitionem catholici regis Philippi II, Hispanis indulsit, ut ad suæ

constitutionis exaratam observantiam, quoad eas conditiones, quæ juris divini aut naturalis non essent, nequaquam obstringantur : *Ibid.*

CENTENARIA. Vide *Observantia*, § III.

Cera.

Circa pertinentiam in funeribus ceræ gestatoriæ, totum tribuendum consuetudini : *Alex.*, *Fun.*, 7 *aug.* 1745, § 2.

Ceræ partem sibi vindicare non possunt sodales, detracta quarta funerum parocho, neque titulo solius et nudæ sepulturæ, neque titulo oblationum occasione funerum : *Fav.*, *Funct.*, 17 *jul.* 1773, § 4.

CESSIO. Vide *Bona ecclesiastica*, § II ; *Contractus*, § X ; *Decimæ*, § II.

CHARITATIVUM SUBSIDIUM. Vide *Episcopus*, § XXV.

CHORI ABSENTIA. Vide *Absentia a choro causa studiorum* ; *Dispensatio*, § III.

CHORI SERVITIUM. Vide *Beneficiati*, § X ; *Canonici*, § XIII ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § III ; *Mansionarius*, § III ; *Servitium chori*.

CHORI STALLUM. Vide *Beneficiati*, § XI ; *Canonici*, § XIV ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV.

CHRISMA. Vide *Sacramentum confirmationis*.

CHRISTIANA DOCTRINA. Vide *Doctrina christiana*.

CIRCUMSCRIPTIO. Vide *Acta*, § I.

Citatio.

In re gratiosa, qualis est commutatio voluntatis, non est opus citatione partis : *Viter.*, *Aper. or.*, 27 *febr.* 1790, § 5.

Citatio præmitti debet, quæ necessaria est ad sententiam, ut beneficiatus penes suam ecclesiam residere negligens, possit beneficio privari : *Consen.*, *Priv. et Cens.*, 17 *nov.* 1736, § 3.

Citatio necessaria est, ut reus jura sua deducere possit etiam in judicio censurarum, in quo si omittatur, nullitas sententiæ consequitur : *Albin.*, *Cens.*, 18 *jun.* 1746, § 2.

Satis constat de citationis defectu, si ea registrata non legatur in actis coram judice exequutore gestis, et a notario extractis : *Imol.*, *Benef.*, 23 *april.* 1768, § 12.

Abbatia si sit vere exempta, non sunt attendendæ litteræ citatoriæ episcopales : *Salut.*, *Irreg.*, 8 *jun.* 1765, § 7.

At si controversia pendeat super exemptione abbatiæ, possunt eædem impune sperni : *Ibid.*

CITATORIALES LITTERÆ. Vide *Litteræ*, § III.

Cives.

§ I.

Cives in genere.

Centum cives zelatores publicæ quietis, insimul uniti liberarunt civitatem Faventinam eorum patriam ab exitiosis Guelphorum et Gibellinorum factionibus, et incursionibus : *Faven.*, 30 *aug.* 1777, § 1.

Nucupati fuerunt : *Centum Pacifici*, et constituerunt tanquam novum Magistratum distinctum ab alio municipali, assignatis iis certis reditibus a Summis Pontificibus : *Ibid.*

Ac decorati plurimis privilegiis : *Ibid.*

Inter quæ illud est, ut omnes de numero Centum Pacificorum duabus vicibus intra annum nimirum die Paschatis Resurrectionis, et SS. Nativitatis, teneantur cum gubernatore et cancellario sacramentum Pœnitentiæ et Eucharistiæ sumere in ecclesia cathedrali Faventina : *Ibid.*, § 2.

Cives exteris præferendi semper veniunt : *Macerat.*, *Resig. Benef.*, 8 *aug.* 1778. § 8.

Dicuntur exteri, qui sunt de alterius diœcesi, non vero ii qui sunt ex una eademque diœcesi : *Ibid.*

§ II.

Cives quinam esse dicuntur.

Civium nomine non solum veniunt, qui in ipsa civitate nati sunt, sed etiam, qui in ejusdem continentibus, ac suburbiis : *Fan.*, *Leg.*, 20 *april.* 1771, § 12.

Is dicitur alicujus civitatis seu oppidi originarius, qui ex parentibus in ea civitate, seu oppido non casu fortuito, sed animo domicilium ibidem contrahendi degentibus, ortum habuit : *Caputaquen Part.*, 21 *nov.* 1739, § 2.

Cives facit origo : *Im.*, *Subs. dot.*, 20 *jan.* 1767, § 12.

In odiosis non veniunt civium nomine adlecti : *Forosemp.*, *Subs. dot.*, 8 *aug.* 1789, § 6.

In favorabilibus pares sunt originariis : *Ibid.*

Nam cives origo, manumissio, adlectio, vel adoptio facit : *Ibid.*

Oriundus et civis loci dicitur, qui in loco nascitur, etiamsi fortuito venit : *Bonon.*, 17 *nov.* 1725, § 3.

Quum ex paterna origine evincantur omnes qualitates, ut quis civis reputari debeat, absque injuria repelli nequit ab emolumento, ad quod cives vocantur : *Arian.*, *Par.*, 22 *aug.* 1739, § 4.

Si dicitur *Perusinus*, intelligitur origine, vel qui ibi habeat domicilium : *Imol.* cit., § 14.

Si dicitur *de Perusio* significat secundum communem loquendi usum, originem, et non domicilium : *Ibid.*

Civis *Viterbiensis*, aut *de Viterbio*, idem sonat, eamdemque importat significationom, nec ullum interest discrimen ex doctrina Bartoli : *Viterb., Subs. dot.*, 12 *jun.* 1766, § 8.

In dispositionibus, quæ in favorem sunt, sive subsidia dotalia, sive legata studiorum, sive beneficia ecclesiastica, sive alia ejusmodi, sub appellatione *civis oriundi* seu *originarii* veniunt etiam, qui aut patre, aut matre, aut etiam avis, et proavis ab eo loco habent originem ; *Perus., Subs. dot.*, 30 *aug.* 1766, § 6.

Cives vere sunt, qui nascuntur, vel aliquo expresso modo cives fiunt veluti manumissione in servis, adoptione in familiam atque adlectione ; *Viterb.* cit., § 12.

Incolæ vero, qui longo tempore domicilium faciunt : *Ibid.*

Certum est ratione longi domicilii ad munera civilia quemque vocari posse ; *Ibid.*, § 13.

Item, certum est duo domicilia haberi posse, ac filium, civitatem paternæ originis, non domicilium sequi : *Ibid.*, § 14.

Sub nomine civium veniunt tam viri oriundi, quam etiam illi qui civitatem incolunt : *Ibid.*, § 16.

Sed si de qualitate requisita, quæ naturalis sit, sermo fuerit, non semper sufficit eam acquisivisse ; puta de qualitate originis, quæ nunquam ex domicilio venire potest : *Ibid.*, § 17.

Civilitas.

Civilitas acquiritur vel natura, hoc est origine, vel domicilio, vel demum privilegio : *Fan., Leg.*, 20 *april.* 1771, § 12.

Originarius inter cetera civica jura illud obtinet, quod ad beneficia, aliaque quæcumque id genus emolumenta pro originariis fundata, debeat admitti : *Caputaq., Part.*, 21 *nov.* 1739, § 2.

Consiliarii munus in humillimis castris nullam filiis et descendentibus civicam qualitatem affert : *Rom. seu Tudert.*, 18 *jul.* 1771, § 9.

Nativitas occasionalis tantum, et accidentalis, inepta est ad civicam qualitatem acquirendam : *Fan.* cit., § 9.

Origo facit cives, domicilium incolas, et longum domicilium ad munera civilia aditum præbet : *Rom. seu Tud.*, 28 *jan.* 1769, § 10.

In jure certum est ad civilitatem acquirendam non sat esse quamcumque materialem habitationem etiam decennalem, vicennalem, et tricenariam, nisi conjuncta sit cum animo ibi perpetuo habitandi : *Rom. seu Tud.*, 14 *mart.* 1772, § 7.

Occasionalis mora ad exercendum munus, non animo perpetuo habitandi, inepta censetur ad civilitatem acquirendam : *Fanen.*, 23 *nov.* 1771, § 4.

Ex nativitate originaria civilitas acquiri potest : *Ibid.*, § 10.

Ac proinde, qua civem ex origine, semper idoneum esse ad consequenda legata, generaliter civibus relicta : *Ibid.*

Certa in hoc juris est regula, decennali domicilio cum animo perpetuo habitandi, civilitatem acquiri, patrisque civilitatem filiis etiam prodesse : *Ibid.*, § 8.

Incolatus ex causa ministerii, etsi decennalis, vicennalis, et tricenarius ad civilitatem acquirendam non prodest, si desint apta signa quibus suum quis animum significaverit in eo loco perpetuum domicilium constituere velle : *Imol., Subs. dot.*, 20 *jul.* 1767, § 4.

Et qui acquisivit fictam civilitatem privilegio, vel incolatu, non comprehenditur inter originarios, nec inter districtuales : *Ibid.*, § 5.

Civitas in genere.

Civitatis nomine ex aperta juris sanctione veniunt, qui in territorio, ejusque pagis, et vicis sunt : *Eugub.*, 27 *april.* 1765, § 3.

Præsertim quando testator dixit ex. gr. *di Gubbio*, quo casu comprehenduntur ii qui e territorio sunt, ex celebri Bartoli distinctione : *Ibid.*, § 4.

Ulpianus dixit : « Urbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis, finitur » : *Ibid.*, § 10.

Herennius ait : Qui in continentibus Urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur : *Ibid.*

Sed aliud sunt continentia et ædificia civitati contigua, quæ suburbia dicuntur ; aliud pagi, villæ, vicipagenses : *Ibid.*, § 11.

Qui ex vico ortus est, eam patriam intelligitur habere, cui reipublicæ vicus ille respondet ; *Ibid.*

Virgilius Mantuanus dicitur, licet ex vico Pletoso fuerit ortus : *Ibid.*

Vici constant ex villis diversorum hominum, qui plerumque sunt castella domini insignia, ideo etiam castella vocantur : *Ibid.*

Pagorum appellatio latius patet : *Ibid.*

Vicus paganus est, qui a civitate non modico spatio remotus, pluribus rusticanis domibus conjunctis constat : *Ibid.*

Oppidi vel urbis appellatio ad id restringitur, quod urbs muris contineatur, excepta Roma, cujus nomine continentia etiam, seu suburbana, veniunt ædificia : *Burg. S. Dom., Leg.*, 19 *aug.* 1797, § 5.

Ab hac stricta significatione receditur in favorabilibus, et nedum continentia ædificia, sed vici etiam, et villæ territorii nomine Urbis comprehenduntur; ita ut, qui in vico et villa natus est, in Urbe natus censeatur : *Ibid.*

Civitates in specie.

Re plene cognita, pluries respondit Rota, civitatem Aquisgranæ in diœcesi Leodiensi extare : *Leod.*, 24 *april.* 1765, § 16.

Sanctio legis de Urbe Roma favens districtualibus, non est exporrigenda ad alias civitates : *Fan.*, *Sub. dot.*, 9 *april.* 1785, § 6.

Lim. : si districtus parum distet a civitate, vel unum corpus cum civitate constituat : *Ibid.*

Civitas Montis Alti die prima jan. 1489, nobilis, et fidelissimæ titulo fuit decorata a Ferdinando I de Aragon a Neapolis Rege : *Consen.*, *Decl.*, 20 *dec.* 1760, § 6.

Civitas Montis Alti prædicta, antiquum fuit Uffugum, et sedem habuit episcopalem : *Ibid.*

CLANDESTINA MATRIMONIA. Vide *Matrimonium*, §§ XXVII *usque ad* § XXXII.

Claves.

Claves capsæ communis et archivi retinendæ sunt per deputatos et officiales juxta consuetam observantiam a capitulo ex ordine canonicorum, et portionariorum quolibet anno indiscriminatim eligendos : *Nerit.*, *Plur.*, 7 *jun.* 1760, § 10.

Adstipulante præsertim juris dispositione administrationem, ac tantum præservante portionariis pro eorum interesse jus petendi redditionem rationis : *Ibid.*

Claves reliquiarum, quæ sunt in ecclesiis regularium, non debent remanere apud seculares licet dominos capellarum, ubi custodiuntur : *Forol.*, 21 *aug.* 1784, § 6.

Una ex clavibus reliquiarum SS. Patronorum concedi potest magistratui seculari ejusdem civitatis : *Ibid.*

Et id fuit decisum a S. Congr. Episc. et Regul. : *Ibid.*

Et locum habet, si laici ex consuetudine vel alio justo titulo reperiantur in possessione retinendi clavem : *Ibid.*

Nec non in casu quo laici donare vellent ecclesiæ reliquiam insignem, aut capellam ex integro pro custodiendis reliquiis construere cum reservatione juris retinendi clavem : *Ibid.*

Aliter invito rectore ecclesiæ laici non posunt hanc prærogativam prætendere, quia in ecclesiis servitutes imponendæ non sunt sine Apostolico Indulto : *Ibid.*

CLAUSTRA, CLAUSTRALES. Vide *Monasteria*, *Monasterium*, *Moniales*, *Regulares*, *Regularium*, *Monasterium*.

Clausulæ.

§ I.

Clausulæ in genere.

Clausula apposita in exequutione litterarum Apostolicarum, non inducit limitationem : *Segobr.*, *Ind.*, 19 *jan.* 1765, § 11.

Generalis irritantis decreti clausula in fine litterarum Apostolicarum apposita, non quamlibet constitutionum partem afficit, sed potius earum cujusque naturam sequitur : *Narn.*, *Prof.*, 22 *jan.* 1743, § 5.

§ II.

Clausulæ in specie.

Clausula *veris existentibus narratis* retardat exequutionem gratiæ, si quod narratur, haud nitatur veritati : *Jan.*, *Subs.* 14 *febr.* 1761, § 10.

Exequutioni non est mandanda commissio pro concedendo indulto, quam conditionatam reddit expressa clausula *veris existentibus narratis* : *Cæsen.*, *Ind.*, 24 *nov.* 1759, § 3.

Exequutor in litteris apostolicis designatus cum clausula *vocatis vocandis*, dicitur *mixtus* exequutor : *Feren.*, *Serv. chor.*, 27 *nov.* 1779.

Qui ideo tenetur partes monere, et audire, aliter ejus sententia est invalida : *Ibid.*

Quam judex apostolica auctoritate suffultus valet revocare : *Ibid.*

Clausula : *Sibi constito*, et altera : *pro sui arbitrio et conscientia*, Episcopum constituunt exequutorem mixtum, qui, re cognita, exequutionem denegare potest Pontificii rescripti : *Sarsinaten.*, 21 *april.* 1792, § 9.

Clausula : *Conscientiam oneramus*, importat arbitrium boni viri : *in Vot. Card. Pereir.*, 28 *dec.* 1723, § 10.

Quando res committitur arbitrio boni viri, standum est declarationi ipsius arbitrii, nisi clare repugnet sacris canonibus, aut juri civili : *Ibid.*

Et potius monitionem, quam conditionem importat : *Ibid.*, § 10.

Et ideo apposita hæc clausula in rescripto Pontificio, remittit apices, et rigorem juris civilis ; *Ibid.*

Quando alicui committitur negotium aliquod cum prædicta clausula, ab ejus arbitrio judicatu, e sententia non datur appellatio : *Ibid.*, § 12.

Clausula *sine alicujus præjudicio*, adjecta in litteris apostolicis erectionis collegiatæ ecclesiæ, ea comprehendit quodcumque extrinsecum præjudicium, non tamen illud quod in concedenda gratia Pontifex voluit conferre, seu quod ex natura rei resultat : *Pisaur.*, 11 *jan.* 1772, § 5.

Clausula, *sublata*, in brevi adjecta, qua gratia conceditur, abusum potius et corruptelam, quam juris argumentum præ se fert : *Eug., Juris.*, 13 *mart.* 1773, § 12.

Sub clausula, *sublata*, et *decreto irritante*, quælibet abrogatur lex facta vel facienda per Ordinarios locorum : *Reat.*, 5 *april.* 1788, § 6.

Clausula, *et non pia*, removet testatoris consensum ab actu, eo magis derogationem impedit voluntatis : *Rom. seu Savon., Subs. dot.*, 26 *april.* 1788, § 11.

Clausula *sublata*, et *decreto irritanta* omnem tollunt contrariam observantiam : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 20.

Quæ contraria observantia potest admitti, ea probanda est complete, et cum requisitis, ut immemorabilis : *Ibid.*

Ad removendam subreptionem non prodest clausula in litteris apostolicis, *non obstantibus*, quæ apta est ad removendum subreptionis vitium a beneficiis de jurepatronatus ecclesiastico, secus vero si beneficium sit de jurepatronatus laicalis : *Prænest., Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 10.

Clausula derogatoria adjecta, quoad confessarium : *Privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus*, cum favorem et utilitatem animæ respiciat, iis etiam aptari posse videtur, qui speciali privilegio ac prærogativa donati sunt : *Hild.*, 16 *sept.* 1769, § 23.

Ille qui absolutus est cum clausula, *ex hactenus deductis*, quamdam infamiæ notam habet, ut præferri non debeat sed arcendus a parochia assequenda, donec qualibet abluta criminis macula, melioris vitæ specimen non præbuerit : *Caput., Conc.*, 10 *jun.* 1741, § 3.

Clausula, *in casu non esse ulterius molestandum*, et similis, *ex hactenus deductis*, non excludit delictum : *Lun. Sar., Dispens. ab irreg.*, 23 *jan.* 1790, § 4.

Infamia facti non deletur per absolutionem cum clausula, *novis supervenientibus indiciis*, quæ accusatum ab inquisitione non eximit, ejusque innocentiam excludit : *Nul. seu Mont. Vir., Irreg.* 16 *febr.* 1788, § 2.

Clausula, *de se præsentando novis supervenientius indiciis*, non impedit quin sententia absolutoria suum complementum assequatur, cum per eam priora indicia omnino extincta remanserint, et prævia fidejussio plenariæ absolutionis vim habuerit : *Saler., Irreg.*, 20 *april.* 1771, § 5.

Clausula, *utatur jure suo*, utpote generalis, non includit delegationem, quæ specialissima mentione indiget : *Senogal., Can.*, 14 *maii* 1768, § 12.

Dum testator voluisset conferri capellaniam uni ex filiisfamiliæ nominatæ, *che venga istradato al sacerdozio*, et reliquos ex ea familia descendentes vocavit *come sopra* : hæc clausula eumdem succedendi modum atque ordinem repetit : *Arim., Capel.*, 26 *febr.* 1774, § 4.

Et cuique ex familia nominata concessum censeri debet, quidquid aliis ex ea familia largitum noscitur : *Ibid.*

Vigore adjectæ clausulæ in exemptionis privilegio, *salva Sedis Apostolicæ auctoritate, et diœcesani Episcopi canonica justitia et reverentia*, illæsa manent jura Episcopi, etiam quoad archidiaconorum confirmationes : *Monas., Confirm.*, 16 *sept.* 1769, § 10.

Clausula, *inductum defendas*, adjecta in litteris apostolicis nil aliud præ se fert, quam ut exequutor beneficiatum in possessione tueatur per aliquod breve tempus, aut ad summum per annum : *Imol., Benef.*, 23 *sept.* 1758, § 10.

Clausula, *sive præmisso sive aliquo quovis modo vacante*, non sustinet collationem ecclesiæ parochialis, neque eam reddit a falsa causa immunem : *Vis., Par.*, 9 *aug.* 1732, § 11.

Quamvis Vasquez, Suarez, aliique magni nominis theologi putent quod illi qui propter debilitatem visus non possunt legere, si tamen possunt sufficienter hostiam et calicem videre, non sint arcendi a celebrando, et si missam sufficienter memoriter recitent; attamen S. Congr. Concili clausulam pro cæcutientibus apponit, *dummodo memoriter non recitent* : *Flor.*, 2 *aug.* 1727.

Clausula rescripto adjecta, *dummodo non adsint puellæ specialem vocationem habentes*, jura præservat tantum puellarum quæ certam vocationem habent, vel ex certo genere puellarum quæ vocatæ sunt, proveniant : *Fan., Subs. dot.*, 14 *febr.* 1772, § 7.

Non autem aliarum quarum jus adhuc incertum et eventuale sit, dependenter ab electione exequutorum, vel quæ tantum de incerto genere descendunt : *Ibid.*

Et si testator nullum certum genus vocaverit puellarum, illa quæ jus habent incertum, et eventuale, per illam clausulam adjectam rescripto censetur esse rejecta : *Ibid.*

Consentiunt doctores, quod quantacumque sit virtus et efficacia clausulæ, *vacet eo ipso*, nunquam

tamen sententiæ necessitas excludatur : *Rom., Canon.*, 9 *sept.* 1786, § 3.

Et dicta accedente clausula, licet necessaria non sit sententia ad pœnam privationis condemnans, utpote quæ a lege ipsa aut decreto inflicta est ; requiritur tamen sententia super facto contraventionis, sive ut alii dicunt, sententia declaratoria : *Ibid.*, § 4.

Ampliatur, etiamsi Pontifex ulterius progrediendo hanc declaratoriæ sententiæ necessitatem auferat addendo, *absque alia declaratione* : *Ibid.*

Quia ne tunc quidem sublata censetur necessitas sententiæ declaratoriæ super facto contraventionis, sed duntaxat derogatum necessitati sententiæ declaratoriæ super pœnis, in quas incurrerunt : *Ibid.*

Si aliquando tribunalia ac doctorum placita sententiæ declaratoriæ necessitatem in vacatione, in vim, uti dicitur, decreti cum clausula, *eo ipso*, vel *ipso jure*, *vel ipso facto*, respuerunt ; ea intelligenda est cum de dejiciendo agitur a possessione sua actuali canonicatus detentore, non ad eum casum traducenda, in quo de impetrando, aut conferendo eodem canonicatu agitur ; cum in ipsa impetrationis, et collationis exequutione, illa eadem fuit contra veterem detentorem de caducitate, in quam incurrit disquisitio, quæ ad expellendum possessorem præmittenda fuisset : *Ibid.*, §§ 10 et 11.

Clausura. Vide *Monasteria*, § 1.

Cleri romani statutum. Vide *Statutum cleri Romani*.

Clerici et personæ ecclesiasticæ quoad censuras. Vide *Censuræ seu Pœnæ ecclesiasticæ*.

Clerici.

§ I.

Clerici et personæ ecclesiasticæ quoad comam.

Coma fictitia olim erat de genere prohibitorum etiam quoad fœminas, ne exuviæ alieni capitis forsan immundi, nocentis, et gehennæ destinati, sancto et christiano capiti apponerentur : *Melph.*, 8 *aug.* 1722, § 3.

Hodie autem prohibitio hæc fictam gestandi comam ad solos clericos extenditur : *Ibid.*

Accedente vero necessitate pro tuenda valetudine, non videtur clerico licet beneficiato prohibendum, ut comam deferat fictitiam, modestam tamen, et a luxu alienam : *Ibid.*, § 4.

Ampliatur : Ut eadem comitante necessitate, sanctum Missæ sacrificium celebrari possit a sacerdotibus etiam cum coma fictitia, et præsertim, si hæc faciat unum moraliter cum capite, nec a coma nativa internoscitur : *Ibid.*

Cæsaries hæc non vanitatis, sed necessitatis est indultum, quum ex ea populi ostensio exoriri non debeat : *Ibid.*

Cuique morbo, cui coma fictitia opitulari potest, æquale remedium parari valet ex usu boni pileoli : *Ibid.*, § 5.

Doctrina Pasqualig. *de Sacrif. novæ legis* quæst. 85, quod Missa celebrari posset cum modesta coma fictitia, fuit reprobata : *Ibid.*

Et Innocentius XII, pont. max., ad Nuntios encyclicas litteras misit, ut Ordinarios admoneant ne id fieri permittant in suis diœcesibus : *Ibid.*, § *ult.*

§ II.

Clerici conjugati.

Clerici conjugati, quamvis servent requisita a Concilio Tridentino præscripta cap. 6 sess. 23, *de Reform.*, duobus tantum exceptis privilegiis clericalibus *fori et canonis*, quoad reliqua a laicis non differunt : *Fulg.*, *Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 28.

Clerici seu personæ ecclesiasticæ diœcesis alienæ. Vide *Sacramentum Ordinis*, § vi.

§ III.

Clerici illitterati.

Clericus, qui ab examinatorum synodalium judicio rejectus fuit, ob hoc imperitus prorsus, litterarumque ignarus dici nequit, cum pendeant omnia a casu et fortuna quæstionis, quæ proponitur : *Berg.*, *Ord. seu Lit. test.*, 18 *jul.* 1746, § 2.

Neque ob id litteræ testimoniales ab Episcopo sunt denegandæ ; dum illæ non scientiam oratoris, sed tantum natales, ætatem, vitam, moresque respiciant : *Ibid.*

Hisce autem casibus, ne illitteratissimi sacerdotes redeant, qui reprobati clerici quondam abierunt, facultate propria uti possunt Episcopi originis, ut examini subjiciant eos qui in suam redeunt diœcesim, et si minus idonei comperiantur, ab ordinis exercitio suspendantur : *Ibid.*

§ IV.

Clerici incontinentes.

Clericis prohibitum est concubinas, ac alias mulieres de quibus adsit suspicio, in domo vel extra detinere, vel cum iis ullam consuetudinem habere : *Spir.*, *Can.*, 18 *aug.* 1764, § 10.

Alioquin pœnis a sacris canonibus, et statutis Ecclesiarum impositis, puniendi sunt : *Ibid.*

Sique a superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, ipso facto sunt privandi tertia parte fructuum beneficiorum vel pensionum : *Ibid.*

Si vero in eodem delicto perseveraverint, et secundæ monitioni non paruerint, tunc omnibus proventibus beneficiorum ipso jure privantur, et ab administratione arbitrio Ordinarii suspenduntur : *Ibid.*

Si vero adhuc in suis delictis perseveraverint, tunc omnibus beneficiis, portionibus, officiis, et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo privantur : *Ibid.*

Clerici incontinentes, fornicarii et concubinarii olim a jure civili perpetuo deponebantur : *S. Sever.*, 4 *april.* 1778, § 12.

Idque servarunt sacri canones ad dimidium usqpe seculi XII : *Ibid.*

Rigorem hunc perpetuæ depositionis temperarunt sacri canones ab anno 1159 ad 1181 : *Ibid.*, § 13.

Sacra vero Tridentina Synodus has leges ita conciliavit, ut clerici, si post primam monitionem personaliter eisdem indictam a damnato consortio non se abstinuerint, tertia fructuum parte illico priventur : *Ibid.*, § 14.

Post secundam autem monitionem omnes fructus amittant atque ab administratione beneficiorum rejiciantur : *Ibid.*

Perseverantibus adhuc in eodem delicto pœnam amissionis et excommunicationis induxit : *Ibid.*

Clericus deprehensus incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minus peccaverit, puniatur secundum canonicas sanctiones, quæ efficacius et districtius præcipiuntur observari : *Camer. seu Fabr.*, 8 *maii* 1784, § 11.

Si iidem post secundam et tertiam commonitionem fornicarias detineant, spoliari debent ecclesiis, eorum portionibus, et ipsis officia interdici : *Ibid.*, § 13.

CLERICI ET PERSONÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD IRREGULARITATEM. Vide *Irregularitas.*

§ V.

Clerici et personæ ecclesiasticæ quoad militiam secularem.

Dimicare in bello clericis interdictum est : *Vis.*, *Disp. ab Irreg.*, 11 *sept.* 1784, § 3.

Et clerici militiæ seculari adscripti, si a prælatis suis tertio commoniti militaria noluerint arma deponere, de privilegio clericorum subsidium aliquod habere non debent : *Ibid.*

Non solum clerici amittunt privilegia, si militiam secularem sequantur ; sed etiam irregularitatem contrahunt, si in bello dimicaverint : *Ibid.*, § 4.

Doctores distinguunt bellum justum ab injusto ; *Ibid.*, § 5.

Clerici ad bellum injustum progredientes irregulares fiunt, tam si aliquem occiderint, vel mutilaverint, quam si solo consilio et præsentia ad mortem vel mutilationem alicujus causam dederint, licet mortis vel mutilationis auctores non fuerint : *Ibid.*

Clerici irregulares sunt, si socios milites ad bellum excitaverint, aut timorem adversariis incusserint, ut fugam accipiant ; vel mors aut mutilatio sequuta fuerit, quia se defendere non potuerint : *Ibid.*

Et ratio est, quia operam rei illicitæ dederunt : *Ibid.*, § 6.

Si agatur de bello aggressivo, clerici non incurrunt irregularitatem, si bellum gesserint moraliter et probabiliter justum ; dummodo propria manu neminem occiderint, neque consilium pro occisione dederint : *Ibid.*

Si censent bellum esse injustum, quia cum omnes partem belli constituant, idcirco si mors, vel mutilatio licet aliorum opera sequatur, irregularitatem incurrunt : *Ibid.*

Sed bellum justum diversimode considerari debet quoad laicos et quoad clericos : *Ibid.*

Clerici, cum arcentur a militari actione, non possunt interesse bello etiam justo, nisi pro rebus spiritualibus, nempe prædicatione verbi Dei et sacramentorum administratione : *Ibid.*

Si tamen bellum sit justum et defensivum, doctores nonnulli sustinent quod clerici bello justo intervenientes, operam dantes, arma deferentes, atque aliis suadentes, irregularitatem non incurrant : *Ibid*, § 7.

Et id procedit, quamvis plurimorum hostium interius sequatur, dummodo propriis manibus non occidant, vel mutilent, aut eam mandent : *Ibid.*

Lim., hoc tamen licere clericis tantum, si non adsit sufficiens numerus laicorum ad defensionem parandam : *Ibid.*

Et ratio est, quia ecclesiastici in subsidium tantum bello adstare possunt : *Ibid.*

Sed si clerici in bello offensivo et justo propriis manibus occidant vel mutilent, etiamsi in subsidium præliati fuerint, semper irregulares fiunt : *Ibid.*

Clericus qui seculari militiæ nomen dedit præsumitur tacite renuntiasse militiæ Christi : *Anag.*, *Pens.*, 5 *sept.* 1778, § 3.

Imo incapax est retinendi beneficia, vel pensiones sibi reservatas, tanquam incompatibiles cum militia seculari : *Ibid.*

Et hoc procedit, etsi arma vel sæva non exer-

ceant, aut se non immisceant enormitatibus : *Ibid.*

Lim. : Opus tamen est, ut clericus animum habuerit Ecclesiam derelinquendi : *Ibid.*, § 4.

Hinc, nisi fuerit prius monitus, beneficio vel pensione privari non potest : *Ibid.*

Et ille non est miles, qui citra suum propositum et intentionem suam miles effectus est : *Ibid.*, § 5.

Et voluntas tacita, ac præsumpta non est attendenda, quando de contraria voluntate vel ejus declaratio expressa, vel majores præsumptiones haberi constat : *Ibid.*

Clericus qui, dimissa clericali veste, secularem, seu armatam militiam amplectitur, non beneficia modo, verum etiam pensiones quascumque ecclesiasticas ipso facto, et absque ulla monitione amittit, ne Deo simul et seculo videatur militare : *Ulyss. Orien., Pens.*, 23 *nov.* 1737, § 4.

Et juris canonici censura locum sibi vindicat, etiamsi clericus seculari militiæ adscriptus nunquam in bello fuerit ; nec quicquam sævi exercuisse doceatur : *Ibid.*, § 5.

Nec suffragatur illi qui ad secularem, seu armatam militiam transierit, facultas seu dispensatio retinendi ac percipiendi pensionem, vestem et tonsuram clericalem, non deferenti cum necesse sit ut super hoc specifice dispensetur : *Ibid.*

Clericus miles non videtur, et contraria ejus adest voluntas, si seductio facta fuit, et ille reclamavit apud militum decurionem pro sua libertate : *Anag.* cit., § 7.

Magis, si in minorenni ætate nomen dedisset militiæ : *Ibid.*

Ætate vero majores, ex proposito militiam sequentes, et munera exercentes, perdunt beneficia et pensiones : *Ibid.*, § 6.

Clericus qui militiam armatam assumit ecclesiasticis omnibus beneficiis cadit, quum per electionem status incompatibilis cum clericatu ea dimisisse censeatur : *Firm., Cap.*, 7 *jun.* 1788, § 3.

Nec ad illa amplius per abdicationem militiæ restituitur : *Ibid.*

Clericus, qui nunquam sæva exercuit, nec unquam cum hoste dimicavit, nec proinde deseruit Christi militiam, beneficiorum capacitatem non Amisit ; *Eug., Can.*, 7 *jul.* 1770, § 10.

§ VI.

Clerici negotiatores.

Præcipit Apostolus, ut nemo militans Deo se negotiis secularibus implicet : *Barch.*, 4 *jun.* 1768, § 10.

Idcirco clericis et religiosis in sortem Domin vocatis, ut rebus vacent divinis, orationi et animarum saluti, sacri canones enixe prohibuerunt, ne rebus temporalibus ac negotiationibus lucri causa se immisceant : *Ibid.*

Quare Summi Pontifices sacrorum canonum custodes et vindices, sæpius ad tollendos abusus exercitæ negotiationis præsertim in regularibus, vetuerunt quamcumque mercaturam, seu negotiationem sub pœnis censuram : *Ibid.*

Clerici, secundum aliquos, negotiari valent per alios, et inire contractus in quibus operam præstant laici ; sed contrarium verius : *Apuan.*, 20 *febr.* 1796, § 3.

Eis vero omnino interdicta sunt cambia : *Ibid.*, § 4.

Clerici negotiatores privantur lucro percepto ex negotiatione, illudque applicatur cameræ apostolicæ spolii : *Ibid.*

Et spirituali afficiuntur pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac suspensionis a divinis : *Ibid.*

Licite vero acquirunt, et retinent quidquid ex bonis patrimonialibus, eleemosynis Missarum, artiumque liberalium stipendiis acquirunt : *Ibid.*, § 5.

Clericus qui a mercatura exercenda recessit privilegium clericale recuperavit : *Eug., Can.*, 7 *jul.* 1770, § 10.

Ministerium laicum interdictum est ex jure canonico sacerdoti : *Ripan., Adminis.*, 20 *aug.* 1789, § 4.

Regula hæc limitatur in clericis cultoribus suorum agrorum, seu conductoribus : *Ibid.*

Multo magis administratoribus agrorum ecclesiasticorum : *Ibid.*

Permitti non debent cambia, quum species sint mercaturæ, quæ clericis et Ecclesiæ interdicta est : *Camer.*, 15 *sept.* 1787, § 5.

CLERICI ET PERSONÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD ORDINATIONEM SACRAM. Vide *Sacramentum Ordinis* per totum.

CLERICI ET PERSONÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD PERCUSSOREM ET OFFENDENTEM. Vide *Homicida*, *Homicidium.*

§ VII.

Clerici non residentes et ecclesiæ non inservientes.

Clerici omnes vigore Concilii Romani sub Benedicto XIII Pont. Max., etiam sacris ordinibus initiati, debent adscribi certæ Ecclesiæ, eique inser-

vire cunctis diebus festis : *Alexanen., Serv. eccl.*, 10 *jan.* 1733, § 4 ; et *Suessana., Serv.*, 3 *dec.* 1735, § 4.

Imo ibi pro arbitrio, toties quoties opus fuerit, servitium præstare debent : *Suess.* citato loco.

Et clerici adscripti etiam conjugati, vel nullum beneficium possidentes, abesse non debent a servitio ecclesiæ præsertim singulis diebus solemnioribus, et munia propria obire : *Ibid.*

Tridentina vero Synodus statuit sess. 23, cap. 16, *de Reform.*, nullum esse ordinandum, qui ecclesiæ illi pro cujus necessitate aut utilitate assumitur non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus ; propterea in iis qui nondum presbyterali ordine initiati sunt, peculiaris viget ratio ad inserviendum ecclesiæ, cui sunt adscripti : *Alex., Serv., eccl.*, 24 *jan.* 1733, § 6.

Ab Innocentio XII, Pont. Max., pius mos commendatur in diœcesibus Hispaniarum vigens, ut clerici etiam in majoribus Ordinibus constituti, diebus festis, ecclesiæ cui adscripti sunt inserviant : *Ibid.*, § 7.

Clericus alicui ecclesiæ adscriptus in sua ordinatione, si locum inconsulto Episcopo deseruit, ei sacrorum exercitium interdicitur : *Eug. seu Null. Nonan., Conc.*, 21 *jan.* 1797, § 12.

Qui autem in ipso ordinationis actu nulli adscripti fuerunt ecclesiæ, eos cogere nequit Ordinarius ad residendum in diœcesi, nisi ratione beneficii residentialis : *Ibid.*

Clerici qui pro necessitate aut utilitate ecclesiæ ordinati fuerunt, ejusque servitio adscripti, sine expressa Episcopi venia discedere nequeunt ; et si locum inconsulto Episcopo deseruerint, sacrorum exercitium eis interdicitur : *Amer.*, 8 *maii* 1756, § 2.

Reprobantur doctores qui tradunt clericos et sacerdotes, qui non habent beneficium in titulum, præcisam, et personalem residentiam requirens, discedere posse et ire quo velint, neque Episcopos his litteras dimissorias denegare posse : *Ibid.*

Quia clerici servitio alicujus ecclesiæ necessitate seu utilitate ordinati, habentur tanquam servi, aut coloni glebæ addicti, qui sine domini venia fundum deserere nequeunt, neque discedere possunt ab ecclesia, et ideoque Episcopus litteras dimissorias eis denegare potest : *Ibid.*

Episcopus nequit cogere eos clericos et sacerdotes, qui nullum habent beneficium, nullumque onus residentiæ, ut veniam petant discedendi : *Segnen., Decr.*, 13 *sept.* 1749, § 3.

CLERICI ET PERSONÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD TITULUM ORDINATIONIS, PATRIMONIUM CLERICORUM. Vide *Sacramentum Ordinis*, § X.

§ VIII.

Clerici venatores.

A sacris canonibus mandatur, ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant, neque canes et aves sequantur ad venandum : *Galtell., Disp. ab irr.*, 12 *mart.* 1785, § 8.

Nam talia et similia ministris altaris Domini, necnon monachis, omnino prohibentur : *Ibid.*

Immo Episcopo, presbytero, aut diacono canes, accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet : *Ibid.*

Et si quis in hac voluptate sæpius detentus fuerit, episcopus tribus mensibus a communione, presbyter duobus, diaconus ab omni officio suspenditur : *Ibid.*

Clericis prohibetur venatio a jure canonico his verbis : *Omnibus servis Dei venationes et sylvaticas vagationes cum canibus, et accipitres, aut falcones interdicimus : Ibid.*

Quod confirmat Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 14, *de Reform.* : *Ibid.*

Duæ sunt species venationum : *Ibid.*, § 9.

Alia clamorosa, quæ magno armorum, canum, accipitrum apparatu exercetur, ut apri, cervi, et majores feræ capiantur : *Ibid.*

Altera quieta, quæ soli laqueis, et retibus, aut etiam armis, sed paucis adhibitis canibus ad occidendum volatilia, lepores, aliasque minores feras instituitur : *Ibid.*

Hinc orta quæstio est, an utraque venatio clericis sit interdicta : *Ibid.*

Nonnulli doctores tenent, solam venationem clamorosam clericis vetitam esse : *Ibid.*

Attamen Benedictus XIV, Pont. Max., in suo opere *de Synodo diœcesana* affirmat, quod opposita sententia, licet non sit communior inter doctores, videatur certe juri conformior : *Ibid.*

Et ratio est, quia canones non arcent clericos a venatione, quæ non armis, sed solis avibus venatoriis, et proinde sine ullo tumultu exercitur : *Ibid.*

Delatio sclopi ad usum venandi, non est clericis illicita : *Mur., Irr.*, 22 *jan.* 1763, § 5.

§ IX.

Clerici et personæ ecclesiasticæ quoad vestem seu habitum clericalem.

Quamvis S. Concilium Tridentinum verbis expressis non injunxerit ecclesiasticis personis usum vestis talaris, sed solum jusserit deferri habitum,

nihilominus rata semper habita sunt decreta Episcoporum de usu vestis talaris : *Saler., Edict.*, 27 *sept.* 1732, § 4.

Decens debet esse vestis clericalis, sed nondum in jure statutum est cujusmodi esse debeat, nisi quod recipi debeat ac retineri ea quam ex loci qualitate communis usus probavit : *Spol.*, 14 *jan.* 1764, § 4.

Tridentina Synodus præscripsit vestem ordini et dignitati congruentem, et juxta Episcopi ordinationem ac mandatum : *Ibid.*, § 7.

Tridentini Patres sess. 14, cap. 6, *de Reform.*, inhærentes veteri sacrorum canonum disciplinæ et conciliorum pluribus decretis, præceperunt ab ecclesiasticis personis deferri debere habitum eorum *ordini, et dignitati congruentem, juxta Episcopi ordinationem et mandatum* : *Bisac.*, 1 *mart.* 1738, § 3.

Statuit etiam Tridentina Synodus, sess. 23, cap. 6, *de Reform.*, nullum clericum privilegio fori gaudere, nisi clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat : *Caput., Admis. ad cons.*, 1 *jun.* 1741, § 4.

Habitus congruens proprio ordini deferendus est a beneficiatis sub pœna privationis beneficii : *Melev.*, 18 *dec.* 1762, § 1.

Habitus congruens pro clericis secularibus est vestis talaris cum tonsura clericali ; pro militibus vero, est vestis suæ militiæ conveniens : *Ibid.*, § 2.

Nec beneficium conferri potest, nisi clericis incedentibus in habitu suæ militiæ propriæ : *Ibid.*, § 3.

Milites autem prædicti intelliguntur de ordinibus equestribus militiarum approbatarum, ac de officialibus Romanæ Curiæ : *Ibid.*, § 4.

Qui omnes retinere possunt beneficia, et pensiones sine habitu clericali, cum sola delatione insignium suæ militiæ : *Ibid.*

Quod locum habet in militibus, obtinentibus beneficia suæ militiæ propria : *Ibid.*, § 5.

Et dicuntur incedere in habitu militari, quando deferunt vestes communes cum insignibus crucis aut numismatis suæ militiæ proprils : *Ibid.*

Pensiones vero possunt retineri sine habitu clericali, a clericis secularibus infra summam 60 ducatorum auri de camera, ab officialibus vero curiæ Romanæ ad quamcumque summam : *Ibid.*

Militaris habitus equitum Hierosolymitanorum unice constitit in cruce octogona telæ albæ : *Ibid.*, § 7.

Prius tamen utebantur etiam veste talari nigri coloris, quæ postea abiit in desuetudinem : *Ibid.*

Equites consueverunt obtinendo beneficia secularia cum dispensatione expedire indultum de non incedendo in habitu, et tonsura clericali : *Ibid.*, § 8.

Vestis clericalis æque deferenda est a constitutis in sacris ordinibus, atque a beneficiatis : *Ibid.*, § 11.

Clericus arctatus, seculari habitu indutus exemptione non gaudet, quando agitur de eo, qui inter clericos antea descriptus, clericorum more vivere debebat, eaque implere munera, quæ Episcopus, et Benedictina instructio injungunt, ne alias a legis beneficio juvetur, qui in ipsam legem peccaverit : *Alex., Prepos.*, 31 *aug.* 1771, § 18.

Id ipsum etiam advertatur, si clerici ob servitium ecclesiæ non præstitum, clericorum privilegiis priventur : *Ibid.*

Vestes clericales ad effectum gaudendi privilegio fori, sunt illæ, quæ cum eis incedentem prima facie indigitant esse clericum, et non laicum : *Civit. Castell., Irr.*, 3 *dec.* 1718, § *ult.*

Clericus cœlebs non incedens in habitu et tonsura, et non servans requisita Concilii Tridentini sess. 23, cap. 6, *de Reform.*, amittit ipso jure privilegium fori, sed non privilegium canonis : *Ibid.*, § 2.

Secus autem res se habet, quoad clericum conjugatum ; hic quippe, si non deferat habitum et tonsuram, excluditur a canonis privilegio : *Ibid.*

Demittens habitum privilegium clericale non amittit, sed tantum suspenditur, quousque habitus non fuerit a dimittente resumptus : *Eug., Can.*, 7 *jul.* 1770, § 9.

Nec aliter fuit dispositum a Concilio Tridentino sess. 14, cap. 6, *de Reform.*, aut a Sixto V. const. 92, tom. 2, *Bull. Rom.* : *Ibid.*

Cum his locis sermo tantum sit de clericis beneficium obtinentibus, sed nullum habeatur verbum de iis qui ad beneficia optaverint : *Ibid*

Quæstio est an clerici ex dispositione juris inhabiles sint consequendi beneficium, qui in clericali habitu, et tonsura non incedunt : *Ibid.*, § 26.

Pœnas contra clericos, qui veste suo ordini congruente non utuntur, indixit Concilium Tridentinum, nulla tamen injuncta videtur inhabilitas ad beneficia consequenda : *Ibid.*

Sixtus V, Pont. Max., voluit ut nonnisi clericis actu incedentibus in habitu clericali et tonsura beneficia quæcumque conferantur : *Ibid.*, § 27.

Hinc docent doctores, quod sicut tempore præsentationis clericatus non requiritur, ita nec requiratur, ut præsentatus in habitu clericali incedat, sed requiritur tempore collationis, cum a tempore, quo jus habet ad beneficium, teneatur statim habitum assumere : *Ibid.*

§ X.

Clerici et personæ ecclesiasticæ quoad vitam et honestatem.

Certum est ex probata et constanti emendatione vitæ, bonoque inter suos testimonio, posse quempiam, tametsi olim rejectum, admitti ad ordines et ad ecclesiastica beneficia : *Amalpl., Ord.*, 13 *jul.* 1765, § 11.

Per clericos institutos, divinus augetur cultus, servatur religio, et ut ad bonam errantes christifideles revocantur frugem : *Foro-Semp., Appl.*, 9 *sept.* 1797, § 5.

Clerici regulares. Vide *Regulares*.

Clericorum bona. Vide *Bona*, § I.

Clericorum patrimonium. Vide *Patrimonium clericorum*.

Clerus.

Omnes ex clero Urbano tenentur induti pluvialibus, canonicis ecclesiæ cathedralis divina officia celebrantibus assistere juxta præscriptum in Cæremoniali Episcoporum, lib. 2, cap. 3 : *Trojan., Serv.*, 2 *jun.* 1742, § 7.

Presbyteri et clerici seculares debent indui superpelliceo occasione funeris, aliisque congruis indumentis in sacrario ecclesiarum, non autem in ipsis ecclesiis : *Bonon.*, 22 *maii* 1762, § 9.

Coadjutor. Vide *Beneficiatus coadjutus, et coadjutor*.

Coadjutores. Vide *Parochus*, § IV.

Coadjutoria.

Coadjutoria datur duntaxat pro servitio et necessitate ecclesiæ, ne propter impedimentum coadjuti, divinus cultus detrimentum patiatur : *Ast., Jub.*, 26 *aug.* 1780, § 9.

Coadjutoria in beneficiis ecclesiasticis cum futura successione non est permittenda, nisi id exigat vel urgens necessitas, vel evidens utilitas ecclesiæ : *Calag., Jub.*, 18 *apr.* 1733, § 5 ; et *Ascul., Coad.*, 12 *mart.*, 1785, § 6.

Et ut obtinentes beneficia ecclesiastica eam præ seferant morum integritatem, et doctrinæ specimen, ut muneri demandando pares videantur : *Ibid.*

Coadjutoria etiam cum futura successione, nullum coadjutori jus super ipso beneficio, sed jus duntaxat, ut vocant, ad rem tribuit : *Tarrac., Ordin.*, 1 *jul.* 1741, § 5.

Adeoque coadjutoria haudquaquam potest nuncupari ecclesiasticum beneficium : *Ibid.*

Atque inde sequitur, quod possessio coadjutoriæ vivente coadjuto capta, veluti vero beneficii titulo destituta, minime suffragetur coadjutori post obitum coadjuti, sed novam ille debeat beneficii possessionem obtinere : *Ibid.*

Quia coadjutor, fictus canonicus, seu beneficiatus in jure nuncupatur : *Ibid.*

Coadjutoria nullum tribuit titulum, quo coadjutor dici possit subditus episcopo ad effectum ordinationis : *Ibid.*, § 6.

Et ratio est, quod ad hunc effectum non sit satis certa spes, et jus ad beneficium ; sed requiratur actualis illius consecutio, et pacifica possessio : *Ibid.*

Et hoc procedit etiamsi a coadjuto assignetur ex eodem beneficio certa annua portio, ratione pensionis, aut congruæ coadjutori, quæ, cum non sit beneficium ecclesiasticum, nec beneficii ecclesiastici appellatione comprehenditur : *Ibid.*, § 7.

Ob id nullum de jure communi, multoque minus ex const. *Speculatores* sufficientem tribuit titulum, quo quis posset ordines ab Episcopo, in cujus diœcesi pensio seu portio ista sibi fuerit assignata, recipere : *Ibid.*

Sed in dicto casu simultaneus est concursus duplicis tituli, certæ nimirum spei succedenti ad beneficium, et præsentis perceptionis alicujus ratæ partis fructuum ejusdem beneficii, quod non adversatur Tridentino, nec bullæ *speculatores*, ita ut ad effectum ordinationis subditi reputantur Episcopi, in cujus diœcesi situm est beneficium : *Ibid.*, § 8.

Coadjutus. Vide *Beneficiatus coadjutus, Canonicus*, § I.

Coactio.

Coactio est intentare minas, atque sævitiem, quæ in constantem virum cadunt : *Biter., Ord., subd.*, 21 *aug.* 1790, § 5.

Metumque incutiunt, qui consensum removet, et irritat actum : *Ibid.*

Præsertim si accedat confessio judicialis Patris, quæ non levis ponderis est : *Ibid.*

Coactio in matrimonio. Vide *Matrimonium*, § XLVII.

Coactio in ordinibus. Vide *Sacramentum Ordinis*, § XV.

Coactio in professione religiosa. Vide *Professio religiosa*, § XI.

Coactio in sponsalibus. Vide *Sponsalia*, § V.

COEUNDI IMPOTENTIA. Vide *Matrimonium*, § XL.

COGNATIO CARNALIS. Vide *Matrimon.*, § XXXV.

COGNATIO CARNALIS QUOAD IMPEDIMENTI DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § XIV.

COGNATIO LEGALIS. Vide *Matrimonium*, § XXXIV.

COGNATIO LEGALIS QUOAD IMPEDIMENTI DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § XIV.

COGNATIO SPIRITUALIS. Vide *Matrimonium*, § XXXIII.

COGNATIO SPIRITUALIS QUOAD IMPEDIMENTI DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § XIV.

COGNITIO CAUSARUM. Vide *Causæ*, *Episcopus*, § IV.

Cognomen.

Cognominis diversitas, personarum identitatem non excludit : *Terrac. seu Set.*, *Capel.*, 19 *sept.* 1789, § 5.

Diversitatem cognominis quisque retinere solet, ut a patre accepit : *Ibid.*, § 6.

Cognomen cum sit adjectum non personis nominandis, sed familiæ, potius demonstrat vocatorum originem, quam veram agnationem eorumdem : *Anc.*, *Capel.*, 12 *junii* 1762, § 4.

COHABITATIO TRIENNALIS. Vide *Matrimonium*, § XLII.

COLLATICUS. Vide *Contractus*, § XI.

COLLATIO BAPTISMI. Vide *Parochus*, § I ; *Sacramentum baptismi*, § I.

COLLATIO BENEFICIORUM AC DIGNITATUM. Vide *Archidiaconatus*, § I ; *Beneficia ecclesiastica*, § VI ; *Canonicatus*, §§ VI, VII, VIII ; *Episcopus*, § XII ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § I.

COLLATIO CONFIRMATIONIS. Vide *Abbas*, § III ; *Episcopus*, § V ; *Sacramentum confirmationis*, § I.

COLLATIO ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Vide *Ecclesia Parochialis*, § I.

COLLATIO ORDINUM. Vide *Abbas*, § II ; *Episcopus*, § VI ; *Sacramentum Ordinis*.

Collectæ.

Collectas non tenentur solvere familiæ consiliares pro pascuis quæ amplius non possident : *Spol.*, 23 *jan.* 1790, § 3.

Collectæ detractæ tunc sunt, quando certus prædii valor dicitur ille qui superest deductis oneribus : *Perus.*, *Cap. chor.*, 20 *jan.* 1770, § 10.

COLLECTIO. Vide *Eleemosynæ*, § II.

Collegia.

Ne scientia tantummodo, sed et optimis moribus, et disciplinis juventus informaretur, erecta sunt in ipsis academiis specialiter collegia, ad quæ cum quodam delectu admitterentur juvenes, et sub speciali cura bonis moribus imbuendi committerentur : *Fan.*, *Coll. stud.*, 8 *aug.* 1767, § 16.

Ex his sequitur collegia hujusmodi licitis, legitimisque societatibus adnumerari, quando superiorum auctoritate sunt constituta, non enim privato arbitrio erigi valent : *Ibid.*

Leges ergo pro eorum regimine condi possunt, ac statuta præscribi : *Ibid.*

Et facta est fundatoribus potestas ordinandi, quæ ipsis placuerint, cum æquum visum fuerit, ut ipsis res suas in bonum publicum conferentibus, arbitrium esset leges, quas voluerint, adjicere : *Ibid.*

In universitatum et collegiorum negotiis expediendis id prægravat, quod majori corporatorum numero, pluribusque eorumdem suffragiis comprobatum erit : *Tarent.*, *Præem. et sup. exeq. resol. cap.*, 13 *febr.* 1751, § 2.

Eoque amplius, si agatur de suscipienda lite, vel necessaria, vel quæ prudenter reputari potest utilis collegio universo, quo casu capitulares sumptibus communibus illam suscipere tenentur : *Ibid.*

Non ideo, quod Ecclesiæ adscripti fuerunt, et in ea funguntur muneribus, collegium facere videntur, nisi ea accedant, quæ ad illud legitime constituendum requiruntur : *Viter.*, *Jur. tum.*, 10 *maii* 1766, § 32.

Alioquin nulla distinctio esset de collegiis canonicorum, beneficiorum, mansionariorum aliorumque hujusmodi, quæ habentur auctoritate legitima constituta : *Ibid.*

Collegium eumdem finem, eademque onera habet, et quamlibet inæqualitatem respuit : *Firm.*, *Capell*, 12 *mart.* 1774, § 9.

Nova collegia cum adjectis membris in rebus, quæ communes sunt, unum corpus efficiunt : *Viterb.*, 24 *sept.* 1763, § 4.

COLLEGIATA ECCLESIA. Vide *Ecclesia collegiata*.

COLLEGIUM CANONISSARUM. Vide *Capitulum seu Collegium canonissarum*.

Collegium.

§ I.

Collegium parochorum.

Collegia parochorum seu congregationes in antiquioribus et dignioribus ecclesiis constitui solent : *Fav.*, *Præem. et Jur. par.*, 18 *jul.* 1744. § 1.

Instar collegii plures parochi referri debent, alias sequitur absurdum, quod unius Ecclesiæ plures essent sponsi : *Neocast., Miss. pro pop.*, 16 *jun.* 1770, § 6.

§ II.

Collegium protonotariorum apostolicorum.

Doctorali laurea quemcumque decorare, concessum fuit a Sisto V Pont Max. et collegio protonotariorum apostolicorum adnumerari : *Aquin.*, 19 *nov.* 1746.

Coma. Vide *Clerici*, § I.

Comitatus Venusinus.

Comitatus Venusinus, et civitas Avenionensis, in partibus quippe Galliæ, sed non de Gallia existit : *Carpen.*, 19 *febr.* 1718, § 4.

Comitatus hic temporali Sedis Apostolicæ dominio cessit in solemni pace anno 1228, tempore Gregorii IX Pont. Max. inita : *Ibid.*

Civitas vero Avenionensis anno 1348, facta est de dominio Ecclesiæ, quum Clemens IV Pont. Max. eam a regina Neapoleos Joanna emisset : *Ibid.*

Comitia. Vide *Sodalitium*, § II.

Commenda. Vide *Religio militaris Ordinis Hierosolymitani*, § I.

Commendatarius. Vide *Abbas*.

Commendator. Vide *Religio militaris Ordinis Hierosolymitani*, § IV.

Commissio attentatorum. Vide *Attentata*, § II.

Commodum.

Qui sentiunt commodum, sentire etiam debent incommodum : *Sarsin., Transl. eccl. par.*, 31 *jul.* 1790, § 7.

Qui commisit in legem, non debet inde commodum reportare : *Alexanen., Irreg.*, 3 *dec.* 1740, § 7.

Causa publica studiorum, privato hominis commodo prævalere debet : *Imol.*, 27 *febr.* 1768, § 8.

Communio paschalis. Vide *Præceptum paschale*, §.

Communitates.

Laici eorumque communitates exemptæ sunt ab onere solvendi procurationem Episcopo eas visitanti : *Tudert., Proc.*, 30 *julii* 1735, § 2.

Sed laicorum communitates, quæ illam præstare consueverint, ab ejusmodi consuetudine veluti pia et laudabili recedere non debent : *Ibid.*, § 3.

Si postmodum renuant captæ solutionis cursum tenere, cogendæ imposterum non sunt : *Ibid.*

Consiliariorum culpa, damno esse non potest communitati : *Camer.*, 16 *maii* 1767, § 9.

Commutatio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § VII ; *Capellania*, § II ; *Juspatronatus*, § III ; *Legatum pium*, § VII ; *Missa*, § VI ; *Officium divinum*, § II ; *Onus ; Onera*, § II ; *Privilegium*, § III ; *Subsidium dotale*, § III ; *Voluntas testatoris*, § II.

Compatibilitas. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § III.

Compensatio, Æquatio.

Æquatio, quæ testatori placuit, destrueretur, nisi in æquatione ratio de oneribus habenda esset : *Tolentina*, 7 *maii* 1785, § 7.

Et seposita compensatione hujusmodi statim onera omitti jubentur : *Ibid.*

Regula est, *de liquido ad illiquidum non datur compensatio : Firm., Comp.*, 21 *april* 1787, § 5.

Compensationi non est locus laborum, quia beneficiatus usufructuario comparatur : *Alexandrina*, 28 *jul.* 1787, § 4.

Ejusque beneficii bona absque mercede administrare tenetur : *Ibid.*

Imo per acceptionem beneficii, jam ex ipsa beneficii possessione, congruam habet compensationem, nec aliam pro illorum implemento consequi debet mercedem : *Ibid.*, § 5.

Maxime si suæ obligationis concius diuturno annorum spatio tacuit, nihilque unquam pro administratione postulavit ; quæ observantia dispositioni juris consentanea, plurimi facienda est : *Ibid.*

Compensatio datur ob fructus perceptos sub bona fide beneplaciti Apostolici ac etiam ob meliorationes confectas : *Terrac. et Set.*, 23 *jan.* 1790, § 13.

Non autem ex summa pecuniarum, quæ in se est sterilis : *Ibid.*

Potius animadverti potest, ut si ratio haberetur in favorem utrius partis de integris bonorum suorum fructibus, commodum sentiret accepti pretii, et plenariam pro parte vendita consequeretur bonorum reintegrationem contra æquitatem juris : *Ibid.*

Computatio graduum. Vide *Graduum computatio*.

Concathedralis ecclesiæ. Vide *Episcopus*, § IX.

Concessio. Vide *Appellatio*, § II ; *Emphyteusis*, § IV ; *Juspatronatus*, § IV.

CONCILII CONGREGATIO. Vide *Congregatio*, § II.

CONCILII CONGREGATIONIS DECRETUM. Vide *Decretum*, § II.

Concilium Romanum.

Concilium Romanum mere provinciale fuit, nec ad Barensem diœcesim ullo jure extendi potest : *Bar.*, 14 *martii* 1767, § 4.

Concilium Tridentinum.

§ I.

Concilium Tridentinum quoad ejus promulgationem.

Hollandia, Zelandia, Frisia, aliæque confœderatæ provinciæ tam legitimo territorii principi, quam S. R. E. rebelles evaserunt a catholica deficientes religione, postquam decretum S. Concilii Tridentini sess. 24, cap. 1, *de Reform. matr.* in singulis earumdem provinciarum parœciis fuerat jussu Philippi II, Hispaniarum regis, jam promulgatum : *Dissert., Serv. super matr.* 1740 in fin. litt. A, § 2; *Ipren., Visit. SS. LL.*, 17 *aug.* 1737, § 2.

Archiepiscopo Ultrajectino anno 1565, indicta synodo provinciali pro publicatione Concilii Tridentini facienda, jussa fuit publicatio in synodo, sed nonnullis appellantibus, alia solemnis publicatio facta fuit in ecclesia metropolitana, et in domo publica civitatis Belgicæ 22 jun. 1566 : *Ibid.*, cit. litt., § 3.

Alia publicatio etiam facta fuit Delphis oppido Hollandiæ, et diœcesi Ultrajectina ann. 1566 mense augusti : *Ibid.*

Sed cum prædicta nullum habuerit effectum, sequuta est tertia publicatio Ultrajecti facta anno 1570 : *Ibid.*

Verum hæ tres diversæ Concilii publicationes ex regio mandato factæ videntur fuisse meri conatus, et omni effectu caruisse : *Ibid.*, § 4.

Et id ob angustias et eversam rem catholicam in illis locis ; ea de causa factæ fuerunt difficultates, et oppositiones dictæ publicationi : *Ibid.*

Inter suffraganeos episcopos sedis Ultrajectinæ unicus legitur Concilium Tridentinum in sua diœcesi publicasse, nempe Daventriensis : *Ibid.*

Alii partim defecerunt a fide, et facta matrimonii publicatione in synodo Ultrajectina contenti, urserunt Tridentini Concilii observantiam, quantum potuerunt : *Ibid.*

Quum anno 1609 de publicatione Tridentini Concilii in Hollandia, ceterisque Belgii provinciis dubitatum fuit, rursus erat publicatum concilium prædictum in omnibus illis partibus : *Ibid.*, § 6.

Ipsummet Concilium valde specialem publicationem cap. 1, *de Reform. matr.*, requirit, et quidem talem, qualis nulla exigitur in toto corpore juris, nimirum, ut populo publicaretur in singulis parochialibus ecclesiis : *Ibid.*, § 7.

Nec satis est, ut publicetur in regno, provincia, aut in synodo : *Ibid.*

Auctores qui asserunt Concilium Tridentinum in Hollandia publicatum esse, non loquuntur de publicatione facta ad mentem Concilii, id est in singulis parochiis, sicut in Belgio catholico factum fuit : *Ibid.*

Sed simpliciter asserunt Concilium in Hollandia publicatum fuise : *Ibid.*

Rex catholicus Hispaniarum Philippus II, non æqua tranquillitate animique consensione obtinere potuit publicationem Concilii Tridentini in Belgio, et aliis finitimis provinciis, ut in Hispaniarum regnis : *Ibid.*, litt. D., § 1.

Hoc mandatum regis tanta firmitate iteratum, posthabitis quibuscumque magistratuum multipliciter obtinentium contradictionibus, ita exequutus est ut omnia et singula Tridentinorum Patrum decreta sine ulla penitus limitatione promulgata fuerint : *Ibid.*, § 2,

Et in specie decretum Concilii Tridentini, irritans matrimonia quæ sine parochi ac duorum saltem testium præsentia in posterum contraherentur, in sæpedictis provinciis evulgatum fuit : *Ibid.*, § 3,

Ex sola generali promulgatione Concilii Tridentini, non satisfactum est legi indictæ a Tridentinis Patribus, qui de sanctione cap. 1. sess. 24. cit. præceperant omnibus Ordinariis, ut in singulis parochiis publicetur, et robur suum post 30 dies habeat, a die publicationis enumerandos : *Ibid.*, litt. D., § 8.

Argumentum validum pro adstruenda promulgatione dicti decreti iis in locis, ubi satis de illa non constat, erui solet ex observantia, si nimirum doceatur aliquando matrimonia cum parochi ac testium præsentia fuisse celebrata : *Ibid.*, § 9.

Post bella et seditiones Hollandiæ et ceterarum provinciarum confœderatarum, cœtus fidelium paulatim cœpit una cum Episcopis, vicariis, et missionariis apostolicis ibidem restitui, et verosimillimum est, eosdem Episcopos, vicarios, seu missionarios apostolicos catholicis illic degentibus præfatum Tridentinum decretum rite denunciasse, plurimumque ejus observantiam ursisse : *Ibid.*, § 15.

Et in facto constat de nonnullis vicariis apostolicis, Episcopis, qui rebus pacatis informando fide-

lium gregem juxta sanctiones catholicæ Romanæ Ecclesiæ sedulo incumbunt : *Ibid.*, § 16.

Quum ab heterodoxis lethale hæresis venenum late diffusum ita esset, ut circa annum 1572, tota ferme Hollandia, Zelandia, et Frisia a catholico rege, et ab avita regione miserrime defecerit : *Ibid.*, § 6.

Hinc infertur non potuisse Tridentinum Concilium, ac præsertim decretum cap. 1, sess. 24, *de Reform. matr.*, in iis regionibus promulgari : *Ibid.*

Et quamvis fuerit publicatum a primo antistite Ultraject., ac archiepiscopo Cameracensi et Mechliniensi, ac episcopo Daventriensi, tamen ob difficultates, et oppositiones dubitari potest, an acceptatum, vel executioni mandatum sit : *Ibid.*, § 7.

Mens Concilii Tridentini non alia fuit, nisi præscribere modum quo in locis catholicis solemnia redderentur matrimonia, non vero disponere de modo ea valida legitimaque reddendi illis in provinciis, vel regnis, in quibus catholica religio, aut proscripta, aut certe suppressa, omnique quoad actus publicos auctoritate exuta foret : *Ibid.*, litt. I, A. 38, discept. 1.

Margarita Parmensis, tunc gubernatrix Belgii, juxta constantem regis catholici Philippi II voluntatem in Belgio simpliciter et pure promulgari jussit : *Ibid.*, §§ 5 et 6.

Ad querimonias delatas ad dictam gubernatricem Belgii, ipsa respondit : Esse regis catholici mentem, ut quilibet sua privilegia salva haberet, nec Tridentino nisi in quantum ea ferrent, subjaceret : *Ibid., num.* 6.

Privilegia, quæ ad pacem et quietem provinciarum servandam integra et illæsa esse voluit gubernatrix, respiciunt regalia, seu jura ac privilegia regia, jura patronatus laicis concessa, et jurisdictionem laicalem : *Ibid.*

Dux Albanus, cui anno 1568 belgicarum rerum habenæ traditæ sunt, de concilii promulgatione, quam a Margarita rite peractam existimavit, nihil sollicitus, id unum etiam atque etiam curavit, ut debita eidem obedientia deferretur : *Ibid.*, § 8.

Et reclamantibus nonnullis inferioribus prælatis de severitate publicatorum concilii decretorum, quibus eorum jurisdictio non nihil minui videbatur, ut aliquantum remitteretur, respondit dux Albanus, juxta morem gerendum esse : *Ibid.*

Anno 1565, mense decembri, Maximilianus a Belgis archiepiscopus Cameracensis omnium suorum comprovincialium Episcoporum synodum coegit, in qua ut quidquid œcumenicum Concilium Tridentinum statuisset, id sacrosanctum omnibus esset, et inviolabile : *Ibid.*, num. 10.

Idem evenit in concilio provinciali Mechliniensi anno 1570 celebrato : *Ibid.*

Idem fecit archiepiscopus Ultrajectinus anno 1565 mense octobri in provinciali synodo convocata : *Ibid.*, num 11.

Imo hic alias duas habuit ; unam 22 junii 1566 alteram anno 1568 : *Ibid.*, num. 12.

Metropolitanorum exempla sequuti omnes comprovinciales, et suffraganei, idem fecerunt per suas diœceses : *Ibid* , num. 13 et 14.

Ideo vicarius apostolicus in Belgio Sebastianus de la Torre archiepiscopus Ephesinus Alexander VII, anno 1656, asseruit concilium Tridentinum fuisse his in locis et receptum, et promulgatum, ejusque decreta in praxim deducta, antequam fera pessima hæresis, omnia illuc devoratum venisset : *Ibid.*, num. 16.

Et S. Congr. S. Officii anno 1658 absolute dixit, Concilium Tridentinum ante hæresim in prædictas provincias introductam, rite, ac debite fuisse publicatum, et receptum : *Ibid.*

Atque postmodum accedit auctoritas omnium theologorum et canonistarum eidem promulgationi suffragantium : *Ibid.*, num. 18.

Sancta Synodus nulla facta parochialis templi mentione, id unum præcipit, ut in parochia scilicet promulgatio fieret, qua quidem appellatione fidelium conventus designatur : *Ibid.*, discept. 2, num. 10.

§ II.

Concilium Tridentinum quoad ejus receptionem.

Concilium Tridentinum receptum fuit in ditionibus prælatorum principumque catholicorum Germaniæ : *In Relat. secr.*, 15 *jun.* 1793, § 2.

Concio seu prædicatio.

Ex veteri disciplina evangelicæ prædicationis officium ad Episcopos pertinebat, veluti ad animarum pastores fideliumque magistros : *Feret., Jur. præsen. conc.*, 21 *aug.* 1790, § 3.

Propterea Tridentini Patres nuncuparunt prædicationem præcipuum Episcoporum munus : *Ibid.*

Eamque fieri decreverunt per se ipsos, si legitime impediti non fuerint : *Ibid.*

Sacro præsertim tempore Adventus et Quadragesimæ : *Ibid.*

Ob auctum sequioribus seculis animarum pondus, munus illud explere consueverunt per alios, quorum deputatio ad episcopalem pertinet jurisdictionem : *Ibid.*, § 4.

Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 4, *de Re-*

form., decrevit ut Episcopi moneant populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei : *Olomuc., Jur. conc.*, 14 *mart.* 1733, § 3.

Fratres Prædicatores et Minores habent privilegia concessa in concilio Viennensi et communicata PP. Augustinianis, libere clero et populo prædicare, excepta illa hora, in qua locorum Prælati prædicare, vel coram se solemniter concionem fieri voluerint : *Ibid.*

Immo Concilium Tridentinum nullam hujus generis adjecit conditionem, sed ut ii in suis ecclesiis concionari possint, dummodo a suis superioribus de vita, moribus, et scientia examinati, et approbati fuerint, et ab Episcopo benedictionem obtinuerint : *Ibid.*, § 5.

Et jura parochialia in hoc non violantur qui concionibus a parocho habendis nullum afferri impedimentum videtur, et alioquin prædicatio non ad solum parochum spectat : *Ibid.*, § 6.

Omnes qui curam animarum habent, diebus saltem dominicis et festis solemnibus concionari debent, vigore concilii Tridentini sess. 5. cap. 2, *de Reform.* : *Nul. Orbet.*, 28 *april.* 1736, § 4.

Ideo omnes supradicti adstringuntur singulis diebus dominicis, aliisque festis de præcepto, ubi nullo detinentur legitimo impedimento, post lectum Missæ evangelium, ad populum habere sermonem, quo vitia declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ei denuncient : *Ibid.*, § 5.

Conciones haberi possunt publicæ in ecclesiis societatum per totum cursum Quadragesimæ vel Adventus cum licentia Ordinarii, et absque licentia parochi : *Olomuc.* cit., § 6.

Quoad tempus, quo concio haberi debeat, in rubrica Missalis Romani enunciatur, nempe finito evangelio : *Foro-Liv.*, 21 *aug.* 1784, § 9.

Concionator.

§ I.

Concionotor quoad benedictionem et approbationem.

Nullus, aut secularis, aut regularis, prædicare potest etiam in ecclesiis suorum ordinum, Episcopo contradicente : *Thean.*, 15 *maii* 1728.

S. Pius V Pont. Max. statuit ut Fratres Ordinis S. Dominici in suis ecclesiis libere concionari possint, etiamsi in cathedrali prædicetur, dummodo non prædicet Episcopus : et hoc sibi vindicant, etiamsi Episcopus contradiceret, etiamsi se Episcopo non præsentassent, etiamsi ei non exhibuissent licentiam a suis superioribus habitam de prædicando, et etiamsi benedictionem ab eodem Episcopo non obtinuissent : *Ibid.*

Sed hæc Piana constitutio fuit a Gregorio XIII ad terminos juris communis et sacri Concilii Tridentini reducta : *Ibid.*

Gregorius XV Pont. Max. statuit non posse regulares concionari in ecclesiis quæ non sunt suorum ordinum, sine Episcopi licentia, et in ecclesiis suorum ordinum non petita prius benedictione : *Ibid.*, § 7.

Clemens X Pont. Max. hæc omnia confirmans addidit, regulares prædicare posse in ecclesiis suorum ordinum, petita, licet non obtenta benedictione, excepto casu in quo Episcopus non solum benedictionem non concedit, sed contradicit : *Ibid.*

Ideo regulares in ecclesiis sui ordinis prædicaturi benedictionem ab Episcopo exposcere tenentur, non autem impetrare, ut Synodus Tridentina inhærens præsertim Clem. X Pont. Max. constitutioni, aperte declaravit : *Firm.*, *Conc.*, 21 *jul.* 1742, § 4.

Quamvis ex Concilio Tridentino in cap. 2, sess. 5, *de Reform.*, regulares in ecclesiis sui ordinis prædicare volentes a propriis superioribus approbari, ab Episcopo vero benedictionem duntaxat petere debeant : *Firm.*, *Conc.*, 7 *april.* 1742, § 2.

Regulares conciones habituri in ecclesia proprii ordinis, nequaquam Episcopi approbatione indigent : *Ibid.*, § 6.

Id tamen minime protrahendum esse putatur ad eum casum quo regulares in ecclesiis sui ordinis prædicent pro commoditate populi, a quo stipendium solvitur : *Ibid.*

Et quando ad hoc ministerium non ex suorum superiorum jussu, atque destinatione, sed ex alterius nominatione sive delectu assumpti sunt : *Ibid.*

§ II.

Concionator quoad eleemosynam.

Liberum est concionatori regulari eleemosynarum largitionem, quam Christi fidelibus in propria ecclesia commendaverit, ab iis colligere, suoque prorsus arbitrio distribuere, quin ad ullam de ipsis rationem vicario foraneo reddendam compelli queat *Firm.*, *Conc.*, 7 *april.* 1742, § 6.

Si communitas stipendium seu eleemosynam præstare hactenus consueverit, compelli potest etiam censuris ad illam præstandam, licet oratorem non eligat : *Civit. Cast.*, *Jur. conc.*, 19 *jun.* 1751, § 2.

Onus solvendi concionatori eleemosynam, spe-

ctat ad communitatem, licet deputatio pertineat ad Episcopum : *Æsin., Jur. elig. conc.*, 16 *mart.* 1720.

§ III.

Concionator quoad nominationem et electionem.

Consuetudo, quæ favet inferioribus, nominandi concionatorem servari debet : *Feretr., Jur. pres. conc.*, 21 *aug.* 1790, § 4.

Et Tridentina Synodus eam non sustulit : *Ibid.*

Sed præsentari debet Episcopo ab illis qui jus habent nominandi, vel mense novembri, vel ante festum Nativitatis Domini, vel pluribus etiam ante Quadragesimam mensibus, pro variis diœcesium constitutionibus : *Ibid.*

Quo tempore elapso, ad Episcopum pro ea vice nominandi jus devolvitur : *Ibid.*

Concionatoris nominatio legitimo tempore expleta jus tribuit subrogandi extra terminum concionatorem alterum in locum deficientis nominati : *Ibid.*, § 6.

Hoc enim jure privari non debet sero nominans absque culpa : *Ibid.*, § 7.

In ejusque favorem æquitas potius adhibenda, quam rigor juris : *Ibid.*

Facultativæ concionatoris deputationes factæ ab Episcopo, legitimam non constituunt consuetudinem adversus habentem jus nominandi : *Ibid.*, § 8.

Prædicationis munus proprium est Episcoporum, ideoque jus et facultas deputandi sacros oratores, non ad communitates, sed ad Episcopos pertinet, nisi contraria sit consuetudo, quæ in ecclesiis inferioribus, quidquid sit in cathedralibus, licet quadragenaria sit, seryanda est : *Civit. Cast., Jurisd.*, 19 *jun.* 1751, § 1.

Prædicator si ab abbate deputetur religiosus ex suo ordine, litteræ patentes debent concipi sub verbis *eligimus, et deputamus ad ecclesiam parochialem NN. nostræ Congreg. pleno jure subjectam : Spolet., Conc.*, 13 *april.* 1737, § 2.

Si vero deputetur secularis presbyter, sive regularis alterius ordinis, literæ patentes concipiendæ sunt in hæc verba : *Nominamus*, seu *præsentamus : Ibid.*

Prædicator si a superiore regulari fuerit nominatus, debet literas superioris regularis in Episcopi cancellaria deponere : *Ibid.*

Prædicator a superiore regulari nominatus, debet ab Episcopo deputari ad concionandum : *Ibid.*

Electio concionatoris ad eum pertinet qui præmium ei solvit : *Torol.*, 21 *aug.*

Quod si alius eligat concionatorem, alius vero eleemosynam solvat, ab hac consuetudine non est recedendum, nec is qui præmium solvit assumere sibi potest jus nominationis : *Ibid.*

Consuetudo servanda est, ut in ecclesiis regularium deputentur concionatores etiam alterius ordinis : *Ibid.*

Verum si concionatores ejusdem ordinis haberi possunt, ceteris paribus sunt præferendi : *Ibid.*

Jus eligendi concionatores etiam in cathedrali præscribi potest, salva tamen facultate Episcopi concionandi per seipsum, vel eligendi concionatorem, quatenus ei præstat eleemosynam : *Præn., Jur. con.*, 23 *april.* 1763, § 7.

Parique ratione præscribi potest jus passivæ electionis ; etiam alternis vicibus a religiosis in loco existentibus : *Ibid.*

Ad hanc præscriptionem inducendam requiritur ultra tempus etiam contradictio cum acquiescentia : *Ibid.*, § 8.

Deputatio concionatoris in ecclesia parochiali, non pertinet ad parochum, sed ad Episcopum : *Æsina, Jur. elig. conc.*, 16 *mart.* 1720.

Jus eligendi concionatores præscribi potest per quadragenariam consuetudinem : *Civit. Cast.*, 17 *dec.* 1763, § 8.

In cathedrali vero non sufficit etiam immemorabilis : *Ibid.*, § 9.

Concordia. Vide *Transactio.*

Concubina.

In antiquo jure canonico legitur, quod christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum sit uxores, nisi unam tantum, aut uxorem, aut loco uxoris, si conjux deest, concubinam : *in Adn. secr.*, 9 *sept.* 1724, § 22.

Et legitur etiam, quod is, qui non habet uxorem, sed pro uxore concubinam tenet, a communione non repellatur, sed unius mulieris, aut uxoris, vel concubinæ, conjunctione sit contentus : *Ibid.*

Hinc Ferdinandus Mendozza ad lib. 2. *Comment. in Concil. Eliberit.* putat jus illud intelligendum esse de concubinis, quæ erant illicite conjunctæ cum viris, qui tamen erant soluti ; licet enim taliter conjuncti viverent in statu damnationis, ea nihilominus macula adeo communis erat, ut ad vitandum populi offensiones, et plurima gravissima mala, visum fuerit non negare eis communionem : *Ibid.*

Alii vero communiter existimant, quod nomine concubinæ legitima uxor intelligatur, sed copulata cum minori solemnitate ; dum conjuges facit con-

sensus, et concubinam lex nominet: *Ibid*, § 23.

Concursus.

§ I.

Concursus ad beneficia et parochias in genere.

Concursus præmittendus est in provisione parochiarum liberæ collationis : *Venus.*, 25 *junii* 1763, § 5.

Si tamen sint inopes ecclesiæ parochiales, possunt conferri absque concursu : *Ibid*, § 8.

Concursus dum celebratur, absolute non est dignior judicandus qui præstat ætate et antiquioritate sacerdotii : *Portuen.*, *Par.*, 25 *jun.* 1763, § 3.

Sed dignioritas inquirenda est relative ad ecclesiam, de cujus provisione agitur, et inspectis dotibus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis : *Ibid.*

Et prærogativa originis juncta cum simplici etiam idoneitate, superat quascumque exterorum fulgentes prærogativas : *Ibid.*, § 4.

Potissimum accedente populi acclamatione, quia in seligendis pastoribus ii semper sunt præferendi, qui populi affectione potiuntur : *Ibid.*

Affectio tamen Ordinarii tollit præsumptionem illius judicio faventem : *Ibid.*

Ad concursum parochiarum vacantium non solum diœcesani, sed etiam exteri invitandi sunt, nisi adsit aliquod speciale privilegium ad certum et circumscriptum personarum genus electionem coercens : *Benev.*, 22 *maii* 1784, § 17.

Parochi omnes, qui ad alterius nominationem cum simili examine non instituuntur, sive unicam, sive distinctas regant parœcias, ad concursum admitti debent. *Sutr.*, *Miss. pro pop.*, 16 *jul.* 1791, § 1.

Cancellarius formare debet epitome ex juribus exhibitis in actis concursus, tempore habili : *Firm.*, *Par.*, 21 *aug.* 1762, § 1.

Et illi ratione suarum prærogativarum, et defectuum alterius, ac ratione majoris suffragiorum numeri obtenti in concursu, uti digniori, adjudicanda est parochialis ecclesia : *Ibid.*, § 3.

Sed documenta exhibita extra processum concursus, attendenda non sunt pro retractando judicio ordinarii : *Ibid.*, § 4.

§ II.

Concursus ad beneficia, et parochias quoad acta.

Concursus acta unice inspicienda sunt ad cognoscendum, an examinatores etiam de moribus, et prudentia retulerint: *Ascul.*, *Par.*, 15 *dec.* 1764, § 5.

Concursus acta Episcopus ad Datariam apostolicam transmittit nulla exposita animi sui sententia, quando agitur de reservatione ob vacationem in curia, non autem ratione mensium : *Caput.*, *Par.*, 30 *jul.* 1763, § 2.

Rejectio a concursu alicujus contrariatur formæ traditæ a Concilio Tridentino sess. 24, cap. 18, *de Reform.* : *Ibid.*, § 5.

Quia debent per publicum edictum vocari qui volunt examinari : *Ibid.*

Jus quæsitum unico in concursu approbato, tolli nequit : *Ibid.*, § 6.

§ III.

Concursus ad beneficia et parochias quoad appellationem seu provocationem.

Rejecto in concursu, conceditur appellatio, et provocatio ad novum examen coram judice appellationis : *Isclana.*, *Par.*, 1 *april.* 1719, § 5.

Qui attentat Episcopum de irrationabilitate redarguere, tenetur de ea concludenter docere, et de gravamine, si admitti suam exceptionem prætendit: *Cass.*, *Con.*, 16 *dec.* 1719, § 7.

Secus autem se habet, si intrat pro novo examine ad vindicandam propriam æstimationem, et idoneitatem quæ a reprobatione fuisset causata ; hoc enim in casu, nulla probatio gravaminis reputatur necessaria : *Ibid.*

S. Pius V Pont. Max. in sua Const. 33, *Bull.* tom. 2, ad hoc ut non solum dignis sed magis idoneis parochiales ecclesiæ conferantur, decrevit ut, si episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii qui fuissent rejecti a mala hujusmodi electione ad metropolitanum, vel ad Sedem Apostolicam appellare : *in Disc. secr.*, 1 *oct.* 1720, § 2.

Appellans autem a mala electione examinatorum vel irrationabili judicio Episcopi potest electum provocare ad novum examen absque eo quod de irrationabili judicio ullum afferre teneatur documentum ullamve probationem : *Ibid.*, § 4.

Nulla requiritur probatio gravaminis ad novum examen, sed hoc absolute et simpliciter indulgetur, statim ac quis appellat in provisione parochiali : *Ibid.*, § 5.

Et hoc extendi etiam debet in casu quo intra legitima tempora non fuisset appellatio interposita ab irrationabili Episcopi judicio vel a mala relatione examinatorum : *Ibid.*

Permissum est appellanti electum provocare ad novum examen; etiamsi appellans fuerit quoad scientiam approbatus in æquali gradu cum illo, cui parochia fuit collata ex ratione, quod appellans possit contendere, vel se debuisse qualificari tanquam magis doctum, vel alium non debuisse qualificari tanquam idoneum : *Ibid.*, § 6.

Novum examen electus effugere nullo alio modo potest, nisi ostendendo, quod appellans et provocans ad novum examen, sit de aliquo crimine diffamatus : *Ibid.*, § 7.

Quamvis de jure sit ut examen ad quod electus provocat, fieri debeat intra breve tempus, ne lapsu longi temporis reprobatus evadat doctior, intervallum tamen unius anni, et aliquando viginti mensium, a primo ad secundum examen, si disputetur, utrum novo examini sit locus ? passim admittitur : *Ibid.*, § 8.

Provocatio ad novum examen absque ulla gravaminis probatione ideo fuit admissa, ut quum concurrentes non responderent in scriptis, non posset ex actis primi concursus gravamen desumi deficientibus interrogationibus et responsionibus ; et sic non alius modus supererat inquirendi num ille qui fuerat in primo examine reprobatus, rite et recte fuisset reprobatus, nisi novum examen decernendo : *Ibid.*, § 10.

S. C. appellationem et provocationem ad novum examen absque ulla prævia gravaminis probatione admisit, de fumo tamen gravaminis, seu irrationabilitatis judicii Episcopi, voluit aliquando gustare ante appellationis admissionem : *Ibid.*, § ult.

Et sic post expositum casum appellationis interpositæ ex præponderantia qualitatum, et ex nimia erga approbatum examinatorum familiaritate, et benevolentia per testimonia extrajudicialia comprobata, novum in Urbe examen est instituendum : *Ibid.*

Rationes concurrentium reprobatorum temeritati proximæ sunt, nisi evidenter probetur concurrentem fuisse reprobandum : *Perus.*, *Prior.*, 30 *mart.* 1776, § 3.

Præsertim urgente benigna præsumptione, quam concurrens pro se habet, ipsum fuisse dignum assequendi ecclesiam : *Ibid.*

Notum est S. Pium V Pont. Max. in cit. const. 33, tom. 2, decrevisse ut parochiales ecclesiæ conferri debeant non solum dignis, sed magis idoneis : *Ibid.*, § 6.

Posthabitis magis idoneis, possunt ii qui fuissent rejecti a mala hujusmodi electione ad metropolitanum, vel ad Sedem apostolicam appellare, et præelectum ad novum examen coram ipso appellationis judice ejusque examinatoribus provocare : *Ibidem.*

Examinatores possunt errare in forma, et in substantia relationis : *Ibid.*, § 7.

Forma præscripta est a Concilio Tridentino sess. 24, cap. 18, *de Reform.*, ubi præcipit meritorum judicium exprimendum in relatione facienda : *Ibid.*

Cui dispositioni adhæsit const. *Cum illud.* Bened. XIV Pont. Max., ubi mandavit, ut examinatores in ipso scrutinio perpendant scientiam simul et merita concurrentium : *Ibid.*

Judicium Episcopi, ut de irrationabilitate redarguatur, requiritur evidens et inexcusabilis excessus ; ea adstipulante ratione, quia nemo est cui mores concurrentium innotescere magis possint quam Ordinario : *Ibid.*, § 9.

Solius Episcopi judicio reservatum est a sacro Concilio Tridentino sess. cit. 24, cap. 18, *de Ref.*, eligere digniorem : *Ibid.*, § 10.

Et in dubio, censetur Episcopus prælegisse quem digniorem in Domino judicavit : *Ibid.*

Sat enim est, quod omnes ab examinatoribus approbati sint, ex quibus jure potuerit Episcopus aliquem seligere, quem tanquam approbatum digniorem putavit, licet quoad meritorum prærogativam secundo loco decoratus fuisset : *Ibid.*

Ad arcendam in concursu omnis fraudis, vel doli suspicionem S. Pius V Pont. Max. in const. *In conferendis* statuit, ut provocare possit quis, et appellare ad novum examen, ac quando constat de irrationabili judicio Episcopi, magis idonea ecclesia parochialis conferri debet : *Feretr.*, *Par.*, 8 *febr.* 1783, § 10.

Et appellatio non in suspensivo, sed tantum in devolutivo admittenda est : *Ibid.*

Insuper a Clemente XI præscriptum fuit, ut appellationem nonnisi infra decem dies a mala examinatorum et ab irrationabili judicio Episcopi interponere liceat, usque dum acta concursus transmittantur ad judicem appellationis : *Ibid.*, § 11.

Postmodum accessit const. *Cum illud* Benedicti XIV, Pont. Max., qui voluit ut judex appellationis inniti debeat tantum probationibus ab actis tam doctrinæ quam meritorum : *Ibid.*, § 12.

Atque ad effectum decidendi de irrationabili judicio episcopi, cur unum potius quam alterum prælegerit, necesse est ut tanta meritorum inæqualitas deprehendatur, quæ manifestum excessum inducat : *Ibid.*, § 14.

Quum concursus peractus justus præsumatur, appellans ab irrationabili examinatorum judicio, concludenter probare debet majorem suam doctrinam, et dignitatem : *Ripan.*, 19 *jan.* 1788, § 4.

Constat de irrationabili Episcopi judicio, dum sacerdotem aliis prætulit, qui et morum gravitate, et doctrina ipsum antecellunt, cum de cetero in obeundo parochiali munere senior magis idoneus

censetur : *Assis.*, *Par.*, 27 *nov.* 1773, § 7.

Sed si nihil prætermissum sit ex iis, quæ Ecclesiæ leges præscribunt, minime licet ab eo, quod recte gestum fuit, reclamare : *Ibid.*, § 8.

Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 18, *de Reform.*, in devolutum admittendam esse decrevit appellationem a judicio Episcopi : *Ibid.*, § 9.

S. Pius V Pont. Max. potestatem fecit impugnandi in devolutivo electionem parochi ab Episcopo factam : *Ibid.*

Sed electio Episcopi suffulta est juris præsumptione, dum magis dignum, et probitate, et scientia præelegisse censetur : *Ibid.*

Hinc liberum non est Episcopi judicium de injustitia redarguere, nisi concludentissime afferantur probationes, ex quibus resultet, unum potius, quam alium, dolo ac fraude fuisse præelectum : *Ibid.*

Licet Episcopo unum ex adprobatis in concursu præeligere, quem ad Ecclesiæ regimen et ad animarum curam exercendam magis aptum existimaverit, posthabitis aliis qui majoribus polleant requisitis : *Ibid.*

Atque merito fuit electus ille qui nonnullis requisitis alios superexcessit : *Ibid.*, § 9.

Et sicuti peculiares quædam qualitates reddere valent electum magis idoneum ad curam animarum, ita intrinseca vel extrinseca earumdem qualitatum notitia movere potuit Episcopum ad illum tanquam magis idoneum eligendum : *Ibid.*

Despicienda ea omnia quæ contra electi probitatem, et mores deducuntur; cum adductæ in id depositiones per invidiam, et fraudem fuerint post concursum inquisitæ : *Ibid.*, § 10.

Quum quandoque posset falli aut fallere Episcopi et examinatorum judicium in concursu pro parochia vacante indicto, tunc licitum est appellare a mala relatione examinatorum, ac ab irrationabili judicio Episcopi : *Ibid.*, § 14.

Sed appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo admitti debet : *Ibid.*

Ac non nisi infra decem dies a dicta mala electione, et prædicto judicio episcopi licet appellare : *Ibid.*

Judex vero appellationis in ferenda sententia inniti debet solummodo probationibus ab actis elicitis tam respectu doctrinæ quam aliorum meritorum : *Ibid.*

Testimonia, fides tam judiciales, quam extrajudiciales, et documenta quæcumque studiose conquisita, et post concursum, ut aiunt *expiscata*, nullo modo sunt recipienda : *Ibid.*, § 16.

Illeque tantum ad curam animarum existimatur admittendus esse qui majori doctrina, ac scientia pollet : *Ibid.*, § 17.

Judicium Episcopi unum potius quam alterum præeligentis, irrationabile dijudicari non potest, nisi tanta meritorum inæqualitas deprehendatur, quæ manifestum, et inexcusabilem excessum suadeat : *Ibid.*, § 18.

Relatio examinatorum injusta non redditur a concurrentia requisitorum reprobati, quia ille potuit aliis carere qualitatibus ad curam animarum requisitis a Tridentino Concilio, et const. Bened. XIV Pont. Max. *Cum illud : Rheg.*, *Par.*, 29 *aug.* 1761, § 7.

Et ad illas qualitates respexisse examinatores in concursu, censentur : *Ibid.*

In dubio, standum est judicio Ordinarii, qui præsumitur informatus de vita, moribus aliisque concurrentium qualitatibus : *Ibid.*

Potest impune sperni appellatio uti frivola et ad effectum suspensivum prohibita a sacro Concilio Tridentino : *Ibid.*

Et locus non est novo examini, vel quia sibi quæsitum est jus, vel quia prohibetur in litteris encyclicis jussu Clementis XI datis a S. Congr. Concilii : *Ibid.*

Appellatio in devolutivo, tam a relatione examinatorum, quam ab irrationabili judicio Episcopi admittitur : *Iscl.*, *Par.*, 23 *jul.* 1718, § 4.

Absque eo, quod de gravamine per Episcopum illato, docendum sit, ante novum examen coram judice appellationis faciendum : *Ibid.*, § 5.

Et absque eo, quod in novo examine instituenda sit quæstio de majori probitate, et experientia, de quibus præter doctrinam, habenda est ratio in collatione parochiarum : *Ibid.*

Contestata denunciatio cum appellatione adversus nullitatem concursus emissa, ante examen non valet : *Ascul.*, *Par.*, 24 *nov.* 1781, § 8.

Sed absoluto concursu appellari tantum potest vel a mala relatione examinatorum, vel a irrationabili judicio Episcopi : *Ibid.*

Quatenus vero concursus nullus fuerit, non datur appellatio, sed parochialis ecclesiæ jure devoluto impetratio : *Ibid.*

In encyclicis litteris S. Congr. Concilii exhortatione tantum, consilio, et suasione, fuerunt proposita, quæ in explendo concursu servari debeant, non autem decreta fuit nullitas concursus aliter facti, sed solum provocatio ad novum examen nulla gravaminis prævia probatione indulta : *Aler.*, *Can. pœnit.*, 19 *april.* 1777, § 6.

§ IV.

Concursus ad beneficia et parochias quoad concurrentes.

Concurrentium descriptio, et nominatio ad Epi-

scopum spectat, vel etiam ad alios qui jus patronatus habent : *Ascul.*, *Par.*, 24 *nov.* 1781, § 6.

Concurrentium in albo descriptus aliquis ex comparentibus in concursu parochiali, sed postea ad examen non admissus, reddit prædictum concursum irritum : *Ibid.*, § 5.

Quum quis vitio simoniæ est irretitus, aliisque defectibus, vel saltem uti de illis diffamatus, sufficit pro repellendo concurrente a beneficii consecutione, licet non sufficeret ad irrogandam pœnam privationis : *Lanc.*, *Archip.*, 19 *sept.* 1761, § 7.

§ V.

Concursus ad beneficia et parochias quoad convocationem.

Licet in const. *In conferendis* S. Pii V Pont. Max. terminus intra quem concursus ad parochiales ecclesias haberi debet, viginti dies nequeat excedere ita ut iis elapsis, et concursu non habito, earumdem parochialium ecclesiarum collatio ad apostolicam Sedem devolvatur : *Cap.*, *Conc.*, 21 *nov.* 1739, § 4.

Attamen Episcopus, aliquo interjecto impedimento, aut justa accedente causa, ob quam viginti dierum spatio nequiverit convocari concursus, potest terminum ultra viginti dies prorogare, deindeque cessante impedimento, intra illum sic prorogatum, ad concursus convocationem procedere : *Ibid.*

Concursus non debet haberi coram examinatoribus suspectis, nec cogendi sunt presbyteri concurrentes sistere se coram examinatoribus quos juste pro suspectis allegaverint : *Ibid.*, § 5.

Quum tres ex sacerdotibus in actis concursus descriptis nondum elapso termino viginti dierum in ægritudinem inciderint, ideo omnis postulat æquitas, ut examen ad ipsorum instantiam, prorogato priori termino differatur : *Ibid.*

Concursus indicendus est ab Episcopo in collatione theologalis et pœnitentiariæ præbendæ instar parochialium, et reservanda est ei electio dignioris, uti pars integralis concursus : *Pinn.*, *Conc. theol.*, 28 *febr.* 1761, § 2.

Et hoc procedit, quamvis capitulo competeret jus eligendi, et etiam conferendi reliquas præbendas, et confirmatio, seu institutio ad Episcopum pertineret : *Ibid.*, § 3.

Ac ad summum competere potest capitulo jus honorificum præsentandi electum ab Episcopo : *Ibid.*

Et collatio reservatur iis ad quos spectabat ante Concilium : *Ibid.*

Concursus institui tantum potest ab eo qui jus convocandi synodum obtinet ; ita ex potestate sibi facta indicendi concursum, tributa quoque censetur facultas congregandi synodum : *Null. seu Mess.*, *Jus. conv. syn.*, 14 *jun.* 1738, § 11.

Hac de causa concursum ad parochias nequit indicere prælatus vere *Nullius*, nisi ex privilegio habeat jus convocandi synodum et in ea elegerit examinatores synodales : *Ibid.*, § 10.

Nam demandavit Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 18, *de Reform.*, ut vacante parochiali ecclesia concursus indicatur, in quo de singulorum concurrentium meritis, et doctrina diligens fiat inquisitio, et opportunum habeatur experimentum : *Feretr.*, *Par.*, 8 *febr.* 1788, § 9.

Quum nulla fuerit provisio parochialis ob falsam narrationem supplicationis, locus est convocationi novi concursus in urbe ubi pendet appellatio : *Lanc.*, *Archipr.*, 19 *sept.* 1761, § 10.

Concursus indicendus est prævia affixione distinctorum pro una quaque ecclesia vacante : *Trid.*, 6 *maii* 1775, § 6.

Absolvi debet unico concurrentium examine : *Ibid.*

Concursus ad parochiales ecclesias indicendus est coram Ordinario loci in quo existit beneficium : *Lanc.*, *Archip.*, 19 *sept.* 1761, § 7.

§ VI.

Concursus ad beneficia et parochias quoad formam servandam.

Forma peragendi concursus descripta et statuta est in synodo Tridentina sess. 24, cap. 18, *de Reform.* : *Tusc.*, *Conc.*, 16 *mart.* 1771, § 8 ; et *Trid.*, 6 *maii* 1775, § 5.

Benedictus XIV Pont. Max. in const. *Cum illud*, 14 decemb. 1742, mandavit observari quidquid de forma concursus, de præelectione, ac de appellationibus, a sacris Canonibus, et a Concilio Tridentino, atque a Sacra Congregatione resolutum fuerat, collegitque : *Verul.*, *Archid.*, 16 *sept.* 1769, § 9.

Ex actibus concursus comprehenditur, an fuerit in omnibus præmissa formæ præscripta, et praxis Urbis, quam omnibus ecclesiasticis curiis Benedictus XIV tanquam exemplar proposuit : *Verul.*, *Arch.*, 20 *jan.* 1770, § 3.

Formam autem præscriptam in citato capite Concilii Tridentini confirmavit declaravitque S. Pius V Pont. Max. const. *In conferendis* : *Trid.*, *cit. loc.*

Pressior forma concursus præscripta est in litteris encyclicis S. Congr. Concilii a Clemente XI confirmatis, et datis ad Episcopos die 10 januar. 1721 : *Ibid.*

Quæ fuit reassumpta et confirmata a Bened. XIV const. *Cum illud.*

Concursus indicendus prævia affixione edictorum distinctorum pro unaquaque ecclesia vacante, absolvi debet unico concurrentium examine : *Ibid.*, § 6.

In plurium parochiarum vacatione, urgentibus rationibus ab Episcopo propositis, præsertim causa evitandi sumptus ac incommoda candidatorum, denique ingentis numeri eorumdem, justa est causa, ut aliquid relaxetur de praxi reiterandi concursus, et examina quæ ad meram formalitatem pertinent : *Ibid.*, § 10.

Dummodo idem effectus sequatur excludendi a regimine animarum minus idoneos, atque admittendi tantummodo idoneos probatosque : *Ibid.*

Concursus in parochialibus differt a concursu in theologalibus, quia in primo requiritur ut fiat coram episcopo, vel ejus vicario generali, et coram examinatoribus synodalibus non paucioribus, quam tribus absque interventu alterius examinatoris non synodalis sub pœna nullitatis : *Caser.*, *Conc.*, 17 *dec.* 1729, § 9.

Et ideo examinatores jurare oportet de muuere suo fideliter exercendo, postposita quacumque humana affectione : *Ibid.*

Sed necesse non est, ut hoc juramentum præstetur in quolibet examine, sed satis est juramentum generale publice præstitum in synodo ubi fuerunt electi : *Ibid.*

Quoties forma ad actus validitatem per ecclesiasticas leges præscripta servari nequit, actum minime vitiat ejus omissio, sed sufficit implementum præstari ex ea saltem parte cujus servandæ potestas sit, ut in specie concursus firmant doctores : *Ibid.*

Concursus ad parochiales ecclesias fieri debet coram examinatoribus synodalibus : *Nul. seu Mess.*, *Jur. con. syn.*, 14 *jun.* 1738, § 10.

§ VII.

Concursus ad beneficia et parochias quoad judicium Episcopi.

In puncto probandi gravamen ab irrationabili judicio Episcopi, non proceditur amplius cum antiqua opinione, qua datum erat jus appellanti provocandi electum ad novum examen, absque eo quod de irrationabilitate ullum afferret documentum, vel probationem ; sed oportet, ut de gravamine doceat ex actis primi concursus : *Caser.*, *Conc.*, 17 *dec.* 1729, § ult.

Constat de irrationabili judicio Episcopi, si aliquis pluribus personalibus meritis ornatus posthabeatur, ita ut tanquam dignior præferri omnino debuisset : *Saler. seu Cap.*, *Par.*, 9 *febr.* 1760, § 4.

In pari meritorum prærogativa, irrationabile dicendum non est judicium Episcopi in alterutrius præelectione, cum in dubio censeatur Episcopus præelegisse eum quem in Domino digniorem judicavit : *Iscl.*, *Par.*, 25 *jul.* 1762, § 4.

In concursu ex judicio vicarii, vel Ordinarii oritur dignioritatis præsumptio, quæ minime subvertitur extrinsecis prærogativis oppositoris : *Firm.*, *Par.*, 4 *jun.* 1763, § 3.

Non potest Episcopus habere rationem illius qui ab examinatoribus fuit reprobatus : *Pian.*, *Theol.*, 23 *aug.* 1760, § 7.

Occasione concursus ad parochiam, vicarius sicut Episcopus potest eligere digniorem : *Firm.*, *Par.*, 22 *jan.* 1763, § 2.

Ad probandum autem gravamen in gradu appellationis, attenduntur solum acta concursus : *Ibid.*

Et ad retractandum judicium Ordinarii, requiritur manifestus et inexcusabilis excessus : *Ibid.*, § 4.

Concursus quoad parochiales ecclesias ita præscribitur a Tridentino Concilio, ut, si jurispatronatus ecclesiastici sint, ad patronum spectet eligere digniorem ex approbatis ab examinatoribus, quando institutio datur ab Episcopo : et Episcopus præelectionem habet solum, quando institutio danda est ab alio collatore, cui patronus præsentare debet electum ab Episcopo : *Pin.*, *Can. theol.*, 25 *april.* 1761, § 2.

Episcopi judicium nunquam de jure irrationabile dici potest, si unum ex approbatis in concursu eligat, neque idcirco ab eo est recedendum : *Meles.*, *Par.*, 14 *april.* 1764, § 8.

Episcopi judicium in prælatione parochiali ut irrationabile dicatur, oportet probare intervenisse evidentem et inexcusabilem excessum : *Perus.*, *Par.*, 28 *jul.* 1781, § 4.

Maxime cum secundum juris regulam, quælibet interpretatio, est Episcopo favorabilis : *Ibid.*

Ratio est quia nemini innotescunt mores concurrentium magis quam Ordinario : *Ibid.*

Ideoque ipsi reservatum est digniorem præeligere et magis idoneum : *Ibid.*, § 5.

Imo in dubio censetur præelegisse, quem digniorem, et magis idoneum in Domino judicavit ; *Ibid.*

Ut quis dicatur dignior, sat est ne reprobetur ab examinatoribus : *Ibid.*

Merita si simul cum scientia concurrant, semper dignus præsumitur, qui iis præditus est : *Sutr.*, *Præb. theol.*, 15 *jul.* 1780, § 3.

Maxime, si factum sit experimentum, dummodo ab examinatoribus non fuerit rejectus : *Ibid.*

Quando ambo sunt approbati, potest Episcopus eligere eum quem digniorem putavit, licet minori suffragiorum numero decoratum : *Firm.*, *Par.*, 24 *jul.* 1762, § 6.

Et præferri meretur ille qui senior ætate, et antiquior in ordine præsbyterali, et in munere confessarii : *Ibid.*, § 7.

Et ut judicium Ordinarii irrationabile dici possit, requiritur manifestus et inexcusabilis excessus : *Ibid.*

Neque ad hunc effectum requiritur extrinseca præponderantia meritorum, quia præsumitur Episcopus respexisse ad reliquas animi dotes præelecti : *Ibid.*

Prærogativæ concurrentium nullius sunt ponderis, quum spectet ad Episcopum eligere digniorem : *Port.*, *Par.*, 25 *jun.* 1763, § 5.

Et licet res dubia sit, non est retractandum judicium Episcopi, cum non constet de tanta meritorum et prærogativarum inæqualitate, ut appareat ille manifestus et inexcusabilis excessus : *Ibid.*

In concursu ad vacantem parochiam, peracto examine renunciari debent per examinatores, idonei ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque præditi virtutibus juxta S. Concilium Tridentinum : *Pisaur.*, *Par.*, 21 *jul.* 1792, § 3.

Atque ex his eligere valet Episcopus, quem ceteris magis idoneum judicaverit : *Ibid.*

Non tenetur tamen eligere doctiorem : *Ibid.*

Licet ille per majora etiam suffragia approbatus fuisset : *Ibid.*, § 5.

Juris præsumptionem habet pro se Episcopi judicium, nisi evidenter irrationabile probetur : *Ibid.*

Irrationabile autem dici nequit illius judicium, quod elegerit juniorem, maxime si acceptus sit populo ; alter vero licet senior invisus sit : *Ibid.*, § 4.

Tunc enim prior illius curæ aptior est ; secundus autem nedum a consequenda arceri parochia, sed ab illa etiam jam obtenta dimittendus esset : *Ibid.*

Dummodo tamen justa probetur aversionis causa : *Ibid.*, § 7.

Præsertim si posterior alias dimiserit parochias : *Ibid.*

Jure tamen eligi debet dignior : *Ibid.*, § 6.

Et qui ætate aliis præstat : *Ibid.*

Major namque ætas, majoris etiam prudentiæ et gravitatis est argumentum : *Ibid.*

Plurimi etiam facienda est experientia in aliis administratis parochiis : *Ibid.*

Sicuti antiquior ad sacerdotium promotio : *Ibid.*

In paritate suffragiorum illi adjudicanda est parochia qui amplioribus pollet requisitis : *Ibid.*, § 8.

Suspectum judicatur judicium Episcopi in favorem illius qui actuale præstat servitium in ejus seminario : *Rip.*, 19 *jan.* 1788, § 3.

§ VIII.

Concursus ad beneficia et parochias quoad prælationem.

Illi, qui tanquam dignior præferri debet in concursu, obesse nequit diffamatio contra ipsum opposita in actis concursus, de qua ratio habenda non est : *Saler. seu Caput.*, *Par.*, 9 *febr.* 1760, § 4.

Nec sententia curiæ episcopalis, qua rejecta fuit præsentatio ad quoddam beneficium facta in personam illius utpote simoniaca labe fœdata : *Ibid.*

Consentaneum est sacris Canonibus, ut non ille ad animarum curæ onus obeundum assumendus sit, qui majoris duntaxat scientiæ specimen in examine dederit, sed qui, licet scientia inferior, alios exemplo, prudentia, morumque honestate præcellere dignoscitur : *Salut.*, *Par.*, 28 *febr.* 1739, § 4 ; et *Reat.*, *Par.*, 3 *sept.* 1740, § 4.

E contra arceri debet quisquis vel nil spiritualis utilitatis, vel potius offensionem suo populo sit allaturus : *Ibid.*

Ex actibus concursus constare debet concurrentem esse antiquiorem ætate, et sacerdotio, et magis peritum pro cura exercenda, et aliis muneribus : *Port.*, *Par.*, 25 *jun.* 1763, § 5.

Et oriundus loci, extero præferendus est ceteris paribus, non autem si præcellant in extero meritorum prærogativæ : *Ibid.*

§ IX.

Concursus ad beneficia et parochias quoad terminum statutum.

Non est instituendus concursus, nisi elapso decem dierum termino in edicto præfixo : *Mazzer.*, *Conc.*, 1 *aug.* 1739, § 3.

Prorogatio concursus ad parochias ultra 20 dies, ruit quoad excessum, et post 20 dies comparentes, non amplius dicuntur legitimi oppositores : *Lanc.*, *Arch.*, 19 *sept.* 1761, § 4.

Comparens post elapsum terminum, etiamsi res sit integra, admittendus non est, nisi doceat se fuisse legitime impeditum : *Ibid.*, § 5.

Nec munus concionatoris est legitimum impedimentum, quando non constat eum prædicasse de licentia Ordinarii : *Ibid.*

Potest Episcopus si nemo comparuerit idoneus, idoneum ad parochialem ecclesiam eligere extra concursum, prævio examine : *Ibid.*, § 7.

Cum res est integra, et concurrens legitime impeditus fuerit tempore opportuno ad comparendum, non potest a concursu repelli : *Ibid.*, § 8.

Quemadmodum oportet expectare tempus opportunum ad obtinendam collationem, deputato interim œconomo; ita etiam supersedendum est a concursu, et examine concurrentium, donec possit impetrari facultas ad rite obeundum concursum : *Visen., Par.*, 9 *aug.* 1732, § 7.

Alterum edictum nemine intra terminum prioris comparente affigi debet, quo denuo oppositores ad concursum evocentur : *Null. seu Mont. Cas., Conc.*, 26 *mart.* 1735, § 5.

In concursu videndum est, num extra præfinitum terminum documenta meritorum dicenda sint producta : *Saler. seu Caput., Par.*, 9 *febr.* 1760, § 2.

In concursu, deficiente legitimo impedimento, admitti nequeunt serotinæ probationes, quanquam res esset integra : *Ibid.*

§ X.

Concursus quoad beneficia et parochias quoad validitatem et nullitatem.

Parochialis concursus tunc dicitur irritus, et contra formam œcumenici concilii, quando aliquis ex concurrentibus descriptus fuerit in albo concurrentium, et postea ad examen non admissus : *Ascul., Par.*, 24 *nov.* 1781, § 5.

Validus e contra redditur, si neque descriptus, neque admissus fuerit : *Ibid.*, § 6.

Non valet contestata denunciatio cum appellatione adversus nullitatem concursus ante examen : *Ibid.*, § 8.

De concursus nullitate judicandum est, quando ab examinatoribus nullum verbum factum est de aliis requisitis ad constituendum idoneum rectorem, excepta doctrina : *Polic., Par.*, 28 *aug.* 1745, § 3.

Stante qua nullitate, locus fit devolutioni : *Ibid.*

Nec officit validitati concursus numerum examinatorum completum fuisse a vicario generali in synodo electo : *Ibid.*, § 4.

Et ratio est, quia vicarius generalis pro tempore, præsumitur persona idonea scientiæ, bonorumque morum, quæ in examinatoribus sunt necessaria : *Ibid.*

Præsertim si accedit consuetudo et praxis curiæ, quæ jus facit, etiamsi communis error sit : *Ibid.*

Quæ omnia, si nullitas adsit concursus, locum faciunt sanationi : *Ibid.*

Ad validitatem concursus, in antecessum debent produci a singulis concurrentibus scientiæ, dignitatisque testimonia, autographa requisita : *Rip.*, 19 *jan.* 1788, § 2.

Quod non procedit, si ad differentiam aliorum concurrentium expressa non sit in actis concursus necessaria alicujus jurium exhibitio, quod absque nullitatis labe fieri non potest : *Ibid.*

Item si tres tantum non quatuor fuerint examinatores, contra formam const. Bened. XIII, quæ incipit *Pastoralis officii*; si non constet in sacra eos theologia licentiatos fuisse, ut ipsa constitutio præscribit : *Ibid.*

Et in approbatione non tantum de concurrentium doctrina, sed habenda quoque est ratio *de prudentia, aliisque rebus* (ad munus exercendum) *opportunis*, ut statuit Concil. Tridentinum : *Ibid.*, § 3.

Legitimus ac validus præsumitur concursus : *Ibid.*, § 4.

Fieri non potest concursus per tres extra synodales examinatores : *Ripan.*, 21 *jun.* 1788.

Item, si omissum fuit juramentum in encyclica S. Congr. Concilii præscriptum, quod de forma pariter est subtantiali : *Ibid.*

Quum examinatores retulerint circa doctrinam, ac de ceteris qualitatibus concurrentium implicite, relicto, duntaxat reverentiæ causa, judicio prudentiæ Episcopi, ob id nullus dici non potest concursus : *Larin., Conc.*, 2 *sept.* 1758, § 2.

Nullus dicitur concursus ob non servatam formam præscriptam a S. Congr. Concilii in ejusdem encyclicis, et a Clem. XI ac Bened. XIV Pont. Max., et si desint subscriptiones cancellarii, examinatorum ac Episcopi : *Ibid.*, § 3.

Et quando de scientia tantum renunciarunt examinatores, de ceteris vero qualitatibus nulla ab ipsis ratio habita fuit : *Ibid.*

Quo casu novo concursui locus est, et habendus in Urbe : *Ibid.*, § 8.

In encyclicis litteris S. Congr. Concilii vero exhortatione tantum, consilio et suasione fuerunt proposita, quæ in expellendo concursu servari deberent, non tamen decreta fuit nullitas concursus aliter facti, sed solum provocatio ad novum examen, nulla gravaminis prævia probatione indulta : *Aler., Can. pœnit.*, 19 *april.* 1777, § 6.

Si examinatores legitimi non fuerint, licet unus eorum tantummodo non sit, concursus funditus corruit et parochia ad S. Sedem devoluta dicitur : *Melev., Par.*, 14 *april.* 1764, § 12.

Nullus est concursus si examinatores synodales adhibiti non fuerint : *Ibid.*, § 2.

Concursus sustinetur, etiamsi unus tantum compareat, cui debetur ecclesia parochialis, si ab examinatoribus fuerit approbatus : *Caput., Par.*, 30 *jul.* 1763, § 6.

Concursus coram examinatoribus ab Episcopo minus legitime deputatis, habitus est invalidus : *Mazzar., Conc.*, 22 *aug.* 1739, § 3.

CONDITIO. Vide *Matrimonium*, § IV.

Conditio.

§ I.

Conditio in genere.

Summa est in jure distinctio inter conditionem et modum : *Viterb.*, *Pror.*, 30 *aug.* 1766, § 30.

Conditio enim legatum suspendit, modus autem post acceptum legatum actionem præbet ei, cujus interest ut legatarius vel hæres impleat : *Ibid.*

Non facile est judicare, an modus vel conditio sit ; nam modus quandoque apparet, quæ conditio est, et modus aliquando ad conditionem refertur : *Ibid.*

Aliquando post modum, non impleto opere, apponitur conditio substitutionis in favorem alterius : *Ibid.*, § 31.

Neque ideo conditio adjecta modo dici debet dispositio ab initio conditionalis : *Ibid.*

Si testator præceperit ut servus liber evadat, ita ut filiis suis rationes reddat ; conditio libertati non est injecta, sed modus ad implendam illius voluntatem : *Ibid.*, § 32.

Item, si tribus servis testator det libertatem sub conditione, ut suo monumento alternis mensibus lucernam accendant et solemnia mortis peragant ; libertas non est data sub conditione, quum illi assidue adesse monumenta nequeant : *Ibid.*, § 33.

Conditio concipitur : *Lego illi, si illam uxorem duxerit ;* modus autem : *Lego illi, ita ut illam uxorem ducat*, nisi probetur aliam fuisse voluntatem : *Ibid.*

Multum scire interest an sit conditio, an modus, quum sit magna differentia inter conditionem et modum : *Ibid.*

Conditio impletur, antequam capiatur legatum, vel donatio ; modus autem impletur post perceptionem legati : *Ibid.*

Non impleta conditione, legatum vel hæreditas non acquiritur. Non impleto modo, caducum legatum non est, sed actio ad modum implendum succedit : *Ibid.*, § 35.

Conditio ut distinguatur a modo, animadvertendum est : aut testator aliquid dixit faciendum antequam de emolumento loquatur, et tunc conditio apposita dicitur : *Ibid.*, § 32.

Aut primum de emolumento loquutus, postea onus injunxit, et tunc dicitur modus : *Ibid.*

Erectionis patet modus, non vero conditio, quia prius institutio hæredis, et emolumentum datum est, quam erectionis lex dictata : *Ibid.*, § 17.

Sed hæc distinctio non semper habet locum, quando voluntas expressa est, quæ facit conditionem, vel modum potius, quam sermo : *Ibid.*, § 37.

Hinc nihil facit distinctio inter conditionem et modum, quando agitur de implenda voluntate : *Ibid.*, § 23.

Modus cum conditione confunditur, et æque caducitatem incurrit : *Ibid.*

Impossibilis conditio rejicitur, si non vitietur facta institutio : *Ibid.*, § 44.

In conditionibus quæ a testatore adjiciuntur legatis, merum factum attenditur : *Ascul.*, *Leg. pii*, 10 *jan.* 1733, § 3.

Conditio mixta in legatis piis habetur pro adimpleta, si non stat per legatarium quo minus impleatur : *Boss.*, *App. leg.*, 14 *jan.* 1762, § 5.

Singuli non possunt facere universi ordinis conditionem : *Aquen.*, *Conc.*, 1 *mart.* 1749, § 2.

Modus est, non conditio, quando imponitur onus post collatum emolumentum : *Casal.*, 28 *jan.* 1764, § 7.

Purificata conditione, regredi valet renuntians ad jura reservata : *Terrac. seu Set. Capel.*, 19 *sept.* 1789, § 3.

§ II.

Conditio accidentalis et causalis.

Conditio expressa in dispensationibus matrimonialibus ob loci angustiam facile verificari potest ; quia nec matrimonii libertas ad paucos restringi patitur, nec æqualitas conditionis sumitur a genere et divitiis, sed spectandi quoque sunt mores, ætas, ingenium, et similes circumstantiæ : *Gerun. seu Vic.*, *Nul. matr.*, 2 *aug.* 1760, § 6.

Statim autem ac vacationis tempore nemo de familia vocata canonicatum ullum obtinebat, jam patet conditionis casum minime factum fuisse : *Alex.*, *Disp.*, 8 *april.* 1786. § 11

Deficiente dispensationis conditione, ipsa deficit dispositio sub conditione facta : *Cerv.*, 24 *maii* 1788, § 10.

Conditione non purificata, perinde habetur ac si consensum applicationi beneficii præstitisset : *Tolent.*, *App. benef.*, 20 *mart.* 1790, § 5.

§ III.

Conditio in specie.

Conditio, *dummodo in reliquis serventur ceteræ conditiones a me præscriptæ quoad puellas extraneas*, restrictionem importat : *Rom.*, *Sub. dot.*, 21 *nov.* 1772 § 9.

§ IV.

Conditio turpis, illicita, odiosa, vel impossibilis.

Condititio turpis et impossibilis contractui inter vivos facto apposita, actum ipsum penitus inficit, ac irritum reddit : *Mont. Reg., Capel.*, 15 *dec.* 1736, § 4.

In specie conditiones præsentationis ad beneficium, vel illius collationis sub simoniaca, aut alia turpi pactione, aut conditione factæ sunt irritæ : *Ibid.*

Secus, si turpis et illicita conditio legatur adjecta in testamento, sive alia quacumque ultima voluntate præsentationem simoniacam præ se ferente ; tunc generaliter receptum est, dispositionem totam non collabescere, sed solam turpem et illicitam conditionem rejici, perinde ac si ipsa non fuisset apposita : *Ibid.*

Imo, ut turpis vel impossibilis conditio in testamento, vel alia ultima voluntate adjecta vitietur, et pro non scripta habeatur, ita ut pura et absoluta remaneat dispositio hujusmodi conditione affecta, tametsi testator pœnam legatario adjecerit, vel legatum ei ademptum in alium transtulerit, si turpem, aut impossibilem conditionem non adimpleat : *Ibid.*, § 5.

Conditio in contractu tristis, odiosa, publicamque lædens libertatem, facile rejicienda, ac revocanda est : *Rom., Benepl. ap.*, 16 *martii* 1771, § 8.

Conditio apposita legato relicto mulieri, *si non nupserit*, tanquam inefficax olim ex jure communi habebatur : *Ibid.*, § 12.

Et hæc juris dispositio confirmata est a Justiniano imperatore : *Ibid.*, § 13.

Hoc tamen jus fuit deinde revocatum et retractatum : *Ibid.*, § 14.

In præjudicium vocatorum a fundatore adjungi nequeunt in instrumento erectionis beneficii conditiones non scriptæ in testamento : *Urb., Can.*, 26 *mart.* 1763, § 6.

Ecclesia rejicere non solet conditiones fundationum, licet juris dispositioni contrarias, ne fideles a piis operibus retrahantur : *Rom., Cap.*, 16 *maii* 1789.

§ V.

Conditio voluntaria et potestativa.

Non obest ut post constitutas leges beneficii non liceat easdem variare, quum non agitur de adjicienda conditione quæ primas leges destruat ; *Ver.*, 19 *jul.* 1766, § 8.

Imo non petitur, nisi declaratio conditionis, quæ adest in fundatione : *Ibid.*, § 9.

Præsertim si augeatur dos beneficii, quo casu certissimum est quod liceat fundatoribus addere conditionem novam : *Ibid.*

Dum beneficium constituitur, potest certe quæcumque conditio apponi, quæ, licet præter jus sit, tamen approbari mereatur : *Ibid.*, § 10

Potest etiam conditio nova largitate, nempe si prima dos augeatur, atque legatum potest novam conditionem admittere : *Ibid.*, § 13.

Conditiones et onera adjicere possunt non solum fundatores, sed etiam patroni, qui capellaniæ, seu beneficii dotem auxerint : *Arim., Capel.*, 26 *febr.* 1774, § 10.

Conditiones et onera beneficiis injuncta religiose servari debent : *Anag.*, 10 *febr.* 1781, § 7.

Purificata conditione in testamento adjecta, de pii operis exequutione non est ambigendum : *Anag., Erect. cap.*, 9 *jul.* 1768, § 4.

CONDITIONALIS DONATIO. Vide *Donatio*, § I.

CONDONATIO. Vide *Absolutio*, § I.

CONDUCTIO. Vide *Contractus*, § XV.

Confessarius.

§ I.

Confessarius quoad approbationem

In const. *Inscrutabili* Gregorii XV Pont. Max. cautum est confessores, sive seculares, sive regulares, quomodocumque exemptos, tam ordinarios, quam extraordinarios ad confessiones monialium etiam regularibus subjectarum audiendas deputare, nisi ab Episcopo diœcesano idonei judicentur, et approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant : *Const., Jurisd.*, 31 *mart.* 1770, § 2 ; et *Phar. Jurisd.*, 19 *sept.* 1733, § 6.

Id confirmarunt Urbanus VIII, Clem. X, Innocentius XIII in const. *Apostol. Ministerii.* : *Const.*, cit. loc.

Et approbati generaliter ab Episcopo ad personarum secularium confessiones audiendas, non censentur approbati ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum : *Phar.* cit., § 7.

Sed indigent nova approbatione speciali, et approbati pro monialibus unius monasterii, non censentur approbati pro illis in alio monasterio : *Ibid.*

Item confessores extraordinarii semel deputati atque approbati ab Episcopo ad monialium confessiones pro una vice, non possunt ulterius confessiones audire, sed toties ab Episcopo sunt approbandi : *Ibid.* ; et cit. *Const.*, § 6.

Et Clemens X in sua bulla expresse derogavit cuicumque consuetudini, etiam immemorabili: *Ibid.*, § 13.

Quod sancivit etiam Innocentius XIII pro Hispanis regnis: *Ibid.*

Regularis in una diœcesi approbatus pro excipiendis confessionibus secularium, eas excipere non potest in alia diœcesi in qua approbatus non est, etiam in hypothesi in qua pœnitens esset subditus illius Episcopi, a quo regularis approbationem reportavit: *Viter., Visit. SS. LL.*, 22 *nov.* 1721, § 2.

Propositio autem qua regulares ordinum Mendicantium semel approbati ad confessiones audiendas in una diœcesi habeantur pro approbatis in aliis diœcesibus, ita ut nova Episcoporum approbatione non indigeant, qualificata fuit tanquam falsa et saluti animarum perniciosa: *Ibid.*

Regulares, qui sanctimonialium confessiones excipiant, ab Episcopo specialiter approbati debent, licet alias probati sint ad confessiones excipiendas, aut earumdem sanctimonialium confessarii fuerint: *Const., Jur. appr. conf.*, 18 *jun.* 1746, § 2.

§ II.

Confessarius quoad electionem.

A compluribus doctoribus asseritur, quod religiosus iter faciens, vel domi permanens, possit de licentia tantum sui superioris presbyterum quemlibet sive secularem, sive regularem, a nullo prælato vel Episcopo approbatum, sibi in confessarium eligere: *Hildes.*, 16 *sept.* 1769, § 2.

Sed alii plures contrariam tuentur sententiam, quod, si de jure communi et de universali ante Concilium Tridentinum vigente consuetudine nullus religiosus peccata sua confiteri poterat sacerdoti ab Episcopo non approbato multo minus id permissum censeri debet, postquam Concilium tam sollicite approbationem requisivit ab eo qui sacramentales confessiones exciperet: *Ibid.*

Imo ne ipsis quidem Episcopis post Tridentinam sanctionem id licet: *Ibid.*, § 3.

Ac neque S. R. E. Cardinalibus: *Ibid.*

Et falsum omnino est, quod regularibus ante Concilium licuerit simplicem sacerdotem a nemine approbatum eligere: *Ibid.*, § 4.

Maxime, quia id innititur antiquorum canonum dispositioni præcipientium, ne ullus, sive regularis, sive secularis, sacramentales exciperet confessiones, nisi a suo superiore et ab Episcopo fuerit ad id munus approbatus: *Ibid.*

Et huic sententiæ canonistæ fere omnes consentiunt: *Ibid.*

Quibus (cum agatur de sacrorum canonum interpretatione) potius quam moralistis sive scholasticis est deferendum: *Ibid.*

Nec diversimode intelligenda sunt privilegia regularibus concessa, cum hæc, dum iisdem facultatem tribuunt eligendi confessarium, si non explicite, implicite tamen designant confessarium ab Episcopo approbatum, quia requirunt religiosum vel presbyterum secularem: *Ibid.*, § 5.

Idque confirmatur ex bulla jubilæi, in qua caveri solet ut regulares eligere debeant confessarium *approbatum*: *Ibid.*

Proinde idem quoque intelligendum est, quotiescumque confessarii electionem ex regularibus fieri contingat; quia lex corrigens in uno ex correlativis, etiam in alio corrigit: *Ibid.*

Et licet superior regularis præsumatur tribuere sacerdoti electo jurisdictionem ad absolvendum, tamen hoc non sufficeret; quia requiritur ulterius, ut sacerdos ille idoneus sit *ad exercitium jurisdictionis* per approbationem proprii Ordinarii, qua deficiente semper impeditus remanet sacerdos ad sacramentales confessiones excipiendas: *Ibid.*, § 5.

Idem dicendum de prælatis regularibus itinerantibus, quibus nullo modo fas est sacerdotem secularem eligere ab Ordinario non approbatum: *Ibid.*

Et illi doctores qui contrariam sententiam sequuntur non controvertunt quin adigendi sint regulares alicui proprii ordinis religioso peccata sua confiteri: *Ibid.*

Episcopis, aliisque inferioribus prælatis exemptis ex cap. final. *Ne pro dilatione*, tit. *de Pœnit. et Remiss.* permissum est, ut etiam præter sui superioris licentiam providum et discretum sibi possint eligere confessarium: *Ibid.*, § 12,

Exempti vigore privilegii resultantis ex cit. cap. finali possunt post Concilium eligere in confessarium sacerdotem non subditum, sed qui sit ab Ordinario approbatus: *Ibid.*, § 15.

Non desunt autem plures ex moralistis, qui contendunt regulares iter facientes, vel extra claustra tempore concionum aut alia causa commorantes, nec confessarium proprii ordinis approbatum habentes, posse sibi presbyterum secularem ab Episcopo non approbatum in confessarium eligere: *Ibid.*, § 16.

Sed alii, et præsertim canonistæ fere omnes, contrariam tuentur sententiam, et Ordinarii approbationem omnino necessariam existimant: *Ibid.*

In conflictu itaque sententiarum, perpendenda sunt accurate privilegia a Romanis Pontificibus regularibus concessa: *Ibid.*, § 17.

Religiosis Ordinis Prædicatorum Sixtus IV Pont. Max. concessit, ut possint dum itinerantur, vel

fuerint extra conventus suos duntaxat, confiteri quibuscumque sacerdotibus regularibus, sive secularibus, et ut similiter id facere possint ipsi prælati : *Ibid.*

Leo X, Pontifex Max., ipsis concessit eamdem facultatem, si pariter extra conventum sint, dummodo hoc fiat sine fraude, et dicant prælato suo : *Ibid.*

Innocentius VII, Pont. Max., eisdem religiosis idem indulsit : *Ibid.*, § 18.

Idem privilegium concessit Sixtus IV, Pont. Max., Fratribus Minoribus : *Ibid.*, § 20.

Et hæc potestas facta regularibus assumendi in confessarium quemlibet sacerdotem, censetur etiam a proprio Ordinario non approbatum includere : *Ibid.*, § 21.

Inquirendum est, an talis facultas revocata fuerit a Concilio Tridentino? *Ibid.*

Ii qui de parochi licentia possunt alieno sacerdoti peccata sua confiteri, tenentur eligere sacerdotem habentem ordinis exequutionem, et a suo superiore ad confessiones approbationem : *Ibid.*

Item animadverti debet, quod in privilegio ordini Prædicatorum concesso præscribatur ut confessarius a pœnitente eligendus providus sit, idoneus, et discretus : *Ibid.*, § 22.

Et per Concilium Tridentinum nemo idoneus reputatur, nisi aut per parochiale beneficium, aut per examen habeat approbationem : *Ibid.*

In litteris jubilæi, dum tribuitur facultas eligendi confessarium, adjicitur etiam conditio, *ut sit approbatus ab Ordinario* : *Ibid.*, § 25.

Quæ conditio adjecta noscitur etiam in indulto Bullæ Cruciatæ, et comprehendit omnes personas, etiam regulares : *Ibid.*

Atque Benedictus XIV, Pont. Max., revocato peculiari statuto ordinis Fratrum Minorum Cappuccinorum, concessit ut quilibet ex illius ordinis religiosis extra conventus moras trahens, et in defectu confessarii qui sit ex suo ordine, adire possit presbyterum secularem ab Ordinario loci ad sacramentales confessiones approbatum : *Ibid.*

Hæc privilegia regularibus concessa, dictis conditionibus ac limitibus coercita sunt, nempe *dum fuerint extra conventus suos, et presbyterum idoneum ex professis dicti ordinis habere non possint* : *Ibid.*, § 26.

Tandem tutior est sententia, regularibus denegans jus eligendi in confessarium simplicem sacerdotem : *Ibid.*, § 27.

§ III.

Confessarius monialium.

Quando agitur de facultate confessariorum moniales absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reservatis, considerandum est si moniales sint Episcopo subjectæ; ipsæ enim non sunt in casuum reservatione comprehensæ, nisi fuerint specialiter nominatæ : *Colon.*, 16 *nov.* 1720, § 5.

At alii magis communiter volunt, moniales Episcopo subjectas esse comprehensas in casibus et censuris quas Ordinarius sibi generaliter reservavit : *Ibid.*

Si vero moniales sunt ab Ordinario exemptæ et Sedi Apostolicæ immediate subjectæ, tunc quia earum monasteria gubernanda sunt ab Episcopis tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, eædem utique remanebunt casibus ab Episcopo reservatis subjectæ; dictorumque casuum absolutio, vel ab Episcopo, vel a confessario facultatem habente a reservatis absolvendi, obtineri debet : *Ibid.*

Quod si moniales sint ab Ordinario exemptæ, et non immediate Sedi Apostolicæ subjectæ, sed prælatis regularibus, confessarii regulares quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, non possunt confessiones monialium suæ religioni subjectarum excipere, nisi prius fuerint ab Episcopo adprobati : *Ibid.*, § 5.

Ita ut si agitur de casibus a superioribus regularibus reservatis ad terminos decreti Clementis VIII, Pont. Max., quum ejus sit absolvere cujus est ligare, tunc non possunt monialium confessarii absolvere; nisi obtenta a prælatis regularibus facultate : *Ibid.*

Si vero agitur de casibus ab Episcopo reservatis, sed non in ordine ad easdem moniales, quum de monialibus ipsis regularibus subjectis sermo sit, tunc possunt eædem absolvi per suos confessarios a casibus Episcopo reservatis : *Ibid.*

Aut demum agitur de casibus ab Episcopo specialiter reservatis quoad moniales, et in materia spectante ad jurisdictionem delegatam sibi in monasteriis monialium licet exemptis competentem, vel in sequelam sess. 25, cap. 5, *de Regul. et Regul.*, vel in sequelam bullæ Gregorii XV Pont. Max. 18, tom. 4. *Bull.*, tunc in hac facti specie nequeunt confessarii easdem absolvere, nisi habita ab Episcopo facultate : *Ibid.*

§ IV.

Confessarius quoad potestatem et jura.

Quamvis cum quis inauguratur sacerdos, Ordinis potestatem accipiat, non accipit tamen potestatem jurisdictionis, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ad excipiendas confessiones ab Episcopo approbetur : *Hildeshim.*, 16 *sept.* 1769, § 10.

Duo impediunt quominus sacerdos potestatem absolvendi in ordinatione acceptam valeat exercere :

Primum impedimentum provenit ex Concilio Tridentino sess. 23, cap. 15, *de Reform.*, et respicit personam ipsiusmet sacerdotis, quia scilicet non est approbatus ab Ordinario nec parochiale beneficium obtinet : *Ibid.*, § 13.

Alterum respicit personam pœnitentis, quia nempe sacerdos in eum jurisdictionem non habet: *Ibid.*

De duobus enim impedimentis ad actum, etiamsi unum sublatum fuerit, nihilominus actus exerceri non valet, quoties aliud subsistit : *Ibid.*

Hæc omnia procedunt tum quoad Episcopos, tum quoad S. R. E. Cardinales: *Ibid*, § 14.

Eadem quoque militant quoad parochos: *Ibid.*

Sacerdotes in casibus reservatis nihil possunt, sed pœnitentibus persuadere debent, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis se conferant : in articulo autem mortis nulla est reservatio casuum : *Colon.*, 16 *nov.* 1720, § 3.

Quando agitur de casibus reservatis a superioribus regularibus, ad terminos decreti Clementis VIII, Pont. Max., quum ejus sit absolvere, cujus est ligare, non possunt monialium confessarii absolvere, nisi obtenta prius facultate a prælatis regularibus : *Ibid.*, § 5.

Confessio.

Confessio quæ posterioribus declarationibus resistit eisque fidem minuit non attenditur : *Camer.*, *seu Fabr.*, *Matr.*, 4 *jun.* 1768, § 17.

Confessio mulieris pro matrimonii dissolutione non probat, quia ad proprium commodum deponit : *Olom.*, *Null. matr.*, 14 *mart.* 1772, § 21.

Dum agitur de matrimonio jam contracto, nec viri, nec fœminæ confessio satis est, quamvis a vicinis confirmata : *Milet.*, *Nul. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 14.

Confessio sacramentalis. Vide *Sacramentum Pœnitentiæ.*

Confirmatio. Vide *Abbatissa*, § II ; *Archidiaconus*, § I ; *Electio* ; *Privilegium.*

Confirmationis sacramentum. Vide *Sacramentum confirmationis.*

Confraternitas laicorum. Vide *Sodalitium.*

Congregatio.

§ I.

Congregatio Casuum Conscientiæ.

Maximopere proficium esse creditur ad efficiendam uniformem confessariorum doctrinam in materia morum et contractuum, si Episcopus eis injungat, ut menstruis disceptationibus et congregationibus casuum conscientiæ intersint : *Aquip.*, *Visit. SS. LL.*, 12 *mart.* 1718, § 4.

Divus Carolus Borromæus primus in Italia fuit qui præcepit, ut singuli Episcopi suas partirentur regiunculas, et unicuique rectorem præficiant ; istis injungendo, ut singulis mensibus omnes parochos sui territorii congregent ad effectum conferendi de ratione ac modo bene regendi parochiam, de difficultatibus, de casibus conscientiæ, causis seu casibus reservatis, ac etiam de constitutionibus Synodorum et Conciliorum : *Trevir.*, *Jurisd.*, 2 *april.* 1729, § 7.

Concilium Romanum anni 1725, præcipit tum in civitate, tum in diœcesis oppidis, qualibet hebdomada exercitationes casuum moralium et sacrorum rituum haberi : *Fulg.*, *Præem.*, 14 *dec.* 1782, § 8.

§ II.

Congregatio Concilii Tridentini.

Quamvis recurrentes de aliqua re controversiam non moverint, satis tamen est quod ea deducta fuerit ad notitiam S. Congr. Concilii, quæ invigilare debet super exequutione Concilii Tridentini, et ex officio procedere ad abusuum extirpationem in toto christiano orbe : *Adnot. secret.*, 1 *sept.* 1725, § ult.

Facultates alienationum, hypothecarum, locationum, et aliorum contentorum in decreto de rebus regularium non alienandis, privative spectant ad S. Concilii Congregationem : *Neap. seu Cav.*, 18 *decembr.* 1723, § ult.

Benedictus XIV, const. *Quum semper*, 19 aug. 1754, voluit ut canonici, causa inopiæ præbendarum, recursum habeant ad S. Congr. Concilii, quatenus Missa conventualis ad dies festos tantum reducatur : *Null. S. Ruph. Prov. Raven.*, *Mis. conv.*, 24 *jan.* 1767, § 8 ; et *Albin.*, *Red. Miss. conv.*, 11 *jan.* 1783 ; *Melev.*, 23 *april.* 1768, § 11,

Quamvis Vasquez, Suarez, aliique magni nominis theologi putent quod illi qui propter debilitatem visus non possunt legere, si possint sufficienter Hostiam et Calicem videre, non sint arcendi a celebrando, si Missam sufficienter memoriter recitent ; S. Congr. clausulam pro cæcutientibus apponit, *dummodo memoriter non recitent* : *Flor.*, 2 *aug.* 1727.

Per S. Congr. Concilii adempta est facultas substituendi alium in servitio chorali iis tantum qui substituere volunt canonicum diversi ordinis : *Urbin.*, *Serv. chor.*, 21 *jun.* 1794, § 3.

Canonici absentes a residentia et chori servitio per tres menses, eorum muneri non satisfaciunt, quum opinionem contrariam, quæ inolebit, nusquam S. Congr. Concilii amplexa fuerit : *Civit. Cast.*, 7 *april.* 1781, § 9.

Consentanee ad conciliarem dispositionem S. C. Concilii, canonicis adstrictis ecclesiæ servitio per novem menses et ultra, consuevit vacationem trium mensium denegare : *Cap., Ind.*, 5 *dec.* 1739, § 4.

S. Congr. Concilii potest supplere denegatum consensum, quatenus judicatur irrationabilis contradictio : *Arim., Susp. oner.*, 20 *dec.* 1788, § 9.

S. Congregatio Concilii supplere potest denegatum consensum capituli : *Melev., Erect. can., et cant.*, 11 *aug.* 1753, § 3.

CONGREGATIO PAROCHORUM. Vide *Parochorum congregatio.*

Congregationes.

Decreto Innocentii XII per Clementem XIII Pont. Max. confirmato, vetitum est, ne plures circa idem negotium adeantur congregationes sub pœna nullitatis actorum : *Firm., Emphy.*, 21 *jul.* 1795, § 5.

CONGREGATIONES SODALIUM. Vide *Sodalitium*, § III.

CONGREGATIONIS CONCILII DECRETUM. Vide *Decretum*, § II.

CONGRUA. Vide *Archipresbyter*, § I ; *Æconomus*, § I ; *Parochus*, § V ; *Vicarius curatus*, § I.

CONJUGALIS USUS. Vide *Matrimonium*, § XIV.

CONJUGATI. Vide *Clerici*, § II.

CONJUGATORUM CONVERSIO. Vide *Matrimonium*, § XXXIV.

Consanguineus.

Consanguinei archipresbyterorum nullum sibi jus asserere possunt ex sua consanguinitate, cum dignitas archipresbyteratus consanguineos non habeat : *Faven., Capel.*, 31 *mart.* 1759, § 3.

Non solum ob verosimilem testatoris affectionem, ac charitatem, sed etiam ob justitiam, et æquitatem succurri debet consanguineis primum, dein extraneis ; hinc unico ex familia in extrema paupertate versanti prius opem ferre necesse est, quam extraneis, idque tum ex jure divino, tum ex providentia juris civilis : *Imol.*, 27 *feb.* 1768, § 7.

Consanguinitas.

Consanguinitas desinit in decimo gradu juxta regulas juris civilis : *Perus., Subs. dot.*, 30 *aug.* 1766, § 10.

Nisi aliter conjecturæ suadeant, ac verba testatoris perpetuo agnationem, seu familiam respiciant : *Ibid.*

Nec ad certos gradus ea verba restricta sunt : *Ibid.*

Et hac exclusa, sola naturalis charitas consideratur, quæ tunc non dicitur excedere quartum gradum ipso jure civili computandum : *Ibid.*, § 11.

Quando concurrit expressa consanguinearum vocatio, consanguinitas desinit in decimo gradu juxta computationem juris civilis : *Rom. seu Sub., Subs. dot.*, 20 *dec.* 1766, § 19.

Si vero deest expressa vocatio, solumque naturalis charitas consideratur, tunc consanguinitas non videtur excedere quartum gradum ipso jure civili computandum : *Ibid.*, § 20.

Communis est distinctio, ut si agatur de consanguineis expresse vocatis, seu ex justitia venientibus, tunc consanguinitas protrahitur usque ad decimum gradum juxta regulas juris : *Velit., Subs. dot.*, 8 *jun.* 1771, § 11.

Si vero desit præcipua et expressa consanguinearum fœminarum vocatio, solaque naturalis charitas consideretur, tunc consanguinitatis ratio in pretio non habetur ultra quartum gradum jure civili computandum : *Ibid.*, § 12.

Si testator fuit parochus, verosimile admodum est quod consanguinitatis mensuram desumpserit a matrimoniis, seu a regula quæ in illis contrahendis observatur ; hinc non secundum jus civile, sed secundum jus canonicum fit in hac circumstantia computatio successionis : *Eugub.*, 4 *dec.* 1723, § ult.

CONSANGUINITAS IN MATRIMONIO. Vide *Matrimonium*, § XXXV.

CONSANGUINITAS QUOAD IMPEDIMENTI DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § XIV.

CONSCIENTIÆ CASUUM CONGREGATIO. Vide *Congregatio*, § I.

CONSCIENTIÆ MATRIMONIA. Vide *Matrimonium*, § XXI.

CONSECRATIO. Vide *Ecclesia in genere*, § I.

CONSECUTIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § V ; *Capellania*, § VI ; *Legatum pium*, § VI ; *Pensio ecclesiastica*, § II ; *Regulares*, § II ; *Subsidium dotale*, § IV.

Consensus.

§ I.

Consensus in genere.

Consensus sub pluribus conditionibus præstitus non dicitur purus ; illis enim non agnitis et im-

pletis resolutus est, ac si nunquam præstitus fuisset : *Com., Dism.*, 22 *aug.* 1750, § 3.

Consensus coactus præstitus a primoribus non præjudicat communitati : *Feren., Benef.*, 16 *jan.* 1762, § 8.

Et tacitus consensus excluditur a contrariis contestatis denuntiationibus emissis : *Ibid.*

Consensus per errorem præstitus, abfuisse censetur : *Alex., Red. Miss.*, 27 *nov.* 1790, § 11.

Consensus novus exquiri non debet, si semel intercesserit : *Sutr., Stal.*, 7 *jul.* 1770, § 4.

Ob irrationabilem dissensum, consensus in decretis et constitutionibus expetitus suppleri debet : *Rom., Capel.*, 16 *mati* 1789, § 9.

Quatenus judicatur contradictio irrationabilis, supplere potest S. Congr. Concilii denegatum consensum : *Arim., Susp. oner.*, 20 *dec.* 1788, § 9.

§ II.

Consensus quoad alienationes.

Consensus irrationabilis illorum quorum interest in alienatione suppleri debet : *Ascul.*, 5 *jun.* 1790, § 9.

§ III.

Consensus quoad ecclesias, beneficia, et opera pia.

Decessoris beneficiati consensus non debet præjudicare successori : *Nul. Ter. Pont., Can. et Subs. dot.*, 12 *mart.* 1796, § 9.

Consensus Ordinarii non requiritur in variatione operis pii facta, in vim reservatæ facultatis a testatore : *Colon., Transl.*, 14 *jan.* 1764, § 8.

De consensu parochi omisso in dismembratione Ecclesiæ, nulla habenda est ratio assertionis Episcopi qui illum interfuisse affirmat : *Andr., Par.*, 18 *dec.* 1773, § 8.

Præsertim illius consensus non accedit, si parochus mandatum procuræ solemniter dedit ad dissentiendum : *Ibid.*

Consensus patronorum requisitus in gratia principis, potest a legitimo superiore suppleri, quando injuste denegatur : *Cam. seu Fabr.*, 27 *mart.* 1762, § 6.

De consensu patronorum, juristæ distinguunt inter actum voluntarium, in quo requiritur expressus, et inter necessarium : *Albint., Red. miss.*, 3 *febr.* 1765, § 10.

Consensus conditionatus patroni non impleta conditione deficit, nec potest suppleri, nec debet, ne vis illi inferatur : *Com., Benef.*, 13 *jul.* 1771, § 16.

§ IV.

Consensus capituli.

Ad inducendum consensum capituli, duæ saltem ex tribus partibus requiruntur : *Senog.*, 13 *jun.* 1789, § 9.

Et quæ saniorem constituunt partem, cæterisque capitularibus præcellunt : *Ibid.*

Consensus capituli plenius suppletur ex consensu universæ synodi diœcesanæ : *Gerun., Chor. subs.*, 26 *jan.* 1760, § 6.

Episcopus potest supplere consensum capituli : *Melev., Erect. can. et cant.*, 11 *aug.* 1753, § 3.

Et longe magis suppleri potest a S. Congreg. Concilii : *Ibid.*

Capituli consensus requiritur in erigendis novis dignitatibus et canonicatibus : *Senen., Voc. in cap.*, 27 *febr.* 1768, § 13.

§ V.

Consensus in contractibus.

Consensus deprehendi non potest, nisi ex ipsorum contrahentium verbis, aut signis : *Cam. seu Fabr., Matr.*, 4 *jun.* 1768, § 9.

Et non ex illatione verborum quæ ab altero deducuntur : *Ibid.*

Defectus consensus cleri satis est ad irritandum contractum parochi : *Derth., Trans.*, 18 *aug.* 1787, § 2.

CONSENSUS IN MATRIMONIO. Vide *Matrimonium*, § V.

CONSENSUS IN PROFESSIONE RELIGIOSA. Vide *Professio religiosa*, § V.

CONSENSUS IN SPONSALIBUS. Vide *Sponsalia*, § IV.

CONSERVATOR JUDEX. Vide *Regulares*, § VI.

Consilium.

Consilium Episcopi in piis operibus commutandis, semper maximi ponderis est æstimatum : *Vic.*, 8 *jun.* 1765, § 7.

In consilio legitime indicto, non est absentium habenda ratio : *Com., Ben.*, 13 *jul.* 1771, § 13.

Onus providendi sacrarium Ecclesiæ de sacris supellectilibus, per modum consilii, et de stylo Datariæ, litteris apostolicis adjectum, onerata solum Episcopi conscientia super illius implemento, non præceptum, sed consilium importat : *Terrac. et Set.*, 9 *maii* 1772, § 2.

Et eo tantum in casu obligatur Episcopus, quo peculiares sacrarii reditus deficiunt, vel mensæ epi-

scopalis reditus superabundant tam pro decenti Episcopi conservatione, quam pro sacrarum supellectilium comparatione : *Ibid.*

CONSTITUTIO. Vide *Consensus*, § II ; *Distributiones quotidianæ*, § II.

CONSTITUTIO PIANA. Vide *Census*, § IV.

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ. Vide *Bulla*.

CONSTITUTIONES CAPITULARES. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § XIII.

CONSTITUTIONES REGULARIUM. Vide *Professio religiosa*, § IV.

Constitutiones synodales.

S. Congregatio Episcoporum et Regularium optavit, ut antequam usu reciperentur constitutiones synodales, capitulo aliisque interesse habentibus ostenderentur : *Asc.*, 11 *jul.* 1767, § 15.

Imo nulli prohibetur legum ferendarum petere moderationem in ipsa synodi celebratione : *Ibid.*, § 16.

Sed id, ad præcavendum ne tumultus aliquis excitetur, per procuratorem totius cleri constitutum fieri debet : *Ibid.*

Methodumque tradit Benedictus XIV Pont. Max. : *Ibid.*

Constitutiones synodales, si juri communi derogant, sunt spernendæ : *Civit. Pleb.*, 26 *jan.* 1760, § 5.

Constitutiones synodales ligant omnes, intra limites diœcesis existentes : *Rip.*, *Fun.*, 12 *mart.* 1796, § 2.

Constitutiones synodales vim amittunt, præsertim quando Episcopus earum observantiam non urget, dissimulat, tacet, neque in transgressores animadvertit : *Alex.*, *Susp.*, 31 *aug.* 1771, § 13.

Certa res est, omniumque doctorum firmata consensione, synodales constitutiones nisi revocatæ fuerint, in suo robore permanere, quamvis Episcopus, a quo editæ sunt, e vita decesserit : *Ibid.*

RELIQUA. Vide *Synodus diœcesana*, § II.

CONSTRUCTIO. Vide *Ecclesia in genere*, § IV ; *Ecclesia parochialis*, § IV ; *Fons baptismalis*, § I ; *Oratorium*, § III ; *Sepultura*, § I.

Consuetudo.

§ I.

Consuetudo in genere.

Observantia et consuetudine posita, necesse non est alium titulum proferre : *Aquip.*, *Funct.*, 18 *dec.* 1773, § 7.

Consuetudo legi consentanea non est facile immutanda : *Abul.*, *Serv. ch.*, 23 *jan.* 1790, § 5.

Consuetudo differt a præscriptione stricte, et proprie dicta, qualis est ubi agitur de præscribendo rei dominio : *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. S, part. 2, § 8, num. 2.

In præscriptione requiritur titulus et bona fides, sed in consuetudine non requiritur, nisi usus et tempus completum : *Ibid.*

Considerandum est de consuetudine, de cujus initio ac vero titulo constat, quid valeat in linea *præsumptiva* alterius tituli : *Barch.*, *Proc.*, 13 *jul.* 1764, § 18.

Item ponderandum, quando titulus allegatur, num alterius tituli præsentationi sit locus : *Ibid.*, § 19.

Maxime dum non solum allegatus titulus, sed probatus est, qui idcirco *taxative* allegatus censeri debet : *Ibid.*, § 20.

Tum quia præsumitur unumquemque exposuisse titulum ab initio, quem meliorem habebat : *Ibid.*, § 21.

Multo magis, si allegatus titulus ex consensu, et libera voluntate populi, privilegium suapte natura excludat : *Ibid.*

Quum inessent duæ illæ conditiones consuetudini *rationabilis*, et *præscriptæ*, habetur totum quod pontifex in consuetudine requirit, ut possit juri positivo præjudicium generare : *dissert. cit.*, in fin. § 8, num. 12.

In quæstione de impedimentis etiam dirimentibus, ratio habetur consuetudinis ecclesiarum : *Ibid.*, § 12.

Quælibet contraria consuetudo prodesse non potest capitularibus, ne ad applicationem Missæ conventualis compellantur : *Alben.*, *Irreg.*, 19 *sept.* 1772, § 9.

Consuetudo intelligi commode potest de voluntario usu, quia mojori ex parte canonici ministrare nequeunt celebranti, quando canonicales eorum præbendæ, duobus exceptis antiquioribus, sunt clericales : *Tolen.*, *Mis. conv.*, 26 *april.* 1788, § 4.

Qui sunt in possessione consuetudinis, non tenentur fidem statim habere incerto rumori de lata a principe pro sua lege in consuetudinem sententia ; quemadmodum cum agitur de præscriptione interrumpenda, fieri debere contendunt plerique doctores : *Disser. sup. matr.*, 1740, in fin. lit. G. part. 2, disc. 2, § 30.

Nova requiritur lex, ut consuetudo, quæ legis naturam jam induit, explicite et nominatim a principe revocetur : *Ibid.*, § 31.

§ II.

Consuetudo quoad ejus auctoritatem, et potentiam.

Consuetudo antiqua dirimere valet quidquid in contrarium præscriptum sit etiam a fundatore ; *Ast.*, *Visit. SS. LL.*, 10 *febr.* 1781, § 3.

Veluti ea, ut omnes addicti choro, tantum aliquibus horis intersint : *Ibid.*

Attamen si adversetur juribus, sacris Canonibus, ac Tridentinæ Synodo non attenditur, licet juramento, et auctoritate firmata; nisi in contradictorio judicio adprobata fuerit : *Ibid.*

Sicuti ea quæ privat canonicum reditibus primo anno suæ residentiæ, et accessit aliis antiquis; tanquam illicita, scandalosa, et simoniaca, pro inani et nulla habetur : *Ibid.*, §§ 6 et 7.

Si autem provisum privet tantum aliquo ex peculiari massa beneficio cedendo in commodum canonicorum, dummodo gratis novus præbendatus deserviat, improbata non est a constitutionibus apostolicis, et conciliari dispositione : *Ibid.*, § 8.

Lapsus centum, et ultra annorum, quamcumque juris repugnantiam vincit : *Embr.*, *Jur. conv.*, 19 *jun.* 1765, § 17.

Acquiritur quasi episcopalis jurisdictio privilegio, vel expresso, vel præsumpto ex immemorabili consuetudine; aut quadragenaria præscriptione cum titulo : *Caput.*, 14 *mart.* 1767, § 12.

Quæcumque consuetudo optandi, nihil virium habet adversus apostolicas beneficiorum reservationes : *Ancon.*, *Can.*, 22 *jun.* 1743, § 4.

Sola consuetudo inducta ex longæva observantia, valet compatibilia reddere officia; etiamsi de jure fuissent incompatibilia : *Pisaur.*, *Camer.*, 21 *nov.* 1761, § 3.

Consuetudo centenaria utpote vim habens inducendi novam legem, facilius poterit abrogare legem a Tridentino Concilio inductam : *Disser. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. D, § 33.

Benedictinæ institutioni, et cleri Romani statutis consentanea Urbis consuetudo in conspectu ipsius Sedis Apostolicæ inducta, habetur pro lege in universo orbe, et normam tam Episcopis quam aliis inferioribus prælatis tribuit : *Eug.*, *Visit. SS. LL.*, 26 *april.* 1788, § 3.

Consuetudo tanquam lex omnino servanda est : *Reat.*, *Jur. tum.*, 10 *mart.* 1770, § 9.

Et ab illius observantia nullo modo deflecti potest : *Ibid.*

Consuetudo antiqua, aut longævus usus non adeo validus est ut aut rationem vincat, aut legem : *Aux. seu Cing. Cath.*, 10 *mart.* 1759, § 2.

Consuetudinis, ususque longævi non est levis auctoritas : cum plerumque discordiam pariant novitates : *Gadic.*, 21 *nov.* 1767, § 7.

Et in civilibus etiam rebus, cum deficit lex, illius supplet vices : *Ibid.*

Est immaturum et præproperum decretum, quod præcedit consuetudinem alicubi ex rationabili causa communiter receptam : *Ibid.*

Evidens vero utilitas, vel alia causa subsit necessum est, ub ab eo, quod dici æquum visum est, per novam constitutionem recedatur : *Ibid.*

Nulla consuetudo contra legem vel naturalem vel divinam positivam potest subsistere : *Ibid.*, § 8.

Episcopus non potest cogere suos subditos, ut intersint Missæ parochiali, quum nequeat delere consuetudinem, quæ, uti vigens in toto orbe, jam induit naturam juris communis : *Squill.*, *Celeb. Miss. et Funct. conv.*, 28 *febr.* 1761, § 2.

Per simplicem consuetudinem, licet peculiari lege destitutam, acquirere potest xenodochium jus administrandi per suos capellanos sacramenta universæ ejus familiæ : *Rav.*, 13 *jun.* 1789, §.

Et actus contrarii parochi observantiam xenodochii non inficiunt : *Ibid.*

Consuetudo in multitudine prævalens in tantum obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere, et ex hoc videtur approbare, quod consuetudo introduxit : *Disser. secr. sup. matr.*, 1740, in fin, litt. F, § 18.

Consuetudo quoad decimas. Vide *Decimæ*, § III.

§ III.

Consuetudo contra Ecclesiam.

Ad consuetudinem contra Ecclesiam inducendam non sufficit quadragenaria : *Terr. et Priv.*, 16 *dec.* 1789, § 4.

Consuetudines omnes quæ Ecclesiis gravamen inducere dignoscuntur sustulit Gregorius in cap. 1 *de Consuet.* : *Ibid.*

Consuetudo quæ actibus Ecclesiæ præjudicium divinoque cultui decrementum infert debet esse contenaria : *Aven.*, *Cap.*, 16 *sept.* 1780, § 7.

Imo ut plene integreque completa sit : *Ibid.*

§ IV.

Consuetudo quoad extensionem.

Consuetudo probata protrahi non potest de uno ad alium casum non præcise comprehensum : *Fulg.*, *Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 27.

§ V.

Consuetudo quomodo et quando et a quibus inducatur vel excludatur.

Consuetudinis conditio est, ut major pars communitatis perfectæ, illam inducat, vel saltem po-

pulus frequentiam actuum similium videat : *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. G, part. 2, disc. 2.

Ad consuetudinis justitiam et valorem requiritur primo, ut sit inducta a communitate capace legislationis saltem passivæ : *Ibid.*

Secundo, ut major ejus pars sciat, et consentiat in illius observantiam : *Ibid.*

Actus quibus introducitur consuetudo debent esse primo notorii, secundo tot quot juxta arbitrium prudentis judicis sufficiant ad colligendum populi consensum : *Ibid.*

Ad omnem consuetudinem robore exuendam satis est, si ex errore illo et despicientia suam duxerit originem, atque ad hæresim moribus stabiliendam a præcipuis pseudo-ministris fuerit introducta : *Ibid.*, § 8, num. 2.

Consuetudo ab unico actu in contrarium peracto destruitur : *Macer., Resig. ben.*, 8 *aug.* 1778, § 6.

Per decretum irritans, et clausulam sublatam, quibus stipata est consuetudo pontificia Concilii Tridentini decretum confirmans, omnis infracta est consuetudo etiam centenaria : *Urb.*, 9 *sept.* 1786, § 12.

Actus ex libertate gesti, non possunt uti facultativi coactivam consuetudinem inducere, quæ neque probatur immemorabilis, neque probata valeret : *Pien., Proc.* 20 *nov.* 1756.

Consuetudo unius ecclesiæ, non subvertit propter consuetudinem aliarum : *Asc., Jurisd.* 12 *mar.* 1763, § 11.

Consuetudo in facultativis non inducitur sine contradictione et acquiescentia : *Bon.*, 26 *mart.* 1763, § 6.

Ad inducendam consuetudinem consistentem in actibus facultativis, non sufficit simplex usus, sed requiruntur actus importantes præscriptionem ; *Viter. et Tusc.*, 14 *sept.* 1782, § 11.

Consuetudine induci potest, ut qui ex justa causa, vel cum apostolico indulto abest a choro, distributiones omnes, aliaque ecclesiæ emolumenta percipiat : *Hort.*, 5 *jun.* 1790.

Ita consuetudo induci potest in favorem personalium beneficiorum erectionis, determinate tamen, et secundum dispositionem fundatorum, quorum voluntati legem non imponit : *Gerun., Cens.*, 14 *maii* 1768, § 14.

Nulla contraria consuetudo habet legitimum initium, ut quilibet canonicus in suo primo ingressu sacramento se obstringat ad constitutionem observantiam : *Imol., Jur. con. cap.*, 14 *maii* 1774, § 7.

Præsertim si eidem contrariæ consuetudini obstitit annua constitutionum lectio, quas novus quilibet camerarius in ipso electionis die, palam coram universo capitulo vel legit, vel legere debet : *Ibid.*

Et si demum quælibet contraria consuetudo interrupta sit per diœcesanas synodos : *Ibid.*

Consuetudo inducta, ut in una tantum ex ecclesiis cathedralibus unitis, fiat sacrorum Oleorum benedictio, servanda est : *Viterb. seu Tusc.*, 14 *sept.* 1782, § 11.

Et ad eam inducendam requiruntur actus importantes præscriptionem, id est oppositio contraria cum acquiescentia, et Episcopus laudabiliter se gerit, si aliquando in alterutra ex suis ecclesiis unitis, hujusmodi Pontificalia peragat : *Ibid.*

Ad elidendam quamlibet contrariam consuetudinem, confirmationi electionis archidiaconi, quæ procedit ex dispositione juris requirentis Ordinarii institutionem, vel confirmationem, unicus etiam actus sufficit : *Monast., Conf.*, 16 *sept.* 1769, § 12.

Etiamsi prædecessores Episcopi neglexissent archidiaconos confirmare, nihilominus nequaquam sublatum esset jus successoris, qui Concilii Tridentini decreta observare satagat : *Ibid.*

Mens sacrarum congregationum ea fuit, ut cujusque ecclesiæ consuetudines intactæ servarentur, quando divinis legibus non obsistunt : *Terrac.*, 28 *april.* 1770, § 10.

Consuetudo legitima in facultativis induci non valet per centenariam : *Tolen., Mis. conv.*, 26 *april.* 1788, § 4.

Constitutio principis civitatis non tollit speciales locorum consuetudines : *Rip., Fun.*, 12 *martii* 1796, § 6.

§ VII.

Consuetudo interpretativa et præscriptiva.

Consuetudo sive in linea *interpretativa* sive *præscriptiva* maximi est ponderis : *Embr., Jurisdict. can.*, 19 *januar* 1765, § 14.

Consuetudo dispositionem canonici juris, et sacri Concilii Tridentini interpretatur : *Sars.*, 10 *jun.* 1790, § 6.

Consuetudo longa est optima interpres subobscuræ voluntatis testatoris : *Nul. Fer., Visit. SS. LL.*, 7 *april.* 1781, § 7.

Usui non parum est deferendum, in linea interpretativa aggregationis confraternitatis : *Spol., Funct. eccl.*, 20 *febr.* 1796, § 8.

Plurimum attenditur consuetudo, quæ etsi jus novum non constituat, nihilominus leges ipsas reducit in usum, vel si dubiæ sint, interpretatur : *Forosem.*, 20 *april.* 1771, § 3.

Consuetudo in funeribus et supplicationibus est præferenda, etiamsi de præcedentia agatur quoad aliquos actus tribuenda inferioribus supra dignio-res: *Fav., Præem. et Fun.*, 11 *april.* 1761, § 5.

Ad inducendam consuetudinem interpretativam præstandi majores distributiones uni quam alteri, satis est decennium: *Firm., Distr.*, 15 *maii* 1790, § 6.

Consuetudo precario titulo inducta, etiam precario titulo continuanda est, nec valet in linea præscriptiva: *Barch., Proces.*, 13 *jul.* 1765, § 22.

§ VIII.

Consuetudo contra seu præter jus.

Omnis consuetudo abrogativa legis, ex infecta semper radice provenit, nempe ab actibus illicitis contra legem; quamobrem primi quidem semper sunt rei, et delicto obnoxii qui per usum legi contrarium, consuetudinem adversus legem introducunt; non vero alii, qui consuetudine introducta operantur: *Diss. secr. sup. Matr.*, 1740, in fin. litt. F, § 21.

Et bona, vel mala fides, cujus maxima in præscriptionibus ratio habetur, nullum occupat locum, cum de consuetudine contra legem agitur: *Ibid.*, litt. G, part. 2, § 8, num. 2.

Omnis consuetudo contra legem a tota, aut majori parte communicatis approbata, si sit rationabilis, et legitime præscripta, quamcumque ab homine conditam legem abrogat: *Ibid.*, discep. 2, num. 21.

Nonnulli doctores docent, impedimenta, quæ ecclesiastico jure matrimonia dirimunt, sola posse consuetudine auferri; quod ipsum de impedimento clandestinitatis nominatim traditur: *Ibid.*

Ut contra Ecclesiæ legem præscribatur, abunde longum est quadraginta annorum spatium; neque longius postulat omnium tutissima sententia: *Ibid.* num. 27.

Sed non desunt gravissimi doctores, qui etiam canonicam legem contraria decem annorum consuetudine tolli, exquisitis confirmant rationibus: *Ibid.*

Ad firmandam, quæ legem deleat, consuetudinem, non novus et personalis, sed antiquus ille, et legalis interponi debet legislatoris consensus, qui ex adductis colligitur juribus, quibus constat omnes utrique legislatori, sacro nimirum et profano probari consuetudines, quotquot tres supra memoratæ conditiones comitantur: *Ibid.*, num. 28.

Consuetudini, ut legem rescindat, consentire per se legislatorem non est necesse, eidem tamen aperte non resistere, necesse est: *Ibid.*, § 29.

Tunc palam repugnat, quando in tribunali sedens, pro sua lege contra consuetudinem fert judicium: *Ibid.*

Consuetudo adversus statuta et leges synodales, abusus potius est, et corruptela: *Reat.*, 5 *april.* 1788, § 5.

Consuetudo quæ canonicis regulis adversatur nullius momenti esse debet: *Fuld., Visit. SS. LL.*, 3 *august.* 1782, §§ 3 et ult.

Ex canonica dispositione, etiam simplex decennium sufficit ad inducendam præter jus legitimam consuetudinem: *Narn.*, 15 *maii* 1790, § 2

Regula est, ut consuetudo adversativa juris dispositioni, requirat probationem in contradictorio judicio stabilitam: *Arim., Rep. eccl. cath.*, 19 *sept.* 1789, § 10.

Consuetudo nec rite introducta, nec legitime servata, non est attendenda, dum ei adversatur dispostio sacri Concilii, et mens S. Congr. Concilii: *Imol., Benef.*, 23 *april.* 1768, § 6.

A Tridentino Concilio damnantur subministrationes sive consuetudine, sive peculiari lege introductæ, quæ novis capitularibus occasione possessionis beneficii, distributiones quotidianas etiam absentibus, elargiuntur: *Eccl., On. et distr.*, 6 *maii* 1797, § 10.

Exploratissimi juris est, legem quamlibet humanam, sive civilis sit, sive canonica, contraria consuetudine, modo legitime introducta, abrogari: *Dissert. sup. matr.*, 1770, in fin. litt. D., disc. 1, num. 25.

Atque in specie de legibus matrimonia irrita facientibus: *Ibid.*

Sed inefficax est argumentum, quoad alias leges contra Ecclesiam ab hæreticis præscriptas, ut de jejuniis, festis, aliisque id genus, imo et de iis quæ de impedimentis ex consanguinitate et affinitate profectis sancita sunt ab illis: *Ibid.*, § 26.

Et id absurdum est, atque falsum, dum irrita declarantur matrimonia inter hæreticos affines et consanguineos contracta, non obstante prava consuetudine: *Ibid.*

Tres consuetudinis species, omnes et singulæ ad legem abrogandam utiles, passim apud doctores promulgatæ sunt: *Ibid.*, litt. G., part. 2, § 7, num. 6.

Prima procedit per actus mala fide contra legem positos, quorum diuturnæ frequentiæ accedat tacitus consensus principis: *Ibid.*

Secunda species consuetudinis, procedit itidem per actus positos mala fide, sed qua non obstante reperiantur in consuetudine duæ illæ conditiones, nempe quod sit *rationabilis et legitime præscripta*: *Ibid.*

Tertia species procedit per actus bona fide factos,

et simul per duarum prædictarum conditionum concursum, stante quo non potest accedere præfatus consensus juridicus principis : *Ibid.*

§ IX.

Consuetudo prava

Qui a prava consuetudine averti non possunt, aliquando cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte pejores efficiantur, si a tali consuetudine prohiberentur : *Disser. secr. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. F, § 8.

§ X.

Consuetudo quomodo et quando probetur.

Ad probandam consuetudinem, quæ in rebus capitularibus versatur, inhærendum est dispositionibus canonicorum antiquorum : *Imol.*, *Jur. conv. cap.*, 14 *maii.* 1774, § 14.

Vetusta constansque consuetudo accipienda est non modo in linea interpretativa cujuscumque legis, vel ambiguæ, vel etiam contrariæ ; sed etiam inducit novam legem firmiorem, et præsumptivam alterius cujuslibet melioris tituli : *Ibid.*

Probatio consuetudinis sufficit quoad actus magis frequentes, ut ea aptetur etiam casibus, qui raro admodum contingunt : *Leod.*, 17 *jul.* 1773, § 5.

Contraria consuetudo concludenter est probanda ab illis qui illam allegant et habent contra se juris præsumptionem : *Fav.*, *Redd. rat.*, 8 *aug.* 1772, § 6.

Cumque agitur de observantia negativa, probanda est eo probationis genere quod negativam coarctatam dicunt : *Ibid.*

Vel eo modo quo omnis in oppositum possibilitas, exclusa remaneat : *Ibid.*

Consuetudo rejicienda est, quæ vel nullo documento probatur, vel dum probari velit, non canonizata monstretur in contradictorio judicio, et legitime admissa cum sequuta acquiescentia : *Reat.*, *Jur. tum.*, 10 *mart.* 1770, § 3.

Alias tanquam abusus et corruptela spernenda : *Ibid.*

Nihil officit consuetudo, nisi probetur cum requisitis : Gloss. in cap. 1. verb. mem. *de Præs.* : *Barch.*, *Process.*, 13 *jul.* 1765, § 13.

Præsertim si in judicio non fuerit approbata, ut contra juris sanctionem necesse omnino est : *Ibid.*

Vel si in actibus voluntariis et facultativis antecedentium rectorum oriatur : *Ibid.*, § 14.

Consuetudo concludentissimam poscit probationem, quando opponitur S. Congreg. Concilii decretis quæ vim habent legis : *Reat.*, *Jub.*, 28 *april.* 1770, § 4.

Nec contra legem expressam quælibet sufficit generica consuetudo, sed ea requiritur, quæ in contradictorio judicio fuerit probata : *Ibid.*

Consuetudo contraria nequaquam allegari potest, nisi probetur denegatam fuisse decimarum præstationem cum subsequuta petentium acquiescentia : *Nuzer.*, *Præcep. pasch. et Sol. dec.*, 23 *april.* 1774, 5.

Si nullum de consuetudine monumentum, nulla que servatis servandis inducta illius probatio remonstretur, juxta notissima requisita, non est attendenda consuetudo : *Viter.*, *Jur.*, 10 *maii* 1766, § 7.

Consuetudo in jure inepta est, si nullibi probetur legitime fuisse inducta, et in contradictorio judicio probata ac justo titulo præscripta : *Bar.*, 14 *mart.* 1767, § 3

Longæva consuetudo ecclesiæ cathedralis qua permissum est alicui ex canonicorum gremio munus organistæ obire, probata placitis Episcoporum ; non potest a quatuor canonicis labefactari, maxime : quia major canonicorum pars, his non consentit : *Terrac.*, 28 *april.* 1770, § 10.

Ut consuetudo sit legitime præscripta, nil requiritur aliud quam lapsus 40 annorum : *Diss. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. G, part. 2, § 8, num. 2

Si a multo tempore positum sit in more, ut parochiales ecclesiæ, quibus Franciscanæ familiæ sacerdotes antea præficiebantur, regerentur a sacerdotibus secularibus, vicariis curatis amovibiliter deputatis ; eadem consuetudo probatur conservatione et sacrarum supellectilium manutentione custodi conventus, Fratribus ac generali ministro commendata : *Assis.*, *Cong.*, 9 *sept.* 1786, § 2.

§ XI.

Consuetudo quando ut rationabilis, servanda, vel ut corruptela improbanda.

Consuetudo est rationabilis, si a jure non improbetur : *Diss. sup. matr.* 1740, in fin. litt. G, part. 2, § 8, num. 2.

Alii putant, consuetudinem utrum sit rationabilis, vel irrationabilis, pendere ab arbitrio judicis : *Ibid.*

Consuetudo supra centenarium temporis spatium, omni jure est servanda : *Barch.*, *Proc.*, 13 *jul.* 1765, § 4.

Capituli consensus validas honestasque reddere non potest consuetudines, tribuendi distributiones absentibus contra expressam legem Concilii Tridentini : *Terr.*, 28 *april.* 1770, § 3.

Consuetudo non attenditur, dum solvitur aliquid, et sua sibi semper jura contra alios reservantur : *Senog.*, *Proc.*, 13 *dec.* 1765, § 3.

Maxime si sit aperte contra Concilii et S. Congr. Concilii decreta, quæ veluti corruptela spernenda est ; *Ibid.*

Quando a consuetudine quis descivit, abusus appellatur et corruptela, a qua leges abhorrent : *Call.*, *Subs. dot.*, 16 *dec.* 1787, § 5.

Improbata est consuetudo, per quam parochi contra synodales leges præter quartam funeream aliquid sibi arrogant : *Viter.*, *Emol. fun.*, 28 *jan.* 1764, § 9.

Vetus consuetudo omnino servanda est, neque admittenda ulla mutatio, etsi in melius cessura esset : *Civit. Cast.*, *Tax. fun.*, 13 *jul.* 1765, § 8.

Quoad reparationem ecclesiæ cathedralis, attendenda est consuetudo : *Reat.*, *Med. ann.*, 16 *maii* 1789, § 6.

Diuturna consuetudo quæ non est legi contraria nequit per Episcopi decretum lædi : *Nic.*, *Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 9.

Consuetudo, etiam immemorabilis, qua benedictio nuptialis dari possit ab aliis sacerdotibus etiam sine licentia parochi, vel Ordinarii, corruptela dicenda est : *Illerd.*, 7 *maii* 1785, § 7.

Id statuit Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 1, *de Reform. matr.* : *Ibid.*

Recedendum est a consuetudine quæ abusum sapit et corruptelam, quando pacta et conventiones adversantur : *Calar.*, 4 *maii* 1771, § 3.

Quod receptum est per diuturnam septuaginta annorum exequutionem, respui amplius non potest : *Urban.*, *Ann.*, 24 *jan.* 1795, § 6.

Consuetudo addicendi antiquatos reditus canonicis actu existentibus, nulla habita ratione de hæredibus illorum, qui tunc inserviebant, et illos reditus percipere debuissent, est custodienda : *Gadic.*, 21 *nov.* 1767, § 4.

Maxime si inveniatur juri conformis, dum fructus annorum præteritorum non jam inter antiquos, sed inter existentes canonicos sunt dividendi : *Ibid.*

Et eo magis id obtinet, quum reditus ad massam communem pertinent et capitulum collective sumitur : *Ibid.*

Constitutiones apostolicæ, et conciliaris dispositio improbant consuetudines et statuta ecclesiarum dandi aliquid canonicis per præbendatum noviter admissum, tanquam simoniam redolentia : *Ast.*, *Vis. SS. LL.*, 10 *feb.* 1781, §§ 6 et 7.

Consuetudo ecclesiarum etiam cathedralium dimittendi æstivo tempore cappam magnam, adjecto superpelliceo super rocchettum magni facienda est, quæ consuetudo non solum usu frequens est, sed etiam ecclesiastico ritu approbata : *Imol.*, 10 *jun.* 1770, § 16.

Consuetudo haud improbatur in jure, posse vigore ejusdem, de consensu hæredum, cadavera defunctorum deponi in alia ecclesia, antequam transferantur ad ecclesiam tumulantem : *Nul. seu Subl.*, *Fun.*, 25 *april.* 1761, § 6.

Consuetudo antiqua, quæ jus tribuit parocho peragendi sacras functiones in sua ecclesia die sabbati majoris hebdomadæ, et Pentecostes, est servanda : *Feren.*, *Matric. et Font. bap.*, 18 *mart.* 1797, § 12.

Canonici a consuetudine probata, ut in ecclesia collegiata tantum diebus festivis de præcepto choro intersint, cum celebratione Missæ conventualis, recedere non debent : *Sutr.*, *Offic.*, 18 *sept.* 1779, § 4.

Eisque onera sunt imponenda, quæ vel in fundatione, seu erectione, vel ex voluntate hominis imposita fuisse non apparent : *Ibid.*

Innoxiæ consuetudines nihil illaudabile continentes, omnino sunt servandæ, ut in statutis capituli circa ecclesiæ servitium præscribitur : *Rom.*, 9 *jul.* 1785, § 11.

Diuturna consuetudo præfert legem non scriptam, quam decet omnino servari : *Assis.*, 10 *sept.* 1785, § 7.

Præsertim si Episcopus eam bene noverit, et firmam, immotamque manere in sua diœcesana synodo voluerit : *Ibid.*

Illa consuetudo est rationabilis, quæ non est contra legem naturalem vel divinam : *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. V, discept. 1, num. 27.

Ea consuetudo est rationabilis, quæ non est expresse a jure improbata : *Ibid.*

In jure canonico expresse improbatur omnis consuetudo, per quam disrumpitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ : *Ibid.*

Ideo rationabilis dicitur omnis consuetudo, quæ non est contraria naturali aut divino juri, nec legislatoris contemptum, aut aliam turpitudinem, deformitatemve continet, nisi quam ipsa parit oppositio cum lege, quam destruere conatur, neque in jure nominatim improbatur : *Ibid.*, § 16, *disc.* 2, litt. 5.

Dissimulari nequit esse laudabilem et rationabilem consuetudinem, eximendi a choro, et ecclesiæ servitio, eum qui assiduam per annos 40 in eo operam impendisset : *Gerund.*, *Jub.*, 15 *febr.* 1772, § 17.

Hinc tolerandum est statutum cujusdam capituli hoc permittens, ne ob absentiam suam quidquam de fructibus ac distributionibus amittat : *Ibid.*

Consuetudini proximarum et comprovincialium

ecclesiarum in omni ambiguitate est inhærendum : *Pisaur.*, 11 *jan.* 1772, § 9.

Consuetudo admittendi ad partitionem communis massæ recens provisos de dignitatibus et canonicatibus, nisi prius servitium triennale in exercitio graduum subdiaconi, et diaconi, et presbyteratus gratis fuerit ab eis præstitum, utpote non adversus Concilium Tridentinum, imo conformis const. S. Pii V, Pont. Max., cons. 104, servanda est : *Brund., Serv. chor.*, 12 *mart.* 1736, § 1.

Consuetudo, quæ in pluribus Hispaniarum diœcesibus vigebat, qua provisus de beneficio animarum curam adnexam habente, quodque per concursum conferebatur, solvebat certam pecuniarum quantitatem tam examinatoribus synodalibus, quam curiæ episcopalis officialibus sive stipendii, sive largitatis nomine, an servanda sit? fuit dubitatum : *Jacen.*, 14 *jan.* 1758, § 2.

Hanc vero servandam defendunt doctores, utpote simoniaco vitio non infectam, dum abest pactum præcedens, sed præstatur taxata quantitas, vel largitatis nomine, vel stipendii titulo : *Ibid.*

S. Concilium Tridentinum statuit, ut consuetudo vigens in locis seu provinciis nihil in visitatione accipiendi, punctualiter observetur : *Aux.*, *Proc.*, 8 *febr.* 1727.

Per hanc conciliorum dispositionem correcta est dispositio juris communis, ad cujus tramites procuratio ratione visitationis debita, non erat a subdito præscriptibilis : *Ibid.*

Consuetudo vigens pro capitulo, utpote directa ad commodum particulare canonicorum, est sub decreto conciliari sess. 24, cap. 14, *de Reform.*, et const. 104 S. Pii V, Pont. Max., *Bull.* tom. 2, comprehensa; ideoque improbanda : *Ilerd.*, 25 *jan.* 1727.

Etsi ab illis exempta dici possit, utpote respiciens incrementum cultus divini; ideo servanda : *Ibid.*

Duntaxat perseverare voluit S. Concilium Tridentinum vacationum consuetudinem restrictam ad tres menses; nec indulgentur novæ vacationes, si non adsit in ecclesia illarum consuetudo : *Calar.*, 22 *nov.* 1760, § 8.

§ XII.

Consuetudo in specie.

Constitutio principis civitatis, non tollit speciales locorum consuetudines, et statuta : *Rip.*, *Fun.*, 12 *mart.* 1796, § 6.

Quadragenariam cum titulo seu privilegio, a S. Concilio Tridentino can. 10, vers. *Ad hæc.* sess. 24 omnino esse sublatam constat; ita ut Theatinus episcopus matrimoniales atque criminales causas cognoscere valeat, excluso præposito de Atissa : *Theat. seu Null. Atis.*, *Jurisd.*, 11 *mart.* 1702.

§ XIII.

Consuetudo immemorabilis.

Ex consuetudine immemorabili præsumptio cujuscumque tituli inductivi desumitur : *Firm.*, 18 *jul.* 1772, § 5.

Ex antiquissima consuetudine, cujus memoriæ initium non est, melior titulus de mundo præsumitur : *Civit. Cast.*, *Tax. fun.*, 13 *jul.* 1765, § 5.

Consuetudo immemorabilis, et supra centenariam, quodcumque jus scriptum, vel juris repugnantiam si adesset, vincit : *Barch.*, *Proc.*, 13 *jul.* 1765, § 7.

Immemorabilis consuetudo præbet quemcumque titulum, ita ut illius vigore admittatur non solum possessio, sed quicumque titulus ex ea possessione desumptus : *Fulg.*, *Fun.*, 28 *aug.* 1713, § 12.

At decretum irritans eam habet vim, ut resistat, impediatque, ne centenaria, vel immemorabilis consuetudo valeat inchoari : *Faven.*, *Redd. rat.*, 8 *aug.* 1772, § 5.

Consuetudo nisi sit immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo, tantummodo derogare valet juri, et constitutionibus : *Imol.*, *Jur. conv. cap.*, 14 *maii* 1774, § 8.

Consuetudo contra synodum diœcesanam, et ecclesiæ præjudicialis non admittitur, nisi sit immemorabilis, vel centenaria : *Æsin.*, *Cathed.*, 23 *febr.* 1771, § 11.

Derogari nequit juribus, tum divino, tum canonico, per immemorabilem consuetudinem : *Amer.*, *Visit. SS. LL.*, 10 *febr.* 1781, § 7.

Consuetudo vetustissima ac immemorabilis religiose est servanda : *Viter.*, *Jur. elig.*, 19 *sept.* 1767, § 4.

Maxime si nulli juris dispositioni, vel legi scriptæ adversetur, et agatur de re minimi momenti : *Ibid.*, § 5.

Si demum in materia electionum versetur; hoc in casu potissimum locum sibi vindicat consuetudo, etsi non immemorabilis : *Ibid.*

Imo ea est vis immemorabilis consuetudinis, ut etiam quamcumque juris resistentiam vincat : exemplo est, in præscribenda vel jurisdictione episcopali, vel juribus regalibus, aut decimis parochialibus : *Ibid.*, § 6.

Immemorabilis consuetudo vim habet privilegii apostolici, ex quo beneficiorum reditus vendi possunt : *Laur.*, *Nul. contr.*, 30 *aug.* 1788, § 8.

Immemorabilis consuetudo legitime probata inducit plenam jurisdictionem episcopalem cum terito-

rio separato, quoad omnes actus episcopalis jurisdictionis : *Caput.*, *Jurisd.*, 30 *jan.* 1762, § 18.

Alioquin concessio exemptionis et jurisdictionis, inducunt solum exemptionem passivam : *Ibid.*

Et renunciativa privilegii in litteris apostolicis non præ se fert illius concessionem : *Ibid.*

Ad consuetudinem vero probandam, conceditur remissoria : *Ibid.*, § 14.

Locus intra limites diœcesis, præsumitur subesse jurisdictioni Episcopi : *Ibid.*, § 15.

Immemorabilis consuetudo de jure privativo baptismum administrandi, licet justa et rationabilis ab ecclesia cathedrali affirmetur, quæ est universalis civitatis parochia et matrix, tamen sublata est a Concilio Tridentino sess. 24, cap. 13, *de Reform.* : *Ilerd.*, 7 *maii* 1785, § 8.

Et ita decretum fuit de patriarchalibus S. Joannis in Laterano, et S. Petri in Vaticano Urbis : *Ibid.*

Et Benedictus XIV, Pont. Max., sententiam suam de paschali præcepto in propria cujuslibet parochia exposuit : *Ibid.*

Atque ne ullæ adversus Tridentinas sanctiones recipiantur consuetudines, jubet ; ut licet eæ careant decreto irritante, et clausula sublata sit, cujuscumque contrariis usibus acitum intercludentibus, ea tamen non desiderantur in bulla Pii V, Pont. Max., quæ Tridentinum Concilium confirmavit : *Ibid.*, § 12.

Præsertim, quando quemcumque contrarium usum corruptelam lex Tridentina vocavit, ex quo fit ut nunquam enasci, nedum adolescere consuetudo potuerit : *Ibid.*

Et Pignatelli testis est, qui interfuit audentiæ Innoc. XI publice datæ Card. Vicario Urbis, ejus vices gerenti, et omnibus parochis, et decretum fuit non impleri præceptum paschale per communionem in ecclesia Lateranensi et Vaticana, vel alia quacumque præterquam propria parochia, non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus : *Ibid.* § 13.

Rota quæsita de cathedrali ecclesia Barcinonensi, cui favebat consuetudo immemorabilis, cumulativam habendi cum parochiis civitatis, et diœcesis administrandi communionem paschalem, in favorem cathedralis decidit et parochi olim victores succubuerunt : *Iler.*, 28 *maii* 1785, § 1.

Consuetudo immemorabilis vacandi a choro præter consuetos menses tres conciliares, dimidia parte diei pro libito cujusque, qualibet anni hebdomada ad radendam barbam, non exorbitat a jure : *Cord.*, 14 *dec.*, § 5.

Quoad præcedentiam in comitatu cadaverum, capitulo cathedralis ecclesiæ interveniente, decreta S. Congr. Rituum præservant immemorabilem, vel legitimam contrariam capitulo consuetudinem : *Narn.*, *Jur. patr.*, 8 *jun.* 1771, § 8.

Consuetudine fieri potest, ut defunctorum cadavera, eorum præsertim qui in sacris ordinibus constituti fuerint, vel minoribus initiati, si nulla electa sepultura decesserint, in cathedrali ecclesia privative quoad ceteros alios tumulari debeant : *Fulg.*, *Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 3.

Sed requiritur consuetudo vel quadragenaria cum titulo, vel centenaria, aut immemorabilis, quæ titulum præsumat : *Ibid.*

Consuetudines licet immemorabiles, juxta quas aliquid exsolvitur occasione possessionis canonicatus et præbendæ, non sunt attendendæ tanquam irrationabiles, si id quod exigitur seu persolvitur, cedit in utilitatem et privatum commodum aliorum canonicorum sive sacerdotum, aliorumve ecclesiæ ministrorum : *Cass.*, 3 *dec.* 1718, § 2.

Secus autem erit, si id quod exigitur, seu persolvitur, erogatur in usus pios : *Ibid.*

Consuetudo, cujus initii memoria non extat, qua capitulum etiam non invitatum interveniat comitatui cadaverum suæ parochiæ incolarum, etiam pauperum, in ætate adulta decedentium, quæ sive in ecclesia præcipua, vel in aliis ecclesiis sepeliuntur, dicta consuetudo probatur ex testibus cum omnibus fere requisitis glossæ *in cap.* 1, verb. *Memoria*, *de præscript.* in 6 : *Null. seu Subl.*, *Fun.*, 25 *april.* 1761, § 3.

Ideo immemorabilis consuetudo, quæ præsumptionem inducit assignationis emolumentorum funerum loco decimarum, immutanda non est, uti de jure non reprobata : *Ibid.*

Præsertim, si gratuitus sit hic comitatus factus a capitulo, quod nullum emolumentum habet pro dicto comitatu præter candelam pro singulis capitularibus ad manus deferendam; quod seposita consuetudine prohiberi nequit : *Ibid.*, § 4.

CONTEMPLATIO AGNATIONIS. Vide *Agnationis contemplatio.*

CONTINENTIA. Vide *Sacramentum Ordinis*, § XIV ; *Votum*, § II.

CONTINENTIÆ VOTUM. Vide *Sacramentum Ordinis*, § XVI ; *Votum*, § II.

Contractus.

§ I.

Contractus in genere.

Post perfectum vigore instrumenti contractum, vetitum est absque utriusque contrahentis consensu novas leges, novasque conditiones adjicere : *Inter.*, *Celeb. miss.*, 1 *jun.* 1774, § 3.

Et etiam jus sibi ex instrumento quæsitum nullatenus per testamentum posterius auferri potest : *Ibid.*

Certum in jure est, ad perfectionem contractus, sufficere publicum instrumentum mutuo contrahentium consensu stipulatum : *Ibid.*, § 6.

Contractus autem perfectus novas conditiones recipere nequit, altero invito contrahente : *Ibid.*

Ne scilicet lædatur jus quæsitum alteri ex contrahentibus, in cujus præjudicium contractus variatio non permittitur : *Ibid.*

Certissimum et notissimum juris principium illud est in individuis, nempe contractibus, cujusmodi est matrimonium, jus et privilegium uni collatum, etiam alteri contrahentium convenire : *Disser. sup. matr.*, 1740, in fin. lit. I., disc. 2, § 13.

Dum sunt leges profanæ, hæ latæ sunt a potestate laica, cui matrimonium secundum civiles quidem effectus rescindere integrum est, sed non secundum contractus rationem, cujus abrogandi facultatem, ex quo ad sacramenti excellentiam erectus fuit, penes solam Ecclesiam existit : *Ibid.*, disc. 3, § 9.

Episcopus in contractibus monialium, quæ sibi subjiciuntur, libere et independenter a quocumque alio per se, vel per alium substitutum intervenire, suumque consensum et auctoritatem præstare potest : *Mediol.*, 12 *maii* 1736, § 2.

In contractibus exploratum non est, an attendi debeat valor monetæ de tempore stipulationis, et solutionis : *Aduan., Red. miss.*, 24 *nov.* 1792, § 4.

Alii nempe attendendum censent tempus contractus, alii vero tempus solutionis : *Ibid.*

Secundum alios distinguendum est inter intrinsecam, et extrinsecam monetæ variationem : *Ibid.*

In intrinseca siquidem variatione spectandus est valor de tempore stipulationis; in extrinseca vero de tempore solutionis : *Ibid.*

§ II.

Contractus quoad beneplacitum apostolicum.

In contractibus ecclesiarum et confraternitatum ecclesiasticarum requiritur beneplacitum apostolicum : *Viter., Leg.*, 8 *august.* 1767, § 5.

Etiamsi contractus inter duas ecclesias, vel loca pia iniatur : *Ibid.*

Hinc conventio destituta beneplacito apostolico, quod in omnibus ecclesiarum ac locorum piorum contractibus requiritur, est spernenda : *Ibid.*

Secunda investitura, quæ beneplacito apostolico caret, a prima in substantialibus discrepat : *Faven., Emph.*, 18 *aug.* 1787, § 2.

Si in secunda investitura immutatio facta fuerit primæ, favorem scilicet respiciens beneficii, ut augmentum canonis, et assumptio onerum; magis hæc contractus validitatem confirmat : *Ibid.*

Notissimum in jure est : nullam esse piis locis sine causa, et utilitate, ac apostolico beneplacito contrahendi facultatem in obligationibus, quæ perpetuæ sunt : *Pisaur.*, 11 *jan.* 1744, § 5.

CONTRACTUS QUOAD CONSENSUM. Vide *Consensus* § V.

§ III.

Contractus quoad deliberationem.

Deliberatio qualiscumque ea sit et quocumque nomine donetur, nondum obtento apostolico beneplacito, nondum re per traditionem possessionis confirmata; pactum continet additionis in diem, impressa scilicet conditio, ut res infecta sit, quatenus intra certum temporis intervallum plus offerens comparuisset juxta locorum piorum privilegium : *Placen., Delib. et Præl.*, 9 *sept.* 1786, § 5.

§ IV.

Contractus quoad læsionem et justitiam.

Præsumptio est pro justitia contractus : *Priv., Emph.*, 16 *jun.* 1787, § 4.

Inire prohibetur Ecclesia damnosum contractum : *Alb., Emph.*, 14 *jan.* 1792, § 4.

Ad enormissimam læsionem inducendam, quæ nullum ipso jure reddat contractum, excessus requiritur ultra dimidium : *Mac., Emph.*, 30 *aug.* 1788, § 10.

Communiter receptum est, contractum quemlibet tractum successivum habentem, licet ab initio justum si tractu temporis fiat injustus, atque inde alter ex contrahentibus enormissime lædatur, ad justitiam, et æquitatem, non obstante quovis contrario pacto aut conventione reducendum esse : *Rom., Subs. dot. et Celeb. Miss.*, 22 *sept.* 1736, § 4.

CONTRACTUS QUOAD MONIALES. Vide *Moniales*, § II.

§ V.

Contractus quoad offerentes.

Plus offerens in majori licitatione cæteris præferendus est, ne patroni deterior evadat conditio : *Null., Subs.*, 18 *mart.* 1780, § 8.

Dummodo non obtulerit extra tempus ad licitandum in edictis præfinitum : *Ibid.*, § 4.

Idque, ne publica lædatur fides ex affixis edictis prosiliens : *Ibid.*

Neve licitantibus in tempore adimatur jus quæsitum : *Ibid.*

Quæ limitatio procedit, quando in edictis explicita apparet obligatio concedendi affixa plus et melius offerenti : *Ibid.*, § 8.

Secus ubi edicta affixa sunt ad alliciendos tantum, non autem ad præferendos plus offerentes : *Ibid.*

In quo casu, postposito plus offerente, alius præferri potest : *Ibid.*

Nam edicta pro locatione affiguntur, vel ad alliciendos offerentes, vel ad præferendos majores : *Ibid.*

Edictorum affixio, opus est ut præcedat locationem ad novennium : *Ibid.*, § 6.

Sin minus, non sustinetur locatio : *Ibid.*

Contractus ad effectum excludendi novos offerentes nunquam dicitur perfectus, nisi apostolicum beneplacitum fuerit impetratum, imo nisi fuerit cum effectu exequutioni commissum : *Plac., Delib. et Pleb.*, 9 *sept.* 1786, § 8.

Indubium non est, ut per novam edictorum affixionem priores resolvantur oblationes ; nonnulli doctores contrarium tenent in favorem præsertim ecclesiæ : *Macer., Emphy.*, 30 *aug.* 1788, § 10.

Sententia favorabilior ecclesiæ est, ut locus sit adjectioni in diem scilicet novæ oblationi post candelam extinctam et ultimo offerenti rem adjudicare ; dummodo actus non sit perfectus : *Reat.*, 28 *sept.* 1728, § 3.

Actus autem non dicitur perfectus, si beneplacitum fuerit reservatum et adhuc non fuerit obtentum, vel si fuerit obtentum, et non fuerit exequutioni mandatum : *Ibid.*

§ VI.

Contractus quoad rescisionem et resolutionem.

Contractum possunt dissolvere, qui eum inierunt : *Fan.*, 16 *sept.* 1792, § 3.

Non licet recedere a primævo quasi contractu, et dimittere bona post imminutos illorum reditus : *Aquil., Red. Miss.*, 17 *sept.* 1796, § 7.

Contractus initus pro persona nominanda, hac nominatione haud facta, resolvitur contractus : *Macer., Emph.*, 30 *aug.* 1788, § 6.

Quum agitur de contractu correspectivo, corruit in totum, et cogendus est qui recusat ad restitutionem bonorum quæ ipsi in correspectivitatem cessa fuerunt : *Sars., Oner.*, 30 *jul.* 1774, § 4.

Est locus pœnitentiæ contractus ob nondum expeditum contrahentium nomine beneplacitum apostolicum : *Macer.*, cit. loc.

Hoc tamen procedit ex parte ecclesiæ, in cujus favorem claudicat contractus, non autem ex parte contrahentis ; cum obligatio illius quem non potest pœnitere viribus subsistit : *Ibid.*, § 8.

§ VII.

Contractus quoad retrotractionem.

In conditione potestativa non habet locum retrotractio propterea quod contrahens, in cujus potestate fuit vel bene vel male rem gerere, habet quod sibi imputet : *Rom., Susp. dot.*, 7 *jul.* 1787, § 10.

Ideo rationabilius est ut attendatur tempus conditionis absque ulla retrotractione : *Ibid.*

§ VIII.

Contractus quoad sanationem.

Sicuti contractus nullus novum requirit utriusque contrahentis consensum, ut restituatur, ita alterutro dissentiente sanari non potest : *Macer., Emph.*, 30 *aug.* 1788, § 11.

§ IX.

Contractus quoad validitatem vel nullitatem.

Omnium contractuum firmitas oportet ut maneat rebus sic stantibus, et non secus : *Carp., Dism.*, 30 *jul.* 1785, § 11.

In contractibus tractum successivum habentibus, et implementum expectantibus, quolibet anno, non solum tempus contractus, sed etiam tempus futurum expectandum est : *Pisaur., Resc. contr.*, 30 *jan.* 1762, § 9.

Et est locus correctioni, ut contractus tractu temporis superveniente injustitia, vel rescindatur, vel reducatur ad æqualitatem : *Ibid.*

Sinceritas contractus evincitur ex actibus antecedentibus et subsequentibus : *Terr. et Set.*, 23 *jan.* 1790, § 5.

Si nempe in antecessum præmissa sit notitia domorum, de consensu partium per peritos electos, pejerare noluisse censentur in perniciem loci pii : *Ibid.*

Ac si per justam dati et accepti lancem fuerit servata æqualitas in contractibus requisita : *Ibid.*

Et subsequuta est observantia, quæ bonam contrahentium fidem confirmat : *Ibid.*

Contractu rescisso ob nullitatem, restituendum est pretium unica vice : *Laur.*, 13 *dec.* 1770, § 8.

Debentur etiam fructus rei frugiferæ, cujus dominium nunquam avulsum censetur ab alienante : *Ibid.*

Remissio fructuum perceptorum ex illicito contractu extenditur ad diem gratiæ : *Ibid.*

Pendente enim recursu pro hujusmodi condonatione, tempus currit in favorem recurrentis : *Ibid.*

Et comprehendit ratam temporis statutam pensionis domorum, licet non venerit solutionis dies ; quum currat dietim : *Ibid.*

Ubi vero præcessit declaratio nullitatis contractus, tunc ad eam diem retrotrahitur condonatio : *Ibid.*, § 7.

§ X.

Contractus in specie, id est cessionis.

Cessio sepulturæ jam constructæ, vera est alienatio per extrav. *Ambitiosæ* prohibita : *Terrac. et Priv.*, 19 *dec.* 1789, § 7.

In contractu absque beneplacito apostolico, et communi doctorum sententia, potest deduci commoditas, non titulus exigendi pensiones ecclesiasticas et fructus beneficii : *Laur.*, *Null. Contr.*, 30 *aug.* 1788, § 7.

Nam pensionum ecclesiasticarum cessio interdicta non est, si de simplici fiat exigendi commoditate : *Ibid*

§ XI.

Contractus vulgo collaticus.

Frequentissimi sunt apud doctores contractus qui vulgo nuncupantur *collatici*, qui fiunt, quando pro quolibet bove seu juvenco terram arante, qui traditur bubulco, quædam annua frumenti portio domino bovis exsolvitur cum pacto ut accipiens, decedente bove sine sua culpa, teneatur ad illius pretii medietatem : *Amer.*, *Visit. SS. LL.*, 16 *dec.* 1730, § 3.

CONTRACTUS EMPHYTEUSIS. Vide *Emphyteusis.*

§ XII.

Contractus emptionis et venditionis.

In bonorum alienatione seu venditione retractari nequit ob majorem oblationem, quæ supervenit, deliberatio, etiamsi de rebus Ecclesiæ agatur : *Arim.*, *Vend.*, 15 *sept.* 1792, § 5.

Maxime si per solutionem alicujus summæ sit consummata : *Ibid.*

Dum testator bonorum suorum permittit locationem, prohibere censetur venditionem : *Macer.*, 14 *mart.* 1789, § 3.

Venditio domus perniciosa capellaniæ non est permittenda : *Ascul.*, 7 *jun.* 1788, § 4.

Qui promittit se fundum non vendendum, nisi Titio, hic non obligatur præcise ad fundum vendendum, sed in casu tantum in quo fundum vendere velit : *Mediol.*, *Spons.*, 14 *april.* 1725, § 2.

Subsistere non potest expleta venditio de bonis ecclesiæ aut beneficii : *Laur.*, *Null. contr.*, 30 *aug.* 1788, § 8.

Neque prodest emptori, quod de minori agatur redituum parte ac de modica summa : *Ibid.*, § 4.

Constitutiones pontificiæ indefinitæ sunt, omnemque prohibent alienationem : *Ibid.*

Tenuitas summæ tunc eam reddit licitam, si de re fiat minus utili, et de licentia Episcopi : *Ibid.*

Hæc est de jure distinctio : aut ignoravit venditor bonorum onus, ejusque nomine non tenetur : *Fulg.*, 29 *aug.* 1789, § 4.

Aut scivit, et id tantum præstare debet, quanto emptor minoris empturus fuisset : *Ibid.*

In favorem ecclesiæ tenentur offerentes servare fidem, et emptionis contractum perficere : *Favent.*, *Vend. bon.*, 18 *aug.* 1792, § 5.

Bona destinata ad causam piam, nequeunt vendi habita fide de solvendo pretio, sed de præsenti pecunia : *Anx.*, *Vend. bon.*, 18 *aug.* 1764, § 10.

Idque procedit, etiamsi offerens promittat fructus recompensativos : *Ibid.*

Additio in diem locum non habet, nisi vere uni ex duobus licitatoribus facta fuerit venditio : *Ibid.*, § 14.

Fides de pretio attendi non debet, in licitatione bonorum sub hasta positorum : *Ibid.*

Quia nunquam præsumitur venditio, dum de sola habita fide pretii agitur : *Ibid.*

Unde nunquam venditio censetur contracta in favorem offerentis, habita fide de pretio : *Ibid.*

Quoad prælationem in contractu emptionis, et venditionis statuendam, adesse videtur contradictio in ipsis jurisconsultorum responsis : *Plac.*, *Delib. et Præl.*, 9 *sept.* 1786, § 9.

Paullus in leg. *Licet*, ff. *In diem addict.* ait : « Licet autem venditori, meliore allata conditione, addicere posteriori, — nisi prior paratus sit plus adjicere » : *Ibid.*

Idem jurisconsultus ait in l. *Necesse* ff. eod. : « Necesse autem habebit venditor meliore conditione allata priorem emptorem certiorem facere, ut quod

alius addidit, ipse quoque adjicere possit » : *Ibid.*

Hinc cum expressior sit primi textus sententia, et in secundo causa fáciendæ denunciationis afferatur, non absurdum videtur, mentem jurisconsulti fuisse, et per ea verba duntaxat innuere voluisse, ideo denunciationem esse faciendam, ut etiam primus contrahens adjicere suæ oblationi possit : *Ibid.*

Nec responsum Hermogeniani facit rem evidentiorem, in quo minori re sibi prius per licitationem addicta, sive, ut loquitur jurisconsultus, penes eum collocata, deturbatur a superveniente plus offerente, succurrendum esse dicit per restitutionem in integrum, ut tantumdem offerendo, posteriorem vincat offerentem : *Ibid.*, § 10.

Qui stant pro prælatione primo offerenti danda erga æquale pretium, dicunt hanc restitutionem in integrum præsupponere jus quod minor habebat prælationis pro eodem pretio, et quo neglecto restituitur in integrum, ut illo uti possit : *Ibid.*

Qui prælationem concedunt, dummodo superet postremam oblationem, affirmant restitutionem in integrum per hanc legem concessam minori dari, quia læsus fuerit in eo quod usque ab initio summam non obtulit, quam offerens, qui supervenit, promisit : *Ibid.*

Præceptum in jure est, in paritate pretii, meliorem cum esse offerentem qui promptiorem tutioremque offert solutionem : *Ibid.*, § 12.

§ XIII.

Contractus vulgo a godere.

Contractus qui vulgo dicitur *a godere*, seu jure pignoris, improbatur a jure : *Der., Susp.*, 17 *mart.* 1781, § 11.

Ita ut quidquid ex eo perceptum est, in sortem imputari debeat : *Ibid.*

§ XIV.

Contractus innominatus.

In contractu innominato admittitur pœnitentia : *Null. seu Farf., Canon.*, 14 *maii* 1768, § 3.

Imo admittitur etiam in contractibus nominatis, ob non implementum correspectivorum pactorum : *Ibid.*

Præsertim accedente enormi læsione : *Ibid.*

Certum in jure est, in contractibus innominatis locum esse pœnitentiæ ac rescissioni, si vel res adhuc integra maneat : *Ibid.*, § 8.

Vel una tantum ex parte sit impletus contractus : *Ibid.*

§ XV.

Contractus locationis et conductionis.

Accedente utilitate ecclesiæ permittitur locatio : *Spol., Loc.*, 18 *febr.* 1795, § 5.

Locatio ad longum tempus cum reservatione beneplaciti apostolici, est in implicito statu validitatis, donec beneplacitum obtineatur : *Ibid.*, § 4.

Nisi conductor ante beneplacitum apostolicum missus fuerit in possessionem bonorum : *Ibid.*

Facultas locandi ad novennium conceditur a S. Congreg. Concilii prævia edictorum affixione : *Null., Subl.*, 18 *mart.* 1780, § 8.

Quæ affixio requiritur pro forma : *Ibid.*

Ita ut ea neglecta, omnes actus subsequentes una cum instrumento locationis, etsi forte stipulatus sit ex officio, non sustineatur : *Ibid.*

Ratio est, quia cuncta quæ pro forma requisita sunt, per æquipollens impleri nequeunt : *Ibid.*

Locatio etiam de sola commoditate bonorum ecclesiæ, indiget beneplacito apostolico : *Const., Decr.*, 7 *jul.* 1781, § 9.

Illo deficiente, nullus et irritus est contractus : *Ibid.*

Et sic inspecta nullitate contractus, omnia in pristinum redeunt : *Ibid.*, § 10.

Tricennis locatio bonorum ecclesiæ a jure canonico prohibetur : *Senog., Loc. et Red.*, 28 *febr.* 1795, § 7.

Deliberanda non est plus offerenti locatio, conductio, sed meliori : *Perus., Emphyt.*, 3 *febr.* 1786, § 12.

Non enim major pensio semper meliorem importat oblationem, sed personæ conditio : *Ibid.*

Et Benedictus XIV, Pont. Max., de bonis Cameræ Apostolicæ locandis, priorem voluit offerentem esse præferendum, in casu auctæ ab alio offerente vigesimam : *Ibid.*, § 16.

Jussit enim priorem præferri, si nova oblatione *vigesimam* vincat.

Eamdemque prælationem concessit in casu restitutionis in integrum, sed quando supervenit oblatio *sextæ* : *Ibid.*

Lex Benedicti XIV, Pont. Max., pro locationibus Cameræ Apostolicæ edita, ex praxi sacrarum Congreg. ad licitationes quoque bonorum ecclesiasticorum fuit traducta : *Firm., Emphyt., Sup. præl.*, 29 *jul.* 1786, § 3.

Hæc jubet rem deliberari majori et meliori offerenti, nisi infra præscriptos dies alter vigesimam, aut mox sextam augeat, neque eas auctione prior offerens superare velit : *Ibid.*

Et in judicio de offerentium meritis dando, non

de sola quantitate habenda est ratio, sed de idoneitate et divitiis offerentium, quibus inspectis nedum æqualis in quantitate oblatio præfertur simili, sed et superiori quoque oblationi : *Ibid.*, § 4.

Prærogativa data est ecclesiis, ut post rem plus offerenti deliberatam, dummodo actu non sit omnino completus, novas recipere oblationes possit : *Ibid.*, § 8.

Æquitatis autem et justitiæ cum sit cultrix Ecclesia, hoc vulnus, quod dicti offerentis juribus inflixit, religiosissime compensat, et redimit dictum offerentem, pro alia majori summa ab altera superveniente oblata, præferendo : *Ibid.*

Et eadem erga primum offerentem indulgentia adhibenda est, quando primæ oblationi læsio objicitur, imploraturque adversus eam remedium restitutionis in integrum, ob concurrentem sextæ oblationem : *Ibid.*, § 9.

Locatio in bonis ad longum tempus, absque beneplacito Apostolico fieri nequit : *Ascul.*, 21 *jun.* 1788, § 16.

Cohibenda est administratoribus bonorum ecclesiæ libertas quam habent in conficiendis locationibus : *Ibid.*

§ XVI.

Contractus mutui.

Divus Thomas ait, quod dare mutuum non semper teneatur homo, et quod illud Lucæ : *Mutuum date nihil inde sperantes* ponatur inter præceptum et consilium ; nempe : ut homo nihil de lucro quærat, cadit sub ratione præcepti ; et ut det mutuo, sub consilio : *Ascul.*, 23 *febr.* 1726, § 6.

Mutuans pecunias, ut subingressum in juribus creditoris dimissi acquirat, doceat oportet, hoc pacto solvisse, et pecunias suas ad manus creditoris pervenisse in causam expressam : *Null. Lepr., Leg.*, 16 *jun.* 1781, § 8.

Contradictio.

Contracdictio tollit efficaciam contrariorum actuum : *Leod., Visit.*, 22 *jan.* 1763, § 5.

Præsertim si contrarii actus revocati fuerint mediante concordi stipulatione : *Ibid.*

Ex contradictionibus non solum infirmatur, quin imo maxime confirmatur inconcussæ observantiæ efficacia, atque rerum judicatarum auctoritas : *Ful., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 10.

Quando judicatur contradictio irrationabilis, supplere potest S. Congr. Concilii denegatum consensum : *Arim., Susp. oner.*, 20 *dec.* 1788, § 9.

Contradictio capellani interesse habentis contemni non debet : *Luc.*, 17 *jan.* 1789, § 4.

Potissimum, quia jus habet in re ; quod difficilius amittitur : *Ibid.*

Irrationabilis unius parochi contradictio in moderamine paræciarum omnium diœcesis, sperni debet : *S. Sever. seu Sept., Visit. SS. LL.*, 10 *jul.* 1790, § 9.

Episcopi contradictiones in societatis resolutionibus sunt attendendæ, si sodales, quorum interest, non reclament, quia illi possunt juri suo renunciare : *Fav., Plur.*, 12 *jul.* 1760, § 6.

Contradictores.

Illi sunt illegitimi contradictores, qui non exhibent mandatum confratrum : *Milet., Perm.*, 9 *jul.* 1774, § 3.

Contrahentes.

Contrahentes servare debent pacta concordata inter eos, et scripta : *Null. Subl., Benef. apl.*, 16 *jun.* 1781, § 6.

Non quid concordatum antea fuerit, sed quid ab eisdem partibus contrahentibus postea immutatum approbatumque fuerit, ostendi debet : *Verul., Jus. par. et Præem.*, 9 *aug.* 1777, § 5.

Contrahentes, inspecta qualitate contractus de jure naturæ indissolubilis, omni dissolutioni quæ ex probabilitate sententiæ oppositæ oriri posset, renunciare censentur : *Dissert. sup matr.*, 1740, in fin. lit. F, § 14.

Contrahentes stare tenentur legibus dantibus solemnitatem contractibus juxta stylum loci in quo contrahunt : *Ibid.*, part., 2, § 2.

Idque extenditur ad advenas quoque ac ad peregrinos, qui si in loco, in quo casu, et per accidens reperiuntur, contractum aliquem iniant, tanquam subditi temporales legibus illius loci subjiciuntur : *Ibid.*

Contumacia.

Contumacia accusatoris arguit insubsistentiam objectorum criminum : *Ascul., Par.*, 30 *jul.* 1763, § 3.

Conventio.

Conventiones et pacta non licet tollere seu propria, seu summi Pontificis auctoritate : *Urbinat., Red. oner.*, 14 *maii* 1744, § 10.

Quum conventio destituitur beneplacito Apostolico, duo advertenda : quando res est de conven-

tione inter duo loca religiosa per 60 fere annos servata, et quando per eamdem tantum generica obligatio ad certam speciem, sub eodem genere contentam redacta est : *Viter., Leg.*, 8 *aug.* 1767, § 16.

Conventio, quæ veluti progressum temporis indefiniti respicit, etiamsi ex ea detrimentum quodpiam alteri parti obvenire videatur, nequit tamen de læsione redargui sed religiose debet in ævum omne servari : *Cassanen., Quar. dec.*, 27 *sept.* 1738, § 3.

Conventualis Missa. Vide *Beneficiati*, § x; *Canonici*, § v; *Capitulum ecclesiasticum*, § vi; *Dignitates ecclesiasticæ*, § iii; *Missa*, § vii.

Conventus. Vide *Regularium Monasterium*.

Conversi. Vide *Regulares*, § iv.

Conversio conjugatorum. Vide *Matrimonium*, § xxxvi.

Convocatio. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § ii; *Concursus*, § v; *Synodus diœcesana*, § i.

Copula carnalis. Vide *Matrimonium*, § xiv.

Corporis defectus. Vide *Irregularitas*, § iii.

Corruptela. Vide *Consuetudo*, § xi.

Creditor.

Nemo dici valet creditor aut debitor antequam redditæ sint rationes : *Firm., Comp.*, 21 *april.* 1787, § 4.

Extraneus, qui creditorem de suo dimitttit, ut subingressum in illius juribus acquirere valeat, oportet hoc pacto solvisse, et pecunias suas ad manus creditoris pervenisse in causam expressam : *Nul. Lepr., Leg.*, 16 *jun.* 1781, § 3.

Si hæc extrema concomitentur, nulli dubium quin jura creditoris dimissi transeant in solventem : *Ibid.*, § 8.

Bona assignata titulo patrimonii sacri, a creditoribus occupari possunt, quum non solum fructus patrimonii sacri, sed beneficii et præbendæ possint a creditoribus occupari : dummodo id fiat in subsidium, hoc est, in defectu bonorum propriorum clerici, et dummodo ex proventu beneficii clerico debitori congrua relinquatur : *Atr.*, 23 *jun.* 1725, § 9.

Creditum.

De credito pro Ecclesiæ restauratione satisfacturus præsumitur parochus per diuturnam redituum parochiæ perceptionem : *Firm., Comp.*, 21 *april.* 1787, § 4.

Imo etiamsi de pecunia propria in restaurationem prædictam impendit, quia tunc muneri suo satisfecit : *Ibid.*

Crimen falsi. Vide *Falsi crimen*, *Irregularitas*, § iv.

Criminales causæ. Vide *Causæ*, § ii.

Criminis impedimentum. Vide *Matrimonium*, § xxxvii.

Criminis impedimentum quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § xv.

Crucesignatorum ordo. Vide *Religio militaris Ordinis*, § v.

Cruciatæ privilegium. Vide *Privilegium*, § 1.

Crux.

Crux non ecclesiæ coadjutricis, sed parochialis unice levanda est in comitatu cadaverum, quæ sunt functiones parochiales : *Andr.*, 20 *dec.* 1766, § 16.

Crucis delatio in supplicationibus non aliud significat quam vexillum sacræ militiæ : *Set., Plur.*, 18 *dec.* 1762, § 7.

Sed clerus alterius ecclesiæ ingredi nequit cathedralem cum cruce elevata : *Ibid.*

In supplicationibus consuetudo binas erigendi cruces, quarum sub una ipsum capitulum incedat, sub altera universus clerus, nullo jure improbatur, cujus exemplum habetur in metropolitana Bononiensi, ideoque immutanda non est : *Fav., Præsem. et Func.*, 7 *jun.* 1760, § 9.

Culpa.

Nemo ex propria culpa reportare debet commodum : *Derth., Com. vol.*, 10 *maii* 1794, § 5; et *Lauret., Nul. contr.*, 30 *aug.* 1788, § 66.

Qui proprio facto, propriave culpa sponte recessit, non fuit injusta coactione ejectus : *Tuscul.*, 16 *jan.* 1768, § 4.

Culpa non caret qui erogavit in alios usus fructus qui erogandi erant in celebrationem Missarum : *Albin.*, 15 *jun.* 1793, § 8.

Tribuendus non est culpæ subitus iræ motus, postea ratione refrænatus : *S. Mar., Irreg.*, 7 *aug.* 1773, § 4.

Culpa vacat consanguinea, quæ ex causa necessaria præbet occasionem uxori divertenti a viro, ne cum dedecore vagetur : *Imol., Separ. thor. sup. seq.*, 16 *febr.* 1788, § 3.

Fortasse mulier expers est culpæ ob invaliditatem matrimonii, si verosimile sit ei ignotam fuisse sanctionem Tridentini Concilii, quod nec in loco ubi ortum habuit, nec in loco ubi vixit cum priori marito, fuit promulgatum : *Neapol., Matr.*, 22 *aug.* 1733, § 13.

Reliqua. Vide *Administrator*, § 11.

Cultus divinus.

Divinus cultus exigit ut sacra solemnia religionis nostræ ministrorum numero, diebus præsertim festivis, peragi debeant : *Thel.*, 25 *jan.* 1744, § 5.

Juri consonum est, ut in favorem divini cultus mulctæ fieri permittantur, quæ alias fieri non permitterentur : *Vico. Equen., Visit. SS. LL.*, 10 *maii* 1771, § 3.

CULTUS DISPARITAS. V. *Matrimonium*, § XXXVIII.

CUMULUS. Vide *Subsidium dotale*, § V.

Cura.

§ I.

Cura animarum in genere.

Præferenda est cura animarum materiali oratori : *Cæsen., Dem. orat.*, 24 *jan.* 1795, § 4.

Habitualis curæ animarum argumenta æquivoca sunt ; participatio decimarum et quartæ funerum, sive jus baptizandi; quum hæc acquiri potuerint ex consuetudine, privilegio, vel aliorum onerum correspectivitate absque ratione curæ habitualis animarum : *Urbev.*, 30 *aug.* 1788, § 6.

§ II.

Cura animarum quoad facultatem exercendi.

Inviolabilis est dispositio Concilii Tridentini sess. 25, cap. 1, *de Regul.*, ut examine et approbatione Episcopi indigeant quicumque præficiendi sunt ad exercitium curæ animarum etiam in parochiis quæ sunt Regularibus subjectæ : *Colon.*, 10 *maii* 1760, § 6.

Ideo nihil frequentius, verbisque magis perspicuis fuit a Concilio eodem dispositum, quam ne ullus sive secularis, sive regularis ad curam animarum admittatur, nisi prævia Ordinarii approbatione vel confirmatione provisus : *Monast., Confr.*, 16 *sept.* 1769, § 16; et *Palent., Jur. visit.*, 4 *jun.* 1763, § 6; *Bonon.*, 22 *maii* 1762, § 5.

Et non obstat indultum pontificium de licentia Ordinarii non requirenda, cui resistit Concilii Tridentini posterior censura : *Palent.* cit. loc.

Specialis requiritur approbatio Episcopi ad curam animarum, nec sufficit approbatio ad audiendas confessiones, etiamsi agatur de capellano parochi coadjutore ; *Ibid.*

Cura animarum interdicta est Minoribus Reformatis : *Marian.*, 12 *jan.* 1789, § 3.

Vitanda est promiscui exercitii curæ animarum confusio : *Mont. Alt., Appl.*, 30 *jul.* 1763, § 6.

Examen et Episcopi approbatio ad curam animarum exercendam requiritur etiam quoad capellanos, seu coadjutores, et vicarios temporaneos a parochis nominatos, vel assumptos ; *Ascul.*, 22 *jan.* 1763, § 2.

Secundum disciplinam ecclesiasticam, non nisi certo vicario per Episcopum approbando animarum cura committenda est : *Andr.*, 20 *dec.* 1766, § 7.

Post Pianam bullam usu venit in pluribus ecclesiis curæ animarum exercitium in solidum mandari : *Andr.*, 29 *aug.* 1767, § 45.

Et Concilium Tridentinum magis favet quam obstat : *Ibid.*, § 46.

Idem, sess. 7, cap. 7, *de Reform.*, jubet ut in cathedralibus et collegiatis ecclesiis per idoneos vicarios animarum cura exerceatur : *Ibid.*

Et sess. 21, cap. 4, *de Reform.*, edicit rectoribus sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramentorum administrationem et obeundum cultum divinum : *Ibid.*

Divisio curæ animarum præ se fert formalem dismembrationem parochialis ecclesiæ : *Andr.*, 11 *sept.* 1762, § 9.

Et ex divisione limitum pro solo exercitio curæ animarum, nonnullæ prærogativæ cathedralis ecclesiæ communicari non possunt ecclesiis filialibus : *Ibid.*, § 10.

Curæ animarum plena facultas eruitur deputandi regulares ad nutum amovibiles, vel ex solo usu duobus sæculis pacifice continuata cum laude et populi utilitate juxta exhibitas testium depositiones, quin per curiam episcopalem unus afferatur actus in contrarium : *Spir., Par.*, 18 *jul.* 1761, § 7.

Auctoritas et jurisdictio exercendi animarum curam per Episcopos conceditur in bullis provisionum seu collationum parochialium : *Angl., Par.*, 15 *dec.* 1736, § 2.

Institutio *auctorizabilis* non nisi licentiam exercendi curam animarum præ se fert : *Ibid.*, § 3.

Atque ista ab Episcopo concedi debet solummodo post factam collationem ab abbate : *Ibid.*

Formula bullarum relata per Monacell. part. I, tit. 2, form. 11, locum non habet, quando collatio, seu provisio parochiæ ad inferiorem collatorem pertinet, quia tunc in bulla solus beneficii titulus confertur, non autem animarum cura committitur; sed procedit duntaxat in casu quo collatio libera ad Episcopum spectat; tunc enim Episcopus concedit bullas, et in illis utramque institutionem colla-

tivam scilicet et *auctorizabilem* tribuit : *Ibid.*, § 4.

Professi Ordinum mendicantium, quamvis licite transeant ad non mendicantes, sunt incapaces curæ animarum : *Ord. can. reg. SS. Salv.*, 17 *jul.* 1723, § 6.

S. Pius V Pont. Max. statuit, ut in parochialibus quæ sunt unitæ monasteriis Mendicantium, possint superiores monasteriorum suum religiosum nominare ad nutum amovibilem, qui curam animarum exerceat, prævia tamen Episcopi approbatione : *Colon.*, 7 *jan.* 1727, § ult.

Et quamvis constitutio hæc a Gregorio XIII. Pont. Max. fuerit ad terminos juris communis et S. Concilii Tridentini redacta, idem tamen Gregorius declaravit mentem suam non fuisse Pianam constitutionem revocare, aut immutare, quando cura a religioso exerceretur, et cum hoc alter socius religiosus habitaret : *Ibid.*

§ III.

Cura animarum penes quem residere dicatur.

Onus curæ animarum ex dispositione Concilii Tridentini sess. 21, cap. 4, *de Refor.* ad parochum primario spectat, et solum in alios transfunditur, quando parochiæ reditus non suppetunt : *Rom. seu Port.*, *Capell.*, 16 *jan.* 1768, § 13.

In civitate, in qua tota consistit diœcesis ac divisas non habet parochias, cura animarum residere præsumitur penes Episcopum : *Andr.*, 11 *sept.*, 1762, § 13.

Facultas deputandi curatum actualem, regulariter denotat curam habitualem penes deputantem residere : *Bon.*, 26 *mart.* 1763, § 3.

Cura animarum habitualis desumi potest ex privativo jure assistendi matrimoniis, quum nulla omnino ratione præscribi valeat ex dispositione Tridentini : *Urb.*, 30 *aug.* 1788, § 6.

Cura animarum præeminentialis, et jurisdictionalis, seu originaria, semper apud Episcopum remanet : *Andr.*, 23 *april.* 1763, § 2.

Cura præsentialis, sive immediata habitu et actu proprie pertinet ad parochum, quæque ab Episcopo avellitur, et parocho acquiritur ex lege, aut ex commissione canonica, vel ex consuetudine : *Ibid.*

Et licet ante parochiarum divisionem Episcopus solus fuerit totius diœcesis parochus, tamen divisio est præsumenda post epist. Dionysii papæ : *Ibid.*

In qua epistola enunciantur parochiæ Urbis, et monentur Episcopi ut similem divisionem faciant in suis diœcesibus : *Ibid.*, § 8.

Nec repugnat quod, post divisionem, etiam cura immediata resideat penes Episcopum : *Ibid.*

Quo casu archipresbyter in cathedrali est vicarius Episcopi in cura animarum : *Ibid.*

Reliqua quoad curam animarum. Vide *Archipresbyter*, *Beneficiatus*, § III; *Canonici*, § II; *Cappellanus*, § IX; *Capitulum ecclesiasticum*, § III.

Parochus, *Œconomus curatus*, *Præpositus*, *Prior*, *Vicarius curatus*.

Curatus. Vide *Abbas archipresbyter*, *Capellanus*, § IX; *Œconomus curatus*, *Parochus*, *Præpositus*, *Prior*, *Vicarius curatus*.

Curia episcopalis. Vide *Episcopus*.

Curia prælatorum inferiorum. Vide *Abbas*.

Damna quoad refectionem.

Damna, ut reficiantur, requiritur concludens probatio tam in genere quam in specie : *Senog.*, 5 *sept.* 1778, § 5.

Per eum sunt reficienda damna cujus mora obvenerunt : *Senog.*, *Emph.*, 15 *sept.* 1792, § 13.

Et tenetur resarcire damnum ex sua negligentia illatum : *Nep.*, *Rest. eccl.*, 31 *aug.* 1771, § 10.

Et qui causam damni dedit, propriis etiam bonis, ad emendationem damni cogi debet : *Ibid.*, § 11.

Qui auctor est damnorum ad ea sarcienda, ne successores onerentur, est cogendus : *Spolet.*, *Congr.*, 23 *nov.* 1765, § 8.

Sponsus nequit postulare damnorum refectionem, sed debent cedere pro ejus damnis expensæ factæ pro muliebri pompa et nuptiarum solemnitate, cum justam ipse suo facto, suaque deceptione præbuerit causam rescissioni sponsalium : *Mac. et Asc.*, *Spon.*, 28 *aug.* 1773, § 11.

At sponsus damnorum emendationem jure efflagitare potest, quæ ex injusta sponsalium dissolutione obvenerunt : *Ibid.*, § 18.

Sed de expensis pro ornata domus nulla est habenda ratio, utpote quia factæ fuerunt bona fide, et pro magis commoda ac decenti sponsæ habitatione : *Ibid.*

Damnati ad triremes.

Urbanus VIII Pont. Max. decrevit ut tam presbyteri seculares quam cujuscumque Ordinis regularis damnati ad triremes vel ad tempus, qui effective fuerint in eisdem triremibus remiges, finito tempore dictæ pœnæ nunquam habilitentur ad exercitium suorum ordinum : *Lavell. seu Rom.*, 8 *jun.* 1726, § 2.

Nonnulli dicunt, decretum hoc non esse declarativum juris communis, nec esse eidem conforme, et locum sibi non vindicare extra tribunal S. Officii, quum a SSmo Pontifice fuerit editum in congregatione SSmæ inquisitionis; sed hæc plene refelluntur a Raynaldo : *Ibid.*, § 3.

Alii dicunt per damnationem ad triremes effici aliquem infamem infamia juris ex genere pœnæ, et consequenter irregularem : *Ibid.*, § 4.

At opinio hodie recepta est, quod ex simplici damnatione aut transmissione ad triremes, non efficiatur quis infamis, nec irregularis, nisi vel actu remigaverit, vel fuerit transmissus propter delictum, quod de jure habeat annexam infamiam : *Ibid.*, § 5.

Damnum. Vide *Actus*, § IV.

Debitor.

Qui est debitor quantitatis, non tenetur tradere speciem : *Ascul.*, *Cap.*, 27 *febr.* 1790, § 8.

Inquirendum est an debitores fuerint ab initio, quando illis credita pecunia fuit, haud inspecto quid postea evenerit : *Ascul.*, *Red. Mis.*, 18 *sept.* 1773, § 5.

Fructus soluti per creditorem, refunduntur in debitorem loco damnorum et interesse : *Balg.*, *Eccl. cath.*, 21 *jul.* 1792, § 2.

Posterior declaratio debiti retrotrahitur ad diem quo quis debere cœpit : *Ibid.*

Ut solvere teneatur debitor fructus loco damnorum et interesse, interpellari primum, et in mora eum constitui oportet : *Ibid.*, § 3.

Nemo valet dici debitor, aut creditor, antequam redditæ sint rationes : *Firm.*, *Comp.*, 21 *april.* 1787, § 4.

Debitum.

Debita non sunt solvenda ultra vires hæreditatis : *Raven.*, *Cess. leg.*, 15 *dec.* 1759, § 11.

Cedens bonis non liberatur a debitis, sed si ad pinguiorem fortunam pervenerit, tenetur ex bonis, quæ supervenerint, solvere creditores, quod absque dubio sibi vindicat locum, si cessio etiam cum ignominia facta sit, sed invitis creditoribus : *Atr.*, 23 *jun.* 1728, § 9.

Debitum lucri dotalis si est necessarium, compensatur cum legatis et cum ipso usufructu : *Fav.*, 22 *mart.* 1766, § 16.

Vel voluntarium, et tunc compensationem non admittit : *Ibid.*

De hoc lucro variæ sunt ubique leges municipales : *Ibid.*, § 17.

Romæ, ubi statutum utriusque conjugis favorem respicit, dicitur voluntarium, quod de partium contrahentium voluntate possit remitti, vel aliter conveniri : *Ibid.*

Faventiæ statutum favorem respicit mariti tantum, cui medietatem dotis absolute dat : *Ibid.*, § 8.

Contraria pacta prohibentur sub certa pœna atque omnino abrogantur etiam juramento per instrumentum firmata : *Ibid.*

Decanatus dignitas ecclesiastica.

Collatio et provisio majorum dignitatum in cathedralibus ecclesiis Germaniæ post pontificalem et principalium in ecclesiis collegiatis in quocumque mense vacantium Sedi Apostolicæ reservatur ; ita ut si suppressa præpositura, decanatus ad primæ dignitatis gradum assurgat, de libera ejus collatione in favorem Sedis Apostolicæ non erit ullo modo dubitandum : *Colon.*, 24 *maii* 1727.

Decanus.

Præservanda est in petitorio facultas decano duplicis suffragii vigore immemorabilis observantiæ : *Trid.*, 12 *jan.* 1761, § 4.

Præsertim quia decanus obtinens dignitatem et præbendam canonicalem, duplex etiam de jure habet suffragium : *Ibid.*

Decani possunt acquirere jus visitandi ex consuetudine : *Leod.*, *Visit.*, 22 *jan.* 1763, § 4.

Tenentur tamen visitare per se ipsos, assumpto notario de consensu Episcopi : *Ibid.*

Non repugnat ut jus visitandi ad decanum simul et capitulum spectet quia potest ad plures cumulative pertinere : *Ibid.*, § 5.

Sed jus visitandi competens decano et capitulo, non potest exerceri a solo decano non auditis ceteris canonicis : *Ibid.*, § 9

Minusque licet convisitatores proprio arbitratu assumere, cum inferiores prælatos per se ipsos tantum visitare permittat Concilium Tridentinum : *Ibid.*

Decanus habens potestatem ordinariam potest interesse electioni abbatissæ, et suffragia colligere, ac secum ducere officiales : *Ibid.*, § 6.

Decanus canonicus. Vide *Canonicus*, § II.

Deceptio.

Deceptio nec temere præsumenda, nec affirmanda, nisi perspicuæ probationes afferantur : *Fav.*, 20 *jun.* 1767, § 7.

Decimæ.

§ I.

Decimæ in genere.

Decimæ præstantur a populo ad alimoniam eorum qui spiritualia administrant, in compensationem laboris : *Urb.*, 10 *maii* 1766, § 4.

Decimarum onus est necessarium ad curæ ministros alendos, et ut consulatur fabricæ ecclesiæ, ac ædibus parochialibus : *Const.*, 20 *maii* 1761, § 6.

Decimarum solutio contra jura parochi, a parochiæ incolarum voluntate pendet : *Pisaur.*, 18 *maii* 1765, § 13.

Licet quis agat contra expressam legem, canonicam cap. *Omnis.*, *de Pœnit. et Remis.*, ac synodalem : *Ibid.*

Certum est in reædificationem ecclesiarum erogari primum debent illarum reditus ex aperta Concilii lege, jurisque dispositione : *Spir.*, *Reæd. eccl.*, 10 *sept.* 1796, § 11.

Neque venire potest in dubium quin nomine fructuum ad ecclesias pertinentium, decimæ quoque comprehendantur, quapropter onus reædificationis ecclesiarum ipsis decimis insitum, quemcumque decimatorem sequitur : *Ibid.*

Consuetudo tamen in hac re plurimum spectari debet : *Ibid.*

§ II.

Decimæ quoad cessionem et restitutionem.

Cessio decimarum ab uno parocho alteri facta, successores non obligat : *Sars.*, *Oner.*, 30 *jul.* 1774, § 17.

Decimarum possessio restituenda est decimatori spoliato : *Spir.*, *Reæd. eccl.*, 30 *maii* 1771, § 6.

Reintegratio decimarum postulatur quæ indebite solutæ sunt pro ecclesiæ reædificatione : *Ead.*, 16 *sept.* 1769, § 9.

Bona fides consuetudini, rebusque judicatis innixa, excusat a decimarum restitutione quoad præteritum : *Pisaur.*, *Dec.*, 3 *mart.* 1792, § 10.

§ III.

Decimæ quoad consuetudinem et observantiam.

In materia decimarum consuetudo potissimum est attendenda : *Pisaur.*, *Dec.*, 3 *mart.* 1792, § 4.

Sufficit autem quadragenaria : *Ibid.*

Sed inter ecclesiasticas personas, satis est etiam decennalis : *Ibid.*

Bona fides consuetudini rebusque judicatis innixa, excusat a decimarum restitutione quoad præteritum : *Ibid.*, § 10.

Si res sit præsertim inter ecclesias in materia decimarum, consuetudo principem tenet locum eique obsequendum est : *Ead.*, 18 *aug.* 1785, § 10.

Illæ decimæ necessario solvendæ sunt, quæ debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata : *Ibid.*

Cum autem decimarum inter unam aliamque ecclesiam partitio, seu præstatio uni potius quam alteri ecclesiæ sit præter, non contra jus ; ideo nec immemorabilis, nec centenaria requiritur : *Ibid.*, § 11.

Sed imo quadragenaria, atque etiam decennalis satis est : *Ibid.*

Si decimarum medietas effecta sit personalis, seu sacramentalis, hoc quidem in casu variabilis evasit, ac transitoria de parochia ad parochiam, eodem ferme modo quo parochiæ incolas emigrare ex una in aliam contingit : *Ibid.*, § 12.

§ IV.

Decimæ quo jure debentur.

Jure divino mandatum est in lege veteri, ut de omnibus fructibus decima pars detraheretur, cujus præsidio sanctuarii ministri alerentur : *Nuc.*, *Præc. pasc. et Sol. dec.*, 23 *apr.* 1774, § 12.

Idem statutum noscitur a sacris canonibus, dum fidelibus deprehenditur injunctum onus tradendi ecclesiæ ministri decimam partem ex omnibus quæ quacumque de causa acquisivissent : *Ibid.*

Ideo decimarum substantia de jure est divino : *Pisaur.*, *Dec.*, 3 *mart.* 1792, § 4.

Quantitas vero, et modus juris est ecclesiæ, et ex consuetudine variari potest : *Ibid.*, § 5.

Jus percipiendi decimas non potest nisi ex immemorabili, vel ex quadragenaria cum titulo, immo cum certa scientia, et patientia unius partis, et bona fide alterius acquiri : *Const.*, *Dec.*, 16 *dec.* 1769, § 7.

Super decimas noviter erecta parochia, fundatam in jure habet intentionem licet prius decimæ a matrice ecclesia perciperentur : *Spir.*, *Reæd. eccl.*, 31 *mart.* 1770, § 6.

Maxime, quia justa dismembrationis causa interfuit : *Ibid.*

Decimæ possunt acquiri alio titulo, neque de jure ex hoc concludi potest onus curæ : *Urb.*, 10 *maii* 1766, § 13.

Præsertim cum res sit de decimis sacramentalibus : *Ibid.*

§ V.

Decimæ quibus debeantur.

Decimæ sacramentales solvendæ sunt parochiali ecclesiæ, in qua sacramenta percipiuntur : *Pisaur.*, 18 *maii* 1765, § 16.

Decimæ prædiales debentur parocho loci, ubi prædia sita sunt ; sacramentales vero illi a quo ecclesiastica administrantur sacramenta : *Ead.*, 3 *mart.* 1792, § 4.

Cum res non sit de prædialibus, illæ debentur Episcopo et parocho instar tributorum onerumque realium, licet prædii possessores vel coloni ad aliam parochiam, et diœcesim diversam pertineant : *Lar. seu Ultar.*, *Dec.*, 21 *jul.* 1753, § 4.

Parocho competit jus reale exigendi prædiales decimas ex omnibus frugibus, quæ colliguntur in agris intra illius parochiæ limites existentibus : *Const.*, *Doc.*, 16 *dec.* 1769, § 4.

Decimæ debentur parocho illius territorii, ubi prædia decimanda existunt : *Sars.*, *Oner.*, 30 *jul.* 1774, § 8.

Et id procedit, sive parochiæ incolæ in ecclesia parochiali, sive in alia in eodem territorio sacramenta recipiant : *Ibid.*

Atque dum de decimis agitur, inhærendum est observantiæ et consuetudini super illarum exactione : *Ibid.*

Ideo recurrendum est ad consuetudinem ad hoc ut definiatur cuinam parocho debeantur decimæ prædiales, quando prædium situm est in parochia unius diœcesis ; et illius dominus habitat in parochia alterius diœcesis : *Hort.*, *Dec.*, 6 *mart.* 1722, § 3.

Attamen invaluit opinio ut decimæ prædiales debeantur parocho loci in quo sita sunt prædia, quando non adest consuetudo in contrarium : *Ibid.*

Episcopis debentur decimæ de jure divino : *Satr.*, *Dec.*, 18 *nov.* 1730, § 1.

Si quis per octo ante mortem annos, assiduam moram ruri traxerit, ibique defunctus fuerit, parocho illius loci decimæ omni jure debentur : *Pisaur.*, 18 *maii* 1765, § 7.

§ VI.

Decimæ quoad earum divisionem et differentiam.

Decimæ dividuntur in prædiales et personales : *Reat., Dism. et Jur. dec.*, 31 *maii* 1783, § 12.

Decimæ personales reddi debent illi ecclesiæ in qua ecclesiastica percipiuntur sacramenta : *Ibid.*

Decimæ vero messium et fructuum arborum, si homines coluerint in alia parochia, tribui possunt juxta consuetudinem diu servatam : *Ibid.*

Decimæ aliæ sunt prædiales, quæ ex fructibus bonorum debentur : *Nuc.*, *Præc. pasch. et Sol. dec.*, 23 *april.* 1774.

Aliæ sunt prædiales, quæ a singulis familiis, inspecto uniuscujusque numero, solvuntur : *Ibid.*

Cum præstatio decimarum personalium sit onus personis inhærens, idcirco persolvi debent illæ parocho a quo quisque recipit sacramenta : *Ibid.*

Decimæ, quando non constat de titulo, præsumuntur sacramentales : *Urb.*, 30 *aug.* 1788, § 7.

§ VII.

Decimæ quoad exemptionem et privilegia.

In Concilii Lateranensis sanctione relata in cap. *Nuper.*, *de Decimis*, statutum est, ex prædiis in posterum ad regulares pertinentibus, non obstante quocumque privilegio exemptionis, decimæ persolvi debent : *Leopol.*, *Dec.*, 7 *april.* 1742, § 2.

Et decimarum exemptionis privilegio quocumque non obstante, omnia prædia ad monasteria monialium mendicantium obvenientia, primævo decimarum oneri subjiciuntur : *Ibid.*

Hoc tamen limitatur pro illis monasteriis quorum reditus congruæ uniuscujusque monialis conservationis haudquaquam sufficiunt : *Ibid.*, § 3.

Quo in casu ab omni solutione decimarum monasterium monialium immune est : *Ibid.*, § 4.

Quæ privilegia tributa fuerunt a Paulo III, aliisque Pontificibus, generatim universis monialibus Tertii Ordinis S. Francisci : *Ibid.*

Idque etiam pluries definitum est a Rotæ Romanæ Auditorio : *Ibid.*

Prædia quæ non sunt propria monasterii nec propriis manibus monachorum coluntur, sed aliis ad colendum traduntur, solutioni decimarum obnoxia remanent : *Const.*, *Dec.*, 16 *dec.* 1769, § 9.

Et hoc ipsum locum habet, sive prædia decimis subjecta culta jam fuerint, sive nuper effecta novalia, propterea quod decimator universalis jus habeat reale super ipso potissimum fundo, tanquam causa eorumdem fructuum productiva : *Ibid.*, § 4.

Privilegia omnia, et illud quoque non solvendi decimas, cessare affirmatur quoties ecclesias parochiales enormiter lædunt : *Ibid.*, § 8.

Et Ordines Cistercienses virtute privilegiorum gaudere ad summum possunt exemptione a solutione decimarum ex agris suis quos propriis manibus aut sumptibus colunt : *Ibid.*

Secus vero pro aliis bonis, cum post concilium Lateranense omnis sublata sit immunitas, ne parochorum jura evertantur : *Ibid.*

Et exemptio eis quoad prædia quæ aliis locata fuissent, non suffragatur : *Nucer., Præc. pasch.*, 23 *april.* 1774, § 15.

Idcirco Fratres Cistercienses decimas laborum suorum quæ propriis manibus vel sumptibus colunt, persolvere non debent : *Pamp. et Bar., Dec.*, 7 *febr.* 1733, § 5.

Hoc indultum est ab Alexandro III, Pont. Max. : *Ead.*, 8 *maii* 1734, § 6.

Et per hoc indultum nemini decimas solvere tenentur, exceptis decimis de terris, quas aliis excolendas tradunt : *Ibid.*, § 6.

Ceteris religiosis concessum est de novalibus suis decimas non persolvere : *Ibid.*

Et hac de causa differentia servanda est inter Cistercienses, et alios religiosos, quoad decimarum solutionis exemptionem ; quod exemptio quoad alios restricta sit ad novalia, et hortos ; quoad Cistercienses autem universe ad quæcumque bona propriis manibus vel sumptibus exculta : *Ibid.*, § 8.

At pro bonis, quæ deinceps essent acquisita post constitutionem Innocentii III in concilio Lateranensi editam, tam Cistercienses, quam reliqui omnes religiosi, tametsi propriis manibus vel sumptibus colerentur, decimæ omnino persolvi debent : *Ibid.*, § 8.

Limitatur : privilegia Cisterciensium munita sunt expressa derogatione cap. *Nuper.*, *de Decimis*, et sic exempti sunt a solutione decimarum ex bonis relictis post constitutionem prædictam, si ea propriis manibus vel sumptibus excolant : *Ibid.*, § 10.

Et nonnulli doctores cum distinctione procedendum esse arbitrantur, quod aut privilegia terras ipsas eximant a decimarum solutione, et tunc quia privilegia sunt realia, eas sequentur, licet aliis traditas ad excolendum ; aut privilegia liberant tantum personas, et in isto casu personæ comtemplatæ erunt quidem immunes, sed coloni, vel emphyteutæ ad decimas tenebuntur : *Pamp.*, *an.* 1734, cit. § 9.

Verum progressu temporis adauctis ejusdem Ordinis Cisterciensis bonis, et reditibus, privilegia imminui cœperunt : *Nuc.*, *Præc. pasch.*, 23 *april.* 1774, § 16.

Inde exemerunt Romani Pontifices monachos Cistercienses a solutione decimarum de possessionibus habitis ante concilium generale Lateranense, ac de novalibus tam ante quam post concilium, dummodo propriis sumptibus colerentur : *Ibid.*, § 17.

Item de hortis, virgultis, piscationibus suis, ac eorum animalium nutrimentis : *Ibid.*, § 18.

Et non obstante privilegio exemptionis, Cistercienses exempti sunt a solutione decimarum, non solum quoad acquisita prædia, sed etiam pro aliis in posterum acquirendis : *Ibid.*

Clausula enim derogatoria dicti concilii « et quibuscumque aliis constitutionibus, et declarationibus Apostolicis non obstantibus », apertam præ se fert derogationem cap. *Nuper* : *Ibid.*, § 19.

Atque privilegium de non solvendis decimis nequaquam tollit vim transactionis, nec transactione censetur derogatum, nisi expresse de illa mentio habeatur : *Ibid.*, § 20.

§ VIII.

Decimæ a quibus, et quomodo præstari debeant.

Juxta sacrorum canonum expressam censuram, decimæ prædiales ab aliis qui intra parœciæ limites bona possident, sunt persolvendæ : *Senog.*, *Dec.*, 29 *mart.* 1738, § 2.

Decimæ, habita familiarum ratione, inspectoque tantum earum numero, persolvi consuetæ nonnisi sacramentales, seu personales dijudicandæ sunt : *Ibid.*, § 3.

Et nec a monachis, nec ab aliis regularibus ejusmodi sacramentales, sive personales decimæ exigi possunt : *Ibid.*

Decimæ prædiales tanquam ex fructibus prædiorum sunt debitæ : *Hort.*, 29 *jul.* 1771, § 7.

At rependendæ parocho sunt ab illorum domino, quamvis extra parochiam degente, qui fructus percipit, sive jure locationis, sive coloniæ, sive alio quocumque titulo : *Ibid.*

Solvi debent decimæ prædiales per patresfamilias alibi domicilium habentes illi parocho, in cujus parœcia domum apertam, familiamque instructam retinent : *Pisaur.*, *Dec.*, 3 *mart.* 1792, § 8.

Parochiæ incolæ non tenentur decimas deferre in clericorum horrea, licet sint publica : *Ibid.*, § 6.

Neque ad id ullo pacto, aut lege obligantur : *Ibid.*

Integrarum decimarum onus quandoque refunditur in conductores, et emphyteutas qui integros percipiunt fructus : *Ibid.*, § 7.

Onus enim reale est, et possessores sequitur : *Ibid.*

Fas cuique est ac liberum, quamlibet seminis speciem serere, aut sativum prædium in pratum convertere, quin parochi de imminutis decimis conqueri valeant : *Ibid.*, § 9.

Si quis mutato domicilio extra suam parochiam negotietur, tenetur decimas persolvere parocho illius ecclesiæ, intra cujus ambitum domicilium retinet : *Nuc.*, *Præc. pasch.*, 23 *april.* 1774, § 14.

Et ratio est quia ibi de jure percipere deberet

sacramenta, et divina audire, licet per accidens ratione absentiæ hoc facere nequeat : *Ibid.*

At decimæ prædiales cum inhæreant ipsis prædiis frugiferis, debentur parocho, intra cujus parochiam prædia sita sunt, nec attendi debet, an prædii possessor sit ecclesiæ subditus et parochiæ incola, necne : *Ibid.*

§ IX.

Decimæ de quibus solvendæ.

Decimæ annuatim solvendæ sunt parochis in qualibet fructuum collectione, et ita in specie, sive natura, non autem in solutione pecuniarum : *Const., Dec.*, 7 *julii* 1781, § 8.

Decima sicuti talis, præstanda est pro piscibus captis in die festo, ac in die feriato : *Surren., Dec.*, 18 *nov.* 1730.

Reliqua quoad decimas. Vide *Parochus*, § VI.

Decimarum quarta. Vide *Episcopus*, § XXI.

Declaratio utpote continens nudam ac simplicem assertionem per modum narrationis, nec ullo documento, ac juramento firmata, rejicienda est : *Rip., Null. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 10.

Declaratio.

Declaratio voluntatis testatoris facta ab exequutore fundationis et testatori sanguine conjuncto, plurimum debet attendi : *Leod.*, 21 *nov.* 1772, § 8.

Declaratio voluntatis. Vide *Testamentum*, § II ; *Voluntas testatoris*, § 10.

Decretum.

§ I.

Decretum in genere.

Decretum irritans eam habet vim ut resistat, impediatque, ne centenaria, vel immemorabilis consuetudo valeat inchoari : *Fav., Redd. rat.*, 8 *aug.* 1772, § 5.

Manifesta subreptio adimit vim decretis judicum : *Rom. seu Port., Cap.*, 16 *jan.* 1768, § 8.

Decretum latum de mandato superioris, paratam habet exequutionem : *Urbev.*, 30 *aug.* 1788, § 7.

De validitate et justitia decreti delegati, quod est confirmatum per breve Apostolicum post accuratum testamenti, aliorumque jurium examen, dubitari non potest : *Viter., Ap. or.*, 27 *febr.* 1790, § 4.

Decretum exequutionis rescripti S. Congr. Concilii cum clausula *veris existentibus narratis* emanati, ob probationum defectum prodivisse non creditur, si in actis curiæ episcopalis non reperiatur, prout reperiri debuisset : *Sab., Par.*, 13 *jul.* 1771, § 9.

Decretum editum pro reformatione locorum piorum urbis, ob identitatem rationis extendi debet ad reliqua omnia sodalitia : *Cerv.*, 17 *april.* 1790, § 9.

Præsertim si quid inconveniens eveniret, quo casu omnino servandum est : *Ibid.*

Judicum decreta ab apostolico delegato, quando fuerint retractata, præsumitur illos fuisse erga appellantes male affectos, eosque omisisse aliquid, quominus eorum judicium et eorum decreta sustineri possint : *Ibid.*

Decretum quod latum est contra ecclesiam absque ulla rectoris vel legitimi defensoris citatione, vel interpellatione, nullum est : *Neap., Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 10.

Decreta conciliorum, bullæ Pontificum, ad hoc ut obligent, non indigent receptione subditorum, cum proveniant ab auctoritate suprema a Christo Domino data Papæ, nihilominus admitti debet doctrina communis quod scilicet, per contrarium usum, et cum scientia Pontificis, lapsu temporis abrogatio induci valeat : *Disser. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. F., § 22.

§ II.

Decretum S. Congregationis Concilii, Synodale, et Episcopi.

Decretum Episcopi non rite, neque ordine factum, abrogandum est : *Civit. Cast., Tax. fun.*, 13 *julii* 1765, § 6.

Validum est decretum Episcopi super privatione parochiæ ex informata conscientia absque trina monitione editum : *Per., Rem. vic. cur.*, 26 *sept.* 1795, § 2.

Nisi agatur de criminibus deductis in forum externum : *Ibid.*

Constitutiones synodales, si juri communi derogent, sunt spernendæ : *Civit. Pleb.*, 26 *jan.* 1760, § 5.

Non possunt amplius in oblivionem adduci, quæ synodali decreto, S. Congregationis Concilii auctoritate probato, fuerunt definita : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 25.

Pius IV Pont. Max. const. *Benedictus Deus*, 26 jan. 1564, decrevit Indici librorum prohibitorum adjiciendas esse omnes et quascumque collectiones declarationum, decisionum, seu interpretationum Congregationis Concilii impressas, vel imprimendas : *Cord.*, 14 *dec.* 1765, § 15.

Et suo decreto S. Congregatio Concilii resolutionibus suis, quæ authentica præscripta forma datæ non sunt, fidem omnem ademit : *Ibid.*

Decretorum et resolutionum S. Congregationis Concilii maxima est auctoritas : *Tyb., Par.*, 16 *jun.* 1792, § 4.

Aliæ loco legum generalium habendæ sunt declarationes S. Congregationis Concilii, cum muniuntur auctoritate Summi Pontificis, et sunt interpretationes authenticæ, quæ Concilii decretis inhærere dicuntur, non secus ac si ab initio eisdem adjunctæ fuissent : *Disser. super matr.* 1740, in fin. litt. I, disc. 1, num. 44.

Aliæ posteriores magnæ ceteroquin auctoritatis, se habent instar judicialis sententiæ, quæ jus faci in illa sola quæstione, de qua profertur ; vim tamen legis universalis obtinere, præsertim cum promulgari non soleant, negant nonnulli doctores : *Ibid.*

Primæ generales illæ declarationes fiunt consulto Pontifice, rebusque accuratissime consideratis ; cum de peculiaribus factis saltem tanta circumspectione, et cautione decidere S. Congr. non consueverit : *Ibid.*

§ III.

Decretum in Sacra Visitatione editum.

Decreta visitationis, si juri communi derogant, sunt spernenda : *Civit. Pleb.*, 26 *jun.* 1760, § 5.

Decreta, uti in sacra visitatione edita, totius diœcesis sunt leges : *Spol., Congr.*, 23 *nov.* 1765, § 9.

Et obligant omnes, et singulos in diœcesi existentes : *Ibid.*

Decreta Episcopi post peractam visitationem, absque ulla judicii forma edita, nullius sunt roboris : *Fan., Exeq. dec. S. Vis.*, 22 *nov.* 1760, § 5.

Decretum in sacra visitatione editum vim legis obtinet : *Ascul.*, 21 *jun.* 1788, § 6.

Et æstimari non debet decretum, quod ab initio receptum non demonstratur, longeque ultra 40 annos neglectum appareat : *Ibid.*

DEFECTUS ÆTATIS. Vide *Dispensatio*, § II ; *Matrimonium*, § XXV.

DEFECTUS ANIMI. Vide *Irregularitas*, § II.

DEFECTUS CORPORIS. Vide *Irregularitas*, § III.

DEFUNCTORUM CADAVERA. Vide *Cadaver, Sepultura.*

DEFUNCTORUM VOLUNTAS. Vide *Testamentum, Voluntas testatoris.*

DEI SERVUS. Vide *Servus Dei.*

DELATIO. Vide *Hæreditas*, § II ; *Sacramentum Eucharistiæ*, § II ; *Stola.*

DELEGATA JURISDICTIO. Vide *Episcopus*, §§ XI, XXVI.

Delegatio.

Delegatio Antistiti, seu ejus vicario directa, exerceri nequit ab eo qui tali in officio et dignitate constitutus non sit : *Macer.*, 24 *jan.* 1778, § 7.

Delegatus.

Delegatus apostolicus valet revocare sententiam invalidam ab exequutore mixto prolatam : *Ferent., Serv.*, 27 *nov.* 1779, § 7.

Delegans potest delegatam jurisdictionem reassumere, vel sui delegati errorem corrigere : *Mont. Alt., Can.*, 4 *dec.* 1762, § 6.

Delegatus a supremo principe, et signanter a Summo Pontifice, potest omnes actus exercere necessarios pro exequutione dispensationis, vel alterius cujuscumque gratiæ sibi commissæ : *Ugen. seu Alex., Disp.*, 7 *sept.* 1737, § 3.

Et non solum potest decretum circa enunciatam dispensationem interponere, verum etiam licentiam concedere, ut inter missarum solemnia debitæ præmittantur proclamationes, et matrimonium in facie Ecclesiæ contrahatur : *Ibid.*

Delegatio est stricti juris, ideoque præter facultatem in ea explicatam extendi nequit delegatus : *Ibid*, § 4.

Delegatus Episcopi pro visitatione tantum diœcesis, exigere potest procurationem, quæ tantum vetita est illi, pro visitatione ecclesiarum, vel locorum piorum civitatis : *Valen.*, 12 *dec.* 1767, §. 2.

DELEGATUS IN MATRIMONIIS. Vide *Matrimonium*, § XXVIII.

DELETIO. Vide *Missa*, § VIII ; *Onus, Onera*, § III ; *Subsidium dotale*, § VI.

DELIBERATIO. Vide *Contractus*, § III ; *Emphyteusis*, § IV.

DELIBERATIONES CAPITULARES. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § X.

DELICTUM. Vide *Crimen.*

Dementia.

Ad probandam dementiam admittuntur etiam testes singulares, et sola fama sufficit : *Cord., Nul. matr.*, 26 *feb.* 1763, § 10.

Et quando insania probatur ante et post matrimonium, præsumitur etiam tempore celebrati matrimonii : *Ibid.*

Atque dementes ex vitio naturæ nunquam convalescunt : *Ibid.*

Insania, quæ supervenit, matrimonium non irritat : *Ead.*, 20 *sept.* 1760, § 9.

Demolitio. Vide *Ecclesia in genere*, § v.

Denegatio appellationis. Vide *Appellatio*, § II.

Denuntiationes matrimoniales. Vide *Matrimonium*, § VI.

Depositarius. Vide *Canonicus*, § III.

Depositio, Depositiones.

Magis deferendum est prioribus depositionibus juratis, quam posterioribus, quæ contra editæ fuerint : *Neap., Matr.*, 22 *jun.* 1772, § 5.

Depositio in tribunalibus emissa a muliere, in nulla ratione habenda est, cum ab ea in proprium sui commodum emanaverit : *Olom., Null. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 17.

Eoque magis ejusmodi declaratio rejicienda est, dum agitur de matrimonii dissolutione : quo in casu, non aliæ admittuntur probationes, nisi quæ graves et perspicuæ fuerint, omnique exceptione majores : *Ibid.*

Quum longe distet articulus a depositionibus, hinc testium depositiones super articulis editæ, nullam probationem constituunt : *Valen., Prof.*, 12 *jun.* 1773, § 14.

Depositionibus canonicorum contra proprium commodum a capitulo emissis, plurimum est adhærendum : *Aret., Disp.*, 10 *august* 1774, § 8.

Depositionibus monialium in iis quæ facta sunt quoad religiosam professionem, et sub sensus cadunt, præferri potius debent aliorum qui de libera voluntate, quæ solum in animo latet, testati sunt : *Val.* cit., § 7.

Depositio, depositiones quoad testes. Vide *Testes*, § II.

Deputatio. Vide *Administrator*, § III; *Œconomus curatus*, § II; *Vicarius capitularis*, § I; *Vicarius curatus*, § II.

Deputatus. Vide *Monasterium*, § I.

Derogatio. Vide *Privilegium*, § II; *Voluntas testatoris*, § V.

Descendentia.

Descendentiæ gradus est coercendus, ne dispositio testatoris subvertatur : *Rom., Distr. dot.*, 11 *jan.* 1772, § 6.

Descendentium vocatio nullo gradu cohibetur, sed ad omnes in infinitum descendentes protrahitur : *Ibid.*, § 4.

Et sub eadem appellatione descendentium etiam fœminæ comprehenduntur per plures fœminarum gradus provenientes : *Ibid.*

Descendentia cum adjectione originis nunquam protrahi potest præter patrem et avum, ultra quos nulla amplius origo consideratur : *Ibid.*, § 5.

Neque ampliari potest ad matrem vel aviam, a quibus nulla origo desumitur : *Ibid.*

Desiderium.

Desiderium in contractu, quandoque etiam vim habet præcepti : *Null. Nonan.*, 26 *nov.* 1791, § 5.

Destructio. Vide *Oratorium*, § IV.

Devolutio. Vide *Juspatronatus*, § V.

Devolutiva appellatio. Vide *Appellatio*, § III.

Diaconatus ordo. Vide *Sacramentum Ordinis*.

Dictiones in genere.

Dictio *etiam* est ampliativa : *Plac., Celeb. Mis.*, 8 *jun.* 1771, §§ 3 et 11.

Dictio *di* adjecta loco, in omnibus locum circumscribere videtur : *Rom., Subs. dot.*, 20 *jul.* 1793, § 4; et *Fir.*, 8 *aug.* 1789, § 2.

Sed pacificum non est quod dictio *di* immediatum locum designet : cit. *Firm., ibid.*

Dictio *vel* alternativa æqualitatem denotat in vicissim vocatos : *Comen., Ben.*, 13 *jul.* 1771, § 5.

Efficitque ut electioni cujuslibet ex alternis vicibus vocatis, impleta dicatur fundatoris dispositio : *Ibid.*

Eaque dictio tunc solum prælationem imponere potest, quando agitur de personis, inter quas militat ratio ordinatæ charitatis : *Ibid.*

Et dicta dictio *vel* vi sua importet ut exercitium præbendæ impleri possit tam a sacerdote, quam ab eo qui infra annum promoveri possit : *Ead.*, 28 *jul.* 1770, § 6.

Atque eadem dictio *vel*, quæ vocationem duntaxat disjunctivam importat, exigit ut scripturæ ordo servetur : cit. *Com.*, 13 *jul.* 1771, § 14.

Dictio *seu* non est alternativa prævalentionis, sed ordinis : *Imol., Jur. conv. cap.*, 14 *mail* 1774, § 3.

Dictio eadem *seu* adjecta, alternativam inducit : *Eug., Elec.*, 7 *sept.* 1793, § 3.

Particula copulativa *et* communionem et promiscuitatem importat : *Spol., Red.*, 8 *jun.* 1771, § 5.

Dictio *cum*, si usurpatur loco alterius *et*, tunc pro copulativa habetur, et conjunctionem inducit : *Null. Fer., Vis. SS. LL.*, 7 *apr.* 1781, § 6.

Dictio *semper* omne tempus, omnemque futuræ

vacationis casum comprehendit : *Tolen., Can.*, 16 *dec.* 1769, § 6.

Quoties adhibita legitur dictio *altrimenti*, hæc diversum aliquid a præcedenti designat : *Lead.*, 21 *nov.* 1772, § 7.

Dictiones *tantum*, *duntaxat*, *tantummodo*, *etc.*, inducunt taxativum numerum enunciatum Missarum : *Spol., Cap.*, 26 *nov.* 1796, § 7.

Dictio *saltem* subsidii casum tantummodo indigitat : *Com., Ben.*, 13 *jul.* 1771, § 14.

Dictio *della* juxta ejusdem verbi naturam limitat dispositionem ad præcedenter expressa : *Jan., Cap.*, 11 *apr.* 1761, § 4.

Dictio *come gli altri* omnimodam similitudinem, easdemque qualitates importat : *Fir., Mons.*, 15 *dec.* 1770, § 7.

Dictio *datla*, latine *ex*, in vocatione adhibita ante verbum domus, vel familiæ, simplicem indicat descendentium originem : *Arim., Sub. dot.*, 26 *sept.* 1795, § 8.

Dictio *altre* duobus legatis interposita, identitatem inducit naturæ, eamdemque repetit qualitatem : *Arim., Leg.*, 27 *nov.* 1790, § 3.

Quum fundator vocaverit *tre giovani dell istesso Luogo di Colvalenza*, dictio illa *del* indicat nativitatem et originem : *Rom. seu Tud.*, 28 *jan.*, 1769, § 9.

Dictio illa *un figlio* in jurepatronatus passive accipienda non est *taxative* in aliorum filiorum exclusionem, sed *demonstrative* ad aliquam indicandam progeniem : *Firm., Præb.*, 26 *mart.* 1791, § 6.

Dictio *ne possint* vim habet decreti irritantis, et nullitatem ordinationis inducit, ut de altera dictione *nullatenus* habetur in jure civili : *Congr. Cister.*, 28 *nov.* 1789, § 6.

Dictio *etiam* sensum præ se fert omnino a prioribus verbis distinctum, ejusque indolis est ut extendat et explicet quod prius dictum fuerat : *Fav., Func.*, 17 *jul.* 1773, § 7.

Dictio *subito* nullum ex sui natura admittit vel modicum temporis intervallum : *Eug. Can.*, 7 *jul.* 1770, § 6.

Dictiones *quilibet*, *semper*, omnes casus, omnesque personas comprehendunt : *Æsin., Cap.*, 20 *jun.* 1767, § 7.

Dierum Festorum observantia. Vide *Festorum dierum observantia.*

Dies.

Quoties certa dies est præstituta, toties nulla amplius monitio seu interpellatio requiritur : *Assis.*, 10 *sept.* 1785, § 7.

Quoad recitationem divini officii, atque ecclesiasticas celebritates, incipit dies a præcedentibus vesperis : *Abul., Ser. chor.*, 23 *jan.* 1790, § 4.

Hoc tamen limitatur in cathedralibus et collegiatis ecclesiis : *Ibid*

Dies festus chori et ecclesiæ incipit a vesperis diei præcedentis, et finitur in vesperis diei sequentis : *Foros., Serv. chor.*, 11 *mart.* 1752, § 2.

Dies quoad Missam. Vide *Missa*, § IV.

Dies iræ.

Auctor *Dies iræ* manet incertus ; nonnulli carmen illud referunt ad Card. Latinium Ursinium, alii ad Augustinum de Biella ordinis Eremitarum S. Augustini, alii ad Humbertum Quintum, generalem ordinis Prædicatorum, alii ad Thomam de Celano ordinis S. Francisci : *Mont. Mar., Ser. eccl.*, 30 *jan.* 1723, § 3.

Quum unica tantum oratio dicatur in commemoratione omnium fidelium defunctorum in die depositionis, et tertio, septimo, trigesimo, et anniversario defuncti ; hinc est, quod *Dies iræ* ex industria sine peccato omitti non possit : *Ibid.*

Diffamatio.

Diffamatio non intercedit, nisi publica vox, et fama delictorum ortum habuerit a probis, gravibusque viris, insuperque apud majorem populi partem invaluerit, solidisque comperiatur innixa fundamentis : *Cracov., Par.*, 10 *febr.* 1770, § 10.

Diffamatio quæ penes probos viros deest calumniis excitata est, et injusta, ac calumniosa, ideoque spernenda : *S. Sever.*, 4 *april.* 1778, § 9.

Diffamatio, quæ apud probos homines fidem non invenit uti malitiosa imputatio est rejicienda, et non obstante illa, declarandum est licite contrahi matrimonium : *Benev., Matr.*, 20 *sept.* 1790, § 12.

Diffamatio quoad mores sufficit pro repellendo concurrente a beneficii consecutione, licet non sufficeret ad irrogandam pœnam privationis : *Lanc., Arch.*, 19 *septemb.* 1761, § 7.

Non obstat tamen diffamatio consistens in paucorum dicto : *Ibid.*, § 9.

Differentia. Vide *Decimæ*, § VI.

Dignitas. Vide *Abbas*, § III ; *Archidiaconus*, § II ; *Archipresbyter*, § II.

Dignitas ecclesiastica in genere.

Dignitas constituitur ex juris sanctione, et ex voluntate testatoris, necnon ex auctoritate Ordinarii : *Tolen., Arch.*, 11 *jan.* 1766, § 6.

Dignitatem appellant canonistæ, quæ habet administrationem perpetuam rerum ecclesiasticarum cum præeminentia in gradu : *Ibid.*, § 21.

Quoties res est de dignitate in jure expressa, nempe de archidiaconatu et archipresbyteratu, toties hæ dignitates sunt ex jure : *Ibid.*

Si fundator eam dignitatem voluerit etiam sine administratione, pro dignitate habetur, ex generali fere totius Italiæ consuetudine : *Ibid.*

Jure communi dignitates non sunt e capitulo, nisi præbendam canonicalem et erectionem a capitulo effectam habeant, vel nisi ex peculiari sanctione capitulorum, vel ex consuetudine obtinuerint : *Ibid.*, § 22.

Verior est sententia, dignitates collegiatarum non comprehendi in decreto Concilii Tridentini : *Senog*, 9 *aug.* 1766, § 5.

Nihil differunt in collegiatis dignitates a canonicatibus, quorum clerici annorum 14 capaces sunt : *Ibid.*, § 6.

Concilium Tridentinum, ubi voluit comprehendere, dixit expresse : *Ibid.*

Præterea decretum illud quod corrigit jus commune stricte est interpretandum : *Ibid.*

Sed contra forsan locus haberi potest de dignitatibus jurisdictionem, et administrationem habentibus, non de iis quæ uti tantum honorificæ existimandæ sunt : *Ibid.*, § 7.

Omnes dignitates in Italia præbendam obtinent quæ, licet reipsa canonicales non essent adhuc pro tali habentur : *Pisc., Voc. in cap.*, 8 *febr.* 1738, § 3.

Qualitas et jura dignitatum a cujusque ecclesiæ moribus, et consuetudine sunt desumenda : *Imol., Jur. conv. cap.*, 14 *maii* 1774, § 16.

Dignitates duplicis generis sunt, aliæ quæ in ipso capitulo sunt et canonicos solo gradu præcellunt, aliæ vero quæ a capitulo prorsus separatæ sunt : *Fav.*, 18 *aug.* 1764, § 5.

Doctores vero distinguunt dignitates jurisdictionem habentes ab iis quæ nullam habent jurisdictionem ; et putant eos qui dignitates absque jurisdictione possident, cum capitulo prodesse debeant industria, et consilio, mediocri scientia præditos esse debere : *Alex., Præp.*, 31 *aug* 1771, § 27.

Vacante prima dignitate ecclesiæ collegiatæ jurisdictionem in foro tantum interiori habente, ob curam animarum eidem adnexam, ecclesia ob ejus mortem viduata dicitur : *Pisaur.*, 11 *jan.* 1772, § 30.

Non tamen quoad ecclesiam collegiatam, quia capitulum idem jus retinet in condendis statutis, rebusque capitularibus disponendis, sed non in præjudicium jurium parochialium vacantis dignitatis : *Ibid.*

DIGNITATES IN SPECIE. Vide *Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus, Præpositura, Thesaurariatus.*

DIGNITAS EPISCOPALIS. Vide *Episcopalis dignitas.*

Dignitas, Honor.

In Hispania cautum est lege regia, ne ullum discrimen, quoad dignitates et honores assequendos intercedat, antiquos inter christianos et eos qui ab hæreticis, vel judæis, et mahumetanis descendunt : *Ind., Ord.*, 19 *sept.* 1761, § 1.

Ad propriam tuendam dignitatem non tantum Episcopo, sed cuilibet etiam judici, vel magistratui permissum est, contra refractarios et non obedientes, via œconomica procedere, eorumque audaciam illico cohibere : *Bal., Adm. alum.*, 19 *aug.* 1769, § 11.

Dignitates ecclesiasticæ.

§ I.

Dignitates ecclesiasticæ quoad erectionem, collationem atque ætatem.

Doctores opinantur, quod si agatur de instituenda nova dignitate quæ in tali ecclesia antea non fuerat, nequeat Episcopus id facere, sed ejus erectio est impetranda a Sede Apostolica : *Lar., Dec. syn.*, 26 *jan.* 1732, § 13.

Si vero agatur de redintegranda dignitate, quæ aliquando fuerat in tali ecclesia, sed deinde desierit, putant quod Episcopus cum assensu capituli illam restaurare possit : *Ibid.*

Idcirco ad novæ dignitatis erectionem requiritur Summi Pontificis auctoritas : *Spol., Erec. dign.*, 28 *jan.* 1736, § 3.

Sed communiter receptum est, quod ab Episcopo etiam novæ in cathedrali, aut collegiata ecclesia institui queant, si modo sint ex iis quæ in similibus ecclesiis erigi consueverint, sacrisque canonibus, ut aiunt, cognitæ existant, ad differentiam earum, quæ prorsus novæ et inusitatæ essent : *Ibid.*, § 4.

Concilium Tridentinum dignitates conferri hortatur tantum magistris, vel doctoribus, aut etiam licentiatis in sacra theologia, vel jure canonico : *Alex., Rep.*, 13 *aug.* 1771, § 27.

Et idem Concilium sess. 24, cap. 12, *de Reform.* eos qui obtinere debent dignitates in ecclesiis cathedralibus pietate præcellere jussit : *Senog.*, 9 *aug.* 1766, § 17.

Dignitates primæ ecclesiarum collegiatarum

quibus animarum cura incumbit, ex Tridentini dispositione conferuntur, prævîis tantum examine et approbatione, non autem per concursum : *Firm. seu Farf.*, 28 *jan.* 1758, § 1.

Nec obstat dispositio const. Bened. XIV in § *Abbas vero*, quia cum se referat ad dispositionem Tridentini, si hæc non complectitur primas dignitates quibus incumbit cura animarum, necque eas complecti in constitutione dicendum erit : *Ibid.*

Concilium Tridentinum cit. sess. 24, cap. 12, ætatem decernit annorum saltem 25 ad obtinendas dignitates quascumque cum animarum cura : *Senog.*, 9 *aug.* 1766, § 17.

Ad ceteras dignitates et personatus quibus animarum cura nulla subest, clerici 22 annis non minores assumantur : *Ibid.*

§ II.

Dignitates ecclesiasticæ quoad emolumenta.

Dignitates et canonicatus noviter erecti, consonum juris dispositioni est ut arceantur ab emolumentis antiquorum legatorum, licet unum corpus constituant : *Imol., Distr.*, 13 *maii* 1773, § 18.

§ III.

Dignitates ecclesiasticæ quod servitium chori et Missam conventualem.

Immunis non est a chorali servitio prima capituli dignitas, licet curam habeat animarum : *Brict.*, 20 *april.* 1793, § 11.

Nisi distinctos a capitulari massa habeat reditus, ideoque simplicem præeminentiam in capitulo : *Ibid.*, § 13.

Maxime, si relinquatur chorale servitium illius arbitrio, per hæc capitularium constitutionum verba: *Si eidem placuerit : Ibid.*

Missas conventuales tenentur celebrare dignitates etiam insignis collegiatæ : *Ibid.*, § 14.

§ IV.

Dignitates ecclesiasticæ quoad stallum in choro et vocem in capitulo.

De jure communi dignitates non sunt de capitulo, utpote quæ a solis canonicis constituuntur, etiamsi haberent stallum in choro juxta doctrinam Compostellani : *Mars., Voc. in cap.*, 30 *april.* 1729, § 3.

Ab hac regula excipitur casus quando dignitati est annexa aliqua præbenda canonicalis, tunc enim ratione canonicatus dicitur de capitulo, habetque in eo suffragium : *Ibid.*, § 4.

Amplia : id etiam procedere, etiamsi esset annexa præbenda non vere canonicalis, quæ est quando eam habens reputatur pro canonico, et habet vocem in capitulo, ut canonicus, licet non canonicus : *Ibid.*

Excipitur etiam casus, quando in ipsa erectione dignitas effecta est de capitulo, cum stallo in choro, et voce in capitulo : *Ibid.*, § 5.

Ac excipitur quoque casus, si vigore statuti, aut consuetudinis dignitates reputentur de gremio capituli, aut observantia invaluerit, per quam ipsæ actibus capitularibus intervenientibus, ad acta capitularia intermissæ fuerint : *Ibid.*, § 6.

Adest tamen doctrina rotalis Card. de Luca, qui ait quod, secundum consuetudinem totius fere Italiæ, dignitates sint de capitulo, utpote quæ ad instar aliorum canonicorum interveniunt in choro, aliisque vacant : *Ibid.*, § 7.

Dignitates inter membra capituli nequaquam recensentur, neque ad sententiam suam in actibus capitularibus proferendam admittuntur, sed stallum duntaxat in choro una cum jure præcedendi alios canonicos obtinent : *Pisc., Voc. in cap.*, 8 *febr.* 1738, § 2.

Dignitates, sive in cathedralibus, sive in collegiatis ecclesiis erectæ, exceptis iis quæ prælati vicibus funguntur, veluti membra capituli suffragium suum possunt in capitularibus actibus proferre : *Ibid.*, § 3.

Dignitates, archidiaconatus, et archipresbyteratus stallum in choro vocemque in capitulo habentes, ex universali ecclesiarum, præsertim ex consuetudine Italiæ, sunt de gremio et corpore ejusdem capituli : *Imol., Distr.*, 13 *mart.* 1773, § 3.

Et nihil officit, quod utraque dignitas particularem habeat dotem a massa communi distinctam, cum distincta dos nihil officiat constitutioni unius corporis et juri collegiativo, nihilque impediat, quominus canonici de gremio et corpore ejusdem capituli particularem habeant dotem, et præbendam : *Ibid.*

Atque si utraque dignitas ad ecclesiæ et chori servitium pari onere premitur, coæqualis etiam remuneratio ex juris dispositione ipsis est donanda : *Ibid.*, § 4.

Dignus.

Dignum semper præsumitur esse aliquem in ecclesiis : *Sutr., Præb. theol.*, 15 *jul.* 1780, § 2.

Præcipue si in eodem insimul cum scientia concurrant merita : *Ibid.*, § 3.

DIMINUTIO. Vide *Hæreditas*, § III.

DIMISSIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XII.

DIMISSIONALES LITTERÆ. Vide *Sacramentum Ordinis*, § VI.

DIŒCESANA SYNODUS. Vide *Synodus diœcesana*.

Diœcesis.

Quod sensit Fagnanus, provincias aliquas et loca sine capite ab initio fuisse, solide refutavit Rota : *Guast., Prov. med.*, 19 *jul.* 1766, § 19.

Licet ipse Fagnanus consentiat ea loca Sedi Apostolicæ juribus subjecta ipso initio extitisse : *Ibid.*

Diœcesium divisio facta non fuit per Dionysium, qui nonnisi ecclesias et parochias divisit : *Ibid.*

Episcopo ex juris præsumptione satis est ut locus conterminus suæ diœcesis, et quem nullus alter Episcopus contendat sibi esse subjectum, ad suam diœcesim pertinere censeatur : *Vult., Jurisd.*, 28 *febr.* 1733, § 10.

DIŒCESIS NULLIUS. Vide *Abbatia*.

Discrimen.

Discrimen ipsum firmat regulam in contrarium : *Casal.*, 28 *jan.* 1764, § 9.

DISMEMBRATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XII ; *Ecclesia parochialis*, § III ; *Fructus*, § II.

DISPARITAS CULTUS. Vide *Matrimonium*, § XXXVIII.

DISPENSANDI POTESTAS. Vide *Episcopus*, § XVI.

Dispensatio.

§ I.

Dispensatio in genere.

Dispensationes et derogationes strictissimi juris sunt, et dispensatio quæ respicit ad permutationem stalli et exercitii trahi nequit ad aliam diversam et duriorem gratiam dispensationis a suscipiendo ordine præbendæ adnexo, quod onus, cum veniat a dispositione conciliorum generalium, debuisset iis expresse derogari, alias iis per quantumlibet amplissimam gratiam nunquam derogatum censetur : *Rom., Præc.*, 23 *nov.* 1754, § 5.

Dispensatio non exequuta, nec purificata conditione, nequit prodesse : *Amalp.*, 17 *jan.* 1761, § 8.

In concursu descendentis testatoris et extranei, facilius consuevit Apostolica Sedes consanguineo dispensationem petenti indulgere : *Aret., Disp.*, 20 *aug.* 1774, § 7.

Idque cohæret præsumptæ testatoris voluntati, ex qua validum in jure argumentum desumitur : *Ibid.*

Præsentato intra legitima tempora sub expressa dispensationis reservatione, deneganda illa non est, cum impletis oneribus nullum ecclesiæ divinoque cultui præjudicium irrogetur : *Ibid.*, § 5.

Præsertim ex circumstantia transactionis, cujus virtute unus ex illius familia, exclusis penitus extraneis nominari debet, hinc non solum facilius conceditur, sed neque pro dignitatibus unquam denegari consuevit : *Ibid.*

Contra expressam fundatoris et transigentium voluntatem, et in præjudicium juris jam alteri quæsiti, nonnisi publica causa attendi debet pro dispensatione : *Ibd.*, § 13.

Ad impediendam dispensationis gratiam, necessarium est jus certum et actu quæsitum : *Senog., Can.*, 14 *maii* 1768, § 9.

Præsertim quando ille, qui sub prætextu præjudicii contradicit, *subsidiarie* vocatus est, si nimirum deficiat habilitas illius qui sub spe futuræ dispensationis fuit præsentatus : *Ibid.*

In præjudicium clerici habilis de genere vocatorum, dispensandum non est cum altero habili et capaci : *Nerit., Ab.*, 19 *apr.* 1760, § 3.

De illo qui voluntarium homicidium patraverat, quando agitur, si sit promovendus, testatur Fagnanus, quod nunquam viderit fuisse dispensatum aliquem, nisi forte dispensandus regularem professionem emittere voluisset : *Agr., Disp.*, 12 *decembr.* 1767, § 10.

Ubi necessitas urget, dispensatio est excusabilis ; ubi utilitas provocat, laudabilis : *Diss. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. I, disc. 1, num. 52.

Ubi agitur de vocatis ad exclusionem extranei, dispensationem facile concessit Dataria Apostolica : *Pisau., Disp.*, 37 *maii* 1766, § 12.

Defectus qualitatis per Apostolicam dispensationem non est supplendus, nec ea in alterius præjudicium est concedenda : *Æsin., Cap.*, 20 *jun.* 1767, § 8.

Re integra superveniens dispensatio retrotrahitur ad tempus habile : *Favent., Benef.*, 3 *jul.* 1762, § 6.

In præjudicium juris ex provisione et possessione quæsiti, non potest aliquis ad beneficium dispensationis admitti : *Senog., Can.*, 14 *maii* 1768, § 10.

Exequutio dispensationis demandari potest tam verbo, quam facto : *Civit. Cast., Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 7.

Quando testator vocavit aliquos de certo genere vocatione sive directa, sive mediata, sed per verba relativa ad tempus vacationis beneficii, in ipso casu, non est concedenda dispensatio inhabili in

Præjudicium habilis contradicentis : *Perus.*, *Cap.*, 14 *mai* 1774, § 6.

Sed testator vocavit habiles vocatione mediata per verba directa ad tempus præsentationis, et tunc si adsint duo coæqualiter vocati, quorum unus sit habilis, alter inhabilis, tunc patronus præsentare potest inhabilem sub conditione obtinendæ dispensationis : *Ibid.*

Quia sufficit ut intra terminum ad præsentandum concessum superveniat habilitas acquisita per dispensationem, nisi aliter fundatoris voluntas et fundationis verba suadeant : *Ibid.*

Si autem plures sint vocati, per prius et posterius, deinde in eorum defectu, alii de diversa linea, aut familia ; tunc sive vocatio sit directa, sive mediata, non potest unus habilis de familia posterius vocata præpedire, quominus alius de familia prius vocata et prædilecta idoneus per dispensationem evadat : *Ibid.*, § 7.

Si agatur vocatione directa plurium coæqualiter vocatorum, tunc durante quadrimestri jure habilis resistit, ne inhabili concedatur dispensatio, quæ concedi non solet in præjudicium alterius, qui tempore habili sese opposuit et ratione capacitatis habet jus prælationis : *Ibid.*

Difficilius dispensatur ab irregularitate ex defectu quam ab irregularitate ex violatione censurarum, quia nimia facilitate non advertitur in censuras : *Arbor.*, *Disp.*, 13 *mart.* 1784, § 5.

§ II.

Dispensatio super defectus ætatis.

Dispensatio ætatis nunquam conceditur in præjudicium juris quæsiti, alteri de genere vocatorum : *Anconit.*, *Cap.*, 12 *jun.* 1762.

Dispensatio ætatis ad assequendam capellaniam laicalem, ubi agitur de passive vocato, præsertim unico, facile concedi solet a Dataria Apostolica : *Civit. Cast.*, 1 *febr.* 1766, § 17.

Si ad capellaniam nulli jus est, nulli injuria fit ; si dispensatio ætatis concedatur, et ex benignitate semper concedenda est : *Aux.*, *Disp.*, 21 *jun.* 1766, § 8.

In præjudicium quæsiti concedenda non est dispensatio puero incapaci, cui obstat æquitatis ratio non lædendi jura tertio quæsita : *Fav.*, *Benef.*, 3 *jul.* 1761, § 4.

Et quia impetravit dispensationem elapso tempore dato ad præsentandum : *Ibid.*

Facile ad obtinendam capellaniam sacerdotalem non est ætatis venia quinquenni puericulo tribuenda, qui nec capax est clericatus : *Forol.*, *Cap.*, 25 *jun.* 1791, § 6, atque in præjudicium juris quæsiti : *Ibid.*

Æquum est ut filio unius patroni nunc extanti, et prælativam quoad omnes alios habenti ad ipsius testatoris vocationem, dispensatio ætatis concedatur : *Senog.*, *Can.*, 14 *maii* 1768, § 5.

Ac concilii dispositio locum habet in beneficiis tantummodo ecclesiasticis Episcopi auctoritate institutis : *Ibid.*, § 6.

Dispensatio ætatis quandoque indulgetur clerico, et habilis efficitur ad consequendam capellaniam, quanquam pro sacerdotibus unice fundatam : *Benev.*, *Disp.*, 17 *jul.* 1777, § 5.

Præcipue si unus sit ex passive vocatis, conjunctus testatori, et ægestate laborans : *Ibid.*

Justa deficiente causa, venia ætatis non est donanda illi in sui præjudicium, qui, ut unice qualificatus, licet secundo loco passive vocatus, ceteris præferri debet : *Verul*, *Arch.*, 30 *jan.* 1768, § 11.

Ætatis dispensationem, quando agitur de passive vocato, præsertim unico, facile Dataria Apostolica impertitur : *Ibid.*, § 13, et *Corn.*, 16 *maii* 1775, § 11 ; et *Civit. Cast.*, 21 *jan.* 1785, § 5.

Dispensatio ætatis ad effectum consequendi beneficium, seu capellaniam ecclesiasticam solet indulgeri, ubi nemo ex patronis, sive vocatis ad beneficium magis idoneus aspirat : *Cathac.*, *Disp.*, 11 *jan.* 1738, § 8.

Dispensatio ætatis facile conceditur filio patroni passive vocato a fundatoribus : *Nerit.*, *Abb.*, 19 *april.* 1760, § 4.

Amplia, si fundatores nullam præscripserunt qualitatem clericatus, et legitimæ ætatis, sed utpote requisita a jure pro idoneitate personæ instituendæ, sufficit comprobari de tempore institutionis : *Ibid.*, § 5.

Unde nec tertius jus acquirit, donec spes supersit passive vocato obtinendæ dispensationis, nec tertius est legitimus contradictor ad impediendam dispensationem : *Ibid.*

Quoties agitur de unico in secunda fundationis sede passive vocato, toties in illius favorem dispensatio ætatis facilius indulgetur : *Alex.*, *Disp.*, 8 *april.* 1786, § 9.

Præsertim cum fundatori sit sanguine conjunctus, et qui in eodem instrumento fundationis, consanguineum suum fundator ipse nuncupavit : *Ibid.*

Nequit, qui posteriorem, et subsidiariam sedem habet, impedire quin primus vocatus et dilectior, sive intra terminum quadrimestris clericali tonsura initietur, sive eumdem intra terminum apostolicam dispensationem ætatis consequatur : *Ibid.*, 13.

Non inspecto alterius subsidiarie vocati præju-

dicio, quippe quod non a jure de præsenti quæsito dependet, sed a jure duntaxat eventuali : *Ibid.*

Dispensatio ætatis indulgetur ad adipiscendam capellaniam laicalem ad nutum amovibilem in favorem conjuncti sanguine fundatori, et est de familia patronorum, qui omnes præstant consensum, et quando nullus alius ex familia est capax, nullusque extraneus jus habet ad eam obtinendam : *Cor.*, 6 *maii*, § 3.

Nec etiam de beneficiis a S. Congr. Concilii solet denegari, ubi vel res est de compatrono, vel de conjuncto fundatoris, et de illius familia, vel de passive vocato, præsertim accedente paupertate, ac patronorum omnium, nec non interesse habentium consensu : *Ibid.*

Ad beneficium seu capellàniam obtinendam illi tanquam de familia fundatoris, et tanquam filio patroni, sua non obstante infantili ætate, datur venia ex æquitate a Sede Apostolica : *Crem., Disp.*, 2 *dec.* 1775, § 3.

Accedentibus causis S. Cong. Concilii dispensationem ætatis etiam pro beneficio ecclesiastico, non raro indulsit : *Ibid.*, § 7.

Summus Pontifex concedendo utitur jure suo, neque ullam infert injuriam alteri qui non habet eam qualitatem descendentis, quam primo voluerunt fundatores : *Monas. et Osn., Can.*, 7 *april.* 1753, § 3.

Eoque amplius, quod durante termino ad præstandum nulla habeatur ratio eventualis detrimenti, quod ex concessione gratiæ evenire potest successive vocatis, qui præpedire nequeunt dispensationem ætatis ei qui antecedenter vocatus est: *Ibid.*, § 4.

Et cum fundatores respexerint non ad tempus *vocationis*, hoc casu posterior vocatus habilis, acquirere potuisset jus excludendi priorem vocatum eo tempore non habilem : *Ibid.*

Sed respexerint ad tempus præsentationis, quo casu nullum posteriori vocato quæsitum fuisse jus, sive in re, sive ad rem intra tempus patrono datum ad præsentandum, sed nudam duntaxat spem obtinendi beneficium, quæ nullam præstat facultatem præpediendi veniam ætatis præsentato a patrono : *Ibid.*

Apostolica Sedes ex æquitate facile impertitur dispensationem ætatis iis qui de sanguine sunt : *Ascul., Cap. sup. disp.*, 22 *aug.* 1750, § 5.

Maxime si talis dispensatio conveniat cum causa finali testatoris : *Ibid.*, § 4.

Adde, quod si dispensationem requirens sit agnatus, prius vocatus et prædilectus ; alius substitutus nullum jus quæsitum habere dicitur, nec dispensationem præpedire poterit : *Ibid.*

Præsertim cum pendente termino quadrimestre nulla habeatur ratio detrimenti eventualis, quod per concessionem gratiæ evenire potest successive vocatis : *Ibid.*

Fundator ad tempus vacationis beneficii cum direxisset verba illum vocando, qui eo tempore habilis esset, hoc casu jus acquirit posterior vocatus, si primo vocatus habilis non sit, item hoc casu secundo loco vocatus habet jus præpediendi veniam ætatis primo vocato : *Salub., Disp.*, 19 *dec.* 1750, § 5.

Secus si fundator non ad tempus vacationis, sed ad tempus præsentationis verba direxerit, hoc casu nullum jus quæsitum fuit intra quadrimestre spatium patronis laicis indultum secundo loco vocatis, qui nequeunt sese contradictores constituere primo vocato veniam ætatis postulanti : *Ibid.*

Dispensatio ætatis ad assequendum beneficium jurispatronatus laicorum ex justa causa postulata a clerico præsentato, qui est de genere vocatorum in fundatione, et a fundatore descendit ex sorore, concedi solet facile a Dataria Apostolica ; et neque a S. Congr. Concilii denegatur : *Baln., Disp.*, 21 *jan.* 1760, § 7.

Ac irrationabilis est oppositio capituli sive ob dignitatem cathedralis, de qua non desunt similia exempla dispensationum concessarum etiam puero quinquenni : *Ibid.*

Sive ob servitium ecclesiæ debitum, cui remanet consultum per directum in dispensatione apponi solitum, ut provisus cum primum pervenerit ad legitimam ætatem sacros ordines præbendæ adnexos suscipiat, et interim ecclesiæ deserviat per substitutum ; *Ibid.*

§ III.

Dispensatio seu indultum absentandi a choro.

Pia mater Ecclesia, quæ neminem cum gravi incommodo aut periculo ad propria munia exequenda compellit, eos a chori ecclesiæque servitio abesse posse permisit, quos adversa valetudo interesse præpediret : *S. Agat. Goth., Exemp.*, 13 *febr.* 1773, § 4.

Aliter ad concedendum indultum absentandi a choro, utilitas ecclesiæ tantum attendi debet : *Firm. seu Farf., Ind.*, 26 *nov.* 1796, § 5.

Quia dispensatio a choro concedenda est in publicam, non in privatam causam : *Sant., Serv. chor.*, 16 *maii* 1793, § 2.

Alias esset potius dissipatio : *Ibid.*

Justa est causa dispensationis a servitio ecclesiæ cum participatione fructuum, ac distributionum,

durante infirmitate : *Crem., Ind.*, 12 *jul.* 1760, § 4.

Dispensatio a servitio chori haud negari potest causa infirmitatis, ob frequentes morbi podagræ aggressiones : *Set., Disp. a serv. chor.*, 22 *mart.* 1760, § 4.

Dispensatio a servitio chori petita a canonico, qui alias diligenter inservivit, post adauctam su morbi inclementiam concedi debet : *Pisc., Ind.*, 22 *nov.* 1760, § 3.

Ad quam obtinendam non requiritur gravis infirmitas quæ omnino impediat accessum ad chorum, sed sufficit levis morbus cujus incrementum timeri possit : *Ibid.*

Medicorum testimonium affirmantium morbi gravitatem, quæ a servitio chori excuset, magis attenditur quam jurisperitorum judicium : *Nov., Ind.*, 23 *nov.* 1776, § 5.

Sacri canones nequaquam exigunt gravem infirmitatem ut quis rite possit abesse a servitio chori, sed admittunt sufficere levem etiam morbum cujus incrementum possit timeri : *Ibid.*

Praxis est Sanctæ Sedis indulta percipiendi quotidianas distributiones una cum ceteris emolumentis choro præsentibus dari solitis, consuevisse impertiri canonico quem ex religionis vel universalis Ecclesiæ causa abesse contigerit : *Col., Ind.*, 11 *aug.* 1739, § 3.

Indultum absentandi a chori servitio, quod canonicis conceditur, diversum est a decreto concilii, ne ultra trimestre illi vacent : *Civit. Cast.*, 7 *april.* 1781, § 9.

Ita ut si absint, eorum muneri non satisfaciant, quum opinio contraria, quæ inolevit, nusquam a S. Congr. Concilii suscepta fuerit : *Ibid.*

Et ratio est, quia Tridentina Synodus addit, quod salvas esse velit ecclesiarum leges et constitutiones, quæ præbendatis vacationem a choro breviorem tribus mensibus concedunt : *Ibid.*

§ IV.

Dispensatio seu indultum absentandi a residentia.

Non potest peti indultum absentandi a residentia per canonicos absque causa : *Anag., App. et Ind. abes.*, 17 *dec.* 1796, § 10.

Indultum absentandi a residentia quod conceditur canonicis diversum est a decreto Concilii Tridentini, ne ultra trimestre vacent : *Civit. Cast.*, 7 *apr.* 1781, § 9.

Ita ut si absint, eorum muneri non satisfaciant, quum opinio contraria, quæ inolevit, nusquam a S. Congr. Concilii approbata fuerit : *Ibid.*

Et ratio est, quia Tridentina Synodus addit quod salvas esse velit ecclesiarum leges, et constitutiones, quæ præbendatis vacationem a residentia breviorem tribus mensibus concedunt : *Ibid.*

Capitulares pro libito discedere nequeunt, sed tantum ob aeris asperitatem atque inclementiam locus est dispensationi a residentia : *Cing., Serv. chor.*, 15 *febr.* 1771, § 3.

Perpetua venia capellano non residendi contra expressam testamenti litteram concedi non potest : *Camer.*, 21 *jun.* 1766, § 9.

Maxime quia testator enixe et impense loci commoditatem respexit, curavitque, ut servitio ecclesiæ et publico bono prospiceret : *Ibid.*

Qui possident beneficia residentiam requirentia possunt per quinquennium abesse, vel ut alios doceant, vel ut ipsi scientiis instituantur : *Urb., Exemp.*, 19 *septemb.* 1772, § 6.

Universitati Lovaniensi Summus Pontifex Martinus V, rectori, magistris, doctoribus, et discipulis indultum concessit percipiendi omnes fructus, ac proventus beneficiorum suorum ecclesiasticorum secularium ac regularium : *Leod., Resid.*, 11 *sept.* 1734, § 1.

Revocavit hoc indultum Paulus V Pont. Max. quoad beneficiatos curam animarum adnexam habentes : *Ibid.*, § 2.

Idem Indultum Clemens X Lovaniensi academiæ tributum, et subinde a Clemente IX Pont. Max. suspensum, in pristinum restituit : *Ibid.*

Dispensationi a residentia nihil officit qualitas morbi haud impedientis egressum e domo : *Hyer., Disp.*, 13 *mart.* 1762, § 9.

Et ratio est, quia valetudinariis egressus hujusmodi permittitur in malarum effectionum levamen : *Ibid.*

Atque sufficit necessitas mutandi aerem ut æger dispensetur a residentia : *Ibid.*

Præsertim aer patrius, qui cuique est utilis : *Ibid.*

Testimonium medicorum asserentium morbi gravitatem, quæ a residentia excuset, magis quam jurisperitorum judicium est attendendum : *Novar., Ind.*, 23 *nov.* 1776, § 5.

Indulta perpetua de non residendo ex justis et rationabilibus causis elargitum est Tridentinum Concilium sess. 6, cap. 2 *de Reform.* : *Tybur., Ind.*, 7 *sept.* 1737, § 3.

Indulta, seu dispensationes temporales de non residendo Tridentina Synodus sess. et cap. cit. defendit : *Ibid.*

Indulta non residendi ad breve tempus solent concedi parochis ob inimicitias in parochia contractas : *Ibid.*

Indultum non residendi ob inimicitias, absenti non solet ultra annum prorogari : *Ibid.*

Pontificium indultum quum obliget interventum divinis officiis in una ecclesia ordinis militaris cum facultate retinendi præbendam in aliqua ecclesia collegiata, ratione continuæ residentiæ in ecclesia ordinis censetur dispensasse illos a residentia incompatibili penes ecclesiam collegiatam : *Frisin., Resid.*, 22 *nov.* 1760, § 7.

Et hoc procedit non obstante juramento de observandis statutis in adipiscenda canonicatus possessione, quia juris fictione residere dicitur, qui abest ex justa causa vel ex legitima dispensatione : *Ibid.*

Et juramentum non solum comprobatur in actu vero, sed etiam in actu ficto : *Ibid.*

Atque quousque residetur in ecclesia ordinis, haberi debet præsens etiam in ecclesia collegiata, ut percipere valeat fructus canonicales : *Ibid.*

Præposito reticente multa suæ præposituræ adversa ad obtinendum indultum a residentia, S. Congr. Concilii hæc si innotuissent, vel difficilius, vel nullo modo gratiam concessisset : *Nov., Distr. et Func.*, 11 *jan.* 1777, § 5.

Accedente potissimum juramenti vinculo, a quo præpositus erat dispensandus : *Ibid.*

Insuper inefficax est indultum, dum non residendi justa defuit causa : *Ibid.*, § 6.

Causa litis, justa haud est, quia agitur illa per procuratorem, nec est præsentia præbendati necessaria, vel saltem non longa : *Ibid.*

Qua de causa, nulla irrogatur injuria, si absenti absque legitimo titulo denegantur distributiones dividendæ inter præsentes ex lege Concilii : *Ibid.*, § 8.

§ V.

Dispensatio seu indultum assequendi, vel retinendi beneficium, seu capellaniam.

Dispensatio facile a Dataria ad retinendam capellaniam non clare laicalem conceditur, quando agitur de passive vocato : *Anc., Cap.*, 12 *maii* 1770, § 19.

Ad assequendam capellaniam habitu sacerdotalem ab illo qui sola tonsura est initiatus, dispensatio, legitima accedente causa, non denegatur ; *Tud.*, 9 *jul.* 1785, § 6.

Observantia fundationi proxima in eo, qui a testatore fuerat ad capellaniam nominatus, simulque retinuit alteram capellaniam, videtur sapere æquitatem dispensationis illas retinendi : *Macer., Disp.*, 3 *febr.* 1787, § 6.

Quamvis esset capellania sacerdotalis et hujusmodi qualitas in capellano requireretur, existimatur nihilominus indulgendam dispensationem in casu quo nullus adsit vocatus, et prædilectus qui sit actu sacerdos : *Arim., Cap.*, 26 *febr.* 1774, § 7.

Cum descendens a familia prædilecta per fundatorem non est sacerdos, et jam adest capellanus a communitate nominatus, qui hujusmodi qualitate polleat, nulla superest causa dispensandi et fundationis legi suprema auctoritate derogandi : *Ibid.*, § 6.

Maxime quia dispensatio jus adimeret jam communitati quæsitum, in cujus præjudicium gratia retorqueri deberet : *Ibid.*

Ope dispensationis proximior præferri non debet ad capellaniam in præjudicium remotioris præsentati et qualitatibus prædili : *Ibid.*, § 12.

Si duo æqualiter vocati sint, liberum est patrono, rejecto idoneo, præferre inhabilem sub conditione dispensationis, quæ a nemine impediri potest : *Alex., Præp.*, 31 *aug.* 1771, § 3.

Neque summus Pontifex in beneficiis, quæ sunt de jurepatronatus, opportunas dispensationes solet denegare : *Ibid.*

DISPENSATIO AB EXERCITIO ORDINUM. Vide *Absolutio*, § V.

§ VI.

Dispensatio ab incompatibilitate beneficiorum.

Libere dispensare valet summus Pontifex ad duo uniformia beneficia : *Trid.*, 20 *sept.* 1788, § 3.

Circumspecta tamen summi Pontificis providentia super incompatibilitate ac pluralitate beneficiorum dispensare non solet, nisi accedentibus justis et rationabilibus causis in jure probatis : *Ibid.* ; et *Pap*, 19 *feb.* 1791, § 3.

Scilicet accedente necessitate ecclesiæ, magna illius utilitate, et evidenti meritorum prærogativa : *Ibid.* cit. loc.

Ac summus Pontifex dispensando super incompatibilitate, dispensavit etiam sub onere residendi, ita ut munitus ejusdem dispensatione oneri suo satisfaciat, si in beneficio majori, vel digniori personaliter resideat, et alteri per substitutum inserviat : *Leod., Benef.*, 11 *sept.* 1734, § 9.

Solet Sedes Apostolica dispensationes concedere ad retinendum canonicatum pœnitentiarium una cum archidiaconatu in eadem ecclesia : *Oscen., Can. pœn.*, 15 *jan.* 1724, § 6.

Duplicitas, non autem triplicitas in eadem ecclesia admitti potest, etiamsi a quacumque consuetudine dependeat : *Ibid.*, § 9.

§ VII.

Dispensatio ab interstitiis.

Dispensatio a suscipiendo infra annum sacerdotio non solet iis concedi qui 20 ætatis annum excesserint : *Alex., Præp.*, 31 *aug.* 1771, § 22.

Imo S. Congr. Concilii nunquam post ætatem annorum 25 dispensare consuevit : *Ibid.*

Dispensationem ab interstitiis Tridentina Synodus committit arbitrio Episcopi, si eam viderit necessitati aut utilitati ecclesiæ congruere : *Firm., Conv.*, 18 *mart.* 1792, § 13.

Finis quem sibi proposuit Tridentinum cum præcepisset observantiam interstitiorum, est ut in clericis cum ætate *vitæ meritum, et doctrina major accrescat* : *Ibid.*

§ VIII.

Dispensatio ab irregularitate in genere.

Unus summus Pontifex potestatem habet concedendi dispensationem a publica irregularitate : *Mutin., Irreg.*, 24 *jan.* 1795, § 2 ; *Mind. seu Ovet., Ord.*, 4 *jun.* 1763, § 4 ; et *Nol., Irreg.*, 6 *dec.* 1794, § 4.

Sacerdos voluntarie homicida dispensari non debet ab irregularitate : *Ibid.*

Haud enim decet ut humano sanguine pollutus offerat immaculatam hostiam Deo : *Ibid.*

Limita, veniam mereri posse oratorem jam ad presbyteratum promotum : *Nul.* cit. loc.

§ IX.

Dispensatio ab irregularitate orta ex defectu animi.

Irregularitas in bello justo defensivo contracta, facilius dispensationem meretur : *Vis., Disp. ab irr.*, 11 *sept.* 1784, § 8.

Pius II Pont Max. indulsit irregularitatis dispensationem monachis presbyteris et clericis, qui anno 1459 bellum in Africa gesserant contra Mauros, et Lusitaniæ regi Altaserram obsidenti adfuerant : *Ibid.*

Infamia facti quæ oritur ex ejectione purgetur emendatione morum, et ideo dispensationi locus est, si nulla alia obsit causa : *Lun. Sar., Disp.*, 31 *jul.* 1751.

Quando non agitur de nato a parentibus hæreticis, nec quæstio est de promovendo ad episcopatum, sed res versatur in terminis ejus qui natus a parentibus Turcis sacerdotio jam est initiatus, nulla videtur esse necessaria dispensatio quoad beneficia consequenda : *Melev.*, 13 *aug.* 1718, § ult.

A suspensione ipso jure intentata ob calumniam subdiaconi in sacerdotem, idem dispensari nequit a pœna nondum sequuta solutione, cap. 1 *Calum.* : *Lun. Sarz.*, 9 *jul.* 1796, § 3.

§ X.

Dispensatio ab irregularitate orta ex defectu corporis.

Pluries S. Congr. Concilii dispensavit ab irregularitate ex defectu, quando agebatur de causali defectu, et de sacerdote jam promoto : *Com., Irr.*, 8 *april.* 1775, § 7.

Doctores referunt de testimonio vidisse se regularem, qui licet læva non uteretur, tamen dispensationem obtinuerit : *Burg. S. Sepul.*, 28 *maii* 1785, § 5.

Justis de causis dispensari potest etiam cum eo qui utroque brachio careat, si sacram Hostiam alterius ope et frangat, et elevet, et sumat ; ceterisque sacris officiis fungatur : *Ibid.*

Summus Pontifex dispensare potest, ut sacerdos, qui una careat manu Missam celebret, et revera ex testimonio doctorum, regularis qui ob morbum habebat manum impeditam, a summo Pontifice dispensatus fuit et celebravit sacerdote assistente : *Const.*, 15 *jul.* 1725, § 3 ; *Abell., Irr.*, 7 *jul.* 1770, § 12.

Non est concedenda dispensatio, qui inutile fere habet brachium dextrum, ad faciendum omnino sacrum necessarium : *Albingan., Irr.*, 21 *jan.* 1797, § 4.

Et Zacharias papa præcepit ne permitteretur celebratio Missæ sacerdoti ita pedibus impedito ut consistere sine baculo non valeat : *Ibid.*

Ideoque in casu quo sacerdoti pedibus impedito, qui consistere valeat tantum ope baculi, non est permittenda Missæ celebratio : *Vic., Irr.*, 15 *jul.* 1795, § 4.

Conceditur tamen dispensatio, ut quis podagra aut alio morbo laborans Missam celebret etiam sedendo, excepto canone : *Sarsin.*, 21 *april.* 1792, § 10.

Hujusmodi tamen gratia concedi tantum consuevit spectabilioribus ecclesiasticis et episcopis sanctitate præclaris : *Ibid.*, § 11.

Summus Pontifex Episcopos oculis orbatos aliquando dispensavit, ut Missam celebrarent cum alterius sacerdotis assistentia : *Flor.*, 2 *aug.* 1727, § 8.

Et dispensavit etiam alios sacerdotes, ut possent

Missam, quam memoriter retinent, recitare cum alterius sacerdotis assistentia : *Ibid.*

Dum non agitur de eo cui oculus erutus fuerit, sed de illo qui integros habeat oculos, licet unus aut alter expers sit facultate videndi. Hic nempe neque deformis, neque mutilus dici potest; ideoque si nulla deformitas interveniat, dum canonem legit, quod ab experimento dignoscitur, dispensari potest : *Firm., Disp.*, 13 *jul.* 1751, § 1.

§ XI.

Dispensatio ex crimine orta.

Quum plura afferantur in exclusionem delicti, adest spes obtinendi dispensationem ab irregularitate juxta stylum S. Congr. Concilii : *Bisac., Irr.*, 11 *april.* 1739, § 5.

Tria potissimum sunt spectanda in concedenda dispensatione ab irregularitate, an tempus tantum excesserit a die perpetrati homicidii, ut illius memoria sit obliterata in loco, et sic cesset populi offensio : *Concor., Disp. ab irr*, 9 *aug.* 1788, § 5 ; *Aquin., Irr.*, 20 *aug.* 1774, § 8.

Item ad dictam dispensationem concedendam pensitanda sunt hæc omnia, nempe boni mores, silentium fisci, partis remissio, Episcopi favor : *Leod., Irr.*, 17 *dec.* 1791, § 4 ; et cit. *Aquin.*

Juxta varias homicidii qualitates variæ a sacris canonibus de dispensatione ab irregularitate regulæ præfinitæ noscuntur : *Alb., Irr.*, 8 *aug.* 1772, § 6.

Qui homicidium voluntarium commiserit, omni ordine et beneficio ecclesiastico perpetuo privari debet : *Ibid.*

Si vero ad propriam defensionem et cum moderamine inculpatæ tutelæ commissum probetur, cognita causa, et probatis precibus, homicidia dispensari potest : *Ibid.*

Si autem in rixa patratum extiterit homicidium, spectandum est an occidens fuerit rixæ auctor, vel provocatus, an bonæ famæ, an pacem a parentibus obtinuerit, aliaque : *Ibid.*

Pro indulgenda dispensationis gratia ea solet esse praxis S. Congr. Concilii, ut etiam in homicidiis causalibus diligenter inspiciatur quæ culpa fuerit in percussore, vel vulnerante ? a quo tempore percussio contigerit ? quæ pœnitentiæ signa ? quæ morum probitas, vitæque postmodum laudabiliter gestæ, quod specimen percussor præstiterit : *Imol., Irr.*, 19 *nov.* 1740, § 10.

Homicidæ, si antea nunquam fuerit inquisitus, aut alia culpa, vel offensione notatus, et se postea honeste gesserit, aliisque fuisset exemplo, ecclesiæ inserviendo, facilius dispensatio conferri potest : *Agr., Disp.*, 12 *dec.* 1767, § 3.

Præsertim si pluries rejecta fuit ejusdem postulatio, quæ rejectio una cum supplicantis paupertate faciliorem aperit aditum dispensationi : *Ibid.*, § 4.

Accedente potissimum permanentia in urbe a triennio, quæ pro minuenda pœna solet considerari : *Ibid.*

Si agatur de habilitando jam promoto ad exercitium ordinum, facilius dispensatio conceditur : *Ibid.*, § 5.

Dispensationi non obest infamia ex delicto contracta, quum non esset infamia juris, sed facti, quæ ex subsequuta morum et vitæ emendatione per triennium continuata abstergitur : *Ibid.*, § 6.

Sacr. Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 7, *de Reform.*, voluntarium per insidias homicidam perpetuo a sacris suscipiendis ordinibus excludit ; sed adest in Summo Pontifice potestas dispensandi super irregularitate ex tali homicidio derivata, utpote quæ non a jure divino, sed a jure humano causam habet : *Plac.*, 15 *jan. et* 8 *jul.* 1734, § 2.

Sed magna cum maturitate, et quam maximis intercedentibus causis, Summi Pontifices se gerere debent in consimilibus concedendis dispensationibus : *Ibid.*, § 3.

Licet Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 6, *de Reform.*, Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus indulserit, attamen excepit ea quæ ex homicidio voluntario sunt : *Terr.*, 19 *april.* 1766, § 11 ; *Agen., Irr.*, 9 *jul.* 1768, § 7.

Ac Tridentina sanctio sess. 14, cap. 7 cit., perpetuo spem adimit accedendi ad altare Domini, obtinendæque in id dispensationis ei qui ex proposito, per dolum, et per insidias occiderit suum proximum : *Civit.*, 11 *mart.* 1786, § 5.

Et in concessione dispensationis considerandum venit tempus commissi delicti, quod si elapsi sint plures anni memoria ejus excidisse videtur, quæ plane circumstantia præ oculis habenda est : *Ibid.*, § 7.

Hinc circa dispensationem elargiendam sunt perpendenda : an homicidium fuerit commissum per industriam, sive præmeditate, et per insidias : *Agen.* cit., § 10.

An occidens fuerit auctor, vel provocatus : *Ibid.*

An tantum tempus excesserit a die patrati homicidii ut illius memoria sit obliterata in loco, et sic cesset populi offensio : *Ibid.*

Anve ab eo tempore orator a ministerio altaris abstinuerit ? *Ibid.*

An obtinuerit pacem a parentibus, vel consanguineis defuncti ? anve cum fisco concordaverit : *Ibid.*

An esset alias bonæ conditionis, et famæ et an

post delictum semper laudabiliter vixerit ex litteris testimonialibus Ordinarii : *Ibid.*

Juxta Concilii Tridentini dispositionem ea tantum irregularitas non est dispensabilis, quæ oritur ex homicidio perfecte voluntario : *S. Mar., Irr.*, 7 *aug.* 1773, § 3.

Homicidium vero perfecte voluntarium causat irregularitatem indispensabilem tantum in promovendo, non vero in promoto : *Ibid.*

Ex antiquo jure sublata non est dispensationis spes promoto homicidæ : *Melev., Irr.*, 15 *dec.* 1787, § 4.

Ac facilius ei indulgetur, ne mendicare cogatur : *Ibid.*

Irregularitatis dispensatio denegari solet pro solo homicidio voluntario : *Nul. Mon. Cas.*, 12 *dec.*, § 3 ; *Caput., Irr.*, 17 *aug.* 1793, § 3.

Conceditur ad cautelam sacerdoti qui exercuit medicinam, nec constat ejus facto aliquem obiisse : *Ibid.*

Irregularitatis dispensatio concedenda non est simplici clerico, qui voluntarium commisit homicidium : *Fav., Irr.*, 22 *nov.* 1794, § 2.

Biennium a commisso homicidio non sufficit ad obliterandam memoriam delicti : *Ibid.*

Ubi de atroci agitur homicidio piaculum reputatur dispensatio ab irregularitate : *Can., Disp. ab Irr.*, 17 *sept.* 1790, § 3.

Etsi ille qui incurrit in irregularitatem ob defensionem parentum et propinquorum, excusabilis non sit ; hujusmodi tamen irregularitas est dispensabilis : *Cons., Irr.*, 30 *jul.* 1795, § 9.

Nam permissio vim vi repellendi, et alium offendendi pro tutela patris vel filii, mariti, vel uxoris : *Ibid.*

Quæ si procedit in filio, marito, et uxore, cur non procedit in fratribus, quos inter tantus charitatis ordo intercedit : *Ibid.*

Dignus dispensatione videtur ille qui adversario suo in ipso instanti, et in ipso iræ et calore pugnæ vulnus infligit : *Ibid* , § 12.

Olim dubitatum fuit, an Tridentinum decretum, qua in parte voluntariis homicidis spem claudit obtinendæ dispensationis, etiam promotos ad ordines sacros complecteretur : *Cam., Disp. ab Irr.*, 30 *jul.* 1785, § 5.

Et hoc dubium non versabatur super suprema Ecclesiæ potestate, num possit cum promotis dispensare : *Ibid.*

Sed an quando Summus Pontifex cum promotis dispensat super hac irregularitate, Tridentinæ legi derogari videatur : *Ibid.*

Et habita congregatione coram Paulo V, Pont. Max., definitum est Tridentinum in hac parte non comprehendere promotos : *Ibid.*

Sensumque congregationis Summus Pontifex, die 2 sept. 1613, approbavit : *Ibid.*

Si nova fuit, barbaraque qualitas delicti, et tanta cum crudelitate, cujus quis sacerdos fuerit particeps, omniumque offensione conjuncta, piaculum fere videtur eum ad exercitium sacerdotalis ordinis redintegrare per dispensationem ab irregularitate : *Ibid.*, § 9.

Hinc si agitur de homicidio ex proposito et per industriam perpetrato, spem adimit Tridentinum Concilium obtinendæ dispensationis : *Moj., Disp. ab irr.*, 19 *aug.* 1786, § 4.

Sed si res est de homicidio, quod vim vi repellendo, et ut a morte se defenderet, aliquis commisit, ait Trid. quod etiam ad sacrorum ordinum, et altaris ministerium, et beneficia quæcumque ac dignitates jure quodam modo dispensatio debeatur : *Ibid.*

Ille qui ad sacros ordines per falsas testimoniales ascendit, procul dubio contraxit irregularitatem, quam uti publicam Romanus tamen Pontifex dispensare potest : *Cephal., Susp. et Irr.*, 24 *mart.* 1787, § 4.

Causæ dispensandi sunt paupertas oratoris, stante qua commiseratione dignus est ; si ad longum tempus se abstinuerit ab exercitio suorum ordinum ; si adsit silentium fisci, diuturna carceris pœna, boni mores oratoris, quæ plurimi facienda sunt ad dispensandum oratorem : *Ibid.*, § 5.

Pro indulgenda dispensationis gratia, ea solet esse praxis S. Congr. Concilii, ut etiam in homicidiis voluntariis diligenter inspiciatur, quæ culpa fuerit in percussore, vel vulnerante ? a quanto tempore percussio contigerit ? quæ pœnitentiæ signa ? quodve morum probitatis, vitæque postmodum laudabiliter gestæ specimen ille præ se tulerit ? *Imol., Irr.*, 19 *nov.* 1740, § 10.

Homicidæ dispensantur ab irregularitate, si homicidium patratum fuerit, non ex industria, aut ex insidiis ; si ab aggressoribus fuerint ultro impetiti, si non dederint rixæ causam, fisco, et parti læsæ satisfecerint, et post patratum homicidium, diuturno temporis intervallo laudabiliter vixerint : *Elbor., Irr.*, 9 *febr.* 1737, § 6.

Irregularitatem ob conniventiam incurrens, ex qua nulla provenere mala, dispensationem reportare, et obtinere valet : *Benev., Disp. ab irr.*, 26 *aug.* 1780, § 7.

Præcipue si clericus jam sit promotus : *Ibid.*

Cum in durioribus terminis, eidem ob patratum homicidium, dispensatio facilius concedatur : *Ibid.*

Ei qui commisit causale homicidium, concedenda est dispensatio : *Const., Irr.*, 26 *nov.* 1706, § 3.

Et quando abfuerit animus occidendi, licet inde mors evenerit : *Brach., Irr.*, 3 *apr.* 1755.

In homicidio casuali ac involuntario annui facile solet pro dispensatione : *Agr., Irr.*, 10 *mart.* 1770, § 4.

Tridentina Synodus hanc facit distinctionem ; si homicidium patratum fuerit sua voluntate, etiamsi id, nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo modo dispensari possit : *Ibid.*, § 8.

Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo contigerit, dispensatio concedi potest : *Ibid.* ; et *Marian., Irr.*, 17 *jul.* 1773. § 4.

Sed ne vel nimii rigoris, vel indulgentiæ niniiæ fiat usus in dispensatione, nonnulla sunt observanda : *Ibid.*, § 10.

An homicidium fuerit commissum per industriam, seu præmeditationem? an per insidias? an occidens fuerit rixæ auctor, vel provocatus? an tantum temporis excesserit a die patrati homicidii, ut illius memoria sit obliterata in loco, et sic cesset populi offensio? an ab eo tempore orator a ministerio altaris abstinuerit? an obtinuerit pacem a parentibus vel consanguineis defuncti? an cum fisco concordaverit? an esset alias bonæ conditionis et famæ? an post delictum semper laudabiliter vixerit ex litteris testamonialibus Ordinarii : *Ibid.* ; et *Tranen., Irregularitatis*, 26 *mart.* 1769, § 14.

Ex circumstantiis accedentibus occasione homicidii, facilius indulgenda est dispensatio : *Pap., Disp.*, 24 *jul.* 1748, § 7.

Sed præcipue consideratur, an homicidium commissum sit per industriam, seu præmeditationem, aut per insidias, an vero calore iracundiæ, et pura rixa? an occidens fuerit rixæ auctor, vel provocatus? an orator esset bonæ conditionis et famæ, et an post delictum semper laudabiliter vixerit : *Ibid.*

Dispensatio ad formam sacri Concilii necessaria est in homicidio patrato ad propriam defensionem, quando servatum non fuit moderamen inculpatæ tutelæ ; secus autem, si hujusmodi moderamen adhibitum fuit : *Mar., Irr.*, 22 *jan.* 1763, § 14.

Quando homicidium commissum non fuerit per industriam, sed tumultuarie, et ad sui defensionem, cum non alio modo mortem evadere potuerit, locus est dispensationi : *Taur., Irr.*, 15 *sept.* 1770, § 6.

Nam ob homicidium ad propriam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ patratum, venia dignus est sacerdos : *Vic., Irr.*, 18 *dec.* 1790.

Satis est ad concedendam dispensationem ab irregularitate triennium cum emendatione vitæ : *Ibid.*

Maxime quando res est de promoto, cum facilius indulgeatur : *Ibid.*

Homicidium vero non ex proposito, aut ex præparatione per insidias patratum, cum non esset voluntarium, benigne dispensatione donandum est : *Aginnen., Irr.*, 9 *julii* 1768, § 3.

Si agatur de homicidio pro suæ vitæ defensione patrato vim vi repellendo, dispensatio ab irregularitate benigne concedenda est ex cap 7, sess. 14, Concil. Trid. : *Marian., Irr.*, 1 *mar.* 1777, § 3.

A fortiori, si res est de clerico non promovendo, sed de clerico jam promoto : *Ibid.*, § 6.

Etiamsi agatur de homicidio voluntario : *Ibid.*

Hinc multoties dispensatio concessa est a Sancta Sede Apostolica clericis jam promotis ; etiamsi homicidium publicum fuerit, et ad forum contensiosum deductum, testatur hoc Fagnanus : *Ibid.*

Id potiori jure procedere debet, si homicidium a promoto patratum sit, vim vi repellendo, ut se a morte defenderet : *Ibid.*, § 7.

Facilius repellitur promovendus, quam dejicitur promotus, et dispensatio ab irregularitate magis conceditur iis qui in sacro presbyteratus ordine sunt constituti, quam aliis qui ad illum promoveri postulant : *Mutin., Disp.*, 24 *jan.* 1784, § 6 ; *Mur., Irr.*, 22 *jan.* 1463, § 6 ; *Dext., Irr.*, 14 *jan.* 1764, § 6 ; *Tran., Irr.*, 20 *mart.* 1768, § 7 ; *Taur., Irr.*, 15 *sept.* 1770, § 12 ; *Ugen., Disp. ab Irr.*, 14 *febr.* 1778, § 5 ; *Andr., Disp. ab Irr.*, 20 *jan.* 1781, § 9.

Ac facilius indulgetur dispensatio ab irregularitate promoto, ne cum dedecore ordinis mendicare cogatur : *Calaritana, Irregularit.*, 19 *jan.* 1793, § 3.

Præsertim si non agatur de homicidio quod vel ex animi sententia, vel dando operam rei illicitæ fuerit commissum, quibus cessantibus benignius excipiuntur dispensationis preces : *Tran., Irr.*, 26 *mart.* 1768, § 7.

Cum mors mere est casualis et involuntaria, facilius conceditur dispensatio : *Ibid.*, § 8.

In dubio an mors ex percussione evenerit aut ex male affecta personæ valetudine, aut ex neglecta morbi cura, proclivius dispensatio tunc indulgetur : *Ibid.*, § 9.

Nam Trid. dispositio citata cap. 7, sess. 14, reo homicidii voluntarii nullo modo concedit dispensationem ; si vero casuale sit cognita causa dispensare intendit : *Ibid.*

Idcirco doctores inferunt, Concilium adversari dispensationibus tantummodo ex homicidio per insidias et ex animi sententia commisso : *Ibid.*

Quamvis hoc etiam in casu summum Pontificem ex suæ potestatis plenitudine dispensare posse non dubitetur : *Ibid.*

Testatur tamen Fagnanus S. Congr. Concilii a secretis, quod cum promovendis in homicidia voluntario nunquam meminerit dispensatum fuisse cum aliquo : *Ibid.*, § 12; et *Lemov.*, *Disp. ab irr.*, 12 *jul.* 1788, § 7.

Qui etiam tradit quæ perpendi soleant ut gratia concedatur, vel denegetur : *Ibid.*, § 14.

Promovendum perpetuo a sacris ordinibus repellit Synodus Tridentina : *Cal., Irr.*, 19 *jan.* 1793.

Ac S. Congr. Concilii sub Pont. Max. Paulo V coram eodem convocata definivit, conciliarem sanctionem de promovendis loqui, non de promotis : *Sabin.*, 30 *maii* 1786, § 5.

Nam eadem synodus cit. cap. 7, sess. 14, etiamsi loquatur de simplici clerico homicida, ac præcipiat ut nullo unquam tempore ad sacros ordines promoveri possit, non item de promoto; ex veteri jure sublata haud est dispensationis spes promoto : *Concor.*, *Disp. ab irr.*, 9 *aug.* 1788, § 3 : *Com.*, *irr.*, 31 *jul.* 1790, § 8; *Mars.*, *Disp. ab irr.*, 30 *aug.* 1788, § 2.

Ac facilius ei indulgetur, ne mendicare cogatur : *Ibid.*; *Gastell.*, *Irr.*, 16 *dec.* 1797, § 3; *Comen.*, *Irr.*, 31 *jul.*, § 8.

Nam quando agitur de sacerdote jam promoto, et de homicidio per accidens et præter intentionem sequuto, post peractam pœnitentiam homicida non impeditur quominus in susceptis ministret ordinibus, et ad majores valeat promoveri : *Cass.*, *Irr.*, 14 *sept.* 1748, § 4,

Sed considerari etiam debet, an tantum tempus excesserit a die patrati homicidii, ut illius memoria sit obliterata in loco, et sic cesset populi offensio : cit. *Ibid.*, § 4.

Alii putant satis esse triennium cum emendatione vitæ, alii requirunt decennium : *Ibid.*

Sed causæ quæ requiruntur hæ sunt : constans emendatio vitæ, partis et fisci compositio, extrema oratoris paupertas, decenne temporis spatium, ex quo obliterata censetur memoria : *Com.*, *Irr.*, 31 *jul.* 1790, § 8.

Quando 15 elapsi sunt anni a patrato homicidio, quibus illius memoria deleta censetur : *Mas.*, *Dis. ab irr.*, 30 *aug.* 1778, § 2.

Ubi de homicidio non ex proposito, sed casu commisso res est, indulgendum est etiam promovendo ; *Aquil.*, *Irr.*, 17 *april.* 1790, § 2.

Multo magis promoto, cui ab ecclesiastico statu recedere non licet : *Ibid.*

Veniam meretur sacerdos homicida ob diuturnam pœnitentiam, constantem vitæ emendationem, gravemque paupertatem, ob quam cum dedecore sacerdotii mendicare cogeretur : *Ang. et Turs.*, *Irr.*, 20 *jul.* 1793, § 3.

Dispensationem mereri potest sacerdos qui fisco et parti satisfecit, et vitam, a commisso homicidio, ecclesiastico viro dignam egit, ne indecenter mendicare cogatur : *Plac.*, *Irr.*, 9 *jul.* 1796, § 6.

Ita irregularitatis dispensatio ob homicidium juxta stylum S. Congr. Concilii concedi solet, si homicida aliquam pœnitentiam egerit, atque a patrato crimine longum tempus elapsum fuerit, atque post homicidium laudabiliter vixerit : *Senog.*, *Dis. ab irr.*, 12 *maii* 1781, § 6.

Quando constat de conversione ad meliorem frugem, fisco præstita satisfactione, acta pœnitentia et maxima oratoris paupertate, SS. Canonum et Ecclesiæ benignitate dispensatio elargienda est : *Benev.*, *Irr.*, 18 *nov.* 1769, § 9.

Post lapsum temporis, et emendationem vitæ non raro concessa fuit dispensatio ab irregularitate facti : *Feretr.*, *Irr.*, 15 *martii* 1794, § 5.

Et non est concedenda dispensatio simplici clerico, qui voluntarium commisit homicidium, licet occulte : *Ibid.*, § 4.

Qui sub contumaciali est pœna, justam fovere spem nequit consequendi dispensationem ab irregularitate : *Præn.*, *Cap.*, 19 *jun.* 1790, § 4.

Aliquoties hæc dispensatio fuit concessa, publicum licet homicidium patratum fuerit, et ad forum contentiosum deductum : *Nep.*, *Disp. ab irr.*, 13 *jul.* 1784, § 6.

Ad obtinendam dispensationem tantum temporis transire debet a die perpetrati homicidii, ut illius memoria sit obliterata in loco, et sic cesset populi offensio ac horror ne vir sanguinolentus ministret ad altare, quæ causa fuit instituendi irregularitatem : *Mel.*, *Disp.*, 29 *nov.* 1742; *Lemov.*, *Disp. ab irr.*, 12 *jul.*, 1788; *Urb.*, *Jur.*, 20 *mart.* 1790, § 4; *Ascul. Irr.*, 19 *jun.* 1790, § 3; *Feretr.*, *Irr.*, 28 *maii* 1791, § 3; *Leod.*, *Irr.*, 17 *dec.* 1761, § 4; *Conven.*, *Irr.*, 21 *april.* 1792, § 2.

Et ad delendam commissi delicti memoriam requiritur decennium, vel saltem cum notabili emendatione vitæ triennium : cit. *Lun.*, § 4; *Lemov.*, *ibid.*

Et ex homicidio non voluntario in causa si orta est irregularitas, facilius conceditur dispensatio : cit. *Feretr.*, § 4; cit. *Ascul.*, *ibid.*

Atque ex homicidio cum moderamine inculpatur tutelæ, merentur indulgentiam etiam simplices clerici : *Ibid.*

Præcipue in dispensatione concedenda spectandum est, si fisco satisfecerit orator, et testimonio Episcopi pluribus annis in sæculo bonis moribus præfulsit? cit. *Urbev.*, *ibid.*

Difficilior est dispensatio, quando vix lapsum est

ab homicidio triennium, nec adhuc deleta est illius memoria : *Berg., Irr.*, 19 *jan* 1793, ⅋ 2.

Dispensationem impedire potest recens memoria delicti, quæ nondum per sexennium deleta est : *Fer., Irr.*, 9 *jul.* 1796, § 6.

Dispensatur clericus ab irregularitate, si bonis fuerit imbutus moribus, et resipiscentiæ signa dederit, ac congruum tempus effluxerit a die commissi delicti, ita ut ab hominum memoria sit crimen obliteratum : *Arbor., Disp.*, 13 *mar.* 1784, § 5.

Homicidium patratum a puero doli incapace casu fortuito non habente occidendi animum, dispensatione est dignum, absque distinctione an dederit operam rei licitæ, vel adhibuerit diligentiam : *Ibid.*, § 7.

Diaconus qui homicidio causam dedisse videtur non est ad sacerdotium promovendus : *Saler., Irr*, 20 *april.* 1771, § 4.

Sed in locum tantummodo habet in casu, quo quis proximam morti causam præbuit, scilicet consilio, præcepto, vel ope : *Ibid.*

Episcopo in omnibus irregularitatibus, et in omnibus suspensionibus ex delicto occulto provenientibus dispensare licet, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis ad forum contensiosum deductis : *Pap.*, 21 *maii* 1778, ⅋ 2.

Habens facultatem dispensandi in homicidio casuali, non potest dispensare in voluntario, quod contingit, quando occidens non solum explicite vult occidere, sed etiam quando vult percutere, et irrogare injuriam, et per se, et immediate, ac non per accidens homicidium sequitur : *Ibid.*, § 4.

Dispensatio cum clausula, *si et postquam regularem professionem emiserit*, conceditur irregularibus ex homicidio voluntario et nondum ad sacros ordines promotis, si velint religionem ingredi : *Ibid*

Circumstantia autem longæ annorum intercapedimis a die commissi delicti, et continuata per tantum temporis spatium vita exemplaris, maximopere reputatur ad dispensationem obtinendam : *Ibid.*, § 9.

Sacrum Concilium Tridentinum adversatur tantummodo dispensationibus ex homicidio patrato per industriam, insidias, et ex proposito : *Ibid.*, § ult.

Reliqua quoad dispensationem ab irregularitate. Vide *Episcopus*, § xvi.

§ XII.

Dispensatio matrimonialis ab impedimentis in genere.

Auctoritate Summi Pontificis tollitur omne impedimentum positivo canonum jure constitutum : *Const., Disp.*, 13 *april.* 1768, § 2.

Sed justæ concurrere debent causæ, ex quibus Summus Pontifex prudenter arbitrium suum, et supremam interponat potestatem, ut oblatæ preces exaudiantur : *Ibid.*

Distinguitur *dispensatio, a mandato de dispensando* : *Civit. Cast., Nul. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 10.

Prima est, quando Summus Pontifex directe dispensationem concedit, et brevia vel litteras Apostolicas dispensationis *in forma gratiosa* ad ipsos oratores dirigit : *Ibid.*

Simplex mandatum de dispensando est, quando litteræ ad certos judices *in forma commissaria* diriguntur, ut, verificatis expositis, dispensatio concedatur : *Ibid.*

In primo casu, gratia ab initio dicitur pura et perfecta, directeque tollit impedimentum : *Ibid.*

In secundo casu, gratia perfecta non est, nisi exequutor eamdem indulserit, unde ex facto exequutoris pendet impedimenti remotio : *Ibid.*

Hinc inquirendum est, an ex ipso facto exequutoris certa habeatur illius voluntas dispensandi, ita ut si non positivo decreto, saltem facto, et voluntate deletum fuerit impedimentum ad valide matrimonium contrahendum : *Ibid.*, § 11.

Litteræ Apostolicæ non continent dispensationem eo ipso traditam a Pontifice, nec statim tollunt impedimentum, sed præ se ferunt duntaxat mandatum ad dispensationem indulgendam, proindeque impedimentum perseverat, usque dum exequutor a Pontifice delegatus illud non sustulerit : *Jan., Spons.*, 12 *dec.* 1733, § 7.

Dispensatio matrimonialis non comprobata norma in pontificio brevi præscripta, inefficax evadit : *Theat., Matr.*, 16 *mart.* 1771, § 7.

Non subsistentibus conditionibus expositis, non potest exequutioni dari dispensatio matrimonialis : *Gerun. seu Vic., Null. matr.*, 2 *aug.* 1760, § 2.

Episcopus dispensare potest in impedimentis impedientibus, et non dirimentibus, exceptis impedimentis sponsalium, et voti absoluti castitatis, ac religionis ; quia licet in jure id non sit expressum, nisi quoad incestum ; pacifica tamen consuetudo inolevit, attribuens episcopis facultatem dispensandi super ceteris impedimentis impedientibus, et non dirimentibus, exceptis allegatis impedimentis sponsalium et supradicti duplicis voti : *Ulix.*, 7 *sept.* 1726, § 3.

Nec valet dispensatio obtenta, cum non agitur de impedimento occulto et secreto, a conjugibus delato ad S. Pœnitentiariam, a qua confessario mandatur, adjecta conditione, *dummodo impedimentum occultum sit*, ut dispenset : certioribus redditis conjugibus de nullitate matrimonii, et re-

novando secreto inter eos consensu : *Mont. Fal.*, *Nul. matr.*, 28 *aug.* 1751, § 2.

Immo, si res est de impedimento pluribus cognito, et delato ad curiam episcopalem, atque inde ad Datariam Apostolicam, a qua data fuit bulla dispensationis, quæ nihil aliud est quam mandatum dispensandi seu facultas conjugibus iterum contrahendi, non vero approbatio matrimonii quod illicite et invalide contractum fuit : *Ibid.*, § 3.

Et ideo si conjuges, servata forma decreti conciliaris, consensum non renovent coram parocho et testibus, nullum matrimonium convalescere potest, licet impetrata fuerit apostolica dispensatio; cum posset alteruter ex conjugibus sive ante, sive post impetratam dispensationem consensum retractare, et liber evadere, si consensum renovare nolit : *Ibid.*

De jure non subsistit quod dispensatio obtenta super gradu remotiori suffragari possit in gradu etiam proximiori : *Disc. secr.*, 28 *mart.* 1722.

Pius enim IV decrevit se de singulis obstaculis plane certiorari velle; et in quibuscumque dispensationibus, de quibuscumque prohibitis consanguinitatis aut affinitatis gradibus, et non solum de remotiori, sed etiam de proximiori fieri debere mentionem : *Ibid.*, § 2.

Verum postea S. Pius V in sua bulla præfatæ Pii IV constitutioni derogavit, et statuit ut in dispensationibus gradus remetior attenderetur et traheret secum propinquiorem, et sic ut sufficeret exprimere gradum remotiorem, obtentis tamen postea super gradu propinquiori litteris Apostolicis in quibus declaretur, non obstare reticentiam propinquioris gradus : *Luceor.*, *Null. matr.*, 7 *sept.* 1720, § 5; et 28 *febr.* 1722; et *Discur. secr.*, § 4.

Sed si, accedente dispensatione Apostolica super gradu remotiori, obtentæ non fuerint litteræ declaratoriæ super propinquiori, nullum, juxta stylum Sedis Apostolicæ, est matrimonium : *Ibid.*, §§ 6 et 7.

Magni nominis doctores validam esse censuerunt dispensationem, in qua facta fuit mentio solius gradus remotioris, etiamsi exequutor notitiam propinquioris habuerit, et hoc minime obstante eam executioni mandaverit; quum ejus malitia validitati dispensationis obstare non valeat; et validum etiam consequenter existimarunt matrimonium, quamvis illud fuerit contractum, non obtentis litteris declaratoriis, quarum defectu, illud ad summum illicitum, sed non invalidum redditur : *Ibid.*, § 14.

Censent nonnulli valere dispensationem et validum esse matrimonium cum expressione solius gradus remotioris, dummodo fœmina non sit propinquior stipiti, sed vir, ac mulier stipitem attingat in gradu remotiori, et si vice versa accidit, pro validitate dispensationis et matrimonii necessaria est utriusque gradus expressio : *Ibid.*

Alii contra censent, vel id ad summum procedere, si mulier esset amita, vel matertera, secus autem si in tertio gradu esset constituta : *Ibid.*

Ac alii communius ponderantes Bullam S. Pii V indistincte loqui asserunt, validam esse dispensationem, et validum matrimonium contractum, non obtentis litteris declaratoriis et prævia dispensatione super remotiori; sive vir, sive fœmina sit stipiti propinquior : *Ibid.*

Atque stylus etiam Datariæ est, ut post contractum matrimonium prævia dispensatione super remotiori, silentio prætermisso propinquiori, oratoribus non demandetur, ut matrimonium inter se publice, servata forma Concilii, de novo contrahant, vel saltem, ut consensum renovent, sed tantum ut in matrimonio sic contracto libere et licite permanere possint : id quod probat matrimonium esse illicitum, sed non invalidum, sive ambo contrahentes ignorent conjunctionem in propinquiori gradu, sive ignoret alter et alter sciat : *Ibid.*, § 24.

Matrimonium in conjunctos extra primum gradum prævia dispensatione super remotiori contractum, et non obtentis litteris declaratoriis super propinquiori, est validum, et satis est ut postea obtineatur declaratio super gradu propinquiori, nec opus est post declarationem denuo contrahere, vel repetere formam Concilii : *Ibid.*, § 15.

Textus in cap. *Quod dilectio, de Consang. et Affinit.*, præscribit ut dispensatio obtenta super gradu proximiori, procedat inspecta consuetudine loci; ne quædam in populi offensionem adhiberetur novitas : et non obstat dispositioni juris communis, juxta quod gradus remotior trahit ad se propinquiorem : *Ibid.*, § 16.

Si ante exequutionem bullæ dispensationis in remotiori gradu, Ordinario innotescat quod vir et mulier sint conjuncti propinquiori gradu, debet ab exequutione abstinere, usquequo litteræ declaratoriæ afferantur : *Ibid.*, § 19.

Si vero ante bullæ exequutionem propinquitas non innotuit Ordinario, et sic sine litteris declaratoriis matrimonium contractum fuit, tunc statim ac notitia defertur ad Ordinarium, debet ille conjuges separare, usquequo litteræ afferantur : *Ibid.*, § 19.

Semper itaque obediendum est constitutioni Pianæ, et semper expediendæ sunt litteræ declaratoriæ super propinquiori, sive Ordinarius ignoraverit, sive sciverit conjunctionem gradus proximioris, et sive matrimonium fuerit contractum, sive non; et licet Ordinarius non obstante notitia gradus propinquioris, non allatis litteris declaratoriis, dispensationem exequeretur : *Ibid.*

Matrimonium esse validum respondit Innoc. III in tex. cap. *Quia circa, de Cons. et Affin.*, in quo pro obtinenda dispensatione super gradu prohibito, allegata fuit falsa causa, et matrimonium deinde fuit contractum ac consummatum; ne gravis populi offensio ex separatione oriatur : *Rat., Matr.*, 4 *jul.* 1722, § 5.

Locum vero præfatus textus habere dicitur, quando post contractum et consummatum matrimonium contrahentes perseverant in bona fide, et habent probabilem ignorantiam de subreptione dispensationis, licet Ordinarius bene cognoscat : *Ibid.*, § 6.

Dotis incompetentia non est causa finalis, sed causa impulsiva, et defectus causæ impulsivæ non vitiat dispensationem : *Ibid*, § 9.

Pontius putat quod, quando Pontifex non dispensat, non confidat de precibus supplicantis, nec de precum veritate, sed committit Ordinario ut, præcedente diligenti inquisitione super precum veritate, ipse Ordinarius dispenset, et declaret causas esse veras; tunc etiamsi declaratio fuerit injusta, est tamen valida, et habet auctoritatem rei judicatæ, et Ordinarii dispensatio, et matrimonium ex illa contractum retractari nequit : *Ibid.*, § 10.

Limita in tribus hisce casibus : 1° quando a principio rescriptum fuit subreptitium cum dolo, vel fraude; 2° quando postea testes adhibiti super precum veritate fuerunt corrupti; 3° quando dispensatio, vel rescriptum dispensandum fuit subreptitium, licet per ignorantiam et subreptio fuit notabilis in tacenda veritate : *Ibid.*, § 11.

Hæc Pontii doctrina impugnatur a nonnullis sub obtentu quod dispensatio, uti fundata in falsa causa, nulla sit, licet falsitas processerit ex ignorantia, ita ut hæc prodesse non possit validitati matrimonii subsequenter contracti : *Ibid.*, § ult.

Pontifex ad dispensandum æque movetur, si oratrix nullam habeat dotem, vel si habeat insufficientem, quum in utroque casu timeri possint eædem populi offensiones, et inconvenientia ex quibus tanquam ex causa finali movetur Pontifex ad dispensandum : *Neap., Matr.*, 4 *jul.* 1722, § 4.

Quando plures ad effectum obtinendæ dispensationis exponuntur causæ, etiam copulative inspicienda est causa, qua innititur rescriptum, et ea vera existente, non curatur de aliarum veritate; copulativa quippe in his terminis resolvitur in disjunctivam : *Ibid.*, § ult.

Consuetum fuit denegare dispensationem pro dissolutione matrimonii validi, ad evadendas dissensiones, odia, et populi offensiones, quæ oriri possent : *Theat., Matr.*, 8 *aug.* 1772, § 2.

Sed, quum res est de causa gravissima, scilicet de matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, in quo adest periculum dissolvendi vincula divina institutione prorsus indissolubile, probationes requiruntur omnino concludentes, et testes omni exceptione majores : *Ibid.*, § 8.

§ XIII.

Dispensatio matrimonialis ab impedimento affinitatis.

Nihil magis cordi fuit Summis Pontificibus per undecim priora sæcula, quam sacrorum canonum statuta sedulo tueri, atque a dispensationibus concedendis super gradibus vetitis affinitatis sese omnino abstinere : *Const., Disp.*, 23 *apr.* 1768, § 16.

Martinus I egregie scripsit : Canones ecclesiasticos solvere non possumus : *Ibid.*

Et Zacharias inquit non dirigi ab Apostolica Sede illa quæ contraria esse Patrum sive canonum institutis reperiuntur : *Ibid.*

Hinc anno 1045 denegavit Sedes Apostolica Roberto, Galliarum regi, quam petebat dispensationem, uxorem habendi Bertam commatrem suam : *Ibid.*

Post hæc tempora, nonnihil remitti cœpit de hujusmodi disciplinæ ac juris rigore : *Ibid.*, § 17.

Alexander III, electus anno 1159, veniam fecit Joanni, filio Henrici II, Angliæ regis, ut filiam comitis Glocestræ sanguine sibi conjunctam duceret uxorem : *Ibid.*

Synodus Tridentina sess. 14, cap. 5, *de Reform.*, instauravit veterem disciplinam Ecclesiæ universæ : *Ibid.*, § 18.

Hinc constituit, ut dispensatio raro, et ex gravi causa, ac gratis detur, sed in secundo gradu nunquam, nisi inter magnos principes et ob publicam causam : *Ibid.*

Quibus non obstantibus, Summi Pontifices dispensarunt, præsertim in primo gradu affinitatis in linea transversa : *Ibid.*, § 19.

Hanc dispensationem concessit Pont. Max., Paulus V : *Ibid.*

Urbanus VIII tredecim largitus est : *Ibid.*

Innocentius X duas;

Alexander VII octo;

Clemens IX unam;

Innocentius XI duas;

Innocentius XII duas;

Clemens XII quamplurimas : *Ibid.*

Hac de causa non desunt exempla dispensationum etiam in primo et secundo gradu affinitatis : *Gad., Disp.*, 12 *jun.* 1762, § 5.

In qualibet affinitatis dubietate ad cautelam saltem facilius concedi debet dispensatio : *Const., Disp.*, 23 *april.* 1768, § 5.

Animadvertendum, quod ex matrimonio rato et non consummato oriatur impedimentum affinitatis, saltem initiative et imperfecte : *Ibid.*, § 3 ; et *Animad. secr.*, 11 *sept.* 1762.

Et pro effectu dispensationis, appellatur a Dataria impedimentum affinitatis : *Ibid.*

Atque difficilius dispensatur super eodem impedimento, quam super impedimento publicæ honestatis, orto ex sponsalibus de futuro : *Ibid.*, § 4.

Quia impedimentum quod oritur ex matrimonio rato et non consummato gravius est quam illud publicæ honestatis ortum ex sponsalibus de futuro, ideoque extenditur usque ad quartum gradum : *Ibid.*, § 3.

Dispensatio in secundo gradu prohibito concedi non debet, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam : *Ibid.*, § 4.

In primo autem gradu affinitatis lineæ rectæ, potest Summus Pontifex dispensare ; sed non expedit ob maximam illius conjunctionis turpitudinem : *Ibid.*, § 5.

An autem idem procedat, in linea transversa, cum defunctæ uxoris sorore, quæ dicitur viri sororia, dubium est : *Ibid.*

Eadem est turpitudo conjugii cum defunctæ uxoris sorore, quam cum defuncti viri fratre : *Ibid.*, § 8.

Prima dispensatio hujusmodi cum sorore defunctæ uxoris concessa fuit anno 1418, neque deinde fuerunt admodum frequentes : *Ibid.*, § 6.

Et non expedit frequenter easdem dispensationes indulgere et ab exemplis judicare : *Ibid.*, § 7.

Quando impedimentum ex copula illicita est publicum, consensus renovatio dicitur necessaria coram parocho et testibus, etiamsi durante impedimento matrimonium fuisset contractum in facie Ecclesiæ, et coram testibus ac parocho ; ad differentiam casus, in quo hæc facta fuissent, sed in termino impedimenti occulti juxta praxim Sacræ Pœnitentiariæ : *Reat.*, 23 *jul.* 1725, § ult.

In dispensationibus affinitatis ex copula illicita ortis, duo præscribi solent, primo ut prius omnis occasio recidivæ conversationis cum fœmina consanguinea futuræ uxoris tollatur ; alterum ut iis qui matrimonium contracturi sunt denuncietur præceptum non cohabitandi in eodem loco, in quo commorari contigerit eamdem fœminam consanguineam uxoris : *Conimbr., Matr.*, 3 *april.* 1734, § 4.

At prima pars ejus legis, sub qua dispensationis impertiendæ facultas tribuitur, respicit tempus præcedens celebrationem matrimonii, ideoque cavere debet exequutor dispensationis, ut prius relabendi occasio removeatur : *Ibid.*

Item ut si exequutor litterarum apostolicarum processerit ad earum executionem, omissa occasionis remotione, matrimonium videri possit nullum, ob non servatam formam commissionis et mandati de dispensando : *Ibid.*

At si præceptum impletum non fuerit, non videtur, per hoc inferri posse nullitas matrimonii jam ante valide contracti : *Ibid.*

Quia in matrimonio, tametsi dari possit conditio suspensiva ejus validitatis, non tamen ei convenit conditio resolutiva ob indissolubilitatem matrimonii divino jure constitutam, quæ non patitur ut matrimonium, ab initio validum, ex futuro eventu reddatur dissolutioni obnoxium : *Ibid.*

Concilium Trid. sess. cit. 24, cap. 5, *de Reform.*, nulla facta distinctione inter impedimentum consanguinitatis et affinitatis, generaliter præscribit ut in gradibus prohibitis nonnisi raro et gravi ex causa dispensationes concedantur, atque in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes et ob publicam causam : *Urit., Disp.*, 2 *jun.* 1777, § 10.

Sunt qui extraordinariam Episcopis tribuant potestatem dispensandi ab impedimento primi gradus affinitatis licet lineæ rectæ, aliisque quibuscumque, gravissima de causa difficilique accessu ad Summum Pontificem : *Leod., Matr.*, 28 *maii* 1796, § 4.

Hoc tamen procedit in impedimentis occultis ; non item in publicis matrimonia dirimentibus : *Ibid.*, § 5.

Super quibus multo minus dispensare valet vicarius generalis Episcopi : *Ibid.*, § 6.

Validum est matrimonium contractum ex præsumpta in dispensante facultate, bona contrahentium fide, et servata in omnibus forma Concil. Trid. ; sed contrarium verius : *Ibid.*, §§ 7 et 5 seq.

Ut plurimum denegata fuit a Summo Pontifice dispensatio super impedimento in primo gradu affinitatis lineæ rectæ : *Ibid.*, § 10.

Et denegata fuit etiam de voto S. Inquisitionis, licet a magnis principibus petita, et copula inter affines intercessisset : *Ibid.*

Quædam tamen sunt hujusmodi dispensationis exempla : *Ibid.*, § 11.

Et præsertim de Juditha, Caroli Calvi Francorum regis filia, nupta privigno, et de sorore Theodoberti, nupta item privigno Varnorum principi : *Ibid.*

Rata habet Ecclesia matrimonia cum eo impedimento bona fide jam contracta : *Ibid.*, § 12.

Ex quibus exemplis firmatur sententia quod matrimonia in primo affinitatis gradu lineæ rectæ prohibita non sint jure naturali, sed ecclesiastico : *Ibid.*

§ XIV.

Dispensatio matrimonialis ob impedimentum cognationis legalis, spiritualis et carnalis.

Nihil cordi magis fuit Summis Pontificibus per undecim secula quam sacrorum canonum statuta sedulo tueri, atque a dispensationibus vetitis consanguinitatis sese omnino obtinere : *Const., Disp.*, 20 *april.* 1468, § 16.

Martinus I egregie scripsit : Canones ecclesiasticos solvere non possumus : *Ibid.*

Et Zacharias inquit non dirigi ab Apostolica Sede illa quæ contraria Patrum sive canonum institutis reperiuntur.

Post hæc tempora, nonnihil remitti cœpit de hujusmodi disciplinæ ac juris rigore : *Ibid.*

Alexander III, electus anno 1159, veniam fecit Joanni, filio Henrici II Angliæ regis, ut filiam comitis Glocestræ sanguine sibi conjunctam duceret uxorem : *Ibid.*

Innocentius III, anno 1198, cum Othone IV imperatore et filia Philippi, ejus æmuli, quarto consanguinitatis gradu conjunctis dispensavit : *Ibid.*

Synodus Tridentina sess. 24, cap. 5, *de Reform.*, instauravit veterem universæ Ecclesiæ disciplinam : *Ibid.*, § 18.

Hinc constituit ut dispensatio raro, et ex causa, et gratis detur, et in secundo gradu nunquam nisi inter magnos principes, et ob publicam causam concedatur : *Ibid.*, 3 *et* 5; *Acher., Disp.*, 16 *jun.* 1770, § 15; *Mind., Disp.*, 3 *aug.* 1771, § 9.

Nam assueta Pontificum æquitate passim ab hoc juris rigore recessum est, si præsertim actus illicitus intercesserit, impendant populi offensio, infamia, prolisque præjudicium, et si alia hujusmodi sic efflagitent : *Ibid.*, cit. const.

Idcirco non desunt, quamvis raro inveniantur, hujusmodi dispensationum exempla : cit. *Acher.*, § 14.

Et hæc non solum affinitatis, imo etiam consanguinitatis : *Cadic., Disp.*, 12 *jun.* 1762, § 2.

Concil. Trid., sess. 24, cap. 5, *de Reform. matr.*, nulla facta distinctione inter impedimentum consanguinitatis et affinitatis, generaliter præscribit ut in gradibus prohibitis nonnisi raro et ex gravi causa dispensationes concedantur, utque in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes et ob publicam causam : *Urit., Disp.*, 7 *jul.* 1777, § 10.

Propositionem, posse Episcopum dispensare in impedimento consanguinitatis in urgentissima necessitate, falsam, temerariam, scandalosam, perniciosam, et seditiosam esse S. Congr. Inquisitionis affirmavit : *Const., Disp.*, 27 *apr.* 1768, § 14.

Dispensatio super impedimento consanguinitatis, in executione, decreto eget judicis delegati : *Civit. Cast., Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 5.

Aliter contractum matrimonium invalidum est : *Ibid.*

Solum designatus judex in litteris, non aliter dispensare potest : *Ibid.*

Etiamsi erronea fuisset expressio, vel litteræ obreptitiæ : *Ibid.*

Dispensatio a cognatione legali ad matrimonium contrahendum raro conceditur, quia in linea recta Papa difficillime, et nonnisi ex gravi causa, dispensat : *Hor., Disp.*, 25 *sept.* 1734, § 13.

In transversali raro recurritur ad Pontificem, quia alias per emancipationem solvitur : *Ibid.*

Ceterum, posito quod cognatio legalis, quæ contrahitur inter adoptantem et uxorem adoptati, et e converso, se habeat per modum affinitatis legalis, inferri posse videtur quod in ea non adeo difficile dispensari debeat : *Ibid.*, § 14.

Imo Nicolaus I cognationem spiritualem cum legali comparat, eamque multo fortius matrimonium impedire statuit : *Ibid.*

Ita dubitari potest, num asserta dispensatio moderari queat juxta dispensationem cognationis spiritualis, quæ seclusa linea recta, in compaternitate et commaternitate non difficile, accedente justa aliqua causa conceditur : *Ibid.*

§ XV.

Dispensatio matrimonialis ab impedimento criminis

Sedes Apostolica super impedimento ad machinationem in mortem conjugis una cum adulterio, quoties illud est publicum, dispensare consuevit : *Ulix.*, 7 *sept.* 1726, § 6.

§ XVI.

Dispensatio a matrimonio rato et non consummato.

Summus Pontifex justa de causa dispensare valet a matrimonio rato : *Sant. seu Cub., matr.*, 26 *april.* 1788, § 8; et *Cord., Disp.*, 20 *sep.* 1760, § 4; *Melev., Disp.*, 7 *febr.* 1789, § 7; *Jan., Matr.*, 16 *apr.* 1791, § 15.

Præceptum evangelicum : *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, matrimonium respicit consummatum, per quod conjuges fiunt una caro, non item ratum, cujus imperfecta est firmitas : *Melev., Disp.*, 7 *febr.* 1789, § 7.

Duo ad hujusmodi dispensationem requiruntur,

non consummatio matrimonii, et justa causa : *Ibid.; Januen., Matr.*, 16 *april.* 1791, § 15.

Justa dispensandi causa est impotentia viri, periculum item populi offensionis, et periculum animæ : *Ibid.*; cit. *Jan.*, §§ 16 et 17.

Sed quatuor sunt potiores causæ dispensandi a matrimonio rato : *Ibid.* ; cit. *Sant.*, § 10,

Prima nempe notabilis disparitas in qualitate, id est, quando contrahentes sunt notabiliter conditione impares, et affectione cæca ac levitate quadam ducti, contrahunt matrimonium ; secunda est gravis timor offensionis futuræ in populo ; tertia est lepra ; quarta, quando alter conjugatorum asserit, se non habuisse animum contrahendi : *Ibid.*

Gregorius XIII, Pont. Max., dispensationem a primo matrimonio rato indulsit duci Albano, vulgo de Alva de Torres, qui contraxerat primum matrimonium de præsenti per procuratorem cum filia ducis de Alcala Hispalensi, et secundum cum alia, quod consummaverat : *Ibid.*, § 11.

Ad hunc effectum duo probari debent, matrimonium scilicet nunquam consummatum extitisse, et graves adesse causas animum Pontificis impellentes : *Cord., Disp.*, 20 *sept.* 1760, § 4,

Et probationes non consummationis leviores exiguntur pro dispensationis gratia, quam pro nullitate per viam justitiæ declaranda : *Ibid.*

Et relatio obstetricum præferenda est juramento etiam consummationis : *Ibid.*

Virginitatis signa fallere possunt obstetricum manus et oculos : *Ibid.*, § 5.

Contraria autem est verior opinio : *Ibid.*

Et standum est relationi juratæ obstetricum de matrimonio nunquam consummato : *Ibid.*

Nihil officit conjugis dissensus, si hic in dementi muliere considerari possit, quoties justæ et urgentissimæ suppetunt causæ dispensandi : *Ibid.*, § 6.

Insania mulieris tempore initi matrimonii, et continuata sine spe resipiscentiæ, ac repugnantia amplexibus maritalibus, cum impediat finem matrimonii, justam præbet causam dispensationi : *Ibid.*, § 7.

Ad succurrendum decepto et evitandas rixas locus est dispensationi : *Ibid.*

Quando familia est nobilis et dives, facilior est dispensatio, ne pereat familia : *Ibid.*

In dubio pronuntiandum est contra dispensationem : *Ibid.*, § 8.

Ex probationibus non consummati matrimonii, causa privata desumitur pro dispensatione : *Melev., Disp.*, 7 *febr.* 1789, § 10.

Potissime spiritualis attenditur petentis utilitas : *Ibid.*

Aversio et mutua dispensationis petitio sufficiens reputatur dispensationis causa : *Ibid.*, § 11.

Præsertim si urgeant nobilitas divitiæque familiarum, facilius concedenda est dispensatio : *Ibid.*

Plura sunt exempla similium dispensationum concessarum ab Urbano VIII principibus Neapolitanis *de Concha* : *Ibid.*

Causa dispensationis matrimonii rati, et non consummati requiruntur graves et neccessariæ; vel publicum etiam bonum, publicamque utilitatem respicientes : *Ibid.*

Internus præ omnibus despicitur sponsæ dissensus, si absque ullo exteriori dissentientis animi signo in matrimonium consensit, et nullius opem ad illud impediendum imploravit : *Ibid.*

Ut ad dispensationem rati et non consummati matrimonii procedatur, necessaria est causa, et quidem magni momenti, et certa debet esse non consummatio, cujus probatio non desumitur ex sola conjugum assertione, sed alia requiruntur, et signanter experimentum inspectionis : *Eyst.*, 28 *jul.* 1784, § 10 ; *Chien.*, 12 *mart.* 1729, § 107.

Pro hac obtinenda dispensatione causa debet esse necessaria et quoties ea adfuit cum omnibus suis requisitis, dispensationes concessæ fuerunt non solum inter magnates, sed etiam inter personas parvæ notæ : *Urb.*, 12 *jan.* 1726, § ult.; *Chien.*, 12 *mart.* 1729, § 10.

Non desunt doctores, qui asserunt, voluntariam conjugii dilationem in matrimonio consummando, præbere justam causam obtinendi a Summo Pontifice dispensationem super matrimonio rato et non consummato : *Ibid.*

Matrimonii consummati in infidelitate ratio habetur etiam post conversionem; et quod attinet ad matrimonium fidelium consummatum, certum est, quod Summus Pontifex dispensare non possit : *Flor.*, 19 *mart.* 1727, § 16.

Quando ambo conjuges permanent in infidelitate, vel ambo sunt conversi, vel alter est conversus, et alter vult converti, Summus Pontifex dispensare non potest : *Ibid.*, § 28.

At statuunt plurimi, quod possit dispensare in matrimonio consummato infidelium, inter quos Sacramentum esse nequit : *Ibid.*, §§ 17 et 18

Quando vir asserit se fuisse deceptum, nec habuisse animum contrahendi, et se efficaciter obligandi, ad dispensandum, sufficientem causam credit Soccinus Sen. *Conf.* 28, num. 6 et 7, sed tanquam ineptam rejecit Card. Lancellotus : *Chien.*, 12 *mart.* 1729, § 11.

Sanchez autem justam et sufficientem reputat prædictam causam, quando vir nullo modo induci potest, ut præstet verum consensum, ita ut ex eo matrimonio coacto, graves inimicitiæ orirentur : *Ibid.*, § 12.

Aversio et discordia conjugum irreparabilis et

sine probabili spe reconciliationis est causa rationabilis dispensandi, accedente præsertim consensu utriusque, ad effectum evitandi majores populi offensiones, aliaque mala : *Ibid.*, § 15.

Posita assertione et credulitate, se non remansisse obligatum ob fictum consensum, et spectata ejus pertinacia in non præstando verum consensum, periculosum est eum adstringere ad cohabitandum cum prima uxore, ne vera existente sua assertiva super consensu ficto, in foro saltem interno præberetur occasio committendi adulterium : *Ibid.*, § 13.

In his circumstantiis ad evitanda mala forsan eventura et ne mulier cogatur perpetuo expectare, justa videtur dispensatio : *Ibid.*

Licet primum matrimonium ratum rite contractum, non possit dissolvi per secundum cum alia contractum et consummatum, ad evitandas tamen populi offensiones, infamiam secundæ mulieris, ac innumera peccata, quæ inde sequerentur, justa, et rationabilis causa est pro dispensando super primo matrimonio rato : *Ibid.*, § 14.

Quum causa dispensandi a matrimonio rato et non consummato debeat esse justa, quænam ista sit, tractat copiose Sanchez *de Matr.* lib. 2, disp. 16; *de Just. Disp.* lib. 2, cap. 10 : *Pragen., Matr.*, 7 *jul.* 1791, § 3.

Dispensatio super matrimonio rato et non consummato, tunc solum ab Ecclesia concedi consuevit, quando certo constat sequutam non fuisse consummationem, et justæ simul ac gravissimæ causæ concurrunt : *Jan., Matr.*, 16 *aug.* 1783, § 31.

Non desunt exempla in quibus, licet validissimæ non adessent probationes contra consummationem, adhuc tamen dispensatio fuit denegata : *Ibid.*

Eximia nobilitas unius et obscura conditio alterius est idonea dispensandi causa ob notabilem inæqualitatem : *Nic. seu Turr., Matr.*, 11 *mart.* 1786, § 10.

Potissimum si accedant ætas juvenis, odium irreconciliabile post inconsultum amorem, nobilissimi patris constans propositum arcendi filium a suo conspectu, et illum exhæredandi, lis super matrimonii validitate, conscientiarum quies, Episcopi judicium, quæ omnia simul sumpta, dant causam, propter quam dispensatio super matrimonio rato concedi solet : *Ibid.*

At in ceteris causis, ut exhæreditationis timor, regia indignatio, amissio militaris gradus, spes redintegrationis, si matrimonium dissolvatur; illud generatim obstat, quod temporalia sint infortunia, proptereaque legitimæ esse nequeunt dispensandi causæ : *Ibid.*, § 12.

De Summi Pontificis potestate dispensandi super matrimonio rato dubitare non licet : *Ibid.*, § 13.

Hæc non solum est sententia theologorum et canonistarum suffragiis, sed etiam gravissimorum in Petri cathedra sedentium Summorum Pontificum praxi suffulta : *Ib.*

Immo Clementi VIII placuit in eam rem exquirere votum octo S. R. E. Cardinalium, 4 Sacræ Rotæ auditorum, duorumque insignium theologorum, a quibus laudata probataque est sententia de Summi Pontificis potestate, qua Summi Pontifices constantissime ad hos usque dies usi sunt : *Ibid.*

Impotentia ad juris rigorem evincenda, dum de matrimonio dissolvendo agitur, sufficit, ut verosimilis, cum de dispensatione res sit : *Rom., Matr.*, 19 *aug.* 1786, § 1.

Et per impotentiam alterius conjugum vero simillimam arcendum est animarum periculum per oportunam dispensationem : *Ibid.*

Suborta inter conjuges irreconciliabilis animorum disjunctio, quam rerum gestarum series fecit acerbiorem, faceretque in sempiternum, nisi per dispensationem pax redintegretur : *Ibid.*

Unanimis quoque partium instantia, parvi pendenda non est : *Ibid.*

Dispensationes super matrimonio rato et non consummato, perraro et non nisi ex certis cognitis probatisque causis, conceduntur : *Valen., Null. matr.*, 24 *mar.* 1764, § 10; *Hisp., Disp.*, 28 *febr.* 1739, § 6.

Immo concurrere debent urgentissimæ causæ : *Barch., Matr.*, 22 *maii* 1734, § 14.

Et quando reliquæ desunt causæ, nihil prodest sola nobilitas, quia nec magnis principibus conceditur sine aliis causis : *Cord., Disp.*, 20 *sept.* 1760, § 9.

Obstare potest dispensationi defectus consensus uxoris : *Ibid.*, § 10.

Præsertim ob illius præjudicium, ex quo alias nuptias contrahere nequiret : *Ibid.*

Matrimonium duntaxat ratum potest Pontifex dirimere, licet ante illud suscepta fuerit proles illegitima : *Worm., Matr.*, 23 *jan.* 1724, § 2.

Ad excludendam matrimoni factam consummationem, moralis sufficit certitudo : *Melev., Disp.*, 7 *febr.* 1789, § 8.

Ad adhibendam legitimam probationem qua indubie compertum fiat, matrimonium non fuisse consummatum, solis amborum conjugum quanquam juratis depositionibus minime fidendum est : *Hisp., Disp.*, 28 *febr.* 1739, § 7.

Quæ deducuntur pro nullitate matrimonii, facilius suadent dissolutionem ipsius per dispensationem a rato, et non consummato : *Jan., Matr.*, 20 *jul.* 1793, § 11.

Justa enim dispensandi causa est intacta mulieris virginitas; periculum etiam incontinentiæ; et odium natum in illis : *Ibid.*

Pluraque sunt hujusmodi dispensationis exempla : *Ibid.*

Corradus tenet quod dissidia et inimicitiæ non sufficiant ad impetrandam dispensationem a matrimonio rato et non consummato, Fagnanus contra negativam tuetur opinionem : *Eyst.*, *Disp.*, 5 *sept.* 1716.

§ XVII.

Dispensatio matrimonialis ab impedimento publicæ honestatis.

Nihil cordi magis fuit Romanorum Pontificum per undecim priora secula, quam sacrorum canonum statuta sedulo tueri ; atque a dispensationibus concedendis super gradibus vetitis, ac publicæ honestatis omnino abstinere : *Const.*, *Disp.*, 23 *apr.* 1768, § 16.

Martinus I : Canones ecclesiasticos solvere non possumus, egregie scripsit : *Ibid.*

Et Zacharias inquit, non dirigi ab Apostolica Sede illa quæ contraria esse Patrum sive canonum institutis reperiuntur : *Ibid.*

Hinc anno 1045, denegavit Sedes Apostolica Roberto, Galliarum regi, quam petebat dispensationem, ut pro uxore habere possit Bertam commatrem suam : *Ibid.*

Post hæc tempora, nonnihil remitti cœpit de hujusmodi disciplinæ ac juris rigore : *Ibid.*, § 17.

Synodus Tridentina, sess. 24, cap. 5, instauravit veterem universæ Ecclesiæ disciplinam : *Ibid.*, § 18.

At dispensatio a publicæ honestatis impedimento haud raro conceditur, quando aliqua gravis causa concurrit, nempe copula inter oratores, infamia ex ipsius copulæ suspicione, populi offensio, et imminens ipsorum vitæ periculum : *Acher.*, *Disp.*, 8 *jun.* 1771, § 4.

Gratia enim irregularis non est et exorbitans dispensationis super impedimento publicæ honestatis quod inter minima numeratur : *Gad.*, *Disp.*, 12 *jun.* 1762, § 3.

Quod solum oritur ex matrimonio rato et non consummato : *Ibid.*

Locus est dispensationi ab hujusmodi impedimento, quod oritur ex matrimonio rato et non consummato, ut, legitima sobole ad redintegrata mulieris fama ; evitetur populi offensio alias oritura : *Leod.*, *Disp.*, 8 *maii* 1762, § 3.

Dispensatio impedimenti publicæ honestatis, pro minima reputatur : *Visen.*, *Disp.*, 24 *nov.* 1787, § 6.

Facilius conceditur viro, ut secundam ducat sororem, quam mulieri, quæ alteri fratri nubere vellet : *Ibid.*

Pro impetranda dispensatione super impedimento publicæ honestatis, exprimi debet, attentatam fuisse copulam cum defuncto sorore uxoris : *Animad. secr.*, 11 *sep.* 1762, § 2.

Facilius conceditur dispensatio super impedimento publicæ honestatis ex matrimonio rato, et non consummato resultante : *Gad.*, *Dis.*, 12 *jun.* 1762, § 5.

Præsertim quando dispensatio petitur a viro pro secunda sorore dispensanda, quod facilius permittitur, quam si mulier nubere vellet alteri fratri ; *Ibid.*

Et quando graves non desunt causæ ob populi offensiones facile orituras, quas expedit removere : *Ibid.*

Ob periculum animæ et corporis oratorum ab Episcopo relatum, cui est occurrendum : *Ibid.*

Inter causas legitimas et rationabiles ad obtinendam dispensationem ad impedimento publicæ honestatis, recensentur primo sobolis præventio quam habuerunt ad effectum dispensationem obtinendi : *Anic.*, *Dis.*, 8 *jul.* 1769. § 31.

Secundo etiam offensio populi ob prolem ex illicitis amplexibus susceptam adhuc existentem : *Ibid.*

Et facilius conceditur dispensatio prædicta viro, qui matrimonium cum prædefunctæ uxoris sorore contrahere cupit, quam mulieri quæ fratri viri defuncti nubere vellet : *Ibid.*, § 8.

§ XVIII.

Dispensatio in radice a matrimonio putativo.

Dispensatio in radice matrimonii facit ut dispensatio ipsa retrotrahatur ad initium matrimonii, et sic proles quoad omnes effectus legitima reputetur : *Prag.*, *Matr.*, 13 *jul.* 1720, § 3.

Si hæc dispensatio concedatur, necessaria a nonnullis videtur esse tacita vel expressa consensus renovatio : *Ibid.*

Verior tamen sententia est, quod nulla consensus renovatio sit necessaria : *Ibid.*, 16 *jan.* 1723, § 7.

Dispensatio in radice matrimonii nisi magna intercedente causa non conceditur : *Ibid.*, § 4 ; et *in Disc. secr.*, 28 *mart.* 1722, § 25.

Dispensationes hujusmodi plures fuerunt a Gregorio XIII concessæ : *Ibid.*

Ad hoc ut hæc in radice matrimonii dispensatio concedatur, satis est ut matrimonium fuerit de facto contractum et ut intercesserit affectus maritalis, una cum consensu naturali etiamsi adsit impedimentum juris ecclesiastici : *Ibid.*, § 9 ; *Prag.*, *Matr.*, 16 *jan.* 1723, § 9.

Summus Pontifex potest dispensare in radice matrimonii, et revocare impedimentum dirimens matrimonii ac simul et semel abrogare legem ecclesiasticam quæ dictum statuit impedimentum, faciendo ut dispensatio retrotrahatur ad initium matrimonii, et sic, ut proles quoad omnes effectus legitima sit et habeatur : *Disc. secr.*, 28 *mart.* 1712, § 25 ; *Prag.* cit., § 6.

Controversum inter doctores est, num in hac dispensatione super radice matrimonii novus requiratur consensus? sed verior opinio est, quod nulla consensus renovatio in hisce circumstantiis sit necessaria : *Ibid.*, §§ 2, 5.

Dispensatio hæc prodest filiis natis, quoad omnes effectus spirituales, et quoad omnes effectus civiles, directe in terris temporali jurisdictioni Romani Pontificis subjectis, et indirecte in reliquo terrarum orbe : *Ibid.*

Ad obtinendam in radice matrimonii dispensationem plurima ponderantur requisita necessaria, quæ in magna et urgenti causa constituunt, ut puta quod proles suscepta fuerit non ex copula manifeste fornicaria, sed ex copula putativa matrimoniali ; et quod matrimonium ex quo proles legitimanda orta est, non fuerit nullum propter impedimentum juris divini, vel naturalis, sed tantum propter impedimentum legis ecclesiasticæ, quale est impedimentum descendens ex defectu parochi : *Prag.*, *Matr.*, 28 *aug.* 1723, § 2.

Dispensatio in radice matrimonii conceditur etiam post mortem alterius ex conjugibus : *Ibid.*, § ult.

Quando proles nata est non ex copula manifeste fornicaria, sed ex copula putative matrimoniali, et matrimonium non fuit nullum propter impedimentum juris divini, aut naturalis, sed propter impedimentum juris ecclesiastici, Summus Pontifex abrogando in casu particulari legem ecclesiasticam quæ impedimentum induxit, nedum post eam irritare, et revocare quoad effectus imposterum secuturos, sed etiam quoad effectus antea sequutos : *Flor. seu Luc.*, 28 *sept.* 1726, § 11.

Ac proinde si contrahentes Summo Pontifici nullitatem matrimonii, et graves futuras offensiones populi, in casum divortii exposuerint, et Pontifex absolverit a pœnis, nec non insimul post contractum inter ipsos de novo publice matrimonium, servata forma Concilii benigne indulserit, ut in eo licite remanere possint, si prolem susceptam, et suscipiendam exinde legitimam decreverit, hæc est in radice matrimonii dispensatio tam legitimationis prolis susceptæ, quam exinde suscipiendæ : *Ib.*, § 12.

Quamvis novus consensus coram parocho et testibus iteretur, et servetur Concilii forma, non tamen infertur quod Papa noluerit concedere dispensationem in radice matrimonii, sed dicendum est quod primum matrimonium contractum revalidaverit, cum conditione novæ solemnizationis, servata forma Concilii, pro evitanda populi offensione quæ posset oriri inter ignorantes primum matrimonium de facto contractum fuisse, et videri publicam supplicantium cohabitationem : *Ibid.*

Summus Pontifex accedente legitima causa, potest matrimonium irritum propter defectum præsentiæ parochi, vel ob aliud quodvis inpedimentum de jure tantum ecclesiastico, matrimonium dirimens in radice convalidare, et directe dispensando super matrimonii invaliditate, prolem ex copula putative conjugali susceptam, ad legitima restituere natalia : *Dissert. secr. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. A, § 15 ; *Ipr.*, *Vis. SS.*, 17 *aug.* 1737, § 15.

§ XIX.

Dispensatio a pluralitate beneficiorum.

Canonistæ triplicem adducunt rationem concedendi dispensationem in beneficiorum pluralitate, nimirum necessitatem, utilitatem, et evidentem meritorum prerogativam : *Broch.*, *Disp.*, 17 *apr.* 1734, § 10.

Pro retentione duorum beneficiorum etiam difformium sub eodem tecto, non valet Episcopus dispensare, nisi concurrat insuper ad honestam vitæ conservationem insufficientia redituum primi beneficii, vel justa causa evidentis utilitatis, aut necessitatis Ecclesiæ, vel maxime prærogativa meritorum dispensandi : *Saler. seu Cap.*, *Par.*, 9 *febr.* 1760, § 5.

Non opus est dispensatione retinendi duplex beneficium, quæ satis non sunt singula ad congruam beneficiati sustentationem, nec sunt sub eodem tecto, ac residentialia : *Sabin.*, 26 *nov.* 1791, § 2.

Dispensatio Ordinarii in pluralitate beneficiorum sub eodem tecto exolevit : *Nep.*, 17 *jun.* 1788, § 4.

§ XX.

Dispensatio a voto castitatis.

Summus Pontifex ordinaria sua auctoritate a voto castitatis sacro subdiaconatus ordini adnexo potest dispensare, nec quemquam latet plurima extare exempla ejusmodi dispensationum, quibus subdiaconi fuere per Summos Pontifices a prædicto voti vinculo soluti, ut matrimonium possent inire ; *Biter.*, *Dis.*, 24 *sept.* 1740, § 3.

Atque æque certum est, vel publicam causam pro ista dispensatione requiri : *Ibid.*

Vel si privata tantum causa adferatur, non qualemcumque sufficere, sed eam debere concurrere, quæ gravis et urgens sit : *Ibid.*

Et quum subdiaconatus ordo in primitiva Ecclesia adnexum habere castitatis votum minime recenseretur, non adeo graves postulat dispensatio causas, et majori facilitate Summi Pontifices dispensationem prædictam subdiaconis impertiti sunt : *Ibid.*, § 4.

A voto solet concedi dispensatio, ubi comperitur illud fuisse metu, vel dolo extortum, aut ante legitimam ætatem facilitate potius quam ex arbitrio discretionis emissum : *Ibid.*, § 5.

Metus conditionalis præstat Summo Pontifici justam causam dispensandi a voto continentiæ, quod est adnexum subdiaconatui : *Ip., Dis.*, 5 *aug.* 1719, § 3 ; *Censt.*, *Disp.*, 22 *maii* 1754, § 5.

Summi Pontifices frequentissime dispensarunt super voto solemnizato per susceptionem subdiaconatus et diaconatus in Hispania præsertim, et in Italia : *Paris., Disp.*, 25 *jan.* 1712, 12 *jul. ejusd. an.*, § 18.

Pontifex sæpe dispensavit ut sacerdotes et diaconi ducerent uxores, non enim dispensat in jure divino observandum, sed relaxat votum factum per voluntatem hominis, ita ut amplius non obliget : *Ibid.*

Card. autem Albitius suo assessoratus tempore, vidit plures Summos Pontifices dispensasse, ut qui erant in ordine subdiaconatus possent contrahere matrimonium, sed in diaconatu constitutos fere nunquam, in sacerdotio autem nunquam dispensatos, multo minus in episcopatu : *Ibid.*

Quidquid sit de disputatione, an recipiens ordinem per coactionem conditionalem et causativam, vere recipiat characterem, teneaturque continentiæ voto sacro ordini adnexo, hoc unum certum est, quod metus licet conditionalis præstet Pontifici justam causam dispensandi a voto continentiæ quod est sacro ordini adnexum : *Ibid.*, § 2.

Votum continentiæ non est de substantia ordinis, sed illi accidentaliter annexum ex statuto Ecclesiæ ; ita ut ad sui essentiam requirat liberam voluntatem, qua cessante, non obligat : *Ibid.*

Decisum aliquando fuit pro dispensatione a voto continentiæ ex causa metus incussi a matre vidua iracundæ naturæ, et usufructuaria omnium bonorum, quæ filio vehementer minabatur, quod ipsum omnino derelictura sit, nisi subdiaconatum susceperit, dum secus filius ad paupertatem fuisset redactus : *Ibid.*, § ult.

Intercedente coactione conditionali, et causativa locus est dispensationi a voto continentiæ : *Arel.*, *Disp.*, 17 *febr.* 1731, § 3.

Hinc Summi Pontifices subdiaconis qui ordinem susceperunt ob coactionem, et metum conditionalem et causativam, concesserunt dispensationem ut matrimonium contrahere possint : *Posn.*, 20 *april.* 1782, § 5.

Hic tamen metus, et coactio esse debet gravis, et cadens in constantem virum, nec sufficit levis et vanus : *Ibid.*, § 6 ; *Gratian.*, 3 *jul.* 1762, § 6.

Ubi enim mala comminata possunt facili negotio, vel alia ratione vitari, dispensatio non est indulgenda : *Grat., ibid.*

Hinc videndum est, num ex alimentorum subtractione, filio longe absenti et jussu patris alibi commoranti, ut subdiaconatus ordinem susciperet causari potuerit metus, qui dicendus sit justam præbere dispensandi causam : *Ibid.* ; *Const.*, *Disp.*, 18 *maii* 1737, § 6.

Et an ratihabitio præsumi debeat ob actus exercitos vivo adhuc patre et ita perseverante causa ratibabitionem induxerint : *Ibid.*, § 7.

Metus gravis, qui intercessit in susceptione ordinis subdiaconatus, sufficientem Summo Pontifici causam subministrat dispensandi a voto continentiæ : *Monast.*, 20 *nov.* 1723.

Quoad absolutionem seu dispensationem a juramento seu voto castitatis, in sacris Canonibus statutum est, non posse virum ad sacros ordines promoveri, nisi adsit licentia uxoris et nisi eadem continentiam profiteatur : *Eyst.*, 28 *jul.* 1724, § 9.

Si autem mulier sit senex et non suspecta de incontinentia, sufficit votum simplex castitatis in seculo ; si vero mulier est juvenis, sive suspecta de incontinentia, requiritur solemnis professio, etiamsi suspecta non esset de incontinentia : *Ibid.*

Quando coactio causativa nullitatem suadet voti continentiæ, justa adest causa dispensationis : *Biter.*, *Ord. subd.*, 21 *aug.* 1791, § 7.

Præsertim quando agitur de juvene qui in maximo versatur animæ periculo : *Ibid.*

Quum voluntatem cogere dicatur metus reverentialis, proinde hic justam præbet causam dispensandi a voto continentiæ : *Camer.*, *Disp.*, 18 *nov.* 1769, § 2.

Dispensatio a voto castitatis non conceditur professo in aliqua religione, nisi gravi justaque urgente causa : *Par.*, *Matr.*, 3 *sept.* 1740, § 7.

Dispositio testamentaria.

Dispositio testamentaria irrita est, quando est destituta solemnitatibus ad testamenti validitatem præscriptis : *Boj.*, *Sp.*, 10 *maii* 1742, § 2.

In explicanda fundatoris dispensatione, quæ dubia sit, ea sumenda semper interpretatio est quæ patronorum præsentationi faveat : *Com., Ben.*, 13 *jul.* 1771, § 9.

Dispositiones ubi conciliari possunt, una alteram non destruit dispositionem : *Jan., Cap.*, 21 *aug.* 1790, § 8.

De extraneis demandatum existimari debet, quidquid de familiis descendentibus fuit dispositum : *Fir., Cap.*, 12 *mar.* 1774, § 10.

Et in quavis dispositione priora magis influunt in posterioribus : *Ibid.*

Atque facultas variandi reservata in fundatione importat prærogativam perfectionis, fundationis et conditionem suspensivam actus usque ad novam declarationem : *Ibid.*, § 12.

Prior dispositio testamentaria mutatur per posteriorem, nisi sibi contrarietur : *Civit. Pleb., On. Miss.*, 19 *aug.* 1791, § 3.

Et in testamentis plenius voluntates testatorum interpretantur : *Ibid.*

Si dispositio aliquam admitteret interpretationem, ea sumenda est pro implemento causæ piæ in testamento expressæ : *Ibid.*, § 5.

Dispositiones piæ testatorum mandandæ sunt exequutioni, si non repugnent sacris legibus, nec difficilis aut impossibilis sint implementi : *Nul. S. Laur. in Campo.*, 30 *maii* 1767, § 7.

Nec major utilitas, sed explicita testatorum voluntas spectanda est : *Ibid.*, § 8.

Immo absurdum est, ut intuitu majoris utilitatis ab aperta testatorum dispositione discedatur : *Ibid.*

Caute occurrendum est ne testatores a piis dispositionibus retrahantur, si viderent eas complemento defraudari : *Ibid.*, § 9.

Nisi concurrat justa et rationabilis causa, piæ fundatorum dispositiones post diuturnum tempus exequutioni dari debent : *Sutr., Susp. dot.*, 17 *dec.* 1791, § 3.

Disponendi prohibitio, tam inter vivos, quam in ultima voluntate quoad monachos et moniales, a jure positivo descendit ; adeoque Summus Pontifex illam auctoritate sua tollere potest : *Tol.*, 7 *maii* 1718, § 2.

Reliqua. Vide *Episcopus*, § VIII ; *Exequutores*, § II ; *Regulares*, § XIII.

Dispositiones piæ. Vide *Episcopus*, § VIII

Dissensus.

Dissensus in pretio non est habendus, quando res postulata maximam attulit utilitatem et nulli præjudicium infert : *Aux., Trans. Miss.*, 8 *jun.*, § 3.

Si nullum capitulo affertur incommodum per concessionem canonicatus simplici clerico, non attenditur irrationabilis illius dissensus : *Null. Guast., Can.*, 31 *maii* 1794, § 5.

Dissolutio. Vide *Ecclesia parochialis*, § VIII ; *Matrimonium*, § XLIII ; *Sponsalia*, § II.

Distinctio. Vide *Ecclesia parochialis*, § II.

Distributio. Vide *Legatum pium*, § VIII ; *Subsidium dotale*, § VII.

Distributiones.

§ I.

Distributiones quotidianæ in genere.

Piissimi usus est, ut aliquid cedat in auctione massæ quotidianarum distributionum, quibus ad divinorum officiorum frequentiam canonici allicuntur : *Eccl.*, 16 *aug.* 1794, § 32.

Et si pro his applicetur media annata a capitularibus solvenda, Piani diplomatis voluntas infringitur : *Ibid.*

Massaque distributionum minime par oneri chori perferendo, ex parte fructuum præbendarum augeri debet : *Ibid.*, § 33.

Distributiones quotidianas lucrantur canonici pro modo præstiti servitii : *Imol., Distr.*, 25 *april.* 1761, § 1.

Neque actio illas petendi præscribitur minor spatio 30 annorum : *Ibid.*

Nomine fructuum quotidianæ etiam distributiones comprehenduntur : *Reat., Med. an.*, 12 *maii* 1770, § 8.

Quando præbendæ consistunt in distributionibus quotidianis, tunc assumunt naturam præbendarum : *Iller., Absol. distr.*, 3 *mart.* 1791, § 6.

Et duas saltem partes per sui absentiam præbendati lucrantur : *Ibid.*

§ II.

Distributiones quotidianæ quoad constitutionem et divisionem.

Separanda est tertia pars fructuum præbendarum in usum distributionum quotidianarum, quas intervenientes choro lucrantur : *Imol., Dist.*, 25 *april.* 1761, § 5.

Hinc distributionum fundus si deest, debet tertia pars fructuum præbendarum erogari in distributiones : *Verc., Resid.*, 23 *jun.* 1764, § 12.

Voluit Concilium Tridentinum sess. 21, cap. 3, ut tertia pars fructuum omnium beneficiorum separari debeat, et in distributiones quotidianas con-

verti, ac dividi proportione servata inter præsentes divinis : *Imol.*, *Distr.*, 9 *maii* 1772, § 20.

Concilium Trid. cit. sess. 21, cap. 3, *de Reform.*, imperavit divisionem distributionum quotidianarum, dignitatum, personatuum, et canonicorum absentium, inter dignitates præsentes, et ceteros divinis officiis intervenientes faciendam : *Caph.*, *Distr.*, 31 *mart.* 1770, § 5.

Nec contrarium edicit in sess. 22, cap. 3, *de Refor.*, ubi non de quotidianis agitur distributionibus, nec de onere interventus chori, sed tantum de aliis oneribus, vel ex lege fundationis, vel ex Episcopi decreto adimplendis : *Ibid.*

Distributionibus quotidianis, in cathedralibus et collegiatis ecclesiis ubi tenues sunt reditus applicari debet tertia pars fructuum singularum præbendarum separanda ab Episcopo, vigore sess. 21, cap. 3, cum applicatione fallentiarum in favorem intervenientium : *Ibid.*, 1, 6 ; *Imol.*, *Distr.*, 25 *apr.* 1762.

Potest etiam Episcopus vigore sess. 22, cap. 3, separare tertiam partem fructuum, dignitatum, pro distributionibus cum applicatione fallentiarum fabricæ ecclesiæ et usibus piis : *Ibid.*

Quod procedit quoad dignitates quarum præbenda constituta non est ex bonis ecclesiæ : *Ibid.*

Concilium tamen in dictis locis non derogavit legi fundationis canonicatuum vel dignitatum : *Ibid.*, § 5.

Nam Concilium cit. sess. 22, cap. 3, statuit divisionem fructuum, et tertiam eorum partem dividi in distributiones quotidianas, illas amittendo, si personaliter servitium non sit impletum, ut fabricæ ecclesiæ, aut alteri loco pio applicentur : *Ibid.*, § 13 ; *Cephal.*, *Distr. quot.*, 31 *mart.* 1770.

Ac Concilii Trid., cap. 3, sess. 22 cit., cum præcedenti sess. 21, cap. 3, recepta est interpretatio, decretum primum loqui tantum de distributionibus extraordinariis, et impropriis, non vero de quotidianis distributionibus ex massa communi capituli assumendis, et pro rata parte interventus divinis officiis dividendis : *Ibid.*, § 14.

Distributiones quas recipiunt qui statis horis nterfuerint, ex dispositione Trid. sess. 21, cap. 3, effici debent ex tertia parte omnium fructuum beneficialium : *Macer.*, 20 *dec.* 1766, § 21.

Mens Patrum Tridentinorum nunquam fuit, ut assignatio tertiæ partis fructuum pro quotidianis distributionibus fiat in ipsismet fructibus, seu, ut aiunt, in specie ; quia earum distributionum incrementum commodius, aptiusque fieri censet, si in pecunia ex fructibus cujusque canonicatus detracta constituatur : *Leo.*, *Distr.*, 5 *jul.* 1730, § 4.

Distributiones sunt stipendium quotidiani servitii, et quotidiani interventus, et singulis tam nocturnis, quam diurnis partibus officii divini ; et ideo si possibile est, earum divisio fieri debet singulis diebus : *Anag.*, *Distr.*, 8 *jul.* 1720, § 4.

Distributio quartæ partis redituum in alias infra annum ecclesiasticas functiones, sicuti allicit omnes ad interveniendum, ita decorem ecclesiæ et populi auget devotionem : *Leod.*, 21 *nov.* 1772, § 4.

Licitum est capitulo distributionum divisionem explere, factamque exequi oportet, dummodo sacris canonibus non adversetur : *Ibid.*, § 6.

Distributiones sunt partiendæ etiam pro aliis precibus pia devotione institutis, et pro generalibus ac particularibus supplicationibus : *Melev.*, *Erect. nov. mas.*, *Distr.*, 28 *sept.* 1762, § 2.

Cum distributiones recte congruant sacris quibuscumque actionibus communiter obeundis : *Ibid.*

Et ad Episcopum spectat præscribere servitia pro lucrandis extraordinariis distributionibus : *Ibid.*, § 10

Atque distributiones partiendæ sunt pro modo laboris, ut canonici promptiores fiant ad servitium ecclesiæ : *Ibid.*

Et novarum distributionum lucrum adjungi debet iis oneribus ad quæ canonici de jure et consuetudine tenentur.

Quotidianæ distributiones de jure sunt institutæ pro divinis officiis : *Ibid.*, § 12.

Et putatur haud partiendas esse pro officiis B. M. V., et defunctorum, psalmisque pœnitentialibus, et gradualibus, quorum recitatio sine ullo periculo peccati in casu omissionis præcipitur ; nisi contraria vigeat consuetudo : *Ibid.*

§ III.

Distributiones quotidianæ quibus debeantur vel non.

Æqualis vindicatur distributionum quotidianarum partitio, ex jure fundationis, et consuetudinis lege : *Imol.*, *Distrib.*, 15 *sept.* 1787, § 3.

Ex jure, quia unum cum reliquis canonicis constituunt corpus, idemque cum illis præstant servitium, cujus ratione quotidianæ debentur distributiones : *Ibid.*

Ex lege fundationis, quando instituuntur beneficia et aliæ fundationes sub conditione, ut participare debeant de distributionibus : *Ibid.*

Quæ quidem lex diligenter servari debet : *Ibid.*

Quotidianæ distributiones non debentur beneficiato non residenti, quum sint præmium actualis et presonalis servitii in choro : *Brach.*, 7 *jun.* 1788, § 5.

Distributiones etiam cum bona fide perceptæ, post expiratum indultum, restitui debent : *Rom., Distr.*, 12 *jul.* 1788, § 3.

Privatio distributionum ex causa absentiæ, non latæ, sed ferendæ est sententiæ, ideoque infligi non debet illi qui nunquam deficientis indulti tempore constitutus est per interpellationem in mora : *Ibid.*

Distributiones quotidianas lucrantur duntaxat ii qui statutis horis interfuerint : *Ibid.*, § 4.

Ipsoque facto absque ulla privationis intimatione per absentiam amittuntur : *Ibid.*

Hinc necessaria est absentandi licentia, tum de jure tum ex propriis ecclesiarum constitutionibus: *Ibid.*

Distributiones quotidianæ a reliquis fructibus præbendalibus secernuntur, quia absentibus non acquiruntur, sed iis qui choro intersunt : *Cap., Spol.*, 9 *jul.* 1735, § 4.

A fortiori accedente altera circumstantia, qua portio eorumdem fructuum maturata, tempore vacationis non subjicitur spolio, sed intervenientibus choro, et ecclesiæ accrescit : *Ibid.*

Insuper fructus præbendales non exacti ad heredes defunctorum non transmittuntur, cum de cetero distributiones quotidianæ non exactæ, ad eos deferri debeant : *Ibid.*, § 5.

Tridentinum sess. 24, cap. 12, de *Refor.* jussit distributiones lucrari præsentes, absentes autem his, exclusa remissione, carere : *Segobr., Ind.*, 19 *jan.* 1765, § 16; *Macer.*, 20 *dec.* 1766, § 17 ; *Iller., Ab. et Distr.*, 3 *mart.* 1792, § 7.

Sub nomine distributionum quotidianarum non veniunt fructus, seu distributiones canonicales, sed, quæ ratione servitii *per puncta et punctaturas* designantur, ita ut major vel minor sit portio uniuscujusque, uti magis vel minus inservierit : *Ibid.*, § 17.

Quotidianæ distributiones intervenientibus debentur, reliquis his carere oportet vigore decreti Concilii Tridentini sess. 24, cap. 12, spreta qualibet contraria consuetudine : *Mac.*, 23 *apr.* 1768, § 8 ; *Ross., Jur. par.*, 15 *febr.* 1745, § 2 ; *Ven.*, 4 *dec.* 1762 , § 1.

Portio absentis non accedit personæ, quæ præsens est, sed accedit portioni : *Sav., Distr.*, 13 *dec.* 1745, § 2.

Improbatur consuetudo, ut percipiat a morbo præpeditus distributiones omnes quæ percipiuntur ab illo qui vere interest : *Ibid.*, § 3.

Ut ministri ecclesiarum diligentius chori servitio incumbant Concilium Tridentinum distributiones quotidianas statuit ab intervenientibus percipiendas : *Mont. Fal., Distr.*, 19 *dec.* 1772, § 7.

Sed Tridentinum non immutavit illarum ecclesiarum consuetudinem, in quibus non residentes seu non inservientes nihil vel minus tertia parte percipiunt : *Ibid.*

Et in more positum est, ut quoties indultum semet absentandi alicui conceditur vel causa studiorum, vel ad propria agenda negotia, adjicitur conditio amissionis quotidianarum distributionum, et absentes vigore istius indulti, distributiones minime lucrari : *Ibid.*, § 8.

Ex Bonifacio VIII in cap. 1, *de Cler. non resid.*, improbatur consuetudo quæcumque, et statutum quo absentes lucrabantur distributiones quotidianas : *Segobr., Ind.*, 19 *jan.* 1765, § 15.

Ac qui illas receperit, exceptis infirmis, aut ob ecclesiæ evidentem necessitatem detentis, dominium illarum non acquiri, nec suas reddi : *Ibid.*

Hanc sanctionem Trid., sess. 24, cap. 12, in usum revocat : *Ibid.*, § 16.

Et locum habet quoad exceptos, non obstante statuto capituli, ut ægrotis vel ex causa absentibus non dentur distributiones : *Ibid.*, § 20.

Pro quotidianarum distributionum fruitione ne quidquam obstat decretum Trid., sess. 22, cap. 4, *de Refor.*, illis qui nulla culpa nullaque negligentia, suæ ætatis tantum, vel alia legitima sua, sacros ordines suscipere nequiverunt : *Spol., Distr.*, 8 *maii* 1745.

Præsertim quando beneficium a Summo Pontifice quis obtinuit, ac Pontifex sciat eum ætatis suæ decimum et septimum annum agere : *Ibid.*

A fructibus et a distributionibus quotidianis arcentur illi qui non resident, et divinis officiis non intersunt; excipiuntur tamen illi quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas excusaret : *Col., Ind.*, 22 *maii* 1734, § 4; *Leod. seu Col., Fruct.*, 1 *sept.* 1736, § 2.

Absentes causa infirmitatis, vel ad confirmandam valetudinem, lucrantur emolumenta et distributiones : *Iller., Abs. et Distr.*, 3 *mart.* 1792, § 8.

Etiamsi infirmitatis tempore a loco residentiæ absint : *Ibid.*

Nam æque impedirentur ad interessendum choro, si adessent : *Ibid.*

Eodemque fruuntur jure absentes ex justa et rationabili corporis necessitate, aut evidenti Ecclesiæ necessitate juxta cap. unic. *de Cler. non resid.* in 6 : *Ibid.*

Distributiones dandæ sunt iis tantum, qui divinis officiis intersunt, exceptis absentibus propter infirmitatem, seu justam et rationabilem corporalem necessitatem, vel evidentem ecclesiæ utilitatem : *Iller., Distr.*, 5 *jul.* 1727.

Absens pro negotiis capituli, de jure lucratur distributiones : *Ibid.*

Absens ex indulto, quotidianas amittit distributiones : *Caser., Ind. ab.*, 16 *dec.* 1797, § 7.

Indulto tamen infirmitatis causa gaudentibus, debentur non residentibus et non intervenientibus choro quotidianæ distributiones, præter eas quæ dividuntur inter præsentes : *Ibid.*

Distributiones quotidianas ii lucrantur, quibus cura animarum imminet : *Fav., Coadj.*, 22 *dec.* 1763, § 13.

Distributiones quotidianas nequeunt lucrari in absentia pro tempore exercitii curæ capitulares illi qui parochialem obtinent ex dispensatione apostolica : *Venus.*, 25 *junii* 1763, § 6.

S. Carolus Borromæus statuit distributiones amittere eum qui ad effectum celebrandi Missam divinis officiis non interfuerit : *Com., Celeb. Miss.*, 28 *septemb.* 1771, § 24.

Imo neque præcisa deputatione, neque legitimi superioris licentia, neque consuetudine introduci potest, ut quotidianas distributiones lucretur, qui ad celebrandam Missam a choro discesserit : *Ibid.*, § 23.

Qui in munere cæremoniarum magistri assistentiam præstat archiepiscopo, censetur inservire eidem ecclesiæ metropolitanæ, et distributiones quotidianas lucrari : *Ravenn., Distr. quot.*, 1 *aug.* 1739, § 2.

Qui a choro conservandæ salutis vel recreationis causa absunt, distributiones quotidianas percipere non debent : *Oriol.*, 14 *jan.* 1792, § 8.

Distributiones quotidianæ non debentur ratione beneficii, aut dignitatis, sed laboris, qui par est omnibus : *Firm., Distr.*, 15 *maii* 1790, § 4.

Adeoque hac ratione pares sunt præpositi et canonici : *Ibid.*

Limita, sed si præpositus ac archidiaconus plus conferunt, plus etiam percipere debent : *Ibid.*, § 5.

Et tunc major ordine, etiamsi postea sit inter capitulares receptus, in portione percipienda est potior : *Ibid.*

Ad assequendas distributiones eadem causa absentiæ tempore commorationis in aliquo loco, quæ causa suffragatur tempore commorationis : *Concl., Fruct. et Distr.*, 23 *jan.* 1734, § 5.

Absentibus ob evidentem ecclesiæ utilitatem distributiones quotidianæ sunt tribuendæ, non secus ac iis qui divinis officiis intersunt : *Ibid.*, § 5.

Solum de anniversariis a pia fidelium fundatione provenientibus, eorum emolumenta non comprehenduntur appellatione distributionum : *Ibid.*, § 10.

Juste privatus a perceptione distributionum quotidianarum is dicitur qui cum fuerit in carcerem conjectus a capitulo abfuit, neque se a criminis indiciis atque argumentis purgaverit, ob quæ in vincula ductus fuit : *Anag., Dist. quot.*, 29 *febr.* 1744, § 5.

Capitularibus nulla conciliaris vacatio suffragatur ad effectum percipiendi distributiones, sed hæ etiam tempore concessæ vacationis amittuntur. *Leod.*, 24 *nov.* 1770, § 9.

Distributiones dandæ sunt inservientibus choro et divinis officiis ad præscriptum S. C. Trid. sess. 24, cap 12, *de Refor.* : *Feren.*, 7 *jun.* 1760, § 1.

Nec assessione in organis æquipollet servitio ecclesiæ ad effectum lucrandi distributiones, nisi fiat sine stipendio : *Ibid.*

Coadjutores et coadjuti non sunt admitendi simul ad distributionum quotidianarum participationem : *Ibid.*, § 14 ; *Melev., Erect. mass. distr.* 25 *sept.* 1762.

Quia unica portio illis debetur tanquam repræsentantibus unicam solam personam : *Ibid.*

Distributiones cessæ et non solutæ solvendæ sunt : *Juven., Distr. quot.*, 18 *dec.* 1744, § unic.

§ IV.

Distributiones quotidianæ quoad originem.

Cum primo ecclesiæ tempore clerici ex collatis fidelium eleemosynis communi mensa alerentur, hinc est ut beneficia ex solis distributionibus constare visa sint : *Pis. Mas. com.*, 14 *dec.* 1782, § 14.

Inde sequuata ex post bonorum divisione, et unicuique beneficio suis peculiaribus fundis assignatis, secerni cœperunt fructus præbendarum et distributionum, ut ecclesiastici frequentius ad ecclesiæ servitium convenirent : *Ibid.*

Et primus, qui excogitavit hujusmodi distributiones fuit Ivo Carnutensis : *Ibid.; Cephal., Distr. quot.*, 31 *mart.* 1770, § 9.

Hunc morem probarunt Summi Pontifices, et novissime Sacr. Trid., sess. 21, cap. 3, *de Refor.*, præcipiendo ut in singulis cathedralibus et collegiatis tertia pars fructuum in distributiones quotidianas erogaretur : *Ibid.*, § 15 ; *Per., Com. vol.*, 23 *jan.* 1784, § 10.

Ex hac ratione, ut de negligentibus canonicis faceret diligentes, de tardis assiduos, ad frequentandas horas canonicas : cit. *Cephal.*, *ibid.*

Usum hunc tanquam utilem ac necessarium quam maxime laudavit, et confirmavit tum jus canonicum, tum S. Concilium Trid. : *Ibid.*

Nunc juris est, distributiones quotidianas ex tertia parte fructuum desumptas, et ab absentibus amissas, præsentibus tantum acquiri, sive accrescere : *Ibid.*, § 12.

Reliqua. Vide *Altaristæ*, *Archidiaconus*, § III; *Beneficiati*, § IV; *Canonici*, § III; *Capitulum ecclesiasticum*, § V; *Mansionarius*, § II; *Præpositus*, § I; *Presbyteri*, § II.

Dives.

Nemo, multo minus Ecclesia locupletari debet cum aliena jactura : *Firm.*, *Trans.*, 28 *maii* 1791, § 8.

Divina officia. Vide *Officia divina*.

Divinum officium. Vide *Officium divinum*.

Divinus cultus. Vide *Cultus divinus*.

Divisio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XII; *Bona ecclesiastica*, § III; *Decimæ*, § VI; *Distributiones quotidianæ*, § II; *Ecclesia parochialis*, § II; *Hæreditas*, § IV.

Divortium. Vide *Matrimonium*, § VII.

Diuturna observantia. Vide *Observantia*, § IV.

Doctoratus.

Ad obtinenda beneficia et dignitates ecclesiasticas, certum est doctoratum non receptum in publica universitate non suffragari : *Fan.*, 5 *jun.* 1723, § 4.

Privilegia doctoratum in publica universitate non recipientium sine examine concessa, non attenduntur : *Ibid.*, § 5.

Doctrina christiana.

Onus exponendi doctrinam christianam solum injungitur parochis, vel sacerdotibus celebrantibus in ecclesiis ruralibus : *Civit. Cast.*, 25 *sept.* 1762, § 10.

Summus pontifex Leo X omnibus scholarum magistris et præceptoribus onus docendi fidei rudimenta pueros ad scholam suam accedentes imposuit : *Ferr.*, *Doct. christ.*, 21 *jul.* 1742, § 7.

Doctrinæ christianæ expositio præferri quidem non debet sacrificiis : *Fan.*, *Erect. cap.*, 9 *aug.* 1788, § 8.

Et quum catechesis exponitur de mandato episcopi, ignorantia puerorum tribuenda est ipsorum, et parentum negligentiæ : *Ibid.*, *Leod.*, *Vicar.*, 18 *maii* 1760.

Catechesis et quædam prædicationis species parochis stricte inculcanda : *Col.*, 14 *febr.* 1767, § 28.

Pertinet ad Episcopum deputare aliquas ecclesias in quibus doctrina christiana doceri debeat : *Mant.*, *Catech.*, 8 *aug.* 1722.

Prohibitum non est regularibus a decretis S. Concil. Trid. docere doctrinam christianam in suis ecclesiis, et annuntiare populo festa, et jejunia inter Missarum solemnia : *Flor.*, 16 *mart.* 1726, § ult.

Sicut summus pontifex Leo X magistris scholarum, et præceptoribus imposuit onus docendi pueros ad suam scholam accedentes doctrinam christianam : *Ibid.*

Ita S. Pius V jussit institui ab Ordinariis locorum confraternitates doctrinæ christianæ ad pueros in eadem doctrina instituendos : *Ibid.*

Parochus cogere non potest clericos, qui sunt intra limites suæ parochiæ, ad se coadjuvandum in docendo pueros doctrinam christianam; sed eos urbane tantum excitare potest : *Larin.*, 26 *aug.* 1719, § 3.

Nam sacerdotes et clerici inferiores dominicis festisque diebus, qua hora divinis officiis celebrandis adstricti non sunt, parochum intra cujus parochiæ fines habitant, in doctrinæ christianæ scholis adjuvare possunt : *Urb.*, 10 *maii* 1766, § 27.

Necnon in aliis christianæ pietatis officiis, quibus omnibus parochus præsto esse nequit : *Ibid.*

Etiam sub aliqua multa pecuniaria : *Ibid.*

Idem cautum est a Bened. XIII in sua synodo Beneventana anni 1729 addendo, ut si renuerint in instructione parvulorum parochum adjuvare, presbyteros remediis opportunis Episcopi compellant : *Ibid.*, § 28.

Et Bened. XIV sua const. *Etsi minime* 7 febr. 1742, consulit ecclesiis ruralibus, a parochia longe sepositis, ubi sacerdotes ibi operantes, doctrinæ christianæ summam ac legem divinam populo annuntiare coacti sunt : *Ibid.*, § 29.

Documentum.

Documenta inquisita post concursum, et producta, rejicienda sunt juxta præscriptum Bened. XIV : *Verul.*, *Arch.*, 20 *jan.* 1770, § 6.

Documento nulla fides est præstanda, quum integer litterarum tenor non fuerit transcriptus : *Fer.*, *Præ.*, 23 *april.* 1768, § 8.

Domesticum oratorium. Vide *Oratorium*, § II.

Domicilii parochus. Vide *Matrimonium*, § XXX; *Parochus*, § XIII.

Domicilium.

§ I.

Domicilium in genere.

Domicilium facit incolas : *Imol.*, *Sub. dot.*, 20 *jul.* 1767, § 13.

Et longum domicilium ad munera civilia aperit aditum : *Ibid.*

Domicilium non a potestate, sed tantum a materiali facto et habitatione pendet : *Taur., Matr.*, 29 *jul.* 1769, § 4.

§ II.

Domicilium quoad amissionem.

Semel acquisito domicilio in aliquo loco, non aliter idem amittitur, nisi clare, aperteque constet, illud derelictum fuisse, novumque alio in loco acquisitum : *Rom. seu Tud.*, 14 *mart.* 1772, § 7.

Nihil repugnat, quominus in diversis locis, ac civitatibus quis domicilium acquirat, ac eodem tempore retineat : *Ibid.*

§ III.

Domicilium quoad beneficium.

Communi jure inspecto, quilibet beneficiarius, cui residendi onus incumbit, verum dicitur domicilium nancisci in eo loco quo possidet beneficium : *Tarrac., Ord.*, 16 *dec.* 1741, § 3.

Si quis in una diœcesi habeat beneficium simplex, et in altera beneficium residentiæ legem imponens, præferendus est in ordinatione Episcopus hujus loci, quia ad rationem beneficii accedit ratio domicilii : *Ibid., Bon. seu Fer. Ir.*, 14 *nov.* 1733, § 7.

§ IV.

Domicilium habitationis quando dicatur contractum.

Domicilium non acquiritur sine animo perpetuo habitandi : *Jadr.*, 24 *aug.* 1720, § 12.

Nec quasi domicilium acquiritur, nisi concurrat animus habitandi per majorem anni partem : *Ibid.*

Casu autem, in quo aliquis derelicto primo domicilio, cum animo ad illud amplius non redeundi, se ad alium locum transfert, domicilium acquirere potest statim ac ibi incipit habitare animo habitandi : *Ibid.*

Ea est differentia inter militem degentem in stationibus hybernis, et militem præsidiarium, quod primus animum non habeat permanendi per majorem anni partem in loco in quo stationes habet hybernas, et secundus animum habeat in præsidio ad longum tempus, vel in perpetuum permanendi : *Ibid.*

Domicilium in aliqua civitate contrahit ille, qui post decem annos matrimonium cum ejusdem civitatis muliere contraxit, undecim suscepit filios, retinuit domum instructam per 46 annos, et omnia civitatis prædictæ privilegia liberorum suorum ergo, quæsivit : *Neap seu Hier., Ord.*, 25 *sept.* 1700, § 3.

Dubitari nequit illum qui ruri domum suo sumptu ædificavit, et eam majori, imo maxima parte anni cum sua familia incoluit, ibi domicilium fixisse : *Pisaur.*, 18 *maii* 1765, *Ibid.*, § 8.

Nihil in jure cautum est, ut decennium ad contrahendum domicilium sit necessarium : *Ibid.*, § 9.

Potest requiri decennium ad effectus civiles, et privilegia, ac leges municipales, non ad subjectionem parocho, in cujus favorem sola habitatio per majorem anni partem sufficit etiam sine animo semper habitandi : *Ibid.*

In novissima Pisaurensi synodo cautum est, censuram textus in cap. *His qui, de Sepult. in* 6. locum habere, dum aliquis ad villam rusticandi vel ruralium officiorum causa commigrat, non vero dum illuc ad habitandum se transfert : *Ibid.*, § 10.

De infante, qui e patria sua ab avo materno Ariminum evocatus, ibique diu retentus, ac tandem hæres institutus sub conditione perpetuo in eadem civitate manendi, eam hæreditatem adierat, olim disceptatum est in Rotæ auditorio, num domicilium illic sic comparasse videretur? Decisum fuit utique comparasse : *Raven., Ord.*, 28 *sept.* 1743, § 7.

Ad domicilium firmatum ostendendum, non est necessaria translatio majoris partis immobilium bonorum, sed sufficit translatio majoris partis rerum ac bonorum mobilium : *Ibid.*, § 9.

Domicilium, vel quasi, constituitur ex habitatione in aliquo loco, et ex animo firmo ibi perpetuo commorandi : *Tarrac., Ord.*, 1 *jul.* 1741, § 9; *Olom., Nul. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 13; *Rip., Nul. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 14; *Olom., Matr.*, 14 *mart.* 1772, § 13.

Receptum communiter est apud canonistas, quod is qui beneficium residentiale, aut coadjutoriam super eo in aliena diœcesi assequitur, ibi domicilium acquirat statim ac incipit residere, ita quidem, ut de jure communi is Episcopo dictæ diœcesis subditus efficiatur etiam ratione domicilii : *Ibid.*

Ad effectum acquirendi domicilium non sufficit solus animus habitandi, sed requiritur etiam factum, nempe habitatio ipsa : *Neap. seu Pat.*, 3 *jul.* 1734, § 18 : *Rav., Ord.*, 28 *sept.* 1743, § 6.

Quum ad acquirendum domicilium requiratur animus permanendi in loco novæ habitationis, hinc si quis rei familiaris curis detentus, aut rusticationis causa ad villam, seu ad agrum se conferat, non efficitur subditus parochi, in cujus ditione rurale

domicilium situm reperitur : *Nuc.*, *Præp. Pas. et Sol, dec.*, 13 *apr.* 1774, § 11.

Hospes est qui apud amicum alterius patriæ diversatur, seu hospitatur tantisper, gratisque ab amico excipitur ; ita ut ab ipso longioris ac brevioris moræ discrimine habitator ab hospite differat quemadmodum domicilium habens a peregrinante secernitur : *Spol.*, 23 *jun.* 1742, § 3.

Domicilium potest contrahi etiam prima die habitationis, si vere constet eum, qui alio transtulit habitationem, in hac statuisse permanere abjecto prorsus animo ad primam, quam dimisit, redeundi : *Taur.*, *Matr.*, 29 *jul.* 1769, § 14.

In illo loco domicilium constitutum est, ubi quis habet sedem, ibique pro majori parte anni cum tota familia moram trahit, et in cujus territorio alia bona acquisivit : *Nuc.*, *Præc. pas. et Sol. dec.*, 23 *apr.* 1774, § 4.

Post diuturnam moram declarasse censetur animum continuandi in ea domicilium pro quo acquirendo, simplex sufficeret decennium : *Fabr. et Cam.*, *Ord.*, 19 *aug.* 1797, § 11.

Curiales, advocati, procuratores, doctores ad legendum conducti, aliique, qui in urbe degunt, non animo ibi perpetuo permanendi, sed tantum ratione officiorum, nunquam contrahunt domicilium, neque incolatum, etiam mille annis habitando : *Fan.*, *Leg.*, 20 *apr.* 1771, § 13.

Absque declaratione animi, rerumque immobilium acquisitione, domicilium non constituit mora : *Anc. et Cam.*, *Ord.*, 14 *mart.* 1795, § 4.

Habitatio habita in castro, vel ratione artis agrariæ, vel exercitio muneris, vel causa demum restitutionis, spernenda prorsus est, tanquam inepta ad verum domicilium contrahendum : *Rom. seu Tud.*, 13 *jul.* 1771, § 8.

Propria alicujus parochia illa dicitur, intra cujus limites quis domicilium habet : *Nuc.*, *Præc. pas. et Sol. dec.*, 23 *apr.* 1774, § 11.

Ad parochialitatem acquirendam non requiritur domicilium, sed simplex habitatio sufficit : *Olom.*, *Matr.*, 14 *mart.* 1772, § 25.

Vel ad summum unius tantum mensis permanentiam comprobari oportet : *Ibid.*

Ad acquirendum domicilium pro parochialitatis effectu satis est, ut saltem spatio unius mensis habitaverit quis in loco, ubi matrimonium celebratur : *Neap.*, *Matr.*, 11 *jul.* 1767, § 15.

De domicilio acquirendo ad civiles effectus agitur leg. 2 cod. *de Incol.* lib. 10 : *Ibid.*, § 18.

Et ad parochialitatis adeptionem satis est, ut domicilium fuerit per aliquod tempus acquisitum, atque absit animus statim recedendi, nec accidentale, nec dolosum sit : *Ibid.*

Idque procedit, etiamsi ratione officii mere temporalis domicilium habeatur : *Ibid.*

De puellis educationis causa in monasteriis, vel conservatoriis degentibus, recepta est a doctoribus distinctio : *Ibid.*, § 19.

Aut hæ aliunde proprium habent domicilium, et tunc matrimonium coram parocho proprii domicilii contrahere debent : *Ibid.*

Aut non habent in alia parochia domicilium et tunc matrimonium contrahendum est coram parocho illius parœciæ in qua situm est monasterium : *Ibid.*

Scholastici ceteri ad parochum, intra cujus ambitum situm est collegium, quoad funera et quoad matrimonia pertinent : *Ibid.*, § 20.

Si iidem in urbe non habentes domicilium, sed ad amicorum vel conjunctorum ædes ratione infirmitatis, vel alia de causa, non derelicto collegio, se transtulerint, et ibi decesserint, ad parochum collegii pertinent : *Ibid.*

Idem sentiendum est de puellis et aliis quæ educationis vel famulatus aliave de causa accidentali, in monasteriis vel conservatoriis degunt : *Ibid.*

Quæ, si non sint exteræ, in sepulcro majorum, si habeant ; vel in ecclesia parochiali domicilii, sepeliendæ sunt : *Ibid.*

Sponsæ mora per bimestre educationis causa in hospitio, satis fuit ad parochialitatem acquirendam tum ex juris dispositione, tum ex universali diœcesis consuetudine : *Neap.*, *Matr.*, 11 *jul.* 1767, § 6.

Præsens habitatio, ubi adest animus contrahendi parochialitatem, satis est ad matrimonium contrahendum ; alias si defuerit hic animus, sed vel custodiæ, vel hospitii, vel cujuscumque actus causa eventuali, quis habitet, hæc habitatio satis est ad alia Sacramenta, non ad matrimonium valide contrahendum : *Pisaur.*, 18 *jul.* 1757, § 2.

Familiares et famuli Cardinalium, seu aliorum principum et prælatorum, necnon aliorum quorumcumque, qui habent domum et familiam in alia parochia, ad illam pertinent ex statuto cleri Romani : *Eug.*, *Visit.*, *SS. LL.*, 26 *april.* 1788, § 2.

Certa regula est, quempiam illius parochiæ esse intra quam majori anni parte moratur : *Pisaur.*, 18 *maii* 1763, § 17.

Hæc autem interdum locum non habet, si quis vel causa recreandi animum, vel rusticandi, vel gerendi negotia degat : *Ibid.*

Et perpendendum est, an materialis habitatio, vel potius sacramentorum perceptio spectanda sit : *Ibid.*

Per diuturnam sponsæ moram in domo avi sita in alia parochia, sponsam cum matre non diu con-

viventem, ab avi domicilio non divertisse, nec novum contraxisse dicendum est : *Taur.*, *Matr.*, 12 *dec.* 1767, § 5.

Animus permanendi sub aliqua parochia potissime inspiciendus est, ut possit quis valide in matrimonium conjungi : *Neap. seu Put.*, *Matr.*, 3 *jul.* 1734, § 15.

Ad acquirendum domicilium pro matrimonio ineundo haud necesse est, ut quis longo tempore permanserit in aliquo loco et animum habuerit nunquam ab illo recedendi, sed sat est ut unius saltem mensis spatio habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur : *Taur.*, *Matr.*, 12 *dec.* 1767, § 14.

Domicilium pro contrahendo matrimonio acquiritur in domo, ubi quis habitare cœpit cum intentione ibidem permanendi : *Anc.*, *Nul. matr.*, 10 *maii* 1760, § 5.

Et acquiritur illud statim incepta habitatione, non expectato aliquo tempore : *Ibid.*

Atque mora facta ob reparationes domus, quæ impediebant illius habitationem, tanquam occasionalis, non tollit domicilium antea quæsitum : *Ibid.*

Vel ad summum potest producere duplex domicilium, unde sufficere debet matrimonium fuisse contractum coram alterutro duplicis domicilii parocho : *Ibid.*

Nihil suffragatur mora ante venditionem domus ; nam ea fuit occasionaliter causa venationis, et causa vitandi jurgia propinquorum pro sponsalibus cum ejus filia contractis : *Ibid.*, § 6.

Pro acquirendo hujusmodi domicilio requiritur habitatio, saltem per mensem continuata ante matrimonium : *Ibid.*

Ac propterea, deficiente vera et effectiva habitatione, nihil prodest declaratio animi illuc transferendi domicilium : *Ibid.*

Constat in jure, eamdem habitationem, quæ sufficit ad efficiendum subditum quoad reliqua sacramenta, satis non esse ad sacramentum Ordinis : *Tarrac.*, *Ord.*, 16 *dec.* 1741, § 4.

Domicilium ad effectum suscipiendi ordines sacros acquiritur per decennalem habitationem : *Flor. et Aliar.*. *Ord.*, 10 *jan.* 1778, § 9.

Acquiritur etiam minori temporis spatio, si lares et bona translata fuerint in locum habitationis : *Ibid.*, § 10.

Animus permanendi in loco jurisjurandi religione firmatus, satis est ad acquirendum domicilium : *Ibid.*, § 9.

Ubi vigent constitutiones Apostolicæ circa tempus moræ, ut acquisitum dicatur domicilium, ex veriori doctorum opinione triennium sufficit : *Ibid.*, § 2.

Si pater alieno loco ubi ejus filius natus est, tandiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debet : *Asc. seu Montis Alt.*, *Ord.*, 7 *febr.* 1733, § 9.

Subditus ratione domicilii ad ordines suscipiendos censetur ille qui, licet alibi natus fuerit, adeo constitutus est in aliquo loco, ut vel per decennium habitando, vel transferendo majorem rerum partem, animum ostenderit perpetuo ibidem permanendi : *Ibid.*

§ V.

Domicilium quis contrahere valet.

Non adeo expedita res est, num impuberi quoque liceat proprium domicilium habere a paterno distinctum : *Raven.*, *Ord.*, 28 *sept.* 1743, § 7.

Nonnulli doctores id negant, et ratio est quia impuberes carent animo, et intellectu ad domicilii mutationem requisito : *Ibid.*

Et his consentire videntur quotquot alii docent filiumfamilias, *si pubes sit*, vel *post pubertatem* contrahere domicilium posse : *Ibid.*

Pro hac sententia illud etiam adduci posset, quod ob imbecillitatem judicii nemini permissum sit ante annos pubertatis completos, neque testamentum facere, neque sepulturam eligere : *Ibid.*

Filio familias cuicumque permissa est proprie domicilii acquisitio : *Ibid.* ; *Rav.*, *Ord.*, 28 *sept.* 1743, § 6.

§ VI.

Domicilium quoad mutationem.

Voluntaria est domicilii constitutio, ita et illius mutatio : *Mac.*, *Jur. par.*, 14 *mart.* 1778, § 7.

Domicilium re et facto transfertur, non nuda contestatione, id est contestata denuntiatione : *Ancon.*, *Nul. matr.*, 10 *maii* 1760, § 6.

Mutatio domicilii facta a matre non secum fert variationem domicilii sponsæ quæ in domo avi diurnam moram habuit, et cujus et domicilium et familiam de jure sequi tenebatur : *Taur.*, *Matr.*, 12 *dec.* 1767, § 9.

Si quis discessit a loco paterno animo ad illum revertendi, tunc dici potest illud retinuisse paternum domicilium, quamvis per aliquot annos inde abfuerit, et per consequens eum posse ad ordines promoveri ab Ordinario ejusdem paterni domicilii ; *Bonon. seu Ferr.*, *Ord.*, 14 *nov.* 1734, § 6.

§ VII.

Domicilium originis, quando attendi debeat.

Si pater in alieno loco ubi ejus filius natus est

tandiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debet : *Neap. seu Vici Eq., Ord.*, 12 *febr.* 1718, § 4 ; *in Cap. seu Neap., Ord.*, 25 *jan.* 1721, § 2.

Limitandum hoc venit, ubi filius non naturaliter natus est in ea diœcesi in qua ad ordines promoveri desiderat, sed natus ibi est per accidens, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, et permanentiæ ejus patris : hoc enim casu patris tantum origo erit attendenda : *Ibid.*, § 5 ; et *Ibid.*, § 4.

His autem adde quando nec pater majorem suorum bonorum partem cum instructis ædibus illuc transtulerit : *Ibid.*

Habenda est ratio domicilii potius quam originis, ubi filius natus fuerit in eo loco in quo pater fortuito et ex accidenti moram trahebat : *Bon. seu Porr., Ord.*, 14 *nov.* 1733, § 5.

Potest filiusfamilias post pubertatem domicilium sibi constituere, et domicilii jura nancisci, ubicumque voluerit, etiam seorsim a patre : *Ibid.*, § 7.

Potest quis plura habere domicilia : *Ibid.*

Hinc possunt in aliquo considerari domicilia, aliud scilicet proprium, paternum alterum, quippe quod filio communicatur per patrem : *Ibid.*

Habenti duo domicilia licet ordines ab utriusque loci Episcopo suscipere, quemadmodum et obtinenti duo beneficia in diversis diœcesibus : *Ibid.*

Id tamen intelligitur, si par et æqua sit conditio utriusque domicilii, veluti si quis duobus in locis habitet pari anni parte, nam alioquin, si unum domicilium sit præstantius et præcipuum, hoc attendi debet : *Ibid.*

Ad ordines suscipiendos satis est promovendum habuisse paternum domicilium, et animum permanendi ; etiamsi inde parentes domicilium alio transferant, non auferetur filio jus nativitatis ei quæsitum, ex quo oritur jurisdictio Episcopo illius diœceseos : *Anc. seu Senog., Ord.*, 28 *sept.* 1754, § 2.

Nunquam nativum domicilium derelictum censetur, si parochiæ nativæ semper decimas præstitit : *Pis.*, 18 *maii* 1765, § 2.

Etiamsi ab octo annis rusticam domum, animi potius vel valetudinis causa inhabitaverit : *Ibid.*, § 3.

In duplici domicilio præferendum est illud in quo sacramenta percipiuntur : *Ibid.*, § 4.

Decimæ enim debentur sacramentales in compensationem laboris : *Ibid.*

Nec ratio habenda est temporis, vel majoris, vel minoris, quo unam vel alteram domum incolunt : *Ibid.*, § 5

Accidentalis ortus non obest qualitati civicæ, vel domiciliariæ, in loco domicilii patris : *Rom. seu Tud.*, 28 *jan.* 1769, § 13.

Item potest quilibet non duo tantum, sed etiam plura habere domicilia in diversis oppidis, vel civitatibus, sicque singularum juribus ac prærogativis gaudere : *Ibid.*

Natus in territorio, ortus in oppido dici potest : *Jan., Cap.*, 30 *jan.* 1762, § 4.

Reliqua quoad domicilium. Vide *Sacramentum Ordinis*, § VI.

Dominium. Vide *Bona*, § II.

Domus.

Reparationes domorum a jure communi taxantur in quinque scuta pro singulo centenario et anno : *Rom., Subs. dot.*, 12 *jan.* 1778, § 11.

Domus magis est custodienda in civitate populo infrequenti, quæ reparationibus eget, quæ facile non locatur ; quæque majorem sumptum præstare solet, quam fructum : *Fir. Per.*, 21 *jul.* 1759, § 3.

Domo emphyteutica combusta, cessant onera ab emphyteuta assumpta : *Forol., Red. Miss.*, 30 *maii* 1778, § 3.

Quæ de ecclesiarum reparationibus statuta sunt, militant etiam quoad domos parochiales, quæ earumdem ecclesiarum tanquam pars et membrum habentur : *Tud., Rest. dom.*, 21 *nov.* 1772, § 7.

Ad restaurationem domus archipresbyteralis, illi adigi debent qui alias hujusmodi onus subire consueverunt : *Ibid.*, § 2.

Si ad communitatem spectat onus restaurationis ecclesiæ, ad eam quoque spectare debet restauratio domus archipresbyteralis, quum ea pars sit et ecclesiæ membrum, ita ut ii teneantur domum restaurare, quibus onus reparandi ecclesiam incumbit : *Ibid.*

Domus legalis.

Vocabulum domus regulariter designat agnatos, et tali nomine gaudentes : *Mont. Alt., Can.*, 4 *dec.* 1762, § 2.

Et secundario etiam cognatos ab eadem domo seu communi stipite originem habentes : *Ibid.*

Donatarius.

Donatarius universalis hæredi assimilatur : *Cæsen., Sub. dot.*, 29 *nov.* 1788, § 10.

Post expletam perfectamque donationem, non licet donanti deteriorem facere conditionem donatarii, ejusque jus quæsitum lædere : *Ibid.*, § 8.

Donatio.

§ I.

Donatio conditionalis.

Donans sub conditione et in casu conditionis locus fiet substitutioni : *Urb., Red. oner.*, 14 *mart.* 1744, § 7.

Amplia, quando adest pactum de alio restituendo : *Ibid.*, § 8.

Donatio sub conditione concepta in stipulatione verbis directis, conditione deficiente, absque ullo legis vel hominis facto cessat, eique defertur qui substitutus est : *Ibid.*, § 9.

§ II.

Donatio quoad probationem, exequutionem et revocationem.

Laici loco pio donare nequeunt ecclesiam et ejus fabricam, sive titulum, aut proprietatem, sine Episcopi consensu : *Nov., Jurisp.*, 19 *nov.* 1728, § 4.

Donatio de bonis in patrimonium sacrum assignatis, absque Ordinarii licentia irrita est : *Monop., Don.*, 18 *nov.* 1769, § 5.

Donatio iterari non potest : *Cæsen., Sub. dot.*, 21 *apr.* 1792, § 2.

Neque ob hujus ignorantiam suffragatur observantia ; maxime si de vero constat titulo : *Ibid.*

Anterior donatio vincit posteriorem : *Ibid.*

De donationis veritate juridicam facit probationem episcopale archivum, quod publici vim habet : *Ibid.*, § 3.

Falsa in judicio civili censetur donatio, ex simplici falsitatis suspicione : *Ibid.*, § 4.

Hæc autem ex una et altera concipitur conjectura : *Ibid.*

Donatio præsumi non valet, quæ concludenter probari debet : *Fir., Trans.*, 18 *maii* 1791, § 7.

Ita profecto servari debet donationis lex, ut dicta est : *Cæs., Subs. dot.*, 29 *nov.* 1788, § 6.

Donatio, spatio fere 25 annorum nunquam exequutioni demandata, nulla ac inefficax est : *Monop., Dom.*, 18 *nov.* 1769, § 7.

Donatio facta ecclesiæ revocari nequit per alteram posteriorem, licet in favorem alterius ecclesiæ : *Fir.*, 16 *mar.* 1793, § 9.

Dissolvitur tamen cessante finali ejus causa : *Ibid.*, § 11.

Quod enim donatum est ob causam, hac non sequuta, revocari et condici potest : *Ibid.*

Donatio exarata in remunerationem beneficiorum a donante acceptorum, et munita juramento habet robur irrevocabilis donationis : *Monop., Don.*, 18 *nov.* 1769, § 9.

Etiamsi destituta sit Episcopi licentia, saltem id efficit, ut etiam ex post Ordinarii approbatio efflagitari, atque obtineri valeat : *Ibid.*

Si nullitas donationis nonnisi quam post lapsum annorum 30 fuerit proposita, tunc quidem hoc temporis decursu quælibet nullitatis quærela proscripta remansit : *Ibid.*, § 10.

Donatio bonorum a patre facta in favorem capellæ et capellani, propter supervenientiam filiorum subjecta est revocationi ab eodem patre ante obitum petitæ : *Civit. Cast., Cap.*, 9 *aug.* 1777, § 3.

Quod procedit, si res est de donatione capellæ factæ : *Ibid.*

Non autem si agatur de donatione eidem capellæ factæ, quo in casu non subest revocationi, quia pater donans de filiis nascituris cogitavit : *Ibid.*

Si autem donans vel dotans jam senio confectus est, in abstracto tantum, non autem dispositive de filiis cogitavit : *Ibid.*, § 4.

Præsertim si non dixit, quod donatio vel dotatio valeret, etiamsi filii supervenirent juxta formulam Bartoli : *Ibid.*

Nec indefinitam filiorum mentionem alligavit explicitæ renunciationi leg. *Si unquam* quæ semper locum tenet, quoties filiorum mentio una cum liberali renuntiatione legis beneficio copulative non concurrat : *Ibid.*

§ III.

Donatio inter virum et uxorem, et propter nuptias.

Donationes inter virum et uxorem stante matrimonio factæ improbantur a jure : *Ver.*, 11 *jan.* 1777, § 6.

Nisi morte viri vel uxoris confirmentur : *Ibid.*

Ambigitur penes Rotam an maritus, condito testamento, præcedentem revocare potuerit donationem uxori factam, quoties ipse sciens prudens nullitatem donationis tanquam a lege improbatæ, adhuc tamen pro firmitate donationis, huic beneficio legis, interposito juramento, solemniter renunciavit : *Ibid.*

Quando facta est fratri intuitu certi matrimonii cum explicita renuntiatione legi *Si unquam* non revocatur ob filiorum supervenientiam : *Ibid.*

Ambigitur pariter an absolutio a juramento nec citata, nec audita donataria per virum donantem reportata tanti roboris esse potuerit, ut viro libe-

rum fuerit, revocare donationem juramento vallatam in præjudicium ejusdem mulieris, cui jus jam inde fuerat super bonis donatis quæsitum : *Ibid.*, § 9.

Quod non procedit, quando agitur de reciproca donatione una cum aliqua dispositione vicissim facta inter conjuges, quæ tanquam liberalitatem excludens valere virum inter et uxorem absque eo quod indigeat confirmatione post mortem : *Ib.*, § 8.

Dos seu Dotatio.

Dotatio illa se habet per modum quasi contractus ultro citroque obligatorii seu donationis, quam cum Episcopus admiserit, et provisus dum institueretur non recusavit, non potest modo onus detrectare : *Pont. Cur., Cap. sup. red. Mis.*, 29 *jul.* 1786, § 9.

Reliqua. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xiii ; *Canonicatus*, § ii ; *Capellania*, § iii ; *Legatum pium*, § ix ; *Matrimonium*, § viii ; *Moniales*, § iii.

Dotale subsidium. Vide *Subsidium dotale.*

Dubium.

In dubio favendum potius capellaniæ, quam testatoris hæredi : *Præn., Trans.*, 16 *jun.* 1792, § 4.

In dubio si obstant voluntati testatoris aliquæ peculiares constitutiones, æquitas suadet dispensationem, quum prospiciendum sit animæ tum testatoris tum administratorum causæ piæ : *Ger., Cens.*, 14 *maii* 1798, § 14.

In re dubia tutius est adhærere decreto Tridentini : *Diss. sup. matr.*, 1740, in fin. lit. F., § 28.

In dubiis semitam debemus eligere tutiorem : *Ibid.*

Exorto dubio de matrimonii cujusdam valore, conjuges separandos Pontifex ea ratione decrevit, quia in his non quæ dubia sunt, sed quod certius existimamus, tenere debemus : *Ibid.*

Favorabilitas matrimoniorum limitatur in clandestinitate eorumdem, quæ operatur, ut in dubio contra clandestina matrimonia, et punibili modo contracta, respondendum sit : *Ibid.*

Duellum.

Omni jure prohibitum est duellum : *Lem., Disp. ab irr.*, 12 *jul.* 1788, § 3.

Ebrietas, Ebrius.

Ebrietas turpissima est in sacerdote, magis indecora in parocho : *Can., Disp. ab irr.*, 18 *sept.* 1790, § 3.

Ebrius non dicitur studiose delinquere, sed impetuose, ideoque mitius puniendus : *Ibid.*, § 2.

Ecclesia in genere.

§ I.

Ecclesia in genere.

Nativum ecclesiæ nomen, græco fonte, a congregando est : *Terr., Set. et Pri.*, 1 *mart.* 1766, § 19.

Ecclesia, æquitatis cultrix, beneficium rependere tenetur, et non solum illis quorum opibus ditata est, sed uxoribus quoque et filiis indigentibus subvenire : *Pan.*, 26 *mart.* 1763, § 5.

§ II.

Ecclesia in genere quoad consecrationem.

Quoties de ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, et nec scriptis nec testibus constat utrum ecclesiæ sint consecratæ, ecclesiæ canonice consecrentur : *Nul. Non.*, 4 *mart.* 1765, § 10.

Iteratum non monstretur, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum : *Ibid.*

§ III.

Ecclesia in genere quoad jus sepeliendi.

Ecclesia quæcumque frui potest privilegio tumulandi cadavera : *Rav., Fun.*, 17 *mart.* 1781, § 2.

Dummodo subsit aliqua justa causa pietatis et congruentiæ : *Ibid.*, § 7.

Nihili habito præjudicio parochi, intra cujus fines est sita, cum illi satis consultum sit per præservationem jurium parochialium et quartæ funeris *Ibid.*

Quod privilegium cessat statim ac ecclesia suppressa fuerit : *Ibid.* et seq.

Ideo privilegio vigente, parocho tantum quarta funeris debetur : *Ibid.*, § 8.

Quo cessante, debentur insimul cum quarta funeris omnia etiam emolumenta præstari : *Ibid.*, § 9.

Quia ad eumdem parochum spectat exequias super cadavere persolvere : *Ibid.*

Episcopi et jura episcopalia habentes concedere valent ecclesiæ cuilibet privilegium tumulandi cadavera : *Ibid.*, § 7.

Dummodo subsit aliqua justa causa pietatis vel congruentiæ : *Ibid.*

Jus sepeliendi promiscue ac jus funerandi accipiuntur : *Rom., Jur. fun.*, 30 *maii* 1761, § 2.

Et de jure competit solis ecclesiis parochialibus : *Ibid.*

Attamen ex privilegio, sæpe conceditur hoc jus aliis ecclesiis etiam regularium, non solum a Sancta Sede, sed etiam ab Episcopis aliisque prælatis inferioribus jura episcopalia habentibus, quando aliqua subest justa causa pietatis, et congruentiæ : *Ibid.*

Jus sepulturæ regulatur plurimum, et dependet ab administratione sacramentorum : *Ibid.*

Et tribuendum est nosocomiis, in quibus per ibidem præpositos capellanos sacramenta infirmis ministrantur : *Ibid.*

Concessa de jure sepultura, seu jure sepeliendi, censentur etiam concessa omnia alia quæ hinc procedunt, nempe delatio mortui processionaliter, celebratio pro defunctis, jus percipiendi emolumenta funeris, excepta quarta debita parocho, quod tamen intelligitur de funeribus, quæ fiunt in ipsa ecclesia tumulante : *Sen., Jur. par.*, 19 *aug.* 1730, § 9.

Ex eodem jure sepeliendi descendit etiam quod in funeribus deferatur unica crux ecclesiæ tumulantis, sive sit regularis, sive secularis : *Ibid* , § 10.

A fortiori si sit collegiata, quia tunc sub ejus cruce omnes incedere debent, non obstante consuetudine in contrarium, cum præcedentia canonicorum illiusque cleri, si intersunt capitulariter, prævaleat : *Ibid.*

Provenit etiam jus faciendi officium super cadavere : *Ibid.*

Jus sepeliendi, a quo pendet emolumentorum perceptio, est parochiale : *Terr. et Priv.*, 19 *dec.* 1789, § 5.

Vix illud Benedictus XIII extendit ad regulares, cum in eorum ecclesia eligitur sepultura : *Ibid.*

Et aliter competere non potest sodalitio quam ex privilegio aut consuetudine : *Ibid.*

Parochia in qua est jamdiu constructum sepulcrum familiæ jus tumulandi habet independenter a cathedrali : *Ibid.*, § 5.

Sepulturam eligere valent qui a jure non prohibentur : *Ibid.*

Soli parocho jus est sepeliendi juxta ecclesiasticos ritus, vel per se, vel per vicarium, cadavera parochianorum : *And.*, 20 *dec.* 1766, § 10.

Hoc jus non cessat per tumulationem explendam in ecclesia existente in territorio ipsius parochiæ : *Ibid.*

Jus est parochiale defunctos sepelire qui absque electione sepulcri obierunt : *Reat., Jur. tum.*, 10 *mart.* 1770, § 7.

Parentes nullum jus habent eligendi sepulcrum pro suis infantibus, eorumque cadavera tumulandi in sepulcris gentilitiis ; cum neutrum jure ipsis liceat, nisi id invexerit consuetudo, quæ concludentissime probanda est : *Ibid.*, § 8.

Quum non omnes fuerint tumulati in cathedrali, nisi qui canonicatum vel dignitatem in ea obtinuerint, hinc illorum tumulatio refertur ad titulum beneficii residentialis, non ad jus privativum ecclesiæ : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 22.

Vel quia in eadem cathedrali ecclesia gentilitium sepulcrum habuerint, in eoque non electa alibi sepultura tumulari debuissent : *Ibid.*

Jus sepeliendi defunctos qui sibi sepulcrum non elegerunt soli ecclesiæ matri et parochiali competit, nec ad alteram pertinere potest : *Neap., Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 16.

Ecclesiis parochialibus de jure competit jus sepeliendi seu funerandi : *Rav., Fun.*, 17 *mart* 1781, § 8.

Aliis vero ecclesiis competere potest ex privilegio : *Ibid.*

Nullo reservato jure privativo tumulandi in ecclesia cathedrali in divisione parochialium arguendum est, aut nullum illo tempore extitisse jus privativum, aut illud fuisse abrogatum : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 24.

Jus sepeliendi per consuetudinem acquiri potest : *Rav.*, 13 *jun.* 1789, § 11.

Jus sepeliendi ex const. Bonifacii VIII, in Clem. *Dudum, de Sepult.*, Ordinibus Fratrum Prædicatorum et Minorum conceditur in propriis ecclesiis quoscumque ibidem tumulari volentes : *Vas., Jur. par.*, 20 *jan.* 1742, § 3.

Monialibus omnino interdictum est, quascumque laicas personas in suis ecclesiis sepelire, vel pro laicis sepulcra construere : *Fer., Jur. sep.*, 7 *apr.* 1742, § 2.

Amplia : adeo verum est ut nullius etiam consuetudinis prætextu id jus moniales queant sibi adsciscere : *Ibid.*

§ IV.

Ecclesia in genere quoad materialem ædificationem et reparationem.

Ecclesiæ ædificatio inter præcipua religionis et pietatis opera recensetur : *Dert., Erect. eccl.*, 30 *maii* 1778, § 2.

Illa proinde nemini est vetita, imo de jure cuique licita est : *Ibid.*

Nec parochialis resistere valet novæ huic ecclesiæ ædificationi : *Ibid.*

Nequidem præsidio amissionis oblationum, quia, uti voluntariæ, aptæ ideo non sunt impedimento esse constructioni ecclesiæ : *Ibid.*

Magis, si ejus jura præservata sint : *Ibid.*

Episcopi assensus in ædificatione novæ ecclesiæ requiritur : *Ibid.*, §§ 5 et 9.

Idque ne præjudicium inferatur vel antiquiori ecclesiæ vel parochiali : *Ibid.*

Inopia oblationum, vel metus eas amittendi post novam ædificatam ecclesiam, causa præjudicialis non dicitur : *Ibid.*, § 10.

Qua cessante et justis accedentibus causis, Episcopus assensum suum præbere debet : *Ibid.*

Eoque abnegato, provocari potest ad judicem, qui facultatem ædificandi impertiatur, vel ut episcopum adigat ad præstandum consensum : *Ibid.*

Nulli non est facultas ædificandi ecclesiam novam, si Episcopi consensus accedat, et si nova antiquæ ecclesiæ detrimentum non inferat : *Aux.*, *Ædif. eccl.*, 6 *maii* 1747, § 2.

Quod si Episcopus nulla ratione veniam hanc tribuat, appellari potest ad judicem, qui vel ædificandi facultatem dare, vel Episcopum compellere possit ut præstet ædificationi assensum : *Ibid.*

Secus, si adsint detrimenta veteris ecclesiæ seu parochialis ad impediendam ædificationem : *Ibid.*

Sola novæ ecclesiæ ædificatio vetita est sine consensu Ordinarii, non autem restauratio ecclesiæ jam existentis, cujus reparatio haud vetanda, sed præcipienda est ab Episcopo : *Civit. Pleb.*, 26 *jan.* 1760, § 4.

Ob necessitatem construendi novam ecclesiam, ejusdem fabricæ si alia desint subsidia, possunt applicari legata pia Missarum : *Lisb.*, 23 *aug.* 1760, § 5.

Et ad probandum quod alia desint media ad occurrendum reparationi ecclesiæ, standum est judicio Episcopi, cujus auctoritati plurimum tribuitur : *Ibid.*, § 6.

Atque non decet sine pompa restaurari ecclesiam, sed expedit, ad excitandam et fovendam populi fidem et devotionem, ut templa magnifice construantur et exornentur : *Ibid.*, § 7.

In concessione novæ ecclesiæ constructionis, animadvertendum est ne populus nimium abstrahatur ab ecclesia parochiali, et sic incidat in ignorantiam circa credenda et observanda : *Luc.*, *Cap.*, 19 *sept.* 1722, § 6.

Oratorii sive ecclesiolæ erectio tendit ad cultum divinum, et est opus pium ac religiosum, sed non est de facili ruri permittendum propter spiritualia damna quæ in populum derivantur : *Ibid.*

Novam construere ecclesiam post veteris demolitionem, opus est necessarium et omni jure permissum : *Anc.*, *Ben.*, 13 *mart.* 1762, § 4.

Ubi fieri valet, reparandæ et non destruendæ sunt ecclesiæ : *Cam.*, *Rep. eccl.*, 18 *dec.* 1790, § 3.

Decet ecclesias conservare et collapsas restaurare : *Fir.*, *Æd.*, 13 *mart.* 1762, § 3.

Collapsæ ecclesiæ, atque adnexarum ædium restaurationem commendat Tridentina Synodus : *Brict.*, 15 *sept.* 1792, § 5.

Cujuslibet ecclesiæ reædificationi occurrendum est primo ex reditibus ipsius ecclesiæ : *Spir.*, *Reæd. ecc.*, 30 *maii* 1761, § 3.

Ad reficiendas ecclesias quæ inopia laborant, impendi permisit S. Synodus Tridentina fructus et proventus ad easdem ecclesias quomodocumque pertinentes : *Anag.*, *App. et Ind. ab.*, 17 *dec.* 1796, § 5.

Et his deficientibus, a beneficiis et legatis piis petendum voluit subsidium : *Ibid.*

Onus reparandi ecclesiam antiquo jure et novo incumbit rectori : *Fir.*, *Præb.*, 26 *mart.* 1791, § 10.

Beneficiati tenentur ex jure veteri ad reparanda ecclesiæ suæ tecta : *Ver.*, *Med. ann.*, 29 *nov.* 1788, § 5.

Et ad hoc onus etiam quoad parochiales ecclesias tenebantur parochi : *Ibid.*

Ubi ad reparandam ecclesiam non suppetunt vires rectoris, ad illam ex ordine tenentur patroni, beneficiati, et populus : *Phar.*, *App.*, 27 *aug.* 1791, § 3.

Ecclesiæ reparatio incumbit ultimo loco oppidanis per contributionem : *Senog.*, *Fabr. eccl.*, 20 *febr.* 1796, § 8.

Patroni debent conferre ad reparationem ecclesiæ : *Civit. Cast.*, 24 *jan.* 1795, § 5.

Juxta sanctiones canonicas communiter receptum est, onus reparandi ecclesias earumque indigentiis providendi, ubi ecclesiæ ipsæ reditibus in eum finem destinatis carent, primo ac præ ceteris ad earumdem ecclesiarum rectores aliosve ipsarum reditibus fruentes pertinere, adeoque jure optimo istos posse ad id per eorumdem fructuum sequestrum compelli : *Boss.*, *Rep. eccl. par.*, 25 *febr.* 1741, § 4.

Episcopus qui reparare neglexit ecclesiam reficere debet damnum : *Baln.*, *Pec.*, 23 *febr.* 1793, § 2.

Et sufficit scientia obligationis, ut absque interpellatione constitutus censeatur in mora : *Ibid.*

Ecclesiæ ædificium perfici debet : *Fir.*, 16 *mart.* 1793, § 9.

Bona donata a canonicis et beneficiatis, dotem

fabricæ ex dispositione juris constituunt : *Reat., Med. ann.*, 16 *maii* 1789, § 4.

Consonum est dispositioni juris, ut præcipue cogantur ad contributionem pro fabrica ecclesiæ, qui ex reditibus et proventibus ejusdem quomodocumque participant : *Viterb., Cen.*, 4 *apr.* 1767, § 4.

Etsi major pars patronorum ac capellanorum libenter assentitur et cæteri contradicant, eorumdem consensus judicis auctoritate supplendus est : *Ibid.*

Est vulgata distinctio inter simplicem restaurationem, et totalem ædificationem ecclesiæ seu capellæ : *Alat., Reæd. cap.*, 8 *jul.* 1775, § 5.

Si res est de restauranda ecclesia, beneficiatus adjuvare debet ad eam reparandam, ubi emolumentum percipit : *Ibid.*

Limitatur, dummodo pro beneficiato supersit sufficiens fundus ad sui congruam et honestam conservationem : *Ibid.*

Si est quæstio de reædificatione ecclesiæ seu capellæ et deficiant reditus ad id destinati, onus pertinet ad patronos : *Ibid.*, § 15.

Limitatus administratorum consensus ad novam ecclesiæ constructionem quam pessimus illius status requirere videbatur, trahendus est ad simplicem restaurationem : *Rip.*, 16 *jun.* 1787, § 5.

Quum novum voluerit quis ædificium ecclesiæ, quod majus erat, a fortiori quod minus est, veteris nempe reparationem voluisse censetur : *Ibid.*, § 6.

Congruus videtur restaurationis modus quem proponit architectus, quum in hoc plurimum deferatur peritis in arte : *Ibid.*, § 7.

Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 7, *de Reform.*, ecclesiarum restaurationem valde commendat, ne ea quæ sacris ministeriis dedicata sunt temporum injuria obsolescant et ex hominum memoria excidant : *Arim., Dem. et Trans. Miss.*, 16 *febr.* 1788, § 3.

Sed ubi pares non sunt ipsarum ecclesiarum reditus, voluit ut Episcopi tanquam Apostolicæ Sedis delegati transferre possint beneficia simplicia, etiam jurispatronatus ab ecclesiis quæ vetustate vel alias collapsæ sunt et ob earum inopiam nequeunt restaurari : *Ibid.*

Permittitur novarum ecclesiarum constructio, si, ob nimiam distantiam parochialis, populus ad illam accedere non possit : *Bricl.*, *Trans. eccl. par.*, 4 *dec.* 1782, § ult.

Certum est in ædificationem ecclesiarum erogari primum debere illarum reditus ex aperta Concilii lege jurisque dispositione : *Spir., Reædif. eccl.*, 16 *sept.* 1769, § 11.

§ V.

Ecclesia in genere quoad materialem demolitionem et profanationem.

Ecclesias vetustate collapsas profanari decernit sacrum Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 7, *de Refor. : Fir., Ædic.*, 13 *mart.* 1762, § 2.

Quodsi beneficiorum reditibus, vel patroni vel populi sumptu reparari non possint : *Ibid.*

Et id procedit etiam quoad ecclesias indecoras, si præ nimia omnium quibus onus imminet egestate nequeant ad decentiam restitui : *Ibid.*

Ubi reparationi ecclesiarum pares non sunt illarum reditus, demolitio permittitur : *Par., Dem. or. et Trans. ben.*, 27 *aug.* 1796, § 5.

Onus eam reparandi intelligitur deducta congrua conservatione beneficiati : *Ibid.*, § 7.

Imo ob graves rationes demolienda est ecclesia etiam decenter exstructa : *Ibid.*, § 6.

Et in casu demolitionis transferri debet beneficium sub invocatione ad aliam ecclesiam : *Ibid.*, § 8.

Si restaurari nequeant, ecclesiæ profanandæ sunt, non tamen ad usus sordidos : *Terr.*, 14 *apr.* 1764, § 5.

Et transferri debent fundationes ad matricem sive alias ecclesias viciniores, arbitrio Episcopi : *Ibid.*

Erectis ibi altaribus vel capellis sub iisdem invocationibus, vel in jam erecta altaria vel capellas translatis omnibus emolumentis et oneribus priori ecclesiæ impositis : *Ibid.*

Ecclesiarum profanatio maxime conceditur in agris rusticis, quia plerumque perditis hominibus usui sunt : *Ibid.*, § 6.

Ecclesia propter impossibilem ejus reparationem profanatur, quando justæ legitimæque causæ concurrunt : *Rav.*, 8 *jul.* 1775, § 7.

Ecclesiæ restauratio si expleri non possit, profanato situ (non tamen ad sordidos usus) earum capellæ sub iisdem invocationibus in matrices seu alias viciniores ecclesias cum iisdem oneribus et emolumentis transferendæ sunt : *Ibid.*, § 8.

Ecclesias quandoque demoliti sunt superiores, quamvis nulla indigerent refectione, sed aliqua semper justa causa impellente : *Ibid.*, § 8.

Locus est profanationi ecclesiæ et translationi onerum, non solum quando agitur de ecclesia diruta, sed etiam de ecclesia indecente, quatenus ad decentiorem formam reduci non valeat : *Fir., Æd.*, 8 *aug.* 1761, § 3.

Ecclesiæ dirutæ ad matrices seu viciniores ecclesias transferri, et in usus profanos, non sordi-

dos, erecta cruce in loco quo erant, converti debent : *Asc., Reæd. eccl.*, 11 *maii* 1720, § 2.

Ecclesiam invito patrono demoliri non licet : *Anc., Ben.*, 13 *mar.* 1762, § 13.

Impugnari amplius nequit ecclesiæ demolitio, quæ semel fuit approbata : *Brict.*, 17 *jun.* 1797.

Demolitio parvæ ecclesiæ monasterio proximæ facienda est, ut ejus situs uniatur clausuræ : *Hier., Exem.*, 6 *dec.* 1760, § 7.

Eo fortius, quando offertur patronis pretium ecclesiæ ædificii, vel aliud simile ædificare in loco sibi beneviso : *Ibid.*

Et privilegium textus : *Si quis sepulcrum*, extendi nequit contra ecclesiam præexistentem : *Ibid.*

Maxime, quando agitur de præjudicio inferendo et reddendo locum exemptum a jurisdictione Episcopi : *Ibid.*

§ VI.

Ecclesia in genere quoad præeminentias et jura.

In bullis Apostolicis provisionis episcopatus duarum ecclesiarum quæ invicem æque principaliter sunt unitæ, prænominatio debetur digniori : *Vit. seu Tusc.*, 14 *sept.* 1782, § 13.

Secus autem in actibus ab Episcopo in diœcesi exercendis; tunc enim prænominanda est ecclesia ad quam actus diriguntur : *Ibid.*

Nova ecclesia in locum antiquæ ita succedit, ut jura omnia quæ ad ecclesiam veterem antea pertinebant eidem competant : *Tud., Ben.*, 12 *aug.* 1741, § 2.

Si quisque ecclesiam in suo territorio præfert, inutiles redduntur, imo destruuntur omnes juris canonici regulæ de præcedendo, quæ digniori ubique favent : *Ter. Set. et Priv.*, 1 *mart.* 1766, § 7.

Maxime, si variæ ecclesiæ unum Episcopum habeant, atque unum veluti corpus constituant : *Ibid.*

Atque hinc descendit perpetuus honor sedendi ad latus Episcopi : *Ibid.*, § 8.

De ecclesiis æque et principaliter unitis ea ratio habenda est, ut nulla major considerari valeat, nec antecedens status amplius attendatur : *Ibid.*, § 12.

Quodcumque capitulum intra suæ diœcesis fines alios antecellit : *Ibid.*

In sacris functionibus ecclesiæ, in qua aguntur, unice jura spectanda sunt, ne ab exteris de loco suo, qui illius ecclesiæ presbyteri sunt, deturbentur : *Ibid.*

§ VII.

Ecclesia in specie.

Ecclesia Setina et Privernensis fuit a Benedicto XIII in cathedralem erecta : *Ter., Set. et Priv.*, 1 *mart.* 1766, § 1.

Sed Setina antea fuit semper mere collegiata, licet altera Privernensis antiquitus cathedralis fuerit : *Ibid.*

Terracinensis ecclesia religionem et Episcopum a divo Petro se accepisse extollit : *Ibid.*, § 5.

Benedictus XIII, reconciliator inter concathedralium Setinæ et Privernatis controversias, statuit ut, sede vacante, sola Terracinensis vicarium eligeret, qui præesset omnibus : *Ibid.*, § 6.

De jure antiquiori Terracinensi reverentia honoris debetur, de facto autem ex ipsa pontificia voluntate : *Ibid.*

Ecclesia Privernatis nonnisi quinque episcopos in tota antiquitate habuit, ut Rota cognovit, perspexit, et judicavit : *Ibid.*, § 5.

Ecclesia Setina, ex judicio Rotæ, nunquam fuit cathedralis : *Ibid.*

Ecclesia Aquisgranensis est regalis, et exempta, ac soli Romano Pontifici subjecta, nec est de diœcesi Leodiensi, sed habet territorium immune a quolibet Ordinario : *Leod.*, 24 *aug.* 1765, § 7.

Ecclesia cathedralis Tuscaniensis suæ cathedræ dignitatem habuit longe prius quam Viterbium civitatis honore decoraretur : *Tusc., Conc.*, 16 *mart.* 1771, § 2.

§ VIII.

Ecclesia in genere quoad statum et qualitatem.

Mutatio status ecclesiæ, quæ secularis erat, ab Episcopo regularis fieri potest : *Cal., Contr.*, 14 *mart.* 1750, § 12.

Vi longævæ consuetudinis, status secularis parochialis ecclesiæ in statum regularem migravit : *Const.*, 20 *nov.* 1734, § 9.

Eadem ecclesia, quemadmodum prius erat ita et hodie manet ab Episcopi jurisdictione prorsus exempta, licet ad secularem statum redacta : *Hier.*, 16 *mar.* 1743, § 13.

Interdicitur in jure canonico quarumvis ecclesiarum regularium ac monasteriorum suppressio, earumque translatio ad secularem statum : *Vint., Er. coll.*, 13 *sept.* 1738, § 4.

Et hoc procedit, etiamsi ecclesiæ et monasteria ad canonicos regulares pertineant : *Ibid.*

Ecclesiæ regulares earumque monasteria, si defecerint religiosi, aut isti disciplinam regularem neglexerint, nequeunt supprimi, sed debent aliis religiosis ejusdem Ordinis inhabitandæ vel reformandæ tradi : *Ibid.*, § 5.

Ecclesiæ regulares una cum earum monasteriis possunt eo duntaxat casu ad statum secularem

transferri, si religiosi neque ejusdem, neque alterius Ordinis haberi possint : *Ibid.*

Ecclesias regulares et monasteria quæcumque, licet possit summus Pontifex supprimere, eaque ad secularem statum reducere, non censetur tamen sua potestatis plenitudine id exequi velle, nisi accedente gravissima causa : *Ibid* , § 6.

Ecclesia cathedralis.

§ I.

Ecclesia cathedralis quoad materialem reparationem.

Benedictus XIII, const. *Pius et misericors*, urget ad consulendum reparationi cathedralium, per totam Italiam et insulas adjacentes : *Reat.*, *Med. an.*, 16 *maii* 1789, § 1.

Sacri canones primarium onus manutenendi et reparandi ecclesias cathedrales in Episcopos refundunt : *Ead.*, 12 *maii* 1785, § 9 ; *Pis.*, *Rep. eccl. cath.*, 8 *maii* 1762, § 7 ; *Baln.*, *Eccl. cath.*, 18 *dec.* 1790, § 8.

Multoque magis, si opera et sumptibus Episcoporum erecta sit : *Ibid.*

Et idem Pontifex non solum prospicere voluit iis ecclesiis ad quarum reparationem nemo tenebatur, sed iis etiam quarum restaurandarum onus a jure impositum erat Episcopo, capitulo, et beneficiatis : *Ibid.*, § 4.

Onus reparationis ecclesiæ cathedralis de jure est Episcopi, qui ecclesiæ suæ et sponsus consulere debet : *Arim.*, *Rep. eccl. cath.*, 19 *sept.* 1789, § 2.

Quandoque spectare potest ad capitulum, ac præsertim si distinctos pro fabrica ecclesiæ habeat reditus, si ad eam reparandam teneatur ex statuto, et si reparare consueverit : *Ibid.*

Dum ecclesiæ reparatio incumbit Episcopo, eodem jure ad hujusmodi reparationem damnari debet successor Episcopus, quod adversus hæredes decessoris jus obtinuit : *Bal.*, *Eccl. cat.*, 18 *dec.* 1790, § 8.

Ad eam tamen non tenetur post dimissum episcopatum, maxime si vacaverit culpa : *Ibid.*

Quum onus reparationis ecclesiæ cathedralis de jure immineat Episcopo, quidquid communitas vi coacta erogavit in reparationes, præter quantitatem proventuum oblationum, id totum restituendum venit ab Episcopo : *Pist.*, *Rep. eccl. cath.*, 8 *maii* 1762, § 7.

Quando onus Episcopo reparationis ecclesiæ cathedralis incumbit, aspiciendum est si Episcopi reditus sint excedentes ad honestam propriæ dignitatis conservationem, nec ecclesia fructibus ad ædificii manutentionem destinatis potiatur, nec particularis diversa obtineat consuetudo : *Civit. Cast.*, 7 *maii* 1785, § 9.

Ad restaurationem ecclesiæ cathedralis occurrendum est vel de quarta redituum episcopatus, vel ope mediæ annatæ fructuum omnium canonicatuum, beneficiorum, quam pro fabrica ecclesiæ cathedralis instituendam edixit Benedictus XIII const. *Pius et misericors* : *Mac.*, *Ap.*, 23 *aug.* 1760, § 2.

Deficientibus mensæ episcopalis reditibus, canonici et beneficiati ecclesiæ cathedralis ad ejus manutentionem et restaurationem ex juris dispositione adiguntur : *Read.*, *Med. an.*, 12 *maii* 1770, § 6.

Maxime, quia ad ecclesiæ manutentionem de jure tenentur canonici ex distributionibus contribuere : *Ibid.*, § 7.

Præsertim, si communis massa capituli constituta sit tum ex præbendis canonicalibus, tum etiam ex beneficiis ac capellaniis suppressis ; quæ proinde idem onus subire debent, quod præbendæ ipsæ antea ferebant : *Ibid.*

Ecclesiæ cathedralis Anagninæ reparationi ac conservationi idoneis subsidiis consultum est, cum tertia pars pecuniæ ad id atque etiam ad omnem cultum necessariæ, subministrari soleat ab Episcopo, reliquum autem ex communi massa capituli : *Cam. et Ana.*, *Med. an.*, 2 *maii* 1733, § 6.

Episcopus potest cogere (cum consensu partis majoris capituli) clerum ad restaurandam ecclesiam cathedralem, deficientibus tum portione fabricæ destinata, tum quarta parte fructuum episcopalis mensæ, et beneficiatorum : *Ter. et Set.*, 17 *mart.* 1781, § 7.

Sed primum cathedralis ecclesia restauranda venit ex portione pro fabrica destinata, juxta consuetudinem : *Ibid.*

Si insufficiens sit, ex quarta parte episcopalis mensæ fructuum tam præsentium quam præteritorum : *Ibid.*

Casu quo non sufficiant pro urgenti necessitate fabricæ (non autem pro ornatu ecclesiæ), contribuere tenentur canonici de præbendis *deducto ne egeant*, insimul cum beneficiatis juxta vires : *Ibid et seq.*

Cogi potest etiam clerus ab Episcopo cum consensu majoris partis capituli : *Ibid. et seq.*

Tandem in subsidium omnium prædictorum tenetur contribuere populus : *Ibid.*

Deficientibus enumeratis mediis, intermitti potest celebratio Missarum, ut reditus erogentur in reparationem tum ecclesiæ, tum ædium illi adnexarum : *Ibid.*, § 8.

Quæ omnia intelligenda veniunt etiam pro ma-

nutentione seu reædificatione tum ecclesiæ, tum ædium illi adnexarum : *Ibid.*, § 7.

§ II.

Ecclesia cathedralis quoad præeminentias.

Ecclesia cathedralis semper dicitur vera et propria matrix ; *Sen., Præem.*, 12 *dec.* 1778, § 5.

Ecclesia cathedralis Tuscanensis suæ cathedræ dignitatem habuit longe prius quam Viterbium honore civitatis decoraretur : *Tus., Con.*, 16 *mart.* 1771, § 2.

§ III.

Ecclesia cathedralis quomodo probetur.

Proferri non valet pro adstruenda antiqua cathedralitate ecclesiæ aliqua vulgata opinio, si desint antiqua monumenta, ac Episcoporum subscriptiones in antiquis conciliis : *Consent., Decl.*, 20 *dec.* 1760, § 7.

Et nisi concurrat continuata possessio, vel saltem retentio nominis cathedralitatis, cum distinctione limitum antiquæ diœcesis, nequaquam attendendæ sunt vagæ traditiones, et signa equivoca, atque recentiorum scriptorum enunciationes obiter emissæ : *Ibid.*

§ IV.

Ecclesia cathedralis quoad unionem.

Ecclesiarum cathedralium unio æque principaliter præsumenda est, deficiente unionis monumento : *Tusc., Con.*, 16 *mart.* 1771, § 2.

Licet duarum cathedralium unio æque principaliter facta non mutet statum cujuslibet ecclesiæ respectu sui, sed unaquæque ex illis eadem jura, qualitates, prærogativas, ac privilegia etiam post unionem conservet, quibus antea pollebat : *Priv., Ap. sem.*, 16 *mart.* 1771, § 10.

Nihilominus respectu Episcopi cujus gubernio duæ illæ, vel plures concathedrales commissæ sunt, pro unica ecclesia habentur : *Ibid.*

Ecclesia collegiata.

§ I.

Ecclesia collegiata quoad erectionem.

Gratia erectionis est ex natura sua præjudicialis et statim ac aliqua ecclesia erecta est in collegiatam, eidem competunt nonnullæ prærogativæ, quæ antecedenter non competebant, et quæ forte ante erectionem ad alias pertinebant ecclesias : *Lun. Sar., Er. coll*, 7 *maii* 1718, § 5.

Juxta antiquiorem, opinionem Ordinarii poterant devenire ad erectionem ecclesiarum collegiatarum ; et ab hac opinione recedendum non est, quando agitur de collegiatis erectis tempore quo prædicta opinio vigebat : *Crem., Coll.*, 7 *sept.* 1720, § 2.

Collegiatarum erectio summi Pontificis auctoritate omnino expleri debet : *Ter. et Set., Ser. ch. et Miss. con.*, 14 *sept.* 1782, §§ 6 et 13.

Erectio ecclesiarum collegiatarum, necnon illarum donatio, publicæ utilitatis causam præ se fert : *Syr., Red. Miss.*, 4 *apr.* 1772, § 6.

Et in suffragium animæ testatorem vergit : *Ibid.*

Hinc pro erigendis collegiatis constituendisque canonicorum præbendis, ultimas decedentium voluntates commutari, uniones concedi, beneficia tam parochialia, quam liberæ collationis, aut etiam jurispatronatus supprimi posse fuit concessum, ut reditus in eam causam erogarentur : *Ibid.*

§ II.

Ecclesia collegiata quoad præeminentias et jura.

Collegiatæ ecclesiæ Pratensis tanta fuit apud veteres canonistas dignitas, ut quoties afferre deberent exemplum alicujus insignis collegiatæ, Pratensem commemorare consueverint : *Pist. et Prat.*, 2 *aug.* 1721, § 3.

Collegiatis denegari non possunt prærogativæ statuto respondentes, licet post erectionem competerent, et ante erectionem ad aliam ecclesiam pertinerent ; *Lun. Sar.*, 4 *maii* 1726.

Non constituitur ecclesia collegiata a mansionariis sed a canonicis, qui ecclesiæ decorem augent ; *Sen., Com. vol.*, 30 *maii* 1772, § 7.

Ecclesia non collegiata non gaudet instar cathedralis jure parochiali : *And.*, 20 *dec.* 1766, § 13.

§ III.

Ecclesia collegiata quomodo probetur.

Collegialitas ecclesiæ, cum sit qualitas accidentalis, præsumi non debet, sed concludenter probari ; *Fer., Præc.*, 23 *apr.* 1768, § 11.

Et duo sunt potissimum probationum genera ad evincendam alicujus ecclesiæ collegialitatem : primum est, ut ex legitimo fundationis instrumento petatur ; alterum, ut ex signis et conjecturis dicatur : *Ibid.*

Ad concludendam vero probationem collegiali-

tatis ex signis et conjecturis, distinguenda sunt signa æquivoca, ab univocis, et diligenter separanda quæ pertinent ad collegialitatem de materiali ab iis quæ de formali se habent ; *Ibid.*, § 12.

Et alia collegialitatis probatio requiritur, ubi quæstio fit circa præeminentias alia vero ; si agatur de sustinenda provisione Apostolica tanquam de reservato : *Ibid.*, § 13.

In primo casu necessaria non est adeo rigorosa probatio, quemadmodum in secundo desideratur : *Ibid.*

Signa et indicia ad probandam collegialitatem debent esse necessario concludentia et univoca, ita ut excludantur ea quæ sunt æquivoca, etiam simplicibus congregationibus cappellanorum seu beneficiatorum convenientia : *Brug., Coll.*, 14 *apr.* 1725, § 2.

Ex longæva possessione et antiquis enunciativis probatur collegialitas, etiamsi deficiat documentum erectionis : *Cons., Decl.*, 20 *dec.* 1760, § 8.

Et collegiata constituitur etiam a solis dignitatibus : *Ibid.*

Cum agitur de collegio adnexam habente curam animarum, in dignitatum provisione non requiritur concursus : *Ibid.*

Qualitas collegiatæ insignis desumitur ex prærogativis quibus decoratur, et ex nobilitate oppidi in quo sita est : *Ibid.*

Qualitas collegialitatis deficere debet, si nullum argumentum hujus qualitatis desumi possit, præsertim si unquam hac de re Apostolicæ litteræ expeditæ fuerint, quæ omnino requiruntur ut aliqua ecclesia hujusmodi dignitate donetur : *Terr. et Set., Ser. ch. et Miss. con.*, 14 *sept.* 1782, § 5.

Omnis ecclesia regularis est collegiata : *Bon.*, 3 *jul.* 1762, § 1.

Collegialitas ecclesiæ in dubium revocari non potest, quoties fuit declarata a Rota : *Sutr., Offi.*, 18 *sept.* 1779, § 3.

De ecclesiæ collegialitate non est dubitandum, licet sola Episcopi intervenerit auctoritas, quum tunc temporis inter doctores vigeret opinio, quod Episcopus, justa interveniente causa, erigere possit et instituere collegiatam : *Fer., Distr.*, 24 *sept.* 1718, § 4.

Conjecturæ et argumenta quæ præ se ferunt collegialitatem explicantur, et signa æquivoca ab univocis, seu ea quæ se habent de materiali in collegiata ab his quæ se habent de formali ecclesia separantur, ac explicantur : *Rav., Præem.*, 9 *sept.* 1730, § 2.

Ubi non constat de primitiva erectione ecclesiæ in collegiatam, nec de Apostolico privilegio, nihilominus eam esse collegiatam ut conjecturis et argumentis comprobari possit, quænam idonea sint, luculenter tradit Fagnanus in cap. *Postulasti*, *de Jur.* : *Triv., Colleg.*, 1 *sept.* 1731, §§ 11 et 12.

Ad dignoscendum an ecclesia sit collegiata vel non, plura ad rem proponit Corradus ad *Prax. benef.* lib. 2, c. 15, a num. 1 ad 8 : *Coll., Appl. Mis. conv.*, 8 *febr.* 1783, § 6.

Et concludit collegiatarum erectionem solius Apostolicæ Sedis auctoritate faciendam esse : *Ibid.*

Si collegiatæ honorem et qualitatem obtineat ecclesia, nullus dubitationi locus erit, ad diuturnum chori servitium, et ad Missæ conventualis quotidianam celebrationem ac applicationem capitulares obstringi : *Set., Ch. et Miss. conv.*, 10 *dec.* 1785, § 10.

Et cum desit primus probationis modus, perquirendus est probationis habendæ modus alter, qui est a signis univoce concurrentibus ad illam comprobandam : *Ibid.*, § 11.

Plurima autem sunt signa, ex quibus collegialitas ecclesiæ desumitur : *Ibid.*, § 12.

Nempe quod capitulum commune habeat sigillum, communemque massam, stallum in choro, locumque in capitulo, quod capitulariter congregatur, et novi canonici, cum possessionem capiunt, juramentum adstante capitulo præstent super constitutionum Ecclesiæ observantia : *Ibid.*

Sed cum hæc sint signa ecclesiis receptitiis communia, non autem specifica collegialitatis, hinc concludi satis non videtur quod ecclesia sit collegiata : *Ibid.*, § 13.

Collegialitatis una saltem dignitas esse debet, quæ reservata est in reg. 4 cancellariæ : *Ibid.*

Principaliora collegialitatis argumenta sunt commune sigillum, communis arca, jus convocandi capitulum penes eum qui gerit figuram capitis, aliaque : *Aux., Jub.*, 19 *aug.* 1786, § 6.

Ut collegiatæ ecclesiæ qualitas comprobetur, duo sunt modi, nimirum primus seu ex originaria erectionis bulla, seu ex successivo privilegio Apostolico : *Civit. Cast., Mis. con.*, 16 *dec.* 1786, § 5.

Alter a signis, conjecturis, et indiciis, quæ collegialitatem univoce concludant : *Ibid.*

Ab antiqua et communi opinione cum aliis enunciativis collegialitatem resultare traditur : *Ibid.*, § 6.

Imo si capitulum ecclesiæ peculiares habeat constitutiones, massam communem distributionum, quæ simul conjuncta judicium collegialitas præstare videntur : *Ibid.*

Ecclesia hinc collegiata, vel ex bulla erectionis talis dicitur, vel ex Apostolico privilegio ; *Præn., Miss. conv.*, 6 *mar.* 1779, § 6.

Vel ex signis, conjecturis, et indiciis, quæ univoce illam comprobant ; *Ibid.*, § 7.

Indicia sunt, si presbyteris onus residentiæ indictum sit : *Ibid.* § 7.

Sicuti etiam cessat, quando signa, conjecturæ, et indicia sint vel incerta, implexa, et materialia : *Ibid.*

Incerta dicuntur, si canonici congregati non exerceant actus capitulares : *Ibid.*

Ex erectionis bulla potissimum ecclesiæ collegialis qualitas probatur : *Nep., Mis. conv.*, 16 *maii* 1789, § 4.

Hæc qualitas excluditur, si deficiant collegialitatis signa, nempe usus sigilli, arca communis, et tractatus capitulariter gesti ad sonum tintinnabuli ad expedienda negotia capituli : *Ibid.*

Ad hæc indubium recurrendum est : *Ibid.*

His profecto deficientibus signis, simplex divinorum celebratio diebus festis receptitiam potius ostendit ecclesiam : *Ibid.*

Collegiata non est, quando exiguus habetur canonicorum numerus, cui tribui non solet honor collegiatæ : *Ibid.*

Ita immemorabilis observantia, tot Episcoporum silentio confirmata excludit collegiatam : *Ibid.*

Deficiente bulla erectionis inspiciendum est, si intervenientibus quotidianæ distributiones dependantur, si contra absentes punctaturæ indictæ sint; item, dum simul congregantur instar capituli, et non instar simplicis congregationis : *Terr.*, 17 *jul.* 1779, § 6.

Istis vero deficientibus indiciis, cessat collegialitas : *Ibid.*

Nisi accedat auctoritas Summi Pontificis ecclesia non potest collegialitatis prærogativam acquirere : *Nul. Tr. Fon., Mis. conv.*, 14 *mart.* 1772, § 7.

Evinci non potest ecclesiæ collegialitas ex qualitatibus et prærogativis quæ æque conveniunt et acquiri possunt a qualibet sacerdotum congregatione, quin sint collegiatæ : *Fer., Med. an.*, 15 *apr.* 1752, § 2.

Excluditur qualitas collegialitatis ex veteri vulgi nuncupatione; dum de parvo agitur loco, inverosimile est, nedum unam, sed duas erectas esse vere et proprie collegiatas ecclesias : *Nar., Ser. ch.*, 3 *febr.* 1787, § 3.

Item excluditur qualitas collegialitatis, scilicet ex denominatione facta simplicis parochialis ecclesiæ in veteri erectione archipresbyteratus, et duorum canonicorum, ex defectu beneplaciti Apostolici, quod in erigendis collegiatis ecclesiis omnino requiritur : *Nul. Ter. Pont., Elect.vic. cap.*, 16 *dec.* 1741, § 6.

Imo ex collatione archipresbyteratus ab abbate semper expleta, quod si de principalis dignitatis in collegiatis ecclesiis institutione ageretur, ea reservata foret Sedi Apostolicæ : *Ibid.*

Ecclesia matrix.

§ I.

Ecclesia matrix in genere.

Ecclesiæ matrici succurendum est, ut non obstante consensu rectoris, aliorumque interesse habentium, dismembrationem filialis ecclesiæ impugnare possit, atque hoc detrimentum avertere : *Com., Dism.*, 22 *aug.* 1750, § 3.

Ecclesia matrix deficientibus ecclesiæ reditibus, ac nimia omnium egestate accedente, tenetur contribuere ad expensas in reparationem parochialis : *Nul. seu Non. Reæd. eccl. par.*, 16 *maii* 1778, § 3.

Ecclesia mater utpote antiquior filiali, fontem baptismalem semper habendo, vetare filiali poterit baptismalem fontem extruere : *Neap., Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 12.

Ubi tamen ecclesiæ adjutrices fuerint, nec jure proprio sacramenta administraverint, cum hæ parochiam unam constituant, nequeunt singula fontem habere, cum unus in unaquaque parochia esse debeat : *Ibid.*

§ II.

Ecclesia matrix quoad probationem.

Honor qui est ecclesiæ matrici reservatus in cap. *Ad audientiam, de Eccl. ædif.*, pendet ab arbitrio Ordinarii : *Imol., Dism.*, 8 *jun.* 1720, § 5.

Vera et propria matricitas nunc in aliqua ecclesia residere dicitur, ubi per dismembrationem territorii et populi erigitur nova parochialis ecclesia, quæ idcirco retinet subjectionem filialem : *Arim., Præe.*, 7 *jul.* 1731, § 7.

In alia autem minus propria ecclesia matrix quandoque appellatur ea quæ, comparatione inita cum aliis ejusdem loci ecclesiis, vel antiquitate præstat, vel aliis honorificis prærogativis pollet, adeo ut dignitate quidem vincat alias, non tamen istæ sint ei subjectæ : *Ibid.*

Quænam autem sint argumenta matricitatis sive proprie, sive improprie, atque etiam quinam sin effectus consectarii, fuse discutit Rota in *Bisinian., Præem. sup. reser.*, 3 *junii* 1715, *coram Scotto* : *Ibid.*

Matrix ideo appellatur ecclesia, quia, sicut mater generat filios, ita hæc regenerat homines salutaribus aquis : *Fabr., Fon. bap. et Jur. bap.*, 24 *maii* 1732, § 2.

Matrix ecclesia dicitur ecclesia Episcopi, a qua

omnes aliæ jus suum et populi curam derivant, veluti ex arbore : *Com., Trans.*, 19 *jul.* 1766, § 15.

Et dupliciter accipitur : primo, vere et proprie, dum parochus unus est, ceteri autem ejus vicarii, qui unius populi in aliquot pagos, seu vicos, seu stationes divisi curam gerunt ; quo casu matrix dicitur, quia, sicut mater generat, sic illa regenerat per baptismum : *Ibid.*, § 16.

De ejusdem matricis jure habetur, ut dum cura exercetur a pluribus, unus cum diversis presbyteris populus sit : *Ibid.*, § 17.

Matrix secundo dicitur ea, ubi diversæ sunt parochiæ, cum territorii et populorum separatione, ac deputatione ejus qui curam gerat titulo perpetuo et juribus parochialibus : *Ibid.*, § 18.

Matricis autem jura adeo ipsi ecclesiæ sunt infixa, ut tametsi populus amittat, ea retineat : *Ibid.*, § 20.

Matricitas impropria, quæ ex majoritate et dignioritate ecclesiæ resultat etiam præcisive ab erectione et fundatione, educitur a conjecturis et argumentis : *Sen., Præem.*, 12 *dec.* 1778, § 8.

Conjecturæ, indicia, et argumenta sunt, nempe collatio libera, signum constituit matricitatis : *Ibid.*, § 10.

Prout etiam arguitur hæc matricitas ex sacris visitationibus ab ordinariis expletis, in quibus talis renunciata sit : *Ibid.*, § 11.

Item ex collatione sacri Chrismatis ab Ordinariis expleta : *Ibid.*

Item ex facultate pulsandi primum campanas in sabbato sancto : *Ibid.*

Et præeminentia ducendi processiones rituales : *Ibid.*

In comitatu funerum parochiæ incolarum ejusdem ecclesiæ cum delatione crucis : *Ibid.*, § 13.

Matricitas ecclesiarum in tres dividitur species : in *veram* nempe et in *rigorosam*, quæ uni convenit ecclesiæ cathedrali : *Fer., Matr. et Font. bap.*, 18 *mar.* 1797, § 5.

In *propriam*, quæ ad illas pertinet ecclesias parochiales a quibus veluti a matris sinu aliæ exortæ sunt parochiales : *Ibid.*

Et in matricitatem denique *impropriam*, quæ simplicem præ se fert majoritatem, et præeminentiam supra ceteras ecclesias parochiales : *Ibid.*

De matricitate *impropria*, quæ leviores requirit probationes : *Ibid.*, § 6

Ex tabella antiquissima in sacrario exposita, in qua eadem ecclesia nuncupatur *matrix*, probatur matricitas : *Ibid.*

Item probatur ex antiquissima fontis baptismalis existentia ante alios extructos fontes aliarum ecclesiarum : *Ibid.*

Ecclesia vera et propria matrix est, quando quasi e sinu matris erecta alia ecclesia per viam dismembrationis venit : *Sen., Præem.*, 12 *dec.* 1778, § 5.

Sed subjectionem filialem retinere debet erga ecclesiam illam cujus cum territorio, populo, ac reditibus erecta fuit : *Ibid.*

Impropria matrix quandoque appellatur ea quæ comparative ad alias ecclesias ejusdem loci, vel majoritate, vel antiquitate pollet : *Ibid.*

Vel pluribus prærogativis ac honorificentiis fruitur ; unde excellentia vincat alias : *Ibid.*

Non tamen uti filiales eidem subjectæ sint : *Ibid.*

Ecclesiæ cathedralis matricitas de jure præsumitur, quum in primo Ecclesiæ ortu, solum illa esset parochialis totius diœcesis : *Fav., Præem. et Fun.*, 11 *apr.* 1761, § 9.

Et ideo reliquæ parochiales in diœcesi tanquam ab illa derivatæ reputentur illius filiales : *Ibid.*

Sed etiam probari potest pluribus Summorum Pontificum constitutionibus, si diserte præferant et nuncupationem et jura matricitatis ecclesiæ cathedralis : *Ibid.*

Quando aliqua ecclesia impropria polleat matricitate, ac leges provinciales et diœcesanæ inter impropriam et propriam non distinguunt matricem, intelligendæ sunt de propria, cui duntaxat competit matricis jurium privativa : *Der., Trans.*, 18 *aug.* 1787, § 3.

Impropria enim matricitas subjectionem non inducit : *Ibid.*

Matricitas ecclesiarum parochialium ad vindicandam illlam probari debet : *Cass.*, 30 *maii* 1767, § 14.

Quum titulus matricitatis deductus est, non potest alius titulus allegari : *Baln., Jur. par.*, 27 *nov.* 1771, § 5.

Matricitas parochiæ ex alio educi nequit quam ex probatione unicam olim eam extitisse, atque in ejus adjutorium alteram per dismembrationis viam, subjectam et filialem erectam fuisse : *Mac., Jur. par.*, 14 *mart.* 1778, § 4.

Illius denominatio *matricis* talem eam non efficit, quia referri valet ad quamdam præeminentiam et impropriam matricitatis speciem, quæ digniori talem solum præfert : *Ibid.*, § 5.

Non verò propriam et strictam matricitatem significat : *Ibid.*

In jure est, quando parochialis ecclesia matris titulo decoratur ob antiquitatem aut quamlibet honoris præeminentiam, in isto casu minus proprie matricis nomen usurpatur, et rectius ecclesia major aut prima nominatur, in qua solemniores functiones celebrantur, et ad quam aliarum ecclesia-

rum ministri debent accedere : *Bal., Jur. par.*, 23 *nov.* 1771, § 4.

Unicus fons baptismalis in tota civitate indicat superioritatem, et reservationem juris baptizandi : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 5.

Ecclesia, seu Oratorium. Vide *Oratorium*.

Ecclesia parochialis.

§ 1.

Ecclesia parochialis quoad collationem in titulum seu provisionem.

Ecclesia parochialis sine sponso, et populus sine pastore remanere non debet : *Vad., Par.*, 5 *sept.* 1778, § 6.

Plures unius ecclesiæ rectores simul dari nequeunt : *Mont. Alt., App. Mis.*, 30 *jul.* 1763, § 5.

Trid., sess. 24, cap. 18, *de Ref.*, decernit parochiales ecclesias duntaxat ab Episcopo conferri posse, prævio examine a concurrentibus peracto : *Cæsen.*, 24 *nov.* 1770, § 9.

Non est conferenda parochia absque concursu contra præscriptum Concilii Trid. : *Arim., Eccl. par.*, 24 *nov.* 1792, § 4.

Ecclesiæ parochiales conferendæ sunt personis magis idoneis ac dignis : *Nic., Can.*, 27 *jul.* 1737, § 2.

Et ille magis dignus ad animarum curam obeundam censetur, qui, minori licet scientia instructus, alios exemplo, prudentia, morumque honestate præcellit : *Ibid.*, § 3.

Et prohibetur ne animarum cura iis committatur qui ex turpi et inhonesta vivendi ratione apud probos honestosque viros auctoritatem et æstimationem amiserint : *Ibid.*

Item audiendus est populus, cujus plurimum interest idoneum habere pastorem : *Ratis. seu Const., Un.*, 26 *mar.* 1768, § 22.

Audiendus quoque loci baro : *Ibid.*

Cum præsertim in Germania barones catholici jure gaudeant honorifico titulo defensorum et protectorum ecclesiarum in eorum temporali ditione existentium : *Ibid.*

In collatione ecclesiarum, sive eæ sint de jure patronatus, sive de libera Ordinarii provisione, certam normam omnino servandam præcripsit Concilium Tridentinum : *Ver., Ar.*, 26 *sept.* 1769, § 8.

Itaque, ses. 24, cap. 18, *de Refor*, præcisam formam indixit concursus habendi coram examinatoribus synodalibus et peracto examine, ex idoneis judicatis Episcopus eum eligat quem magis idoneum judicaverit : *Ibid.*

Et ad tollendas fraudes S. Pius V declaravit ut, si Episcopus minus habilem, posthabito magis idoneo, elegerit, possit rejectus provocare, et appellationem ad metropolitanum vel ad S. Sedem interponere : *Ibid.*, § 9 ; *Disc. secr.*, 1 *oct.* 1720, § 2.

Parochialis ecclesia illi qui justam habet ætatem, sufficienti pollet experientia, bonis moribus est imbutus, nulloque crimine irretitus, utque non mediocris scientiæ specimen dederit in peracto examine, licet reprobatus sine celebratione novi concursus, est adjudicanda : *Reg., Par.*, 29 *aug.* 1761, § 6.

Et circumscribendus est novus concursus attentate habitus pendente appellatione a primo ; vel saltem decernendum experimentum novi examinis ad formam Const. S. Pii : *Ibid.*

Ecclesias parochiales, quarum laici patroni fuerint, Synodus Tridentina non per concursum jussit conferri, sed eas excipi voluit : *T. Min., Vis. SS. LL.*, 14 *mart.* 1733, § 4.

Sed debet examinari præsentatus, et, non idoneus repertus, minime admitti : *Ibid.*

Conferri debet ex sanctione Tridentini Concilii cap. 18, sess. 24, ecclesia parochialis illi qui peracto examine idoneus ab examinatoribus ætate, moribus et doctrina, judicatus fuerit : *Urb., Par.*, 30 *aug.* 1766, § 7.

Et ad judicium Episcopi præeligentis magis unum quam alterum, oportet tantam meritorum inæqualitatem intervenire, ut pariat excessum manifestum : *Ibid.*, § 8.

In consecutione parochiarum ille est præferendus, tanquam magis idoneus, qui suum competitorem præcellit nedum scientia, sed etiam ætate, moribus, prudentia, aliisque rebus ad ecclesiam gubernandam opportunis : *Cass., Par.*, 21 *nov.* 1761, § 5.

Sacerdos dignior in concursu renunciatus, parochialemque ecclesiam ex bullis pontificiis nactus, aliis etiam contradicentibus, judiciumque moventibus, in possessione parochiæ, quam est adeptus, custodiri, et manuteneri debet : *Angl., Par.*, 12 *mart.* 1746, § 2.

Nonnisi viro parochiæ incolis accepto cura animarum est deleganda, ne ex illius odio gravia forte generentur incommoda : *Jan.*, 10 *sept.* 1735, § 5.

Adeo ut ad consecutionem beneficii curati sufficiens impedimentum præstet odium, et populi malevolentia, etiamsi irrationabilis : *Ibid.*

Et hæc aversio populi etiam irrationabilis est causa sufficiens ad removendum aliquem a possessione jam adepta : *Spol., Par.*, 19 *jan.* 1737, § 6.

Nemo assumi potest ad regimen parochialis ecclesiæ, nisi quintum saltem et vigesimum ætatis annum attigerit : *Vit., Conc.*, 21 *jul.* 1842, § 4.

Collatio ecclesiæ parochialis, prævîis concursu et approbatione Episcopi explendis, adjudicata fuit abbati commendatario, cujus abbatiæ præfata parochialis ecclesia subjecta est : *Null. S. Sev., Par.*, 17 *aug.* 1737, § 4.

Per præelectionem et institutionem auctorizabilem tribuitur ab Episcopo sacerdoti præelecto facultas administrandi sacramenta populo sibi concredito, necnon exercendi cætera omnia quæ ad animarum curam pertinent : *Angl., Par.*, 15 *dec.* 1736, § 2.

Peracto examine, ei animarum cura committi debet, quem Episcopus ætate, scientia, et probitate magis idoneum judicaverit : *Assis., Par.*, 27 *nov.* 1773, § 3.

Nec in hujusmodi præelectione potest Episcopus proprio arbitrio procedere, sed adstrictus est certam judicii formam servare : *Ibid.*

Ideo ad evitandas fraudes, quæ oriri possent, liberum cuique est ab illius judicio reclamare, si forte contra sacrorum canonum statuta processerit : *Ibid.*

Parochus eligendus est, qui alios non tantum doctrina, quantum pietate, morumque integritate præcellit : *Angl., Par.*, 12 *mart.* 1746, § 3.

Et in ejusdem electione investiganda diligenter est præter doctrinam, pietatem, morumque integritatem etiam concivitas, cæteraque quæ ex sacris ritibus, sacrisque canonibus nobis spectanda relinquuntur : *Ibid.*

Assequi cupiens parochiam exponere debet Summo Pontifici vitium quo laborat concursus, ejusque sanationem impetrare, et sic evitare nullitatem collationis manantem ex falsa narratione concursus habiti coram synodalibus examinatoribus juxta Tridentinas sanctiones : *Vis., Par.*, 9 *aug.* 1732, § 9.

Clausula, *sive præmisso, sive aliquo quovis modo vacantem*, non sustinet collationem ecclesiæ parochialis, neque eam reddit a falsa causa immunem : *Vis., Par.*, 9 *aug.* 1732, § 11.

Parochiales ecclesiæ capitulo, collegio, vel monasterio alicui quoad temporalia duntaxat unitæ, veluti de jurepatronatus ecclesiastico, debent per concursum conferri : *Port., Par.*, 30 *mar.* 1737, § 3.

Secus vero si illæ fuerint subjective tam scilicet quoad temporalia quam quoad spitualia incorporatæ ; tunc ad earum regimen et curam, prævio duntaxat examine, et approbatione Episcopi, deputantur vicarii perpetui : *Ibid.*

Ecclesiarum parochialium collatio ad Apostolicam Sedem devolvitur, si concursus ad eas pro quibus habendus est, nullo interjecto legitime impedimento, intra terminum in const. S. Pii V *In conferendis* præfinitum, non fuerit habitus : *Ibid.*

Communis error cum titulo colorato conjunctus, satis suffragatur ad evitandam subreptionem et nullitatem collationis a Sede Apostolica factæ, tanquam approbato in concursu : *Vis., Par.*, 9 *aug.* 1732, § 5.

Communis error non suffragatur, ob decretum irritans quod circa collationem ecclesiarum parochialium addit S. Concilium Trid., si norma ab eo præscripta non servetur : *Ibid.*, § 11.

Ubi habitualis cura residet penes capitulum, parochia confertur per examen : *Urb.*, 30 *aug.* 1788, § 5.

Nominatus ad ecclesiam parochialem in minoribus ordinibus constitutus, non est repellendus, dummodo alias idoneus fuerit, et possit promoveri ad sacros ordines infra annum : *Tud.*, 9 *jul.* 1785, § 6.

Sacrorum canonum et sacri Concilii Tridentini dispositio in concursibus non procedit quoad parochias manuales, sive ad nutum amovibiles, quæ vere et proprie beneficia curata non sunt : *Eug., Jur.*, 13 *mart.*, 1773, § 10.

Cum beneficia perpetuo sint duratura : *Ibid.*

Electio et præsentatio parochi facienda est a populo qui ei assignat congruam, et non est ad juspatronatus referenda, sed ad simplex jus quod appellatur *honorantiæ* : *Lun. Sar.*, 22 *sept.* 1759, § 2.

Parochiales ecclesias per concursum semper esse conferendas liquet, etiamsi illarum collatio ad inferiores prælatos pertineret : *Vic., Jur.*, 18 *nov.* 1702.

Major litteratura non sufficit pro obtinenda parochia, ita ut possibilis sit casus, quod rite et recte Episcopus prætulerit minus doctum magis docto, ex quo minus doctus ceteris aliis necessariis polleret qualitatibus pro regimine animarum : *Disc., secr.*, 1 *oct.* 1720, § 13.

Quamvis appellans ad novum examen remaneat adprobatus, et etiam qualificatus tanquam magis doctus, ei tamen haud sufficit pro obtinenda parochia ; sed tantum ad evertendam notam, et infamiam reprobationis, aut approbationis in secundo gradu reportatæ, in primo examine episcopali : *Ibid.*, § 14.

Episcopus ad parochiales ecclesias debet eligere eum quem ceteris magis idoneum judicaverit, prævio examinatorum judicio ; ita ut subreptitiæ censendæ sint provisiones, quæ alio modo fierent et haberentur : *Asc.*, 20 *dec.* 1727, § ult.

Episcopus qui non constituit examinatores in

synodo, sed ex se ipso deputavit, vel quia priores erant mortui, vel quia nulla aderat facultas congregandi synodum, nempe propter pestem, nulliter providet de parochiis : *Vis.*, *Par.*, 9 *aug.* 1732, § ult.

Summus Pontifex quandoque mandavit ut examinatores ab Episcopo deputati tolerarentur, injungendo ut quamprimum facta synodo novi eligantur examinatores. Illi provisi cum examinatoribus ab Episcopo solo deputatis, novas provisiones impetrent, vel denuo legitime examinati et approbati ab Episcopo de iisdem parochiis provideatur, si in mensibus ordinariis vacaverint : *Ibid.*

Nam quando collatio spectat ad Pontificem, et non ad Ordinarium, fieri nequit provisio per devolutionem cum beneficia Summo Pontifici reservata, vel affecta, devolutioni non sint obnoxia : *Asc.*, *Par.*, 24 *nov.* 1781, § 9.

Devolutio enim datur ab inferiori ad superiorem, et sic ab Episcopo ad Pontificem, non autem a Pontifice ad Pontificem ipsum : *Ibid.*

Ille qui absolutus est cum clausula, *ex hactenus deductis*, quamdam infamiæ notam habet, ut præferri non debeat, sed arceri consecutione parochiali donec qualibet abluta criminis macula, melioris vitæ specimen præbuerit : *Cap.*, *Conc.*, 10 *jun.* 1741, § 3.

Ætas annorum 30 longe excedit ætatem a Tridentino requisitam pro ecclesiis parochialibus, præsertim pro parœcia in alpestri et montuoso loco sita: *As.*, *Par.*, 15 *dec.* 1764, § 7.

Collationi parochialium, jure decretalium simplex examen præmittitur : *Trid.*, 6 *maii* 1775, § 5.

Approbatus in concursu ad unam ecclesiam parochialem, dici non potest approbatus ad aliam : *Ibid.*, § 8.

Ideoque præelectio ab Episcopo facta, nulla est: *Ibid.*

Secus si oppositores sunt examinati et approbati pro utraque ecclesia parochiali, licet unico examine: *Ibid.*

In earumdem collatione adimpleto sine primario per Concilium Tridentinum optato, ut dignis et idoneis ministris parochialis ecclesia gubernetur, nihil de materialitate plurium examinum litteraliter requisitorum in simultanea plurium ecclesiarum vacatione curandum sit : *Ibid.*, § 9.

Requiritur autem, ut pro utriusque provisione, nominatim præmissa sint edicta : *Ibid.*, § 10.

Episcopus in electione dignioris et magis idonei, non solum scientiam, sed alias etiam eligendi qualitates spectare debet : *Aler.*, *Can. pœn.*, 19 *april.* 1777, § 4.

Ratio habenda est de ætate, de moribus, et de prudentia, ac pariter de existimatione quam de eo habent clerus et populus : *Ibid.*

Danda est institutio ad sacerdotem præsentatum a patronis prævio examinis faciendi experimento super idoneitate illius ad animarum curam exercendam : *Baln. et Urb.*, 7 *jun.* 1777, § 6.

Et aliquando delegari potest ab Episcopo viciniori, justis, urgentibus, et rationabilibus de causis : *Ibid.*

In peragendo scrutinio, non ille tantum ad curam animarum est præeligendus, qui scientia ceteros antecellit, sed etiam inquirendum est, ut cum doctrina probati mores et prudentia concurrant : *Fer.*, *Par.*, 8 *febr.* 1783, § 13.

Et consonant litteræ S. Congr. Concilii a Clemente XI approbatæ 10 januar. 1721 : *Ibid.* § 14.

Nec parvi pendendum est testimonium pastoris illius cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere : *Ibid.*

Juxta receptam ecclesiæ disciplinam sex mensium intervallum dederat Alexander III in Lateranensi concilio ad providendas ecclesias parochiales quocumque modo illæ vacarent; et sive per collationem, sive per electionem, dandæ illæ essent : *Urb.*, 9 *sept.* 1786, § 11.

Multi dantur consimiles in jure casus, quibus decernitur ecclesias parochiales fuisse provisas absque concursu, sed cum prævio tantum examine : *Cæsen.*, 15 *maii* 1723, § 7.

Quando ex. grat. conferenda est parochia quæ est de jurepatronatus laicorum, vel parochia adeo exigui reditus ut operam non ferat concursus : *Ibid.*

Regularia regularibus, secularia secularibus conferenda sunt : *Her.*, *Eccl. par.*, 27 *apr.* 1720, § 2.

Regularis præfici nequit curæ animarum ab Episcopo sine Apostolica dispensatione, quæ concedi non consuevit, nisi eodem Episcopo instante pro necessitate vel utilitate ecclesiæ : *Ibid.*; et *Posn.*, 12 *jan.* 1726, § 4.

Monachus non potest sine dispensatione admitti ad curam animarum : *Posn.*, 12 *jan.* 1726, § 3.

Et hæc dispensatio non per simplicem permissionem, sed per speciale Summi Pontificis indultum concedenda est : *Ibid.*

Potest ab Episcopo etiam ob penuriam sacerdotum perpetuo præfici, ita ut deducto victu, quod reliquum fuerit redituum, in utilitatem ecclesiæ, et pauperum convertatur, et præfici etiam potest ad tempus quoad scilicet Episcopus providisset parochiam de clerico seculari, Episcopo semper pro necessitate et utilitate ecclesiæ instante : *Ibid.*, §§ 4 *et* 5.

Parochiales idcirco ecclesiæ possunt obtineri a regularibus vigore indulti : *Spir., Par.*, 18 *julii* 1761, § 5.

Parochialis subjective unita monasterio potest obtineri ab illius religiosis ad nutum superioris amovibilibus : *Ibid.*

Parochiales unitæ conferendæ sunt vicariis perpetuis : *Ibid.*, § 6.

In parochiis tamen, quæ unitæ sunt monachis aut mendicantibus, possunt deputari regulares ad nutum superiorum amovibiles : *Ibid.*

Et regulares ad nutum superioris amovibiles possunt deputari in parochiis, etiam vigore indulti apostolici, non obstante Concilio : *Ibid.*

Probata qualitate perpetua et seculari parochialis ecclesiæ, præsentari ad illam non possunt regulares, sed sunt sacerdotibus secularibus conferendæ : *Aug., Par.*, 10 *maii* 1760, § 6.

Parochiæ vigore centenariæ præscriptionis obtineri possunt a regularibus ad nutum superiorum amovibilibus : *Spir.*, 18 *jul.* 1761, § 8.

Et opus non de sequutis amotionibus docere, quia regulares ex voto obedientiæ pendent a nutu superioris : *Ibid.*

§ II.

Ecclesia parochialis quoad dismembrationem et erectionem.

Permissum non est, aut dismembrare antiquas parochias, aut novas erigere, nisi accedentibus requisitis textus cap. *Ad audientiam*, l. 1, *de Eccl. ædif.* : *Sed.*, 11 *junii* 1718, § 5.

In erectionibus ecclesiarum, et etiam in ecclesiis jam erectis intra limites alicujus parochiæ, nullum inferri debet præjudicium juribus parochialibus : *Aug.*, 7 *apr.* 1731, § 5.

Ardua et aspera via, difficultas itineris, nives, et glacies necnon distantia a veteri parochiali justæ atque idoneæ causæ sunt ad decernendam novæ parochiæ erectionem : *Lun. Sar., Dism. par.*, 8 *mart.* 1732, § 3.

Quoties autem de his legitimis causis non satis constat, rejicitur postulatio erectionis novæ parochiæ cum veteris dismembratione, atque alia ratione prævidetur : *Ibid.*, § 4.

Sacra Romana Rota semper censuit, ut si necessitati consultum esse possit constituendo in remotiori parte parochiæ capellanum coadjutorem, seu vicarium parochi in administratione curæ animarum, potius adhiberi oporteat hoc remedium, quam avellere partem parochiæ, et instituere novam parochialem ecclesiam : *Ibid.*, § 5.

Ubi justæ causæ postulant novæ parochiæ constructionem, non obest parochi oppugnatio, nec illius requiritur assensus ; est tamen citandus et audiendus, ut ea quæ ab eo objiciuntur discuti possint : *Ibid.*, § ult.

Propter distantiam et difficultatem parochiæ incolarum accedendi ad ecclesiam matricem, est locus erectioni novæ parochiæ : *Rip.*, *Ben.*, 17 *jun.* 1775, § 10 ; *Nov.*, *Div. et Dism. par.*, 19 *apr.* 1760, § 3.

Hoc Alex. III respondit archiepiscopo Eboracensi, et adjunxit ut provideatur ad competentem in nova ecclesia honorem pro facultate loci matrici ecclesiæ servandum : *Rav.*, *Dism.*, 5 *apr.* 1783, § 7 ; *Ver.*, *Eccl. par.*, 8 *maii* 1784, § 9.

Hanc dispositionem Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 4, *de Refor.*, renovavit, et voluit ut etiam invitis rectoribus novæ parochiæ constituantur : *Ibid.*, § 8, et in d. *Ver.*, § 11.

Idcirco doctores asserunt ad novæ parochiæ erectionem sufficere distantiam loci sine difficultate, et vice versa difficultatem sine distantia : *Ibid.*

Minime autem definitum noscitur qualis esse debeat hujusmodi distantia, vel difficilis accessus, sed totum id relinquitur judicis arbitrio : *Ibid.*

Occurri debet spirituali animarum saluti tum quando populus ita est auctus, ut unus tantum parochus ad sacramenta administranda non sufficiat, tum etiam quando ob loci distantiam, vel difficilem accessum fideles propriam parochialem adire non possint : *Ver.*, *Er. par.*, 8 *maii* 1784, § 12 ; *Plac.*, *Dism.*, 28 *maii* 1791, § 4 ; *Recin.*, *Er. par.*, 26 *sept.* 1795, § 4 ; *Acc.*, *Er. par.*, 19 *dec.* 1791, § 5 ; *Const.*, 30 *maii* 1761, § 5 ; *Nov.*, *Un.*, 11 *sept.* 1762, § 7.

Propterea ad novæ parochiæ erectionem deveniri potest si alternatim occurrat, vel locorum distantia, vel difficultas accessus : *Ibid.*

Quæ vero esse debeat hujusmodi distantia, vel difficilis accessus, minime definitum noscitur ; sed ab Episcopi arbitrio et prudentia pendet : *Ibid.*

Urgente dismembrationis necessitate, antequam novæ parochiæ erectio decernatur, de parochi congrua est inquirendum : *Ibid.*, § 14.

Qua de re sacrum Concilium Trid., sess. 21, cap. 4, *de Refor.*, nonnulla statuit : *Ibid.*

Et sess. 21, cap. 5, *de Refor.*, ad occurrendum indigentiis ecclesiarum parochialium, mandat ut Episcopi uniones faciant perpetuas ecclesiarum et quorumcumque beneficiorum : *Ibid.*

Tridentina Synodus agens de ecclesiis parochialibus, sess. 21, cap. 4, *de Refor.*, duos tantum casus proponit, ubi scilicet populus ita numerosus sit ut unus rector non possit sufficere, mandat sacerdotes alios pro necessitate adjungi ; ubi vero

rum esse exemptas privilegiis Summ. Pontificum a visitatione Episcopi, præterquam si fuerint curata; tunc enim cum hujusmodi privilegia excipiant ea, quæ respiciunt curam animarum, et sacramentorum administrationem; quoad hæc posse utique visitari ab Episcopo: *Ibid., dub.* 4.

13. Episcopus potestatem habet visitandi societates personarum secularium in ecclesiis regularium exemptorum existentes, non autem earum capellas, et altaria, quæ intra easdem ecclesias consistunt: *Nullius, januar.* 1598, *dub.* 11.

14. Censuit S. C. personas, sive seculares, sive regulares animarum curam exercentes in ecclesiis sive domibus regularium etiam Ordinum militarium vigore cap. 11. sess. 25, *de Regul.* [398], subesse immediate in his, quæ ad dictam curam, et sacramentorum administrationem pertinent, visitationi Episcopi: *Guardien.*, 22 *sept.* 1600, *dub.* 1.

15. Ac Episcopo facultas est visitandi societates laicorum in ecclesiis regularium quamvis exemptorum, existentes, atque etiam capellas dictorum sodalium inibi sitas, quatenus eorumdem sodalium administrationem respiciant, atque etiam a societatum administratoribus rationem administrationis exigere: *Ibid., dub.* 2.

16. S. C. audito Episcopo, inhærensque decisioni a se alias editæ, quod Concilii decretum cap. 8, sess. 22, tribuens Episcopis facultatem visitandi hospitalia, et alia loca pia non sustulerit fundationes excludentes Episcopum a jure visitandi; perpensoque tenore exhibitarum fundationum, censuit, Episcopum Abulensem collegium S. Bernardi, hospitale, aliaque pia opera, de quibus agitur, a Francisco de Toleto erecta, nequaquam visitare, aut alias se in eis ingerere pollere: *Abulen.*, 6 *april.* 1606.

17. Archiepiscopo hujusmodi castrum visitare liberum esse, si est intra fines Theatinæ diœcesis, quemadmodum proponitur, S. C. præcepit: *Theatina*, 11 *sept.* 1610, *dub.* 1.

18. S. C. respondit licere Archiepiscopo visitare societatem, nisi secus in fundatione ipsius confraternitatis cautum esset: *Turritana*, 8 *junii* 1619, *dub.* 3.

19. Ac hujusmodi hospitalia posse similiter ab Archiepiscopo visitari, nisi in fundatione exempta fuerint ab ejus jurisdictione: *Ibid., dub.* 4.

20. Censuit S. C. Episcopum visitare debere non tanquam Ordinarium, sed tanquam apostolicæ Sedis delegatum: *Veronen.*, 29 *julii* 1628, *dub.* 1.

21. Non privative, sed cumulative cum superioribus regularibus: *Ibid., dub.* 2.

22. S. C. inhærendo declarationibus alias factis, censuit confraternitates laicorum in ecclesiis regularium exemptorum institutas subesse visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, necnon illorum capellas in iisdem ecclesiis regularium existentes, in his tamen, quæ confraternitatum administrationem respiciunt; etsi societatibus incumbat onus manutenendi altare, et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum, et ornamenta altaris, seu capellæ, onera Missarum, ac divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem sodalium pertinent: *Nucerina Paganorum*, 23 *junii* 1629.

23. Domus piæ sub invocatione S. Mariæ de Misericordia ab ordinaria visitatione exemptæ sunt, dummodo vere constet de illarum exemptione, et legitima regia subjectione: *Leyrien.*, 7 *sept.* 1630, *dub.* 2.

24. Requiritur, utrum visitatio ecclesiæ cathedralis, et personarum illius valeat impediri, vel retardari interposita appellatione si non docetur de aliqua particulari exemptione? decrevit S. C. a visitatione ecclesiæ cathedralis, et personarum ipsius ab Episcopo facienda non admitti appellationem ad effectum suspensivum, nec ideo illam appellationem impedimentum inferre potestate valere: *Oriolen.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 6.

25. Optatur perspicuum facere, an in Episcopi potestate est visitandi archivum ecclesiæ cathedralis, et recognoscere jura, et scripturas respicientes statum ecclesiæ ipsius? arbitrata est S. C. si archivum sit proprium ecclesiæ cathedralis posse Episcopum illud visitare, et jura, et scripturas respicientes statum ipsius ecclesiæ recognoscere, adhibitis tamen aliquibus ejusdem ecclesiæ canonicis: *Ibid., dub.* 9.

26. Episcopus potest visitare societates Sedis apostolicæ, vel Ordinarii auctoritate erectas; quo vero ad alias absque hujusmodi auctoritate erectas, rem fusius explicandam, et postea deliberandum esse deciditur: *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 7.

27. Censuit S. C. visitationi Episcopi in his, quæ ad curam, et sacramentorum administrationem pertinent, parochos regulares subesse: *Colimbien.*, 16 *julii* 1639, *dub.* 1.

28. Et consulta S. C. an Episcopus potis est visitare, et rationes invisere administrationis a societatibus erectis in ecclesiis et monasteriis regularium? posse visitare societates erectas in ecclesiis, et monasteriis regularium? posse visitare societates erectas in ecclesiis et monasteriis regularium modo, et forma præscriptis in declaratione alias edita tenoris seq. *in Lunen. Sarzanen*, 6 *maii* 1617. S. C. censuit Episcopum hujusmodi societates tam in secula-

[398] Vide not. præcedentem.

ribus, quam in regularibus ecclesiis existentes, earumque administratores ad reddendam rationem administrationis compellere facultatem habere : *Ibid.*, *dub.* 3.

29. Censuit S. C. societatem Sanctissimæ Annuntiatæ, illiusque oratorium subesse visitationi Episcopi Comi; etiamsi intra septa monachorum Celestinorum existant; necnon per eumdem Episcopum visitari posse altare ejusdem oratorii, si eidem societati incumbat illud manutenendi onus, et illius cultum, et ornatum ipsius altaris, onera Missarum, ac divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem sodalium officium, et onera pertinent : *Comen.*, *Visitationis*, 14 *febr.* 1642, *et Pistorien.*, 7 *sept.* 1652, 6 *julii* 1658.

30. Quæstione agitata, an valeat Episcopus societates laicorum virorum, seu mulierum, seu utriusque sexus in ecclesiis regularium erectas visitare? respondit Episcopum posse visitare juxta resolutiones S. C. Concilii alias editas, in quibus S. C. censuit societates laicorum in ecclesiis regularium exemptorum institutas subesse jurisdictioni, etiam visitationi Episcopi, illaque ab eo visitari posse, necnon illarum capellas in ecclesiis regularium existentes, et in his tamen, quæ societatum administrationem respiciunt. Etsi societatibus incumbat onus manutenendi altare, seu capellam, et illius cultum, et ornatum, Episcopo facultatem esse visitandi circa ea, quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum, et ornatum altaris, seu capellæ, necnon onera Missarum, atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea cuncta, quæ ad obligationem eorumdem sodalium relationem habent: *Perusina*, *Episcopatus*, 2 *april.* 1650, *dub.* 1.

31. Et dubio expenso, an Episcopus possit visitare ecclesias rurales, quæ sine cura existunt, nec in eis viget observantia regularis, unitas, seu membra monasteriorum regularium, seu militarium exemptorum etiam Joannis Hierosolymitani? Episcopo facultatem datam non esse visitandi hujusmodi ecclesias rurales, nisi adhuc remanserint seculares, vel sint commendatæ, vel habeant curam animarum : *Ibid.*, *dub.* 2.

32. Prior Baruli religionis Hierosolymitanæ impugnans jurisdictionem delegatam Episcopo prætendit sibi competere omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem cum qualitate nullius, et territorio separato, sed re in S. C. delata rescriptum est, Episcopum Vulturariensem potuisse, et posse uti Sedis apostolicæ delegatum visitare ecclesiam parochialem S. Mariæ terræ Alberonæ religionis Hierosolymitanæ, et in visitatione decreta edere in respicientibus curam animarum, administrationem sacramentorum, implementum onerum Missarum ex piis dispositionibus provenientium, illaque esse exequutioni demandanda : *Vulturarien.*, *Jurisdict.*, 24 *febr.* 1652. Deinde dubio iterum disceptato, S. C. sancivit præfatum Episcopum uti Episcopum viciniorem facultatem habere visitandi saltem tanquam Sedis apostolicæ delegatum ecclesias dicti prioratus in respicientibus curam animarum, et administrationem sacramentorum, et decreta desuper edere ex dispositione sacr. Concilii, et Const. S. Pii V, et Gregorii XV, Pont. Max. [399], necnon circa implementum onerum Missarum, et anniversariorum ex piis dispositionibus circa seras, portas, sacella, sacrarium, et sacra, et circa alia spectantia ad materiam peccati, et rationem administrationis a fratre capellano exigere, non tamen posse decreta edere circa restaurationem ecclesiæ, et cultum altarium in eadem ecclesia existentium, sed in his præfigendum terminum priori, qui infra quem omnino providere non omittat : 17 *maii* 1653, *dub.* 1. Demum discusso dubio, an ex noviter deductis sit a declarationibus alias editis recedendum? S. C. causam ad Rotam [400] remisit : 23 *januar.* 1666.

33. S. C. inhærens declarationibus alias editis, censuit Concilii decretum cap. 8, sess. 22, *de Reform.* [401], tribuens Episcopis facultatem visitandi non sustulisse fundationes, nisi specifice excludentes Episcopum etiam a jure visitandi : *Abulen.*, 4 *febr.* 1653.

34. Quæritur, an Episcopus teneatur singulis annis totam diœcesim lustrare incipiendo visitationem ab ecclesia collegiata Campobassi? Episcopum debere omnino quotannis propriam diœcesim per seipsum, aut si legitime impeditus fuerit, per suum vicarium generalem, aut visitatorem idoneum invisere, et si quolibet anno totam visitare non possit saltem majorem illius partem; ita ut tota biennio visitatio absolvatur. Visitationem vero incipere non debere a collegiata Campobassi : *Bojanen.*, 14 *nov.* 1654, *dub.* 1.

35. Quoad monasteria, sive prioratus claustrales, in quibus divinum cultum negligi, et regularem disciplinam collapsam esse narratur, S. C. sæpe alias respondit; nisi hujusmodi monasteria, sive prioratus suorum ordinum capitibus subsint, ac sese in congregationem redigere neglexerint; adeo ut propriis regularibus visitatoribus careant posse juxta cap. 8, sess. 25, *de Regul.* [402], ab Ordinariis

[399] Vide not. præcedentem 397

[400] Vide not. 259 supra.

[401] Vide not. 87, verb. *Administratio*, § II.

[402] In quo sancitur, quod monasteria non habentia Ordinarios regulares visitatores, et non subdita Episcopis, singulis trienniis sese in congregatione unius, vel diversæ

pellano coadjutore, sive vicario parochi in administratione curæ animarum, hoc remedium sine ulla ecclesiæ divisione est adhibendum : *Ibid.*, § 19.

Et S. Congregatio Concilii antequam divisionem, et ideo novæ parochiæ erectionem, vel approbaverit, vel demandaverit, primum de congruæ quantitate assignanda quæsivit : *Ibid.*, § 20.

Ordinarius agnoscens quod nonnulla loca a parochialibus ecclesiis supra mille passus distent, quodque plures absque sacramentorum susceptione obierint, potest prævia oculari casalium inspectione alteram ecclesiam viis commodiorem erigere, eique simplicia unire beneficia : *Iser.*, *Er. par.*, 2 *dec.* 1702.

Locus est dismembrationi ecclesiæ parochialis, non obstante parochi dissensu, quando accessus ad parochialem ita impeditur, ut debiliores, pueri, mulieres et senes, nequeant præceptum audiendi Sacrum diebus festis adimplere : *Crem.*, *Trans. ben.*, 3 *julii* 1762, § 3.

Si reditus matricis ecclesiæ ac parochi tenues sint, ut non sufficiant ad novam faciendam erectionem, Episcopus unione beneficiorum, aut alio commodiori modo providere debet : *Vot. secr.*, 20 *aug.* 1768, § 22.

Locus non est dismembrationi, si non sufficienter probetur distantia, vel viæ difficultas; vel quia duorum aut trium milliariorum distantia, et accidentalis atque discontinua difficultas viæ : *Const.*, 30 *maii* 1761, § 9.

Urgente dismembratione ecclesiæ onus ex juris dispositione insitum matrici ecclesiæ remanet pro congrua novo parocho ex decimis præstanda, necnon pro novæ ecclesiæ constructione, et conservatione : *Spir.*, *Reæd. eccl.*, 16 *sept.* 1769.

Ecclesiæ parochialis dismembratio non præsumitur per erectionem fontis baptismalis in alia ecclesia commoditatis causa : *Mont. Alt.*, *Rem. cap. et Jur. par.*, 22 *maii* 1762, § 4.

Dum decretum nequaquam præ se fert veram ecclesiæ dismembrationem, non pertinent ad eam quæ de propria ecclesiarum dismembratione sancita sunt : *Sars.*, *Dism.*, 12 *maii* 1736, § 3.

Locus non est dismembrationi, cum parum distant incolarum domus ab ecclesia parochiali, et si qui illorum sine ecclesiasticis sacramentis decesserint, hoc domesticorum et familiarium negligentiæ potius tribuendum quam alteri causæ : *Aq.*, *Dism.*, 25 *jan.* 1744, § 10.

Pro erectione ecclesiæ parochialis, uti debet auctoritate Ordinarii, sine qua nulla ecclesia parochialis efficitur : *Por.*, *App. Mis. pro pop.*, 19 *julii* 1766, § 4.

Et excluditur hæc qualitas tum ex ipsa conditione presbyteri, qui nutu patroni sit removendus : *Ibid.*, § 5.

Tum ex voluntate expressa testatoris, qui voluit semper capellaniam mere laicalem nulli unquam in titulum dandam, etiam pro patrimonio, atque ipsum nomen beneficii ecclesiastici semper rejecit : *Ibid.*, § 6.

Tum demum quia deficit populus : *Ibid.*, § 7.

Parochiæ dismembratio facta ab Episcopo absque prævia citatione interesse habentium, nulla est; licet Episcopus ad dictam dismembrationem præcesserit uti delegatus Sedis Apostolicæ : *Fir.*, *Dism.*, 15 *dec.* 1759, § 5.

Nec suppletur citationis defectus, vel a consensu, vel a subsequuta acquiescentia : *Ibid.*

Dismembrationes enim cum sint odiosæ, et sapiant alienationem jurium ecclesiæ, sine justa et urgenti causa fieri nequeunt : *Ibid.*

Et quum dismembratio fieri deberet, citationis defectus spernendus est in casu quo contradictores nullam adducerent validam exceptionem : *Ibid.*, § 6.

Ut valida sit veteris ecclesiæ dismembratio, non est necessarius parochi assensus neque etiam illius contradictio quidquam officit ad dismembrationem impediendam, ubi justæ causæ novæ parochiæ erectionem postulant : *Mar.*, *Dism.*, 24 *jan.* 1739, § 3.

Nequit tamen parochus adeo negligi ut, eo prorsus inaudito, veteris parochiæ dismembratio decernatur; cum ad salubrius capiendum consilium possint conferre ea quæ ab ipso adversus dismembrationem possent opponi : *Ibid.*

Dismembrationi parochiæ locus non est ubi per deputationem vicarii potest spirituali populi saluti provideri; et hoc potius est adhibendum quam alterum divellendi partem veteris parochiæ, et novam instituendi parochialem ecclesiam : *Ibid.*, § 4.

Cessante necessitate, deveniendum non est ad dismembrationem : *Leod.*, *Vic.*, 10 *maii* 1760, § 2.

§ III.

Ecclesia parochialis quoad divisionem, distinctionem et territorium.

Summus Pontifex S. Evaristus, inchoante seculo secundo, mandavit parochiarum divisionem, quæ, licet sub Valeriani persecutione suppressa fuerit, fuit iterum a S. Dionysio in fine tertii seculi expleta, seu verius restituta : *Eug.*, *Jur. par.*, 12 *mart.* 1729, § 1.

Hæc enim divisio per generale decretum fuit a S. Concilio Tridentino ubique locorum præscripta : *Ibid.*

Hoc exemplo et præcepto, omnes fere ecclesiarum Antistites ante vel post Concilium eamdem executioni demandarunt, distinguendo populum in certas propriasque parochias, ac suum perpetuum peculiaremque parochum unicuique assignando, a quo licite sacramenta recipi deberent : *Ibid.*

De origine et divisione parochiarum in provinciis tam orientalibus quam occidentalibus, late disserit Falisacus *de Orig., parœc.*, cap. 4, per tot.; *Ibid.*

Stricti juris est parœciarum divisio, neque facile præsumitur, ubi contraria argumenta non concurrunt; *Egin., Visit. SS. LL.*, 27 *junii* 1789, § 6.

Hujus separationis indicium desumi potest ex impellentibus erectionis curionum causis ; scilicet, ex parochiæ incolarum distantia a parochialibus ecclesiis, itinerumque difficultate : *Ibid.*

His de causis præscribitur parœciarum separatio ; veræque per eam constitutæ censentur distinctæ parœciæ : *Ibid.*

Secundum divisionis indicium est assignatio congruæ, sive ex matricibus, sive a parochiæ incolis pro curionum conservatione : *Ibid.*

Hæc namque veris tribuitur parochis : *Ibid.*

Probata loci distantia, ac impedimentis, præsertim tempore hyberno, alpestrium, præruptarum, pluviis, ac perpetuo gelu horrentium viarum ; ac probata mala et detrimenta quæ evenerunt, et quæ ventura certe sunt, necessariam faciunt ecclesiæ parochialis divisionem : *Nov.*, 23 *nov.* 1765, § 10.

In juris canonici dispositione cautum est, unicuique liberum esse : ubi parochiæ certos fines, certasque domos non habent, parochiam quam lubet eligere : *Macer., Jur. par.*, 14 *mar.* 1778, § 6.

Sancta Synodus, sess. 24, cap. 13, *de Refor.*, voluit ut, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suus perpetuus, peculiarisque parochus assignetur, qui cognoscere fideles valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant : *Fabr., Fon. bap. et Jur. bapt.*, 2 *maii* 1733, § 3 ; *S. Sever., Visit. SS. LL.*, 28 *nov.* 1789, § 6; *Reat., Dism.*, 3 *maii* 1783, § 11.

Divisio antiquæ parochiæ facilius conceditur, quam dismembratio ab unica parochiali ecclesia, novæque parochiæ erectio : *Nov., Div. par.*, 19 *apr.* 1760, § 4.

Posita ecclesiæ angustia, haud inde sequitur ut dividenda sit parochia, quum per novam ædificationem aut ampliationem ecclesiæ possit his difficultatibus occurri : *Fir., Er.*, 18 *aug.* 1787, § 9.

Ecclesiarum parochialium dismembratio vel divisio permittitur ob maximam locorum distantiam asperitatem viarum, ob prægelidos ac præruptos montes, et iter periculi plenum : *Der., Dism.*, 2 *jun.* 1764, § 3.

Alex. III admisit causam, quando villa perhibetur ab ecclesia parochiali in tantum distare ut tempore hyemali, cum pluviæ inundant, non possint parochiæ incolæ sine magna difficultate ipsam adire : *Pis.*, 19 *apr.* 1766, § 7.

Idem confirmavit Concilium Trid., sess. 21, cap. 4, ut ad dictam sanctionem novæ parochiæ erigantur etiam invitis rectoribus : *Ibid.*, § 8.

Et si nulli irrogetur injuria, si nullius detrimentum subversetur, utilius est plures quam unum habere parochos qui populum doceant ac salutem ejus curent : *Ibid.*, § 11.

Ac licet per capellanum provideri posset populo, attamen, si fieri potest, melius consuletur per parochum : *Ibid.*, § 12.

Quia ille mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus ; *Ibid.*

In divisione limitum pro exercitio curæ animarum, ratione matricitatis, ecclesiæ cathedrali dignior pars est assignanda : *And.*, 11 *sept.* 1762, § 11.

Parochiarum divisio facienda est certis limitibus, certoque assignato populo, circumscripta : *Cam., Par.*, 16 *maii* 1778, § 5.

Ex decreto Tridentini sess. 24, cap. 9, *de Refor.*, diœceses et parochiæ distinctæ debent esse, ut suarum ovium curam habeant : *Frisin., Per. seu Un.*, 18 *junii* 1735, § 5.

Divisio ecclesiarum parochialium diœcesis est intelligenda juxta statum præsentem, haud commensuranda ad statum antiquum : *Andr.*, 23 *apr.* 1763, § 2.

Ecclesiæ parochialis divisio ecclesiasticis legibus est odiosa : *Der., Distr.* 14 *dec.* 1765, § 15.

Nec aliter permittenda, nisi duo simul intercedant, nempe absoluta necessitas, ac utilitas; et quod nonnisi per divisionem oppressis provideri valeat : *Ibid.*

Parochialis ecclesia S. Leuci de Atissa intra fines Theatinæ diœceseos sita reperitur : *Theat. seu M. Alt., Jur.*, 11 *mar.* 1702.

Divisio atque separatio ecclesiarum remedium est subsidiarium, cui locus esse nequit, nisi ex defectu aliorum Ordinariorum : *Aquil., Dism.*, 25 *jan.* 1744, § 6.

Præcipuum argumentum ad probandam subjectionem populi erga parœciam est vehemens juris præsumptio, quod unusquisque locus illi subsit parœciæ cui vicinior apparet : *Carp.*, 26 *jan.* 1743, § 9.

§ IV.

Ecclesia parochialis quoad materialem reædificationem et restaurationem.

Potius est reparanda ecclesia quam demolienda : *Cam.*, 18 *nov.* 1797, § 15.

Non est probanda necessitas præcisa reædificandi ecclesiam parochialem, si res sit de parocho volente illam reædificare : *Cæsen.*, *Reæd. eccl. par.*, 24 *mar.* 1755, § 2.

Ad perficiendum opus ecclesiæ parochialis, adhibenda sunt remedia Concilii Trid., sess. 21, cap. 7, præscripta : *S. Min.*, 20 *sept.* 1794, § 4.

Ecclesia parochialis, si sit angusta ob incrementum populi, amplianda venit et reædificanda. *Null. seu Non.*, *Reæd. eccl. par.*, 16 *maii* 1778, § 2.

In restaurationem seu novam constructionem ecclesiæ, primum fructus et proventus ad eam pertinentes erogari debent : *Ibid.*, § 3.

Casu quo non sufficiant, supplere tenentur ii qui aliquos fructus ex ea percipiunt : *Ibid.*

Et in illorum defectum tenentur parochiæ incolæ : *Ibid.*

Qui si egestate laborent, tunc ad matrices et viciniores ecclesias est recurrendum ; et ille etiam in profanos usus converti possunt : *Ibid.*

Pro ædificatione ecclesiæ, ejusque cultu, certa dos assignanda venit : *Ibid.*, § 5.

Ecclesiæ parochialis ædificatio est opus longe magis pium quam subsidia dotalia : *Am.*, 24 *nov.* 1764, § 17.

Præsertim si jam cœptum ædificium sit : *Ibid.*, § 18.

Ecclesiæ parochiales si collapsæ sint, primo restaurari debent ex fructibus ac proventibus ad eas quomodolibet pertinentibus : *Ibid.*, § 21 ; *Viter.*, *Cens.*, 4 *apr.* 1767, § 7.

Si vero reditus non fuerint sufficientes, tunc tenentur omnes patroni qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt : *Ibid.*

Et in eorum defectum cogendi sunt omnes parochiæ incolæ qualibet appellatione, exemptione, et contradictione remota : *Ibid.*

Si vero nimia egestate laborent, tunc profananda est ecclesia non ad usus sordidos, erecta tamen ibi cruce : *Ibid.*

Pro constructione parochialis ecclesiæ etiam legata pia in causam onerum Missarum relicta, aliquando convertenda sunt : *Ibid.*, § 23.

Et revera in Tridentino, sess. 21, cap. 7, mandatur ut Ordinarii ecclesias parochiales collapsas, etiamsi jurispatronatus sint, restaurari curent ex fructibus ad ecclesias easdem quomodocumque spectantibus : *Im.*, *Rest. eccl. par.*, 16 *aug.* 1783, § 7 ; *Fir.*, *On. Mis.*, 23 *nov.* 1782, § 5 ; *Aux.*, 18 *maii* 1765, § 11 ; *Luc.*, 31 *maii* 1766, § 13 ; *Am.*, 26 *aug* 1769, § 9 ; *Spir.*, *Reæd. eccl.*, 16 *sept.* 1769, § 10 ; *Terr. et Set.*, 7 *mar.* 1769, § 6.

Et si non sint sufficientes, cogant patronos et alios qui ex dictis ecclesiis aliquos fructus percipiunt, atque, in illorum defectum, parochiæ incolas : *Ibid.*

Certum est quod ad ecclesiæ restaurationem et reparationem ii omnes contribuere teneantur, qui beneficia etiam simplicia in ea obtinent : *Ibid.*, § 6.

Ad ecclesiarum reparationem cogendi sunt rectores dummodo prius deducantur necessaria ad eorum conservationem : *Ibid.*, § 7.

Nonnulli doctores tenent, quod ob necessitatem construendi novam ecclesiam, si alia desint remedia, possint in illius fabricam applicari legata pia Missarum : *Ibid.*

Quoties de restauratione agitur ecclesiæ parochialis, ante omnia inquirendum est, habeat ne aliquam dotem in eum finem assignatam : *Alb.*, *Æd. eccl. par.*, 20 *jan.* 1787, § 4.

Testis autem est episcopus, nedum hanc dotem in casu deesse, sed etiam quod populus ad ecclesiæ manutentionem ac provisionem annuatim teneatur : *Ibid.*

Et quærendum est, num reditibus ecclesiæ supplere valeat rector, vel an alia adsint in eadem ecclesia erecta beneficia : *Ibid.*, § 5.

Deinde ad populum deveniendum est : *Ibid.*, § 6.

Qui parochiales habent ecclesias, ad reparationem et institutionem ecclesiarum cogi debent : *Fir.*, *Comp.*, 21 *apr.* 1787, § 4.

Restaurationis onere rectores, bonorum ecclesiæ reditus percipientes gravari debent : *Brict.*, 18 *aug.* 1787, § 3.

Onus restaurandi rimosam ecclesiam, eique domum adnexam, vel etiam contritam reficiendi, pertinet ad decimatores, ubi nullus adest ecclesiæ patronus : *Fir.*, 17 *aug.* 1776, § 11.

Sanctio Concilii Tridentini, sess. 21, cap. 7, *de Ref.*, præscribit patronum primo loco teneri ad reparationem et reædificationem ecclesiæ ædiumque parochialium : *Ibid.*, § 13.

Patrono egestate laborante, teneri parochiæ incolas, qui remediis omnibus opportunis cogendi sunt : *Ibid.*

Propterea inspecta dispositione citata Concilii Trid. doctores certos gradus constituunt, ut scilicet prius ecclesia restaurari debeat ex peculiaribus

reditibus pro fabrica destinatis : *Nep.*, *Rest. eccl.*, 28 *aug.* 1773, § 15 ; 31 *aug.* 1771, § 16.

His deficientibus, hujusmodi onus iis inhæreat qui, ex constitutione aliqua, vel statuto, vel ex veteri constantique consuetudine, ad id tenentur : *Ibid.*

Tertio loco, adigatur parochus ex fructibus qui parochiali beneficio supersunt ; præsertim, si ejusdem ecclesiæ pingues sint reditus : *Ibid.* : et *Arim.*, *Eccl. par.*, 24 *nov.* 1792, § 3.

Postea ceteri omnes qui in parochiali ecclesia beneficia possident : *Ibid.*

Deinde huic oneri subjicientur patroni, si patronatum retinere velint, et tandem populus, sive parochiæ incolæ : *Ibid.*

Quod si parochiæ incolæ sint pauperes et pecunias subministrare nequeant, saltem ad manuales operas in fabricam ecclesiæ conferendas excitari debent : *Nep.*, *Rest. eccl.*, 31 *aug.* 1771, § 16.

At onus restaurationis, deficientibus fabricæ reditibus, præcipue inhæret parocho, tum ratione spiritualis conjugii, tum quia fructus ex ecclesia percipit : *Nep.*, *Rest. eccl.*, 28 *aug*, 1773, § 3.

Nec hujusmodi onus evadere potest parochus, nisi in dubiis documentis parochialem redituum insufficientiam probaverit : *Ibid.*

Compertum est inter fructus et proventus ad ecclesias parochiales quomodocumque pertinentes, computari decimas si nulla dos ecclesiæ assignata fuerit : *Spir.*, *Reæd. eccl.*, 31 *mar.* 1770, § 6.

Et ecclesia matrix eximi non potest a subministratione saltem decimarum pro ecclesiæ dismembratæ reædificatione : *Ibid.*, § 7.

Atque ratio est, quia decimæ non tantum ad ministrorum Dei alimoniam, sed et ad ecclesiarum conservationem sunt ordinatæ : *Ibid.*

Cum unio parochialis secuta fuerit dismembrationem alterius parochiæ, decimandi jus ad ecclesiam matricem transit cum onere fixo reædificationis ecclesiæ dismembratæ : *Ibid.*, § 9.

Præsertim si adsit juris præscripto consona consuetudo, quæ consuetudo jus certissimum constituit, et est præ omnibus in hac materia attendenda : *Ibid.*

Insuper, si dicatur esse communitas pauperrima, ac proinde forsan contraria consuetudo inolevisset, omnino posthabenda est : *Ibid.*

Sedulo curandum est ut parochiales ecclesiæ, vel temporum injuria, vel vetustate collabentes, summa cura et diligentia reficiantur : *Tud.*, *Rest. dom. par.*, 21 *nov.* 1772, § 3.

Et Concilium Trid. omnes indigitavit qui, in defectum parochialium redituum, restaurationis onus subire debeant : *Ibid.*

Imo, si vetus et certa consuetudo afferatur, ob quam privati aliqui cives expensas facere cogantur, tunc ea consuetudo vim legis habere ac retinere debet : *Ibid.*, § 6.

In defectu fructuum ecclesiæ, beneficiati ac capellani, qui fructus ex ecclesia percipiunt, ad ejus instaurationem concurrere debent : *Vel.*, *Sus. mis.*, 5 *junii* 1790, § 4.

Taxa eorum congruæ, debet esse fructuum quarta pars, vel etiam tertia : *Ibid.*, § 5.

Ab ea tamen immunes sunt qui curam animarum gerunt : *Ibid.*

Ob redituum tenuitatem, congruæ conservationi longe imparem, parochus nullo jure cogi potest ad ecclesiæ restaurationem, sed adigendi sunt parochiæ incolæ, qui in ea sacramenta percipiunt : *Cam.*, *Rest.*, 17 *dec.* 1768, § 10.

Et parochiæ incolæ tum ex juris censura, tum ex perenni ac universali consuetudine cogendi sunt ad reparandam tum ecclesiam, tum etiam domum parochialem ruinosam, cum idem de ecclesia et de domo parochiali semper esse debeat judicium : *Ibid.*, § 11.

Aliis deficientibus mediis, succurritur pauperi parochiæ pro dicta restauratione per applicationem legatorum : *Ferr.*, *App.*, 27 *aug.* 1796, § 8.

Applicationis requisita sunt utilitas, et ecclesiæ necessitas ; ac consensus eorum quorum interest : *Ibid.*, § 9.

Quando ad reparandam ecclesiam parochialem adigenda est communitas, sive universus populus, qui sacramenta percipit, non tantum ad reparationem ecclesiæ tenetur, sed etiam sacrarii, domus parochialis, pavimenti quali parochiani utuntur, et turris sacræ, quæ illorum commodo inservit : *Nep.*, *Rest. eccl.*, 31 *aug.* 1771, § 5.

Et illi qui fructus percipiunt ab eadem ecclesia tenentur pro rata parte tantum quæ deductis alimentis supersit : *Ibid.*, § 3.

Nomine redituum ecclesiæ, quibus facienda est reparatio ecclesiæ parochialis nedum illi fabricæ, sed alii etiam recensentur rectoris, qui secundum inter obligatos locum tenet : *Bon.*, 17 *dec.* 1791, § 6.

Nam ante alios, restaurationis onus incumbit parocho seu rectori : *Cam.*, *Rest.*, 17 *dec.* 1768, § 3.

Præsertim, si præscripto juris consona sit, inveterata, perennis, ac universalis sit consuetudo, a qua nefas est recedere : *Ibid.*

Non obstat aliquando parochiæ incolas contribuisse ad ecclesiæ reparationem, si id sponte ac liberaliter fecerunt ; cum ex ea liberali contribuione nulla orta sit consuetudo, unde onus parocho proprium in parochiæ incolas esset transferendum : *Ibid.*, § 4.

Parochi, qui conciliarem non habent congruam, ad ecclesiæ parochialis reparationem non tenentur : *Aux., Rest. eccl. par.*, 5 *aug.* 1719.

Tunc autem parochi, instar omnium aliorum beneficiatorum ad suæ ecclesiæ restaurationem tenentur, si præter congruam et honestam conservationem, alios ex parochia percipiant reditus : *Ibid.*

Si ecclesia parochialis est alicui monasterio unita, vel aliter commendata, vel sub cura habituali alterius, onus restaurandi pertinet ad parochum habitualem, qui reditus ecclesiæ percipit, non vero ad vicarium, seu curatum actualem deputatum cum sola congrua, tanquam stipendium sui laboris : *Sor., Rest. eccl. par.*, 13 *aug.* 1729, § 5.

Quum onus restaurationis ecclesiæ parochialis agnitum fuerit anteactis temporibus incumbens parochiæ incolis; id ipsum servari in ecclesiis loci, tam diutinæ ac universali consuetudini standum est : *Cam., Rest.*, 17 *dec.* 1768, § 8.

Nec id grave esse debet ipsis parochiæ incolis qui exempti sunt a quolibet decimarum onere, sive prædialium, sive sacramentalium : *Ibid.*

Parochus cogendus est ad integram ecclesiæ restaurationem, quia ecclesia nonnisi per diutinam ac supinam ipsius negligentiam in pessimum statum redacta est : *Ibid.*, § 6.

Parochiæ incolæ quum maxima paupertate premantur, cogi non possunt ad onus restaurationis ferendum : *Ibid.*

Reparatio ecclesiæ parochialis quæ est etiam simplex collegiata, vel parocho, vel iis qui in ea obtinent beneficia, incumbere debet : *Null. seu Sub., Rep. eccl.*, 11 *julii* 1750, § 3.

Nec compelli possunt patroni qui reditus congruos pro dote beneficiorum assignarunt, sed ecclesiæ rectores ad illorum reparationem convertere neglexerunt : *Ibid.*

Alio transferri non debent munia parochialia, si parochialis reparari valeat ecclesia : *Sars., Trans. eccl. par.*, 31 *julii* 1790, § 5.

Ne ea quæ sacris ministeriis dicata sunt temporum injuria obsolescant : *Ibid.*

Ecclesiam reparare tenetur parochus de bonis quæ sunt ipsius ecclesiæ, si ei supersint; et si pares non sint, illius beneficiati; ultimoque parochiæ incolæ : *Ibid.*

Exceptis parochiæ incolis pauperibus : *Im., Rest.*, 16 *maii* 1795, § 5.

Parochiæ incolarum nomine, exteri quoque confluentes intelliguntur : *Ibid.*

Et licet taxatio eorum sit onus reale infixum bonis, eosque afficere videtur, qui possident jure suo : *Ibid.*, § 6.

Nam colonorum possessio est precaria, et a domino retineri censetur : *Ibid.*

Licet ea collecta bonis imponatur, debetur tamen ratione fructuum : *Ibid.*

§ V.

Ecclesia parochialis quomodo probetur.

Parochialis qualitas in Ecclesia non præsumitur, sed est ab allegante probanda : *Const., Jur. par. et Exemp.*, 18 *dec.* 1762, § 1.

Nec parochialitatem ecclesiæ commendæ Hierosolymitanæ probat jus sepeliendi et administrandi sacramenta familiaribus : *Ibid.*

Ad constituendam parochiam requiruntur saltem familiæ : *Ibid.*, § 2.

Et in casu diminuti numeri familiarum locus est unioni : *Ibid.*

Qualitas parochialitatis probetur ex signis et argumentis : *Ven.*, 25 *jun.* 1763, § 4.

Non tamen probatur per solum exercitium curæ, quod potest expleri etiam in capella vel ecclesia coadjutrice : *Ibid.*, § 7.

Parochialis ecclesia vera dicitur illa quæ, congrue dotata, habet distinctum populum et finibus separatum : *Cæs., Fon. bap.*, 15 *jan.* 1780, § 3; *Neap., Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 7.

Cum desierit esse subjecta, imo cum nihil commune habet cum matrice, ac retinet fontem baptismalem : *Ibid.*

Antiquioribus temporibus statutum fuit baptismum in ecclesiis solum cathedralibus conferendum : *Ibid.*, § 4.

Certum est quod, aucto deinceps populo, in parochialibus a cathedralibus ecclesiis sejunctis distinctus fons baptismalis extrui cœperit : *Ibid.*

Et solum a parochis tanquam Episcoporum vicariis et coadjutoribus ministrari baptisma infantibus; vetitum fuerit in ecclesiis filialibus illud conferre : *Ibid.*

Onera quibus erga matrices ecclesias earumque rectores gravantur parochiæ incolæ signa sunt honoris; et parochialem qualitatem fortasse in ecclesiis filialibus confirmant : *Egin., Visit. SS. LL.*, 27 *junii* 1789, § 7.

Etiamsi ecclesiæ parochiales amovibiles olim fuerint, nihilominus qualitas perpetuitatis per annos supra centum servata, illarum qualitatem et statum immutavit : cum ad immutandum statum beneficii, lapsus annorum tantum 40 sufficiat : *Eug., Jurisd.*, 7 *aug.* 1773, § 4.

Excluditur qualitas parochialis, quando exequiæ parochianorum in cathedrali et non in aliis ecclesiis peraguntur, quod minime veris parochis liceret : *Ven.*, 25 *jun.* 1763, § 8.

Non obstante una vel altera provisione earum-

dem in titulum, cum provisiones naturam beneficiorum non immutent : *Ibid.*

Dum extinguitur titulus collativus, ac denominatio, natura, et essentia parochialis, ea ecclesia non potest amplius comprehendi sub denominatione parochialis, nec iis dispositionibus subjici quæ ad parochiales ecclesias referuntur; nec primi status qualitas est ulterius attendenda : *Pis.*, 11 *jan.* 1772, § 4.

§ VI.

Ecclesia parochialis quoad suppressionem per subrogationem.

Pugnat inter se, parochos petere posse suppressionem respective parœciæ, et tamen reservare sibi ipsius exercitium jurium in eadem parœcia, perinde ac si illa suppressa minime fuisset : *Ver., Jur. Par., et Præem.*, 9 *aug.* 1777, § 4.

Ut suppressio parochiæ valida fiat, cum hoc tendat ad divini cultus decrementum, requiritur justa et necessaria causa ac solemnitas : *Cam., Par.*, 13 *sept.* 1777, § 5.

Fides adhibenda non est Episcopo supprimenti expressam suppressionis causam, nisi sit eadem concludentissime probata : *Ibid.*, § 6.

Imo requiritur in actu suppressionis assensus capituli cathedralis ecclesiæ, cujus defectu suppressio ipso jure nulla redditur : *Ibid.*, § 7.

Constructio novæ ecclesiæ in locum veteris postulare videtur, ut hæc nova ecclesia vicem omnino gerat antiquæ, eamque repræsentet, tum in titulo, tum in omnibus juribus, et tunc subrogatio fiet : *Burg., Trans. eccl. par.*, 14 *nov.* 1733, § 7.

§ VII.

Ecclesia parochialis quoad translationem.

Translatio ecclesiæ parochialis ac unio beneficii vetita est a Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 13 : *Fir., Trans. et Un.*, 26 *jun.* 1779, § 7.

Permittit Sacrum Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 7, *de Reform.*, pauperum parochialium translationem ad matrices, seu viciniores ecclesias, sed ubi alia desint remedia ibidem designata : *Mar.*, 17 *jun.* 1789, § 5.

Et Bened. XIV in *Inst.* 100 alia remedia proponit ut pauperibus parœciis succurratur : *Ibid.*

De translatione ecclesiarum statuit Concilium Tridentinum ut, si collapsæ refici ac restaurari nequeant ex fructibus earum, ac parochiæ incolarum auxilio, ad matrices seu viciniores ecclesias transferantur : *Lun. seu Sar.*, 14 *apr.* 1764, § 15. *Brict., Trans.*, 14 *dec.* 1782, § 11.

Idcirco quando parochialis ecclesia, aut collapsa, aut fatiscens, restaurari ob inopiam non potest, transferenda est vel ad matricem, vel ad aliam viciniorem ecclesiam : *Burg., Trans. eccl. par.*, 14 *nov.* 1733, § 6.

Non mutatur titulus illius ecclesiæ, ad quam fit translatio, sed in ea erigitur altare vel sacellum sub eodem titulo quo insignita fuit diruta ecclesia : *Ibid.*

Quod si parochialis ecclesia in statu interdicti fuerit, ut provisionalem parochialium munerum translationem in aliam ecclesiam exigeret, nihilominus debet fieri translatio, vel ad matricem ecclesiam, vel ad aliam viciniorem, juxta præscriptum Tridentini Concilii, sess. 21, cap. 7, *de Refor.* : *Fir., Int. et Trans.*, 19 *maii* 1787, § 7.

Potestas tributa Episcopis a Tridentino videtur solum, ubi vetus parochialis ecclesia post ruinam refici nequit ob inopiam eorum qui ad ejus reparationem tenerentur : *Firm., Trans.*, 27 *febr.* 1734, § 3.

Præter hunc casum non potest Episcopus jure suo transferre parochiam, sed a Summo Pontifice facultas est postulanda : *Ibid.*, § 4.

Dum agitur de simplici translatione jurium parochialium tam in spirituale levamen partis populi, quam ratione asperitatis viarum, et incommodi accessus, uti utilis ac necessaria est translatio : *Fulg., Trans. par.*, 16 *mart.* 1782, § 6.

Item ratione decentiæ et commoditatis novæ parochialis ecclesiæ : *Ibid.*

Si ecclesiæ parochiales nimia egestate laborent, ad matrices seu viciniores ecclesias transferri debent; dirutæ autem non in profanos et sordidos usus, erecta cruce, sunt convertendæ : *Com., Trans.*, 19 *julii* 1766, § 12.

Ex sola magna difficultate viarum, ut dixit Alex. III, vel ob magnum incommodum, ut dixit Concilium, sess. 21, cap. 4, non solum ecclesiarum translatio, sed etiam parochiæ incolarum divisio mandata est : *Ibid.*, § 14.

Dum parochiæ incolæ summa egestate laborant, remedium adhibendum est translationis : *Civit. Cast., Trans.*, 12 *jan.* 1760, § 3.

Maxime si adsit longum iter a parochiali ecclesia et impervium, ut difficillimus et valde incommodus pateat ad illam accessus; id plurimum confert ad ecclesiæ parochialis translationem : *Ibid.*

Nulla habenda est ratio de translatione jam sequuta, si illa tantum ex facto processit, non autem ex legitimo Episcopi decreto, quod hactenus allatum non est; et non præcessit legitima parochiæ incolarum citatio omnino requisita : *Ibid.*, § 4.

Translationi parochialis ecclesiæ locus est, quando ecclesia restaurari non potest; vel ratione asperitatis viæ et incommodi accessus ad ecclesiam parochialem; vel ratione illius indecentis formæ : *Civ. Cast., Trans.*, 13 *mar.* 1762, § 5.

Sed prius cogendi sunt ad illam reparandam qui tenentur de jure : *Ibid.*, § 6.

Quando tituli et jurium translatio ex necessitate fiunt, non eximuntur alia a debito filiali erga matrem ecclesiam, quæ eadem semper erit, ut antea fuit : *Com., Trans.*, 19 *jul.* 1766, § 8.

Hic est effectus legitimæ translationis, ut omnia secum perferat, quæ alibi habuerat : *Ibid.*

§ VIII.

Ecclesia parochialis quoad unionem et unionis dissolutionem.

Juxta canones, sicut unire episcopatus, ac potestati subjicere alienæ ecclesiæ ad Summum Pontificem pertinere agnoscebatur, ita Episcopi est ecclesiarum suæ diœcesis unio atque subjectio : *Fir.*, 26 *nov.* 1785, § 11.

Hæc indefinita facultas Episcoporum a Tridentina Synodo circumscripta fuit, certisque limitibus definita, quos Episcopo prætergredi non licet : *Ibid.*, § 12.

Nempe : si de cathedralibus et collegiatis ecclesiis agatur, si de parochiis, si de seminario : *Ibid.*

Et an hæc circumscriptio non solum beneficia, sed pia quoque sodalitia comprehendat, consuli possunt doctores post Concilium Tridentinum : *Ibid.*

Certum est quod, in qualibet unione perficienda, justæ et rationabiles causæ concurrere debeant : *Ibid.*, § 13.

Propterea passim occurrunt rescissarum unionum exempla, ea potissimum de causa, quia necessitas et utilitas præsupposita quidem fuit, reipsa autem nulla : *Ibid.*

Ad consulendum paupertati parochiarum, permittuntur uniones beneficiorum : *Per., Un.*, 17 *jun.* 1786, § 2.

Beneficiorum unionem inter res odiosas recensendam esse, unanimis est canonistarum sententia: *Bas. seu Const., Un.*, 26 *mart.* 1767, § 24.

Ideo nunquam permittitur, nisi ex magna ac necessaria causa : *Ibid.*

Hæc in duobus consistit designatis ab Honorio III, cap. *Exposuisti*, 33, *de Præb.* : evidens necessitas, vel utilitas : *Ibid.*

Quæ Concilium Tridentinum, sess. 7, cap. 6, adversus ecclesiarum et beneficiorum uniones antea factas, non tam utilitatem aut necessitatem ipsarum ecclesiarum, quam personarum magis favorem et commodum respexisse, eas rescidit : *Ibid.*, § 25.

Longe difficilius vero permittitur unio beneficii existentis in una diœcesi cum beneficio alterius diœcesis, ne ecclesiasticus ordo detrimentum aliquod aut perturbationem patiatur : *Ibid.*, § 28.

Tridentina Synodus unionem parochialium fieri posse sancivit, causa paupertatis ecclesiarum, vel ex aliis casibus a jure permissis : *Nov., Un.*, 26 *nov.* 1763, § 5.

Et canonistæ redigunt hos casus ad necessitatem aut evidentem utilitatem : *Ibid.*

Ideo unionis legitima causa est tenuitas et redituum pauperies vel utilitas salutis animarum : *Gnes., Un.*, 15 *sept.* 1764, § 6.

Maxime, si unio tendit ad extinguendas diuturnas lites : *Ibid.*

Unde generaliter causæ omnes unionis reducuntur ad necessitatem, et utilitatem : *Ibid.*, § 12.

At canonistæ volunt ut concurrant duæ causæ, necessitas et utilitas ad uniones concedendas : *Bas. seu Const., Un.*, 26 *maii* 1768, § 3.

Et iniquum est fidem denegare Episcopo, qui a Summo Pontifice interrogatus, beneficiorum unioni assentitur et veras testatur causas quæ ad illam obtinendam proferuntur : *Ibid.*

Unio ecclesiarum parochialium Ordinariis facienda permittitur, ob illarum duntaxat paupertatem, aut in ceteris casibus de jure permissis ex causa necessitatis vel evidentis utilitatis : *Nov., Un.*, 11 *sept.* 1762, § 6.

In sess. 24, cap. 13, *de Refor.*, parochiarum diversarum diœcesium uniones generaliter prohibentur : *Cracov. et Gnes., Un.*, 21 *jan.* 1786, § 5.

Ac canonistæ communi calculo conveniunt esse illas odiosas : *Ibid.*

Accedente consensu Episcopi, in cujus diœcesi parochiæ præexistunt, et concurrente capitulo, quod illarum patronatu potitur, emolliuntur sacri Concilii Tridentini dispositiones : *Ibid.*, § 6.

Hanc materiam potissimum efficit evidens necessitas et utilitas, quæ urgeant fieri unionem : *Ibid.*, § 7.

Ecclesiarum unio tribus modis fieri potest : *Luc., Ap. Mis. pro pop.*, 26 *febr.* 1774, § 7.

Uniuntur ecclesiæ, quando unum corpus ambæ efformant et una ex duabus ecclesiis constituitur : *Ibid.*

Et hæc unio communicationem quoque privilegiorum importat, ita quidem ut de juribus unius ecclesiæ alia quoque particeps evadat : *Ibid.*

Atque in casu quo uniuntur ecclesiæ, servata tamen earum distinctione, sed una superior et principalis, alia autem inferior et accessoria evadit, Ecclesia inferior seu subjecta proprium nomen amittit, et assumit nomen ecclesiæ principalis, cujus privilegiis potitur : *Ibid.*

Sed propria jura non amittit, quin imo illa in ecclesiam superiorem per communicationem transfundit : *Ibid.*

Tridentinum Concilium, sess. 6, cap. 6, *de Reform.*, sanxit, ut uniones quæ deinceps ad alicujus instantiam fient, nisi eas ex legitimis aut alias rationabilibus causis coram loci Ordinario (convocatis quorum interest) verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur, ac propterea nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant : *Firm.*, *Un.*, 23 *febr.* 1782, § 5.

Ideo unica unionis causa, quæ fit ob angustiam ecclesiæ parochialis, non est legitima nec rationabilis, dum justa et rationabilis unionis causa consistere debet in necessitate, aut utilitate Ecclesiæ : *Ibid.*, § 6.

Proinde justa et rationabili causa deficiente, unio viribus destituitur : *Ibid.*

Præsertim deficiente consensu nec convocatis qui vocandi erant, unio prorsus habenda est irrita et invalida : *Ibid.*, § 8.

In unionibus ecclesiarum parochialium nonnulli putant necessarium non esse capituli consensum, ob facultatem a sacro Concilio Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis datam : *Fulg.*, 30 *jan.* 1723, § 4.

Doctores aliqui affirmant parochiæ incolas non esse vocandos in facienda parochialium ecclesiarum unione : *Ibid.*, § ult.

Sed esse tantummodo audiendos, quatenus aliquid relevans adducant : *Cæsen.*, 17 *jul.* 1723, § 6 ; *Jan.*, *Trans. par.*, 29 *jan.* 1724, § 4.

Quoad capituli consensum, nonnulli affirmant esse necessarium : *Cæsen.*, 17 *julii* 1723, § ult.

Sed quæcumque controversia cessat in hypothesi qua ad unionem non proceditur auctoritate ordinaria, sed delegata : *Ibid.*

Juxta famigeratam canonistarum regulam in cap. *Sicut unire*, 8, *de Excess. præl.*, plures parochiæ possunt insimul uniri, aut extinctive, aut subjective, aut æque principaliter : *Alatr.*, 20 *aug.* 1785, § 3.

Et certum videtur quod, si plures parœciæ extinctive uniantur, nulla amplius adsit aut adesse possit obligatio distinctæ applicationis Missæ : *Ibid.*

Et ratio est, quia per dictam unionem una parœcia extinguitur, neque amplius populum et parochum habet : *Ibid.*

Verum si unio subjectiva est, multoque magis si æque principaliter, tunc sicut antiquus populus et antiqua parœcia existunt, ita vigere quoque præceptum debet applicationis Missæ pro populo, quod velut a divino jure descendens explicavit Tridentina Synodus, sess. 24, cap. 1, *de Refor.* : *Ibid.*

Perpetuæ ecclesiarum parochialium uniones propter earum inopiam, inspectis locorum vicinitate, parochiæ incolarum numero, quando unus idemque rector potest illis inservire, ab Episcopo possunt fieri : *Leop.*, *Un.*, 1 *sept.* 1739, § 3.

Decrevit vero Sancta Synodus sess. 21, cap. 5, *de Refor.*, ut Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati possint facere uniones perpetuas quarumcumque ecclesiarum parochialium, et aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, ut curatis et parochianis in eorum paupertate subveniatur : *S. Mar.*, 3 *mar.* 1725.

Ex decreto Concilii Tridentini, sess. 21, cap. 1, *de Reform.*, deprehenditur ut Episcopi tanquam Apostolicæ Sedis delegati possint, non solum ex causa paupertatis, sed etiam aliis de causis, ad unionem parochiarum procedere : *Nep.*, *Un.*, 15 *mar.* 1783, § 10.

Justa autem unionis causa est ecclesiæ necessitas, vel utilitas : *Ibid.*, § 11.

Necessitas autem intercedit, quando ecclesia est destructa : *Ibid.*

Item quando ecclesiæ sunt ita propinquæ ut pauci in una, paucique de populo in altera commorentur : *Ibid.*

Verum ad decernendum duarum parochiarum unionem ex deficientia populi unius parochiæ, præstat præ oculis habere, quæ constituta sunt in cap. *Unio*, 3, caus. 10, quæs. 3 : *Ibid.*, § 11.

Episcopi uti Sedis Apostolicæ delegati habent in casibus distantiæ, vel egestatis, facultatem non solum uniendi parochiales ecclesias, dum opus est, sed etiam destruendi ac profanandi quascumque, erecta in loco cruce, omneque jus ad viciniorem transferendi : *Com.*, *Trans.*, 19 *julii* 1766, § 4.

Uniones sunt interpretandæ de unione accessoria et quoad temporalia tantum, quæ perpetuitatem parochiarum non immutat : *Aug.*, *Par.*, 10 *maii* 1760, § 4.

Unio ecclesiæ *æque principalis* conservat omnia jura, privilegia, et bona : *Fir.*, 16 *mar.* 1793, § 10.

Extrema parochiæ incolarum, ac ecclesiæ parochialis inopia, reddit unionem legitimam simplicis beneficii, in favorem novæ parochialis occasione dismembrationis : *Arim.*, *Dism.*, 26 *mar.* 1763, § 5.

Unio ecclesiarum parochialium plenarie et subjective præsumitur orta ex decursu temporis fere

duorum seculorum : *Const.*, 30 *maii* 1761, § 7.

Synodus Tridentina sess. 24, cap. 13, *de Refor.*, præcepit ut, in unionibus quibuslibet, ecclesiæ parochiales monasteriis, abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisque non uniantur : *Crac.*, *Un.*, 5 *dec.* 1739, § 2; *Ast.*, *Un.*, 11 *apr.* 1739, § 4; *Aur.*, *Un.*, 2 *dec.* 1724; *Zamoren.*, *Un.*, 29 *mar.* 1738, § 3; *Gnes.*, *Un.*, 15 *sept.* 1764, § 13.

Sed concilium ibidem non prohibuit explicite uniones parochialium fieri monasteriis, collegiis, aut aliis piis locis, quæ super iisdem parochialibus patronatu potiuntur : *Ibid.* ; et cit. *Zam.*

Parochialium vero ecclesiarum uniones, quæ fiunt pro fundatione, dotatione, incremento, vel conservatione collegiorum, et aliorum piorum locorum, ad fidei catholicæ defensionem, et propagationem, et bonarum artium cultum a superius relata Tridentini sanctione excipiuntur : *Ibid.*; *Colon.*, 7 *junii* 1727, § ult.

Et uniones ecclesiæ parochialis in aliena diœcesi sitæ, in favorem monasterii, adversantur non solum prædictæ Tridentini dispositioni, sed etiam alteri decreto, sess. 14, cap. 9, quo beneficia unius diœcesis beneficio, monasterio, seu collegio, aut loco pio uniri : *Bas. seu Const.*, *Un.*, 26 *mar.* 1768, § 12.

Nec obest, non peti unionem tantum redituum ecclesiæ parochialis : *Ibid.*, § 13.

Nam decreto Tridentini non solum prohibetur effectiva unio, quæ omnimodam tituli extinctionem importet, sed etiam unio redituum diminutionem præ se ferens, ut proinde vi ejusdem decreti, nulla pars fructuum, quantumvis minima, in præjudicium ecclesiæ parochialis uniri permittatur : *Ibid.*

Et decretum, sess. 14, cap. 9, Concilii excludit omnes causas, quæ impellere possent ad unionem peragendam : *Ibid.*, § 14.

Quia in his interdicitur unio quibuscumque de causis : *Ibid.*

Per decretum, sess. 24, cap. 13, minime prohibetur, quominus fructus unius, alteri ecclesiæ parochiali uniantur : *Ibid.*, § 9.

Prohibetur duntaxat, quominus monasteriis, collegiis, et hospitalibus addicatur pars ulla fructuum ecclesiæ parochialis, cujus titulus perseverat intactus : *Ibid.*

Dum agatur de monasterio ad egestatem redacto, ex jure est, ut subsidium præstetur per unionem ecclesiæ parochialis : *Ibid.*

Et dum agitur de unione erga collegium apprime utile, pro fidei catholicæ defensione, ac propagatione bonarumque artium cultura, in his circumstantiis, omnes approbant unionem ecclesiæ parochialis : *Ibid.*

Nec obest alterum decretum Concilii Tridentini sess. 14, cap. 9, in quo cavetur, ne beneficia unius diœcesis, alterius diœcesis beneficiis uniantur : *Ibid.*, § 10.

Illud aufert quidem Episcopis arbitrium ejusmodi unionum, non tamen obstat, quin decernatur suprema sanctæ Sedis auctoritate : *Ibid.*

Sacrum Concilium uniones prohibet, ne ordo ecclesiasticus confundatur, aut una et eadem ecclesia quocumque modo duarum diœcesium fiat : *Ibid.*

De unione vero, qua pristinus ecclesiæ uniendæ servatur status, ac proprius parochus relinquitur, immerito fingitur aliqua ecclesiastici ordinis confusio, seu perturbatio : *Ibid.*

Unio ecclesiæ parochialis subjective facta monasterio, tanquam justa causa, sed necessario patroni consensu destituta, omnino irrita et invalida reputatur : *Frisin.*, *Perm.*, 18 *junii* 1735, § 4.

Et adversatur sanctioni Tridentini Concilii, sess. 24, cap. 13, *de Refor.*, qua in unionibus faciendis, ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis simplicibus beneficiis, aut hospitalibus, militiisve prohibentur uniri : *Ibid.*, § 5.

Parochiales fuisse dudum unitas monasterio, comprobatur ex antiquis Episcoporum enunciativis, præsertim si confirmatæ fuerunt a Legato Apostolico dictæ uniones tunc non indigent ampliori probatione : *Aug.*, *Par.*, 10 *maii* 1760, § 7.

Eadem confirmatio non potest intelligi de unione accessoria, sed præ se fert unionem plenariam et subjectivam, quum comprehenditur his verbis *unimus, annectimus, et incorporamus*, cum facultate convertendi fructus in usum monasterii : *Ibid.*

Dum in instrumentis occurrit solum mentio de jurepatronatus, hæc expressio excludere videtur plenariam parochiarum monasterio : *Ibid.*, § 6.

Subjectiva unio ecclesiarum parochialium monasterio facta excluditur, quoties ea clare ex bullis unionis non evincitur : *Ful.*, *Jur.*, 15 *dec.* 1736, § 3.

Et tametsi subjectiva earum unio probaretur, oportet ad earum collationem concursum indicere : *Ibid.*, § 5.

Jurgia non sunt causæ unionis ecclesiarum parochialium, quando probationes allatæ non sunt, et non constat quin alio remedio illa impediri nequeant : *Nov.*, *Un.*, 4 *sept.* 1762, § 7.

Licet ad validitatem unionis necessarius non sit consensus populi, spernendus tamen non est illius dissensus, quando est rationabilis : *Ibid.*

Unio subjectiva excluditur hisce signis : nempe 1° si in pluribus actis fuerit expressum, parochiam per obitum parochi vacasse; 2° si eadem parochialis

ecclesia tanquam vacans, in titulum fuerit collata ; 3° si omnes fructus in congruam eorum, qui ibi animarum curam exercuerunt conversi fuerunt, nullaque appareat eorum portio capitulo reservata : *Valv.*, *Par.*, 6 *sept.* 1741, § 5.

Facilis et plana est parochiarum dissolutio, statim ac constat, sive cessasse causas, quæ unionem consuluerunt, sive novas accessisse causas quæ dissolutionem exigant : *Plac.*, *Div. par. unit*, 10 *sept.* 1785, § 8.

Dissolutioni locus est, si agatur veluti de justissima lege quæ, societatibus dissolutis, jubet reddi unicuique suum : *Ibid.*, § 11.

Si adsit unius parochiæ paupertas, tunc videtur obstare dispositio Tridentina, sess. 21, cap. 5, in fin. : *Ibid.*, § 12.

Mutato rerum statu, videtur justa unionis ecclesiarum dissolutio : *Pap.*, *Dis. un.*, 3 *mar.* 1787, § 5.

Potissimum inspecta populi frequentia, qui nonnihil distractum videtur, si parochi proprii honore fraudetur, quo vicissim in antiquo rerum statu non indecore carere poterat : *Ibid.*

Animadvertendum est, si unionis dissolutio necessaria postuletur, ad comparandum simplicem proprii parochi honorem, quem invido forsan animo populus appetit, cum gravi dedecore regularium, qui non sine aliqua turpitudinis nota parochia privarentur : *Ibid.*

Ecclesia receptitia.

Servitium statutarium in ecclesia receptitia non pertinet ad titulum participationis, ad quam jus acquiritur per solam aggregationem : *Nul. Can.*, *Par.*, 25 *junii* 1763, § 4.

Sed referendum est ad obsequium ab ordinandis præstandum, per temporum intervalla, propriæ ecclesiæ ex præscripto Tridentino sess. 23, cap. 11, 12, 13, *de Refor.* : *Ibid.*

Ideoque suppletur per studium sacrarum Litterarum, ut volente Episcopo, pro clericis degentibus in seminario, vel publica universitate, et pro diaconis in seminario, vel convictu ecclesiastico commorantibus pars fructuum convertatur : *Ibid.*

Et ratio est etiam habenda in ecclesiis receptitiis, ac etiam cathedralibus et collegiatis, quarum canonici pro inservientibus habentur, dum sacras Litteras docent, vel addiscunt : *Ibid.*

Idcirco in ecclesiis etiam receptitiis, tempus moræ in seminario pro sacris Litteris condiscendis computandum est in præstitutis annis servitii : *Ibid.*

Et ad hunc effectum sufficit licentia Ordinarii : *Ibid.*

Ex quo in aliqua ecclesia, si aliquando constituatur certus numerus clericorum participantium de ipsius proventibus, non eo ipso inducitur qualitas ecclesiæ numeratæ, nisi una simul caveatur non esse recipiendos alios supra numerum : *Ter.*, 12 *aug.* 1741, § 4.

In ecclesia non numerata, jus participandi fructus non est beneficium, nec proinde opus est approbatione, sive confirmatione Episcopi, ut quis ad participationem admittatur : *Ibid.*

Et quando, juxta incrementum et decrementum redituum, imminutus aut auctus est numerus participantium, judicium est manifestum ecclesiæ non numeratæ : *Ibid.*

Ecclesiæ concathedrales. Vide *Episcopus*, § ix.

Ecclesiæ bonorum alienatio. Vide *Alienatio*.

Ecclesiæ Romanæ Cardinalis. Vide *Cardinalis Ecclesiæ Romanæ*.

Ecclesiastica beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*.

Ecclesiastica bona. Vide *Bona ecclesiastica*.

Ecclesiastica emphyteusis. Vide *Emphyteusis ecclesiastica*.

Ecclesiastica hierarchia. Vide *Hierarchia ecclesiastica*.

Ecclesiastica pensio. Vide *Pensio ecclesiastica*.

Ecclesiasticæ causæ. Vide *Causæ*, § iv.

Ecclesiasticæ dignitates. Vide *Dignitates ecclesiasticæ*.

Ecclesiasticæ functiones. Vide *Functiones ecclesiasticæ*.

Ecclesiasticæ personæ. Vide *Clerici*.

Ecclesiasticæ pœnæ. Vide *Censuræ*.

Ecclesiastici. Vide *Clerici*.

Ecclesiasticorum societas. Vide *Societas ecclesiasticorum*.

Ecclesiasticum capitulum. Vide *Capitulum ecclesiasticum*.

Ecclesiasticum spolium. Vide *Spolium ecclesiasticum*.

Ecclesiasticus judex. Vide *Judex*, § iii.

Edictum. Vide *Concursus*, § v ; *Emphyteusis*, § xii.

Egens. Vide *Pauper*.

Ejectio. Vide *Regulares*, § v.

Electio.

§ I.

Electio in genere.

Non potest præpediri canonicæ electionis institutio, cum tempore habili productus fuerit actus ejusdem coram vicario generali, qui illum admisit,

ut proinde nominatio hujusmodi vim veræ et perfectæ præsentationis acquisierit : *Com., Ben.*, 28 *julii* 1770, § 7.

Nec amplius possunt patroni tollere jus ad beneficium jam plene quæsitum : *Ibid.*

Recusatio populi ad electionem ecclesiæ parochialis quanti sit æstimanda, quamque animadversionem mereri debeat, post datas litteras apostolicas inquiri debet : *Aquin., Par.*, 19 *jan.* 1765, § 11.

Major numerus in electione despiciendus est, ubi illorum gestis pauciores saniori consilio resistere comperiuntur : *Leod., Visit.*, 22 *jan.* 1763, § 9.

Posita caducitate, purificatur casus electionis alterius familiæ, quæ etiam ex voluntate testatoris pendebat : *Ferr., Hær.*, 15 *jan.* 1791, § 4.

Attenta est electio, pendente recursu ad S. Congr. Concilii : *Ibid.*

Facultas electionis pendens a conditione, ante illius purificationem exerceri non potest : *Ibid.*

§ II.

Electio a quibus fieri debeat.

Absens a loco electionis, et moram ducens in loco a quo potest avocari, si justo impedimento detineatur, constituere valet procuratorem, qui suo nomine suffragium ferat in electione; dummodo impedimentum juramento probet, et vices suas uni de collegio committat : *Fulg.*, 30 *sept.* 1719, § 3.

Non solum in electione, sed in aliis etiam negotiis capitularibus idem hoc facere potest : *Ibid.*

Res est plena periculi, si magnum electionis canonicorum negotium, vulgo permitteretur : *Fir.*, 19 *jun.* 1790, § 10.

Et hac de causa electiones magistratuum, aliaque graviora populi Romani negotia expediri solebant per centurias, seu *primores cives* : *Ibid.*

Qualitates eligendorum, a solis electoribus examinandæ et ponderandæ sunt; quin alii, ad quos electio non spectat, de defectu qualitatum excipere valeant : *Fan., Leg.*, 23 *nov.* 1771, § 6.

Dum electores omnibus perpensis, ac perscrutatis aliquem renunciarunt idoneum, non possunt alii ad quos electio non spectat, de defectu qualitatum excipere : *Ibid.*, § 3.

§ III.

Electio quomodo et ubi fieri debeat, et de tempore electionis.

Præelectio per sortes facta sustinetur, quando facta est cum debitis requisitis, et inter personas æqualis meriti : *Asc.*, 20 *dec.* 1727, § 4.

Præelectio per sortes, alia est divinatoria, per quam inquiritur quid sit futurum; alia est divisoria, per quam inquiritur quid cui sit exhibendum; et alia consultoria, per quam inquiritur quid sit agendum emergente aliqua necessitate : *Ibid.*, § 5.

Implorato prius auxilio divino, licitum est habere recursum ad sortem consultoriam, quum sors non sit aliquid mali, sed quod in dubitatione humana res est divinam indicans voluntatem : *Ibid.*

Si quæstio est inter sacerdotes quis eorum fugere debeat tempore persecutionis, ne omnium fuga deseratur ecclesia, id sorte dirimi poterit : *Ibid.*, § 6.

Item si duo æque indigentes alicui occurrant, et quod præstari potest, dividi non possit; sorte poterit, cui ex duobus illud sit retribuendum : *Ibid.*

Theologi licitum admittunt usum sortis consultoriæ, si in communi periculo naufragii nonnulli ex navi in mare sint projiciendi : *Ibid.*, § 6.

Item si plures in militia digni sint morte propter crimen commissum, et non expediat omnes morte mulctari : *Ibid.*

Quod autem ad dignitates et ecclesiastica beneficia juxta præsentem disciplinam attinet, recepta in foro sententia est, sortis judicium esse de genere prohibitorum : *Ibid.*, § 7.

Hæc generalis prohibitio comprehendit etiam casum in quo sors adhibita fuisset, vel adhiberetur inter æqualis meriti personas : *Ibid.*

Electio per sortes vetita est a sacris canonibus : *Im., Distr.*, 9 *maii* 1772, § 2.

Fortius, si electio fuerit et extractio contra formam ab Ecclesiæ statutis præscriptam, nonnullis nempe vocatis, nec in urnam positis : *Ibid.*

Quando nullum a testatore factum est verbum circa electionem, tunc electa dicitur puella, quæ suffragiorum medietatem uno tantum calculo superaverit, et e contra exclusa dici debet, quæ majorum suffragiorum partem non habuit : *Præn., Sub. dot.*, 18 *jan.* 1744.

Locus electionis non est de substantia : *Cerv.*, 17 *apr.* 1790, § 8.

Nec usquam reperitur jus proditum, quod propter locum electio vitiata fuerit : *Ibid.*

Locus electionis quum non sit de substantia, illius variatio nullitatem inducere nequit : *Ibid.*, § 15; *Vit., Jur. el.*, 4 *apr.* 1767.

§ IV.

Electio quoad jus, seu jus et facultas eligendi.

Electo ad aliquem gradum satis est probare eligentem in quasi possessione reperiri, quamvis non probet jus eligendi ad eumdem revera spectasse : *Tol., Can.*, 16 *dec.*. 1769, § 15.

Et id sufficit etiam in beneficiis, quæ sint de jurepatronatus, ad validitatem electionis : *Ibid.*

§ V.

Electio quando præsumatur canonica, vel non, et de ejus validitate et invaliditate.

Irrita est electio, ad quam omnes vocati non sint electores : *Tud.*, 15 *sept.* 1792, § 2.

Post legitimam tamen omnium interpellationem, consolidatur jus eligentis in congregatos : *Ibid.*, § 5.

Et tunc solum aliquorum electorum contemptus electionem vitiat, quando ea excipiunt : *Ibid.*

Valet electio per vivam vocem facta ex litterali textu in cap. *Qua propter, de Elect.* : *Ibid.*

Licet juxta aliquos canonistas tunc solum valet, cum electores viva voce, quasi per inspirationem coram scrutatoribus eligunt : *Ibid.*, § 3.

Si prior electio est valida, secunda non sustinetur : *Ibid.*, § 6.

Ideoque per hanc nemo potest privari suo munere absque cognitione causæ, et non declarata juridice prioris electionis nullitate : *Ibid.*

Privationem enim præcedere debet culpa : *Ibid.*, § 7.

Electio facta absque temporis præfinitione est perpetua ; *Ibid.*

Præceptoris tamen officium licet indefinite collatum, ex jure, annale est, vel triennale, aut ad summum sexenne : *Ibid.*

Restituto officio lectoris quod suppressum erat, debetur ipsi in præmium laboris salarium : *Ibid.*, § 8.

In legatis piis aliisque ultimis dispositionibus, *captatoria* est electio incertæ familiæ, alieno arbitrio remissa : *Per., Her.*, 15 *jan.* 1791, § 6.

Nisi de remota agatur incertæ familiæ substitutione, quæ ex sola actoris utilitate permittitur : *Ibid.*

Electio legitime expleta, facultatem adimit variandi : *Eug., Mans.*, 5 *apr.* 1794, § 4.

In minoribus vero beneficiis, simplex est nominatio : *Ibid.*, § 5.

Nullum jus ante præsentationem tribuit nominato ; quæ retractari valet : *Ibid.*

Ad validitatem electionis, interesse debent comitiis duæ capitularium partes : *Ibid.*, § 4.

Ob voluntarium vero quorumdam capitularium discessum, jus eligendi consolidatur in reliquis, etiamsi duas non constituant partes collegii : *Ibid.*, § 5.

Contestata denuntiatio contra electionem admissa cum clausula, *si et in quantum*, non impedit processum ad ulteriora : *Ibid.*

In electionibus præferri debet dignior : *Ibid.*, § 4.

Et electus censetur ad beneficium, qui majorem habet suffragiorum partem : *Ibid.*

Valida de jure est electio, redundantibus detractis suffragiis, major adhuc supersit illorum numerus : *Mont. Alt., Can.*, 25 *apr.* 1789, § 3.

Et facto scrutinio, illius vitium sanare voluisse electores censentur per acclamationem : *Ibid.*

In quolibet autem validæ electionis dubio, ne electio irritetur, electi spectanda sunt natalia, quibus ceteros candidatos antecellit : *Ibid.*

Duæ ex tribus præsentium consiliariorum partibus, ad validam universitatis electionem requiruntur, tum de jure, tum ex locali consuetudine, quæ de Picena loquens provincia, servanda est : *Ibid.*, § 4.

Electio facta lite adhuc pendente, et in spretum contestatæ denunciationis electoribus exhibitæ, irrita est : *Com., Ben.*, 13 *julii* 1771, § 10.

In electionibus ex disposit. cap. 1 et 2, ut *lite pendente* innovationes durante lite prohibetur : *Ibid.*, § 11.

Licuit communitati, seu majori consiliorum parti, qui liti assensum non præstitere, jus præsentati per ratihabitionem antecedentis nominationis confirmare : *Ibid.*, § 12.

Electio, pendente lite in Sac. Congr. Concilii peracta, adversatur juris sanctionibus : *Com., Ben.*, 9 *maii* 1772, §§ 4 et 5.

Fortius, si electus comparuerat in eadem Sac. Congr., et fuit admissus ad causam agendam : *Ibid.*

Præsertim si posteaquam electus in judicio legitime steterat, lis non tantum inter electos, sed etiam cum electoribus agebatur, et vetita idcirco erat nova quælibet electio : *Ibid.*

Electio insuper irrita est etiam ob substantialium solemnitatum defectum, quando facta fuerit per suffragia incerta dubia et conditionata : *Ibid.*

Valide reservata est electio a patrono trium puellarum in limine fundationis monasterii titulo oneroso ; correspective ad domum pro illius fundatione donatam : *Rom., Jur. nom.*, 8 *aug.* 1761, § 2.

Et nulla superest dubietas circa hujusmodi juris nominandi efficaciam, post confirmationem Summi Pontificis : *Ibid.*

Legitima non est electio illius qui in comitiis favorabilia habuit suffragia 13 excrescentibus, detractis octo contraria 12 : *Mon. Alt., Can.*, 25 *apr.* 1789, § 4.

Nulla est electio ob mixtionem inhabilium suffragantium : *Ibid.*, § 5.

Qui posteriori assentitur electioni, regredi ne-

quit ad anteriorem suumque jus ex utraque simul dimetitur : *Ibid.*

Electio nulla est ob spretam contestatam denunciationem de audiendo Sac. Congr. Concilii oraculo, qua re læsa censetur ipsius Sac. Congr. majestas : *Rip., Adm.*, 29 *aug.* 1789, § 3.

Et est videndum num electoribus prodesse valeat regula, *qui continuat, non attentat* : *Ibid.*

Electio valida reputatur, quia præsumptio militat in favorem validitatis, quousque a contradictionibus nullitas non ostendatur : *Terr., Vic. cap.*, 22 *mart.* 1760, § 3.

Imo valida est, si majori suffragiorum numero superat alios concurrentes : *Ibid.*

Electio irrita est clerici tanquam incapacis, et beneficio ecclesiastico indigni, quia pluribus adhinc annis clericalem vestem et tonsuram abjecit : *Eug., Can.*, 7 *jul.* 1770, § 16.

Electione labe simoniæ infecta, collatio devoluta est ad Summum Pontificem : *Ibid.*, § 17.

In quolibet jure electionis, parocho, et parochiæ incolis relicto, cautum est in dispositione juris, ut dimidia vocum parocho, altera detur parochiæ incolis, utque in casum discordiæ, res ad Episcopum devolvatur : *Viter., Jur. el.*, 4 *apr.* 1767, § 6.

Electus non dicitur ille cui major suffragiorum numerus deficit : *Urb., Can.*, 10 *jan.* 1778, § 4.

Defectus unius suffragii satis est, ut rejectus quis dicatur : *Ibid.*

Fortius, in concursu alterius canonici : *Ibid.*, § 5.

Electio ambitiose, et medio laicorum, atque tumultu procurata, irrita est judicanda : *Bit., El. vic. cap.*, 6 *jun.* 1839, § 6.

Ob incapacitatem electi et nominati facta electio, cum absoluta non fuerit, nec consummata, nova fieri debet electio : *Præn., Sub. dot.*, 11 *jan.* 1744, § 5.

In casu disparitatis vocum, nova electio a jure decernitur : *Vit., Jur. el.*, 4 *apr.* 1767, § 13.

§ VI.

Electio quoad scrutatores.

Intrinsecum officium scrutatoris in his tribus consistit, nempe secrete vota eligentium scrutari, eaque in scriptum redigere, et sic redacta publicare : *Im., Jur. conv. cap.*, 14 *maii* 1774, § 19.

In scrutiniis quæ fiunt in capitulis cathedralium, competit dignitatibus illa recognoscendi, sed jus est capitulo duos, vel tres scrutatores eligere, qui id exequantur : *Ibid.*

Et eidem scrutatores tenentur ex officio per se ipsos protinus electionem publicare : *Ibid.*

§ VII.

Electio quoad solemnitates et confirmationem.

Electi archidiaconi confirmatio, ex sacrorum Canonum præscripto requiritur sub pœna nullitatis : *Monas., Confir.*, 16 *sept.* 1769, § 5.

Illaque deficiente nullum electo est jus exercendi administrationem, nec sub specie quidem œconomatus : *Ibid.*

Nec sufficit confirmatio, quam concedit prælatus ratione præposituræ, cum simul requiratur confirmatio Episcopi ratione archidiaconatus, qui eidem Episcopo immediate subjicitur : *Ibid.*

Solemnitates requisitæ in cap. *Quapropter, de Elect.*, servari tantummodo debent in electionibus quæ ab ecclesiasticis fiunt, non autem in electionibus communitatis laicorum : *Cerv., Ben.*, 13 *jul.* 1771, § 18.

Redintegratio litis post novam electionem, officere non potest ullo modo præcedenti electioni a communitate vigore sui juris factæ : *Ibid.*

Reliqua quoad electionem. Vide *Abbatissa*, § II ; *Administrator*, § III ; *Archidiaconatus*, § I ; *Beneficia ecclesiastica*, § XIV ; *Capellania*, § IV ; *Concionator*, § III ; *Confessarius*, § II ; *Examinatores*, § II ; *Œconomus curatus*, § II ; *Rector*, § I ; *Sepultura*, § II ; *Vicarius capitularis*, § I ; *Vicarius curatus*, § II.

Eleemosyna, Vide *Concionator*, § II.

Eleemosyna Missarum. Vide *Capellanus*, § V ; *Missa*, § IX.

Eleemosynæ.

§ I.

Elemosynæ in genere.

Eleemosyna est Deo acceptissima, maximumque testatori affert suffragium : *Null. S. Ben., Com. vol.*, 16 *jun.* 1792.

Licet sacrificiorum omnium potissimum sit Missa, in qua ipse offertur Christus, tamen sæpe gratior est Deo eleemosyna, quando præsertim ad removendam ejus offensam tendit : *Cæsen.*, 3 *mart.* 1787, § 8.

De illa specie eleemosynæ, quam fideles pro necessitatibus terræ sanctæ elargiuntur, jussum est ab Urbano VIII, et inde a Benedicto XIV, ut nedum Christifideles ad ejus largitionem excitari, verum etiam ut summam inde collectam syndicis

Apostolicis tradi curent : *Firm., Con.*, 7 *apr.* 1742, § 5.

Eleemosyna facta præsumitur intuitu loci, ubi reliquiæ sacræ vel imago exponitur : *Aquip., Fun.*, 18 *dec.* 1773, § 14.

§ II.

Eleemosynæ quomodo et a quibus colligi et administrari valeant ?

Exploratum est, Mendicantes suos constitutos fines egredi non posse ad quærendas eleemosynas, et loca aliis conventibus assignata circumire : *S. Aug. Lom., Jur. quæ.*, 11 *sept.* 1762, § 3.

Episcopus potest prohibere stipis petitionem alienigenis, ne suis diœcesanis eripiantur eleemosynæ : *Ibid.*

In regno Neopolitano tamen solent Mendicantes quærere eleemosynam etiam in aliena diœcesi : *Ibid.*, § 5.

Sed quærentes eleemosynam extra diœcesim tenentur exhibere Ordinario licentiam sui superioris : *Ibid.*

Ad quod requiritur etiam Ordinarii consensus : *Ibid.*, § 6.

Ut licita sit eleemosynæ collectio, requiritur ut personæ quæ colligunt, honestæ vitæ et spectatæ religionis sint, ac judicio Episcopi approbatæ, nec illarum eleemosynarum participes : *Fer.*, 9 *jul.* 1796, § 6.

Non solum clerici ecclesiam habentes in titulum, verum et piæ confraternitates sive congregationes laicorum, utut minori, quum illi gaudeant administrandæ ecclésiæ potestate, ex generali consuetudine, præsertim Italiæ, jus obtinent recipiendi et administrandi oblationes, quæ in earum ecclesiis fiunt : *Hier.*, 16 *mar.* 1742, § 12.

Oblationes, eleemosynæ, aliaque dona confraternitati collata administranda sunt ab ejus præfecto, independenter ab ecclesiæ rectore, reservato solum Ordinario jure revisendi computos : *Cons., Cap.*, 19 *nov.* 1729, § 6.

§ III.

Eleemosynæ quibus præstari debeant.

Eleemosyna integra dandæ est sacerdoti celebranti : *Par., Dub.*, 12 *maii* 1792, § 2.

Nec aliquid sibi retinere valet sacerdos, cui primum commissa est celebratio : *Ibid.*

Licet majoris eleemosynæ conscius alter sacerdos celebrans, libenter accipiat minorem : *Ibid.*

Beneficiatis tamen assignari solet uberior eleemosyna, ratione dignitatis, conservationis, et recitationis officii divini : *Ibid.*, § 3.

Ideoque æquum est, ac fundamentorum voluntati consentaneum, ut in committenda alteri sacerdoti celebratione, id retineat quod manualem excedit eleemosynam : *Ibid.*

Eleemosyna facta pro sacris imaginibus existentibus in ecclesiis regularium, non debentur parocho, sed monasterio : *Aq., Fruc.*, 18 *dec.* 1773, § 18.

Eleemosyna danda est mulieri claudæ, quæ inter miserabiles numeratur, et commiseratione digna est : *Turr.*, 28 *maii* 1791, § 8.

Ita etiam eleemosyna danda est laborantibus fame : *Ibid.*

§ IV.

Eleemosynæ quoad erogationem.

Eleemosyna in alium usum converti non debet quæ pro animabus datur purgantibus : *Bon.*, 12 *maii* 1792, § 5.

Oblationes datæ censentur, ut suffragiorum participes fiant pii offerentes : *Senog.*, 26 *apr.* 1788, § 4.

Et declarari potest voluntas offerentium, per centenariam observantiam : *Ibid.*

Maxime, quia pium quemlibet usum oblationes recipiunt : *Ibid.*

Emissio. Vide *Professio religiosa*, § vii.

Emolumenta.

§ I.

Emolumenta in genere.

Emolumentum superans manualem eleemosynam Missarum de jure cedit commodo loci pii legatarii : *Fan., Red. Miss.*, 6 *dec.* 1760, § 7.

Incerta emolumenta præstari solent in præmium laboris, et ad illos pertinent, qui incommodum sentiunt. *Sen.*, 13 *jun.* 1789, § 19.

§ II.

Emolumenta funerum quomodo, a quibus, et quibus solvi debeant ?

De emolumentis funeribus clarissimum in favorem parochi jus est : *Pisau.*, 18 *maii* 1765, § 14.

Etsi in parochiali ecclesia sacramenta nunquam

dum est ecclesiæ cathedrali, in qua defunctus sepulcrum elegerat, et cum cadavere omnia quoque funeris emolumenta transferuntur : *Fav., Præe. et Fun.*, 7 *junii* 1760, § 5.

Emolumenta funerum quoad quartam. Vide *Quartam funerum*.

Reliqua quoad emolumenta. Vide *Anniversarium*, § II; *Archipresbyter*, § I; *Canonici*, § III; *Dignitates ecclesiasticæ*, § I; *Parochus*, § IX.

Emphyteusis ecclesiastica.

§ I.

Emphyteusis ecclesiastica quoad affrancationem.

Affrancatio bonorum emphyteuticorum vera est alienatio : *Jan., Affran.*, 30 *jan.* 1745, § 2.

Quare illam monasterium etiam volens nequit alicui indulgere : *Ibid.*

§ II.

Emphyteusis ecclesiastica quoad beneplacitum apostolicum.

Bona ecclesiastica in emphyteusim dari et cum beneplacito Apostolico ad generationes concedi possunt : *Burg. S. Domn., Emp.*, 19 *nov.* 1746.

Denegari non solet in emphyteusi ecclesiastica beneplacitum Apostolicum, ubi evidens concurrit utilitas ecclesiæ, vel beneficii : *Anc., Emp.*, 17 *aug.* 1793, § 3.

Licet stipulatus etiam sit contractus sub illius reservatione : *Ibid.*

Non indiget beneplacito Apostolico emphyteusis bonorum, quæ prius retinebantur in emphyteusim : *Terr. et Set.*, 23 *jan.* 1790, § 7.

Præsertim si agatur de exiguis rusticis prædiis : *Ibid.*

Et de activa emphyteusi quæ est acquisitio et non dominii abdicatio : *Ibid.*

Certum est quamcumque emphyteusim, seu ecclesiasticorum bonorum alienationes, quæ ex defectu beneplaciti Apostolici, vel alterius solemnitatis irritæ existunt, revalidari consuetum fuisse duntaxat in casu, quo non solum ab initio, verum etiam tempore quo dictorum contractuum, seu alienationum revalidatio postulatur, beneficii, vel ecclesiæ utilitas concurrat; non autem quando petita revalidatio non sit ecclesiæ profutura : *Pisc., Emp.*, 2 *junii* 1736, § 5.

Ad inducendam præsumptionem beneplaciti Apostolici, completissima requiritur centenaria : *Fav. Emph.*, 18 *aug.* 1787, § 8.

§ III.

Emphyteusis ecclesiastica quoad canonem, seu pensionem.

Pro contractu emphyteutico modica rependi debet pensio, seu canon bonorum fructibus longe inferior ; pro contractu vero locationis, pensio fructibus correspondere debet : *Rom., Laud.*, 15 *sept.* 1770, § 9.

Sed de essentia emphyteusis non est, ut modica pensio seu canon solvatur, ita ut si pensio magna sit, emphyteusis natura et substantia subvertatur : *Ibid.*

In emphyteusi ecclesiastica pensio fructibus correspondere debet, alias contractus non cedit in evidentem ecclesiæ utilitatem : *Ibid.*

Et tunc solum emphyteusis pro minimo canone constitui potest, quando res sterilis, vel sylvosa, vel ruinosa traditur : *Ibid.*

Prohibetur, si ecclesiis piisque locis præjudicium inferat, vel annui canonis quantitas imminuatur : *Ibid.*, § 10.

In suburbanis pensio emphyteutica metienda est, non ex reditibus, sed ex vigesima rei valoris in 20 annos repartiendæ quando emphyteusis conceditur ad tertiam generationem : *Pist. seu Prat., Emp.*, 20 *nov.* 1761, § 3.

Et in emphyteusi ecclesiastica licet detrahere sextam partem consuetæ pensionis, propter fortuitos casus, qui imminent emphyteutæ : *Ibid.*, § 4.

Ubi ergo sexta pars non detrahitur, sed emphyteusis conceditur pro consueta pensione, evidens dicitur ecclesiæ utilitas : *Ibid.*

Præsertim quum ecclesia liberetur a periculis damnorum, quibus subjacent terræ, et ab onere expensarum pro conservatione, et reparatione ædificiorum : *Ibid.*

Et evidentior est utilitas ecclesiæ, si oblata fuerit pensio major consueta : *Ibid.*

Atque si emphyteuta offerat certam pecuniarum quantitatem erogare in melioriationes prædii emphyteutici : *Ibid.*

Canon in emphyteusi esse debet vigesima intrinseci valoris pars, vel consueta eorumdem bonorum pensio : *Alb., Emp.*, 14 *jan.* 1772, § 1.

Ob canonis gravitatem incumbit ecclesiæ vel beneficiato solutio taxæ, et vectigalium : *Ibid.*

Ad sustinendum emphyteusis contractum valde confert patroni, atque interesse habentium favor : *Ibid.*, § 5.

quis receperit, cum per parochum non steterit, quominus uti debuerat, percepisse : *Ibid.*

Parocho debetur emolumentorum portio jure canonico, quando sepulcrum eligunt parochiæ incolæ in alia ecclesia : *Terr. et Priv.*, 19 *dec.* 1789, § 6.

Omnia emolumenta funerum spectant ad parochum, e cujus parochia cadaver effertur, quoad omnes ecclesias non habentes jus sepeliendi. *Rom., Jur. fun.*, 30 *maii* 1761, § 1.

Emolumenta funebria adjudicantur parocho, qui viventem sacramentis refecit, aluitque. *Pis.*, 18 *maii* 1765, § 6.

Emolumenta funerum juxta consuetudinem, quæ ex libris parochialibus et ex testibus resultat, integra adscribenda sunt. *Reat., Jur. fun.*, 10 *mart.* 1770, § 10.

Statutum cleri romani, cap. 4, *de Jur. elig. sepult.*, § 19, disponit ut illi qui domicilium in duobus parochiis habentes decedunt, si in alio tertio loco sepulturam elegerint, canonica portio inter illas parochias in quibus pure domicilium habebant sint dividenda ; quod si non eligant sepulcrum, in illa in qua decedunt, sepeliantur, et emolumenta inter eas dividantur : *Rom., Fun.*, 9 *febr.* 1765, § 16.

Ecclesia tumulans nihil percipit de funeribus, quæ fiunt in Ecclesia exponente (quod solum ex defuncti vel hæredum voluntate fieri posse declaratum fuit) : *Sen., Jur. par.*, 19 *aug.* 1730, § 9.

Minusque de illis funeribus participat ecclesia exponens, sed ea integre debentur ecclesiæ parochiali : *Ibid.*

In præscribenda mercede pro comitatu cadaverum haberi debet ratio majoris vel minoris incommodi, et longioris, sive brevioris viæ : *Tusc.*, 22 *nov.* 1732, § ult.

Sepulcro electo in ecclesiis confratrum, omnia emolumenta funeris parocho debentur : *Viter., Em. fun.*, 28 *jan.* 1764, § 6.

Nisi ostendatur jus sepeliendi expressa Ordinarii auctoritate acquisitum fuisse : *Ibid.*

Quo casu parochus nonnisi quartam funeream petere potest : *Ibid*, § 5.

Etiamsi ecclesia sodalium sit filialis ecclesiæ parochialis, et a parocho sodalibus concessa : *Ibid.*

Limita : si parochus in concessione aliter convenerit, vel concessæ ecclesiæ ex ipsis bonis ecclesiæ parochialis dotatæ fuerint : *Ibid.*

Justum est ut, dum defuncti cadaver ad aliam ecclesiam transferri permittitur, parochialis tanquam mater non in totum ab oblationibus excludatur : *Brict., Jur. par.*, 26 *nov.* 1768, § 12.

Et id exemplo matris carnalis, quæ saltem in partem hæreditatis liberorum vocatur, si hanc ad extraneos ex illorum dispositione transire contingat : *Ibid.*

Emolumenta, consueta ratione longioris itineris pro comitatu cadaverum, non possunt reprobari, quando non adest taxa synodalis : *Null. seu Sub., Fun.*, 25 *apr.* 1761, § 7.

Nec officit generalis juris regula præscribens uniformem exactionem emolumentorum pro comitatu cadaverum sive ad ecclesias seculares, sive ad ecclesias regularium : *Ibid.*

Quia intelligenda est de majori emolumento prætenso in odium regularium, pro retrahendis fidelibus ab electione sepulcri in eorum ecclesia : *Ibid.*

Non autem si exigatur majus emolumentum ratione longioris itineris, ut præscribit statutum cleri Romani : *Ibid.*

Et quod major debeat esse eleemosyna parochi, aut ejus substituti, quam aliorum funera comitantium : *Ibid.*

Emolumenta funerum associandorum ad ecclesias regulares etiam extra loci mœnia existentes; majora esse non possunt, quam in funeribus explendis in ecclesia parochiali tum respectu parochi, tum respectu capituli, et aliorum de clero secolari : *Ibid.*

Pro funeribus in eorum ecclesia explendis prætendere non possunt canonici candelas majores, vel æquales illis quæ dantur regularibus, quum pondus ceræ distribuendæ repositum sit in arbitrio hæredum : *Ibid.*, § 8.

Non licet ædituo ecclesiæ principalis loci stipendium julii unius exigere ab hæredibus pro singulis cadaveribus tumulandis in ecclesia regularium : *Ibid.*

Etiamsi constet de præcedentia illius ecclesiæ supra regulares, æquales saltem nisi majores candelæ debentur, ex honestate et congruentia, quibus debet modum ponere hæredum arbitrium : *Ibid.*

Quum puellæ in familia monasterii sint, sub ejusdem regulis vivant, communemque vitam cum monialibus agant habent, commune sepulcrum ; hinc non est restituendum ullum emolumentum : *Brict., Jur. par.*, 31 *maii* 1766 § 8.

Præsertim si contraria consuetudo inibi viget, nulli quartam canonicam præstandi : *Ibid.*

Cæteroquin de functionibus funebribus, quocumque casu pertinent emolumenta ad confessarium : *Ibid.*

Electione sepulcri non rite facta, restituendum est cadaver cum omnibus emolumentis funeris : *Ibid.*, § 3.

Cadaver, in loco depositi servatum, consignan-

Perpetuitas est contra naturam emphyteusis ecclesiasticæ : *Ibid.*, § 6.

Ac proinde in emphyteusi perpetua dari non solet beneplacitum Apostolicum : *Ibid.*

Non enim conveniens est bona ecclesiæ secularizari : *Ibid.*

Cessat autem hæc ratio, ubi perpetua est emphyteusis inter duo loca pia : *Ibid.*

Permittitur quandoque emphyteusis perpetua, ad avertendas lites ex temporanea emphyteusi orituras : *Ibid.*

In emphyteusi ecclesiastica, et præsertim non perpetua, sed temporali ratione evidentis utilitatis, quæ in ipsa requiritur ; annuus canon debet æquivalere fructibus, qui ex prædio emphyteutico percipi solebant : *Nul. seu Asc.*, 6 *mar.* 1723, § 11.

Novæ, ex novis pactis circa subtantiam canonis, videri possent infeudationes : *Tud.*, *Vis. SS. LL.* 17 *dec.* 1791, § 3.

Non obstant in id Episcopo juramentum præstitum in consecratione, et constitutiones Apostolicæ, nisi agatur de re dari solita in emphyteusim : *Ibid.*

Æquam canonis semper censuit Sacra Rota in feracissimo Ferrariæ territorio taxam scut. 5 in singula centum : *Ferr.*, 15 *sep.* 1787, § 8.

Pro evidenti loci pii utilitate, non est opus ut emphyteuticus canon superet, sed sufficit ut æquet bonorum fructus : *Rip.*, *Emp.*, 23 *nov.* 1793, § 3.

Oblatio incerti canonis in emphyteusim non admittitur : *Sp.*, *Loc.*, 28 *febr.* 1795, § 6.

Curanda est in statuendo canone utilitas ecclesiæ, quæ in ejus emphyteusi requiritur : *Priv.*, *Emp.*, 16 *junii* 1787, § 5.

Justus quidem rusticorum prædiorum ecclesiæ canon vigesima est intrinseci valoris pars, vel consueta illorum pensio, detracta sexta : *Ibid.*, § 6.

Utilis est, si canones oblati respondeant fructibus prædiorum : *Fir.*, *Emp.*, 30 *julii* 1796, § 4.

§ IV.

Emphyteusis ecclesiastica quoad concessionem seu deliberationem.

Ubi necessitas concurrit, et utilitas bonorum ecclesiæ, aut pii legati, emphyteusis permittitur : *Tyb.*, *Em.*, 27 *aug.* 1789, § 6.

Bonorum ecclesiæ emphyteusis conceditur accedente utilitate : *Fir.*, *Emph.*, 15 *jan.* 1791, § 3.

Utilis est, si respondeat canon bonorum fructibus : *Ibid.*

Ad cognoscendam vero utilitatem, citandi sunt interesse habentes : *Ibid.*

Ante traditionem bonorum in emphyteusim, ecclesia beneficio addictionis in diem gaudet : *Ibid.*

Emphyteusis duobus offerentibus concurrentibus conceditur illi qui divitiis abundat, et est in re agraria peritissimus et sollicitus est in pensionibus solvendis : *Fir.*, *Emp.*, 29 *julii* 1775, § 4.

Emphyteusis bonorum ecclesiasticorum nunquam conceditur ultra tertiam generationem masculinam : *Laur.*, *Emp.*, 7 *febr.* 1784, § 9.

Ex pluribus legitimis causis, quibus bonorum ecclesiæ emphyteusis permittitur potissima est evidens utilitas de tempore contractus : *Sen.*, *Emp.*, 19 *maii* 1787, § 3.

Annuendum est pro perpetua emphyteusi, si publica viget causa, ex qua veluti necessaria, ecclesiastici prædii distractio permittitur : *Priv.*, *Emp.*, 16 *junii* 1787, § 5.

Permittitur emphyteusis accedente utilitate ecclesiæ, vel loci pii, non obstante irrationabili contradictione administratorum : *Baln.*, *Emp.*, 18 *junii* 1791, § 2 ; *Fir.*, *Emp.*, 21 *jul.* 1792, § 5 ; *Rip.*, *Emp.*, 23 *nov.* 1793, § 3.

Major utilitas metienda est a conditione loci pii : *Ferr.*, *Emp.*, 18 *junii* 1796, § 8.

In emphyteusi ecclesiastica affigenda sunt edicta in favorem majoris et melioris offerentis : *Ibid.*, § 6.

Nova post deliberationem non admittitur oblatio ; nec etiam in favorem Ecclesiæ : *Ibid.*

Sera enim oblatio non adimit jus quæsitum ei qui intra terminum obtulit edictorum : *Ibid.*, § 9.

Limita : ante obtentum et exequutum beneplacitum Apostolicum : *Ibid.*, § 8.

Administratores locorum piorum tenentur emphyteusim, si censeant loco pio perniciosam, impedire : *Fir.*, *Emp.*, 12 *mart.* 1796, § 7.

Post affixa edicta, locus amplius non est pœnitentiæ : *Ibid.*, § 8.

Qui emphyteuticum agrum possidet, censetur bonorum possessor : *Ibid.*, § 9.

Ipsa die editi rescripti, perfecta dici valet deliberatio, a qua amplius recedere non licet : *Spol.*, *Emp.*, 28 *maii* 1796, § 4.

Imo per expeditionem et executionem litterarum Apostolicarum : *Ibid.*, § 5.

Præmissa tamen regula procedit in favorem deliberatarii, vigesimarii : *Ibid.*

Expensæ litterarum Apostolicarum super deliberatione emphyteusis, de quibus neque in edictis, neque in oblationibus fit mentio, fieri debent communi sumptu beneficiati, et deliberatarii pro ratione utilitatis et commodi : *Ibid.*, § 6.

Preces nomine loci pii pro facultate concedendi

ejus bona in emphyteusim, præsumuntur porrectæ ab eo cujus interest concessio : *Fir., Emp.*, 10 *maii* 1794, § 4.

Ob silentio prætermissas præsertim meliores aliorum offerentium conditiones, ei non prodest gratia : *Ibid.*

Salvum est locis piis in deliberatione emphyteusis, beneficium addictionis in diem : *Ibid.*, § 5.

Perficitur deliberatio per executionem litterarum Apostolicarum, et ab hac incipit tempus addictionis : *Ibid.*

Antiquitus præfiniti erant auctionibus dies viginti ; modo a deliberatione dies 20 ad offerendum vigesimam, menses tres ad sextam : *Ibid.*, § 7.

Et his terminis respective elapsis, fas non est offerre, neque vigesimam, neque sextam : *Ibid.*

Loco addictionis in diem non admittuntur simplices et serotinæ oblationes ; nec etiam in favorem fisci et ecclesiæ : *Ibid.*, § 6.

Sunt tamen qui respui non debere censent seras oblationes loco pio utiles : *Ibid.*, § 5.

Reservatio vigesimæ et sextæ simplices excludit oblationes ; *Ibid.*, § 6.

Perpetua bonorum ecclesiæ emphyteusis de jure civili permissa est, præsertim si justo expletur canone : *Fav., Emp.*, 18 *aug.* 1787, § 6.

Nunquam perpetua bonorum ecclesiæ emphyteusis conceditur, nisi de re agatur sterili, vel facilis diminutionis fructuum et magna sit illius utilitas : *Ibid.*, § 9.

§ V.

Emphyteusis ecclesiastica quoad fructus.

In emphyteusis contractu absque beneplacito Apostolico peracto, nulla obligatio nascitur restituendi fructus, si bona fide quis possedit prædium in emphyteusim concedi solitum : *Fav., Emp.*, 18 *aug.* 1787, § 5.

Si etiam eos fere omnes ex propriis perceperunt meliorationibus : *Ibid.*

Et posita restituendi obligatione, non immerito forsan ex jure dimetienda est hujusmodi restitutio, ad effectum tamen compensandi meliorationes : *Ibid.*

Ob malam fidem, qua emphyteusis contractus sine Apostolico beneplacito, ac in manifestum piorum operum detrimentum initus fuit bonorum etiam fructus ab initio restitui debere videntur : *Ferr.*, 15 *sept.* 1787, § 11.

§ VI.

Emphyteusis ecclesiastica quoad generationes.

Ampliata est una generatio per verba *usque ad ipsius tertiam generationem*, cum generationes hujusmodi incipiant a primo acquirente, ubi indefinitis adjectæ sunt verbis ; ab ejus filiis vero, si a relativa illa pendeant dictione ipsius : *Fav., Emp.*, 18 *aug.* 1787, § 7.

Hujusmodi generationum ampliatio substantiam tangit contractus, ejusque nullitatem inducit : *Ibid.*, § 8.

Neque sustineri posse videtur investitura ad utilem usque generationem nepotum primi acquirentis, rejecta inutili : *Ibid.*

Regula *utile per inutile non vitiatur* : locum habet in emphyteusi cum substantiali pactorum immutatione renovata : *Ibid.*

§ VII.

Emphyteusis ecclesiastica quoad investituram.

Permissum a jure non est prælato seu rectori prævenire investituræ renovationem, et sic successorem supplantare : *Nul. seu Asc.*, 6 *mart.* 1723, § 12.

Ad solitum inducendum, aut una præcedens solemnis investitura, mediante expresso beneplacito Apostolico est necessaria, aut saltem duæ minus solemnes requiruntur pacifice observatæ per spatium annorum quadraginta, et de binis investituris constare debet per distincta, ac separata instrumenta, et binæ concessiones comprehendere debent ipsissima omnino bona : *Ibid.*, § 13.

Ad evitandam supplantationem opus est, ut accedat expressus primi investiti consensus circa se tollendum de medio, per viam renunciationis, et quod novus investitus possessionem capiat rei emphyteuticæ, vivente ipso prælato concedente : *Ibid.*, § ult.

§ VIII.

Emphyteusis ecclesiastica quoad laudemium.

Ex juris dispositione ac ex veteri consuetudine statutum est, ut quando res emphyteutica ad dominum directum devoluta per novum emphyteusis contractum in alium transfertur, a novo emphyteuta emolumentum aliquod, seu pars pretii rei emphyteuticæ domino directo persolvatur : *Rom., Laud.*, 15 *sept.* 1770, § 4.

Emolumentum hujusmodi, seu pars pretii vulgari sermone *laudemium* nuncupatur, de cujus vocis origine ac notione varia est juris interpretum sententia : *Ibid.*

Plerique tamen existimant, illam desumptam fuisse ex verbo *laudo*, quod approbare, vel ratum habere significat : *Ibid.*

Quando bona emphyteutica transeunt ad ecclesias, vel loca pia, loco laudemii præstatur quindennalis solutio : *Ibid.*, § 5.

Quæ quandoque laudemii nomine exprimitur, et nulla est de ea in jure mentio, sed consuetudine tantum, aut conventionibus invecta censetur : *Ibid.*

Laudemia proinde, quindennalia inter fructus civiles recensentur : *Ibid.*, § 7.

Si sermo sit de præbenda canonicali, numerantur inter fructus, et emolumenta canonicalia quæ inter canonicos dividuntur ; *Ibid.*

Et Rota Romana censuit non canonico coadjutori, sed coadjuto deberi quindennia, et laudemia, eo quia omnes canonicatus fructus in Apostolicis litteris fuerant coadjuto reservati : *Ibid.*

Idem statuit S. Congregatio Visitationis Apostolicæ : *Ibid.*

Laudemii quantitas, spectato jure communi, excedere non potest quinquagesimam partem pretii, quo bona emphyteutica æstimantur : *Ibid.*, § 8.

Ex qua quidem juris dispositione illud etiam deprehenditur, laudemium non esse dimetiendum juxta æstimationem rei de tempore, quo primum in emphyteusim tradita est, sed juxta valorem, quo emi, et vendi posset de tempore translationis, seu novi emphyteutici contractus : *Ibid.*

Et pro varia utriusque regionis consuetudine, pretiique ratione, laudemium variis appellari nominibus consuevit : *Ibid.*, § 3.

§ IX.

Emphyteusis ecclesiastica quoad oblationes.

Moderatur S. Congr. Concilii emphyteuses, et locationes bonorum ecclesiæ ex motu proprio Benedicti XIV super locationibus bonorum cameralium : *Fir.*, *Emp.*, 18 *julii* 1795, § 4.

Excedentes oblationes factæ ad æmulationem, non sunt admittendæ : *Ibid.*, § 9.

Attendi etiam non debet vigesima, oblata extra terminum dierum viginti : *Ibid.*, § 7.

Et prima oblatio ob lapsum vigesimæ terminum, est irrevocabilis : *Ibid.*

Licet concessio emphyteutica evadat pura et simplex, purificata conditione beneplaciti Apostolici : *Ibid.*, § 6.

Perfectionem tamen recepit ex decreto exequutoris litterarum Apostolicarum : *Ibid.*, § 8.

Possessio bonorum ad exequutionem pertinet deliberationis : *Ibid.*, § 6.

Rejicitur oblatio sextæ, facta extra terminum trium mensium a die deliberationis præfinitum a Bened. XIV, pro bonis cameralibus : *Sen.*, *Emp.*, 15 *sept.* 1792, § 6.

Beneficium sextæ desumitur ab auth. *Hoc jus porrectum*, Cod. *de Sacrosan. Eccl.* : *Ibid.*, § 7.

Juxta tamen rescriptum diei 1 dec. 1788, emanatum a card. S. Congr. Boni Regiminis præfectum declarationem edicti ejusdem S. Congr. 6 aug. 1729, oblatio sextæ recipienda est, quoad bona præsertim cameralia, si fiat intra terminum duorum mensium a die stipulationis instrumenti : *Ibid.*

Post perfectum actum in emphyteusi, non est locus pœnitentiæ, nec novæ oblationi : *Ibid.*, § 8.

Dicitur autem actus perfectus, cum stipulatum est alienationis instrumentum cum beneplacito Apostolico : *Ibid.*

Beneplacito tamen nondum executioni demandato, est locus novæ oblationi.

Non sunt attendendæ oblationes posteriores cum auctione vigesimæ, utpote præmature datæ ante deliberationem : *Fir.*, *Emp.*, 30 *julii* 1796, § 4.

Rejiciendæ sunt oblationes datæ ante designatum locum contra formam edictorum : *Ibid.*, § 5.

De deliberanda emphyteusi bonorum ecclesiæ, qualitas potius attenditur offerentis, quam major minus idonei oblatio : *Ibid.*

Oblatio ad emphyteusim per novam edictorum affixionem resolvitur : *Mac.*, *Emp.*, 30 *aug.* 1788, § 6.

§ X.

Emphyteusis ecclesiastica quoad prælationem.

Prælatio ad emphyteusim debetur majori et meliori offerenti : *Rip.*, *Emp.*, 10 *maii* 1795, § 2.

Potius vero favendum est meliori : *Ibid.*

Declaratio superandi in aliqua summa reliquas majores oblationes, veluti incerta non admittitur : *Ibid.*

Non est admittenda oblatio post consummatum ex novissimis edictis oblationum actum : *Ibid.* et 31 *maii* dicti anni.

Prælatio in emphyteusim debetur ei, qui meliorem facit conditionem ecclesiæ : *Fir.*, *Emp.*, 11 *maii* 1793, § 4.

Magisque potissimum idoneo, licet minus offerenti : *Ibid.*

Danda est sexta, intra trimestre a die deliberationis : *Ibid.*, § 6.

Quoad prælationem rejicienda est vigesima oblata extra terminum legitimum, post lapsum scilicet ab apertis schedis decendium : *Sen.*, *Emp.*, 19 *maii* 1787, § 4.

Et hoc statuit edictalis lex lata anno 1729 a S. Congr. Boni Regiminis pro communitatibus status ecclesiastici ; in qua decendium vigesimariis conceditur : *Ibid.*

Sæpe autem personæ qualitas utiliorem reddit contractum : *Ibid.*, § 5.

Ob privilegia ecclesiæ et fisci, licuit post terminum edictorum expiratum vigesimam offerre : *Ib.*, § 6.

Ideoque nedum salvum fuit post expiratum edictorum terminum jus vigesimæ ex privilegio *addictionis in diem* : *Ibid.*

Sed eo insuper uti licuisse intra vicennium, rerum fiscalium vigesimariis datum : *Ibid.*

Quum affixio edictorum demandata esset ad excitandos majores offerentes, qui meliorem facerent ecclesiæ conditionem ; ideoque priorem oblationem in ejus perniciem non solvit : *Ibid.*, § 7.

Offerentem, qui jure conductionis jam actu detinet bona in emphyteusim concedenda, in pari oblatione ceteris præferri ex speciali æquitate debere firmatur : *Civit. Cast.*, *Emp.*, 7 *sept.* 1776, § 5.

Prælatio datur ei qui tempore habili prior produxit suam oblationem, si postea majorem oblationem alterius exæquaverit : *Ibid.*, § 8.

Judicium præeligendi rectum, non tantum pendet a majoris canoni oblatione, quantum a perrum conditione, moribus, ac divitiis ; *Ibid.*

Aliquando fuerunt admissæ meliores oblationes licet posteriores post concordatam venditionem, sive emphyteusim ante obtentum beneplacitum, habita ratione primi emptoris, quatenus voluisset augere oblationem, aliquando rejectam : *Neap.*, *Dom.*, 13 *jan.* 1731, §§ 6 et 7.

Conciliantur tamen dispares istæ resolutiones cum distinctione : aut contractus non est perfectus, quia beneplacitum adhuc non fuit exequutum, et tunc est locus novæ oblationi ; aut contractus est perfectus ac exequutum fuit beneplacitum Apostolicum, et patres consensum præstiterunt venditioni per publicum instrumentum, et tunc non debet recipi nova oblatio etiam utilior ecclesiæ : *Ibid.*, §§ 8 et 9.

Item quoque dicendum est, si contractu adhuc non perfecto, nova oblatio contineat modicam utilitatem, vel secunda oblatio fiat ad æmulationem, quum Ecclesia cultrix justitiæ locupletari non debeat cum aliena jactura : *Ibid.*, § ult.

Administrator bonorum in pari licitatione ceteris præferendus venit in emphyteusim ex æquitate : *Fir.*, *Emp.*, 5 *sept.* 1778, § 6.

Rejicitur offerens, qui in fidejussorem dedit suum patrem, cum pater et filius una eademque persona ac una obligatio in hoc casu censeatur : *Ibid.*

§ XI.

Emphyteusis ecclesiastica quoad renovationem.

Emphyteusis bonorum ecclesiæ perpetua, ex statuto Beneventano renovari debet, aucto peritorum judicio in singulis renovationibus canone ; *Ben.*, 4 *apr.* 1789, § 12.

Statuaria hæc lex abrogata fuit a Benedicto XIII, et a Clemente XII restituta : *Ibid.*

§ XII

Emphyteusis ecclesiastica quoad validitatem et nullitatem.

Validitas contractus emphyteutici bonorum ecclesiæ oritur ex interventu beneplaciti Apostolici, expeditione litterarum Apostolicarum, instrumenti confectione, ac rei possessione : *Aux.*, *Emp.*, 7 *apr.* 1781, § 4.

Uno ex hisce requisitis deficiente, nulla est emphyteusis : *Ibid.*

Proindeque fit locus novarum oblationum receptioni : *Ibid.*

Nondum perfectus contractus emphyteusis est, si expeditæ non sunt litteræ Apostolicæ, vel confectum instrumentum non est prævio Apostolico beneplacito, vel capta haud est rei possessio : *Aux.*, *Emp.*, 7 *apr.* 1781, § 4.

Et in hoc casu, est locus novarum oblationum receptioni : *Ibid.*

Enormissima læsio, ecclesiasticam etiam emphyteusim reddit nullam ; *Mac.*, *Emp.*, 30 *aug.* 1788, § 7.

Emphyteusis sub perniciosis conditionibus stipulata, et in favorem illius contracta, qui tanquam assertus administrator super bonis pii operis administratis contrahere non poterat, invalida judicatur : *Ferr.*, 15 *sept.* 1787, § 9.

Maxime, quia initum fuisse contractum ordinaria tantum Episcopi auctoritate, ex ipso instrumento investituræ apparet : *Ibid.*, § 10.

Emptio et Venditio. Vide *Contractus*, § xii.

Emptor.

Emptor bonæ fidei omnes fructus ex aliena re suos facit, non eos tantum qui diligentia et opera ejus provenerunt : *Fav.*, 20 *jun.* 1767, § 22.

Episcopi arbitrium. Vide *Arbitrium*.

Episcopi decretum. Vide *Decretum*, § ii.

Episcopalis Dignitas.

Periculum animarum ex diuturna vacatione perpendens Innocentius III Pont. Max. declaravit indulgentiam Ecclesiæ disciplinæ ex mensium intervalli vacationis beneficiorum ad Archiepiscopatum vel Episcopatum non extendi : *Urb.*, 9 *sept.* 1786, § 11.

Sed idem in concilio Lateranensi reformatis sex mensium induciis, infra tres menses episcopales cathedras provideri jussit : *Ibid.*

Honorius III episcopum Calinensem, ob ejus illitteraturam, a pontificalis officii executione et ab administratione Calinensis ecclesiæ amovit : *Sed.*, 29 *jul.* 1775, § 8.

Promovendi ad episcopatum debent esse nati a parentibus catholicis : *Melev.*, 13 *aug.* 1718,

EPISCOPORUM CÆREMONIALE. Vide *Cæremoniale Episcoporum*

Episcopus.

§ I.

Episcopus ægrotans

Sacramenta sanctissimæ Eucharistiæ et Extremæ Unctionis Episcopo ægrotanti ministranda sunt, non a parocho intra cujus parochiæ limites existit palatium episcopale, sed a prima dignitate capituli, sive id fiat solemniter, sive private, ut indefinite præscribit *Cærem. Episcop. : Fav., Præem.*, 7 *jun.* 1760, § 9.

§ II.

Episcopus quoad beneficia et capellanias.

Episcopus, de consensu capituli, potest erigere patronale beneficium in canonicatum et nova onera illius fundationi adjicere : *Albin., Vac.*, 19 *maii* 1787, § 7.

Distinguendum tamen videtur, si patronorum accedat consensus : *Ibid.*

Aut de gentilitio agitur patronatu, et in hoc casu, nil illorum consensus successorum juribus detrahit : *Ibid.*

Aut res est de patronatu hæreditario, et quilibet ex patronis, qui instar primi fundatoris habentur, novas beneficio conditiones in præjudicium etiam suorum hæredum addere potest : *Ibid.*

Ordinarii auctoritas tanti non est, ut nova onera post fundationem beneficio superaddita valeat approbare : *Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 8.

Nequit Episcopus nova onera canonicatibus adjungere, quæ imposita non fuerunt in primæva illorum erectione : *Civ. Cast.*, 15 *sept.* 1762, § 7.

Episcopus nequit onera nova beneficio addere, quæ in illorum institutione imposita non fuerunt : *Pis., Cas. res.*, 21 *nov.* 1761, § 2.

Nequit Episcopus nativam laicalis capellaniæ qualitatem alterare : *Urb., Cap.*, 25 *sept.* 1762, § 5.

Auctoritas Ordinarii, quæ formam dat beneficio, tacite intelligitur requisita in capellaniis testamento relictis, nisi manifeste de contraria testatoris voluntate appareat : *Ibid.*, § 7.

Et exclusio a regulis cancellariæ, etiam in casu vacationis, in curia adhibetur non ad excludendum ecclesiasticum collatorem, sed ad retrahendum Summum Pontificem a derogatione jurispatronatus laicalis, in casu vocationis in curia : *Ibid.*

Episcopus potest reddere beneficium aliquod simplex, seu capellaniam de perpetuo manualem : *Luc., Rem. on.*, 23 *febr.* 1726, § ult.

Ordinarius potest unire, dividere, de novo creare, et extinguere beneficia inferiora sui episcopatus : *Ibid.*

Non potest Episcopus, etiam de consensu patronorum, vel hæredum, voluntatem testatoris immutare, et pium legatum, seu capellaniam laicalem, ab eo relictam, in beneficium ecclesiasticum erigere : *Urg., Cap.*, 25 *sept.* 1762, § 5.

Jus non est Episcopo per novas leges qualitatem, et naturam beneficiorum immutare non approbante Pontifice illorum fundatore : *Anag., In.*, 7 *jun.* 1777, § 6.

Imo nullæ sunt præfatæ ordinationes, utpote contrariæ juribus, quæ in fundatione beneficiatis concessæ, et indultæ fuerunt : *Ibid.*

Nec obstat earum legum usus, quem vel ante, vel post illarum indictionem non probatur, et quatenus probaretur, nil esse momenti sine Apostolico privilegio : *Ibid.*, § 7.

Maxime in præjudicium modernorum beneficiatorum, qui cum eorum jus agnoscant a solo Pontifice fundatore hinc a facto, vel agnitione prædecessorum obligari non possunt : *Ibid.*

Si Episcopus decretum pro erectione beneficii interponat, omnia narrata in fundatione ejusdem, tacite repetita, et approbata censentur : *Brict., Serv.*, 14 *dec.* 1771, § 6.

Præsertim quia debet approbare omnes conditiones fundatori benevisas, etiamsi juri contrarias, dummodo turpes non sint, et impossibiles, ac contra beneficii substantiam : *Ibid.*

§ III.

Episcopus quoad cathedraticum seu synodaticum.

Honorius III præscripsit solutionem synodacti seu cathedratici ab ecclesiis et beneficiatis in honorem cathedræ, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus in contrarium, taliter quod nec ab ipsis Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat quocumque titulo vel immemorabili præscribi : *Macer., Cath.*, 16 *dec.* 1730.

Exigi nequit a beneficiatis non habentibus congruam conservationem : *Ibid.*, § 3.

In concilio Romano anno 1725, tit. 8, cap. 4, redintegratæ sunt veteres juris canonici sanctiones de cathedratico Episcopis solvendo : *Asc., Cath.*, 28 *mart.* 1733, § 3.

Cathedraticum, quod propter honorem cathedræ episcopalis et in signum subjectionis annuatim Episcopo volvitur, primis Ecclesiæ seculis a consuetudine potius quam a lege manavit : *Aquit., Cat.*, 20 *dec.* 1776, § 10; *Sars., On.*, 30 *jul.* 1774, § 9.

Synodus Bracharensis Episcopo præstandum a capitulis et ecclesiis parochialibus cathedraticum, prima omnium, mandavit : *Ibid.*

Illum vero ab omnibus etiam, aliis quibuscumque capitulis et beneficiis ecclesiasticis solvi, per viam legis universalis statutum fuit ab Honorio III : *Ibid.*

Benedictus XIII anno 1725, ut innumeris, qui invaluerant, abusibus occurreret, in concilio Romano cathedraticum in solidos duos, 20 scilicet julios constituit : *Ibid.*, § 2.

Quod titulo quocumque, vel immemorabili consuetudine non præscribitur : *Ibid.*

Et de jure exigendi cathedraticum, ac de nonnullis quæstionibus cathedraticum respicientibus late disserit Benened. XIV *de Synodo diœcesana* : *Ibid.*, § 13.

Cathedratici solutio inter præcipua episcopalia jura recensetur, eaque fieri in honorem cathedræ et in signum subjectionis : *Sars., On.*, 30 *julii* 1774, § 9; *Fer., Cat.*, 19, *apr.* 1760, § 3; *Æsin., Cat.*, 23. *febr.* 1771, § 13; *Asc., Cat.*, 17 *apr.* 1634, § 1; *Cerv., Cat.*, 20 *aug.* 1774, § 2; *Set., Proc. et Cat.*, 27 *jun.* 1761, § 3; *Fir., Cat.*, 24 *jul.* 1734. § 5.

Duo julii exigendi sunt nomine cathedratici super reditibus non excedentibus scut. 10, quinque autem julii ex reditibus infra summam scut. 50, et decem julii infra summam scut. 100, et quindecim pro alia quacumque majori summa, 20 autem ab ecclesiis, ubi plures de massa participant : *Fer., Cat.*, 19 *apr.* 1760, § 5.

Concilium Romanum hoc præscribendo salvas esse voluit consuetudines ecclesiis et Episcopis magis favorabiles : *Ibid.*, § 6.

Limita : sed id referri non debet ad quantitatem, aliter inutilis esset taxa ; sed referendum est ad modum solutionis : *Ibid.*, § 7.

Et inducitur per observantiam quadragenariam : *Ibid.*

Præsertim inspecta expressa littera concilii Romani, qua hujusmodi præservantur consuetudines non circa modum solutionis, sed circa quantitatem debiti : *Ibid.*, § 8.

Nullum sane jus episcopale antiquius est cathedratico : *Æs., Cat.*, 23 *febr.* 1771, § 13.

Nullumque pariter jus est, quod potiori privilegio fruatur, cum neque ab Episcopo in totum remitti, neque ullo titulo, aut immemorabili consuetudine præscribi possit : *Ibid.*

Præstari cathedraticum olim Episcopis consueverat vel dum diœcesim visitabant, vel extra visitationem, præsertim tempore synodi : *Ibid.* § 14.

Hodie vero exigi nequit in visitatione, cum Tridentinum Concilium Episcopis diœcesim visitantibus id expresse prohibuerit : *Ibid.*

De quantitate præstanda pro cathedratico duorum solidorum, disputant doctores, quænam solidi species intelligi debeat : *Ibid.*, § 15.

Propterea certa et universalis regula quoad cathedratici præstationem statui non posse, sed illius quantitas desumenda esse videtur a peculiaribus locorum statutis, et recepta in qualibet diœcesi consuetudine : *Ibid.*

Ab archipresbytero, qui cum capitulo et canonicis unicum corpus constituit, unicum tantum cathedraticum in communi ab omnibus membris ejusdem capituli est præstandum : *Ag., Cath.*, 20 *dec.* 1766, § 2.

Possessores etiam beneficiorum simplicium debent cathedraticum persolvere, quia eadem ratio honoris et subjectionis concurrit : *Cam., Cat.*, 20 *aug.* 1774, § 2.

Et quamvis ex speciali privilegio Summi Pontificis quælibet ecclesia, et quodvis beneficium ab Episcopi jurisdictione et cathedratici solutione eximi possit, id tamen nunquam præsumi debet nisi expressum exemptionis privilegium exhibeatur : *Ibid.*

Uniones etiam beneficiorum semper factæ censentur cum omnibus honoribus, et oneribus, et absque alterius præjudicio : *Ibid.*

Cathedraticum præstandum est ultra procurationem : *Set., Proc.*, 17 *junii* 1761, § 3.

Nec valet contraria consuetudo etiam immemorabilis, quam sustulit novissime Concilium Romanum : *Ibid.*

Causa beneficiorum unitorum eximere non potest ab onere cathedratico, quod ex ipso actu erectionis beneficiorum oritur, eique semper inseparabiliter inhæret, neque ab Episcopo in totum remitti valeat : *Cam., Cat.*, 20 *aug.* 1774, § 3.

Æquum est, ut qui ab Ecclesia stipendia recipit, Ecclesiæ etiam moderatori ejusque cathedræ aliquod tributum in signum honoris et subjectionis persolvat : *Ibid.*

Idque procedit, etiamsi beneficiorum unio in favorem capituli sequuta fuisset : *Ibid.*

Et nulla est repugnantia quod canonici simul et beneficiati distinctum solvant Episcopo cathedraticum, quando constat beneficia non fuisse unita massæ capitulari, pro qua canonici cathedraticum in communi persolvunt, sed peculiaribus præbendis nec illorum titulus fuit extinctus : *Ibid.*

Cathedraticum utpote debitum in signum jurisdictionis, et in honorem cathedræ episcopalis nec præscribi potuit, nec ab Episcopo remitti : *Ibid.*, § 5 ; *Mac., Cat.*, 8 *maii* 1734, § 6.

Inter cætera episcopalia jura cathedraticum potissiminum recensetur, illudque singulis annis ab omnibus ecclesiis et beneficiatis Episcopo præstari debet, in signum honoris et subjectionis cathedræ pontificali : *Ibid.*, § 7.

Et servatur honor cathedræ, quoties cathedratici solutio perseverat, quæ præscribi nunquam potest : *Ibid.*

Ac soluitur nullo habito respectu ad synodum, licet in synodi celebratione persolvatur : *Ibid.*

Si canonici et beneficiati sustententur ex massa communi, ex eaque unuquisque suam percipiat partem, tunc unicum cathedraticum rependere sufficit : *Ibid.*, § 8.

Si vero beneficiati præter portionem, quam ex massa communi trahunt, alia etiam beneficia simplicia obtineant, ex his omnibus cathedraticum Episcopo solvere debent : *Ibid.*

Cum concilium Romanum non fuerit œcumenicum, nec certam quoad omnes diœceses regulam constituere potuerit, idcirco a peculiaribus cujusque diœcesis, et a consuetudine quantitas cathedratici dimetienda est : *Ibid.*, § 9.

Differentia est inter regularium monasteria et eorum capellas. Nem monasteria ad cathedraticum non tenentur, capellæ vero hoc nomine tenentur solvere duos solidos : *Fir., Cat.*, 24 *julii* 1734, § 6.

Ratio differentiæ est, quia monasteria exempta sunt a lege diœcesana, sed eorum caqellæ non sunt: *Ibid.*

Regulares non tenentur solvere cathedraticum de monasteriis eorumque ecclesiis, ubi ipsi divina peragunt : *Macer.*, 8 *maii* 1734, § 8.

Attamen illud solvere tenentur de ecclesiis, beneficiis, capellis, et parochiis secularibus, quibus præsunt, etiamsi monasteriis eorum pleno jure sint incorporatæ : *Ibid.*

Ex sacris canonibus taxatum reperitur in duobus solidis : *Ibid.*, § 10.

Hos autem duos solidos æquare æstimationem viginti juliorum, inhærendo sententiæ plurium doctorum, declaravit concilium Romanum : *Ibid.*

Et dictum concilium salvas voluit consuetudines ecclesiis et Episcopis magis favorabiles : *Ibid.*

Monasteria, ecclesiæ, et beneficia quæcumque regularia a primævo regulari statu, si contingat, ea presbyteris secularibus in commendam concessat, nunquam decidant, semper a cathedratici solutione immunia servantur : *S. Sev., Cath.*, 14 *jan.* 1741, § 3.

Tametsi cathedraticum non teneantur solvere regulares pro suis monasteriis et ecclesiis in quibus divina peragunt officia, communiter tamen receptum habetur, beneficia, ecclesias, capellas, et parochias seculares, quæ pleno jure fuerunt subinde monasteriis addictæ, et ut aiunt incorporatæ, ab onere cathedratici non liberari sed eadem lege, qua antea provisos, ad præstationem obstringi : *Ibid.* § 4.

Sicuti cathedraticum in signum subjectionis ac in honorem episcopalis cathedræ ab unaquaque ecclesia et beneficio persolvitur : *Ibid.*, § 5.

Ita privilegiatum adeo dicitur, et Episcopo tam juste debetur, ut exemptio ab ejus solutione nisi fuerit expresse declarata, nunquam Apostolicis constitutionibus, aut privilegiis impertita censeatur : *Ibid.*

De quantitate cathedratici apertus est can. *Placuit quæst.* qui in duobus solidis consistit : *Bac.*, 14 *mart.* 1767, § 13.

Valor duorum solidorum, in Statu Ecclesiæ respondet duobus scutis Romanis : *Ibid.*, § 14.

Et in regno Neapolitano, respondet duobus ducatis illius monetæ : *Ibid.*

Et id juxta declarationem Benedicti XIII in synodo Beneventana : *Ibid.*, § 2.

Non aliud jus Episcopo tribuitur, quam duos solidos ab unaquaque ecclesia sibi subjecta, cathedratici nomine exigendi : *Viter.*, 6 *apr.* 1742, § 2; *Aux. seu Cing., Cat.*, 10 *mart.* 1759, § 3.

Neque hac in re renovatum aliquid fuit a concilio Romano sub Benedicto XIII habito, sed tantum ad tollendas quæstiones super valore solidorum in eorum locum scuta duo romana constituit : *Ibid.*

Cathedraticum Episcopo solvendum, descendit ex injuncta obligatione : *Bar.*, 14 *mart.* 1767 § 8.

Et valor duorum solidorum statutorum juxta diœcesis et locorum consuetudinem dimetiendus est : *Ibid.*

Atque ea summa, qua ab immemorabili fuit solutum, in eodem quantitate in posterum præstanda est : *Ibid.*

Meta valorem duorum solidorum pro cathedratico, excedere nequit per consuetudinem : *Aug. seu Cing., Cat.*, 25 *jun.* 1763, § 8.

Et vetitum est omnino Episcopis quidquam exigere pro cathedratico, præter duos, solidos : *Ibid.*

Nec legitima videri potest exactio titulo census,

ex quo non constat de valida illius reservatione : *Ibid.*

Episcopis debetur cathedraticum ex præscripto sacrorum canonum in duobus solidis ; et hi duo solidi adæquant æstimationem viginti juliorum, ut omnes doctores declarant : *Bar., Stren. et Cat.*, 20 *dec.* 1732, § 6.

Inter cetera jura episcopalia cathedraticum recensetur, quod ad duos solidos ab unaquaque ecclesia et persona dicto onere affecta solvendos restringitur juxta concilium Bracharense et concilium Toletanum septimum : *Angl., Cat. dec. et Quar. fun.*, 31 *jan.* 1723, § 1.

Et horum conciliorum auctoritas vim legis habet in jure communi, in sequelam decretalis Honorii III absque eo quod juri cathedratici derogatum dici valeat a Sacro Concilio Trid : *Ibid.*

Cathedraticum a singulis parochis exigitur argumento honoris, qui cathedrali ecclesiæ tanquam matri a ceteris parochialibus ecclesiis tribui debet: *Ibid.*

Concilium Tridentinum non sustulit cathedraticum ; attamen id non est solvendum in visitatione, sed extra, et in synodi celebratione : *Ibid.*

Consuetudo, etiam immemorabilis, cathedratico contraria non suffragatur : *Ibid.*, § ult.

Pelagius I et concilium Bracharense II decrevit duos solidos exigendos pro cathedratico : *Aux. seu Sing., Sat.*, 25 *junii* 1763, § 4.

Et intelligendi sunt de solidis romanis qui tunc in more erant : *Ibid.*

Ac pluris æstimabantur, quam duo aurei vulgo *zecchini* nostræ ætatis, quorum 96 pridem requirebantur ad libram constituendam : *Ibid.*

Sed in hac solidorum æstimatione servanda est consuetudo cujusque diœcesis, dummodo non excedat antiquum illorum valorem : *Ibid.*, § 5.

Sed etiam si præfatum antiquum valorem excederet, quia præfinitio duorum solidorum jure ecclesiastico inducta, potest immemorabili præscriptione variari : *Ibid.*

Concilium Romanum vero definiit valorem solidorum duorum in 20 juliis, et minorem etiam quantitatem pro cathedratico solvendam, juxta reditus beneficiorum : *Ibid.*

Salvis tamen consuetudinibus, ecclesiis et episcopis magis favorabilibus : *Ibid.*

Cathedratici naturæ non adversatur modus præstationis in speciebus mixtis cum pecunia, cum hic usus veteri Ecclesiæ disciplinæ conformis sit: *Ibid.*, § 3.

Cathedraticum debetur in honorem cathedræ episcopalis etiam a divite mensa ; *Set.*, 27 *apr.* 1766, § 18.

Privilegium exemptionis ecclesiarum, quod in solo Lateranensi habetur, immunem non reddit ecclesiam a cathedratici et procurationis solutione: *Mac., Cath. et Proc.*, 10 *jun.* 1741, § 3.

In sacris canonibus, cum de jure exigendi cathedraticum loquitur, diœcesis tantum, non civitatis fit mentio : *Urb., Sat.*, 13 *febr.* 1745, § 2.

Episcopus potest occasione Ecclesiæ consecrationis sibi reservare tertiam partem oblationum, præter cathedraticum, dummodo non sit ecclesia parochialis : *Aux. seu Sing., Sat.*, 25 *jun.* 1763, § 6.

Et omnes tituli idonei reservationis hujusmodi, etiam Apostolica auctoritate roborati, præsumuntur post immemorabilem : *Ibid.*

Cathedraticum ipso jure communi firmatum adeo est privilegiatum, ut neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat quocumque titulo, vel immemorabili consuetudine, per præscriptionem denegari : *Sars., On.*, 30 *julii* 1774, § 18.

Certa et universalis regula quoad quantitatem cathedratici præscribi nequit, sed illa desumenda est a particularibus locorum statutis, et recepta in qualibet diœcesi consuetudine : *Ibid.*

Beneficia unita debent cathedraticum Episcopo; præsertim si eorumdem uniones, factæ a vicario generali, Episcopi speciali facultate ad id necessaria destituto, irritæ prorsus et invalidæ sint : *Tol., Cat.*, 28 *febr.* 1739, § 2.

Ita quidem, quod etiamsi uniones sustineantur, qualescumque illæ sint, sive, ut aiunt, æque principaliter, sive accessorie tantum peractæ censeantur, attamen nullum potuerint cathedræ episcopali detrimentum afferre : *Ibid.*

In jure receptum est, cathedraticum in Apostolicis constitutionibus, bullis, aut privilegiis non censeri comprehensum, nisi de eo expresse fuerit dispositum : *S. Sever., Cat.*, 22 *nov.* 1738, § 3.

Et ei debetur, etiamsi constet de opulenta mensa episcopali, cum illud in signum subjectionis ac in honorem cathedræ, non autem in subsidiariam Episcopi conservationem præstandum sit : *Ibid.*, § 4.

§ IV.

Episcopus quoad causarum cognitionem.

Concilium Tridentinum, sess. 22, cap. 8, Episcopos tanquam Apostolicæ Sedis delegatos vocat executores omnium piarum dispositionum, et omne jus illis tribuit : *Sen.*, 8 *jun.* 1765, § 24.

Potest Episcopus in quolibet suæ diœcesis oppido vicarios foraneos constituere, eisque facultatem tribuere minores causas cognoscendi : *Fer.*, 13 *febr.* 1772, §§ 3 et 4.

Episcopus, spreta quacumque curiæ metropolitanæ inhibitione, procedere potest impune contra violatores episcopalis jurisdictionis ; *Fer.*, 13 *julii* 1743, § 6.

Episcopus alterius diœcesis incolam judicare nequit ; nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare potest ; hoc idem est ac si dixerimus, ad eum spectare facultatem exercendi in aliena diœcesi potestatem ordinis : *Pist. et Prat.*, 2 *oct.* 1721, § 3.

Ampliatur etiam, quod si Episcopus non potest ordinare, licet ordo sit voluntariæ jurisdictionis, multo minus poterit judicare, quum judicium referatur ad jurisdictionem contentiosam : *Ibid.*

Quadragenariam cum titulo seu privilegio a S. Concilio Tridentino, cap. 20, vers. *Ad hæc*, sess. 20, omnino sublatam esse constat, ita ut Theatinus episcopus matrimoniales atque criminales causas cognoscere valeat, excluso præposito de Atissa : *Theat. seu N. Atis.*, *Jur.*, 11 *mart.* 1732.

Primam instantiam causarum ecclesiasticarum præservat Concilium Tridentinum Ordinario : *Nov.*, *Un.*, 11 *sept.* 1762, § 5.

Et Concilii Tridentini decretum impedimento non est, quominus in gradu appellationis reparentur gravamina decreto visitationis illata : *Ibid.*, § 6.

§ V.

Episcopus quoad collationem sacramenti Confirmationis.

Episcopis vetitum est quidquam exigere pro collatione sacramenti Confirmationis, sive a singulis confirmatis, sive a corporibus et communitatibus : *Am.*, *Proc.*, 20 *dec.* 1755, § 2.

Et id locum habet, etiamsi iter faciat diœcesim visitando, atque accedens ad oppida, et terras sive gratia visitationis, sive expresse, ut sacramentum confirmationis conferat : *Ibid.*

Neque excipi potest de consuetudine, tum quia ad eam inducendam requiritur longum tempus cum actuum frequentia, et non per actus, qui meram largitionem præ se ferunt, ex qua induci nequit coactiva consuetudo, sed servanda illa esset, quo usque laici velint, non vero iis recusantibus et nolentibus : *Ibid.*

§ VI.

Episcopatus quoad collationem sacrorum Ordinum.

Prioribus Ecclesiæ seculis Episcopus quisque alienis etiam subditis laicis ordines conferre poterat : *Fabr. et Cam.*, *Ord.*, 19 *aug.* 1797, § 10.

Hæc disciplina viguit ad annum Christi millesimum, quo tandem ad tres species distincti fuerunt Episcopi, originis nempe, domicilii, et beneficii, eisque concessa fuit potestas ordinandi suos respectivos subditos : *Ibid.*

Episcopi possunt extra jejunia Quatuor Temporum dominicis, aut aliis festivis diebus unum, vel duos ad minores ordines promovere : *Port.*, 16 *mart.* 1720, § 3.

Nonnullis in locis consuetudo admittitur, ut Episcopus minores ordines die veneris post prandium ante diem subbati Quatuor Temporum conferre valeat : *Ibid.*, § 8.

Præsertim vero, quia dies sabbati censetur incipere a vesperis feriæ sextæ, nec ulla adest necessitas, ut minores ordines conferantur sub Missæ sacrificio, vel ut ordinatus jejunus sit : *Ibid.*

Alii consuetudinem illam Pontifici Romano attribuunt : *Ibid.*

Fagnanus censet esse distinguendum inter publicam ordinationem, sive generalem, et ordinationem privatam, quæ fit in capella, vel in secreto sacrario, accedente aliqua necessitate, vel utilitate ecclesiæ. Primam vocat illicitam, si fiat die veneris, non obstante consuetudine, et secundam licitam esse ait, si pro ea stat consuetudo ; et concludit, quod expediat consuetudinem hanc aboleri : *Ibid.*

Episcopi judicio relinquitur clericorum ordinatio : *Asc.*, *Ord.*, 24 *mart.* 1792, § 2.

Ideoque nemo ad ordines promovendus nisi qui sui Episcopi judicio utilis sit, et necessarius ceterisque polleat qualitatibus a Concilio Trid. præscriptis : *Ibid.*

Ab illius judicio non datur appellatio sed admittitur recursus ad S. Sedem, quæ ordinationem committere solet metropolitano, aut viciniori Episcopo ; in illum casum, si ordinandus tribus vicibus supplex rogaverit Episcopum ordinarium pro conferendis sibi ordinibus, Episcopus autem sine legitima causa ipsi ordines conferre recuset : *Ibid.*, § 2.

Episcopus domicilii ordinare potest illum, qui decennem in loco fecerit moram : *Fabr. Cam.*, *Ord.*, 19 *aug.* 1797, § 11.

Quæcumque fuerit occasionalis illa mora, ratione scilicet artium ; verum absque declaratione animi non constituit domicilium : *Ibid.*, § 14.

Inspecta hac contraria declaratione, quæ verum excludit domicilium, licet quis commoratus fuerit in aliqua civitate per annos centum, sine animo domicilium figendi, non fit domiciliatus : *Ibid.*

Ordinandus declinare nequit Episcopum, quem

semel in suum agnovit ordinarium : *Cam. et Sutr., Ord.*, 17 *sept.* 1791, § 5.

Nisi eum eligerit pro simplici tonsura, et minoribus ordinibus : *Ibid.*

Ordines alieno subdito conferre valet Episcopus beneficii : *Ibid.*, § 2.

Requiruntur tamen testimoniales proprii Ordinarii, et quod sufficientes sint beneficii reditus pro patrimonio sacro, ad mensuram taxæ synodalis ordinantis : *Ibid.*, § 3.

Episcopus ratione episcopalis characteris, valide alienis etiam subditis ordines confert : *Fabr. et Cam., Ord.*, 19 *aug.* 1797, § 4.

Sed illicite confert absque testimonialibus Episcopi cui subjectus est : *Ibid.*, § 5.

Ideoque facultas promovendi ad ulteriores ordines Episcopo tribuitur ratione beneficii, cum testimonialibus Episcopi originis : *Eug. seu Null. Non., Con.*, 21 *jan.* 1797, § 13.

Episcopus nullum debet ordinare, qui judicio suo non sit utilis, aut necessarius suis ecclesiis : *Ross.*, 14 *maii* 1763, § 13.

Ordines sacros conferre non tenetur Episcopus justis concomitantibus causis : *Tir., Ord.*, 30 *maii* 1778, § 12

Quia in hac parte judicem solum habet Deum : *Ibid.*

Intellige tamen quando res versatur cum promovendo ad titulum patrimonii sacri : *Ibid.*

Non aliter vero si res sit de eo qui beneficium obtinuit adnexos habens ordines, tunc enim Episcopus illos conferre debet, ne alias beneficio privatus maneat accedentibus tamen necessariis requisitis ; et dummodo impedimento canonico non sit innodatus : *Ibid.*

Episcopus denegare cuique potest ordinum collationem, quin rejectionis causam pandere teneatur: *Alex., Præp.*, 31 *aug.* 1771, § 14.

Cautum in jure est, ut nullus prima tonsura initietur, de quo probabilis non habetur conjectura quod fidelem Deo cultum, Ecclesiæque servitium sit præstiturus : *Ibid.*

Potest Episcopus denegare etiam beneficiato et arctato ordines, etiamsi nullum eidem obest canonicum impedimentum, nec ulla concurrat ex causis a SS. Canonibus præscriptis : *Ibid.*

Quum desunt vocationis signa in aliquo, etiamsi arctato, ad primam tonsuram non est admittendus : *Ibid.*, § 15.

Parocho præferri debet semper testimonium Episcopi, cui vita et mores clericorum perspecti optime præsumuntur : *Ibid.*, § 16.

Episcopus, injuste renuens conferre ordines arctatis ratione beneficii, compelli potest a S. Congr. Concilii : *Tud., Ord.*, 19 *sept.* 1761, § 4.

§ VII.

Episcopus quoad dispositiones testamentarias.

Episcopo in ultimis vitæ periodis constituto de bonis ratione ecclesiæ acquisitis, etiam ad pias causas disponere vetitum est : *Fig.*, 14 *apr.* 1736, § 4.

Episcopus non solum regularis, sed etiam secularis, non potest disponere per mortem suam de omnibus acquisitis intuitu episcopatus, quia omnia pertinent ad ecclesiam cui præest : *Vot., Card. Pereira*, 18 *dec.* 1723.

Ad donandum, seu disponendum in vita, ex communi doctorum sententia, æqualis tribuitur facultas Episcopo regulari, quam seculari : *Ibid.*, § 25.

Episcopo non licet, neque in propriæ animæ suffragationem disponere de bonis illis, quæ vi vulgatæ const. Innocentii *Inscrutabili* debent in beneficium cathedralis erogari : *Boj., Sp.*, 10 *maii* 1742, § 2.

§ VIII.

Episcopatus quoad dispositionum piarum exequutionem.

Episcopo permittit Sac. Conc. Trident. sess. 22, cap. 8, *de Reform.*, piarum dispositionum executionem : *Foros., Sub. dot.*, 3 *aug.* 1789, § 9.

Et hæc facultas limitanda est juxta testatorum mentem : *Ibid.*

Ad Episcopos pertinet pias fidelium dispositiones executioni committere : *Fav.*, 20 *jun.* 1767, § 16.

Et ab ejus judicio non est discedendum : *Ibid.*

Quia Episcopus piarum voluntatum legitimus executor et judex est : *Reat., Sub. dot.*, 8 *jul.* 1786, § 10 ; *Fan., Cap.*, 7 *maii* 1791, § 11 ; *Ferr.*, 11 *sept.* 1787, § 10.

Episcopus, tanquam executor piæ voluntatis, jus habet cogendi patronos ad onera implenda : *Alb.*, 24 *mart.* 1792, § 6.

Jus olim Episcopis fuit pias testatorum dispositiones, ipsis etiam prohibentibus executionem, curandi, cum id in eorum cederet utilitatem : *Fav., Red. rat.*, 8 *aug.* 1772, §§ 14, 15.

Si in piis dispositionibus in favorem pauperum nullus a testatore datus sit executor, ad Episcopum executio spectat : *Vit., Dot.*, 11 *apr.* 1761, § 3.

Episcopus, nisi expresse a fundatore excludatur,

semper valet rationes operum piorum exquirere, vel solus, vel cumulative cum administratoribus aut hæredibus : *Ibid.*, § 4.

Et consequenter in casu detectæ fraudis, vel negligentiæ, demandare potest alterius exactoris electionem : *Ibid.*

Non est in arbitrio Ordinarii legem fundationis alterare, novaque onera beneficiatis adjicere : *Cas.*, 12 *dec.* 1767, § 11.

Auctoritas ordinaria non est satis ad superaddendum novum onus beneficio jam erecto, sed requiritur ad id pontificia : *Vel., Res. et Ser.*, 20 *mart.* 1790, § 5.

Nec officit centenaria subsecuta observantia, sive quia independenter beneficiatis a suis decessoribus possidet beneficium, sive quia de infecto constat oneris initio ex ordinaria potestate, sive quia intercessit judicium, ex quo centenaria interrumpitur : *Ibid.*

§ IX.

Episcopus quoad duas ecclesias concathedrales.

Respectu Episcopi concathedrales ecclesiæ, licet inter se distinctæ, unum corpus constituunt atque unam diœcesim : *Terr. et Set.*, 1 *mart.* 1766, § 15.

Ideoque coacta synodus obligat omnes : *Ibid.*

Et potest Episcopus commodiori sibi loco synodum agere : *Ibid.*

Atque licet Sac. Congr. de locis interdum aliquid dederit consuetudini, vel æquitati, nunquam tamen actas synodos improbavit : *Ibid.*

Et Episcopus recedentes atque non obedientes pœnis deterrere simul ac ligare potest : *Ibid.*, § 17.

Episcopus tenetur vicarium et examinatores in utraque civitate et diœcesi eligere, ne hujus negotia et causæ in distincta diœcesi discutiantur : *Tusc., Conc.*, 16 *mart.* 1771, § 4.

Hinc concursus ecclesiarum parochialium unius diœcesis, in ea civitate tantum et coram hujus vicario generali est peragendus : *Ibid.*

§ X.

Episcopus quoad functiones sacras.

Archiepiscopus sacrum non facit solemne, nec proprie pontificalia officia exercere dicitur, nisi cum manus imponit : *Urb., Vis. SS. LL.*, 10 *dec.* 1746.

Nulli Episcopo licet cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas tantum sibi subjectas : *Col., Fun.*, 1 *jun.* 1722, § 2.

Nec Episcopo licet eadem pontificalia exercere in loco exempto, nisi præter licentiam inferioris, cui locus ille subjectus est, adsit licentia Episcopi, intra cujus diœcesis fines locus ille reperitur, quamvis inferior ratione exemptionis prætenderet se posse Episcopum sibi magis benevisum ad exercenda pontificalia vocare : *Ibid.*, § 3.

Contrarium vero procedit, si agatur de exempto non sito infra fines diœcesis, sed habente suum territorium separatum cum facultate vocandi quemcumque Antistitem sibi benevisum : *Ibid.*

Duodecim presbyteri, septem diaconi, septem subdiaconi, acolythi, aliique ministri necessarii vestibus albi coloris suo ordini congruentibus induti ; præter consuetos ministros debent Episcopo assistere, dum feria quinta in Cœna Domini sacra olea conficit, juxta antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem : *Fer.*, 26 *mart.* 1735, § 8.

Episcopus non tenetur de paramentis et sacra supellectili sibi providere, sed canonici ecclesiæ cathedralis debent ea pro pontificalibus functionibus tam in cathedrali, quam extra illam obeundis, subministrare : *Urb.*, 19 *jan.* 1737, § 3.

Episcopus tenetur nisi aliqua rationabilis causa contrarium suadeat sacra olea in cathedrali ecclesia conficere : *Vit.*, 14 *sept.* 1782, § 6.

Si Episcopus duas cathedrales unitas subjective, tam chrisma conficere, quam alias pontificales functiones in cathedrali, cui unita est altera peragere debet : *Ibid.*, § 8.

Si æque principaliter sint unitæ, non tenetur modo in una, modo in alia prædictas functiones explere, sed in alterutra, prout sibi placuerit illas exercere valet, quia quoad episcopum duæ ecclesiæ habentur tanquam unica cathedralis : *Ibid.*

Consuetudo inducta, ut in una tantum ex ecclesiis cathedralibus unitis fiat sacrorum oleorum benedictio, servanda est : *Ibid.*, § 11.

Et ad eam inducendam requiruntur actus importantes præscriptionem, id est voluntas contraria cum acquiescentia, et Episcopus laudabiliter se gerit, si aliquando in alterutra ex suis ecclesiis unitis hujusmodi pontificalia peragat : *Ibid.*

§ XI.

Episcopus quoad jurisdictionem ordinariam vel delegatam in genere.

Episcopus juris præsumptione potitur, quæ ei assistit in toto ambitu suæ diœcesis : *Cap.*, 12 *jul.* 1760, § 1.

Si omnia non habentur præ se ferentia, jurisdictionis episcopalis exercitium adjuvatur præsumptione juris, pro subjectione eorumdem locorum, ordinariæ jurisdictioni Episcopi in cujus diœcesi sita sunt : *Ibid.*

Episcopo competit jurisdictio delegata in Bajulivatus ecclesiis Religionis Hierosolymitanæ quoad respicientia curam animarum et administrationem sacramentorum, ordinaria vero quoad clerum et populum : *Ibid.*, § 2.

Et non juvat privilegium territorii separati præsumptum ab immemorabili, quæ uti interrupta per actus jurisdictionales exercitos ab Episcopo nullius remanet efficaciæ : *Ibid.*, § 4.

Atque quæ efficaciter non eruitur ex retentione tribunalis, et exercitio jurisdictionis intra septa commendæ, cum hanc habeant potestatem prælati exempti citra præjudicium ordinariæ jurisdictionis Episcopi in clerum et populum : *Ibid.*

Episcopus habet potestatem legislativam in sua diœcesi : *Reat.*, 5 *apr.* 1788, § 4.

Sub Episcopi jurisdictione sunt societates laicales : *Ibid.*

Negatur Episcopi jurisdictio in coactivis ordinationibus sodalitii ; quum neque provinciales synodi ledere valeant naturalem libertatem : *Ibid.*, § 11.

Maxime, si ipse Episcopus per edictum id mandat quod Summus Pontifex probare noluit : *Ibid.*

Episcopus potest vigore Conc. Trid., sess. 6, cap. 4, *de Reform.*, visitare, corrigere, et emendare etiam auctoritate Apostolica capitula cathedralium et aliarum majorum ecclesiarum per se ipsum solum, vel illis adjunctis quos ad hoc officium habiles invenerit : *Crem.*, *Syn.*, 29 *aug.* 1733, § 4.

Concilium Tridentinum, sess. 22, cap. 8 et 9, amplissimam tribuit jurisdictionem Episcopis super loca pia : *Arim.*, *Mont. piet.*, 9 *julii* 1768, § 4.

Jus Episcoporum et potestatem in piis locis erigendis, constituendis, ordinandisque, ipsæ leges civiles agnoverunt : *Sen.*, 8 *jun.* 1765, § 22.

Episcopis et omnium locorum Ordinariis tributa est facultas a Synodo Tridentino ut tanquam Apostolicæ Sedis delegati, valeant contra subditos, non obstante exemptionis privilegio, procedere, eosque delinquentes debitis pœnis cohibere, omni exemptionis privilegio quantumvis amplo et generali abrogato : *Neap.*, *Ex.*, 1 *sept.* 1736, § 2.

Et non obstante exemptionis privilegio, ratione delicti, sive contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur, rite possunt clerici et presbyteri coram locorum Ordinariis conveniri, atque in triplici hoc casu, suam valeant in illos jurisdictionem exercere : *Ibid.*

Exemptæ sunt ab Episcopi jurisdictione universitates generales, collegia doctorum, seu scholarum, loca regularia, hospitalia, ac personæ dictorum locorum et universitatum : *Ibid.*, § 3.

Exemptio ita concessa, ut locorum Ordinarii nequeant adversus exemptos neque ratione delicti, contractus, seu rei, procedere ; non comprehenditur in dispositione cap. *Volentes*, *de Privil.*, in 6 : *Ibid.*, § 4.

Licet Episcopis admonere ex rationabili causa superiores regulares, ut confessores, atque administratores bonorum monialium admoveant ; quibus nolentibus ille removendi habet facultatem : *Const.*, *Jur.*, 31 *mart.* 1770, § 8.

Immo petere potest Episcopus adhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis administrationis rationes ab illis exigere, etiam juris remediis : *Ibid.*, §§ 11, 12.

Item potest Episcopus una cum superioribus regularibus electioni superiorissæ monasterii monialium, quocumque nomine appellentur, per se vel per alium interesse ac præsidere absque monasteriorum impensa : *Ibid.*, § 14.

Episcopus caret omni jurisdictione in ecclesiis, conventibus, aliisque membris, et annexis conventuum regularium, qui immediate subjecti sunt Sedi Apostolicæ : *Nov.*, *Jur.*, 15 *decemb.* 1764, § 2.

Intellige de ecclesiis quæ nec parochiales sint, nec per presbyteros regulares regantur : *Ibid.*, § 3.

Etiamsi extra claustra sint, dummodo conventui subjective unita sint : *Ibid.*, § 4.

Unde exemptum est hospitium, vel ecclesia monasterio unita, quæ semper a superioribus regularibus fuit visitata : *Ibid.*, § 5.

Secus tamen est in ecclesiis parochialibus, vel quæ a presbyteris secularibus administrantur : *Ibid.*, § 3.

Cautum est in const. Gregorii XV *Inscrutabili* posse Episcopos una cum superioribus regularibus quarumcumque abbatissarum, priorissarum, præfectarum, vel præpositarum in monasteriis quocumque nomine appellentur electionibus per se vel per alium interesse et præsidere, absque ulla tamen ipsorum monasteriorum impensa : *Phar.*, *Jur.*, 19 *sept.* 1733, § 2.

Episcopo inhæret onus probandi formalem monasterii existentiam in sua diœcesi, ut jurisdictionem super illo valeat exercere. *Eug.*, *Jur.*, 13 *mart.* 1773, § 9.

Subsunt Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati jurisdictioni quæcumque personæ, sive seculares, sive regulares exemptæ curam animarum exercentes, vel sacramenta in quibusvis ecclesiis administrantes : *Pal.*, *Jur.*, 4 *jun.* 1763, § 5.

Pro præscribenda omnimoda jurisdictione episcopali cum territorio separato, requiritur aut expressum privilegium Apostolicum, aut immemorabilis consuetudo rigorose probata quoad omnes actus jurisdictionales : *Aq., Jur.*, 18 *jul.* 1761, § 4.

Et quando res est de præscribenda jurisdictione quoad unum actum particularem, satis est præscriptio quadragenaria cum titulo colorato : *Ibid.*

Regula illa, ut Episcopo assistat jus commune circa titulum et exercitium jurisdictionis ordinarie in aliquo territorio tunc solum habet locum, ubi certa est, et non controversa existentia talis territorii in sua diœcesi : *Vult., Jur.*, 28 *febr.* 1733, § 6.

Episcopus in piis locis, in quorum fundatione contrarium expresse cautum fuit, ordinariam jurisdictionem exercere nequit : *Asc., Jur.*, 12 *mart.* 1763, § 8.

Non competit Episcopo cumulativa jurisdictio, quando agitur de re dubia : *Aug.*, 12 *aug.* 1758, § 4.

Quod si etiam cumulativa jurisdictio Episcopo competeret, præferri debent præsidum decreta, quæ Pontificia auctoritate feruntur, non Episcopi judicis inferioris : *Ibid.*

Ad jurisdictionem privativam ab Episcopo avellendam, non tantum requiritur, ut Episcopus eamdem nunquam exercuerit, sed etiam ut prælatus inferior contradixerit, et Episcopus acquieverit : *Sap.*, 14 *mart.* 1767, § 15.

Non est incompatibile ut ordinaria jurisdictio Episcopo competat, et prælatus inferior particulares jurisdictionis actus simul exerceat : *Ibid.*, § 3.

Quoties Ordinarius prævenerit in cognoscendo, inquirendo, et corrigendo delinquentem, non valet superior causam reassumere ac Ordinario inhibere, nisi ex justis causis, recensitis in decretis generalibus editis a S. Congr. super statu regularium approbatis a S. M. Alex. VII : *Vult., Jur.*, 29 *nov.* 1729.

§ XII.

Episcopus quoad jus conferendi beneficia suæ diœcesis.

A patronis præsentatos Episcopo non licet repellere, quando fuerunt idonei reperti : *Fes.*, 30 *sept.* 1724, § 3 ; *Alex. Præp.*, 31 *aug.* 1771, § 25.

Si Episcopus primo a patronis præsentatum idoneum malitiose recusavit, et admisit secundo præsentatum, eidemque dedit institutionem, hic robur habebit firmitatis cum melior sit conditio possidentis : sed Episcopus compellitur primo malitiose repulso beneficium conferre : *Ibid.*

Episcopus vero non solum potest, sed tenetur præsentato a patrono laico institutionem denegare, si idoneus et dignus repertus non fuerit : *Spol., Par.*, 19 *jan.* 1737, § 7.

Si tamen dignus et idoneus a patronis laicis præsentetur, debet in beneficio institui, cum ipsi ad differentiam patronorum ecclesiasticorum non teneantur digniorem et magis idoneum præsentare : *Ibid.*

In ecclesiis pluribus regni Neapolis licet receptitiis quoad sacerdotes patrimoniales, dignitates tamen ac officia earumdem ad Episcopos collationem pertinent : *Lyc. Can.*, 30 *apr.* 1746, § 2.

§ XIII.

Episcopus quoad jus ferendi censuras.

Episcopus potestatem habet indicendi suspensionem a divinis et ferendi censuras : *Civit. Cast., Punct.*, 16 *maii* 1795, § 12.

Prius tamen adhibere debet pœnas mitiores : *Ibid.*

Suspensus vero ministrans in ordine, evadit irregularis : *Ibid.*

Episcopus jam existens in possessione visitandi aras cœnobii Fratrum Minorum, in quibus duo laicorum sodalitia sunt instituta, potest judiciario ordine non servato, nec mentione præmissa, P. Guardianum anathemate multare : *Mur., Vis.*, 21 *jun.* 1732, § 4.

§ XIV.

Episcopus quoad onera in genere.

Ministerium verbi Dei Episcopis injunctum est uti proprium ac primarium munus ; quod si per se ipsos obire nequeant, per alios a se missos adimpleant : *Civ. Cast.*, 17 *dec.* 1763, § 7.

Quum Episcopus pingues habeat mensæ reditus ad sua explenda munera, ideo sumptibus suis debet, vel per alium rationes ab administratoribus locorum piorum exigere : *Val.*, 12 *dec.* 1767, § 4.

Episcopi onera sunt eadem quæ parochi : *Arim., Vis.*, 10 *febr.* 1781, § 3.

Inter alia illud est : Explicare Evangelium, ut grex proprii pastoris vocem audiat, quod est de jure divino : *Ibid.*, § 6.

Episcopus, ex debito pastoralis sollicitudinis, populi indigentiæ et curæ animarum providere tenetur cum sufficienti ministrorum numero, illisque

alimenta de bonis Ecclesiæ præstare : *Val.*, 17 *jan.* 1761, § 10.

Episcopus dubitans de efficacia dispensationis, consulere tenetur Sanctam Sedem : *Amal.*, 17 *jan.* 1761, § 6.

Episcopi qui subditos suos dimittunt ordinandos ad alium Episcopum, debent eos demittere probatos et examinatos; et cohærenter ad hæc invaluit opinio, quod Episcopus cui facta est commissio non teneatur inquirere an dimissi sint idonei et an habeant sufficientem titulum pro ordinatione : *Elb.*, *Dub.*, 2 *aug.* 1721, § ult.

Quum solus pœnitentiarus non possit audire confessiones omnium pœnitentium, in reservata lapsorum, Episcopus tenetur prospicere, et deputare per diœcesim viros idoneos pro excipiendis fidelium confessionibus, illisque absolvendis etiam a reservatis : *Pis.*, *Cas.*, 21 *nov.* 1761, § 4.

Ac propterea non est incongruum, plures pœnitentiarios in cathedrali ecclesia deputare : *Ibid.*

§ XV.

Episcopus quoad parochias earumque rectores.

Episcopus regulariter est parochus immediatus totius diœcesis, ubi nondum sequuta est divisio parochiarum : *And.*, 23 *apr*, 1763, §§ 2, 7.

A præsenti vero statu unius parochiæ, non potest duci argumentum exclusivum antiquæ divisionis præsumendæ post epistolam Dionysii papæ : *Ibid.*

Qui, post divisionem parochiarum Urbis, monuit Episcopos ut idem in suis diœcesibus faciant : *Ibid.*, § 8.

Non tamen repugnat quod, etiam post divisionem hujusmodi, cura immediata remanserit penes Episcopum : *Ibid.*

Quo casu archipresbyter cathedralis est vicarius Episcopi in cura animarum : *Ibid.*

Et illius presbyteri sunt cooperatores in exercitio curæ : *Ibid.*, § 7.

Episcopus de jure primus parochus est totius diœcesis, et præeminentialem habet omnium illius ecclesiarum curam : *For.*, *Jur. par.*, 11 *apr.* 1761, § 4.

Et non censetur Episcopus, in divisione parochiarum, se abdicasse primævo ac principale dominio, et jure quo potiebatur in ecclesiis civitatis : *Ibid.*

In administratione sacramentorum, et in exercitio jurium parochialium parochus excludere nequit Episcopum, vel alium ab eodem Episcopo deputatum : *Ibid.*, § 5.

Episcopi jurisdictioni, subest ecclesia parochialis ex dispositione juris : *Pal.*, *Jur.*, 4 *jun.* 1763, § 3.

Et Concilium Tridentinum non solum Episcopis restituit jurisdictionem in ecclesias parochiales monasteriis unitas, verum etiam voluit singulis ab eis visitari : *Ibid.*

Immo in ipsas ecclesias monasteriorum, quatenus eis incumbit cura animarum : *Ibid.*

Et a Bened. XIV abrogata fuerunt privilegia, ac consuetudines contrariæ Concilio Tridentino, et Episcopis præjudiciales : *Ibid.*

Sac. Synodus Trident. potestatem fecit Episcopis deputandi coadjutores, œconomos pro tempore parochis illiteratis et imperitis, partemque fructuum dictis coadjutoribus, seu vicariis, pro sufficienti eorum victu assignandi : *Jan.*, 10 *sept.* 1735, § 4.

Difformi tamen indicta lege contra parochos, qui propter vitæ turpitudinem potius destruunt, quam ædificant. Istos puniendos esse sanxit quacumque appellatione remota : *Ibid.*

Episcopus, licet habeat supremum jus in omnibus ecclesiis diœcesis, nihilominus nonnisi ex gravissima et rationabili causa committere potest jurium parochialium exercitium alteri quam parocho : *For.*, *Jur.*, 11 *apr.* 1761, § 9.

Ob suprema Sac. Congr. mandata de parochiali restauranda ecclesia, ac de exercendis in ea muniis parochialibus, non aliam gerere potest Antistes figuram quam simplicis executoris : *Fir..*, *Int.*, 19 *maii* 1787, § 3.

Episcopus debet parochiarum inopiæ consulere modis præscriptis a Sac. Concilio Tridentino, sess. 21 cap. 5, sess. 24 cap. 13, *de Reform.* : *Ven.*, 25 *jun.* 1763, § 6.

§ XVI.

Episcopus quoad potestatem absolvendi a censuris ac dispensandi ab irregularitate.

A Tridentino Concilio, sess. 24, cap. 6, datur Episcopis ampla potestas dispensandi in irregularitatibus, et suspensionibus, et absolvendi subditos a quibusvis casibus Sedi Apostolicæ reservatis in foro conscientiæ, immo etiam a crimine hæresis : *S. Sev.*, 28 *maii* 1796, § 1.

Sed posteriores pontifices Episcopis limites posuerunt hujus facultatis; ita ut non possint modo absolvere hæreticum in foro conscientiæ, et a casibus reservatis in bulla Cœnæ : *Ibid.*, § 2.

Episcopis facultas absolvendi in foro pœnitentiali quoad promotos per saltum, et occultas irregularitates ex delicto, a Tridentino Concilio, sess. 23, cap. 14, *de Reform.*, et cit. sess. 24 tribuitur : *Gran.*, *Irr.*, 8 *jul.* 1786, § 7.

Ut primum autem publica evaserunt crimina falsi, et saltuariæ ordinationis, incidentes in hanc

irregularitatem, ab Episcopo absolvi nequeunt, uti compertum est ex ipsius Trid. verbis : *Ibid.*, § 8.

Animadvertendum est quod ubi agitur de suspensione simul et irregularitate, suspensus ab Episcopo absolvi potest : *Ceph., Susp.*, 24 *mart.* 1787, § 3.

Mos tamen invaluit, ut de utraque Sac. Congreg. Concilii cognoscat : *Ibid.*

Episcopi legitima pollent potestate ferendi interdictum : *Fir., Int.*, 1 *maii* 1787, § 4.

Tamen ea gravissimis tantum de causis uti debent, præsertim quoad parochialem ecclesiam; cum ejus interdictio afficiat etiam parochiæ incolas, quos a propriæ parochiæ divinis, absque culpa, prohibere non decet : *Ibid.*

Episcopus potest absolvere a suspensione indicta contra ordinatos sine dimissoriis proprii Episcopi, quod haud est reservatum Sedi Apostolicæ : *Mind. seu Ov., Ord.*, 4 *jun.* 1763, § 3.

Imo Ordinario illa absolutio est reservata, cujus nomine venit etiam vicarius capitularis : *Ibid.*

Episcopus nequit dispensare ab irregularitate ad forum contentiosum deducta : *Ibid.*, § 5.

Episcopus absolvere non potest a suspensione, cujus tempus est a jure determinatum, intra idem tempus. *Aux., Par.*, 18 *mart.* 1797, § 24.

Ordinarius loci ex præscripto Trid. valet causa cognita et urgente dispensare super irregularitate, in quam incurritur ob homicidium commissum non ex proposito, sed casu, et ad propriæ vitæ defensionem : *Mess., Irr.*, 15 *jan.* 1780, § 4.

Episcopus autem nequit dispensare ab irregularitate ex homicidio voluntario contracta, sive illud publicum fuerit, sive occultum ; potest autem dispensationem elargiri, si agatur de homicidio ob vitæ defensionem absque moderamine inculpatæ tutelæ perpetrato, sed eo tantum in casu quo homicidium ipsum sit occultum, secus vero si publicum, vel ad forum contentiosum fuerit deductum : *Elb., Irr.*, 9 *febr.* 1737, § 5.

Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 14, *de Reform.*, statuit ut cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare : *Vis., Disp.*, 11 *sept.* 1784, § 18.

Hoc decreto sublata fuit quæstio, num promoti per saltum ipso jure sint suspensi : *Ibid.*

Et ratio est, quia cum Concilium permiserit ut Episcopi possint dispensare, si in ordine suscepto non ministraverint, consequens est quod sic promotus ipso jure suspensus esse debeat ab exercitio ordinum, et si ordines exerceat, irregularitatem incurrat : *Ibid.*

At dubium remanet, an Episcopus non obstante Concilii dispositione, dispensare valeat, si is qui non ministraverit, scienter fuerit per saltum promotus : *Ibid.*

Nonnulli doctores tenent affirmativam sententiam, sed contrariam magis tutam esse alii testantur : *Ibid.*

Et ratio est, quia sacri Canones de ignoranter promotis per saltum tantum loquuntur : et, licet Concilium Trident. non distinguat inter clericum ignoranter vel scienter promotum, tamen intelligendum est de utroque casu, quia lex nova disponens de re antiqua, recipit omnes interpretationes, et limitationes, quas res ipsa in antiquis legibus admittebat : *Ibid.*

Id procedit etiam si lex nova generaliter loquatur : *Ibid.*

Episcopis in omnibus irregularitatibus et in omnibus suspensionibus ex delicto occulto provenientibus dispensare licet, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis ad forum contensiosum deductis : *Pap.*, 21 *maii* 1718, § 2.

Habens facultatem dispensandi in homicidio causali, non potest dispensari in voluntario, quod contingit, quando occidens non solum explicite vult occidere, sed etiam quando vult percutere et irrogare injuriam ; ac homicidium per se, et immediate, et non per accidens sequatur : *Ibid.*

§ XVII.

Episcopus quoad portionem canonicam seu quartam funerum.

Inter cætera jura episcopalia recensetur etiam quarta funerum, et hinc juri a sacro Concilio Tridentino derogatum non fuit : *Angl., Cath. dec.*, 30 *jan.* 1723, § 2.

Quarta canonica ex legatis piis est debita Episcopo non jure consuetudinario, sed jure communi, in recognitionem suæ superioritatis, et ratione oneris quod in administratione Episcopus sustinet instar portionis legitimæ debitæ patri in bonis filii vel patrono in bonis liberti : *Vic., Quar.*, 2 *apr.* 1729, § 4.

Porro circa illius quotitatem, statur consuetudini, juxta quam aliquando est tertia, aliquando mediætas : *Ibid.*

Canonica hæc portio est præservata, et non sublata a Concilio Trid., instar cathedratici : *Ibid.*

Nequit impugnari Episcopo præstatio quatuor portionum, ob regulam juris Pontificii : *Ross., Jur.*, 13 *febr.* 1745, § 4.

§ XVIII.

Episcopus quoad potestatem et officium in genere.

Synodus Trid., sess. 21, cap. 8, amplas tribuit

facultates Ordinariis, quæ ad Dei pertinent cultum : *Colon.*, 14 *febr.* 1767, § 3.

Episocpus potest leges ferre, quibus presbyteri etiam inviti, ac reluctantes, obtemperare cogántur : *Asc.*, 11 *jul.* 1767, § 14.

Quando parochiæ sunt distinctæ, Ordinarius non est immediatus parochus universalis : *Aud.*, 11 *sept.* 1762, § 6.

Episcopus in actu præsertim visitationis, et tanquam delegatus Apostolicus, etiam legitime electum officialem societatis, ad tollendas dissensiones, removere potest : *Cer.*, 17 *apr.* 1790, § 9.

Episcopus potest adprobare et confirmare nominatum ab abbate monasterii, cui incorporata est ecclesia parochialis : *Eug.*, 12 *jan.* 1732, § 4.

Ad Episcopum in propria diœcesi veluti superiorem Ordinarium spectat facultas prohibendi laicis delationem vestis et tonsuræ clericalis : *Ver.*, *Jur.*, 18 *jun.* 1735, § 7.

Quilibet Episcopus de reditibus intuitu Ecclesiæ suæ comparatis libere per actum inter vivos disponere potest : *Vig.*, 14 *apr.* 1736, § 4.

Episcopus valet coercere, et punire rationum revisores, si exhibitos ordines scindant, vel comburant : *Asc.*, 21 *jun.* 1788, § 15.

Episcopus circumspecte et caute procedere debet in reservatione casuum, pluresque haud expedit reservare, ne subditis et confessariis sint onerosi, et ne in animarum detrimentum convertantur quæ salubriter fuerunt instituta : *Pis.*, *Cas.*, 21 *nov.* 1761, § 5.

Nequit Episcopus minoribus insignibus, Almutiæ scilicet, Cappucii et Zambardæ, condecorare mansionarios, hebdomadarios, vel alios cathedralis ecclesiæ beneficiatos : *Castr.*, 7 *julii* 1736, § 9.

Ad Episcopum pertinet permittere collectionem eleemosynarum ad festum celebrandum : *Fer.*, 9 *jul.* 1796, § 6.

Et prohibere rationabiliter potest, quoties ad dimidium eleemosynæ vel saltem pars non indifferens quæstuanti ceditur : *Ibid.*

Episcopi nequeunt dare exemptionem ab ordinarii parochi jurisdictione, sine auctoritate Sedis Apostolicæ : *Jan.*, 22 *mart.* 1749, § 2.

Ut in ecclesiis nihil indecens relinquatur, Episcopi providere debent ut capsæ omnes, et deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur : *Major.*, *Leg.*, 18 *apr.* 1733, § 4.

Episcopi cavere debent, ne sub pœna censurarum cogant clericos diœcesanos ad emenda exemplaria synodi, cum omnis quæstus suspicio ab iis abesse debeat : *Aqu.*, *Susp.*, 28 *febr.* 1750, § 4.

Episcopus potest ex justa causa decentioris cultus pias imagines transferre, invitis etiam patronis : *Leop.*, 30 *jul.* 1763, § 2.

Et potest quoque in cathedrali ecclesia formam disponere ad decentiorem illius naturam, etiam cum altarium destructione vel remotione : *Ibid.*, § 3.

Episcopus debet seminarii deputatos eligere pro œconomica illius administratione : *Tric.*, *Adm.*, 24 *mart.* 1736, § 1.

Ad debet seminarii administrationem per seipsum exercere : *Ibid.*, § 2.

Ideo tributa est facultas Episcopis adimendi vel coercendi liberam, quæ ad alios pertinet, administrationem, et erogationem rerum ad pia opera spectantium, dummodo illi recte administrationis partes expleant, reddantque singulis annis gestorum rationem : *Vas.*, *Distr.*, 24 *aug.* 1743, § 8.

Episcopus potest committere facultatem, quam ipse habet, multandi eos qui functiones ecclesiasticas vel omnino negligunt, vel rite eas peragere non satagunt : *Or.*, *Decr.*, 5 *jun.* 1734, § 5.

Hanc facultatem potest Episcopus delegare præsertim in actibus, et functionibus, in quibus ipse personaliter, et per se ipsum interesse non potest : *Ibid.*, § 6.

Episcopus valet assumere ad suum servitium duos canonicos, tam ex cathedrali, tam ex collegiatis : *Ven.*, 4 *dec.* 1762, § 2.

Nequit tamen assumere mansionarios, quando non urget necessitas, vel ecclesiæ utilitas : *Ibid.*, § 3.

Etiamsi mansionarii haberent vocem in capitulo : *Ibid.*

Contrariam tamen sententiam tenet S. Congr. et Bened. XIV, quod indistincte assumere valeat etiam mansionarios : *Ibid.*, § 7.

Indulta est Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis facultas fundationum leges, quæ noxiæ cultui divino comperiuntur, immutandi : *Leod.*, 21 *nov.* 1772, § 4.

Nihil potest decernere Episcopus ex pecuniis pii legati, non inspecto legantis testamento : *Fan.*, *Ex.*, 22 *nov.* 1760, § 6.

Accedentibus pluribus fundationibus, sive dispositionibus, semper illa attendenda est et præferenda quæ munita dignoscitur Episcopi assensu : *Mon. Fal.*, 21 *aug.* 1784, § 9.

Et Episcopi consensus sequi debet voluntatem testatoris, et juxta illius mentem fieri debet reservatio patronatus : *Ibid.*

Episcopo nullum jus est vel leges fundationum immutare, vel dotes a Summis Pontificibus assignatas imminuere in proprium commodum : *Urb.*, 17 *jun.* 1769, § 7.

Episcopus, ordinaria auctoritate, non habet facul-

tatem commutandi ultimam voluntatem, sed ad Summum Pontificem adire debet : *Fan., Cap.*, 7 *maii* 1791, § 9.

Trid. Concilium dat Episcopis facultatem, ut in Synodo possint pro sua conscientia statuere in legatis piis tenuis reditus, quidquid magis ad Dei honorem et cultum, et Ecclesiarum utilitatem expedire viderint : *Eccl.*, 16 *aug.* 1794, § 36.

Episcopus renuntiare nequit juri quæsito ex pontificio brevi, in præjudicium successorum : *For., Sub. dot.*, 8 *aug.* 1789, § 8.

Circa usum, in quem fieri debet commutatio voluntatis, electio in primis data est Episcopo, qui potest solus procedere, quando hæres et executor testamentarius consentire nolint : *Poss., App.*, 16 *jun.* 1762, § 4,

Præsertim cum Episcopus elegerit partem legati tribuere seminario, cujus erectio summopere necessaria est in qualibet diœcesi, et plurimum a S. Concilio Trid. commendatur : *Ibid.*

Potest Episcopus, urgente necessitatis casu, ratione obedientiæ sibi debitæ a clero diœcesis, quoslibet sacerdotes cogere, ut sacramenta populo administrent : *Civ. Cast.*, 25 *sept.* 1762, § 3.

Episcopus, ratione obedientiæ sibi debitæ a clero diœcesis, potest ob gravem et legitimam causam, sacerdoti injungere, ut populi confessiones excipiat: *Pis., Cas.*, 21 *nov.* 1761, § 7.

Nec deest gravis et legitima causa cogendi pœnitentiarium, ut acceptet delegatam facultatem absolvendi a reservatis : *Ibid.*

Episcopo incumbit abusus tollere, ut confraternitatis bona recte et fideliter administrentur : *Ibid.*

Potest Episcopus multam pecuniariam canonicos suæ ecclesiæ sacras sanctiones canonum violantes imponere : *Alatr.*, 20 *aug.* 1785, § 9.

Licet hujusmodi multas modo improbent, modo permittant, tum canonicæ sanctiones, tum viri sanctissimi : *Ibid.*

Verum potestas hujusmodi decernendi pœnas pecuniarias Episcopis vindicavit Concilium Trid., sess. 25, cap. 3, *de Refor.* : *Ibid.*

Vetitum non est Episcopo, præsertim ampliori diœcesi præposito, duos habere vicarios generales: *Dub. in reg. Hisp.*, 8 *apr.* 1786, § 6.

§ XIX.

Episcopus quando procedere possit cum adjunctis.

Si Episcopus extra visitationem capituli procedere velit adversus aliquem ex canonicis, tenetur id facere cum duobus adjunctis ex gremio capituli : nisi forte ageretur de delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, et in quibus de fuga timeretur ; tunc enim Episcopus tam ad personalem detentionem, quam ad summariam informationem procedere potest etiam sine adjunctis : *Dub.*, 13 *sept.* 1721, § 3 ; *Jan., Jur.*, 4 *julii* 1722, § 3.

Amplia etiam ad casum, quo Episcopus extra visitationem procedere velit contra capitulum exemptum, propter excessum ab universo capitulo, vel de illius mandato, consensu, aut approbatione commissum : *Ibid.*, § 3.

Episcopus in visitatione capituli non tenetur assumere aliquos ex canonicis, sed potest visitare, vel per se ipsum, vel aliis adjunctis etiam extra capitulum, non obstante quacumque capituli exemptione : *Ibid.*, § 2.

Si Episcopus extra visitationem adversus aliquem ex canonicis procedere velit, id facere tenetur cum duobus adjunctis de gremio capituli : *Gnes.*, 14 *apr.* 1725., § 3.

§ XX.

Episcopus quoad procurationem.

S. Tridentinum Concilium, sess. 24, cap. 3, *de Refor.*, contributionem indiscriminatim imperat iis qui visitantur : *Civ. Cast., Vis.*, 28 *nov.* 1733, § 2.

Conveniens est æquitati, ut Episcopi pro victu subsidium ab illis habeant, quos visitant : *Sen., Proc.*, 14 *dec.* 1765, § 7.

Sed juxta Concilium præfatum cavere debent ne inutilibus sumptibus cuiquam graves et onerosi sint : *Ibid.*, § 8.

Neque aliquid alio nomine accipiant, etiam favente illis immemorabili consuetudine, exceptis victualibus frugaliter visitationis tempore necessariis : *Ibid.*

Et ubi est consuetudo, nihil accipiatur ; sed gratis omnia fiant : *Ibid.*

Episcopo visitanti præstanda est procuratio : *Per., Vis.*, 16 *jun.* 1770, § 7 ; *Pien., Proc.*, 26 *nov.* 1763, § 8.

Et hujus procurationis onus non iis tantum inest, ad quorum loca Episcopus personaliter se confert, cum locus non sit de substantia visitationis, sed iis etiam quos propter viarum difficultates ad alium convocaverit, ut de visitationis beneficio participes reddat : *Ibid.*, § 15.

Episcopi et eorum delegati, pro visitatione tantum diœcesis exigere possunt procurationem ; quæ tantum vetita est pro visitatione ecclesiarum vel locorum piorum civitatis : *Val.*, 12 *dec.* 1707, § 2.

Ad visitationis expensas tenentur ecclesiæ omnes, cappellæ, beneficia, confraternitates, aliave loca

pia, itidemque personæ quælibet visitationi subjectæ : *Fan., Proc.*, 24 *aug.* 1743, § 3.

Ita tamen ut, in contributione expensarum a singulis facienda, habeatur ratio tum facultatum cujuscumque, tum laboris, qui in visitatione pro singulis impenditur : *Ibid.*

Et Episcopus potest adstringere prædictos ad procurationem, dummodo S. Congr. Episc. et Regul. aliter de aliqua persona, aut in aliquo casu non decreverit : *Ibid.*, § 4.

Regulæ tamen procurationis præfata patitur exceptiones : non enim ad solvendam prædictam procurationem tenentur laici, non quia sacri Canones ab hoc onere eos liberent, sed quod ita usu receptum sit : *Ibid.*, § 5.

Secundo non tenentur hospitalia et similia loca, pauperibus aut infirmis instituta, etiamsi amplissimos habeant reditus : *Ibid.*

Tertio paupertas etiam excusat ab onere contributionis : *Ibid.*

Quid vero consuetudo habet virium adversus obligationem solvendæ procurationis, res est variis subjecta inspectionibus : *Ibid.*, § 6.

Si quidem in aliquibus provinciis seu locis, eam potuit inducere generalis consuetudo a singulari unius tantum, aut alterius ecclesiæ præscriptione distincta juxta quam tenetur Episcopus pastoralem visitationem ita gratis explere, ut nihil omnino queat procurationis nomine a visitatis accipere : *Ibid.*

Præscriptio contra procurationem ab aliqua ecclesia particulari allegata vindicare locum nequit, etiamsi sit longissima, et tempore procurationis obsequium impendere tenetur ex dispositione in cap. *Cum instantia*, 17, *de Cens.* : *Ibid.*

Et hæc dispositio viget, neque correcta est a Concilio Tridentino : *Ibid.*

Gravior est dubitatio de præscriptione quæ fuerit immemorabilis : *Ibid.*

Eam contra procurationes valere nonnulli doctores sentiunt ; alii contrariam tuentur sententiam : *Ibid.*

His consentire videtur Fagnanus, qui multis probat rationibus, procurationem debitam ratione visitationis, non esse a subdito præscriptibilem : *Ibid.*

Quum visitatio inducta esset in communem clericorum piorumque locorum utilitatem, ii omnes qui visitantur ad illius procurationem concurrere debent : *Aq.*, 21 *apr.* 1787, § 3.

Hæc autem contributio fieri non debet viritim, et per capita, sed pro rata parte fructuum, quos unusquisque ex bonis ecclestasticis percipit : *Ibid.*

Decretum Episcopi in visitatione editum, quo statuitur a piis omnibus locis, exceptis hospitalibus, procurationes pro eorum rata parte præstanda esse, maximi faciendum est : *Ibid.*, § 4.

Alienum est ab æquitate, ut idem onus procurationis ferre debeant inopia laborantes, quod ex beneficiis pingues fructus referentes : *Ibid.*

In hac privilegiata procurationis materia, vetita est adversus Episcopum præscriptiva observantia : *Ibid.*

Admittitur tamen inter obligatos ad procurationem ; dummodo quadragenaria sit cum titulo, vel immemorabilis ; et quæ privatim respiciat singulorum interesse, ut in materia decimarum notatur: *Ibid.*

Et observantia excluditur, dum decretum procurationis observatum præsumitur, nisi contrarium probetur : *Ibid.*, § 5.

Per simplicem facultatis non usum absque contradictione, et acquiescentia, sublata non est contribuendi obligatio : *Ibid.*

Ille qui tale procurationis debitum solvit, potest debitorem, quem liberavit, convenire, ut sibi satisfaciat : *Ibid.*, § 7.

Et hæc ratio exerceri potest, non ab edito decreto procurationis, ob bonam observantiæ fidem, qua omissa fuit anteactis temporibus contributio, sed a die motæ litis : *Ibid.*

Debetur Episcopo visitanti ab omnibus qui visitationem subeunt procuratio : *Cam.*, 7 *sept.* 1793, § 3.

Inopia excusat a contributione : *Ibid.*, § 2.

Legitima attenditur beneficiatorum consuetudo, non contribuendi ad procurationem cum parochis ; sed concludenter probanda est : *Ibid.*, § 3.

Immo nec immemorabilis prodest absque petitione contributionis, contradictione, et acquiescentia : *Ibid.*

Consuetudo non solvendi procurationem induci valet contra Episcopum, non item per simplicem negativum solutionis actum inter obligatos : *Ibid.*, § 4.

Xenodochia excipiendis pauperibus, infirmis, aut peregrinis destinata, etiam auctoritate Episcopi erecta, ab onere procurationis immunia sunt ; tametsi amplissimos habeant reditus : *Tud.*, *Pro.*, 30 *jul.* 1735, § 4.

Eximi non possunt a solutione procurationis communitates laicorum, utpote visitationi conciliari subjectæ, expensas pro illa faciendas subire debent: *Ibid.*, § 5.

Præsertim si adsit consuetudo, quæ sane servanda est, quando certum est conformem vigere usum in aliis cunctis locis ejusdem diœcesis : *Ibid.*

A procurationis contributione solvenda Episcopo, paupertas loca pia excusat : *Spol.*, *Proc.*, 26 *mart.* 1746, § 4.

Procurationem solvere non tenentur Patres S. Francisci, monasteria monialium, et hospitale : *Ibid.*

Militat etiam pro capellis laicorum, tum quia laici ad procurationes præstandas non tenentur : *Ibid.*

Episcopus a pauperibus nomine procurationis, occasione visitationis, nihil petere potest : *S. Mar., Visit.*, 18 *jul.* 1733, § 4.

Visitatio ad omnes pertinet, qui spirituali Episcopi curæ subjiciuntur ; cibaria autem Episcopo visitanti ab iis qui visitantur sunt suppeditanda : *Ead.*, 8 *aug. ejusd. an.*, § 8.

Beneficiorum fructus pro rata parte contribuere debent procurationi Episcopi in visitatione : *Pier., Proc.*, 26 *nov.* 1763, § 7.

Integra debetur procuratio Episcopo visitanti, dimidia ejus delegato etiam apostolico. *Terr.*, 28 *maii* 1796, § 7.

Delegatus ob exactionem integræ procurationis, duplum restituere tenetur : *Ibid.*, § 8.

Et in hanc pœnam incidit ipso facto : *Ibid.*

Ad eam vero evitandam, quælibet excusat causa colorata : *Ibid.*

Delegatus exigens integram procurationem est sub censuris, et nulla sunt ejus decreta : *Ibid.*, § 9.

Deferendum potius est testibus excludentibus illicitam procurationis exactionem : *Ibid.*, § 7.

Delegatus Apostolicus privilegium non habet assumendi binos convisitatores de gremio capituli, ut Episcopus ; nisi de consensu ipsius capituli : *Ibid*, § 9.

Quod pro visitatione datur, quam Episcopus agit, communiter procuratio dicitur : *Sen., Proc.*, 14 *dec.* 1765, § 9.

Hujus nomine veniunt omnia, dum qui visitat in loco est, quæ sub victus verbo continentur, nempe quæ esui, potui, quæque ad vivendum homini sunt necessaria : *Ibid.*

Non veniunt tamen quæ extra victum sunt, velut vecturæ ac veniendum, et ad remigrandum : *Ibid.*, § 10.

Nisi de Apostolico delegato agatur, cui expensæ omnes sunt dandæ : *Ibid.*

Cum pecunia pro victu datur, ea non debet esse pro arbitrio accipientis, sed secundum necessitatem moderanda : *Ibid.*, § 11.

Ad procurationem præstandam, tenentur omnes ecclesiæ, et pia loca subjecta : *Ibid.*, § 12.

Exemptione gaudent oratoria privata, ecclesiæ et beneficiati pauperes, hospitalia, aliaque loca pia pro pauperibus destinata ; etiamsi amplissimos habeant reditus : *Ibid.*

Quemadmodum etiam ecclesia cathedralis, et aliæ ecclesiæ, seu loca pia, et clerus civitatis, in qua Episcopus sedem habet : *Ibid.*, § 21.

Quibus addendi sunt, qui hoc singulari privilegio utuntur : *Ibid.*, § 22.

Sicuti ecclesiæ Ordinis Hierosolymitani, Patrum Camaldulensium, ecclesiæ et vicariæ Casinensium, necnon ex benignitate Concilii Trid. omnes qui legitimam consuetudinem habent non solvendi : *Ibid.*, § 23.

Solutio procurationis sive in victualibus sive in certa pecunia taxata visitatoribus præstanda est : *Cam., Proc.*, 15 *martii* 1777, § 3.

Et quidem quacumque consuetudine in contrarium non obstante : *Ibid.*

Non reiteratur procurationis solutio, quæ ad meram tribuitur necessitatem : *Ibid.*, § 4.

Paupertas excusat a solutione procurationis, ob quam procuratio nec exigi potest, nec debet : *Ibid.*, § 5.

Pro sacra visitatione accipi debet frugalis, et moderatus victus : *Fir., Proc.*, 16 *maii* 1795, § 5.

Neque ulla exigi valent emolumenta sub pœna restitutionis dupli : *Ibid.*, § 6.

Impensa vecturarum non debetur Episcopo visitanti, debetur tamen visitatori extraordinario : *Ibid.*

Episcopo visitanti debetur procuratio arbitrio visitatorum, in consueta pecuniæ quantitate, aut in victualibus : *Set., Proc.*, 27 *jun.* 1761, § 2.

Sed victualium nomine non veniunt vecturæ equorum, aut viaticum : *Ibid.*

Post solutionem vero quantitatis consuetæ, allegari nequit excessus : *Ibid.*

Procuratio, quæ imperio publicæ potestatis fuit soluta, non inducit consuetudinem obligatoriam : *Vas., Proc.*, 9 *aug.* 1766, § 5.

Episcopus nequit exigere procurationem ab ecclesiis pauperibus, sed tenetur visitare suo sumptu : *Ibid.*, § 6.

Ecclesiæ pauperes non tenentur ad onus procurationis, etiamsi nuntii et legati Sedis Apostolicæ visitent : *Ibid.*, § 14.

Quemadmodum ex ipsa regula laicos non obligari certum est : *Ibid.*, § 15.

Consuetudo, etiam immemorabilis, solvendi a communitate laicorum procurationem, nocere laicis nequit, semperque illa largitio ad liberalitatem, quandiu laici volunt, est referenda, et nunquam in obligationem, si nolint, transitura : *Ibid.*, § 16.

Procurationem non possunt Episcopi exigere, nisi quando personaliter officium visitationis impendunt : *Per., Visit.*, 16 *jun.* 1770, § 11.

Si ergo Episcopus per alium visitaverit, tunc

procuratio visitanti tantummodo præstanda erit : *Ibid.*, § 12.

Et id est conforme Concilio Trid., quo declaratur, procurationem deberi visitantibus tantum *pro temporis necessitate, et non ultra : Ibid.*

Ideoque, si vicarius generalis, vel alius substitutus, visitaverit, non integram, sed ad summum dimidiam tantum procurationis partem quæ Episcopo visitanti rependi solet, percipere poterit : *Ibid,*

Cautum est ne plures procurationes a pluribus locis una die visitatis percipi possint : *Ibid.*, § 14.

Hinc plures ecclesiæ una die visitatæ debent inter se proportione servata dividere expensas pro unica procuratione, seu frugali modestaque unius diei conservatione : *Ibid.*

Quando Ordinarius extra visitationem lustrat diœcesim ad consecrandam, vel reconciliandam ecclesiam, aut sacramentum Confirmationis ministrandum, neminem cogere potest ad subministrandas expensas, neque pro victualibus ; *Fer., Visit.*, 16 *mart.* 1782, § 7.

Et postquam promulgata est taxa Innocentiana, non licet Episcopis, dum per diœceses suas sacramentum Corfirmationis ministraverint, exigere distinctam procurationem ab ea quæ pro visitatione percipi solet : *Ibid.*, § 9.

Si Episcopus extraordinarie a populo vocetur pro hoc sacramento administrando extra visitationem, quam ipse non omisit, ab universitatibus locorum procurationem potest percipere, quia tunc esset actus necessarius : *Ibid*, § ult.

Ex juris dispositione, nemini dubium est, ecclesias quoque, et loca pia civitatis, ubi residet Episcopus, teneri ad procurationem solvendam ; *Val.*, 12 *dec.* 1767, § 9.

Trid. Concilium, sess. 24, cap. 3, interdicit exactionem procurationum, exceptis victualibus, quæ sibi, et suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra erunt ministranda : *Ibid.*

Et S. Congr. Concilii sæpius declaravit non licere Episcopo visitanti ecclesias suæ civitatis procurationem exigere ; *Pol., Proc.*, 19 *jun.* 1728, § 4.

Ad probandam consuetudinem contra procurationem, examinari debet an procuratio petita sit, et visitati detrectarent illam solvere, atque ita rem per longum tempus quiete mansisse ; *Pan., Proc.*, 24 *apr.* 1743, § 9.

Secundo, num ista dicenda sit consuetudo potius quam vera præscriptio : *Ibid.*

Tertio, num quæ de præscriptione generaliter dicta sunt, æque obtineant in ea præscriptionis specie, qua nihil juris aufertur Episcopo, sed integrum onus procurationis in aliquam ecclesiam transferri contenditur : *Ibid.*

Hujus præscriptionis naturæ nihil obstare tradunt nonnulli doctores : *Ibid.*

Contrarium cuique adeo persuasum esse videtur, ut probet contra procurationes etiamnum præscribi non posse ; quoniam credendum non est, ut præsertim Concilium Trid. voluisset præscriptionem unius ecclesiæ in præjudicium alterius, cui accresceret onus solvendi integram procurationem : *Ibid.*

Consuetudo immemorabilis non solvendi procurationem, est religiose observanda, tum ex præcripto Trid. sess. 24, cap. 3, *de Refor.*, tunc ex tex. in cap. *Exigit, de Cens.*, in 6.° *Sen., Proc.*, 10 *maii* 1777, § 3.

In qua re doctores conveniunt : *Ibid,*

Et si jus habet exigendi vicarius capituli Lateranensis urbis, eam exigere non potest, nisi pro medietate scutorum, quæ percipit Episcopus causa procurationis : *Ibid.*, § 4.

Alioquin condemnatur sub pœna dupli ad restituendum id quod indebite percipit : *Ibid.*

§ XXI.

Episcopus quoad quartam decimarum.

Inter cetera jura episcopalia recensetur quoque quarta decimarum : *Angl., Cat.*, 20 *jan.* 1723, § 2.

Præter jus cathedratici habent quoque Episcopi jus quartæ decimarum : *Æsim., Cath.*, 23 *febr.* 1771, § 18.

Ex decimis parochialibus nonnisi quarta Episcopo est præstanda ; *S. Mar.*, 24 *apr.* 1751.

Quarta autem debetur Episcopis ex illis decimis, quæ singulis annis ab Ecclesiis nomine decimarum percipiuntur : *Ibid.*

Sed de illis reditibus, qui absumuntur in stipendiis sacrorum, supellectili ecclesiæ, pensione seminarii, cathedratico, aliisque hujus generis oneribus, non competit statuere quartam decimarum ; *Ibid.*

Decimarum quarta Episcopo debetur ex decimis, quas parochi a parochiæ incolis in universa diœcesi annuatim colligunt : *Cass., Quar. dec.*, 27 *sept.* 1738, § 2.

Quando non apud omnes parochias præstatio frumenti, et hordei facta fuit, id repugnat titulo quartæ decimarum, quæ ab omnibus diœcesis parochis exigi debet : *Ass., Cath.*, 23 *febr.* 1771, § 9.

Præstatio quartæ decimarum fere ubique quoad Episcopos in desuetudinem abiit : *Ibid.*, § 5.

Nec Episcopis aliud quidquam hodie debetur præter quartam percipiendam a Parochis, aliisque curam animarum habentibus, cum ea reservata præsumatur in actu divisionis parochiarum in eorum diœcesibus facta, dummodo tamen adsit consuetudo, vel quasi possessio illam percipiendi, alias non debet percipi ab Episcopis : *Ibid.*

§ XXII.

Epicopus quoad reditus suæ mensæ in genere.

Reditus mensæ episcopalis, quum vix sufficiat ad congruam Episcopi conservationem, ad ecclesiæ cathedralis restaurationem non tenetur : *Terr.*, 23 *nov.* 1771, § 6.

Jure vetitum est Episcopis aliquid sibi tribuere ex iis quæ sacris ædibus sunt assignata : *Urb.*, *Cath.*, 13 *febr.* 1745, § 2.

§ XXIII.

Episcopus quoad residentiam et absentiam.

Illi qui a Summis Pontificibus fuerint episcopalibus ecclesiis præfecti, si sint in Urbe, post mensem a die eorum promotionis, hoc est, a die pronuntiationis per Pontificem in consistorio factæ, itineri se committere, et in ecclesia sibi commissa ad personaliter residendum conferre debent sub gravissimis pœnis eo ipso incurrendis : *Crem.*, 19 *febr.* 1718.

Episcopi Itali vel ex Italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici possunt veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium provinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ, et Græcarum, quæ sunt e regione ipsis Italiæ, et Siciliæ oris, tertio anno ; Germani vero, Galli, Hispani, Belgæ, Bohemi, Hungari, Angli, Scoti, Hiberni, et ceteri omnes, qui in Europa sunt circa mare Germanicum, et Balticum, ac omnium Insularum maris Mediterranei, quarto anno ad Urbem SS. Apostolorum limina visitaturi accedere debent : *Carp.*, 19 *febr.* 1718.

Duobus aut tribus mensibus a suis diœcesibus singulis annis abesse possunt Episcopi, dummodo ex æqua id causa fiat, et absque ullo gregis detrimento, et dummodo solemnioribus quibusdam diebus a cathedrali non absint : *Gurg.*, 19 *febr.* 1718.

Propter infirmitatem, Sedes Apostolica consuevit Episcopis impertiri licentiam a sua ecclesia ad tempus discedendi : *Seg.*, 19 *febr.* 1718.

In S. Concilio Trid., sess. 23 cap. *de Refor.*, statutum fuit, ne tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi diebus, Episcopi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua diœcesi eos alio avocent : *Vit.*, *Tusc.*, 14 *sept.* 1782, § 7.

Omnes Episcopi etiamsi S. R. E. Cardinales ad personalem obligantur residentiam, neque abesse possunt, nisi cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiæ utilitas, id postulent : *Calag. et Calc.*, 16 *jan.* 1740, § 4.

Et per duos vel tres menses, quibus ab ecclesiis suis abesse possunt, et excipiatur Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi tempus : *Ibid.*

Episcopus vero, qui in sua diœcesi residet, sed a sua cathedrali ecclesia temporibus in eodem decreto Trid. præscriptis abest, tametsi Tridentini monitum non impleat, pœnam tamen non incurrit, cui Episcopi in diœcesi residentes subjiciuntur : *Ibid.*, § 5.

Et Episcopi apud alterutram ex suis cathedralibus non residentes temporibus a Tridentino præscriptis, si non subjacent privationi fructuum ab eodem concilio indictæ, pœnas saltem in veteribus conciliis statutas incurrunt : *Ibid.*, § 6.

§ XXIV.

Episcopus quoad strenam seu xenia.

Strenas seu xenia pluries sacri canones Episcopis, ejusque familiaribus vetuerunt exigere, multoque magis adhibita coactione : *Bar.*, 14 *mart.* 1767, § 16.

D. Gregorius scribens ad Felicem, episcopum Messanensem, prohibet illi ne xenia transmittat : *Ibid.*

S. Congr. Episc. et Reg. vetuit coactivam strenarum solutionem : *Ibid.*, § 17.

Sed coactiva præstationum annuarum de quarum initio non constat, an ex liberalitate, vel coactione processerint, exactio permittenda, et Episcopus in sua possessione est custodiendus, etsi semper sub nomine strenarum datæ fuerint : *Ibid.*, § 18.

Strenarum coactiva exactio vetita est tum Episcopis, tum archidiaconis : *Ibid.*, § 5.

Ex nullo jure coactiva earum exactio fieri potest, maxime, si a principio mere ex liberalitate processerunt, nunquam obligationem inducunt, nisi probetur contradictio, et acquiescentia : *Ibid.*

Quum strena ab immemorabili tum mensæ episcopali, tum familiæ data fuerit, præsumitur titulus coactivus : *Ibid.*, § 9.

Præsertim, non accedente universalis diœcesis consuetudine eamdem præstandi : *Ibid.*

§ XXV.

Episcopus quoad subsidium charitativum.

Subsidium charitativum sic appellatur, cujus principium ex charitate peti debet, non violenter est extorquendum : *Bar.*, 15 *mart.* 1767, § 22.

Est autem exactio, seu pensio ordinaria, quam prælati ecclesiastici, et præsertim Episcopi ex manifesta, et rationabili causa, a suis subditis in subsidium exigunt : *Ibid.*

In specie sufficienter rationabiles et justæ ad executionem subsidii charitativi censentur a doctoribus sequentes causæ : *Ibid.*, § 23.

Nempe expensæ pro promotione, confirmatione, et consecratione ipsius Episcopi ; pro solvendis debitis ab ipso, vel suo antecessore contractis in bonum commune, et necessitatem ecclesiæ ; pro visitatione Liminum SS. Apostolorum, pro adventu imperatoris, regis, aut magni principis, præsertim si Episcopus habeat ab eo regalia ; pro tuendis, seu recuperandis juribus, actionibus, ac bonis ecclesiæ cathedralis, seu pro bono totius diœcesis : *Ibid.*

Verum tunc hæ causæ momentosæ sunt, quando mensæ episcopales reditus impares sunt ad ea omnia ferenda : *Ibid.*, § 24.

Hinc si Episcopus reditus habeat, qui taxam conciliarem excedunt, nullo modo exigere potest : *Ibid.*

Quantitas subsidii charitativi olim discreto arbitrio Episcoporum relinquebatur, dummodo taxa mediocris et non valde onerosa fuerit : *Ibid.*, § 25 ; et *Alg.*, 5 *jul.* 1738, § 5.

Verum edita anno 1678, jussu Innocentii XI, a Sac. Congreg. Concilii nuncupata Innocentiana constitutio subsidium charitativum defixit tantum in primo ingressu Episcopi, et juxta veterem solitam taxam : *Ibid.*

De insufficientia redituum, habenda ratio non relative ad solam taxam conciliarem, sed magis relative ad circumstantias loci et temporis petiti subsidii. *Ger.*, *Ch.*, 26 *jan.* 1760, § 6.

Taxa Innocentiana permittit Episcopo exactionem subsidii charitativi in illis diœcesibus, ubi viget consuetudo : *Ibid.*, § 5.

Si annui episcopalis mensæ reditus ita sint pingues ut taxam a Tridentino præscriptam pro congrua cujusque Episcopi conservatione excedant, ac proinde Episcopus possit commode sumptus expeditionis bullarum persolvere, ei minime permissum est charitativum subsidium exigere : *Algar.*, 5 *jul.* 1738, § 5.

Subsidium charitativum potest ex præscripto taxæ Innocentianæ semel in primo Episcopi ingressu juxta consuetam antiquam taxam quadraginta annorum exigi in diœcesibus, ubi antea exigi consueverat : *Ibid.*

Episcopi possunt subsidium charitativum, requisito capituli consilio prius, ab ecclesiis ac beneficiis quibuscumque universæ suæ diœcesis postulare pro sumptibus in Bullarum expeditione factis, aut alia simili accedente causa, cui iidem Episcopi nequeant ob inopiam respondere : *Ibid.*, § 4.

De subsidio charitativo petito in Episcopatus ingressu, ob extraordinarium æs alienum contractum, pro expensis promotionis fundatam habet Episcopus intentionem in jure canonico : *Ger.*, *Char.*, 26 *jan.* 1760, § 4.

§ XXVI.

Episcopus quoad visitationem tum jure ordinario, tum jure delegato peragendam.

Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 3, sanxit ut Episcopi per se ipsos propriam diœcesim quolibet anno, vel saltem biennio visitare debeant : *Sen.*, *Proc.*, 14 *dec.* 1765, § 6.

Si vero sunt legitime impediti per suum generalem vicarium, aut visitatorem : *Ibid.*

In decreto Conc. Trident., sess. 7, cap. 8, quo reservata est Episcopo visitatio abbatiæ nullius de jure delegato, prælati solum diœcesani primæ et secundæ speciei comprehenduntur, non autem prælati vere territorium separatum habentes, quorum respectu visitatio committitur Episcopo viciniori, per aliam Concilii sanctionem sess. 24, cap. 9, *de Reform.* : *Aquil.*, *Jur.*, 21 *jun.* 1760, § 4.

Episcopo jus est quæcumque loca pia visitandi, eorumque administrationis rationes petendi, atque ex officio omnia cognoscendi, et exequendi, quæ ad Dei cultum, et animarum salutem, vel pauperum subsidium sunt instituta : *Fav.*, *Red.*, 8 *aug.* 1772, § 2.

Idque juxta communiorem sententiam locum habet, etiamsi agatur de locis piis, absque Ordinarii auctoritate erectis : *Ibid.*

Et præsertim quoad redditionem rationum ex clara dispositione Concilii, sess. 22, cap. 9, ubi generaliter et indistincte omnes casus comprehenduntur, eo tantum excepto, quo Episcopus expressis verbis in fundatione fuisset exclusus : *Ibid.*

Ac hujusmodi exclusio inducta nullo modo dici potest, nisi in institutione et ordinatione expressa legatur : *Ibid.*, § 4.

Imo additur ex juris dispositione locorum Ordinariis mandatam esse curam, omnia juxta defuncti voluntatem exequendi, licet a testatoribus id contigerit interdici : *Ibid.*

Obligatio Episcopi est loca suæ diœcesis personaliter visitare, omniaque suis oculis intueri : *Ibid.*, § 7.

Id tamen locum nequaquam habet, ubi res est, de excipiendis administrationis rationibus, quo in casu libros, et scripturas, ut diligentius expendantur, ad ædes Episcopi deferre oportet ; *Ibid.*

Additur convenire quoad hoc tum jus cæsareum, quo arbitrio judicis relicta est designatio loci, in quo redditio rationum expleri debeat ; *Ibid.*

Tum quoque jus Pontificium, quo potestas Episcopis tribuitur, unum, vel plura tribunalia in quolibet suarum diœcesium loco, atque etiam in propriis ædibus erigendi, ibique jus dicendi : *Ibid.*

Supervacaneum est visitationem instituere, nisi Ordinarii locorum facultate potirentur adigendi ecclesiarum rectores, etiamsi milites Hierosolymitani sint, in executionem decretorum quæ in ipsa visitatione edita sunt, per fructuum sequestrum : *Nuc.*, *Jur.*, 11 *jan.* 1783, § 3.

Concilium Tridentinum, sess. 7, cap. 7, *de Reform.*, statuit singulis annis visitari omnia beneficia ecclesiastica, quibuscumque locis piis unita, minime suffragantibus privilegiis et exemptionibus : *Ibid.*, § 5.

Insuper, cap. 8, decrevit auctoritate Apostolica, visitari omnes ecclesias quomodolibet exemptas, et opportunis juris remediis providere ; exclusis privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præscriptis : *Ibid.*

Et S. Pius V, const. *Exposcit*, sept. 1571, voluit comprehendi sub visitatione Ordinariorum etiam ecclesias et capellas, ac beneficia, quibus cura animarum incumbit, etiam Religionis Hierosolymitanæ ; *Ibid.*, § 6.

Ac mandavit ut Episcopi aliique superiores visitationem hujusmodi tanquam Sedis Apostolicæ delegati faciant : *Ibid.*, § 7.

Bened. XIV autem, const. *Inter illustria*, 12 *mart.* 1753, confirmando privilegia a Summis Pontificibus concessa ordini Hierosolymitano, declaravit visitationem Episcoporum in locis dicto ordini subjectis non posse versari, nisi in his quæ ad animarum curam, vel sacramentorum administrationem pertinent : *Ibid.*, § 8.

Nec juvat in favorem Episcoporum ad peragendam visitationem prædictam in ecclesiis et locis piis dicto ordini subjectis, si curam animarum non habeant, longæva consuetudo, quo sublata est per dictam const. : *Per.*, *Jur.*, 11 *jan.* 1783, § 2.

Episcopi vigore Trid., sess. 22, cap. 8, etiam tanquam delegati Sedis Apostolicæ habent jus visitandi hospitalia, collegia quæcumque, et confraternitates laicorum, at non, quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia : *Eug.*, *Jur.*, 21 *jun.* 1783, § 11.

S. Visitatio inducta est in communem clericorum, piorumque locorum utilitatem : *Aquip.*, 21 *apr.* 1787, § 3.

Locorum Ordinarii ecclesias quascumque quomodolibet exemptas, auctoritate ordinaria singulis annis visitare tenentur : *Asc.*, *Visit.*, 4 *febr.* 1719.

Commendata vero monasteria, abbatias, priorates, et præposituras, in quibus non viget regularis observantia, necnon beneficia tam curata quam non curata, secularia et regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, singulis annis visitare tenentur tanquam Apostolicæ Sedis delegati : *Ibid.*

Constitutio S. Pii V, 67, quæ aliquid in jurisdictione Ordinariorum innovare videbatur, reducta fuit ad tramites præfatæ regulæ a Gregorio XIII : *Ibid.*

Episcopus potest visitare omnes ecclesias parvorum conventuum : *Nov.*, *Jur.*, 15 *dec.* 1763, § 17.

Necnon omnes capellas Granciarum, in quibus conversi degunt : *Ibid.*

Imo, et ipsos conversos in iisdem Granciis degentes : *Ibid.*

Intellige quoad ecclesias et oratoria privative, quoad vero conversos cumulative cum superioribus regularibus : *Ibid.*, § 8.

Et tanquam Sedis Apostolicæ delegati possunt visitare ecclesias quomodolibet exemptas, et opportunis remediis providere, quæ reparatione indigent : *Ibid.*

Item visitare potest conventus parvos, in quibus saltem sex religiosi vitam non degunt, et omnes religiosos in eisdem degentes : *Ibid.*, § 16.

Facultas inest Episcopis ad personalem visitationem sacerdotes evocare, ut de doctrina requirantur, etiamsi constet jam ab antecessore Episcopo fuisse examinatos : *Isc.*, *Null.*, 29 *maii* 1745, § 5.

Contra vero, approbati ab Episcopo anteriori, tantum in casu ad prædictum examen compelli possunt, quando hoc posthabuerint, ac ordinati sint commendatitiis deficientibus proprii Episcopi : *Ibid.*

Trident., sess. 7, cap. 8, *de Reform.*, tribuit facultatem omnibus locorum Ordinariis, ecclesias quascumque quomodolibet exemptas visitare singulis annis auctoritate Apostolica : *Gar.*, *Jur.*, 13 *jun.* 1733, § 15.

Et lex de adsciscendis duobus capitularibus, ubi capitulum est exemptum, non habet locum in visitatione ecclesiæ cathedralis : *Ibid.*, § 16.

Potest tamen Episcopus sine adjunctis visitare ædificium ejusdem ecclesiæ, atque omnia quæ ad

divinum cultum rite obeundum pertinent, necnon capellanias, anniversariorum fundationes, ceteraque pia opera itidem instituta ; *Ibid.*

Neminem latet, quod Ordinariis competat jus visitandi hospitalia, etiam sub cura laicorum existentia, exemptionis privilegio, et consuetudine etiam immemorabili non obstante, ac compellendi administratores illorum ad reddendas singulis annis rationes administrationis : *Sab., Hosp.*, 4 *sept.* 1700.

Est in comperto, quod in iis quæ episcopis competunt jure delegato, capitula, sede vacante, non succedant : *Mex., Vis. SS. LL.*, 17 *dec.* 1707, § 3.

Episcopi quoad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum, jus et potestatem habent etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati : *Col., Jur.*, 14 *dec.* 1737, § 9.

Nec in his valet ulla exemptio, aut inhibitio et appellatio etiam ad Sedem Apostolicam interposita, quæ mandata ac decreta illorum impediat ac suspendat ; *Ibid.*

Locum non habet Episcopus visitandi hospitale, et oratorium subjective unita religiosis exemptis, idem capellas sodalitiorum erectas in ecclesiis regularium : *Dert., Vis.*, 24 *nov.* 1759, § 8.

Excepta visitatione capellæ et altaris in his quæ administrationem societatis respiciunt ; *Ibid.*

Alexander VII declaravit, quod visitationi et jurisdictioni Ordinarii subsint ecclesiæ conventuum et capellæ Granciarum, sive in eis degant conversi pro agrorum cultura, sive non ; *Plac.*, 27 *jul.* 1726, § 7.

Locus ille Trid. Concilii, sess. 6, cap. 4, ita intelligitur ut facultatem capitula exempta visitandi negare senserit cuicumque alteri, etiam succedenti in episcopalem jurisdictionem sine adjunctis, vel cum illis, necnon adimere Episcopo facultatem substituendi alium visitatorem ; atque hic est sensus germanus illorum verborum ; *Ger., Jur.*, 13 *jun.* 1733, § 9.

Explorati juris est non posse Episcopum visitare ne jure quidem delegato illas ecclesias quæ subjective unitæ fuerint monasterio regularium, a quavis etiam delegata jurisdictione episcopali exempto : *Nan., Vis.*, 2 *dec.* 1752, § 3 ; *Dert., Vis.*, 12 *jan.* 1760, § 2.

Monasterium nonnisi ab Episcopo, intra cujus limites consideat, visitari debet ex canonici juris sanctione : *Kiov., Jur.*, 22 *aug.* 1739, § 2.

Tum ex Concilii Trid. decreto præsertim si adsit provincialis synodus approbata a Summo Pontifice id decernens : *Ibid.*

Capitula cathedralium et aliarum ecclesiarum, et eorum personæ, nullis exemptionibus aut consuetudinibus se tueri possunt, quo minus a suis Episcopis per se ipsos solos, vel sibi adjunctis, juxta canonicas sanctiones toties quoties opus fuerit, visitari, et emendari valeant ; *Jan., Jur.*, 4 *jul.* 1722, § 2.

Voluit Concilium Trid., sess. 7, cap. 7, ut Ordinarii beneficia curata unita cathedralibus, aliisque ecclesiis, beneficiis, et collegiis visitent ; *Vic., Par.*, 30 *aug.* 1766, § 19.

Benedictus XIV in sua const. *Firmandis*, renovavit antiquas sanctiones de jure Episcoporum, visitandi quascumque ecclesias curatas, ac parochos curam animarum exercentes in iis quæ ad eamdem curam pertinent ; *Const., Jur.*, 31 *mart.* 1770, § 31.

Potest Episcopus jure ordinario visitare ecclesias parochiales monasteriis unitas : *Pal., Jur.*, 4 *jun.* 1763, § 5.

Episcopus ecclesias etiam regulares, vel monasteriis adnexas, in quibus parochialis cura secularium exercetur, potest ac debet visitare in iis quæ ad hujusmodi exercitium spectant ; *Lor., Vis.*, 9 *jan.* 1734, § 8.

Et ipsi etiam religiosi in spectantibus ad exercitium curæ animarum, sacramentorumque administrationem, subjecti sunt jurisdictioni, et visitationi, ac correctioni Episcopi diœcesani ; *Ibid.*

Episcopus ecclesias monasteriorum S. Mariæ de Rambona, et SS. Laurentii in Doliolo, et Eustachii exemptorum visitare potest, quoad ea quæ animarum curam respiciunt : *Null. S. Lev.*, 14 *jan.* 1702, § 2.

Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus potest visitare ecclesias seculares exemptas; etiamsi hæ exemptæ ecclesiæ essent commendatæ, et sive illis incumbat cura animarum, sive non : *Bon., Jur.*, 2 *oct.* 1721, § 4 ; *Lyc., Vis.*, 28 *dec.*, 1723, § ult.

Hoc etiam procedit in ecclesiis, quæ pertinent ad regulares, et ab eis dependent, dummodo illis per seculares deserviatur : cit. *Lyc.*, et *Mon. Reg.*, 8 *febr.* 1727, § 3.

Limita : si ecclesiæ non curatæ taliter ad monasterium exemptum pertineant, ut sint eidem subjective unitæ : *Ibid.*

Si alicui monasterio incumbat cura animarum per sacerdotes seculares, personæ tam regulares, quam seculares hujusmodi curam exercentes subsunt immediate in iis quæ ad curam et administrationem sacramentorum pertinent, jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi in cujus diœcesi existunt : *Lyc.* cit. § 5, 23 *jun.* 1725 ; *Plac.*, 27 *jul.* 1726, § 6.

Ordinarii etiam facultatem habent singulis annis visitandi beneficia ecclesiastica curata, quæ perpe-

tuo unita sunt, et annexa monasteriis, et quando agitur de monasteriis, et abbatiis commendatis, in quibus non viget regularis observantia, necnon de beneficiis tam curatis, quam non curatis secularibus et regularibus, qualitercumque commendatis ; tunc enim Episcopus uti Sedis Apostolicæ delegatus potest ea singulis annis visitare : *Ibid.*

Amplia, etiam hoc procedere tam in monasteriis commendatis, qnam in eorum membris, quoties in eis non viget regularis observantia : *Ibid.*

Idque, cap. 7, sess. 7, extenditur etiam ad ecclesias quæ spectant ad regulares, si deserviantur a secularibus : *Ibid.*, § 6.

Ecclesiæ autem et quæ sunt de mensa monasterii, seu subjective unitæ monasterio, nec jure ordinario, nec jure delegato possunt ab Episcopo visitari : *Ibid.*

Visitantibus tam Episcopo, quam inferiore, et decreta edentibus, prævalere debent Episcopi decreta, si hæc adversentur decretis inferioris : *Ibid.*

Conventus et granciæ monasteriorum, in quibus sex religiosi non aluntur, visitationi et correctioni Ordinarii, uti Sedis Apostolicæ delegati, subjacent : *Ibid.*, § ult.

At videntur granciæ monasteriorum esse a jurisdictione Ordinarii exemptæ, quia prohibetur procurationem exigere ab oratoriis, quæ in illis existunt, quapropter prohibita est etiam visitatio : *Mon. Reg.*, 8 *febr.* 1727, § 4.

Sed res se aliter habet, inspectis posterioribus constitutionibus tum Innocentii X, tum Alexandri VII, qui declararunt, quod subsint ecclesiæ conventuum, et capellæ granciarum visitationi et jurisdictioni Ordinarii, sive in eis degant conversi pro agrorum cultura, sive non : *Ibid.*, § 5

Ab hac vero visitatione exemptæ sunt solum granciæ, quæ sunt domus rurales, sive prædia rustica, in quibus degunt conversi pro agris colendis, sed absque eo ut sit in his ecclesia, vel publicum oratorium : *Ibid.*

Episcopus quoad ecclesias curatas et sitas in solo Lateranensi, Ordinarium habet jus visitandi quoad parochialitatem, et respicientia animarum curam : *Sen.*, 18 *maii* 1726, § 8.

Quoad ecclesias autem non curatas, et alia loca pia, ac hospitalia in eodem solo Lateranensi fundata, permanent in suo esse jus, quod habet Episcopus visitandi tanquam Sedis Apostolicæ delegatus : *Ibid.*

Hospitalia et confraternitates, quæ sub immediata protectione regum, sunt a visitatione Episcopi exempta declarantur : *Ibid.*, § 9.

Sed hæc immediata regum protectio, quæ eximit a visitatione, non eximit a redditione rationum : *Ibid.*

Regia autem protectio debet implorari in limine erectionis, ut suffragetur : *Ibid.*

Nulla adest hæsitatio, quin Episcopus visitare possit, in respicientibus curam animarum et administrationem sacramentorum, etiam religionem Hierosolymitanam ; et quod sub nomine respicientium curam animarum, et administrationem sacramentorum, veniant etiam actus in idem mediate influentes, qualia sunt altaria, vestimenta, vasa sacra, supellex, et alia similia : *Vult., Jur.*, 29 *nov.* 1729, § 15.

Jus visitandi in respicientibus curam animarum, spectat cumulative ad Episcopos, jure delegato, et ad priores dictæ religionis jure ordinario : *Ibid.*, § 16.

Et hæc cumulativa non est intelligenda de alternativa cum jure præventionis, sed de simultanea, et compatibili, quod nempe possit uterque, sive prius, sive postea sua jurisdictione uti ; ita ut male se gerens in exercitio curæ animarum subjacere possit duplici punitioni : *Ibid.*

Attamen, si decreta et ordinationes Episcopi discrepent a decretis superioris regularis, prævalere et observari debent decreta Episcopi : *Ibid.*, § 17.

Ita ut, si Episcopus prævenerit in visitatione, et aliqua decreta servari mandaverit, non potest regularis visitator illa infingere, corrigere, seu mutare, vel contrarium decernere : *Ibid.*

Adsunt notissima privilegia sacræ religionis Hierosolymitanæ, quibus a jurisdictione, visitatione, et correctione Episcoporum eximuntur personæ illorum commendis et prioratibus subjectæ. Tria sunt hæc requisita, quæ copulative recensentur, nempe ut sint addicti actuali servitio religionis, ut resideant intra domos et septa religionis, et ut vivant sub obedientia commendatarii : *Ibid.*, § 18.

Casu vero, quo priores præter jurisdictionem temporalem exercerent etiam spiritualem in clerum et populum alicujus terræ, hoc casu non potest Episcopus se ingerere in visitatione : *Ibid.*, § 19.

Nec sufficit in hoc casu prælatis inferioribus probare exercitium utriusque jurisdictionis per simplices actus possessorios per testes et scripturas ; sed requiritur ut id probetur per privilegium clarum, vel per tres sententias conformes, vel per unicam, quæ in rem judicatam transierit ; ita ut interea manutenendus sit Episcopus in sua quasi possessione, et facultate visitandi : *Ibid.*, § ult.

Episcopus potest visitare societates laicorum, et cognoscere, ac exequi omnia quæ ad Dei cultum aut animarum salutem instituta sunt ; item recipere redditionem rationum ab administratoribus sodalitiorum : *Mel., Ben.*, 15 *dec.* 1764, § 16.

Non potest autem eorumdem procuratores eligere, invitis vel insciis confratribus ; nec eorum jura ope transactionis, iisdem insciis, minuere : *Ibid.*, § 6.

Sed jus habet Episcopus et Ordinarius quisque visitandi societates laicorum, eaque omnia exequendi quæ pauperibus præsertim destinata sunt : *Null. Non., Sub. dot.*, 6 *maii* 1797, § 4.

Absolutam tamen non habet facultatem disponendi de illius reditibus, neque se immiscere valet œconomicis ejus rebus : *Ibid.*

Episcopus visitare potest altare confraternitatum laicorum in ecclesiis regularibus. Circa ea quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum, et ornamenta altaris, seu capellæ, onera Missarum, atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea quæ ad obligationem eorumdem confratrum relationem habent : *Mur., Visit.*, 21 *jun.*, 1732, § 3.

Episcopus habet jus visitandi confraternitates erectas in ecclesiis regularium exemptorum : *Spol., Jur.*, 30 *sept.* 1730, § 5.

S. Congr. Episc. et Reg. definivit de quadam societate in ecclesia patrum S. Dominici erecta, et nihil proprii habente, non subesse Episcopi visitationi : *Der., Vis.*, 12 *jan.* 1760, § 2.

Episcopis et visitatoribus interdicitur quicquam recipere pro visitatione testamentorum ad pios usus : *Vic., Quar.*, 2 *apr.* 1729, § 4.

Eximi non possunt capitula cathedralium, aliæque majores ecclesiæ, exemptionibus et consuetudinibus, ne ab ipsis Episcopis visitari possint : *Ger., Jur.*, 13 *jun.* 1733, § 5.

Hinc excludi debet archidiaconus ab eo visitationis jure quod Episcopo competit : *Ibid.*, § 9.

Potest Episcopus ad aliquem locum convocare clericos et laicos aliorum locorum, ad quæ commode accedere non potest : *Per., Visit.*, 16 *jun.* 1770, §§ 7 *et* 15.

Nequit Episcopus diœcesim lustrans causa cognita quid decernere, nisi juris ordine servato, auditisque omnibus interesse habentibus : *Neap.*, 29 *febr.* 1744, § 10.

Epicheia.

Epicheia est una ex præcipuis virtutibus : *Diss.*, 1740, part. I, § 1.

Epistola.

Epistola in Missa solemni licite potest cantari a clerico in minoribus ordinibus sine manipulo, si hoc illi committatur propter inopiam ministrorum in sacris ; similiter in hypothesi, in qua cantatur Missa absque ministris, videlicet sine diacono et subdiacono, tunc epistola cantanda est a lectore induto tantum superpelliceo : *Mon. Mar., Serv. eccl.*, 30 *jan.* 1723, § 4.

Epistola scripta post litem jam contestatam ad propriam exonerationem, nullam omnino meretur fidem, præsertim si juratis plurium testium depositionibus adversetur : *Mac.*, 28 *aug.* 1773, § 3.

Equites Hierosolymitani. Vide *Religio Militaris ordinis Hierosolymitani*, § II.

Erectio. Vide *Archidiaconatus*, § II ; *Archipresbyteratus*, § II ; *Beneficia ecclesiastica*, § XV ; *Canonicatus*, § IV ; VII ; *Capellania*, § V ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § II ; *Ecclesia collegiata*, § I ; *Ecclesia parochialis* § II ; *Fons baptismalis*, § II ; *Monasterium*, § II ; *Seminarium*, § II ; *Sodalitium*, § IV ; *Vicaria perpetua.*

Eremita.

Ad Episcopum spectat inquirere de moribus eremitarum, eorum religione, vita, iisque facultatem dare stipem colligendi : *Adr.*, 19 *jan.* 1754, § 3.

Quoad jus deputandi et removendi eremitas, S. Congr. censuit posse spectare ad laicos de communitate, ex sola quasi possessione deputandi, reservato jure Ordinario approbandi jam deputatos : *Spol., Cap.* 9 *sept.* 1730, § *ult.*

Erogatio. Vide *Bona ecclesiastica*, § IV ; *Eleemosynæ*, § IV ; *Fructus*, § III.

Error.

Error bonam inducit fidem, etsi inveteratus sit, aut communis, valida reddit gesta : *Nar.*, 15 *maii* 1790, § 3.

Quæ per communem errorem fiunt, valida in jure censentur : *Cæsar., Matr.*, 10 *mart.* 1770, § 12.

Idque procedit non solum quoad Ordinarios, sed etiam quoad delegatos : et locum quoque habet in rebus spiritualibus, dummodo juri divino non repugnent : *Ibid.*

Hinc validum est matrimonium coram parocho putativo contractum : *Ibid.*

Errore detecto, consensus præstitus excluditur : *Mac., Jur. par.*, 14 *mart.* 1778, § 6.

Error juris semper excusat, quando agitur de damno vitando : *Bosan., Ap.*, 13 *mart.* 1762, § 3.

Erroris impedimentum. Vide *Matrimonium*, § XXXIX.

Eucharistia. Vide *Sacramentum Eucharistiæ*, §§ I, II et III.

Evictio.

De jure est quoad evictionem, statim ac possessor agnovit ut illa verosimiliter accidere poterit, tunc licet illi transigendo evictionem prævenire : *Tud.*, *Trans.*, 29 *jul.* 1786, § 11.

Supplenda est ad justam quantitatem evictio, quæ integre præstanda est in legatis piis onus Missarum adnexum habentibus : *Aler.*, *Leg.*, 21 *jun.* 1760, § 5 *et* 24 *nov.* 1759, § 3.

Licitum est legatariis pro evictione possibili, petere cautionem ab officio judicis : *Null. S. Salv.*, 9 *sept.* 1730, § 3.

Permitti nequit sortis distractio, semel ac assumptum est perpetuum obligationis vinculum pro evictione : *Fabr.*, *Leg.*, 14 *maii* 1795, § 3.

Examen.

§ I.

Examen in genere.

Examen requirit Concilium Trid. in collationibus ecclesiarum parochialium, ut Ecclesia a dignis et idoneis parochis gubernetur : *Trid.*, 6 *maii* 1775, § 9.

Quoties Episcopus una cum examinatoribus synodalibus plures examinat Instantes vel præsentatos pro pluribus ecclesiis parochialibus vacantibus, tunc licet examen dici possit unum materialiter, est tamen duplex formaliter, utpote expletum pro duplici ecclesia parochiali : *Ibid.*

In contemporanea plurium ecclesiarum vacatione, plura ac diversa examina fieri non mandat Concilium Trid., neque ullum verbum habetur in hoc casu in Const. Piana *In conferendis*, nec quidquam in hoc cavetur in notissima Const. Bened. XIV *Cum illud* : *Ibid.*

Examen præficiendorum ad ecclesias parochiales, faciendum est ab Episcopo per examinatores synodales : *Eug.*, *Jur.*, 7 *aug.* 1775, § 7.

Idque procedit non solum quoad loca simpliciter exempta absque territorio separato et qualitate nullius, sed etiam quoad loca, quæ sunt vere nullius, et territorium habent separatum, quoties prælato inferiori deest jus congregandi synodum, eligendique examinatores synodales : *Ibid.*

Idque locum sibi vindicat, sive examen fiat per concursum, sive absque formali concursu : *Ibid.*

Ad beneficia parochialia unita, et manualia conferenda absque formali examine, intelligi debet absque examine coram Episcopo peragendo : *Ibid.*, § 8.

Examen ad obtinendam ecclesiæ parochialis collationem, ab examinatoribus in synodo diœcesana electis habendum est : *Tusc.*, *Conc.*, 16 *mart.* 1771, § 5.

Cum examinatores pro civitate et diœcesi electi septem adhuc numero sunt superstites, ab his examen peragendum est, ne vitium subeat nullitatis : *Ibid.*

Circa qualitates concurrentium invicem comparandas, in casu controversiæ, cuinam debeatur præferentia confecto examine, vide Fagn. in cap. *Eam, de Ætat. et qual.* : Rota *in Plac.*, 16 *mart.* 1708, *cor. Ans.* ; *Ibid.*

§ II.

Examen quoad admissionem et iterationem.

Novi examinis facultas appellantibus datur : *Nuc.*, *Par.*, 11 *maii* 1720, § 5.

Et appellans de gravamine ab Episcopo illato, docere non debet ante novum examen coram judice appellationis faciendum : *Ibid.*, § 6.

Non est de qualitatum præponderantia agendum, nisi postquam completum fuerit novum examen : sed quando assumitur principalis quæstio, an sit facienda nova collatio ob præelectionis irrationabilitatem? tunc de moribus, deque experientia facienda est indagatio : *Ibid.*, § 7.

Novum examen fieri debet coram ipso appellationis judice, et ejus examinatoribus ; ita ut si appellatur ad Sedem Apostolicam, novum examen fit in Urbe, et coram examinatoribus Card. Urbis vicarii, et nec ætas provocati, nec loci distantia ab Urbe, utpote si extra montes degeret, eum excusare valet ab accessu ad Urbem, ut se novo examini subjiciat : *Disc. secr.*, 1 *oct.* 1720, § 9.

Sola novi examinis subdelegatio in partibus admittitur in parochialibus de jurepatronatus laicorum, aliisque beneficiis, quæ examen exposcunt, et non concursum : *Ibid.*

Non sufficit unum tantum novum examen, sed, juxta praxim, secundum et tertium examen non denegatur quoad usque per tria uniformia experimenta, instar rei judicatæ de litteratura, vel illiteratura constare possit : *Ibid.*, § 10.

Quarto examini de jure locus non est, si præelectus ab Episcopo in duobus successivis examinibus succubuisset, et deinde in tertio vicisset : ex quadam tamen æquitate introductum est, ut quartum etiam concedatur : *Ibid.*

Absoluto examinis judicio, instituenda est quæstio circa collationem ecclesiæ parochialis, adeoque circa uniuscujusque requisita, et tunc formaliter, et per concludentes probationes ponidebet in claris

quod Ordinarius præelegerit minus dignum in comparatione dignioris : *Ibid.*, § 11.

Procedendum est ad novum examen, quando adest reprobatio unius, qui tam scientia quam meritis magis approbari debuisset : *Pinn.*, *Theol.*, 23 *aug.* 1768, § 3.

Secus vero, quando examinatores de meritis non minus quam scientia judicium protulerunt : *Ibid.*, § 4.

Cum non constet de malo judicio Episcopi, et de mala relatione examinatorum, non potest deveniri ad novum examen : *Ibid.*, § 7.

Præsentatus ad parochiam de jurepatronatus laicorum, si reprobatus sit in examine, admitti debet ad novum examen, alias præsentatio inutilis ei esset, ibique bis, terque examinandus erit, ut quasi per rem judicatam, de ejus imperitia constare dicatur : *Cast.*, 26 *apr.* 1749, § 1.

Adde hoc procedere, licet examinatores recte retulerint : quando enim res non est de parochiali liberæ collationis, quo casu rejectus in concursu monstrare debet injustam reprobationem ex iisdem actis concursus, sed res est de unico præsentato a patronis, admitti semper debet ad novum examen, quia peritia, vel imperitia, unico experimento cognosci tuto non potest : *Ibid.*, § 2.

Multo magis id locum habet, si præsentatus populo acceptissimus sit, et unus ex patronis ; quo casu etiamsi jure destitueretur, æquitas tamen suggerit ut ad novum examen admitti debeat : *Ibid.*

Et hoc novum experimentum ab aliis examinatoribus fieri debet ; iniquum enim esset, si novum eorum judicium subire cogeretur, a quibus fuit reprobatus : *Ibid.*

Novum in Urbe fit doctrinæ periculum quando nullus est concursus tantum voce expressa, et tum redigitur in scriptum, contra formam in conferendis parochialibus ecclesiis, vel dignitatibus adnexam animarum curam habentibus præscriptam : *Al.*, *Can.*, 19 *apr.* 1777, § 2.

Actio novi examinis adversus concursum non competit, si concursus servata forma in const. Apostolicis statuta absolutus non sit, sed datur provocatio ad novum examen, ob illatum gravamen ex irrationabili judicio Episcopi, vel ex mala examinatorum relatione : *Ibid.*, § 8.

Proximiori a donante vocato, et prædilecto, denegari non potest novi examinis indultum, eique licet, non unum tantum, aut alterum, sed tertium etiam examen exposcere, antequam contra ipsum feratur judicium : *Civit. Pleb.*, 16 *jan.* 1768, § 9.

Novo examini locus non est, si reprobatus in concursu male se tulerit, ut nulla ei spes esse possit, quod in novo examine approbetur : *Per.*, *Par.*, 26 *jun.* 1756.

Denegari tamen nequit novum examen dum ecclesia est juri patronatus subjecta : *Ibid.*

Caute procedendum est in novi examinis jussione, quoad locum, quando examinandus senex est, ac sexagenario major, laboretque adversa valetudine, aliisque obnoxius incommodis, et qui longum iter ad Urbem, ac sumptus itineris ferre non potest : *Pol.*, *Par.*, 28 *aug.* 1745, § 5.

§ III.

Examen quoad formam.

Nulla certa methodus in peragendo examine desumi potest vel ex decreto Concilii, sess. 24, cap. 18, *de Ref.* vel ex *Const.* S. Pii V *In conferendis*, sed formam præscripsit : S. Congr. 10 jan. 1721, quam approbavit Clem. XI confirmavitque Bened. XIV : *Ver.*, *Arch.*, 20 *jan.* 1770, § 10.

Præter hæc, alia juxta praxim Urbis observantur, quæ nec in decreto S. Congr. Concilii, nec in const. Benedicti XIV continetur : *Ibid.*, § 11.

Hæc respiciunt custodiam resolutionum et explicationum, quas concurrentes exaraverint, necnon diem scrutinii, atque interventum ipsorum competitorum in loco scrutinii : *Ibid.*

Et hanc Urbis praxim S. Congr. Concilii imitandam proposuit ceteris ecclesiasticis curiis : *Ibid.*, § 12.

Ac S. Congr. Concilii novum examen demandare consuevit, dato aliquo fumo irrationabilitatis, et malæ Episcopi electionis : *Ibid.*, § 13.

Examinis methodus est, ut eadem quæsita omnibus concurrentibus proponantur, et ut ipsi scripto respondeant ; ac hanc methodum exigit Dataria Apostolica, quando vacat parochialis ecclesia sede episcopali aut archiepiscopali vacante, quando contingit vacatio alicujus ecclesiæ parochialis juxta decretum, et quando vacat aliqua dignitas major in cathedrali, vel collegiata ecclesia, cui sit animarum cura adnexa : *Nuc.*, *Pag.*, 11 *maii* 1720, § 19.

In nonnullis diœcesibus mos erat oretenus interrogandi et oretenus respondendi : *Ibid.*, § 20.

In dignitatibus, mansionariis et hebdomadariis, curam animarum habentibus, quæ per plures alternis vicibus exerceri solet in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, non requiritur forma examinis per concursum a S. Concilio Trid. præscripta ; *Trid.*, *Conc.*, 2 *jun.* 1731, § 1.

§ IV.

Examen quoad validitatem et nullitatem.

Examen irritum est ex defectu jurisdictionis,

cum factum fuerit coram judice laico in materia ecclesiastica : *Fulg., Fan.*, 28 *aug.* 1773, § 21.

Item si post semel absolutum primum examen, et relevata dicta testium præsumatur eosdem testes iterum interrogare, aut novos super eadem re inducere ob præsumptam illorum inductionem : *Ibid.*

Examen completum non datis punctis interrogatoriis a defensore ordinis tunc deputato, nullitate notatur ad professionem religiosam infringendam : *Luc.*, 26 *mart.* 1768, § 6.

Omnes hi, qui intra terminum in edictum præfixum comparuerunt, atque inter concurrentes descripti sunt, transacto prædicto termino subjici debent examini certa die indicto : *Null. seu. Mon. Cas.*, 26 *mart.* 1715, § 3.

Adeo ut si quis eorum ab examine, absque legitima causa rejectus fuerit, concursus subinde habitus communiter irritus, atque invalidus judicetur : *Ibid.*

Attamen quando unus duntaxat, nondum elapso termino comparuerit, novum edictum affigi non debet, sed iste examini est subjiciendus, eique conferenda parochialis, si ad animarum curam idoneus reperiatur : *Ibid.*, § 4.

Examen testium in causis super nullitate professionis, irritum est si non intersit professionis defensor : *Vat., Prof.*, 12 *jun.* 1773, § 3.

Formalis examinis defectus parum refert, quando causæ in SS. Congr. agendæ sunt in forma extrajudiciali : *Viter.*, 10 *maii* 1760, § 2.

Examinatores.

§ I.

Examinatores synodales in genere.

Tres synodales examinatores ad habendum validum concursum ex sac. Concilio Tridentino præscripto sufficiunt : *Cass.*, 16 *dec.* 1719, § 2.

Id tamen non impedit, quin concursus haberi valeat coram pluribus quam tribus examinatoribus : *Ibid.*, § 5.

Probitate morum et scientia examinatores synodales præcellere debent : *Pol.*, 28 *aug.* 1745, § 2.

§ II.

Examinatores synodales quoad electionem et subrogationem.

Sex examinatores synodales, ex dispositione Tridentina, eligi debent in synodo diœcesana ab Episcopo, vel ejus vicario, qui debent esse doctores in sacr. theologia, aut jure canonico : *Cæs.*, 24 *nov.* 1770, § 10.

Sex examinatores ad minus ab Episcopo vel ejus vicario in synodo proponi debent, non tamen vetitum est plures eligi, quin imo plures procul dubio proponi possunt : *Ibid.*, § 11.

Et Episcopus si doctoratos minoris æstimat, potest cum synodi approbatione aliis sive secularibus, sive regularibus, qui sine doctoratu doctiores reputantur, examinatoris officium committere : *Ibid.*, § 12.

Si vero imminutus est numerus, tunc data est facultas alios subrogandi cum approbatione capituli, modo una simul cum superstitibus et electis in synodo non excedant numerum a Tridentina Synodo memoratum : *Ibid.*, § 13.

Si vero capitulum illos quamvis ceteroquin idoneos approbare recusaverit, nihilominus pro approbatis sunt habendi : *Ibid.*, § 15.

Quia capitulum tenetur ex justitia illos approbare, et consensum ex justitia præstare ; adeoque cum injuste denegatur, pro præstito habetur : *Ibid.*

Sex ad minus singulis annis in diœcesana synodo eligi debent : *Cass., Conc.*, 16 *dec.* 1719, § 5.

Et hi possunt suum officium usque ad novam synodum exercere, licet ea singulo anno non convocetur ; dummodo tamen post annum ex electis in synodo sex ad minus supersint : *Ibid.*

Quod si elapso anno quatuor, aut quinque tantum ex electis in synodo supersint, superstites officium suum valide exercere non possunt : sed aut nova synodus est celebranda, et in ea examinatores synodales sunt eligendi ; aut a S. Congr. est facultas obtinenda, ut Episcopus uti possit superstitibus, vel alios valeat in locum demortuorum subrogare, et cum superstitibus illis uti : *Ibid.*

Deficientibus examinatoribus synodalibus, debet Episcopus eos eligere, qui doctores sint, aut licentiati, alias concursus est nullus : *Milet., Conc.*, 23 *jun.* 1753, § 2.

Item non est validus concursus, si sacramentum non fuerit examinatoribus delatum ante concursum, de exercendo suo munere sine partium studio : *Ibid.*

Vetita est ex decreto Clem. VIII electio novorum examinatorum extra synodum, ubi sex synodales adhuc supersunt : *Cæs.*, 24 *nov.* 1770, § 7.

Et illi, quorum doctrina, moribus, et prudentia capitulum non satis contentum se profitetur, jure merito non sunt approbandi, vel tanquam non idonei, vel saltem tanquam suspecti : *Ibid.*, § 8.

Dissensus injustus ac irrationabilis, posthabendus est in electione examinatorum synodalium, et

consuetum est consensum a S. Congr. Concilii supleri : *Cæs.*, 24 *nov.* 1770, § 6.

§ III.

Examinatores synodales quoad eorum officium ac onus.

Examinatores debent in scrutinio perpendere scientiam simul et merita concurrentium : *Pin.*, *Theol.*, 23 *aug.* 1760, § 2.

Ita ut scrutinium, omisso meritorum examine, de sola scientia peractum, irritum reddatur : *Ibid.*

In reprobatione alicujus, censentur examinatores respexisse ad illas qualitates quibus reprobatus careat : *Ibid.*, § 5.

Et vitio scrutinii minime vertendum est, si in concurrentibus requisita non originaliter, sed in epitome inspecta fuerint ab examinatoribus : *Ibid.*, § 5.

Munus examinatoris synodalis est referre qui sint idonei, nunquam vero renuntiare quis sit magis idoneus, quod ad solum Episcopum pertinet : *Cas*, *Conc.*, 17 *dec.* 1729, § 6.

Per electionem unius, finitur concursus ; nec proceditur ad novam electionem sine concursu : *Ibid.*

Examinatorum synodalium munus est renuntiare quot ex concurrentibus reperti fuerint idonei, non autem quis eorum sit dignior ; quum Episcopo reservetur illum, quem ipse digniorem judicaverit, eligere : *Null. Sub.*, 28 *julii* 1741, § 4.

Examinatores approbando binos et unum digniorem judicando, alteri injuriam non intulerunt, cum Episcopus in hac parte non teneatur sequi eorumdem judicium : *Isc.*, *Par.*, 24 *jul.* 1762, § 4.

Examinatores synodales non possunt approbare illum qui jure incapax et inhabilis est ad curam animarum, defectu ætatis præfinitæ : *Nep.*, 20 *aug.* 1757, § 2.

Ita ut ne admitti quidem ad concursum debeat, quia in beneficiis curatis ætas legitima requiritur tempore concursus : *Ibid.*

Examinatores non tantum habent onus explorandi scientiam uniuscujusque de concurrentibus, sed ipsi tenentur quoque inquirere de moribus, ætate, prudentia, aliisque animi dotibus, et juxta hujusmodi prærogativas quemlibet dignum et idoneum renuntiare : *Ibid.*

Officium examinatoris synodalis est, idoneos approbare, non autem pluritate suffragiorum digniorem eligere ; quod solius Episcopi judicio reservatum est a S. Concilio Trid. : *Fir.*, *Par.*, 24 *jul.* 1762, § 6.

Quum examinatores nullum verbum fecerint de moribus, prudentia, ac dexteritate, sed tantum de scientia, ætate, gradibus, filiatione, et cleri populique acclamatione, peccasse contra mentem Trid. censentur : *Cap.*, *Conc.*, 10 *jun.* 1741, § 2.

Examinatores male referunt, et nullus est concursus, si nullum verbum fecerint de ætate, prudentia, et aliis rebus ad vacantem parochiam opportunis : *Mon.*, *Conc.*, 28 *apr.* 1759, § 2.

Nec satis est implicita relatio quia non fuerint concurrentes idonei ab examinatoribus renuntiati per universalem indefinitam orationem, sed specialiter designatis aliquibus qualitatibus, quod facit ut examinatores suum officium excessisse et male retulisse dicantur : *Ibid.*

Examinatores male referunt in defectu epitomis requisitorum a singulis concurrentibus exhibitorum, cujus confectio in Bened. Const. præcipitur : *Sal.*, 9 *febr.* 1760, § 3.

Etiamsi examinatores de omnibus sententiam non aperuerint, sed approbaverint duntaxat, et idoneum declaraverint primo loco quoad scientiam, ætatem, et mores, ac secundo loco simpliciter quoad scientiam et mores : *Ibid.*

Et ratio est, quia, inspecta conciliari sanctione, examinatores non debent judices esse solius doctrinæ ; sed inquirere tenentur de omnibus etiam aliis qualitatibus a Concilio recensitis : *Ibid.*

Juris canonici principium communiter receptum est, examinatorum synodalium judicium occupare locum sententiæ celerem et plenam executionem promerentis : *Sal.*, 28 *febr.* 1739, § 2.

Adeo ut iidem examinatores synodales postquam in priori concursu aliquem magis idoneum renuntiarunt, suoque functi sunt munere, prohibeantur sub pœna nullitatis, ac injustitiæ labe, alium in secundo concursu, in damnum ejus quem antea aptiorem judicarunt, seligere : *Ibid.*

Exceptio, exceptiones.

Si quæ pupillis ac minoribus competunt exceptiones, proponi amplius nequeunt, si majores facti per quadriennium non reclamaverint : *Fer.*, *Red.*, 13 *jun.* 1789, § 5.

Exceptio rei judicatæ præjudicialis non admittitur in causis alimentorum, quorum taxatio variatur cum rerum ac status mutatione : *Rom.*, 28 *febr.* 1761, § 4.

Exclusio. Vide *Consuetudo*, § II.

Excommunicatio. Vide *Censura*, § I.

Exemplum.

Per integritatem morum piasque exercitationes aliis prodesse exemplo, est veluti perpetuum quod-

dam prædicandi genus : *Pamp.*, 28 *mart.* 1733, § 6.

Exemptio.

§ I.

Exemptio, exempti in genere.

Vulgaris exemptionis distinctio est in activam et passivam, quarum una coercita est ad monasteria, ecclesias, monachos, et clericos intra illorum ambitum existentes, alia protrahitur etiam ad populum, ad clerum secularem, et parochos animarum curam exercentes : *Eug., Jur.*, 7 *aug.* 1773, § 21.

Privilegium exemptionis passivæ, quoad personas in ambitu suppressi monasterii existentes, referendum est, vel ad patronatum et vicariorum deputationem, vel potius ad jura parochialia : *Ibid.*, § 16.

Exemptionis jura probare debet privilegiatus : *Pal., Jur.*, 4 *jun.* 1763, § 1.

Exemptio quæ liberationem a servitute importat cum libertate nativa repugnat : *Guast.*, 19 *jul.* 1766, § 20.

Contra solemnia pacta in fundatione inita quæcumque exemptio, licet expresse concessa, inepta prorsus est ad irritanda pacta in fundatione adjecta : *Ses.*, 27 *apr.* 1765, § 16.

Exemptionis titulus tribui potest biscentenaria inobservantia : *Lam.*, 30 *julii* 1796, § 3.

Exemptione sublata, omnia remanent subjecta ordinationi et dispositioni Episcopi, juxta Trident., sess. 25, cap. 8, *de Refor. : Der.*, 12 *jan.* 1760, § 5.

Ita communicatæ censentur aggregantis exemptiones, et privilegia, ac si expresse concessa essent aggregato : *Rav.*, 13 *jun.* 1789, § 7.

Præ ceteris amplissimis privilegiis quibus archihospitale S. Spiritus Romæ gaudet, immunitas est a parochialibus juribus, inter quæ potissimum locum obtinet sacramentorum administratio : *Ibid.*

Privilegia exemptionis, propter ecclesiæ et religionis utilitatem elargita, adhuc vigere dicuntur etiamsi abbatia a statu regulari fuerit ad secularem traducta : *Neap.*, 1 *sept.* 1736, § 5.

Dum agitur de exemptione quæ odiosa est, reservatum existimari debet quidquid non fuerit expresse ademptum : *Eug., Jur.*, 7 *aug.* 1773, § 11.

Et verba, *ac similiter suppressi monasterii, et ecclesias, loca, personas, res ab..... visitatione liberemus*, passivam important exemptionem monasterii, ecclesiarum, monachorum, et clericorum in illorum ambitu existentium atque inservientium, non tamen populi, cleri secularis, et parochorum : *Ibid.*, § 13.

Exemptiones a se concessas tempore schismatis anni 1378 incepti, Bonifacius IX postea revocavit : *Prag.*, 20 *nov.* 1762, § 3.

Revocationis litteræ semper firmam auctoritatem obtinuerunt in supremis Urbis tribunalibus : *Ibid.*, § 4.

Sic Martinus V revocavit exemptiones concessas ab aliis etiam Pontificibus tempore schismatis : *Ibid.*, § 5.

Nec observantia innixa titulo infecto potest exemptionem tribuere : *Ibid.*

Prout eam non tribuunt litteræ Apostolicæ quæ exemptionem præsupponunt, vel enunciant : *Ibid.*

§ II.

Exemptio a jurisdictione Ordinarii personali, et mixta.

Differentia inter exceptionem localem et personalem hæc est, quod in primo casu delinquens extra locum punitur ab Ordinario ; secus est in secundo casu, quum in hoc nec ratione delicti commissi, aut contractus initi, aut rei sitæ extra locum exemptum, exemptus conveniri valeat coram Ordinario : *Fir., Jur.*, 13 *apr.* 1720, § 3.

Ab Ordinario exempti debent nihilominus in casu contractus, vel delicti commissi extra ambitum ecclesiæ, et sic in loco non exempto, vel in loco suæ jurisdictioni supposito, conveniri et puniri : *Ibid.*, § 5.

Innocentii IV in cap. *Volentes, de Privil.*, in 6, constitutio locum sibi vindicat in exemptione concessa personis propter locum, et in quacumque alia exemptione, licet amplissimis verbis concepta : *Ibid.*

Exemptionis privilegium, a Sede Apostolica indultum, ab Episcopi jurisdictione servari debet ; nihilominus ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra exemptos agitur, rite possunt locorum Ordinarii convenire illos secundum suam jurisdictionem, in ipsos jus exercere : *Angl.*, 24 *jul.* 1734, § 2.

Legem hanc pontificiam vindicare sibi locum in quacumque exemptione, licet amplissimis verbis concepta, notant doctores : *Ibid.*, § 3.

Exemptio a jurisdictione Episcoporum nativa esse non potest, quæ derivatur nonnisi a concessione Summorum Pontificum : *Guast.*, 19 *jul.* 1766, § 20.

Ex dicta concessione, tot exemptionum privilegia sive in monachos et regulares, sive in abbates venerunt : *Ibid.*, § 21.

Ex quibus derivatæ sunt variæ abbatum species, qui prælati inferiores dicuntur, et trina eorum distinctio in jure orta est : *Ibid.*

Prima, et infima, quæ et regularibus communis est, ut una cum ecclesia ejusque ecclesiæ clericis et ministris quibus præficiuntur, subsint immediate Romano Pontifici : *Ibid.*, § 22.

Secunda, quæ media, eorum est qui habent quidem jurisdictionem activam in clerum unius, vel plurium locorum, sine tamen territorio separato : *Ibid.*

Tertia est de abbatibus jurisdictionem activam habentibus, sive unici, sive plurium locorum cum territorio separato, quod omnino avulsum et separatum est ab aliqua diœcesi : *Ibid.*, § 23.

De prima et secunda specie exemptionis dari potest præscriptio etiam quadragenaria cum titulo ; de tertia vero præscriptio excluditur, et requiritur omnino expressum et clarum privilegium, quod authenticum pateat, vel consuetudo immemorabilis, quæ privilegium in suo veluti ventre et sinu contineat : *Ibid.*

Et sine privilegio Apostolico, exemptio a juribus vere episcopalibus quæ intra humanum commercium non sunt, ac in vim et robur sacramentorum influunt, cum proprio territorio ab aliis avulso, non datur : *Ibid.*

Privilegia exemptionis ab Ordinarii jurisdictione concessa religiosis hospitalium servitio addictis, vel intra religiosorum septa et domos residentibus, si trahantur ad latiorem comprehensionem quorumcumque secularium licet hospitalibus religionis actu non inservientium, aut intra illius claustra commorantium, adhuc attendenda non sunt tanquam litteraliter abrogata a Sac. Concil. Trident., sess. 3, cap. 3 ; sess. 14, cap. 4 ; sess. 24, cap. 10 : *Angl.*, 5 *jun.* 1734, § 3.

Præsertim dum bulla Urbani VIII approbativa constitutionuum congr. reformatæ S. Antonii Viennensis adjecit clausulam, *dummodo sacris canonibus, et Concilii Tridentini decretis, et constitutionibus Apostolicis non sint contrariæ* : *Ibid.*

Et ob perturbationem gravissimam jurisdictionis Episcopalis, non levis momenti esse putavit Conc. Trident. coercere hujusmodi exceptiones : *Ibid.*, § 4.

Privilegia, et exemptiones concessæ et concedendæ non detrahunt juri Ordinariorum, si considerentur hi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, ut decernit Sac. Synod. Trident., sess. 24, cap. 11 : *Cap.*, 19 *nov.* 1735, § 7.

Exempti ab Episcopi jurisdictione non tenentur accedere ad synodum diœcesanam, neque ad publicas supplicationes, ex qualitate eorumdem beneficiorum, quæ uti regularia manualia et ad nutum amovibilia declarata fuerunt : *Neap.*, 1 *sept.* 1736, § 7.

Privilegia et exemptiones particulares non detrahunt juribus Episcoporum : *Const.*, 31 *mart.* 1770, § 21.

Non parum est deferendum consuetudini diœcesium circa exemptionem ab Ordinarii jurisdictione : *Ur.*, 18 *maii* 1726, § 2.

Quodcumque privilegium exemptionis a visitatione Episcopi omnino censetur abrogatum a Concilio Trident., sess. 22, cap. 8 et 9, *de Reform.* : *Tud.*, 5 *maii* 1742, § 6.

Hinc inanis omnino est confirmatio, vel approbatio privilegii hujusmodi exemptionis, quod subinde dictum Concilium abrogavit : *Ibid.*

Clerici et presbyteri, patentalibus seu commissionalibus litteris a commendatario abbatiæ S. Antonii Viennensis impetratis communiti, ordinariæ Episcoporum jurisdictioni subjacent ad normam Concilii Tridentini : *Neap.*, 1 *sept.* 1736, § 1.

Omnes qui beneficia, ecclesias, capellas aut oratoria dictæ abbatiæ obtinent, solius commendatarii potestati obnoxii sunt, ita quidem ut Episcopi, ceterique locorum Ordinarii adversus illos ad summum extrajudicialiter procedere possint in pastorali visitatione, vel extra illam, si commendatarius, ab eisdem Episcopis monitus, delinquentes intra certum tempus debitis pœnis punire neglexerit : *Ibid.*

Uti pater abutens patria potestate cogebatur filium emancipare, dominus inique agens in servum compellebatur eum manumittere, ita clericus dimittitur e manu et potestate Episcopi, et parochiæ incolæ solvuntur a jurisdictione et cura parochi : *Plac.*, 10 *jul.* 1751, § 2.

Privilegium exemptionis ad eas tantum pertinet ecclesias et capellas quæ demonstrari possunt vere fuisse ædificatæ in fundo antea spectante ad basilicam Lateranensem jure dominii ; proinde non competit iis ecclesiis quæ post earum erectionem subjiciuntur eidem basilicæ cum annui tributi solutione : *Asc.*, 8 *aug.* 1733, § 4.

Nam privilegium exemptionis ab ordinaria Episcoporum jurisdictione, quod Bonifacius IX ecclesiis in solo Lateranensi erectis fuit pridem elargitus, et subinde Sixtus V redintegravit, competit tantum ecclesiis seu capellis in fundo ad Lateranensem basilicam antea jure dominii vere spectante ædificatis, non autem iis prius constructis et eidem basilicæ cum annui tributi pensitatione postea subjectis : *Mec.*, *Cath.*, 10 *jun.* 1741, § 2.

Privilegium exemptionis præpositi suffragatur tanquam præposito regulari, non vero tanquam archidiacono adnexam habenti curam animarum, quum ad curam animarum nemo admittendus sit, nisi

a diœcesano Episcopo fuerit approbatus, institutus, et confirmatus : *Monas.*, 16 *sept.* 1769, § 10.

Exemptio non competit capellanis et clericis ecclesiarum commendæ Hierosolymitanæ, nisi accedentibus requisitis actualis servitii, residentiæ intra claustra, et obedientiæ superiori regulari : *Cap.*, 17 *jan.* 1761, § 2.

Beneficiorum exemptio non valide opponitur contra indultum concessum Episcopo ut, pro dissolvendo ære alieno, exigat certam ratam partem fructuum ab omnibus beneficiis diœcesis : *Cels.*, 2 *dec.* 1741, § 5.

Exemptio localis vel mixta operatur ut cognitio delicti, extra loco commissi, ad Ordinarium cui locus subjectus est pertineat ; secus autem, ubi exemptio est personalis, tunc cognitio delicti extra locum patrati ad judicem exempti spectat : *Cav., Jur.*, 2 *aug.* 1721, § ult.

Reliqua. Vide *Abbatia, Bona ecclesiastica*, § v; *Decimæ*, § vii ; *Monasterium*, § iii; *Quarta funerum*, § i ; *Regularium monasterium*, § i.

Exequutio.

Exequutio gratiæ pontificiæ, nisi de subreptione et obreptione doceatur, frustari non debet : *Rom.*, 26 *mat.* 1791, § 3.

Exequutio litterarum Apostolicarum elici potest ex præsumptione illata per triennalem pacificam beneficii possessionem : *Amal.*, 17 *jan.* 1761, § 9.

Sed possessio triennalis non suffragatur ad præsumendum titulum pro retentione incompatibilium beneficiorum : *Ibid.*

Exequutio decretorum S. Visitationis Episcopi non retardatur, nec suspenditur inhibitione cujusvis judicis aut tribunalis, sub nomine signaturæ : *Col.*, 14 *febr.* 1767, § 31.

Quum de obligatione ultro citroque suscepta agitur, omnimodam requirit exequutionem : *Fir.*, 20 *apr.* 1771, § 3.

Præsertim si res sit de dispositionibus quæ causam piam, et cultus divini incrementum respiciunt, cum in isto casu, eo celerius demandari debeat exequutio, ne fidelium pietas imminuatur : *Ibid.*

Idque procedit, etiamsi conditiones adjectæ nimium graves videantur : *Ibid.*

Iniquum foret ab iis recedere, quæ facto, voce, scripto exequenda promittuntur : *Per.*, 20 *jan.* 1770, § 12.

Exequutioni non est mandanda commissio pro concedendo indulto, quam conditionatam reddit expressa clausula, *veris existentibus narratis : Cæsen.*, 24 *nov.* 1759, § 3.

Reliqua. Vide *Donatio*, § ii ; *Episcopus*, § vii ; *Gratia*, § ii ; *Transactio*, § iii ; *Voluntas testatoris*, § vi.

Exequutor.

§ I.

Exequutor litterarum Apostolicarum.

Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibetur exequutoribus litterarum Apostolicarum in dispensationum matrimonialium executione, acceptatio cujuslibet muneris et præmii : *Dub.*, 16 *dec.* 1786, § 2.

Hinc factum est morem stylumque invaluisse inscribendi in omnibus dispensationibus hanc clausulam : « Deposita per te omni spe cujuscumque « muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, a « quo te omnino abstinere debere monemus » : *Ibid.*

Hæc clausula servatur in litteris Apostolicis quæ in forma communi sive ordinaria expediuntur : *Ibid.*, § 3.

Sed in expeditionibus quæ fiunt in forma pauperum, duo accedunt, nimirum pœna nullitatis absolutionis et dispensationis : *Ibid.*

Exceptis tamen Apostolicis dispensationum litteris, quæ, partibus postulantibus, quandoque ad Episcopos diriguntur, in quibus non minæ excommunicationis continentur, sed imponitur suspensio a jurisdictione et pontificalium exercitio, atque a fructibus mensæ : *Ibid.*

Et clausula non præ se fert simplex consilium, monitionemque, eo quod verbo *monemus* Pontifex utatur : *Ibid.*, § 4.

Quia in fine litterarum prohibitio resumitur per verba, *volumus autem* : *Ibid.*

Et specialis hæc clausula apponitur in dispensationibus matrimonialibus, quia istæ reputantur ceteris dispensationibus graviores, et in eisdem magis imminet periculum ne corrumpatur judex exequutor : *Ibid.*

Sed cum omnis labor optet præmium, omnisque operarius mercede dignus sit, non videtur exequutor a justo tenuique salario excludendus : *Ibid.*, § 5.

Et aliqui opinantur, semper stipendium et salarium recipi posse ab exequutore, quoties legitima consuetudo intercedit, quæ est fida legum interpres : *Ibid.*, § 5.

Oppositam sententiam alii secuti sunt ; et tenent nedum vetari per eas clausulas exequutoribus dispensationum, sive Episcopis, sive vicariis generalibus, ne præmia remuneratoria accipiant, verum

etiam ne stipendia et sportulas titulo laboris, visuræ, aut decreti, exigant : *Ibid.*, § 6.

Atque quælibet contraria consuetudo etiam immemorabilis illicita est, quæ abusum redolet, non licitam consuetudinem : *Ibid.*

Tum quia semper, et in omni casu, Pontifices clausulis supradictis utuntur : *Ibid.*

Tum quia ubi lex clara est, nequit consuetudo interpretari legem, quæ interpretatione non indiget : *Ibid.*

Imo, sicut pro actu potestatis spiritualis aliquid exigere illicitum est, et simoniacum, ita etiam pro exequutione litterarum Apostolicarum : *Ibid*

Et huic communiori sententiæ accedunt declarationes tum S. Congr. Concilii, tum S. Congr. Episc. : *Ibid.*, § 7.

Exequutor litterarum Apostolicarum procedere debet prout juris fuerit, seu tanquam exequutor mixtus, judicare pro validitate vel nullitate professionis : *Brach.*, 20 *ap.* 1793, § 6.

Exequutor in litteris Apostolicis designatus cum clausula *vocatis vocandis*, dicitur *mixtus* exequutor : *Fer.*, 27 *nov.* 1779.

Ideo hic tenetur partes monere et audire, aliter ejus sententia dicitur invalida : *Ibid.*

Quam judex Apostolica auctoritate suffultus valet revocare : *Ibid.*

§ II.

Exequutor testamentarius.

Exequutor testamentarius æquiparatur tutoribus et curatoribus : *Nep.*, 24 *jan.*, 1795, § 3.

Exequutor testamentarius facultate a testatore accepta uti potest ad variandum testamentum : *Firm.*, 20. *aug.* 1774, § 9.

Quæ quidem facultas, per obitum unius ex exequutoribus, tota in alterum coaluit : *Ibid.*

Exequutores testamentarii non valent sustinere jus patronatus a seipsis erectum per arbitrariam commutationem voluntatis defunctorum : *Fer.*, 28 *aug.* 1779, § 9.

Sed omnia pristino restituenda sunt patrono : *Ibid.*

Testator semper præsumitur voluisse excludere hæredem scriptum ad distribuendas dotes, aliasque eleemosynas, eo quod alium certum destinaverit exequutorem, cujus industriam prælegit, juxta opinionem *Jacobi a Canonibus* : *Null. Mon. Cas.*, 14 *jan.* 1730, § ult.

Exequutores testamentarii convenire nequeunt in solidum : *Æsin.*, 4 *dec.* 1762, § 5.

Exequutor testamentarius nequit immutare legem fundationis beneficii : *Viter.*, 28 *maii* 1796, § 4.

Amplia, licet aliqua eidem beneficio addiderint bona : *Ibid.*

Exequutor testamentarius beneficii erigendi fructus non facit suos : *Ibid.*, § 6.

Exequutor testamentarius ob electam suæ personæ industriam, subdelegare nequit exequutionem : *Cam.*, 18 *nov.* 1797, § 10.

Attamen deputare valet procuratorem, qui ejus nomine agat ; quum is qui per alium aliquid facit, per se ipsum facere videatur : *Ibid.*

Facultates exequutoris testamentarii expirant morte ipsius : *Ibid.*, § 11.

Unus exequutor testamentarius disponere nequit sine altero : *Ibid.*

Neque valet, præter voluntatem testatoris, nova legato pio imponere onera : *Ibid.*, § 12.

Addere tamen potest quæ ei testator communicavit, maxime si dispositionis substantiam non mutant : *Ibid.*

Licet exequutor testamentarius vel hæres aliqua beneficio addiderint bona, nihilominus legem fundationis immutare nequeunt : *Viter.*, 28 *maii* 1796, § 4.

Quum exequutor testamentarius, fructus beneficii non faciat suos, ideo applicandi sunt fabricæ S. Petri : *Ibid.*, § 6.

Exercitium. Vide *Administratio*, § II.

Exercitium curæ animarum. Vide *Cura animarum.*

Exercitium Ordinum. Vide *Sacramentum Ordinis*, § III.

Exercitus Vicarius. Vide *Capellanus*, § XIII.

Exhumatio. Vide *Cadaver*, § II.

Expensæ.

§ I.

Expensæ in genere.

Quod reddit proprium commodum et interesse, ipsorum quoque sumptibus fieri debet : *Eug.*, 7 *jul.* 1770, § 18.

Ad expensas quæ in commune sociale bonum concedunt, socius tenetur pro virili contribuere : *Cass.*, 6 *jun.* 1739, § 2.

Loca pia cogi non possunt ad tuenda propriis sumptibus jura hæreditatum quæ ipsis delatæ sunt : *Arim.*, 13 *mar.* 1773, § 6.

Ad expensarum repetitionem, probandum est easdem impensas de propriis pecuniis fecisse : *Tusc.*, 16 *jan.* 1768, § 6.

Pietatis causa impensum videtur quidquid solutum fuerit pro pia causa (quamvis erronee), ideoque repeti nequit : *Der.*, *Susp.*, 17 *mart.* 1781, § 8.

Impensæ pro cera, oleo, aliisque ecclesiæ necessitatibus detrahendæ sunt ex præbenda parochiali : *Firm.*, 18 *jul.* 1772, § 7.

Expensæ necessariæ administrationis ex fructibus detrahi debent ; quod ipsa fructuum naturâ præ se fert : *Alex.*, 26 *nov.* 1785, § 16.

Sponsus nequit postulare damnorum reparationem, sed ejus damno cedere debent impensæ factæ pro muliebri pompa, et nuptiarum solemnitate, cum justam ipse facto suo, suaque deceptione, præbuerit causam rescissioni sponsalium : *Mac.*, 28 *aug.* 1773, § 11.

Expensæ funerum. Vide *Cadaver*, § IV ; *Emolumenta*, § II.

§ II.

Expensæ litis judiciales et extrajudiciales.

Ex jure rejiciendæ sunt litis expensæ quæ sunt illius litis compendium : *Æs.*, 19 *dec.* 1789, § 5.

Ad expensarum refectionem ille est adigendus qui injuste dissentit : *Mac.*, 28 *aug.* 1773, § 21.

Æqua est redintegratio expensarum, quas procurator causæ piæ fecit ad illius bona revindicanda : *Turr.*, 28 *maii* 1791, § 7.

De subministratione sumptuum litis danda receptissima est regula, si bonum jus cum paupertate concurrat ; *Sen.*, 8 *jun.* 1765, § 21.

Persæpe Rota Romana etiam in majori summa scut. 100, nempe in scut. 300, subministrationem decrevit : *Ibid.*

Onus expensarum litis refundere debent illi qui injuste restiterunt Episcopo librorum exhibitionem postulanti, et temere litigarunt : *Fav.*, 8 *aug.* 1772, § 13.

Expensæ litis, quæ si cedat in commodum ac utilitatem ecclesiæ, loci, vel operis pii, ex istius bonis ac reditibus detrahi debent : *Eug.*, 7 *jul.* 1770, § 30.

Et hæc est communiter recepta distinctio : *Spal.*, 22 *aug.* 1739, § 5.

Secus vero, ubi litigium inter canonicos, vel inter pii loci, seu pii operis administratores vertitur super præeminentia aut alio simili jure, quod nullum ecclesiæ affert beneficium ; hoc enim posteriori casu, litis expensæ ex propriis cujusque litigantis bonis sunt persolvendæ : *Ibid.*

Lites ab aliquo collegio vel universitate actæ, sumptibus collegii, vel universitatis, peragendæ sunt : *Imolen.*, 14 *maii* 1774, § 21.

Præsertim ubi collegium, seu universitas, non agendo urgeat, sed excipiendo jura sua tueatur, ita ut collegium fiat quodam modo *reus necessarius* relative ad actorem, qui illud in judicium vocavit ; *Ibid.*

Cum judiciales atque extrajudiciales expensæ litis fuerint liquidatæ adversus loca pia, ille qui eorum jura tuetur repetere debet, tanquam utilis negotiorum gestor : *Null.*, 7 *apr.* 1781, § 10.

Plures victi consortes in lite, expensas litis pro rata parte reddere tenentur : *Ibid.*

Expensæ litis pro rata portione subeundæ sunt ab iis omnibus quorum interest litem fuisse actam : *Fav.*, 18 *aug.* 1764, § 11.

Et licet jure civili interesse habentes non aliter ad contributionem teneantur, nisi quid amplius erogatum sit, attamen, ex æquitate canonica, omnes interesse habentes pro rata parte tenentur : *Ibid.*, §§ 12 et 13.

Unde, in lite acta pro juribus et excellentia totius capituli, vel unius ex dignitatibus, omnes de gremio capituli tenentur : *Ibid.*, § 14.

Facta inhibitione judiciali, probatoque quod ea spreta fuerit, condemnatio in expensis judicialibus et extrajudicialibus inevitabilis est : *Urb.*, 19 *aug.* 1775, § 7.

Qui in lite rebusque gestis sentit commodum, sentire debet etiam sumptuum incommodum : *Asc.*, 21 *jun.* 1788, § 4.

Ejus censetur litis interesse cujus nomine lis agitur : *Ibid.*, § 5.

Contributio in expensas litis ab iis omnibus facienda est ad quos ipsa lis pertinet, et cujus exitus omnes æque afficit : *Vit.*, 17 *dec.* 1768, § 10.

Ratio est ut quod commune respicit bonum communi pariter impensa redimatur : *Ibid.*

Præsertim si majoris partis consensu eadem lis acta fuit : *Ibid.*

Idque locum obtinet, etiamsi minor pars expresse liti contradixerit ; et ratio est, quia dolose agere videtur qui vult utilitatem litis sentire, ejus autem sumptus non ferre : *Ibid.*, § 11.

Et receptum est, ubi res est de lite acta nomine universitatis, omnes ad contributionem teneri eodem modo quo cives aliqui cum civitate litigantes tenentur ad collectam impositam occasione ejus litis, quæ civitatis commodum respiciebat, quamvis duplici prægraventur onere, uti actores et uti cives : *Ibid.*

Ac in terminis litis actæ nomine cœtus ecclesiastici, habetur definitio in Sacra Rota : *Ibid.*

Quando in ecclesiæ utilitatem conversa est lis, in eam refundi debent expensæ : *Fir.*, 18 *aug.* 1792, § 2.

Æquum non est ut ecclesiam gravetur sumptibus quos patroni, de jurepatronatus litigantes, in proprium commodum profuderunt : *Ibid.*

Plures litis consortes tenentur ad expensas pro virili : *Ibid.*

Ii etiam qui communi abstinuerunt lite, post victoriam contribuere tenentur, ne commodum sine impensa consequantur : *Ibid.*

Debentur pauperi sumptus litis, simul et alimenta ab eo cum quo justam habet causam : *Ibid.*, § 4.

Expensæ litis quas hæres pro vindicandis bonis hæreditariis tulit sunt ab ipsa hæreditate compensandæ : *Pan.*, 23 *mart.* 1765, § 9.

Item in lite pro tuendis juribus fideicommissi, sumptus ex ipso fideicommisso sunt detrahendi : *Eug.*, 7 *jul.* 1770, § 12.

Expensæ litis, quam agunt administrator et executores testamentarii, non sunt imputandæ piæ fundationi, sed ipsismet, qui sustinent litem nullo jure suffulti : *Asc.*, 20 *jan.* 1776, § 10.

Subeundæ sunt expensæ litis ab hæreditate, seu a piis operibus, quorum jura defenduntur ; quum æquum non sit, ut illas de proprio subeant qui nullam ex lite utilitatem habent : *Ferr.*, 15 *sept.* 1787, § 11.

Expensæ litis actæ pro recuperandis capellaniæ bonis, cum tendant ad illius utilitatem, ex bonis recuperandis sunt deducendæ : *Mon. Fal.*, 20 *aug.* 1768, §§ 6 et 12.

Item expensæ litis societatis non a confratribus, qui nullum a societate percipiunt emolumentum, sed ex reditibus ejusdem societatis, de cujus interesse agitur, sunt persolvendæ : *Baln.*, 14 *jan.* 1769, § 12.

Expensæ litis subeundæ sunt a confratribus dissidentibus, quando non ad tuenda jura societatis, sed injuste et ex prava voluntate, animo contradicendi Episcopo, litem instituerunt : *Ibid.*, § 13.

Expensæ litis actæ ad exequendam testatoris voluntatem, ex reditibus hæreditatis testatoris sunt detrahendæ : *Vit.*, 19 *sept.* 1767, § 6.

Jus actionis habet mulier litigans cum viro super nullitate matrimonii, ut ab eo consequatur sumptus litis : *Spol.*, 23 *apr.* 1763, § 1.

Et expensas quæ solutæ fuerunt defensori matrimonii debet vir certans pro ejusdem validitate : *Ibid.*, § 2.

Expensæ litis sunt subministrandæ uxori litiganti ad separationem thori : *Cord.*, 26 *febr.* 1763, § 12.

Fundamentum contributionis pro expensis litis desumitur a qualitate litium quando nempe utilitatem ecclesiæ respiciunt, tunc detrahendæ sunt a massa communi : *Com.*, 30 *sept.* 1724, § 2.

Quum agitur de jure et de communi interesse capitularium omnium, detrahendi sunt sumptus litis ex massa communi : *Imol.*, 14 *maii* 1774, § 21.

Idque locum sibi vindicat, etiamsi præter commune totius capituli emolumentum, adsit peculiaris utilitas cujusvis capitularis : *Ibid.*

Et hoc ipsum procedit, quamvis etiam præpositus sit de gremio capituli, et partem habeat in massa communi : *Ibid.*

Sumptus litis non sunt detrahendi ex massa capitulari, sed subeundi sunt a partibus collitigantibus, de quarum privato jure et de personali prærogativa disceptatur : *Ibid.*, § 10.

Capitulum potest subducere a massa capitulari expensas litis, quando lis agitur cum archipresbytero : *Bar.*, 12 *jan.* 1760, § 6.

Cum lis a capitulo ecclesiastico promota fuerit ex mera voluntate, vel ea injusta foret, et processerit ex spiritu contradicendi, hi tantum tenentur ad litis expensas qui eam moverunt, quique se in mandatis procuræ subscripserunt : *Vit.*, 17 *dec.* 1768, § 6.

Dissentientes capitulares qui de communibus certant juribus capituli cogendi sunt ad expensarum contributionem : *Sen.*, 13 *jun.* 1789, § 22.

Ad quod satis est ut probabiliter justa adsit litigandi causa : *Ibid.*

EXPENSÆ IN MATRIMONIO. Vide *Matrimonium*, § II.

EXPECTATIVÆ. Vide *Canonicatus*, § III ; *Gratia*, § III.

EXPERIMENTUM COHABITATIONIS TRIENNALIS. Vide *Matrimonium*, XLII.

EXPOSITIO. Vide *Sacramentum Eucharistiæ*, § III.

EXPULSIO. Vide *Sodalitium*, § VIII.

EXTENSIVA CONSUETUDO. Vide *Consuetudo*, § IV.

EXTINCTIO. Vide *Legatum pium*, § X ; *Obligatio*, § III ; *Pensio ecclesiastica*, § I.

EXTRAJUDICIALES EXPENSÆ. Vide *Expensæ*, § II.

EXTREMA UNCTIO. Vide *Sacramentum Olei Sancti*.

Fabrica.

§ I.

Fabrica in genere.

Fabricæ quæ jam cœpta est consummatio est necessaria : *Auxim.*, 18 *maii* 1765, § 7.

§ II.

Fabrica basilicæ S. Petri.

In dispositionibus quæ fratres Cappuccinos et Minores strictioris observantiæ, et alios regulares respiciunt, qui bona in communi possidere non possunt, sibi vindicant locum privilegia rev. fabricæ ; et in eorum sequelam, bona, dicto modo relicta, eidem fabricæ adplicantur : *Brund.*, *Adimpl.*, 5 *aug.* 1719, § 3.

Commissarii rev. fabricæ S. Petri ex privilegio non possunt compelli ad residentiam, ac fructus beneficiorum quæ habent percipere possunt, ac si personaliter residerent : *Sign.*, *Jubil.*, 18 *apr.* 1795, § 2.

Non aliter administratoribus fabricæ S. Petri jus est transigendi super legatis ad pias causas relictis, quam si et dies et conditio implendæ voluntatis morientium advenerit, et certum temporis spatium hæredibus, aliisve gravatis pro ejusmodi piæ voluntatis executione, vel pro impetranda ab Apostolica Sede illius commutatione, si ea nequeat executioni mandari, per judicem præfiniatur : *Null.*, *Ter. Pont.*, *Com. volunt.*, 5 *maii* 1742, § 6.

Privilegium rev. fabricæ S. Petri non habet locum adversus eum qui pium opus explevit : *Vit.*, 28 *maii* 1796, § 7.

Facti Infamia. Vide *Infamia*.

Factum.

Nemo pro facto alieno se præstare tenetur : *Imolen.*, *Separ. thor.*, *Sup. seq.*, 16 *febr.* 1788, § 3.

Ex facto unius, alterius conditio deterior fieri non debet : *Fir.*, 24 *maii* 1788, § 6.

Qui proprio facto, propriave culpa sponte recessit, non fuit injusta coactione ejectus : *Muscul.*, 16 *jan.* 1768, § 4.

Factum deponentes. Vide *Testes*, § II.

Facultas.

Facultates nunquam censentur uni ademptæ, ac alteri privative tributæ, nisi apertis verbis id fuerit expressum : *Omol.*, *Matrim.*, 14 *martii* 1772, § 23.

Maxime, quia jurium præservatio in qualibet principis concessione semper præsumitur : *Ibid.*, § 24.

Facultas personalis transitoria non est ad ejus successores : *Portuc.*, *Reduct. oner.*, 27 *aug.* 1796, § 7.

An et quando, data facultate eligendi pauperem, possit facultatarius eligere pauperem, omisso illo qui majori paupertate laborat, quatenus opus esset, videri possunt Ventriglia in *prax.* part. 2, et Amostat *de Causis piis* lib. 4 : *Tudert.*, *Monac.*, 3 *dec.* 1729.

Reliqua. Vide *Jus*, *Jura*, *Potestas*.

Facultas alienandi. Vide *Alienandi facultas*.

Facultas exercendi curam animarum. Vide *Cura animarum*, § II.

Facultas testandi. Vide *Testamentum*, § I.

Facultativi actus. Vide *Actus*, § II.

Falcidia.

Num falcidia detrahi possit a causa pia per hæredem adversus alteram causam piam legatariam, gravis est quæstio inter doctores, quam intactam reliquit Sacra Rota Romana : *Prænest.*, *Fund.*, 28 *sept.* 1743, § 16.

Sed quando de legato cum onere Missarum agitur, et proinde majus privilegium præfertur, atque adsint conjecturæ plures, quod testator voluerit bona legata omnia omnino et integra cedere in causam a testatore designatam, non est locus detractioni falcidiæ : *Ibid.*

Hinc exploratum non est, falcidiam a piis legatis ad aliam causam piam per hæredem detrahi posse : *Cæsenat.*, 3 *mart.* 1787, § 5.

Plurimi doctores negant, alii plurimi affirmant : *Ibid.*

Sed saniores doctores conveniunt in negativam opinionem, si major pietas sit in legatis piis, quam in pia causa per hæredem intenta, ut est *in objecto* Missarum : *Ibid.*

Non hæreditatis medietas, sed quarta illius pars, est falcidia : *Ibid.*, § 6.

Falcidia detrahitur ex legatis piis, quando hæres

institutus est æque locus pius : *Rom.*, 8 *julii* 1752, § 2.

Ratione legis falcidiæ, retentiones omnis temporis hæredi in quadrantem imputantur : *Rom.*, *Reduct. legat.*, 16 *dec.* 1769, § 8.

Quum agatur de bonis avulsis, non habet loco dispositio *Legis in ratione* 11 ff. *ad Leg. Falcidiam*, præcipientis ut hæredi gravato legatorum onere, ultra dodrantem non competat falcidiæ detractio si hæreditas ob illorum caducitatem opulentior evaserit : *Rom.*, *Reduct. legat.*, 14 *maii* 1774, § 5.

Et ratio est quia illa loquitur solum de legatis, quæ caduca fiunt ante diem assignationis, et ab hæreditate nondum fuerint segregata, non autem de aliis ab ea avulsis : *Ibid.*

Falsi crimen.

Crimen falsi est illud quando, abrasis litteris, aliud in locum ejus quod antea scriptum non erat scribitur : *Ugent.*, *Disp. ab irreg.*, 14 *febr.* 1778, § 4.

Et contra falsum committentes pro modo criminis mitius vel severius agi debet : *Ibid.*

Mitius agendum est cum eo quando ex ejus patrata falsitate nulla provenerunt mala, nec per eam innocentes damnati fuerunt, nec rei a criminibus absoluti : *Ibid.*

Familia.

Familiæ nomen agnatos æque et cognatos comprehendit : *Prænes.*, *Capell.*, 19 *junii* 1790, § 6.

Nomine fæmiliæ nequaquam comprehenduntur cognati, sed illi dumtaxat qui de agnatione sunt et ejusdem cognominis : *Rom. seu Albintim.*, *Subs. dot.*, 18 *nov.* 1769, § 7.

Maxime quando testatrix dotes reliquit pro descendentibus ex familia denominata quorum nomine non veniunt descendentes ex fœminis : *Ibid.*

In materia jurispatronatus nomen *de familia* competit æque agnatis et cognatis : *Salern.*, *Disp.*, 19 *dec.* 1750, § 3.

Et si adjectum fuerit a fundatore familiæ cognomen, distinguendum est an familia vel domus adjecto nomine vocata sit impersonaliter ? Quo casu solos agnatos complectitur : *Ibid.*

Vel potius vocatio directa sit ad personas illius familiæ : quo casu adjectio nominis familiæ non stat taxative, sed demonstrative ad designandam originem et familiam unde venire debeant ii qui præsentandi sunt a patronis : *Ibid.*

Expressio cognominis facit ut neque in subsidium cognati admittantur, sed soli agnati : *Ibid.*, § 6.

Et distinctio superius allata de familia taxative vel demonstrative vocata, locum habet ubi verba fundationis dubia sint, quando juspatronatus datum sit descendentibus ex certa familia ; secus vero ubi clara sint et aperta, quæ solos agnatos admittant : *Ibid.*

Familiares.

Illi familiares vero appellari debent, qui alicujus expensis tanquam domestici et commensales continuo vivunt : *Arbor.*, 26 *jun.* 1771, § 2.

Hinc duo potissimum requiruntur ut quis tanquam familiaris merito haberi possit, scilicet ut ejus cujus familiaris dicitur servitiis sit addictus, et ut illius vivat expensis : *Ibid.*

Nec opus ut in eadem domini habitatione maneat, sed sufficit ut illuc solum accedat, cum necessitas urget proprii famulatus officia exhibendi : *Ibid.*

Et distinguuntur a familiaribus domesticis, qui in eadem cum domino habitatione versantur : *Ibid.*

Familiares sunt qui proprio domino assidue famulantur : *Ibid.*

Necesse est ut qui familiares dicuntur dominorum vivant expensis ; idcirco familiares appellari quoque solent dominorum *commensales*, seu *domestici commensales* : *Ibid*, § 3.

Si mercedem quis recipiat quæ pro victu non sufficiat, tunc familiaris proprie non dicitur, sed solum censetur operas suas locare pro servitio pro quo mercedem recipit : *Ibid.*

Familiares necessarii dicuntur, qui sunt convenientes et utiles habita ratione conditionis domini cui inserviunt : *Ibid.*, § 4.

Quia servitium non est omnino necessarium respectu domini, sed tantum conveniens et utile ; ac necessitas et utilitas in jure æquiparentur : *Ibid.*

Et necessitas non est sumenda respectu domini, sed respectu totius domus : *Ibid.*, § 5.

Familiares ruri degentes excluduntur inter privilegiatos tempore Missæ : *Ibid.*

Familiares Religionis Hierosolymitanæ. Vide *Religio militaris*, § III.

Famuli.

Ad hoc ut famuli regularibus inservientes a parochi jurisdictione eximantur, duo requisita copulative concurrere debent : 1° ut intra eorum septa ac domos resideant ; 2° ut sub illorum obedientia vivant : *Ulyssiponen.*, *Occid.*, 22 *nov.* 1721, § 3.

Hoc autem non verificatur in famulis monialium, qui degunt in domibus extra septa clausuræ, licet exteriori murorum recinctu cum monasterio con-

clusis; hi enim et si monialibus inserviant, et sub earum obedientia quodammodo vivant, non tamen degunt intra septa et domos: quum nomine *domorum* in Concil. Trident., cap. 11, sess. 24, *de Reform.*, intelligantur monasteria, ut verbum *septa* verificetur in clausura: *Ibid.*, § 3.

Fenestra.

Moniales in sui monasterii fenestris debent habere tubas ligneas, ne in vicinorum ædes, et ne vicini in monasterium prospectum habere valeant: *Verul., Domus*, 2 *maii* 1722.

Et nedum in monasteriis monialium, verum etiam in monasteriis religiosorum admittitur: *Ibid.*

Materia fenestrarum in ecclesias prospicientium est de genere prohibitorum: *Mantuana*, 4 *maii* 1726, § 5.

Hæc tamen regula limitatur in patrono, qui in limine fundationis id sibi reservasset: *Ibid.*

Ex epicheia quadam videtur quod esse possit locus concessioni, quando agitur de barone, qui etiam esset insignis benefactor, nec res esset de aperienda fenestra in ecclesia cathedrali, vel collegiata: *Ibid.*

Fenestram retinere in parietibus ecclesiæ vetitum est de jure: *Ugent.*, 12 *jan.* 1760, § 1.

Etsi fenestræ in ecclesias prospicientes sint de genere prohibitorum, tamen prohibitio limitatur in patrono qui in limine fundationis hoc jus sibi quæsitum voluerit, vel in eo, qui ob eximia beneficia optime de ecclesia meritus fuerit: *Firm., Ser.*, 8 *jun.* 1782, § 5.

Et locus est concessioni fenestram aperiendi quando agitur de barone, qui etiam esset insignis benefactor, agiturque de simplici ecclesia, vel parochiali tantum; secus si res esset de ecclesia cathedrali vel collegiata: *Ibid.*

Indultum aperiendi fenestram in pariete ecclesiæ non conceditur, nisi vel patrono, qui in ipsa fundatione hoc jus sibi quæsitum voluerit, vel ei qui ob eximia beneficia optime de ecclesia meritus fuerit: *Florent., Ind.*, 5 *jul.* 1738, § 2; et *Reat., Ind.*, 10 *maii* 1732, § 3.

Indultum retinendi fenestram protensam in ecclesiam, extendi non valet ad aliam fenestram et januam, et nequaquam egredi valet personam illius cui fuerit indulta dicta facultas: *Ugent.*, 12 *jan.* 1760, § 3.

In dubio hujusmodi privilegia reputantur personalia, e conspectu potissimum styli ea denegandi vel concedendi, ad vitam tantum insignium benefactorum ecclesiæ: *Ibid.*

Maxime quia fenestræ in Ecclesiam protensæ, præ se ferunt absurdum immunitatis contiguæ domus, quod non est tolerandum: *Ibid.*

Festivitas.

Ne festivitates quæ fiunt in ecclesiis secularibus et regularibus impedimento essent paracho in exercitio docendi doctrinam christianam, Benedictus XIV const. *Etsi minime*, 7 febr. 1742, injunxit Episcopis ut methodum præfinirent qua eædam festivitates essent celebrandæ: *Ferrar., Confr.*, 14 *sept.* 1782, § 16.

Die festo S. Patroni ecclesiarum cathedralium, collegiatarum et parochialium præsertim insignium, solemnitas fieri debet pro locorum ratione et pro facultatibus: *Forol.*, 21 *aug.* 1784, § 7.

Eaque festivitas describitur a S. Carolo Borromeo in concilio Mediolanensi V: *Ibid.*

Et primum ut januæ, quemadmodum antiquissimo usu Romano comprobatur, et a B. Hieronymo laudatum, frondibus etiam ornentur, prout tempora tulerint: *Ibid.*

Inde parietes interiores, atque inter columnia peristromatis, aulæis, tapetibus, sacrarumque imaginum tabulis exornati sint: *Ibid.*

Quo in apparatu ornatuque sacræ imagines etiam in ipsis foribus exhibeantur: *Ibid.*

Insignia vero, et alia profana absint: *Ibid.*

Ad festivitatem Paschatis et Pentecostes omnes dies festivi subsequentes pertinent: *Rom.*, 9 *julii* 1785, § 5.

Necnon ad festivitatem Nativitatis reliqui dies festivi post primum pertinent, quamvis observentur principalius relate ad alios sanctos, tamen etiam in honorem Nativitatis saltem duo dies post primum observantur: *Ibid.*

Festivitatum exordia a primis vesperis desumenda sunt; et finiuntur inclusive in completorio: *Ibid.* § 6.

Excipiuntur festivitates Resurrectionis, Pentecostes, quæ incipiunt a Missa vigiliæ, quia in earum vigiliis Missa per anticipationem fit de ipsis festivitatibus: *Ibid.*

Non tamen comprehenduntur in festivitatibus octavæ: *Ibid.*

Festivitas Paschatis incipere debet in sabbato sancto, ab initio Missæ solemnis vigiliæ, quæ per anticipationem de Paschatis festivitate celebratur: *Rom.*, 23 *jan.* 1790, § 2.

Et præter Missam solemnem, aliæ plures in sabbato sancto celebrantur functiones, a sequenti Paschatis solemnitate distinctæ: *Ibid.*, § 3.

Festorum dierum observantia.

Maxima fuit olim Ecclesiæ sollicitudo in providendo ne christifideles Missæ sacrificio diebus

festis destituerentur : *Plac., Transl.*, 7 *aug.* 1773, § 5.

Et quandoque permissum fuit parochis, ut bis eadem die celebrarent, si duabus ecclesiis inter se dissitis præficerentur, et utriusque parochiæ populus in unam ecclesiam convenire non posset : *Ibid.*

Facultatem iterandi sacrificium parochis in Hispania et Indiis tribuit S. Turribius, in synodo Limana VII, ut populorum necessitatibus occurreret : *Ibid.*, § 6

Episcopus in diœcesi potest festum indicere de præcepto, accedente consensu cleri et populi : *Antequeren. in Indiis Occid.*, 22 *april.* 1719, § 3.

Nonnulli vero doctores, licet asserant consensum populi de consuetudine amplius non requiri, necessarium tamen agnoscunt consensum capituli : *Ibid.*

Et bulla Urbani VIII, in qua dies festi statuuntur, non prohibet Ordinariis aliorum festorum indictionem, sed tantummodo admonet eos, ut a dicta novorum festorum de præcepto indictione, studeant, qua tum fieri potest, abstinere : *Ibid.*

Festis diebus abstinere debent christifideles ab omni illicito et servili opere ; necnon audire sacrum juxta præceptum Ecclesiæ, et hoc sub gravibus pœnis : *Brunen.*, 3 *junii* 1780, § 1.

Ex indulgentia vero Summorum Pontificum certis diebus vacare possunt operibus servilibus ; firma tamen remanente obligatione Missam audiendi, quia per hoc non desinunt illi dies esse festivi ; *Ibid.*, § 5.

Benedictus XIV const. *Cum sicut quædam sunt*, edita 3 sept. 1742, indulsit Episcopis in reliquis diebus festis præceptis a Sancta Sede, vel per synodales diœcesis constitutiones, audita Missa, posse christifideles operibus servilibus vacare : *Tirason, Vis. SS. LL.*, 20 *april.* 1782, § 9.

Idem sanxit in encyclica littera *Cum semper oblatas*, 19 *aug.* 1744 : *Ibid.*

Dies festi, quos in diœcesi sua servandos Episcopus præcepit, ab exemptis omnibus etiam regularibus servandi sunt : *Const., Jurisd.*, 31 *mart.* 1770, § 23.

Diebus dominicis, aliisque festis, præterquam in majoribus anni solemnitatibus Apostolica indulgentia populus potest incumbere piscationi alecum si alecia terræ se inclinaverint ; dummodo tamen post piscationem vicinis ecclesiis et Christi pauperibus competentem elargiatur eleemosynam : *Gerunden.*, 24 *aug.* 1720, § 1.

Juxta antiquiorem Ecclesiæ disciplinam, dies festi a vespera in vesperam celebrantur : *Ibid.*, § 5.

Ex communi tamen consuetudine per totam Europam recepta, viginti quatuor horæ diei festivæ, quæ est colenda, computantur a dimidia nocte ad aliam dimidiam noctem : *Ibid.*

Feudum

Feudum dignitatis licet sit individuum et nonnisi penes unam formalem personam esse queat, nihil tamen vetat quin hæc dignitas apud plures agnatos tanquam plures materiales personas unam formalem individuam repræsentantes maneat : *Sutrina seu Nep., Par.*, 20 *jan.* 1787, § 6.

Fictio, Simulatio. Vide *Simulatio.*

Fideicommissum.

Fideicommissum fieri potest etiam per hæredem ab intestato : *Ragus.*, 11 *sept.* 1762, § 4.

Et tacitum fideicommissum dicitur, quoties quis neque testamento, neque codicillis rogatur, sed domestica cautione, vel chirographo obligat se adimplendum fideicommissum ; *Ibid.*

Et sufficit nuda hæredis pollicitatio etiam sine chirographo : *Ibid.*

Probatur autem tacitum fideicommissum per solam exhibitionem chirographi : *Ibid.*

Statutum fideicommissum in dimidia parte, ipsa dimidia pars debetur : *Ibid.*, § 5.

At hæres nequit onus indefinitum ad certam quantitatem dimidiæ minorem determinare : *Ibid.*

Prælegatum jure institutionis naturam assumit universalis fideicommissi, et cum tota restitui debet hæreditate : *Fulginat., Conc.*, 26 *mart.* 1791, § 9.

Ideo comprehensum censetur in universali reliquæ hæreditatis fideicommisso pro descendentibus ipsis ordinato : *Ibid.*

Maxime ubi concurrit præceptum restituendi integram hæreditatem : *Ibid.*

Et descendentium nomine continentur fœminæ : *Ibid.*, § 10.

Ex dissimili enim dispositione quoad unam et alteram dispositionis partem, diversa scaturit prælegati et universalis fideicommissi natura : *Ibid.*

Fideicommissum sub conditione, et in diem relictum, ante conditionis implementum cedi non potest a substituto : *Anagn., Erect. capell.*, 14 *martii* 1772, § 12.

Nihilominus de eo pacisci, pendente adhuc conditione, permittitur : *Ibid.*

Et ratio est, quod per repudiationem in tempus præsens fideicommissum eventuale remittitur, quod fieri non potest, quia purificatio fideicommissi pendet ab eventu, sed conveniri de fideicommisso potest in tempus futurum, illudque renunciari quando ceperit deberi : *Ibid.*

Ideo sustinetur renunciatio, si iniquæ conditiones non fuerint adjectæ, et juramento firmata comperiatur, cum ratione juramenti vim habeat : *Ibid.*

Posita scientia fideicommissi in favorem proximiorum, testatorem ex bonis duntaxat liberis voluisse erectionem Canonicatus, dicendum est : *Null. Subl., Reduct. oner.*, 15 *maii* 1790, § 2.

Ubi perpetuum deficit fideicommissum, vel expressa deficit ratio conservationis bonorum in familia, non extenditur alienationis prohibitio ad ulteriores hæredes : *Aprut.*, 19 *maii* 1787, § 4.

Ex conditionali plurium personarum vocatione per plures distinctos gradus limitatur a glossa in leg. *Lucius, de Hæred. instituen.* : *Forosemp., Reduct. Miss.*, 5 *april.* 1794, § 5.

Idcirco omnes in conditione positi censentur per fideicommissum vocati : *Ibid.*

Ex paterno fideicommisso, competunt filio detractiones legitimæ et trebellianicæ : *Mont. Pol., Capel.*, 5 *april.* 1794, § 6.

Et super hisce detractionibus sustinetur fundatio capellaniæ : *Ibid.*

Ad probandum tacitum fideicommissum, seu fiduciam, requiruntur verba testamenti et causa occultandi : *Ragus.*, 11 *sept.* 1762, § 8.

Fidei professio. Vide *Professio fidei.*

Fidejussio.

Pater et filius, quando agitur de fidejussione ab ipsis præstanda, una eademque persona censentur : *Firm., Emph.*, 5 *sept.* 1778, § 6.

Et fidejussione a patre et filio præstata, una tantum obligatio putatur : *Ibid.*

Nullo substantialiter contractu, juramenti vinculum firmare non potuit accessoriam fidejussoris obligationem : *Gerund., Census*, 14 *maii* 1768, § 11.

Hinc jus est tam venditori, quam fidejussori repetendi fructus metu mandati indebite solutos : *Ibid.*

Fideles.

Fideles monendi sunt, non autem cogendi, ut adeant parochialem ecclesiam : *Comacl.*, 17 *jun.* 1769, § 8.

Et hoc Tridentina statuit, hortandos esse, non vero cogendos fideles ad parochialem ecclesiam diebus festis adeundam : *Sarsin., Erect. orat.*, 19 *dec.* 1772, § 8.

Ex antiqua Ecclesiæ disciplina, omnes christifideles propriam parochialem ecclesiam dominicis aliisque festis diebus adire, ibique sacro interesse tenebantur : *Lun. Sarzanen., Celeb. Miss.*, 4 *apr.* 1772, § 10.

Idipsum in jure novissimo, non tamen per modum præcepti, sed consilii et hortationis, legitur constitutum : *Ibid.*

Ecclesiæ disciplina semper fuit ut dominicis festisque diebus populus ecclesiam adiret parochialem, cum hoc tamen discrimine inter jus antiquum et novissimum, quod prius per modum præcepti, nunc autem per modum consilii fidelibus imponatur ut diebus festis ad Missam parochialem conveniant, sacrisque intersint mysteriis : *Comal.*, 17 *junii* 1769, § 11.

Sed Episcopi quandoque expediens judicarunt in solemnioribus anni festivitatibus Missæ celebrationem interdicere in publicis etiam oratoriis, ut fideles ad parochialem accederent frequentiores, ubi pios sermones et religionis mysteria perciperent : *Ibid.*, § 12.

Fides.

Ubi mala concurrit fides quidquid perceptum est restitui debet : *Arim., Rep. eccl. cath.*, 19 *sept.* 1789, § 11.

Præsertim si non accedit observantia, quæ justam inducere potuit licitæ partitionis opinionem, et a restitutione consumptorum fructuum excusat : *Ibid.*, § 12.

Inter paciscentes decet mutuam fidem servare : *Dert., Visit.*, 12 *jan.* 1760, § 6

Fides adhibenda est sociis criminis, qui juramento deposuerunt quid actum sit in crimine occulto : *Milet., Nul. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 6.

Ordinario loci, tanquam de rebus ecclesiæ suæ informato, plenissima fides præstanda venit : *Leod, Red. oner.*, 12 *dec.* 1778, § 4.

Fides solet adhiberi partitis extractis ex legalibus libris : *Rom., Susp. dot*, 7 *jul.* 1787, § 7.

Fides potius est adhibenda consanguineis et parentibus quam puellarum improvidæ subscriptioni : *Eug., Can.*, 7 *jul.* 1770, § 19.

Fides magna adhibenda est juratæ sæpiusque repetitæ conjugum confessioni : *Neap., Matrim.*, 31 *mart.* 1770, § 4.

Præsertim si aliis adminiculis fuerit roborata : *Ibid.*

Adminicula autem hujusmodi repetenda sunt ex simulationibus, experimentis, aliisque quæ evincunt utrum matrimonii consummatio occultatur : *Ibid.*

In foro externo non est fides adhibenda conjugibus impugnantibus valorem matrimonii jam contracti : *Eystetten., Matr.*, 6 *mart.* 1732, § 13.

Adstipulante vero publica fama, attenditur con-

fessio conjugum de impedimento consanguinitatis matrimonium dirimente : *Ibid.*

De eo autem qui matrimonii nullitatem proponit, propterea quod illud contraxerit animo non vere contrahendi, sed decipiendi fœminam, aiunt doctores inspiciendas esse conditiones : nimirum, si confessio sit juramento confirmata ; si coram viris fide dignis ante matrimonium protestatus fuerit se velle fœminam decipere ; si honesta vivendi ratio fidem conciliet homini sic affirmanti ; si denique prudens judex, perpensis omnibus circumstantiis, probabiliter credere possit, illud esse veritati consentaneum : *Ibid.*, § 8.

Affirmanti viro se animum habuisse decipiendi fœminam tunc creditur ; cum fide digne constat, quod sæpe vel saltem semel in anno confiteatur, communicet, et bonorum consuetudine utatur : *Ibid.*

Sed haud creditur illi, si sint adeo dispares, ut non sit veresimile illud matrimonium cum illa vere contrahere voluisse, aut si sint alia ejusmodi indicia : ut si ille duxerit aliam, vel profiteatur religionem : *Ibid.*

Quoad impedimenta matrimonii consanguinitatis et affinitatis, neque conjugum confessioni, neque viciniorum famæ fides haberi posse, statutum est a Celestino III, cap. *Super eo*, § *De eo qui cognovit* : *Militen.*, *Null. matrim.*, 17 *sept.* 1768, § 20.

Aliter tamen dicendum, si impedimentum notorium fuerit et publicum : *Ibid.*, § 21.

Et conjugum confessio de impedimento rejicienda est, non solum si matrimonio jam contracto, sed etiamsi ante matrimonium emissa fuisset : *Ibid.*, § 22.

Ratio est, quia sacri canones fidem denegandam statuunt conjugum confessioni, non solum ob periculum collusionis, sed etiam ob præjudicium proli proveniens : *Ibid.*

Filii quoad legitimitatem. Vide *Matrimonium*, § x.

Filiorumfamilias matrimonia. Vide *Matrimonium*, § ix.

Filius, Filii.

In Curiam admittebant prisci Romani senatorum filios, ut rectius negotia paterno gererent exemplo : *Cervien.*, 17 *apr.* 1790, § 6.

Q. Fabii Maximi filius, consul, monuit venientem patrem ut ante se equo descenderet ; qui, nihil iratus, respondit se non fecisse antea ut videret *an filius sciret consulem agere* : *Terrac*, *Setin.*, *et Priv.*, 1 *mart.* 1766, § 18.

Filii sequuntur originem patris, non matris : *Civit. Cast.*, *Adm. ad leg. stud.*, 23 *aug.* 1755, § 4.

Mater enim conventione in matrimonium transit ad civilitatem mariti, et licet originem propriam ad aliquos juris effectus retineat, hoc tamen personam ejus non egreditur, neque ad filios porrigitur : *Ibid.*, § 5.

Sed contrarium firmatur, et cives habentur filii, sive ex patre, sive ex matre orti sint : *Ibid.*, § 6.

Quia qualitas naturalis matrimonii contracti cum extero amitti potest : *Ibid.*

Patris factum non valet filius impugnare, ac per consequens hæres : *Nepes.*, *Dot.*, 21 *aug.* 1790, § 9.

Sub nomine filiorum et descendentium legatariorum continentur etiam fœminæ : *Fulg.*, *Concord.*, 26 *mart.* 1791, § 10.

Illius qui est filius familias sub patria potestate constitutus obligatio, cum alia fide jussoris accessoria, irrita habetur ex statuto Urbis : *Rom.*, *Subs. dot.*, 16 *dec.* 1769, § 7.

Notum est omnibus filios adoptivos agnationem, jura, familiam retinere, et cognationem ex adoptione induci : *Luc.*, *Sub. dot.*, 17 *jun.* 1769, § 5.

Filii sequuntur civicam qualitatem genitoris : *Narn.*, *Subs. dot.*, 21 *aug.* 1762, § 4.

Non attenditur quod mater ex alio loco oriunda sit, cum filius non matris, sed patris originem sequatur : *Æsin.*, *Cap.*, 20 *jun.* 1767, § 5.

Qui alibi ex accidente ortum habuit, originem patris sequi debet, et frui omnibus privilegiis civitatis paternæ ac legatis civibus relictis : *Fanen.*, *Subs. dot.*, 15 *febr.* 1772, § 5.

Recte oriundus ex aliquo loco dicitur, qui alibi natus est, ex patre tamen cive illius loci : *Mont. Alt.*, *Can.*, 24 *jul.* 1762, § 6.

Filiorum causa, licet agatur ultra legitimam sibi debitam, præfertur causæ piæ, quia regulariter filiorum favor est potior causa religionis : *Burg.*, *Reduct.*, 1 *mart.* 1777, § 7.

Sub nomine filiorum veniunt nepotes : *Aux.*, *Disp.*, 5 *jul.* 1777, § 6 ; *in Mont. Alt.*, *Disp.*, 3 *aug.* 1782, § 13.

Sed nepotes non comprehenduntur sub filiorum appellatione : *Ibid.*

Hæc autem juris communis dispositio conciliatur distinctione, quod si res est de dispositione ascendentis, eo casu procedit ad nepotum comprehensionem sub nomine filiorum ; si vero agitur de dispositione transversalis, tunc locum obtinet dispositio nepotes excludens sub nomine filiorum : *Ibid.*

Fines, seu Confinia. Vide *Ecclesia parochialis*, § iii.

Fœtus.

Circa præcisum tempus quo fœtus animatus dicendus sit, non una est philosophorum sententia ; *Benev.*, *Irreg.*, 18 *nov.* 1769, § 15.

Passim tamen recepta est sententia, post diem 40 in masculis, et 80 in fœminis intrare animam in fœtum conceptum, eumque ab hoc tempore animatum censeri : *Ibid.*

Fœtus a libera muliere procreatus, in dubio, semper mortuus ante nativitatem præsumitur, cum hujusmodi mulierculæ, ne utero gestare videantur, multa agere soleant ad procurandum abortum : *Hyarunt., Irreg.*, 11 *jun.* 1774, § 5.

Nec quis infanticidii reus declarari potest, nisi de infantis vita certa habeatur scientia, et de violento interitu indubia resultet probatio : *Ibid.*

Infantuli in cisternam dejectio nullum secuti homicidii certum indicium constituit : *Ibid.*

Et signa vulgo *lividuræ* in illius facie inventæ, ut plurimum procedunt, vel ex de fatigatione parturientis, vel ex morte in utero secuta, vel ex lapsu infantis in terram dum nascitur : *Ibid.*

Contra infanticidas pœna mortis statuta est : *Ibid.*, § 6.

Fons baptismalis.

§ I.

Fons baptismalis quoad erectionem.

Baptismalis fons constitutus est in parochialibus discretis a cathedralibus, propter multitudinem recipientium baptisma : *Cæsen., Font. bapt.*, 15 *jan.* 1780, § 4.

Interdictum vero est aliis ecclesiis, sive filialibus, sive intra ambitu parochiæ existentibus, fontem baptismalem habere : *Ibid.*

Non autem illis quæ vel desierint esse alicui subjectæ vel longe sint a matrice, ne contingat infantes recenter natos mori sine baptismate : *Ibid.*, §§ 4 et 5.

In omnibus parochialibus ecclesiis debent esse fontes baptismales, nisi fontes hi extent in aliquibus ecclesiis, quæ matrices vel baptismales vocantur : *Fulgin., Font. bapt.*, 24 *febr.* 1720, § 2; *Fabrian., Font. bapt. et Jur. bapt.*, 24 *martii* 1732, § 4.

§ II.

Fons baptismalis quoad constructionem.

Contingere potest quod fons baptismalis reperiatur in ecclesia non parochiali, quodque gratia, ut ibidem de novo etiam construatur de consensu Ordinarii et aliorum quorum interest, concedi queat : *Urbev., Font. bapt.*, 1 *sept.* 1742, § 11.

§ III.

Fons baptismalis quoad retentionem.

Juxta canones vetitum est plures baptismales ecclesias in una eademque terminatione, seu parœcia retineri, ut a Concilio Toletano statutum legitur : *Urb., Font. bapt.*, 1 *sept.* 1742, § 4.

Fons baptismalis est de juribus privativis ecclesiæ parochialis : *Const., Jur. par. et Exempt.*, 18 *dec.* 1762, § 4.

Retentio fontis baptismalis et administratio sacramenti baptismatis, de juribus sunt parochialibus : *Feren., Matric. et Font. bapt.*, 18 *martii* 1797, § 10.

Duo fontes baptismales intra limites ejusdem parochiæ retineri, a jure reprobatur : *Cassan., Dism.*, 22 *julii* 1741, § 4.

FORANEUS. Vide *Vicarius foraneus.*

FORI PRIVILEGIUM. Vide *Privilegium*, § II.

FORMA. Vide *Concursus*, § VI ; *Examen*, § III.

Forum.

Posita præventione curiæ laicæ super delicto mixti fori, ver. gr. stupri, curia ecclesiastica abstinere debet a procedendo, uti resolvit S. Congr. Immunitatis, quamvis præcipitanter et absque sufficientibus probationibus reus fuerit absolutus : *Ragusina*, 31 *martii* 1770, § 16.

Item, si quis fuit absolutus a curia ecclesiastica a dicto crimine mixti fori, licet non intervenisset captura rei, curia laicalis non potest eum in vincula detrudere, ac vexare : *Ibid.*

FRIGIDITAS VIRI AD COPULAM. Vide *Matrimonium*, § XL.

Fructus.

§ I.

Fructus a quo tempore debeantur et sint restituendi.

Fructus restitui debent a die illegitimæ possessionis : *Macer.*, 21 *junii* 1788, § 4.

Restitutio et redintegratio fructuum debita est ab eo qui indebite percepit : *Fav.*, 20 *junii* 1767, § 19.

Fructus ab initio restituendi sunt in judicio universali petitionis hæreditatis : *Viter., Pror.*, 30 *aug.* 1766, § 26.

Speciale est in alienatione rei ecclesiasticæ nulliter peracta, quod possessor teneatur ad fructuum

restitutionem non solum a die motæ litis, sed ab ipsa die qua fuit contractus celebratus : *Null.*, 6 *mart.* 1723, § 10.

Quum de sententiæ validitate et justitia quæritur, a jure alienum est ut ejus prætextu possit possessor a restitutione perceptorum fructuum se excusare ac de bona fide excipere : *S. Sev. El.*, 26 *nov.* 1768, § 7.

Superstes revocans testamentum, restituere tenetur fructus perceptos ex hereditate defuncti : *Sign.*, 20 *sept.* 1788, § 6.

§ II.

Fructus quoad dismembrationem.

Permittitur dismembratio pinguiorum fructuum cappellaniarum ad alias erigendas perpetuas capellanias, quæ divinum augent cultum : *Tyb.*, *Dis.*, 16 *mart.* 1793, § 4.

§ III.

Fructus quoad erogationem.

Alienum est a canonum censura constantique ecclesiæ consuetudine, ut reditibus ecclesiasticis pro sustentatione ministrorum destinatis, ii locupletentur qui carnale matrimonium contraxerunt : *Rom.*, *Cap.*, 17 *sept.* 1774, § 3.

Præsertim si fundator id prohibuerit : *Ibid.*

Ecclesiæ fructus, seu reditus, demptis congruis alimentis in rectoris conservationem necessariis, erogari ab ipso debent in decus ipsiusmet ecclesiæ divini cultus incrementum : *Senog.*, 5 *sept*, 1778, § 4.

Fructus erogari debent in impensas litis actæ causa diminutionis sacrorum et erectionis capellaniæ, exemplo administratoris qui defendit litem actam de re administrata : *Viter.*, *Cap.*, 14 *dec.* 1743, § 6.

Fructus qui non in pios usus nec in ecclesiæ fabricam sunt erogandi, sed in canonicorum utilitatem qui statis horis divinis officiis interfuerint, cadunt sub dispositione constitutionum ac Tridentini decreti : *Tudert.*, *Med. an.*, 13 *jun.* 1744, § 3.

Ut fructus in usus pios conversi dicantur, non sufficit quod in distributiones quotidianas sint erogati, sed oportet eos convertere vel in pauperum eleemosynas, vel in seminarii subsidium, vel in ecclesiæ fabricam, vel in sacristiam : *Ibid.*, § 6.

Reditus hæreditatis redundantes erogari possunt in opus reparationis ecclesiæ, cui testator ostendit suam affectionem : *Lisbon.*, *Appl.*, 27 *nov.* 1790, § 3.

Hæreditatis fructus non omnes in solutionem legatorum etiam piorum cedere debent, sed pars aliqua servanda est fideicommissariis, tum ex juris dispositione, tum ex præsumpta mente testatoris : *Ferrar.*, 13 *febr.* 1751, § 3.

Fructus erogari non debent in alios etiam pios usus, quando celebrationi Missarum sunt destinati : *Melev.*, *Applic.*, 15 *julii* 1797, § 4.

Fructus non in alium usum converti debent, qui in certam relicti sunt causam : *Lisbon.*, *Applic.*, 27 *novem.* 1790, § 2.

Fructus pii operis, quorum difficilis est executio, in aliud erogari valet, sed requiritur ecclesiastica potestas : *Phar.*, *Union.*, 25 *jun.* 1791, § 2.

Fructus beneficiorum erogandi sunt in dimissionem debitorum a beneficiato contractorum : *Spir.*, *Canon.*, 18 *aug.* 1764, § 5.

Et hæc applicatio arbitrio Episcopi relinquitur : *Ibid.*

§ IV.

Fructus quoad pertinentiam.

Quibus debentur bona, ad eosdem spectant illorum fructus : *Tuscul.*, 16 *jan.* 1768, § 10.

Hinc, quum bona ad pium locum spectant, non curata personarum mutatione, pio loco fructus debentur : *Ibid.*, § 11.

Fructus duntaxat, qui maturati fuerunt, vel usque ad obitum defuncti, vel currente tempore deliberandi, vel nondum adita ab hærede hæreditate, patrimonium augent, et in assem cedunt : *Rom.*, *Capell.*, 15 *mar.* 1777, § 6.

Fructus sortium assignatarum in piis operibus erogandis, si non fuerint erogati in causas prædictas, non accrescunt sortibus, nec cedunt in beneficium piorum operum, quorum neglectum fuit implementum, sed integraliter spectare deberent ad rev. fabricam S. Petri : *Ibid.*, § 7.

Sicut mala fides a die motæ litis exoritur, ita ab eo tempore fructus debentur : *Assis.*, *Congr.*, 9 *sept.* 1786, § 7

Cessante principali actione, incongrua est de fructibus contentio : *Raven.*, 20 *jun.* 1767, § 13.

Inspecta præsertim bona fides possidentis innixa gratiosæ concessioni, quam Ordinarius executioni mandavit : *Ibid.*

Fructus reliqui impletis oneribus dotium legatorumque ad hæredem pertinere debent : *Camer.*, *Subs. dot.*, 23 *nov.* 1743, § 5.

Reditus fabricæ in nulla unione, aut bonorum ecclesiæ dispositione comprehensi censentur, nisi de illis specialis et individua mentio habeatur : *Reat.*, *Med. ann.*, 12 *maii* 1770, § 5.

Quum reditus hujusmodi diversæ sint qualitatis, et distincte debeant administrari, ac de illis ratio singulis annis Episcopo reddi, eorum cura ad Episcopum potissimum pertinet : *Ibid.*

Fructus, qui ex perpetuis reditibus legatorum piorum cum onere Missarum supersunt, cedunt in commodum ecclesiæ legatariæ : *Rom.*, *Eleem. Miss.*, 15 *jun.* 1709, § 2.

Limita in eleemosynis manualibus : *Ibid.*

Reliqua quoad fructus. Vide *Archidiaconus*, § III ; *Beneficiati*, § IV ; *Canonici*, § III ; *Capellanus*, § V ; *Capitulum ecclesiasticum*, § V ; *Census*, § III ; *Emphyteusis*, § V ; *Legatum pium*, § XI ; *Parochus*, § IX ; *Presbyteri*, § II.

Frumentarius mons. Vide *Mons*, § I.

Functiones ecclesiasticæ.

Variæ sunt species functionum : aliæ sunt functiones de jure mere parochiali, quæ privative ad parochum spectant, ita ut eo invito ab aliis sacerdotibus exerceri nequeant : *Faven.*, *Funct.*, 3 *apr.* 1773, § 10.

Aliæ, licet de juribus mere parochialibus non sint, et idcirco ab aliis quoque exerceri valeant, parochis nihilominus maxime conveniunt, et ob id munera parochialia appellantur, ut sunt benedictiones mulierum, fontis baptismalis et cetera hujus generis : *Ibid.*

Aliæ demum sunt tantum ecclesiasticæ, quarum exercitium capellanis permittitur in capellis et oratoriis a parochia sejunctis, licet ejus finibus comprehensis : *Ibid.*

Expositio 40 horarum et benedictio quæ fit super populum non sunt de juribus parochialibus : *Ibid.*, § 11.

Item celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis, non est de juribus parochialibus : *Ibid.*, § 12.

Solemnitas in sacris functionibus ex exterior apparatu et pompa arguitur : *Cassan.*, 30 *maii* 1767, § 12.

Presbyterorum secularium et regularium commixtio vetita est in functionibus ecclesiasticis : *Aquipt.*, *Funct.*, 18 *dec.* 1773, § 8.

Et id locum tantummodo habet quando seculares presbyteri cum regularibus unum corpus constituunt, non autem quando seorsum sacris functionibus intersunt : *Ibid.*

Quænam functiones vel parochiales sint, vel sacerdotales, patet ex decretis generalibus Sac. Rituum Congregationis editis anno 1703 : *Cass.*, 30 *maii* 1767, § 22.

Inter illa quæ nec ad jura parochialia, nec ad parochialia munera pertinent, et idcirco in privatis oratoriis, etiam invito parocho expleri possint, enumerantur celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis, ac expositio 40 horarum, et benedictio quæ fit super populum : *Ibid.*, § 23.

Licet functiones funerum non sint stricte de jure parochiali, omnimodam tamen a juribus mere parochialibus habent dependentiam : *Faven.*, *Funct.*, 17 *julii* 1773, § 7.

Celebratio Missæ solemnis in festo titularis, nec non in anniversariis defunctorum, inter functiones parochiales non comprehenditur, sed sunt functiones mere sacerdotales : *Faven*, *Funct.*, 3 *apr.* 1773, § 5

Reliqua. Vide *Episcopus*, § X ; *Oratorium*, § V.

Functiones parochiales. Vide *Parochus*, § VIII.

Fundatio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XV ; *Canonicatus*, § IV ; *Capellania*, § V ; *Juspatronatus*, § VI ; *Monasterium*, § II ; *Regularium monasterium*, § II ; *Seminarium*, § II.

Fundationes.

Prohibet Tridentina Synodus in sess. 25, cap. 5, *de Reform.*, ne legibus fundationum derogetur : *Mont. Alt.*, *Subs. dot.*, 16 *dec.* 1797, § 4.

Expedit ne piarum fundationum pereat memoria, nec quæ sacris ministeriis dicata sunt temporum injuria obsolescant : *Camen.*, *Repar. eccl.*, 18 *decem.* 1790, § 3.

In limine fundationis licet quamcumque conditionem dare, quam legitima auctoritas probet : *Fercell.*, 19 *jul.* 1766, § 5.

Et præsertim de ipsis infantulis qui titulo administrationis beneficia retineant : *Ibid.*

Ad fundationes comperiendas non satis adhibitæ sunt diligentiæ omissa edictorum affixione, quæ est necessaria : *Spol.*, 7 *maii* 1785, § 2.

Talis præsumitur lex fundationis, qualis fundator vel ejus hæres ad actum deduxit : *Ferr.*, *Cap.*, 7 *junii* 1788, § 4.

In limine fundationis a contrahentibus legem sibi benevisam etiam juri contrariam apponere, licitum est : *Mediol.*, *Præced.*, 19 *sept*, 1761, § 5.

Pacta et leges fundationum servare juris naturalis est, imo et divini ; alias fundatores retraherentur ab erogandis propriis substantiis in opera pia, videntes pacta et leges rei suæ non servari, sed violari : *Cingul.*, *Erect. mans.*, 23 *novem.* 1761, § 4.

Fundatio se habet per modum contractus ultro citroque obligatorii, seu donationis sub modo,

quem cum Episcopus admiserit, et provisus dum instituitur non recusavit, non potest amodo onus detrectare : *Pont. Cur.*, *Cap. sup. reduct. Miss.*, 29 *julii* 1786, § 9.

Fundator.

Fundatoribus permissum est onera, qualitates, conditiones ac leges sibi benevisas apponere : *Lauden.*, *Capell.*, 23 *aug.* 1738, § 7.

Ita similes leges contra ipsorum mentem in fundationis instrumento omissas, post peractam completamque beneficii seu capellaniæ erectionem superaddere : *Ibid.*

Sed novas leges nequit fundator adjicere, vel adjectas commutare, postquam ecclesiastici beneficii fundatio fuit ab Ordinario approbata : *Ibid.*, § 8.

Nihilominus, quando ipsimet fundatores instant ut conditio aliqua beneficio vel capellaniæ jam erectæ superaddatur, et conditio addenda neque adversatur juris dispositioni, neque in alicujus detrimentum vergit, debet admitti : *Ibid.*

Quamvis fundatori permittatur in limine fundationis adjicere conditiones juri etiam communi repugnantes, non id tamen ei licere videtur ex intervallo post fundationem perfectam : *Segovien.*, *Capel.*, 17 *nov.* 1731, § 7.

Fundator conditiones in fundatione et erectione appositas mutare postea nequit, etiam approbante Episcopo, si novæ leges sint contra dispositionem juris : *Aquen.*, *Celeb. Miss.*, 15 *dec.* 1731, § ult.

Si autem conditiones non adversantur dispositioni juris, permittitur fundatori eas ex intervallo addere, non tamen sine Ordinarii assensu : *Ibid.*

Maxime vero conditiones et novas leges adjicere nequit, si per eas lædatur jus inde aliis quæsitum : *Ibid.*

Quum fundatori liceat conditiones etiam repugnantes canonicis legibus adscribere accedente Ordinarii approbatione, hinc valet etiam conditio de beneficio ad certam personam transferendo cum remotione alterius, qui jam illud obtinuerit ; *Firm.*, *Capel.*, 9 *aug.* 1732, § 6.

Exploratum est beneficii fundatorem apponere posse in actu fundationis conditionem reservationis exclusivam : *Eugub.*, *Canon.*, 7 *julii* 1770, § 22.

Et hæc reservationis exclusio non solum expresse demandari potest, sed etiam tacite et virtualiter ex instrumento erectionis benefecii : *Ibid.*

Fundator per limitationem temporis recessit a dispositione juris tribuentis patronis ecclesiasticis terminum sex mensium ad præsentandum : *Ibid.*, § 23.

Fundator in limine fundationis potest sibi reservare facultatem variandi totam, vel in parte, fundationem : *Prenest.*, 21 *aug.* 1784, § 17.

Idcirco potest ex intervallo tollere et adjicere quascumque substitutiones sibi benevisas, cum reservatio sit tanquam prorogatio perfectionis fundationis : *Ibid.*

Fundatores, ante erectionem beneficii perfecte secutam, possunt tollere et adjicere quascumque substitutiones sibi benevisas : *Mont. Falis.*, *Benef.*, 21 *aug.* 1784, § 9.

Fundatoribus licitum est adjicere leges et conditiones etiam in præjudicium illorum quos in fundatione prædilexerant, antequam Ordinarii auctoritas in erectione intercedat : *Reat.*, *Capell.*, 14 *maii* 1774, § 4.

Maxime si leges et conditiones dispositioni juris communis non adversentur : *Ibid.*

Fundator beneficii, post decretum legitime interpositum, nequit fundationem immutare, nisi in actu fundationis hanc sibi facultatem reservaverit : *Gerund.*, 14 *dec.* 1771, § 10.

De consensu tamen Episcopi, permitti potest ut etiam absque reservatione novas adjiciat conditiones juri non contrarias : *Ibid.*, § 11.

Ex canonica jurisprudentia fundatori aut insigni benefactori conceditur, ut conditiones quaslibet etiam dispositioni juris repugnantes in limine fundationis adjicere possit : *Senog.*, *Canon.*, 11 *maii* 1793, § 10.

Et hæc ex æquitate sacrorum canonum data est venia, ne fideles a piis operibus retrahantur : *Ibid.*

Fundator, reservata sibi facultate variandi, potest capellaniæ immutationem statuere in manualem et amovibilem : *Flor.*, *Capel.*, 24 *apr.* 1736, § 2.

Licet fundatori post absolutam capellaniæ erectionem novas opponere conditiones et qualitates in ejusdem capellaniæ beneficium tendentes, quoties istæ juris dispositioni non adversantur : *Ibid.*, § 3.

Novas leges et conditiones addere fundator nequit, statim ac supervenerit Ordinarii approbatio : *Reat.*, *Capell.*, 14 *maii* 1774, § 6.

Hinc lex superveniens omnimo despicienda est, quando jam prius Ordinarii auctoritas pro beneficii erectione intercesserit : *Ibid.*

Fundatori licitum est de consensu Episcopi novas addere conditiones in erectione beneficii non appositas : *Cremon.*, *Trans. benef.*, 3 *julii* 1762, § 3.

Fundator haudquaquam potest arbitrio suo leges adjicere, postquam beneficii ecclesiastici fundatio cum Ordinarii auctoritate perfecta fuit : *Civit.*, *Capell.*, 27 *febr.* 1734, § 4.

Fundator non potest novas in testamento conditiones adjicere, multoque minus jus nominandi communitati tributum immutare : *Arim., Capell.*, 26 *febr.* 1774, § 11.

Fundatori liberum est leges imponere et alias quascumque conditiones adjicere : *Firm., Capell.*, 20 *aug.* 1774, § 3.

Fundator, seu ejus hæredes de jure cogi possunt ad dotem ecclesiæ præstandam, quæ in actu fundationis constituta fuit : *Sabin., Dotat.*, 29 *jul.* 1752, § 2.

Dos in ea quantitate constitui debet, quæ satis sit pro omnibus ecclesiæ necessariis : *Ibid.*

Et redditus sacrario relicti cum oneribus sacrorum pro dote esse nequeunt, sed titulo legatorum sunt relicta, nam pro dote requiritur ut reditus ecclesiæ constituantur in bonis immobilibus, expresso titulo dotis : *Ibid.*

Forma a fundatore præscripta extractionis de simplici beneficio, si probata sit ab Episcopo in decreto erectionis, nullo jure improbari potest, quominus electio per sortes expleatur : *Imol., Distrib.*, 13 *mar.* 1773, § 20.

Fundatores dum capitularium omnium interventum requisiverunt, non alio sane quam ad pietatem et suffragium animarum suarum prospexisse præsumuntur : *Bitunt., Servit. chor.*, 26 *jan.* 1771, § 5.

Potest fundator dispensare clericos a recitatione divini officii, ejusque loco recitandi officium Beatissimæ Virginis : *Firm., Benef.*, 2 *sept.* 1758, § 2.

Fundator valet coercere et moderari quadrimestre tempus a jure patronis concessum ad præsentandum : *Faren., Capell.*, 26 *aug.* 1769, § 7.

Ex verosimili mente fundatorum, qui, si nunc viverent, aliam legem sancirent, derogari fundationi potest : *Monast. et Osnabr., Canon.*, 7 *apr.* 1753, § 3.

Fundator alicujus capellaniæ sive ecclesiastici beneficii, quando ad hoc consensum sui diœcesani Episcopi impetrare non potuit, ab hac injusta recusatione poterit reclamare : *Vigil., Fund.*, 23 *nov.* § 3.

Fundator, dum præposito onus imposuit celebrandi per se ipsum, qualitatem sacerdotalem actu requisivit : *Alexand., Præpos.*, 31 *aug.* 1771, 1743, § 23.

Fundus. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XIII ; *Capellania*, § III ; *Missa*, § X.

Funerandi jus. Vide *Cadaver*, § IV ; *Parochus*, § VII.

Funerum emolumenta. Vide *Emolumenta*, § II ; *Parochus*, § IX.

Funerum quarta. Vide *Episcopus*, § XVII ; *Parochus*, § VII ; *Quarta funerum.*

Funus. Vide *Cadaver*, § IV.

Furtive ordinatus. Vide *Sacramentum Ordinis*, § IX.

Generalis vicarius. Vide *Matrimonium*, § XXXIII ; *Vicarius generalis.*

Generationes. Vide *Emphyteusis*, § VI.

Gentilitium stemma. Vide *Stemma gentilitium.*

Genus.

Post nomen generis, si designatæ sunt certæ species, dubium haud videtur quin statim sese exerat regula genus contrahens ad species expressas : *Feretr., Leg.*, 30 *maii* 1786, § 3.

Hinc agebatur de omni marmore legato, et Javolenus refert Labeonem probasse Castelli sententiam, qui contra Ofilium et Trebatium putavit non omnes deberi statuas, quæ sub legato genere marmoris continentur, sed duas tantum nominatim expressas : *Ibid.*

Quæstio erat de fundo instructo certis designatis mancipiis, et responsum est, tametsi mancipiis instructi fundi sunt, tamen videri eos solos legatos qui nominati essent : *Ibid.*

Genus dicendum foret, si species generi subjecta genus ipsum destrueret, puta quia tantæ esset arctitudinis ut genere ad eam contracto stare illud amplius non posset : *Ibid.*, § 4.

Si testator plures species generi adjecerit, illæ genus coercent, adeo ut genus ad illas species redigatur, et ipsæ solummodo debeantur : *Ibid.*, § 5.

Insuper considerandum est quod etiam nomen generis, si pluribus subjiciatur speciebus, et in eadem omnino ratione, ad eas contrahitur hoc necessario, quodammodo exigente mutua inter utrumque relatione : *Ibid*, § 7.

Casum vini amphorani legati ponit Labeo, pluriumque subjectarum specierum : mox additum supponit genus nempe, *et dulcia omnia ;* nihilominus ad dulcia esculenta utcumque sub genere contenta extendi legatum negat : *Ibid.*

Hinc species restringit genus quoties utrumque conjunctim exprimitur in eadem oratione, ita ut alterum ad alterum referatur : *Ibid.*

Et illud restringit, etiamsi adjectum sit verbum universale, *omnia* : *Ibid.*

Gradus in genere.

Gradus honorificentior ei debetur, quem diuturniores impense labores, et prolixioris servitii merita commendant : *Rom., Dec. cap. lat.*, 22 *nov.* 1732, § 7.

Graduum computatio.

Gradus, nuptiis exceptis, in reliquis semper ad normam juris civilis computantur : *Spol. seu Perus., Sub. dot.* 16 *maii* 1767, § 7.

In civilibus legibus ob nihil aliud ipsorum graduum facta est mentio, nisi ut hæreditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur : *Ibid.*, § 11.

In canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur usque ad quartam generationem a consanguineorum nuptiis sit abstinendum : *Ibid.*

In civilibus, præscribitur ut hæreditas propinquis modo legitimo conferatur : *Ibid.*

In canonibus, ut rite et canonice inter fideles nuptiæ celebrentur : *Ibid.*

In civilibus, distincte non numerantur gradus, nisi usque ad sextum : *Ibid.*

In antiquis canonibus vero, usque ad septimam distinguuntur generationem : *Ibid.*

Imperator enim secularis curavit in singulis personis singulos præfigere gradus; quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam : *Ibid.*

Sacri canones duas in uno gradu constituerunt personas, quia nuptiæ sine duabus personis fieri non valent : *Ibid.*

Traditio communis est ut quoad matrimonia tantum servetur computatio graduum juxta jus canonicum : *Ibid.*, § 12.

In reliquis dispositionibus et successionibus, servetur altera tradita a jure civili : *Ibid.*

Ea potissimum ratione, quia computatio juris civilis est propria et naturalis, quum procedat per gradus, per quos non vadit jus canonicum, sed per saltus : *Ibid.*

Receditur tamen ab hisce regulis, quando testatoris voluntati consentaneæ non sunt : *Ibid.*, § 13.

Jus canonicum attenditur in gradus computatione, quando agitur de matrimonio, vel de causa pene spirituali, ita ut si vocentur clerici consanguinei, et agatur de capellania fundata sine Episcopi auctoritate, consanguinitatis decisio desumenda est a jure civili, et non a jure canonico : *Eugub.*, 4 *dec.* 1723, § 6.

Granciæ.

Granciæ nomine proprie intelliguntur domus rurales in prædiis existentes, in quibus moratur aliquis religiosus pro cura bonorum, vel causa recreationis ; impropriæ autem granciæ appellantur parvæ domus religiosæ ab aliis monasteriis dependentes : *Tolet., Visit. orat.*, 29 *aug.* 1761, § 4.

Et utrumque genus granciarum comprehenditur sub indulto Alexandrino : *Ibid.*

Verius tamen est, illud comprehendere solum grancias secundi generis, seu parvas domos religiosas dependentes ab aliis monasteriis : *Ibid.*, § 7.

At privilegia habendi oratorium pro celebratione Missarum in privatis domibus sublata fuerunt per Concilium Tridentinum : *Ibid.*, §§ 5 et 7.

Conciliaris tamen abrogatio privilegiorum habendi oratorium in privatis domibus non comprehendit grancias monachorum uti domos religiosas : *Ibid.*, § 5.

Quod intelligendum non est de granciis primi generis, seu domibus ruralibus, quæ non sunt loca religiosa, et auctoritate Ordinarii perpetuo dicata ad cultum divinum : *Ibid.*, § 8.

Derogatio tamen conciliaris non afficit privilegia postmodum concessa : *Ibid.*, § 7.

Sive illa directe, sive per communicationem concessa sint : *Ibid.*

Et post Concilium, hujusmodi privilegia habendi oratorium privatum indulta fuerunt canonicis regularibus S. Salvatoris a Pio IV, Jesuitis a Gregorio XIII, Cartusianis monasterii Trisulti a Clem. XII : *Ibid.*

Et ipsis Cisterciensibus S. Bernardi regnorum Castellæ et Leonis, confirmata fuerunt antiqua privilegia, et communicata illa aliorum regularium a Gregorio XIV : *Ibid.*

Sed indultum Gregorii XIV pro confirmatione et communicatione privilegiorum munitum est clausula : Quatenus sint in usu, et decretis Concilii Tridentini non adversentur : *Ibid.*, § 8.

Et ideo prodesse nequeunt nedum privilegia per Concilium expresse abrogata, sed etiam ea quæ simpliciter Concilii decretis adversantur : *Ibid.*

Gratia.

§ I.

Gratia in genere.

Gratiæ substantia haud residet in litteris Apostolicis, quæ ad solemnem solum et necessariam datæ

gratiæ probationem expediuntur : *Nepes.*, 8 *jul.* 1786, § 10.

Ita quidem ut dictarum litterarum expeditio haud operetur per viam retrotractionis, quæ in præjudicium tertii, cui intermedio tempore jus quæsitum esset, fieri haudquaquam posset, sed commonstrant solum dictæ litteræ et testantur de gratia, usque a momento signaturæ completa et perfecta : *Ibid.*

Infiniti sunt utriusque juris loci quibus sancitur perfectionem gratiæ a rescripto, non autem ab expeditione litterarum, esse metiendam : *Ibid.* § 11.

Ita ut si quis in illo posterior, in istis tamen sit anterior, imo etiamsi corporalem possessionem apprehenderit, sit ab eo deturbandus, nilque ei Apostolicæ anteriores litteræ possint e conspectu ejus qui in gratiæ impetratione prævenit : *Ibid.*

Verum est quod, quando non constat de contraria concedentis voluntate, tempus non a signatura gratiæ, sed potius a demandata exequutione metiendum est : *Rom., Can.*, 9 *sept.* 1786, § 6.

Et scitum est, legitime impeditis tempus non concurrere : *Ibid.*

Haud in duriorem partem inflecti evertique decet gratiam, quam tanta cum æquitate Summus Pontifex concessit : *Camerin., Subs. dot.*, 3 *martii* 1787, § 4.

Denegatum censetur quod petitur, si in pontificia gratia prætermittitur : *Reat.*, 5 *apr.* 1788, § 11.

Gratia pontificia inutilis evadere nequit : *Rom., Subs. dot.*, 7 *jun.* 1788, § 6.

Gratia ab uno impetrata communis fit alteri ex identitate rationis : *Rom.*, 17 *jan.* 1789, § 4.

Gratia concessa et exequutionis *visis videndis, et consideratis considerandis* tradita, atque per plures annos pacifice observata, nonnisi firmissimis argumentis potest everti : *Favent.*, 20 *jun.* 1767, § 7.

Quod uni non nocet, alteri prodest, concedendum est : *Senog.*, 13 *jun.* 1789, § 12.

Gratia commutationis ex sua natura præjudicium irrogare debet illis quibus relictum est opus pium commutandum : *Bonon., Aperit. oris.*, 14 *maii* 1763, § 5.

Gratia et habilitatio juris defectum supponit : *Rom., Subs. dot.*, 11 *jan.* 1772, § 6.

Gratia pro obtinenda sanatione unius suffragii non indulgetur, si impetretur intra quadrimestre ad præsentandum patronis concessum : *Urb., Canon.*, 10 *jan.* 1778, § 5.

Et assensu patronorum non accedente : *Ibid.*, § 6.

Regula juris est, quod in generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset in specie verosimiliter concessurus, ita in generali prohibitione, vel præcepto, non debent ea venire quæ princeps non esset in specie verosimiliter prohibiturus vel præcepturus : *Dissert. sup. matrim.*, 1740, in fin. lit. F, § 7.

Quum restrictum non sit tempus in rescripto, ad quod frui debet pontificia gratia, neque restringendum est illius beneficium : *Lauret.*, 18 *dec.* 1790, § 6.

Gratia ab una congregatione abnegata, ab alia impetrari eadem nequit : *Macer.*, 24 *jan.* 1778, § 6 ; et *Sutrina, Trans.*, 15 *jul.* 1780, § 1.

Cum ad conditionis implementum satis sit ipsum ex parte sua adimplevisse, nec propriæ culpæ tribuendum, si gratiæ compendium, quæ a Pontificis voluntate pendet, non fuerit intra præscriptum terminum assequutus : *Sutrina, Stalli*, 7 *julii* 1770, § 4.

Gratia *si nulli* concedi solet alteri ex collitigantibus, quatenus nemo beneficium obtinuerit : *Mont. Alt., Canon.*, 18 *julii* 1789, § 2.

Et purificatur per exitum litis, omnesque exclusos a beneficio concurrentes : *Ibid.*

Et hujus gratiæ fundamentum constitutum est in affectione beneficii, qua inducta est, quæ patronis facultatem præsentandi adimit : *Ibid.*

§ II.

Gratia quoad exequutionem.

Potest Episcopus extrajudicialiter procedere, deficiente legitimo contradictore, pro exequutione gratiæ suo arbitrio commissæ : *Fan., Subs. dot.*, 14 *febr.* 1761, § 3.

Veritum præjudicium de futuro non retardat exequutionem gratiæ, in qua præservatum intelligitur duntaxat præjudicium de præsenti : *Camen. seu Fabr.*, 27 *martii* 1762, § 7.

Gratia perfecta ab initio non debet pendere a consensu alicujus in exequutione præstandum : *Ibid.*, § 6.

Gratia collationis parochiæ exequi quamprimum expedit, ne ecclesia sine sponso et oves sine pastore maneant : *Vaden., Paroch.*, 5 *sept.* 1778, § 6.

§ III.

Gratia expectativa.

Gratiæ expectativæ improbatæ sunt a Concilio Tridentino, ideoque omnibus prohibitæ sunt, excepto Summo Pontifice : *Fir. et Rip.*, 19 *febr.* 1780, § 7.

Ipse tantum ratione suæ potestatis valet beneficia haud vacantia conferre, etiam vigore apertæ declarationis Tridentinæ : *Ibid.*

§ IV.

Gratia quoad prorogationem.

Communitatis consensus in actu prorogationis gratiæ denuo exquirendus est : *Fanen.*, 10 *jan.* 1784, § 26.

Quod requirendus haud sit si semel intercesserit : *Ibid.*

Quando dies prorogatur, debet id fieri cum omnibus qualitatibus et solemnitatibus quæ requiruntur in primo actu : *Ibid.*

Ideo solemnitas et forma, quæ adhibentur in primo actu, etiam in actu prorogato observari debent, quia nempe prorogatio non facit actum novum, sed unus idemque est cum prorogato : *Ibid.*

Quoad prorogationem gratiæ, translaticium est quod, pendente ad principem recursu, tempora haud labuntur ad effectum præsertim incurrendarum pœnarum : *Rom.*, *Can.*, 9 *sept.* 1786, § 8.

Et natura ipsius rei esset, ut prorogatio immediate cum termino expirante connectatur, alias de nova collatione, non de meris est induciis : *Ibid.*, § 9.

A prorogationum natura abest ut eæ dentur ad resignandum beneficium, cum quinimo in id sint dumtaxat institutæ ut quis capacitatem ejusdem retinendi, si quam non habet, acquirat : *Ibid.*, § 13.

Induciis postulatis de prorogatione gratiæ exceptionibus obnoxia, non patitur natura gratiæ per litteras Apostolicas obtentæ, et quæ celerem meretur exequutionem, ut diutius retardetur : *Ibid.*

§ V.

Gratia quoad validitatem et nullitatem, subreptionem et obreptionem.

Gratiæ pontificiæ impetrari possunt obreptione et subreptione, tacita nempe veritate, vel suggesta falsitate : *Faven.*, 20 *jun.* 1767, § 21.

A nonnulis ex malitia, et ab aliquibus ex ignorantia : *Ibid.*

Qui per fraudem, vel malitiam, vel falsitatem exprimunt vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex gratia commodum consequi possunt : *Ibid.*

Aliter si per simplicitatem, vel ignorantiam, obtinuisset vero expresso, vel suppresso falso, saltem litteras in forma communi, et delegatus procedat servato juris ordine, et non speciali forma rescripti ; non ita si nullo modo litteras habuisset : *Ibid.*

Reticentia veri et expressio falsi subreptionem et obreptionem inducit : *Viglev.*, *Red. Mis.*, 24 *nov.* 1792, § 5.

Absque enim hoc vitio gratia concessa non fuisset : *Ibid.*

Gratia ex subreptientibus corruit : *Baren.*, *Præced.*, 19 *apr.* 1760, § 5.

Gratia subreptionis et obreptionis vitio infesta nulla est dijudicanda : *Faven.*, 20 *jun.* 1767, § 16.

Satis est ad inducendam subreptionem si nonnulla exposita fuisset Pontifici, et valerent vel ad gratiam denegandam, vel difficilius concedendam : *Viterbien.*, *Aperit. oris*, 27 *febr.* 1790, § 3.

Non item si de re cogitare potuit silentio prætermissa : *Ibid.*, § 5.

Gratia obreptitia vel subreptitia censetur dolo extorta : *Ravenn*, *Subs. dot.*, 23 *nov.* 1768, § 9.

Ideoque omnia abroganda sunt : *Ibid.*

Gratia vitiosa dicitur, si Pontifici omnia sincere narrata non fuerunt, quæ si eidem nota fuissent, vel non concessisset, aut saltem maxima cum difficultate : *Ascul.*, 6 *mart.* 1779, § 7.

Ad subreptionem adstruendam requiritur reticentia illarum circumstantiarum, quæ Summum Pontificem retrahere a concessione gratiæ potuissent : *Bonon.*, *Aper. oris*, 14 *maii* 1763, § 1.

Quæ summum Pontificem a concedenda habilitatione ad subsidium dotale retraxissent, si narrata fuissent, subreptitiam reddunt gratiam : *Rom.*, *Subs. dot.*, 6 *maii* 1797, § 8.

Vitium obreptionis et subreptionis causam præbuit aperitioni oris, eaque vitia retardant gratiæ pontificiæ exequutionem etiam motu proprio concessæ : *Macer*, *Appl.*, 20 *dec.* 1760, § 1.

Subreptitia gratia dicitur ob silentio prætermissum recursum in S. Congregatione Concilii, quod si Summus Pontifex scivisset, fortasse petitam gratiam non concessisset : *Montis Alti*, *Canon.*, 18 *jul.* 1789, § 3.

Subrepta transactionis confirmatio fuit quando, si omnia fuissent exposita, vel nullo modo, vel difficilius confirmatio fuisset indulta : *Prænest.*, *Concor.*, 20 *aug.* 1774, § 3.

Gratia concessa a voluntate Summi Pontificis aliena videtur, quum omnino tollere noluisse censetur jus tertii : *Viter.*, *Aper. oris*, 27 *febr.* 1790, § 2.

Gratia subreptitia extorta, et notabiliter læsiva concedentis jurium, est irritanda : *Fanen.*, *Subs. dot.*, 14 *febr.* 1761, § 7.

Et gratia sub falsis narrativis et sub reticentia veri exorta inutilis est, ubi alias vel nullimode, vel difficilius concessa fuisset : *Ibid.*, § 8.

Gratia, seu rescriptum subreptitium ob reticitum jus alienum, et cum alieno præjudicio, præ omnibus est revocandum : *Sutrina.*, 16 *jun.* 1792, § 2.

Nulla est subreptio, ex reticentia conditionum, quæ ex mente Pontificis, et ex agnitione contradictorum nihil conferant ad gratiam faciliorem, vel difficiliorem reddendam : *Bonon.*, *Aper. oris*, 14 *maii* 1763, § 4.

Quum ex toto supplicis libelli contextu nullo modo resultet particula testamenti, licet sit ea precibus adnexa, subreptionis, vel obreptionis vitium excusari non potest : *Rom.*, *Capell.*, 17 *sept.* 1774, § 4.

Silentio prætermissa oblatio quædam, quæ erat tanquam simplex tractatus, absque subreptionis vitio omitti pro gratia obtinenda potest : *Viter.*, *Aper. oris*, 27 *febr.* 1790, § 5.

Nulla est subreptio ex silentio servata narratione jurispatronatus, dum actum non est de translatione capellaniæ voluntaria, sed de necessaria et justa, quæ etiam patronis invitis largiri debet : *Comen.*, *Trans. capell.*, 30 *maii* 1772, § 6.

Ad evitandam obreptionem mentio prioris beneficii necessaria est in petenda dispensatione ad duo beneficia retinenda : *Papien.*, 19 *febr.* 1791, § 6.

Gratia subreptitia est, ob silentio servatam rem, quam Summus Pontifex vel eam denegasset, si scivisset, vel difficilius concessisset gratiam : *Terrac. seu Setin.*, *Capell.*, 19 *sept.* 1789, § 3.

Subreptionis vitio laborat collatio beneficii residentialis ob reticitam alterius residentialis possessionem : *Papien.*, 19 *febr.* 1791, § 3.

Quia si mentio facta fuerit, Summus Pontifex forsan a gratia retraxisset : *Ibid.*

Quum præjudicium alterius non esset ignotum Summo Pontifici ob exhibitum testamentum, quod necessario veniat in sequelam gratiæ indultæ, hæc propterea illius contemplatione non est irrita : *Camen. seu Fabr.*, 27 *mart.* 1762, § 8.

Et ex præmissa testamenti insertione vitio subreptionis gratia infecta non est, cum hæc ex ejusdem testamenti tenore omnimode submoveatur : *Ibid.*, § 9.

Subreptitia est impetratio silentio servata beneficii qualitate : *Brixin.*, 18 *sept.* 1790, § 4.

Gratia subreptitia est ob silentio servatam, aliarum consanguinearum existentiam quæ facile Summus Pontifex a concedendo indulto retraxisset : *Rom. seu Null. Sublacen.*, *Legat.*, 26 *mart.* 1791, § 3.

Reticentia vero ejus, de qua Summus Pontifex cogitare potuit, non inducit illius subreptionem : *Ibid.*

Habilitatio indulta a S. Confr. Concilii clerico prælative vocato ad capellaniam est inutilis ob reticentiam ab eo possessionis interim adeptæ a substituto, cujus juribus minime præsumitur voluisse S. Congr. Concilii præjudicare : *Forosemp.*, *Capell.*, 11 *april.* 1761, § 7.

Quum agatur de gratia jam facta, rescindi non debet sive manifesta obreptione vel subreptione, quæ deduci non potest a re silentio prætermissa cognita ex particula testamenti : *Cæsen.*, *Ind.*, 12 *jan.* 1760, § 2.

Imo sufficit, non fuisse expressum contrarium, ut obreptitia dici nequeat gratia : *Ibid.*

Ad removendam subreptionem non prodest clausula in litteris Apostolicis, *non obstantibus etc.*, quæ apta est ad removendum subreptionis vitium a beneficiis de jure patronatu ecclesiastico, secus vero si beneficium sit de jure patronatu laicali : *Prænest.*, *Concer.*, 20 *aug.* 1774 § 10.

Non obest quod alterius jus silentio servatum fuerit, cum singula Summo Pontifici comperta fuerint ex testamentaria dispositione eidem cum precibus exhibita, ubi et capellaniæ qualitas, et jus alterius deprehendi potuit : *Rom.*, *Capell.*, 17 *sept.* 1774, § 6.

Imo sufficere in prioribus precibus exhibitum fuisse testamentum potuit, in positione repertum, necnon relatio Card. Vicarii Urbis, unde subreptio et obreptio excluduntur : *Ibid.*

Subreptionem non inducit reticentia, vel anterioris gratiæ *pro indotata*, quæ caruit exequutione vel impuberis ejus ætatis, quæ narranda non erat in matrimonio contrahendo post legitimam ætatem : *Gerun. seu Vicem.*, *Null. matrim.*, 2 *aug.* 1760, § 5.

Et inutilis est expressio alterius opportunitatis nubendi, quia dispensatio loquitur de locis originis utriusque sponsi tantum : *Ibid.*

Subreptitia gratia pontificia non expressa in supplicatione litis pendentia evadit : *Juven.*, *Can. theol.*, 11 *aug.* 1759, § 2.

Et subreptioni additur obreptio si conditio adjecta in litteris Apostolicis impleta non fuerit, quo casu nequit beneficiatus fructus suos facere : *Ibid.*, § 3.

Obreptitia dicitur gratia etiam ob malam fructuum expressionem : *Ibid.*

Unde indignus etiam fit nova beneficii provisione dum semel rejectus ab officio vel beneficio causa criminis in eo admissi, nequit idem beneficium, vel officium iterum consequi : *Ibid.*

Amplia, etiamsi crimen sublatum et emendatum fuerit : *Ibid.*

Subreptitia est gratia seu facultas impetrata a S. Congr. Concilii ob reticentiam rei judicatæ : *Tybur., Par.*, 16 *junii* 1792, § 5.

Facile namque per œconomicam providentiam illud concessisset, quod in contradictorio denegaverat judicio : *Ibid.*

Si vero justis ac piis de causis petita ac concessa fuerit, perinde habetur ac si motu prodiisset proprio, et tunc omni subreptionis et obreptionis vitio caret : *Ibid.*, § 6.

Gratiam non vitiat alieni juris reticentia, si alienum cesset præjudicium : *Ibid.*

Impugnari nequit veluti subreptitium S. Congregationis indultum, quod in actu serio et proportionato ratum quis habuit : *Ibid.*, § 7.

Maxime ubi Concilium Tridentinum præscripto consentaneum magis sit : *Ibid.*

Contraria immemorabilis consuetudo si narrata fuisset Pontifici, ut par erat, vel Pontifex gratiam non concessisset, vel eam difficilius elargitus fuisset : *Rom., Habil.*, 13 *julii* 1776, § 6.

Derogatio tanquam destruens fundationis leges, lædensque jura passive vocatorum, expressa requiritur : *Ibid.*, § 8.

Si Summo Pontifici innotuissent status et qualitates prædiorum, uberrimique fructus ac hypotheca, cui in instrumento acquisitionis eadem bona subjecta fuerunt, pro tutiori legati pii implemento vel gratiam absolute denegasset, vel difficilius concessisset : *Placen., Legati pii*, 14 *sept.* 1782, § 5.

Si Pontifex Summus comperta habuisset nonnulla quæ manifestam indulti subreptionem et obreptionem faciunt, aut gratiam denegasset, vel non ita facile concessisset : *Firm., Repor. oner. Miss.*, 14 *sept.* 1782, § 4.

Certum est ut gratia quæcumque per obreptionem extorta sit irrita, quamvis reticentia veri, aut falsi expositio, ex ignorantia vel simplicitate sequuta fuerit : *Lisb.*, 29 *nov.* 1783, § 14.

Reticentia illarum conditionum inducit subreptionem, quibus præcognitis Summus Pontifex gratiam vel denegasset vel difficilius concessisset : *Bonon., Aper. oris*, 23 *april.* 1763, § 7 ; *Caputaq., Paroch.*, 30 *julii* 1763, § 6.

Et scientia facti probanda est in Summo Pontifice non præsumptive, sed explicite et concludenter, ita ut non sufficiat probare licentiam de præterito, quia præsumeretur oblivio propter multiplicitatem negotiorum : *Ibid.*, § 8.

Imo nec etiam evitatur subreptio per scientiam extrinsecam aliunde quam ex tenore supplicationis resultantem : *Ibid.*

Et clausula, *cujus tenorem*, supplet defectum exhibitionis testamenti quoad ea solum quæ fuerunt narrata, non autem inducit scientiam eorum quæ silentio fuerunt servata : *Ibid.*

Et clausula, *ut asserunt*, inducit defectum exhibitionis testamenti : *Ibid.*, § 9.

Sicut causæ examen successive assumptum inducit defectum scientiæ tempore gratiæ : *Ibid.*

Alterutrius facti circumstantiæ falsitas sufficit ad gratiam obreptitiam reddendam : *Bonon., Aper. or.*, 23 *april.* 1763, § 10.

Gratia vitio subreptionis vel obreptionis infecta exequi non debet : *Macer.*, 24 *jan.* 1778, § 7.

Talis dicitur, si veritas silentio servata fuerit, cujus gnarus si fuisset Summus Pontifex, aut eam non concessisset, aut quam difficile : *Ibid.*, § 8.

Item si falsum exponatur : *Ibid.*, § 10.

Subsistente expositorum veritate, sicut cessat obreptio, nec debet irritari gratia : *August., Par.*, 10 *maii* 1760, § 9.

Jus quod pendet ex Pontificis placito, non potest retrahi a dispensatione concedenda, si fuerit silentio prætermissum : *Rom., Capell.*, 17 *sept.* 1774, § 7.

Et factorum reticentia subreptitia non reddit rescripta principis, sed ea requiritur quæ illius animum a concessione gratiæ retraxisset : *Ibid.*

Ad excusandam subreptionem non sufficit generica notio qualitatis beneficii, sed specialis requiritur : *Prænest., Concor.*, 20 *august.* 1774, § 10.

Obreptionis et subreptionis vitium concludenter probari ab eo debet qui gratiæ jam obtentæ sese opponit : *Firm.*, 18 *julii* 1772, § 3.

Præsertim cum gratia jam fuerit exequutioni mandata : *Ibid.*

Et si Summus Pontifex certior redditus fuerit de omnibus, licet aliquid silentio servatum sit, excluditur subreptio : *Ibid.*

Ac tunc solum inducitur subreptio, quando circumstantia, quæ silentio servata fuit, vel Summum Pontificem a concessione gratiæ retraxisset, vel illum difficiliorem reddidisset : *Ibid.*

Ob reticentiam salarii obtenti a coadjuto subreptio inducitur, quia Summus Pontifex, si notitiam illius habuisset, vel nullomodo, vel difficilius concessisset indultum anterioris contemplatione servitii, quod satis compensatum fuerat cum dicto salario : *Faren., Præced.*, 19 *april.* 1760, § 4.

Alia subreptio deducitur ex reticentia occupationis stalli ultimi, quod durante coadjutoria canonicus coadjutor retinuit, licet aliquando in litteris coadjutoriæ tribuatur coadjutori præeminentia, quam canonicus coadjutus haberet, si præsens esset : *Ibid.*

Verum probabiliter indultum non concessisset, si scivisset illius indulti vigore tribui coadjutori

stallum nunquam possessum in præjudicium antiquorum canonicorum : *Ibid.*

Alia subreptio inducitur ex reticentia rescripti Sac. Congreg. Concilii, quo denegata fuit coadjutori antianitas sui coadjuti : *Ibid.*, § 5.

Nec suffragatur quod mutatus esset rei status ob superventam resignationem, quia nec resignatio subrogationem tribuit in antianitatem resignantis : *Ibid.*, § 5.

Ex allatis subreptionibus gratia corruit : *Ibid.*

Sed gratia infringenda non est duntaxat innixa servitio, quod plenissime verificatur; neque in pretio habendum est præjudicium antiquorum in indulto de sui natura præjudiciali : *Ibid.*, § 6.

Necnon subreptio inducitur ex reticentia rescripti Sac. Congreg. Concilii, quia de congregatione ad congregationem vetitum est recursum habere juxta decretum Innocentii XII : *Ibid.*

Imo, ob immutatum rei statum opus non erat exponere præcedens Sac. Congreg. Concilii rescriptum : *Ibid.*

Præsertim quia in munere coadjutoris omnibus postponendus erat : *Ibid.*

In qualitate autem resignatarii subrogatus remansit in locum resignantis quoad omnes effectus: *Ibid.*

Reliqua. Vide *Indultum pontificium.*

Gratificatio.

Episcopus potest in paritate vocum jure gratificationis unum alteri præferre : *Comacl.*, *Capell.*, 17 *jun.* 1769, § 8.

Præsertim si agatur de simplici legato pio Missarum, non de assequendo beneficio curato vel residentiali, in quo casu non debet scrupulose inquiri de majoribus meritis alterutrius : *Ibid.*

Et postpositus est ille, qui pingui præbenda est ditatus, pauperi qui nullos reditus Ecclesiæ habet : *Ibid.*

Nulla semper et irrita est quæcumque Episcopi gratificatio ob non servatam juris formam interpellandi alios nominatos : *Ibid.*, § 4.

Ipsaque ulterius tanquam aperte injuste ob despectam meritorum et qualitatum præponderantiam omnino revocanda est : *Ibid.*

Qui sunt per edictum vocati ad capellaniæ nominationem, ex æquitate saltem et congruentia sunt gratificandi : *Rip.*, *Capell.*, 16 *apr.* 1791, § 7.

Gratificatio debetur in exclusionem extranei divitis et aliud beneficium possidentis propinquo fundatoris, pauperi et nullum beneficium habenti : *Urbin.*, *Can.*, 26 *martii* 1763, § 6.

Gravamina. Vide *Damna.*

Græci.

Omnes qui baptizati sunt ritu græco, inter græcos connumerandi sunt : *Rossan.*, 14 *maii* 1763, § 3.

Transitus de græco ad latinum ritum solis ecclesiasticis interdicitur, absque expressa Sedis Apostolicæ licentia : *Ibid.*

Laicis vero, ut ad ritum latinum transire possint, Episcopus diœcesanus pro sua prudentia permittere valet : *Ibid.*

Limitatur : non idem intelligendum est de laicis, qui statum ecclesiasticum suscepturi sunt, pro quibus Apostolicæ Sedis licentia est necessaria : *Ibid.*, § 4.

Sed in iis qui latinum institutum suscepturi sunt, dum latine ordinantur, non videtur adesse illa rituum confusio et commixtio, quæ auferri debet : *Ibid.*, § 5.

Nec extenditur ad græcos legitime amplectentes ritum latinum de licentia Ordinarii : *Ibid.*

Et ratio est, quia hoc pacto perpetuo arcerentur ab ordinibus, quos nec latine nec græce suscipere possent, cum latinus ritus a græcis semel assumptus absque Apostolica dispensatione deseri nequeat : *Ibid.*

Et Benedictus XIV in sua constitutione loquitur de Græcis et Latinis ordinatis ab alterius ritus Antistite, cum animo tamen retinendi suum pristinum ritum : *Ibid.*, § 6.

Hinc decrevit necessariam esse licentiam Sanctæ Sedis, ut latinus Episcopus aliquem ordinem conferat Italo-Græcis : *Ibid.*, § 7.

Et declarat quod si latinus Episcopus ordines contulerit Italo-Græcis cum dispensatione Apostolica, possit illis permittere ascensum ad reliquos ordines ritu græco, absque alia dispensatione Apostolica : *Ibid.*

Sin in prima ordinatione non præcesserit dispensatio Apostolica, illicita judicatur ordinatio, tanquam contraria dictæ constitutioni : *Ibid.*

Italo-Græcis promotis ritu latino et latine viventes necessaria est Apostolica dispensatio pro reditu ad ritum græcum, non autem pro ascensu ad majores ordines : *Ibid.*, § 8.

Imo quoad eosdem latine viventes, nec etiam enunciatur necessaria absolutio a suspensione : *Ibid.*

Græci nequeunt Missam celebrare, nec alia divina officia sub ritu latino peragere : *Rossan.*, *Trans. ad rit. lat.*, 14 *dec.* 1737, § 1.

Græci Missam celebrantes, aut alia divina officia peragentes sub ritu latino incurrunt suspensionem a divinis : *Ibid.*

Græcis non suffragatur quodcumque indultum celebrandi sub ritu latino : *Ibid.*

Græcis pluries permissum est ut e græco ad latinum, difficilius vero latinis transitus e latino ad græcum : *Ibid.*, § 2.

Et Italo-Græci intelliguntur, qui, in Italia nati ex parentibus græci ritus, baptizati sunt ritu græco, quia in baptismi susceptione fit ritus professio : *Ibid.*, § 3.

Italo-Græci nequeunt ordinari a latino Episcopo sub pœna suspensionis perpetuæ : *Ibid.*

Intellige quando ordinantur animo ministrandi græco ritu : *Ibid.*, § 6 *et seq.*

Ac semel ordinati latino ritu nequeunt ad ritum græcum redire, sine Apostolica dispensatione : *Ibid.*, § 5.

Quemadmodum dispensatione non indigent qui latine ordinantur, animo amplectendi latinum ritum : *Ibid.*, § 12.

Italo-Græcis in ecclesiis permittuntur plura altaria : *Ibid.*, § 14.

Gregorianus cantus. Vide *Cantus gregorianus.*

Gubernator civitatis.

Gubernatori civitatis accedenti ad ecclesiam danda est aqua benedicta per contactum aspersorii ab aliquo ministro superpelliceo induto : *Terrac. et Set.*, 21 *aug.* 1784, § 14.

Habilitas. Vide *Canonicatus*, § I ; *Capellania*, § VI.

Habitatio. Vide *Domicilium*, § IV.

Habitus clericalis. Vide *Clerici*, § IX.

Hæreditas.

§ I.

Hæreditas in genere.

Quando æs alienum est hæreditarium, est locus detractioni : *Camer.*, *Red. Miss.*, 12 *maii* 1792, § 3.

In eo namque consistit hæreditas quod superest, detracto ære alieno : *Ibid.*

Non detrahitur tamen, quando pertinet ad hæredem, qui causam habet ab immediatis hæredibus, *Ibid.*

Si una hæreditatis pars distincta est ab altera : ex dirimentibus verbis, exclusum quoque censetur prælegatum ab universali fideicommisso. *Fulg.*, *Concor.*, 26 *mar.* 1791, § 10.

Fructus hæreditatis jacentis, vel currente tempore deliberandi vel nondum adita ab hærede hæreditate augent hæreditatem ipsam, et in assem cedunt : *Asten.*, *Cap.*, 28 *aug.* 1751, § 7.

Præsertim accedente conjectura testatoris : *Ibid.*

Inter res, quæ ad cultum divinum et altaris usum Episcopis inserviunt, succedunt ecclesiæ quibus præsunt; comprehenditur etiam una pelvis, et unus urceus ex argento, sine quibus Episcopus celebrare non potest neque debet : *In voto Card. Pereira*, 18 *decemb.* 1723, § penult.

§ II.

Hæreditas quoad delationem et transmissionem.

Hæreditas vacans debetur ab intestato proximiori : *Sutrina.*, 16 *jun.* 1792, § 2.

Hæreditates incertis pauperibus relictæ de jure deferuntur ecclesiis pauperibus et hospitalibus : *Vicen.*, *Com. et Appl.*, 20 *nov.* 1762, § 4.

In hæreditate ad pios usus relicta potior est causa pauperum consanguineorum, qui subsidium quærunt propriæ indigentiæ, quam extraneorum pro quibus erigendum esset seminarium : *Ragus.*, 11 *sept.* 1762, § 6.

S. Pius V in bulla 42 disposuit ut in iis omnibus quæ ad cultum divinum et altaris usum Episcopis inserviunt succedant ecclesiæ, quibus præsunt. *In voto Card. Pereira*, 18 *dec.* 1723, § penult.

Hæreditas erectioni canonicatuum destinata non canonicis incertis et incognitis, sed ecclesiæ ipsi, ejus intuitu relicta censetur : *Hort.*, *Erect. can.*, 26 *martii* 1768, § 6.

§ III.

Hæreditas quoad diminutionem.

Diminutio hæreditatis, quæ accedit sine facto et culpa hæredis, cum legatariorum damno, sive legata profana sint, sive pia, sive in quantitate data sint, sive in specie : *Rom.*, *Red. legat.* 13 *sept.* 1755, § 2.

Limita autem, quando hæres quartam falcidiam salvam habet; quo casu contributioni et diminutioni prædictæ locus esse nequit, dum hæres petere nequit ut aliquid e legato recidatur, si quartam falcidiam salvam habeat : *Ibid.*, § 3.

Si minus quarta in hæreditate sit, minuuntur legata et relicta, nisi pia sint, ita ut quarta hæredi salva sit : *Ibid.*

Minuuntur enim legata, ne hæres sit in damno, non ut magis lucretur; leges enim lucrum statuerunt in quarta, quam si hæres salvam habet, potest reliquum hæreditatis absumi legatis et relictis, sine ulla hæredis querela : *Ibid.*

Et ad hoc ut contributioni ratione impensarum litis teneantur legatarii, hæres aut socius tenetur probare majores sumptus fecisse, quod legatariorum et sociorum causam defenderit, easque non facturus, si propriam tantum defendisset : *Ibid.*, § 4.

Hæreditatis diminutio non operibus piis certis et determinatis, sed reliquis generice et indeterminate impetratis cedere debet : *Viter.*, *Leg.*, 8 *aug.* 1767, § 10.

§ IV.

Hæreditas quoad divisionem.

Dum testator ad solidum hæreditatis vel legati plures vocavit, et partes non fecit, regula obtinet quod, si omnes una oratione vocati sunt, omnes æqualiter accipiunt : *Urit.*, 31 *maii* 1766, § 9.

Cessat regula, si non unica oratio est ; vel si unus disjunctim suo nomine appelletur, alii sub alterius nomine colligantur : veluti, *Primus et fratris mei filii hæredes sunto* : *Ibid.*, §§ 10 et 12.

Non primus semissem haberet reliquum semissem alii, nisi tamen testator adjecisset aliquid, quod contrarium demonstraret, uti si dixisset, *æque*, tunc in capita divideretur : *Ibid.*

§ V.

Hæreditas quoad repudiationem.

Hæreditas non acceptata pro repudiata habenda est : *Melevit.*, *Leg. pii*, 18 *julii* 1772, § 5.

Fortius si interpellati hæredes fuerint : *Ibid.*, § 8.

Dubitari debet de valida hæreditatis repudiatione, quæ facta fuit absque solemnitatibus : *Sutrin.*, 31 *julii* 1790, § 6.

Hæres.

§ I.

Hæres in genere.

Sub hæredis nomine nedum primus, sed hæredes quoque veniunt ulteriores, nisi clara in oppositum testatoris voluntas elucescat : *Cervien.*, *Leg.*, 9 *julii* 1785, § 6.

Et est Ulpiani sententia, nec non imperatoris Justiniani : *Ibid.*, § 7.

Hæredes appellatio, ait Ulpianus, non solum ad proximum hæredem, sed etiam ad ulteriores hæredes refertur : *Cæsen.*, *Leg.*, 22 *martii* 1766, § 11.

Item hæredis appellatione omnes significare successores credendum est, etsi verbis non sint expressi : *Ibid.*

Idem dicendum in annuis legatis, in quibus successores veniunt sub nomine hæredis, qui in perpetuum præstare debent : *Ibid.*, § 12.

Quum certus a testatore designatus non fuerit legati fundus, sed quantitas, hæc in lucrum cedit hæredis, ubi impedita sit illius erogatio : *Æsina*, *Subs. dot.*, 19 *dec.* 1789, § 3.

Sed hæc regula negatur procedere in legato pio : *Ibid.*

Sive enim deficiat locus, sive deficiant personæ quibus legatum pium præstari debet, implenda est semper testatoris voluntas, vel eodem, vel alio simili modo, aut opere pio : *Ibid.*

§ II.

Hæres quoad institutionem vel substitutionem.

Hæres a distributione dotalium subsidiorum a testatore semper exclusus præsumitur, eo ipso quod alium certum destinavit exequutorem, istiusque industriam elegit : *Null. seu Mont. Casini*, *Distr. subs. dot.*, 14 *jan.* 1730, § 3.

Fratres Minores de observantia ex vi suæ regulæ sunt prorsus incapaces hæreditariæ successionis ; et hoc procedit sive hæreditas eis relinquitur per viam substitutionis et fideicommissi : *Pisaur.*, *Hæred.*, 11 *jan.* 1727, § 3.

Nque iidem possunt institui hæredes, cum hoc ut bona hæreditaria per exequutores a testatore nominatos vendantur, et pretium erogetur in reparationem ecclesiæ constructionem capellæ et sacram supellectilem, et quod quatenus hæredis institutio non valeat ex aliqua causa in corpore juris clausa tunc valeat jure legati : *Ibid.*, § 4.

Bartolus sententiam mutavit sustinendo quod nec etiam horum fratrum ecclesiæ possint institui hæredes. Negativam vero sententiam tenuit Baldus, concludendo quod dicere quod non potest relinqui fratribus, sed potest relinqui ecclesiæ, esset cavillari, et mentem juris lacerare : *Ibid.*, § 6.

Si fratres prædicti sunt instituti, et nullum habent substitutum vel cohæredem, testamentum est nullum, et hæreditas ad venientes ab intestato defertur : *Ibid.*

Sin vero ii fratres instituti habent substitutum,

vel cohæredem, tunc testamentum valet, substituto adeunte hæreditate, ad quem primo pertinet, vel adeunte cohærede, cui crescit portio relicta fratribus, ubi substitutus non est : *Ibid.*, § ult.

Hæres ab initio institutus dici nequit substitutus : *Lauretana, Legat.*, 15 *dec.* 1759, § 3.

Quæ obveniunt non jure directæ vocationis, sed jure obliquo substitutionis pœnalis, non in beneficium universæ hæreditatis, sed in commodum hæredis substituti cedere debent : *Rom., Red. leg.*, 14 *maii* 1774, § 5.

§ III.

Hæres quoad jura et potestatem.

In hæredem legitimum universa jura auctoris transeunt : *Ascul., Cap.*, 27 *febr.* 1790, § 4.

Et hi bonorum quantitatem retinere valent de qua disponere ille poterat : *Ibid.*

Disponendi facultas data hæredi præ se fert arbitrium determinandi portiones cuique relinquendas : *Ragus.*, 11 *sept.* 1762, § 7.

Hæres absque expressa fundatoris voluntate derogare provincialis synodi decreto non valet : *Mediol., Præc.*, 19 *sept.* 1761, § 4.

Hæredibus est liberum invitare eos quos malunt, ita liberum est invitatis accedere vel non : *Eug., Jur. par.*, 22 *maii* 1762, § 8.

Hæres habet libertatem vocandi societatem unam potius quam alteram ad comitatum cadaveris : *Reat.*, 5 *apr.* 1788, § 9.

Et hanc innatam libertatem S. Congr. Rituum ei vindicavit : item S. Congreg. Episcoporum et Regularium : *Ibid.*

Nec officit privativa unius societatis pro comitatu cadaverum, et coactivum jus obligandi hæredes defunctorum, vel ad unam admittendam societatem, vel ad eam cum aliis invitandam, non aliter quam per expressum supremi principis privilegium, vel immemorabilem observantiam induci potest : *Ibid.*

In comitatu funeris sunt in libertate hæredes, quoties velint alios præter parochum, presbyteros invitare : *Bonon.*, 3 *jul.* 1762, § 3.

Et licet summo jure possint hæredes invitare ad funus quos malunt, nihilominus congruentiæ et honestatis ratio suadet ut cæteris aliis præferantur religiosi ecclesiæ parochialis, qui toto anno inservientes eidem ecclesiæ et parocho in exercitio curæ, non possunt sine injuria præteriri in funeribus parochi ac incolarum : *Ibid.*

Hæres, vel administrator non potest assignare alicui ad libitum stipendium pro Missis celebrandis, quando commodius ab aliis sacerdotibus, et sine ulla diminutione ad mentem testatoris hæc celebratio fiat : *Arim.*, 14 *jan.* 1741, § 5.

Et si testator expresse non designaverit ecclesiam pro celebratione Missarum, potest hæres vel administrator eas celebrari facere in ecclesia sibi benevisa : *Ibid.*, § 4.

Sed ex pia affectione quadam erga ecclesiam, in qua testator cadaver suum sepeliri mandavit, præcipisse quoque censetur ibidem Missas esse celebrandas : *Ibid.*

Hæres de re hæreditaria expresse non disponens, uti noluisse censetur tributa alienandi facultate, sed tacita etiam admittitur dispositio : *Ascul., Capel.*, 3 *mart.* 1792, § 7.

Respuere enim noluisse præsumitur testatoris beneficium ; maxime si tenuis sit fortunæ, illudque propterea ad suum transmittit hæredem : *Ibid.*

Tradere non tenetur speciem, si debeat quantitatem : *Ibid.*, § 9.

Demandata a testatore celebratio Missarum in ecclesia regularium liberum est hæredibus Missarum celebrationem committere, vel ipsis regularibus, vel sacerdotibus secularibus : *Rom., Celeb. Miss.*, 12 *jun.* 1773, § 2.

Præsertim si electio capellani pertineat ad hæredes testatoris, non ad regulares : *Ibid.*

Hæredes et donatarius habent facultatem liberam, quos maluerint velintque sacerdotes eligere, qui in illa ecclesia, et altari agant sacra : *Uxent., Celeb. Miss.*, 16 *dec.* 1747, § 2.

Non potest hæres immutare interpretando mentem testatoris qualitatem legati ab initio consistentis in solo fundo, illiusque proinde fructus tantummodo præstandi essent ab hærede, etiamsi non sufficerent pro implemento onerum superinductorum : *Urgell., Stat.*, 8 *mart.* 1760, § 5.

Facultas variandi dispositionem omnibus data fuit hæredibus, cum solius demonstrationis gratia nomen proprium primi hæredis appositum fuisset : *Fanen., Perm.*, 29 *jul.* 1786, § 7.

Impugnari non potest hæreditaria qualitas, quia sive filii, sive nepotes censentur hæredes : *Ferrar.*, 15 *sept.* 1777, § 11.

§ IV.

Hæres quoad onera et obligationes.

An hæres ad supplementum teneatur, seu potius sit locus reductioni, regula est ut si dispositio ab oneris impositione exodiatur, et deinde ad assignationem fundi descendat, tunc teneatur hæredes supplere quod deficit ; sin autem a dotis constitutione incipiat, et deinde ad oneris præfinitionem deveniat, tunc taxativa est assignatio, et onerum reductio tribuatur : *Flor., Red. Miss.*, 17 *sept.* 1774, § 8.

Quoad legatum non demonstrative, sed taxative

relictum hæredes cogi non possunt ad supplendum stipendium pro eo constitutum, si fundus perierit aut fuerit imminutus : *Spol., Red.*, 8 *jun.* 1771, § 3.

Quum loca montium taxative fuerint assignata, eorum fructus tantummodo sunt præstandi ab hærede, etiam si non sufficiant pro implemento onerum injunctorum : *Rom., Leg.*, 15 *dec.* 1759, § 4.

Ubi dispositio non ab onere, sed a rei designatione incipit nihil hæres ultra pretium rei assignatæ supplere teneatur : *Urbin., Leg.*, 9 *febr.* 1737, § 5.

Hæres, postquam bona a testatore relicta pro pio aliquo legato vendidit, pretiumque inde retractum investivit, juxta testatoris præceptum, nullo ulteriori onere gravatur : *Ibid.*

Ex directa assignatione fundi legati pii diminutis reditibus absolvi debet hæres a supplemento : *Viglev.*, 14 *mart.* 1789, § 4.

Quum sit demonstrative assignatum stipendium capellano hæres illud supplere, et Missarum legatum explere tenetur : *Faven., Capell.*, 21 *jun.* 1794, § 3.

Hæres ad supplementum cogi nequit, quando testator quantitatem reliquit taxative, secus autem est si demonstrative reliquerit : et semper censendum est, quod quantitas fuerit demonstrative relicta, quando testator incepit ab onere : *Venet., Red. Miss.*, 4 *febr.* 1719, § 3 ; *Rom., Leg.*, 13 *sept.* 1721, § 8.

Si autem ex testamento et ex circumstantiis desumi potest supplementum sibi locum vindicare non posse, fallit regula prædicta : *Ibid.*, § ult.

Si autem testator non ab onere, sed a summa incepit, tunc loca montium non dicuntur stare demonstrative, sed taxative : *Rom., Leg.*, 13 *sept.* 1721, § 3.

Si testator mandet assignari ecclesiæ sortem, ex qua singulis annis talis determinata summa retrahatur implicanda in celebrationem Missarum, hæres, facta sortis assignatione, eodemque in ecclesiæ dominium translato, non tenetur ad supplendum : *Rom., Dot. cap.*, 13 *jun.* 1722, § 5.

Hæres tenetur ad supplementum, quando fuit legata quantitas, vel quando fuit legata res in specie, quæ remanet penes hæredem habentem onus curandi celebrationem Missarum : secus autem quando testator hæredem gravavit ad tradendum legatario rem legatam, et legatario onus injunxit curandi celebrationem : *Ibid.*, §§ 8 et 9.

Quamvis bona dicantur stare taxative, locus tamen esse potest supplemento si fundator enixe et determinate voluerit implementum onerum : *Cremon, Suppl. dot.*, 23 *jul.* 1729, § 6.

Cum testator fundum legaverit, aut certam aliquam pecuniarum summam, quam in arca se habere asseruerat, reliquerit, hæres non tenetur quidquam supplere, si fundus, vel dictarum pecuniarum summa in minori valore seu quantitate post testatoris obitum reperiatur : *Venafr., Leg.*, 15 *mart.* 1738, § 3.

Sed patitur limitationem testatoris voluntas, ubi ex qualitate legati, aliisque facti circumstantiis conjicitur, ipsum testatorem principaliter, et, ut aiunt, primario respexisse ad implementum oneris in legato adjecti, fundum vero, aut pecunias tanquam medium in finem intentum demonstrative tantum designasse : *Ibid.*, § 4.

Diminuto reditu pro sacrorum stipendio testatoris hæredes obstringendi sunt pro illius supplemento : *Pisau.*, 11 *jan.* 1744, § 10.

Si testator nullum fundum, aut reditus pro adimplemento Missarum assignaverit, tunc omnia hæredis bona pro dicta implemento obstricta sunt, ac ex reliquo hæreditatis per eum supplendum est : *Ibid.*

Si pecunia, quæ non fuit in numero a testatore supposito reperta, culpa aut negligentia hæredis deperierit, tunc hæredi deperiit, ac ipse debet ad supplementum obstringi : *Venafr., Leg.*, 15 *mart.* 1738, § 4.

In legatis piis, ubi certa relicta fuit sors ecclesiæ, nulla habita taxativi vel demonstrativi legati ratione, non existentem vel peremptum fundum supplere non tenetur hæres : *Firm.*, 7 *febr.* 1789, § 3.

Casu quo dispositio incipit ab onere Missarum supplere hæres debet, quod deficit ad justam eleemosynam : *Ventim., Red. Miss.*, 9 *sept.* 1797, § 4.

Ob privilegium causæ piæ pro illius implementa, ubi major summa est necessaria, debet ab hærede suppleri : *Flor., Appl. Mis. quot.*, 24 *jun.* 1734, § 11.

Hæredes simplices supplere debent de proprio, quod deficit ad onerum implementum : *Arim., Red. Mis.*, 18 *jun.* 1796, § 5.

Hæredes sub obtentu incapacitatis Fratrum Cappuccinorum, aliorumque regularium, qui nihil possidere possunt in communi, se eximere nequeunt ab onere implementi Missarum : *Brund., Adimpl.*, 5 *aug.* 1719, § 6.

Sed est in illorum libertate dandi, aut non dandi fratribus his annuos reditus ; quod idem est ac dicere, celebrari curandi per illos, aut per alios sibi benevisos sacerdotes, Missas et sacrificia legata : *Ibid.*, § 8.

Hæredes cogi nequeunt ut ad comitatum cadaveris tot sacerdotes seculares inviteat, quot eidem

functioni interfuturi sint religiosi, in quorum ecclesia tumulandum sit cadaver : *Tusc., Fun.*, 22 *nov.* 1723, § 9.

Capitulum non vocatum interesse nequit fnreri invitis hæredibus : *Ibid.*

Juris dispositione cautum est, ut teneatur hæres ad impensas legatæ rei præstandas juxta responsum in lege *His verbis, etc.* : *Tolen., Erect. archipr.*, 5 *dec.* 1744, § 3.

Hæres tenetur prædium designatum a testatore ex hæreditariis creditis redimere, ac designatum legati fundum præstare : *Jan., Leg.*, 24 *nov.* 1787, § 4.

Hæres non implevisset legatum pium longo tempore, nisi hæreditatis vires sufficientes novisset ; et hæres tenetur præstare fundum legatum, etsi in tertium transiverit possessorem, redimendus est, non tamen *immenso vel iniquo pretio : Ibid.*, § 5.

Hæres præstare tenetur quod deest quantitati legatæ : *Cæsen., Subs. dot.*, 29 *jan.* 1791, § 2.

Recusans legatum, jus ad illud amittit : *Ibid.*

Parochis non licet cogere hæredes defunctorum, ut opertorium feretri a parochiali ecclesia accipiant, et hoc nomine certam pecuniæ summam persolvant, sed hæredes possunt aliud quòdlibet adhibere stragulum funebre : *Trojana, Fun.*, 8 *aug.* 1733, § 3.

Hæredes ab omni ulteriore onere seu periculo immunes sunt, quando testator gravavit eos tantum de assignatione alicujus ex creditis hæreditariis ; tametsi habita etiam fuerit mentio de annuorum proventuum quantitate : *Rom., Capell.*, 22 *maii* 1754, § 3.

Quum hæres teneatur in conscientia implere onera et pias dispositiones, potest etiam cogi instante syndaco Apostolico, non tanquam altero de populo, sed nomine Ecclesiæ Romanæ : *S. Severin., Eleem.*, 26 *nov.* 1768, § 14.

Cum hæreditas adita sit cum beneficio legis et inventarii, cujus vigore sicuti quælibet actionum ac bonorum commixtio excluditur, ita hæres adigi non debet ad ea onera subeunda, quæ reditus hæreditarios excedunt : *Novar.*, 11 *jun.* 1774, § 4.

Hæres, impletis oneribus a testatore relictis, plene liberatur, nec in aliquo tenetur, etiamsi rei assignatæ fructus ac reditus minuantur : *Feretr., Cap.*, 19 *dec.* 1744, § 4.

Hæres juxta regulam juris, ad nihil aliud præstandum tenetur, quam injunctum fuit tum ex testamento, tum ex codicillis : *Mediol.*, 23 *nov.* 1765, § 5.

Hæres non excusatur ex bonorum insufficientia hæreditatis absque inventario possessæ, quin de proprio etiam ante redditam rationem testatoris voluntatem impleat : *Ascul., Capell.*, 27 *febr.* 1790, § 7.

Hæredes, qui bona hæreditaria occuparunt absque inventario, et in parte alienarunt, non sunt absolvendi a piis implendis legatis : *Savon., Leg.*, 28 *febr.* 1795, § 7.

Hæres simplex ob defectum inventarii non liberatur a solvendo Missarum debito : *Feretr.*, 14 *jan.* 1792, § 3.

Non est ex aliis hæreditariis bonis supplendum id quod ad monasterium construendum et dotandum deerat in pretio earum rerum, quas testator pro huic operi peculiariter addixerat : *Mediol.*, 14 *martii* 1733, § 7.

Hæredes tenentur bonorum hæreditariorum rationes reddere : *Amerin., Capell.*, 22 *jun.* 1763, § 8.

Taxativa qualitas sortis assignatæ in fundum capellaniæ eximit hæredem fundatoris ab eo supplendo : *Novar., Red.*, 19 *jan.* 1793, § 6.

Augere non debet hæres stipendium capellani præfinitum per rem judicatam : *Faven., Cap.*, 21 *jun.* 1794, § 2.

Tenetur tamen ubi indefinitam obligationem habet ex testamento manutenendi capellanum, et pares sunt reditus hæreditatis supplemento stipendii : *Ibid.*, § 3.

Hæresis, hæretici.

Ad hæresim formalem non sufficit in subjecto baptismum, sed requiritur insuper instructio : *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin litt. S, part. 1, § 2.

Percussio statuæ alicujus sancti vehementem præ se fert suspicionem hæresis Iconoclastarum in synodo Nicena damnatæ : *Terul., Benef.*, 3 *jul.* 1762, § 7.

Hæresim manifestam redolet blasphemia in B. Virginem : *Ibid.*

Hæretici astringuntur legibus ecclesiasticis, cum ipsi per baptismi januam Ecclesiam ingressi sunt, ita fiunt eidem subjecti, ut non magis se ab Ecclesiæ jurisdictione et imperio subtrahere, quam sempiternum baptismi characterem delere possint, *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin litt. I, n. 1, disc. 1.

Hinc Tridentinum decretum, sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.*, etiam hæreticos in locis in quibus promulgatum fuit degentes obstringit, et conjugia, quæ contra Tridentinum præscriptum fidem ineunt, omnino irrita sunt : *Ibid.*, § 2.

HARMONICUS CANTUS. Vide *Cantus harmonicus.*

Hebdomadariatus.

Quum Episcopus, prævio canonicorum consensu, quinimo ad ipsorum instantiam hebdomadariatus erexerit, quodque similes hebdomadariatus in eadem ecclesia novi non sint, rite valideque illorum erectio fuit peracta : *Castrim.*, 7 *julii* 1736, § 5.

Et id est conformis Concilio Tridentino, qui supponit in cathedralibus et collegiatis ecclesiasticis præter dignitates et canonicos reperiri alios ministros, qui portiones vel beneficia simplicia obtinentes ecclesiæ servitio et sacris functionibus peragendis incumbunt : *Ibid.*

Hebdomadariatus tanquam beneficium ecclesiasticum et de gremio capituli præcisam requirit residentiam in loco ecclesiæ cathedralis : *Amalph.*, 17 *jan.* 1763, § 7.

Hebdomadarius.

Officiorum celebratio hebdomadario injuncta a Cæremoniale Episcoporum lib. II, cap. 3, § 16, non est intelligenda de Missis et functionibus solemnibus, quarum prærogativa spectat ad digniorem : *Nerit.*, *Plur.*, 7 *jun.* 1760, § 7.

Ob expletum munus hebdomadarii adnexum beneficio nullum potest hebdomadarius petere salarium, cum fructus et emolumenta percipiat beneficii in compensationem stipendium et retributionem laboris et onerum, quæ ei data fuerunt, ex lege fundationis : *Leod.*, *Serv. sup. sal.*, 13 *jan.* 1753, § 2.

Hermaphroditus.

Hermaphroditus judicandus est vir vel fœmina juxta sexum in ipso prævalentem : *Dub.*, *Prof.*, 22 *nov.* 1721, § 2.

Etiamsi in hermaphrodito prævaleat sexus virilis, non potest licite ordinibus initiari, aut professionem in monasterio virorum emittere propter irregularitatem et pericula quæ accidere possunt : *Ibid.*

Neque etiam professionem emittere potest in monasterio fœminarum, quamvis in eo sexus fœmininus prævaleat propter pericula quæ accidere possunt : *Ibid.*

Judicium est medicorum, si de viris agitur, ut dignoscatur quinam ex sexibus prævaleat, ita ut solum hermaphroditi dictum non sit ullo modo sufficiens : *Ibid.*

Si hermaphroditus prævalet in sexu virili, valida est professio, si ab eodem fuerit inter viros elicta ; secus, si inter mulieres : et e contra si prævalet sexus fœmineus, valida est professio ab eodem emissa, si fuerit emissa inter mulieres ; secus, si inter viros : *Spol.*, 7 *febr.* 1722, § 5.

Si uterque sexus in hermaphrodito sit æqualis, dantur enim hermaphroditi adeo perfecti in utroque sexu ut possint agere et pati in venereis, licet non possint generare cum aliis, et concipere in seipsis, hi profiteri valide non possunt, nec in religione virorum, nec in religione mulierum, et quatenus in alterutra professionem emiserint, professio nulla est : *Ibid.*

Hernia.

Hernia, sive aquosa, sive ventosa, sive intestinalis, produci solet in scroto : *Tud.*, *Matrim.*, 7 *sept.* 1793, § 6.

Hiems.

Hiemale tempus accipitur a prima die novembris ad primam maii : *Abul.*, *Serv. chor.*, 23 *jan.* 1790, § 5.

Hierarchia ecclesiastica.

Graduum et ordinum distributio dignitatem ecclesiasticam conservat : *Terr. Set. et Riv.*, 1 *mart.* 1766, § 19.

Universitas quæcumque non potest consistere alia ratione, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret : *Ibid.*

In corpore juris canonici, quod universe receptum est, publica ubique auctoritate interpretatur et legitur, titulus integer *Decretalium* extat, *de Majoritate et obedientia* : *Ibid.*

Et hoc non solum de ecclesiasticis inter se, verum etiam respectu aliorum : *Ibid.*

Hierosolymitana religio. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolimytani.*

Homicida.

Quum homicida, qui per industriam aut per insidiam homicidium commiserit, promovendus sit ad ordines rigidissima adest censura Tridentini Concilii, ut perpetuo arceatur ab altari : *Urb.*, *In.*, 20 *mar.* 1790, § 2 ; *Trid.*, *Irr.*, 13 *mart.* 1784, § 3 ; *Papien.*, *Disp.*, 24 *jul.* 1784, § 4 ; *Galtell.*, *Disp. ab irr.*, 12 *mart.* 1785, § 4 ; *Januen.*, *Irr.*, 20 *apr.* 1793, § 5 ; *Aquin.*, *Irr.*, 20 *aug.* 1774, § 7 ; *Lucer.*, *Irr.*, 17 *dec.* 1796, § 4 ; *Hydrun.*, *Irr.*, *jun.* 1774, § 9 ; *Leod.*, *Irr.*, 17 *dec.* 1791, § 3 ; *Mutin.*, *Disp.*, 24 *jan.* 1784, § 3 ; *Sabin.*, *Irr.*, 28 *jul.* 1787, § 2 ; *Lemov.*, *Disp. ab Irr.*, 12 *jul.* 1788, § 2.

Sed excipitur a Concilio homicidium ex proposito, sed casu commissum : cit. *Urbev.*, *Ibid.*

Nam veniam meretur in homicidio causali : cit. *Jan.*, *Ibid.*

Eo magis, si tanto a commisso homicidio excessit tempus, ut deleta sit illius memoria : *Ibid.*

Verus homicida, et qui sanguinem humanum fudit a ministerio altaris juxta eloquium divinum sunt arcendi : *Agrig.*, *Disp.*, 12 *dec.* 1767, § 6; *Terr.*, 19 *apr.* 1766, § 11; *Caven.*, *Irr.*, 24 *nov.* 1792, § 3; *Camer.*, *Disp. ab irr.*, 30 *julii* 1785, § 6.

Hinc David imperatur, quod ædificare domum Dei non potest ob multum sanguinem effusum : *Ibid.*

Et coherenter disposuit Sac. Concilium Tridentinum, quod voluntarii homicidii reum arcuit ab ordinibus sacris : *Ibid.*

A gravissima autem censura, qua Sacr. Tridentinum Concilium statuit, nullo unquam tempore ad sacros ordines promoveri posse clericum homicidam, homicidium excipit commissum non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo : *Card.*, *Dis. ab irr.*, 16 *maii* 1789, § 3.

In censuram dicti Trident. non solum incidit, qui solum voluntarium homicidium committit, sed qui vel factis, vel verbis in illum cooperatur : *Camer. præd.*, § 6.

Item qui potuit hominem liberare a morte, et non liberavit, eum occidit : *Ibid.*

Et videndum est, num voluntarium dici valeat in causa; quale est si prævideri potuit, causamque homicida ad illud præbuit ordinatam : *Ibid.*

Si censeatur causale, considerare debetur an tantum tempus excesserit a die perpetrati homicidii, ut illius memoria sit obliterata in loco, et sic cesset populi offensio: *Ibid.*, § 14.

Satis est triennium cum emendatione vitæ ad obliterandam illius memoriam : *Ibid.*

Immunis est sacerdos homicida a gravissima censura Sac. Concilii Tridentini, sess. 14, cap. 7, *de Refor.*: *Lun. Sarz.*, *Disp. ab irr.*, 23 *jan.* 1790, § 3; *Melev.*, *Irr.*, 15 *dec.* 1787, § 2.

Dum de clerico duntaxat loquatur promovendo : *Ibid.*

Irregularis tamen ex dispositione cap. *Suscepimus*, 10, *de Hom. volunt.*: *Ibid.*

Sed ei canones non adimunt dispensationis spem ne mendicare cogatur : *Ibid.*

Qui homicidium patravit in calore iracundiæ omni dignus est commiseratione, atque indulgentia : *Agrigen.*, *Disp.*, 12 *dec.* 1767, § 3.

Jure pontificio constitutum est ut presbyteri homicidæ duodecim annis pœniteant : *Caput.*, *Disp.*, 26 *apr.* 1755.

Homicida ob voluntarium homicidium restituendus non est ad ministerium altaris : *Lucan.*, *Irr.*, 15 *junii* 1793, § 4.

Facile permitti non debet, ut humano sanguine per voluntarium homicidium pollutus, altari inserviat : *Null. S. Begn.*, *Irr.*, 15 *maii* 1790, § 3.

Ut a ministerio altaris homicida perpetuo arceatur, etiam procedit, licet crimen, nec ordine judiciario probatur, nec alia ratione publicum foret : *Mutin.*, *Disp.*, 24 *jan.* 1784, § 3.

Imo etiamsi fuerit occultum : *Elbor.*, *Irr.*, 9 *febr.* 1737, § 4.

Minus tamen agitur si homicidium ad propriam defensionem perpetratum fuisse deprehendatur : *Ibid. et in ead. Elbor.*

Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 7, *de Reform.*, vetat, ne homicidæ ullo unquam tempore ad ordines et beneficia promoveantur : *Ibid.*, *Brict.*, *Irr.*, 18 *aug.* 1792, § 2.

Subdit tamen quod si actum est vim vi repellendo, et ad propriam defensionem, debetur dispensatio ad sacros ordines ac beneficia quæcumque : *Ibid.*

Et tria requiruntur ad hoc ut dici possit, occisorem servasse moderamen inculpatæ tutelæ : *Ibid.*, § 5.

Primo, nempe justa causa, id est aggressio injusta præcedat, nam secus non esset defensio sui, sed invasio alterius, nec esset defensio justa, nisi præcederet offensio injusta : *Ibid.*

Secundo, quod defensio sit proportionata injustæ invasioni; hinc suppetat modus evadendi mortem, vel mutilationem, vel modus suppetat armis spoliare, vel ad fugam compellere agressorem, aut baculo, manibus, aut quavis alia ratione repellere, tunc non licet illum occidere : *Ibid.*

Tertio demum, ut homicidium fiat incontinenti, dum durat invasio : *Ibid.*

Mitius agendum est, si homicidium casu evenerit, vel vim vi repellendo perpetratum deprehendatur, tunc dispensatio causa cognita, et precibus probatis debetur : *Galtell.*, *Disp. ab irr.*, 12 *martii* 1785, § 4.

Verum in homicidio causali observatur quod quidem ab omni culpa occidens immunis est, si operam daret rei licitæ, et omnem adhibuit diligentiam, ne mors sequeretur : *Ibid.*, § 5.

Secus, si homicida, quamvis rei licitæ operam daret, eam tamen non adhibuit diligentiam, quæ ad evitandum mortis periculum necessaria fuisset : *Ibid.*, § 6.

Nam loquitur Tridentinum de homicidio, illudque excipit non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, commissum : *Lemov.*, *Disp. ab irr.*, 12 *julii* 1788, § 2.

Qui sua voluntate homicidium patraverit, arce-

tur a sacris ordinibus, beneficiis, officioque ecclesiastico vigore Tridentini Concilii, sess. 14, c. 7: *Argen., Inel.*, 9 *julii* 1768, § 7.

Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vi vim repellendo commissum sit, dispensatio debetur, vigore ejusdem Concilii: *Ibid.*

Vetus est disciplina Ecclesiæ nullum, qui sit homicidii reus nedum ordines suscipere, sed ne in suscepto quidem ordine ministrare posse: *Pampil.*, 9 *apr.* 1786, § 6.

Ita inconcussum erat in sæculo IX ut Joannes VIII pene excanduerit in Uticensem Episcopum, qui dispensationem ab eo petere quodammodo videbatur: *Ibid.*

Homicidæ voluntariam narrationem scindere non licet, eamque qua in parte sequutum homicidium exponit recipere, et qua alia in parte illius refert occasionem, et modum respuere: *Majoric., Disp. ab irr.*, 19 *aug.* 1786, § 5.

Tridentinum de clerico homicida promovendo ad sacros ordines adimit spem ordines obtinendi: *Melev., Irr.*, 15 *dec.* 1787, § 2.

Non item de promoto, qui ab eadem censura immunis est declaratus: *Ibid. Concord., Disp. ab Irr.*, 9 *aug.* 1788, § 3.

Quia Trid. loquitur de simplici clerico: *Ibid., Concord.*

Qui sua voluntate homicidium perpetravit, etiamsi crimem id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri potest: *Plac.*, 15 *jan. et* 8 *julii* 1724.

Homicidii pœnam non incurrit clericus, si ignotum sit, an ipse, vel alter aliquem vulneraverit: *Term., Disp. ab. irr.*, 28 *aug.* 1779, § 8.

Præcipue si ex proposito et voluntario vulnera non infligeret, sed per accidens: *Ibid.*, § 10.

Magis quando res non versatur de clerico promovendo, sed de jam promoto, quo casu cessat conciliaris sanctio, etiamsi res esset de homicidio voluntario: *Ibid.*

Quare in hoc casu facilius clericis promotis gratia dispensationis largitur: *Ibid.*

Facilius itaque dispensatio tribui debet clerico jam promoto ex homicidio incerto, vel causali: *Ibid.*, § 11.

Homicidium licet non prævidens, attamen, dando operam rei illicitæ, illud committens præbendo causam ad illud ordinatam, statim irregularitatem incurrit: *Bar., Irr.*, 5 *jun.* 1779, § 6.

Homicidii pœnam non incurrit clericus, si non ex proposito et voluntarie vulnera infligerit, sed per accidens: *Andr., Disp. ab irr.*, 20 *jan.* 1781, § 7.

Magis quando res versatur non de clerico promovendo, sed jam promoto: *Ibid.*

Cum clerico autem promovendo rigidius procedituri: *Ibid.*

Voluntarium homicidium maximopere canones in ecclesiasticis abhorrent: *Anglon. et Turs., Irr.*, 20 *julii* 1793, § 3.

Ob lapsum decennii quælibet a loco patrati homicidii perempta ac sublata præsumatur criminis memoria: *Agrig., Disp.*, 12 *dec.* 1767, § 5.

Ob voluntarium homicidium reus carere debet ordinis exercitio: *Bergom., Irr.*, 19 *jan.* 1793, § 2.

Remissa est rigidior veterum canonum disciplina, juxta quam occidens invasorem, ita fiebat irregularis, ut, si periculum alia ratione potuisset evitari, nonnisi prævia dispensatione foret ad ordines promovendus, si vero inevitabile fuisset, posset quidem in ordinibus susceptis libere ministrare, non tamen ad alios superiores ordines ascendere: *Elbor., Jur.*, 9 *febr.* 1737, § 4.

Homicidium.

Ut quis alium occidens dicatur moderamen servasse inculpatæ tutelæ tria debent necessario concurrere: *Marianen., Irr.*, 1 *martii* 1777, § 4.

Causa nempe, modus et tempus: *Ibid.*

Causa est injusta invasio præcedens occisionem, quoniam si quis ante invasionem alterius aggrediatur, jam non sui defensio, sed alterius aggressio est: *Ibid.*

Modus debitus defensionis, ita ut defensio sit invasioni, aut offensioni proportionata, servata scilicet armorum æqualitate: *Ibid.*

Requiritur tempus, ut nimirum occisio ad sui defensionem commissa sit incontinenti, hoc est in ipso actu aggressionis et defensionis: *Ibid.*

Homicidium, licet absolute voluntarium dici nequeat, cum non constet illud ex proposito commissum fuisse, cumque nulla intercesserint jurgia, nullæ inimicitiæ, ex ipsius tamen occisionis ira, et ex ipsius a cubiculo, in quo clausus fucrat repentina eruptione, ex gladio quo armatus in alios se conjecit homicidium graviter culposum fuisse: *Nep., Disp. ab irr.*, 13 *julii* 1782, § 5.

Homicidium perpatratum dicitur ad propriam defensionem, quando ex necessitate repellendi agressorem quis motus fuerit, ita ut alio modo mortem evadere non posset: *Mutinen., Disp.*, 24 *jan.* 1784, § 4.

Homicidium quod a puero fortuito casu, dum luderet, infra decimum quartum ætatis suæ annum fuit commissum, a temporali pœna excusatur: *Trid., Irr.*, 13 *martii* 1784, § 4.

Homicidium causale imputatur ei, qui in ludo non adhibuit omnem diligentiam, quam debuit: *Galtell., Disp. ab irr.*, 12 *martii* 1785, § 11.

Si homicidium neque per industriam, neque per insidias admissum fuisse constet, non obtinet dispositio canonica in cap. 1, *de Hom. volunt.* : *Consten., Irr.*, 30 *jul.* 1785, § 4.

Et tunc videndum num casu acciderit, seu vim vi repellendo : *Ibid.*

Ille dicitur casu, qui ex opere præter operantis prævisionem et voluntatem procedit juxta dispositionem S. Thomæ : *Ibid.*, § 5.

Potest fratris aggressoris vim feriendo propulsari ; nam scimus, quemlibet de jure naturæ, seu de jure gentium teneri ad necessariam patriæ et parentum defensionem : *Ibid.*, § 6.

Fagnanus negat cum opinione communi, licere sacerdoti occidere vel mutilare in parentum atque propinquorum defensionem : *Ibid.*, § 7.

Ratio est, quia Clemens V fuit primus qui regulam generalem in certis nominatis casibus limitavit : *Ibid.*, § 8.

Hinc sequitur, quod ita casibus iis sepositis quos Clemens voluit exceptos, nempe furiosi, infantis, seu dormientis, et illius qui mortem aliter vitare non valens, regula in reliquis manere firmiter debet et obtinere : *Ibid.*

Ablato cultro, nullum amplius vitæ discrimen adest, quo sine discrimine neque a jure civili excusatur ab homicidio : *Ibid.*, § 10.

Sin autem homicidium fuit causale, etiam certius obtinere debet secunda pars conciliaris dispositionis in sess. 14, cap. 7, *de Refor.* : *Brugnat., Irr.*, 8 *apr.* 1786, § 4.

Qualitas brevioris cultri ad occidendum inepta admodum videtur, minusque apta, ubi coxæ vulnus infligitur, quæ pinguedine abundat : *Ibid.*, § 5.

Casus quem expendit et excipit Concilium Tridentinum in secunda parte sess. 14, cap. 7, *de Reform.* est, quando pro tutamine vitæ vim vi repellendo committitur homicidium : *Ibid.*, § 6.

Duplex species homicidii voluntarii constituitur : *Ibid.*, § 7.

Alia homicidii voluntarii directe, et aliam homicidii voluntarii in causa, seu indirecte : *Ibid.*

Cum aliquis cultrum distrinxerit, steteritque contra adversarium, causam posuisse videtur ad homicidium perpetrandum : ea cultri districtio omittenda erat : *Ibid.*

Et ratio est quia contra inermem uti cultro ad repulsionem defensionemque non licet : *Ibid.*

Usus propterea actus illiciti non nihil comprobat, homicidium quod inde evenit, fuisse voluntarium saltem indirecte, sive in causa : *Ibid.*

Hinc expendendum est, an actio, sive per se fuerit licita, sive illicita in hisce circumstantiis, fuerit omittenda ob periculum homicidii ; adeo ut, qui talibus circumstantiis actionem illam ob hoc periculum non amittit, censeatur indirecte velle ipsum homicidium, quod ex sua actione sequuturum prævidebat, aut prævidere debebat : *Ibid.*, § 8.

Observandum est homicidii causalitatem non esse a rixa minime prævisa, et per accidens enata, repetendam : *Ibid.*, § 9.

Si subsequutus sit actus magis homicidii proximus, videlicet cultri districtio : *Ibid.*

Et ratio est, quia hic actus ex sui natura ordinatur ad homicidium, cum cultri ordinatio ad vulnera est, et vulnera ad necem inferendam ordinantur : *Ibid.*

Porro nunquam esse potuit necessaria cum cultro defensio contra rixantem inermem : *Ibid.*, § 10.

Et actus, ut sit licitus, fini proportionetur oportet : *Ibid.*

Et ideo, si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitus actus : *Ibid.*

Atque necessitas debet esse extrema, videlicet cum quis neque clamando, neque fugiendo, neque alio modo mortem evitare potest : *Ibid.*

Si autem ex ictu cultri arteria lacerationem passa fuit, et vulneratus post horas interiit, jam ex eo vulnere sequutum fuisse homicidium in comperto est : *Ibid.*, § 11.

Neminem latet lethalia esse arteriæ vulnera : *Ibid.*

Homicidium, cui Sacrum Concilium Tridentinum ita adversatur, ut omnem pene spem obtinendæ dispensationis a contracta irregularitate adimere videatur, illud est quod per industriam, per insidias et exproposito commissum fuerit, quemadmodum ipsa Tridentina verba præ se ferant : *Sabin.*, 30 *maii* 1786, § 4.

Aut dans operam rei illicitæ futurum prævidere potuit homicidium, causamque præbuit ad illud ordinatam, et tunc homicidium, licet accidentale, voluntarium censetur in causa : *Lemovic., Disp. ab Irr.*, 12 *jul.* 1788, § 3.

Aut homicidium prævidere non potuit, causamque non præbuit ad illud ordinatam, et in hoc casu voluntarius in causa non est effectus : *Ibid.*

Moderamen inculpatæ tutelæ tunc servatum videtur quando occidens arctatus sit in modum, ut fugere nequiverit nec se juvare clamore : *Mess., Irr.*, 15 *jan.* 1780, § 5 *et seq.*

Tunc dicitur casu, et ad propriæ vitæ defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ commissum homicidium fuisse, quando vel provocatus ad rixam occidit, vel si vulnus etiam lethale in ipsomet rixæ et aggressionis actu, non

autem ex intervallo, inflictum fuerit in aliqua corporis parte non nobiliore cum potuerit : *Ibid.*, § 6.

Si fur domum effringens sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis ; quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetraverit, et ipse morietur : *Cassal.*, *Irr.*, 24 *sept.* 1718, § 2.

Lex XII tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen idipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem deprehensum ita permittit occidere si is se telo defendat : *Ibid.*

Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium si fur nocturnus occiditur ; si autem diurnus, pertineret : hoc est enim, quod dicitur, si orietur sol super eum poterat quippe discernere quod ad furandum, non ad occidendum venisset, et ideo non deberet occidi : *Ibid.*, § 3.

Furem nocturnum occidens evadit culpabile, si autem tacendo, aut se non movendo, et forte sensim fugiendo se præcavere poterat : *Ibid.*, § 7.

Ita enim impune feret qui furem nocturnum occiderit, si parcere ei sine periculo suo non potuit : *Ibid.*

Homicidium unum ex iis criminibus est quorum causa in aliquibus ecclesiis etiam in mortis articulo absolutio fuit olim denegata : *Taur.*, *Irr.*, 15 *sept.* 1770, § 7.

Semper irregularitatem induxit usque ab initio seculi XIV : *Ibid.*

Et Clemens V primum declaravit ex homicidio ad sui necessariam defensionem patrato irregularitatem non incurrisse : *Ibid.*

Et ratio est, quia vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittunt : *Ibid.*

Adversus qualitatem homicidii voluntarii facit quod in pluribus mors non sequitur ex vulnere per parvum cultrum illato : *Pap.*, 21 *maii* 1718, § 3.

Pro qualitate vero homicidii voluntarii facit quod homicidium voluntarium est non solum, quando occidens explicite vult occidere, sed etiam quando vult tantum percutere, et injuriam irrogare et immediate per se, non per accidens homicidium sequatur : *Ibid.*, § 4.

Si homicidium non fuit commissum voluntate, nec interveniente prævisione illius, qui causam dedit rixæ, et post aliquo modo cessatam præambulam rixam, nunquam dici valeat voluntarium respecte ipsius, quod satis dicitur a nonnullis pro exclusione irregularitatis : *Caput.*, 24 *mart.* 1725, § 6.

Ratum habens homicidium jam antea paratum licet occasione a se præstita, non committat homicidium, nec libere et efficaciter in illud influat, vel influxerit : *Ibid.*, § 7.

Data causa ad homicidium ordinata, voluntarium fit, quod esset causale : *Salern.*, *Irr.*, 22 *aug.* 1795, § 2.

Sed si levissima fuerit negligentia voluntarium fortasse non reddit remotum effectum : *Ibid.*

Quando homicidium est causale, immunis est homicida a rigida censura S. Concilii Tridentini : *Ibid.*

Homicidium ad sui defensionem commissum censetur, quando reus sic fuit arctatus, quod fugere non potest, nec se juvare clamore, nec aliter : *Taur.*, *Irr.*, 15 *sept.* 1770, § 8.

Quod quidem locum non habet in homicidio commisso pro defensione parentum vel fratrum, quia hic casus non est de necessitate inevitabili : *Ibid.*

Verum necessaria quoque defensio certis limitibus contineri debet, ita ut occasio non ad vindictam, sed ad propulsandam injuriam facta dignoscatur : *Ibid.*, § 9.

Hinc inspicienda est causa, modus et tempus. Causa videlicet, ut aggressio sit injusta, quia justum aggressorem occidere non licet : *Ibid.*

Modus, ut nempe vis necessaria sit ad injustum aggressorem repellendum : *Ibid.*

Tempus, ut occisio ad sui defensionem sequatur statim ac quis sibi vim fieri, aut imminere certo cognoscit : *Ibid.*

Quod cohæret Concilio Tridentino sess. 14, cap. 7, *de Reform.* : *Ibid.*, § 10.

Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 7, *de Reform.* : homicidium voluntarium a causali distinguit, in homicidio voluntario præcipit, ut homicida nunquam ad sacros ordines promoveatur, nec obtineat ullum beneficium : *Virdun.*, *Disp. ab irr.*, 2 *aug.* 1760, § 5.

Secus vero quo ad homicidium causale, in quo dispensari potest : *Ibid.*

Voluntarium dici non potest homicidium, cum percussio facta sit calore iracundiæ in rixa, et levi brachio, præter animum occidendi, licet animus nocendi intervenisset : *Ibid.*, § 6.

Et licet homicidium reputetur voluntarium tamen locum habere non potest sanctio conciliaris de perpetua exclusione a ministerio altaris, quia res est de presbytero ordinato, non autem de ordinando : *Ibid.*, § 7.

Et ideo post 14 annorum pœnitentiam merere creditur dispensationem quoad ordines, et fortius quoad beneficia, pro quibus venia facilius indulgeretur : *Ibid.*

Voluntarii homicidii duplex est species, directe scilicet, et indirecte seu in causa voluntarii : *Null. Cav.*, *Irr.*, 24 *nov.* 1792: § 2.

Homicidii indirecte voluntarii occasio est distri-

ctio cultri, quæ ordinatur ad vulnerandum : *Ibid.*

Non est enim actus licitus, maxime contra inermem : *Ibid.*

Neque intentio incutiendi tantum timoris excusat, cum excedens defensionis modus non sit proportionatus fini, ideoque illicitus : *Ibid.*

Homicidium non fuit voluntarium, aut per insidias patratum, sed ut vim vi repelleret, quo casu dispensatio non denegatur : *Taur., Irr.*, 15 *sept.* 1770, § 5.

Et de violentia atque iracundia, redargui non potest ille qui cum patruo aggressus districto gladio, et ad necem lacessitus, fugiendi præcluso aditu, coactus fuit sclopum, in patruum explodere, ut mortem, quo potuit modo, averteret : *Ibid.*, § 4.

Homicidium cum commissum fuerit, ut sibi suisque parentibus opem ferret, nullam idcirco irregularitatem incurrisse videtur : *Ibid.*, § 5.

Homicidium voluntarium dici potest in causa ob illicitam rixam : *Aquil., Irr.*, 17 *april.* 1790, § 2.

Ideoque imputandum ad irregularitatem : *Ibid.*

Quando ordinata non erat rixa, nec prævidere potest, voluntarius in causa non censetur effectus : *Ibid.*

Et sequuto homicidio non contrahitur irregularitas : *Ibid.*

Voluntarium in causa fuit homicidium a sacerdote commissum, qui præbuit causam ordinatam ad illud : *Vicen., Irr.*, 18 *dec.* 1790, § 5.

Quia vitio verti debet quod armatus incederet contra expressum canonici juris interdictum : *Ibid.*

Præsertim si id fecisset, ut suo resisteret adversario : *Ibid.*

Quando quidem ex opere illicito, et absque dolo operantis datur causa ad homicidium ordinata, voluntarium, quod est causale, fit homicidium : *Urbev., Irr.*, 20 *mart.* 1790, § 2.

Levissima negligentia censeri nequit causa ordinata ad homicidium, quæ voluntarium reddat effectum : *Ibid.*

Ex opere etiam licita, et absque dolo operantis datur causa ad homicidium ordinata, ex qua voluntarium evadit : *Feretr., Irr.*, 28 *maii* 1791, § 3.

Facile permitti non debet, ut humano sanguine per voluntarium homicidium pollutus serviat altari : *Ibid.*

Si prævideri non potuit, quod se inter venandum insectaretur aliquis, voluntarium fortasse non est homicidium ex causa : *Ibid.*, § 4.

Doctores tenent Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 7, tantum loqui de homicidio voluntario, et per industriam : *Agrig., Disp.*, 12 *dec.* 1767, § 7.

Et multum interest distinguere, an homicidium causale fuerit voluntarium, vel causale, pro quo debent circumstantiæ perpendi : *Ibid.*

Inspiciendum est, num homicidium commissum in calore iracundiæ fuerit, quæ ab omni consilio et mente deturbat : *Ibid.*, § 8.

Homicidium commissum ad justam sororis defensionem æquiparatur propriæ : *Bergom., Irr.*, 19 *jan.* 1793, § 2.

Præsumitur deesse propositum occidendi, ubi adhibita sunt arma, quæ solum ex accidenti mortem possunt causare : *Tran., Irr.*, 26 *mar.* 1768, § 8.

Eoque in casu mors dicitur mere causalis et involuntaria : *Ibid.*

Hinc homicidium non censetur ex proposito patratum, quando sclopus erat parvulis plumbeis globulis instructus : *Brix., Irr.*, 15 *dec.* 1764, § 5.

Ille qui positus est in circumstantiis, ut nec fugam arripere, nec aliter vitam defendere potuisset, nisi mortem inimici intulisset, licuit vim vi repellere : *Alben., Irr.*, 18 *dec.* 1773, § 3.

Homicidium commissum ex opere illicito voluntarium censetur in causa : *Calar., Irr.*, 19 *jan.* 1793, § 4.

Licet sint qui voluntariam ab eo excludunt qualitatem : *Ibid.*

Ut homicidium ad propriam defensionem, et cum moderamine inculpatæ tutelæ patratum dici possit, verificari debet defensio in ipso actu aggressionis, et non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, et quod æqualitas personæ, loci et armorum intercesserit : *Aber.*, 8 *aug.* 1772, § 7.

Prolata verba, etsi gravia sint, necem non immediate, sed fortuito et per accidens respiciunt, nec homicidio causam ullo modo præbent : *Salern., Irr.*, 20 *apr.* 1771, § 4.

Naturali jure cautum est, non solum ad parentum, sed etiam ad defensionem amicorum potest aggressorem occidi : *Taur., Irr.*, 14 *mart.* 1772, § 4.

HONESTAS. Vide *Clerici*, § X ; *Parochus*, § XVII.

HONESTAS PUBLICA. Vide *Matrimonium*, § XLV.

HONESTAS PUBLICA QUOAD IMPEDIMENTI DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § XVII.

HONOR. Vide *Dignitas*.

HONORARIUS CANONICUS. Vide *Canonicus*, § IV.

HORA. Vide *Missa*, § IV.

HORÆ CANONICÆ. Vide *Officium divinum*.

Hospitale.

§ I.

Hospitale in genere.

Hospitalia commendantur a sanctis Patribus et Conciliis : *Pharaon., Suppr. on. et Abs.*, 9 *jul.* 1796, § 6.

Eis vero indigentibus succurrendum est ex aliis potius quam Missarum relictis : *Ibid.*, § 4.

Hæreditas tamen ipsimet hospitali relicta, principaliter relicta præsumitur pro operibus pietatis, quæ in illo exercentur, secundario pro Missis : *Ibid.*, § 5.

Ideoque ad levandam illius inopiam potius reducendæ sunt Missæ : *Ibid.*

Hospitalium origo fuit charitas : *Alatr.*, *Visit. SS. LL.*, 10 *jul.* 1790, § 3.

Ideo eximium est eorum opus, et maxime a sanctis Patribus sacrisque conciliis commendatum : *Ibid.*

Ipsique præfertur eleemosyna licet Deo acceptissima : *Ibid.*

Miserabiliores sunt qui inopia simul et adversa laborant valitudine : *Ibid.*

Ideoque ei potius hæreditates incertis pauperibus relictæ ipso jure applicantur : *Ibid.*

Hospitale expositorum ne gravetur recipere exteros projectos, providendum est ab Ordinario : *Urb. seu Call.*, 4 *dec.* 1762, § 5.

Recipere tamen debet projectos diœcesanos juxta proprium hospitalis institutum : *Ibid.*

Illegitimæ puellæ sequuntur originem matris, et sunt recipiendæ : *Ibid.*

Et sunt restituenda ab eodem hospitali alimenta dictis puellis præstita, quæ non censentur donata stante interpellatione facta Episcopo : *Ibid.*

Si tamen ex instituto præstantur a loco pio, repeti nequeunt non obstante dicta contestata denunciatione : *Ibid.*, § 6.

Expositi autem reputantur cives loci, in quo exponuntur : *Ibid.*

Plurimum favendum est hospitali ac misericordiæ operibus, quæ ibi explentur : *Savon.*, 18 *aug.* 1792, § 8.

Hospitalis convalescentes plene convaluisse non dicuntur : *Bonon. seu Imol.*, *Hosp.*, 24 *jul.* 1762, § 5.

§ II.

Hospitale quoad qualitatem.

Cum res sit de hospitali proprium titulum et nomen *Sancti* habente, ipsiusque bona nec ultra triennium locari, nec absque Sacræ Congregationis licentia distrahi possunt, hæc signa qualitatem ecclesiasticam aperte evincunt : *Civit. Capell.*, *Hosp.*, 13 *febr.* 1773, § 4.

Et absque capella et turri campanaria potest hospitale esse ecclesiasticum : *Ibid.*

Quum jurisdictio omnis et cura ad Episcopum, non vero ad baronem pertineat, apertum redditur officiales hospitalis non a barone, sed ab Episcopo fore approbandi : *Civit. Cast.*, *Hosp.*, 13 *febr.* 1773, § 5.

§ III.

Hospitale quoad administrationem et administratores.

In administratores hospitalis negligentes Episcopus, si non sint exempti propria, si vero exempti vel privilegiati sint, apostolica auctoritate debet animadvertere : *Eug.*, *Jur. visit.*, 21 *jun.* 1783, § 11.

Hinc, licet hospitalia quæ regiæ protectioni subduntur ab Episcoporum visitatione immunia sint, nihilominus eorumdem hospitalium administratores tenentur reddere Episcopis rationes gestæ administrationis : *Ibid.*, § 14.

Solumque hoc jure uti non possunt, si in fundatione contrarium statutum fuerit : *Ibid.*

Jurisdictio et cura in hospitalibus ecclesiasticis et religiosis semper ad Episcopum pertinet, etsi illorum administratio penes laicos resideat : *Civit. Cast.*, *Hosp.*, 13 *febr.* 1773, § 3.

Non obest, quod administratio hospitalis penes communitatem resideat, quia nullo modo illa excludit Episcopi jurisdictionem et inspectionem : *Ibid.*, § 4.

Redditio rationum reddenda est ab hospitalis administratoribus Episcopo ; sublatis etiam quibuscumque contrariis consuetudinibus ac privilegiis, ut Tridentinum Concilium disponit : *Ibid.*, § 6.

Nec cumulative competit hæc jurisdictio circa redditionem rationum baroni, semel ac eidem nec privilegium, nec consuetudo assistit : *Ibid.*

Hospitalis nulla Ordinarii auctoritate erecti Episcopus præter visitationem et redditionem rationum accipiendam, nihil præterea jus habet : *Senog.*, 8 *jun.* 1765, § 15.

Præsertim si ita semper a centum supra annis servatum est : *Ibid.*

Quo casu præsumitur etiam privilegium exemptionis : *Ibid.*

Hospitalis unicus, si semper fuerit administrator, consuetudo non est immutanda : *Ibid.*, § 14.

Hospitium.

Pro hospitio permittenda non est publica ecclesia : *Rov.*, 15 *dec.* 1764, § 12.

Hypotheca.

Jura et hypotheca creditoris dimissi tunc transeunt in solventem, quando iste extrema concomi-

tantia concurrisse probet : *Null. Lepr., Leg.*, 16 *jun.* 1781, § 8.

Extrema concomitantia sunt, quando pacto acquirendi subingressum in juribus dimissi creditoris solvisse, pecunias suas ad manus illius pervenisse in causam expressam doceat : *Ibidem*, § 3.

Hypotheca et jura creditoris dimissi tunc transeunt in solventem, quando iste probet hoc pacto solvisse, et pecunias suas ad manus creditoris pervenisse in causam expressam : *Ibid.*, §§ 3 et 6.

Beneficium inventarii hæredem solventem primo venientibus cum ignorantia potiorum liberat ab actione personali : *Raven., Cess. leg.*, 15 *dec.* 1759, § 6.

Sed non adimit creditoribus vel legatariis potioribus hypothecam super bonis defuncti possessoris etiam ab hærede, qui retentionem non habet pro solutione facta posterioribus vel minus privilegiatis : *Ibid.*

Hypotheca generalis omnium bonorum in prima testamenti parte descripta coercita est ad subsequentem demandatæ sortis speciem : *Januen., Capell.*, 16 *julii* 1791, § 6

Et licet demonstrativa sit sortis designatio, ex qua ex reliquis bonis supplere debet imminutos fructus illius : *Ibid.*, § 7.

Tamen extincta per eum non est absque taxativis verbis generalis hypotheca : *Ibid.*

Et veluti omnibus infixa fundatoris bonis, in hæredes cum illis transit : *Ibid.*

Hypotheca anterior est creditum dotale super bonis hæreditariis, quæ incipit ab anno quo postulatum fuit dotale instrumentum : *Ascul., Capell.*, 27 *febr.* 1790, § 5.

Hypotheca comprehenditur sub prohibitione alienationis, quando dispositio prohibeat alienationem late sumptam : *Camer., Fabr.*, 30 *jul.* 1774, § 6.

Secus vero, quando res est de alienatione stricto modo sumpta : *Ibid.*

Generalis hypotheca transit in particularem possessorem bonorum fundatoris capellaniæ : *Jan., Cap.*, 16 *mart.* 1793, § 4.

Ratione hypothecæ suppleri debet, quod deficit ad justam missarum eleemosynam, neque per traditionem certæ sortis ab hac obligatione quis est solutus : *Pisau., Red, miss.*, 3 *jul.* 1797, § 8.

Reliqua. Vide *Bona ecclesiastica*, § vi.

Hypothecaria actio. Vide *Actio*, § ii.

Ignorantia.

Ignorantia juris non præsumitur : *Alex., Susp.*, 11 *jan.* 1772, § 2.

Illegitimitas prolis. Vide *Matrimonium*, § x.

Illitterati clerici. Vide *Clerici*, § iii.

Illicita conditio. Vide *Conditio*, § vi

Immemorabilis consuetudo. Vide *Consuetudo*, § v.

Immemorabilis observantia. Vide *Observantia*, § v.

Immutatio.

Immutari nequit quod semel constitutum est : *Senog., Subs. dot.*, 18 *mart.* 1797, § 6.

Impedimenta matrimonialia. Vide *Matrimonium*, a § xxiv *usque ad* § xlviii.

Impedimenta matrimonialia quoad dispensationem. Vide *Dispensatio a* § xii *usque ad* § xvii.

Impensa. Vide *Expensæ*.

Impetratio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xvi.

Implementum. Vide *Legatum pium*, § xii ; *Onus, Onera*, § iii ; *Voluntas testatoris*, § vi.

Impositio. Vide *Census*, § ii.

Impossibile.

Est regula juris : Nemo potest ad impossibile obligari : *Dissert. sup. matrim.*, 1740, in fin. litt. i, discep. 1, num. 39.

Impossibilis conditio. Vide *Conditio*, § iv.

Impotentia. Vide *Matrimoniam*, § xi.

Improbatio. Vide *Consuetudo*, § xi.

Impuberes. Vide *Matrimonium*, § xxv.

Incisio arborum. Vide *Arborum incisio*.

Incompatibilitas. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xvii ; *Canonicatus*, § v ; *Capellania*, § vii.

Incompatibilitas quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § vi.

Incontinentes. Vide *Clerici*, § iv.

Indissolubilitas. Vide *Matrimonium*, § xxiii.

Inductio. Vide *Consuetudo*, § vi ; *Obligatio*, § iii ; *Observantia*, § vi.

Indulgentia plenaria et partialis.

Indulgentiarum publicatio facienda est per Ordinarium loci juxta censuram Concilii : *Aquil., Jurisp.*, 18 *jul.* 1761, § 2.

Item facienda est a prælatis regularibus pro suis

subditis, in quibus habent jurisdictionem ordinariam : *Ibid.*

Indulgentiarum concessio pertinens ad potestatem jurisdictionis potest cuicumque a Papa delegari : *Ibid.*, § 3.

Nullum jus quoad publicationem indulgentiarum competit abbati, qui non habet territorium separatum, et cujus abbatia de diœcesi episcopali reputata est, ita ut dici nequeat Ordinarius : *Aquil., Jurisd.*, 10 *maii* 1760, § 2.

Jus concedendi indulgentias expresse ademptum prælatis inferioribus in cap. *Accedentibus, de Excessu præl.*, acquiri potest ab eisdem per quadragenariam consuetudinem inducentem præsumptam delegationem Pontificis : *Ibid.*, § 5.

Multo fortius videtur acquisita ex quadragenaria præscriptione facultas easdem indulgentias a Papa concessas publicandi, quæ certe minor est ipsa concessione, et quam acquiri potest ex consuetudine : *Ibid.*

Ad assequendam indulgentiam in altaribus privilegiatis non solum Missam defunctorum, sed quamcumque aliam Missam ibi celebrare sufficit : *Rom.*, 9 *febr.* 1726, § 7.

Accedente autem expressa voluntate Summi Pontificis de celebrandis Missis *de Requiem*, cessat controversia circa punctum, an sufficiat aliam Missam dicere, vel necesse sit Missam defunctorum celebrare pro lucrifacienda indulgentia a Summo Pontifice altaribus privilegiatis concessa : *Ibid.*

Plurimis indulgentiis cumularunt Summi Pontifices confraternitates doctrinæ christianæ : *Ferr., Doct. christ.*, 21 *julii* 1742, § 7.

Per aggregationem archiconfraternitatis Urbis communicantur societati aggregatæ indulgentiæ : *Reat.*, 5 *apr.* 1788, § 5.

Morientes, qui sacrum divi Francisci habitum peterent, et cum eo post obitum sepelirentur, indulgentias lucrantur : *Ibid.*, § 6.

Innocentius XII plenariam et quotidianam concessit indulgentiam omnibus christifidelibus, qui pœnitentes et confessi, et sacra communione refecti visitassent ecclesiam S. Mariæ Angelorum, et ecclesiam S. Francisci sitam in civitate Assisiensi : *Ord. S. Francisci*, 20 *nov.* 1723, § 4.

Alexander VI, summus pontifex, indulgentiam largitus est patribus ordinis Prædicatorum ob multitudinem populi qui confluit in eorum ecclesia S. Crucis nuncupata, Jaurinensis diœcesis in regno Hungariæ, ubi asservatur hostia sanguine prodigioso conspersa : *Gran.*, 6 *maii* 1775, § 18.

Indulgentiis Summi Pontifices etiam locupletarunt ecclesiam S. Mariæ in Vado in monasterio canonicorum congregationis Romanæ SS. Salvatoris, in qua anno 1351, parocho quodam hæsitante et celebrante, permulti aspexisse infantulum, et fractam hostiam in progressu Missæ sanguinem emanasse : *Ibid.*

In eadem ecclesia Clemens papa VIII Ferraria in suam ditionem vindicata, Sacratissimum Sanguinem sæpe adoravit, Missamque celebravit : *Ibid.*

INDULTUM ABSENTANDI A CHORO. Vide *Dispensatio*, § III.

INDULTUM ASSEQUENDI BENEFICIUM. Vide *Dispensatio*, § V.

INDULTUM ASSEQUENDI CAPELLANIAM. Vide *Dispensatio*, § V.

Indultum.

I.

Indultum jubilationis, seu vacandi a choro.

Veteranis olim militibus post vicena stipendia emeritis vacatio concedebatur : *Civit. Cast.*, 20 *sept.* 1766, § 6 ; *Bract., Jub.* 12 *maii* 1792, § 2.

Nec sola honesta missio a militia indulgebatur, sed quæcumque muneris sive publici, sive civilis vacatio : *Ibid.*, § 7.

Imo quandoque illi prædia attribuebant veteres pro præmio : *Ibid.*, § 8.

Et non solum ipsos, verum etiam filios permultis privilegiis, honoribus et pœnarum immunitatibus donarunt : *Ibid.*

Ad illud exemplum etiam publicis professoribus honoraria missio cum vacatione laboris et privilegiis data est : *Ibid.*, § 9.

Proximis temporibus hoc privilegium de perpetua vacatione muneris ecclesiastici, sensim introductum est : *Ibid.*, § 11.

Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 12, abrogasse consuetudines Ecclesiarum, quæ propriis constitutionibus jubilationem post 40 annos dabant, dubitatum est : *Ibid.*, § 12 ; *Pisaur., Jub.*, 7 *febr.* 1770, § 9.

Doctores alii negativam, alii affirmativam tenuerunt sententiam : *Ibid.*

Jubilatio primum locum habuit in civitate Hispaniæ Compostella, ubi primum fuit tolerata, postmodum firmitatem obtinuit : *Ibid.*, 12.

Erat in ecclesia Compostellana statutum cum usu immemorabilis temporis, ut post 40 annos beneficiati vacarent sine ulla fructuum et distributionum jactura : *Ibid.* ; *Leod., Jub.*, 17 *aug.* 1776, § 6.

Et hoc statutum tolerandum esse Gregorius XII decernit : *Ibid.*

Et hæc tolerantia ab initio originem habuit ex peculiaribus causis, deinde promiscua harum concessionum alluvies in Ecclesia manavit : *Ibid.*, § 13.

Hinc hodie quasi jus processit, ut post 40 annos omnimoda cum integra fructuum perceptione petatur, et concedatur : *Ibid.*

Etsi in jure sancitum fuisse nullibi comperiatur, canonicos, beneficiatos, a chori servitio absolvendos esse postquam spatio annorum 40 ecclesiæ suæ laudabiliter servierint : attamen ducto tum a levitarum mosaicæ legis exemplo, qui exactis in ministerio annis 25 quiescebant, tum a veteranis, quibus primus Severus Augustus vacationem a muneribus indulsit : sensim introducta est in aliquibus ecclesiis consuetudo vacationis indulgendæ post servitium annorum 40 : *Signina, Jub., 4 febr.* 1786, § 6 ; *Feltr., Jub.*, 11 *jan.* 1721, § 2 ; *Civit. Pleb., Jub.*, 23 *nov.* 1782, § 5 ; *Luc., Jub.*, 8 *jun.* 1771, § 3.

Consuetudinem hujusmodi approbavit Greg. XIII, et factum est ut hæc consuetudo in generalem praxim Ecclesiæ transiverit : *Ibid.*

Nemini ignotum quod a duobus tantummodo seculis nomen jubilationis auditur in ecclesia, quæ primum approbavit eorum capitulorum statuta quæ hoc indultum pollicebantur, mox ut indulgentia in legem transivit, sumpto exemplo ab honorifica missione quæ veteranis dabatur, et a levitis qui post servitium 25 annorum dimittebantur exempti : *Aux., Jub.*, 19 *aug.* 1786, § 2 ; *Rom.*, 4 *febr.* 1786, § 4 ; *Camer., Jub.*, 12 *mart.* 1796, § 2 ; *Mont. Falis., Jub.*, 6 *dec.* 1794, § 5 ; *Anag., Jub.*, 9 *sept.* 1797, § 5 ; *Null. seu Foro-Pom., Jub*, 18 *jun.* 1796, § 2.

Et ante invectum jubilationis usum satis consulere visum est diuturno servitio canonici infirmi, aut gravis ætatis per indultum causa infirmitatis, per concessionem coadjutoris, aut per aliquod Apostolicæ Sedis privilegium ratione benemeriti et longissimi servitii : *Ibid.*, § 3.

Hinc prævulgatum est indultum jubilationis ignotum juri canonico : *Mont. Falis., Jub.*, 2 *dec.* 1786, § 3 ; *Feltr., Jub.*, 11 *jan.* 1721, § 1.

Cœpit irrepere cum Gregorius XIII S. Congregationis Concilii consilio haud improbandas edixit eorum capitulorum consuetudines aut constitutiones, quæ illud invexerunt ; *Ibid.*

Agnita deinde fuit hujus indulgentiæ honestas ; sumptoque a levitis, et a seculari militia exemplo, congruere visum est, ut deterior non esset conditio eorum, qui ecclesiasticæ militiæ et novi Testamenti ministerio adscripti sunt : *Ibid.*

Voluit tamen Ecclesia ut hujus indulgentiæ ii tantum participes essent, qui per 40 annos continuo et cum laude inservissent : *Ibid.*

Et sicut Concilium Tridentinum improbare, sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, videtur canonicorum exemptiones a chorali servitio, eas tamen tolerandas rescripsit laudatus Pontifex post quadragenarium servitium : *Plac., Jub.*, 28 *jul.* 1787, § 2.

In cathedralibus et collegiatis ecclesiis non improbanda, sed toleranda sunt ea statuta, quæ canonicis et beneficiatis post servitium 40 annorum vacationem a choro, quæ jubilatio dicitur, concedunt : *Dub., Jub.*, 24 *sept.* 1718, § 2 ; *Gerund., Jub.*, 15 *febr.* 1772, § 3 ; *Terr., Jub.*, 16 *mart.* 1771, § 2.

Inolevit autem praxis ut indulta jubilationis a S. Congreg. concederentur canonicis et beneficiatis, qui spatio 40 annorum suis ecclesiis inservierunt : *Ibid.*, § 3.

Non vero absolute et simpliciter praxis hæc sibi locum vindicat, sed in hypothesi, in qua plene doceatur de servitio præstito, spatio annorum 40, et quidem cum qualitate continui et laudabilis : *Ibid.*

Absentia ex causa infirmitatis ab Ordinario approbatæ, et S. Congregationis accedente indulto, jubilationi non præjudicat : *Ibid.*, § 6.

In terminis absentiæ causa studii, et quidem prævia licentia S. Congregationis res fuit in aprico posita, non esse dicti temporis habendam rationem in computo jubilationis : *Ibid.*

Qui propter officium scripturæ Bibliothecæ Vaticanæ indultum habuerat vacandi a servitio chori pro diebus et horis, non est a jubilatione excludendum, propter absentiam quæ horis et diebus prædictis contigisse dicebatur : *Ibid.*

Qui partim tanquam clericus beneficiatus, partim tanquam beneficiatus ejusdem ecclesiæ inservierat, jubilationi illius id non obstat, et tempora prædicta sunt conjungenda : *Ibid.*, § 8.

Etiam illi qui inservierat, partim tanquam coadjutor, partim tanquam principalis, concedenda est temporum conjunctio, cum de jubilatione agatur : *Ibid.*

Ex novem canonicis comprehenso præposito, dempto uno qui ad organum, altero qui ad confessionarium adstare debet, demptisque aliis tribus qui altari celebrando assistere tenentur, et sic tres tantummodo in choro remanent, præposito jubilationis conceditur indultum : *Ibid.*

Bona valetudo ab indulto jubilationis excludere regulariter solet : *Rip., Jub.*, 29 *nov.* 1710.

Si grandæva ætas canonici, gravesque morbi non sinant onera chori subire, ratio exigit ut perpetua a quocumque munere vacatione donetur : *Spol., Jub.*, 18 *aug.* 1770, § 2.

Quum senectus et infirmitas impediant quominus ecclesiæ valeat inservire : *Ibid.*

Exemplum desumitur a militibus veteranis qui post multos labores vacatione donantur, omniaque retinent jura, honores et emolumenta : *Ibid.*, § 3.

Hinc veteranis militibus assimilari dicitur canonicos et beneficiatos, qui milites sunt militiæ cœlestis : *Ibid.*

Despiciendæ sunt irrationabiles conditiones a capitulo adjectæ, præsertim quoad onus canendi Missam conventualem, et celebrandi Missas in aurora vel in meridie, cum jubilato onus hujusmodi imponi non debeat : *Ibid.*, § 4.

Concedi solet hujusmodi indultum cum reditibus omnibus præbendæ, distributionibus et emolumentis : *Bricc.*, *Jub.*, 12 *maii* 1792, § 2.

Iis tamen exceptis distributionibus, quæ ex testatorum voluntate, vel ecclesiæ statuto inter præsentes tantum sunt dividendæ : *Ibid.*

Jubilationi locus non est, si per eum divinus cultus detrimentum patiatur : *Ibid.*, § 3.

Ob laudabilem servitii chori, et longævum annorum decursum indulgenda est jubilatio juxta communissimam praxim semper servatam a S. Congreg. Concilii : *Pisaur.*, *Jub.*, 7 *julii* 1770, § 3; *Leod.*, *Jub.*, 17 *aug.* 1776, § 4.

Et vigore hujus indulti percipi debent præbendæ fructus integri, quotidianæ distributiones, fallentiæ cæteraque emolumenta, quæ ab interessentibus lucrantur, ac si choro præsens esset : dict. *Leod.*, § 6.

Limitatur : non species distributionum ubi diversimode fuit a testatoribus, vel ab aliqua capitulari dispositione præscriptum : *Ibid.*, § 8.

Spe immunitatis alacriores et magis solertes fiunt canonici et beneficiati in præstando servitio ecclesiæ : *Spol.*, *Jub.*, 18 *aug.* 1770, § 8; *Luc.*, *Jub.*, 8 *junii* 1771, § 3.

Assueta S. Congregationis Concilii æquitate universalis inducta est consuetudo ut canonici, qui quadragenarium continuum et laudabile servitium exhibuerunt, indulto jubilationis donentur pro lucrandis integre fructibus et distributionibus : *Derthus.*, *Jub.*, 14 *maii* 1768, § 2; *Const.*, *Jub.*, 4 *maii* 1737, § 3; *Lauret.*, *Jub.*, 11 *jan.* 1774, § 8.

Illud conceditur, etiamsi omne desit in aliqua ecclesia peculiare statutum jubilationem indulgens, et desit quoque jubilationis exemplum : *Ibid.*

Simulque deficiat senectus, aut mala valetudo : *Ibid.*

Jubilationis indultum non meretur commissarius rev. fabricæ S. Petri ex privilegio Const. Pauli III, quæ loquitur tantum de perceptione canonicalium fructuum, sed non supplet servitium non præstitum : *Sign.*, *Jub.*, 18 *april.* 1795, § 3.

Stylus S. Congregationis Concilii est non impertiendi indultum jubilationis, nisi iis canonicis, sive beneficiatis, qui suæ ecclesiæ integrum servitium continuum et laudabile per annos 40 et ultra præstiterint, nulla habita ratione provectæ, vel decrepitæ ætatis, aut habitualis, quo forte laborent morbi : *Laur.*, *Ind.*, 10 *jun.* 1741, § 4.

Et licet quadragenarium servitium cum qualitate continui probetur, et jubilationis indulto remunerari consueverit, nihilominus hujusmodi indulto nemo frui posse videtur, quoties ecclesiæ decus et divinus cultus detrimentum patiatur : *Luc.*, *Jub.*, 8 *junii* 1771, § 4.

Timeri non potest dum aliquis petit jubilationem, ne divinus cultus imminuatur, si capitulum constet 36 canonicis et 140 beneficiatis : *Gerund.*, *Jub.*, 15 *feb.* 1772, § 7.

Jubilationis indultum a juris ratione deflectit, quippe quia canonicales quæcumque præbendæ personalem residentiam requirunt : *Ibid.*, § 11.

Non expedit rigorem adhibere in admittenda jubilatione, alioquin facile usu venire potest quod possidentes canonicatus vel dignitates impetrent coadjutores sibi dari suos nepotes, ut beneficia remaneant in familia, quasi per speciem hæreditariæ successionis contra tot decreta Patrum, et tot sacras constitutiones : *Calag.*, *Jub.*, 18 *april.* 1733, § 12.

Indulgendum est indultum jubilationis septuagenario maxime cum nullum ex ea cultus divini detrimentum emergat : *Dert.*, *Jub.*, 14 *maii* 1768, § 3.

Et Episcopus potest quandocumque indultarium ad ecclesiæ servitium juxta varias necessitates pro suo arbitrio revocare : *Ibid.*

Jubilatio non ex justitia debetur, nec ex juris canonici sanctione, sed ejus concessio est semper gratia, æquitati tamen et pietati consentanea post servitium quadragenarium jugiter, et cum laude obitum : *Calag.*, *Jub.*, 18 *april.* 1733 ; *Valen.*, *Ind.*, 27 *jan.* 1761, § 4.

Nocere canonico non potest alternativa servitii chori, quæ aliis canonicis impedimento non fuit, quominus jubilationem assequerentur, ne eadem in causa diversum judicium proferatur : *Terr.*, *Jub.*, 16 *martii* 1771, § 3.

INDULTUM A RESIDENTIA. Vide *Dispensatio*, § IV.

INDULTUM RETINENDI BENEFICIUM. Vide *Dispensatio*, § V.

INDULTUM RETINENDI CAPELLANIAM. Vide *Dispensatio*, § V.

§ II.

Indultum pontificium in genere.

Indultum a Sede Apostolica tributum, censetur per non usum sublatum : *Tybur.*, *Par.*, 16 *junii* 1792, § 4.

Indultum, quum jam fuerit exequutum, revocari in controversiam nequit : *Firm.*, 18 *jul.* 1772, § 6.

Indultum deputandi ad parochias unitas regulares ad nutum amovibiles sublatum fuit per Concilium Tridentinum præcipiens, sess. 7, cap. 17, deputationem perpetuorum vicariorum, non obstante quocumque privilegio : *Sp.*, *Par.*, 17 *jul.* 1761, § 10.

Et constitutio S. Pii V moderavit rigorem Concilii Tridentini tribuens facultatem Mendicantibus deputandi suos religiosos in vicarios amovibiles : *Ibid.*

Sed revocata in hac parte fuit expresse const. *In tanta* Gregorii XIII : *Ibid.*

§ III.

Indultum pontificium, quoad prorogationem.

Indulti prorogatio non exorbitat a jure, quando agitur de favore ecclesiarum : *Leod.*, *Pror. ind.*, 18 *maii* 1776, § 8.

Sicuti in indulto prorogationis coadjutores actu existentes excipiuntur, ita etiam in illo excepti intelligi debent coadjutores qui tunc actu exstabant : *Leod.*, *Ind.*, 12 *martii* 1774, § 4.

§ IV.

Indultum pontificium quoad validitatem et nullitatem, subreptionem et obreptionem.

Rescripta quæcumque indulta aut gratiæ subreptitie aut obreptitie extortæ, utpote per dolum et fraudem obtentæ, nullius sunt roboris : *Prænes.*, *Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 18 ; *Rom.*, *Cap.*, 17 *sept.* 1774, § 11.

Indulta nullam merentur exequutionem obtenta tanquam vitio subreptionis et obreptionis infecta : *Macer.*, 24 *jan.* 1778, § 7 ; *Spir.*, *Paroch.*, 18 *julii* 1761, § 10.

Indultum pontificium a regulari obreptitie extortum sub falsa narrativa haud est exequendum, sed parochia conferenda est, ut prius, sacerdotibus secularibus in titulum perpetuum : *August.*, *Par.*, 10 *maii* 1760, § 2.

Silentio servatum quum sit testatorem expresse prohibuisse voluntatis suæ commutationem, gratiam subreptitiam et nullam esse firmatur : *Ascul.*, *Com. vol.*, 20 *jan.* 1776, § 11.

Si in precibus exposita fuerunt minus vera, et quæ vera erant reticita fuerunt, sustineri non potest indultum pontificium utpote labe subreptionis et obreptionis infectum : *Null. Farf.*, *Sem.*, 9 *aug.* 1777, § 8.

Subreptitia sunt indulta percipiendi in absentia distributiones, ob reticentiam legis æquandi distributiones cum distributionibus quæ percipiuntur de præsenti a capitularibus : *Firm.*, 19 *maii* 1787, § 4.

Licet hujus legis expositio S. Congreg. Concilii non retraxisset a concedendis indultis ob expressum favorem : *Ibid.*

Eam tamen ad decernendam distributionum amissionem ad formam Bullæ unionis impulisset : *Ibid.*

Et id ad inducendam subreptionem satis censet : *Ibid.*

Obreptitium est indultum deputandi regulares ad parochias unitas ad nutum amovibiles, quando supponitur unio sequuta auctoritate Apostolica, quæ revera ex monumentis non eruitur : *Spir.*, *Par.*, 18 *jul.* 1761, § 10.

Quando reditus fuit inexequibilis per primævum non usum 40, imo fere 70 annorum, quot effluxerunt usque ad primam regularium nominationem : *Ibid.*

Quando cessavit causa finalis inopiæ sacerdotum secularium, cessare quoque debet privilegium deputandi regulares : *Ibid.*

§ V.

Indultum pontificium oratorii privati.

Apostolicum indultum non ita late, et contra mentem concedentis intelligendum est : *Arbor.*, 26 *jan.* 1771, § 5.

Verba indulti oratorii comprehendunt familiares privilegiatorum decori inservientes ; non vero familiares omnes necessariis addictos servitiis, absque ullo penitus discrimine : *Ibid.*, § 6.

Tuto deputari potest unus familiaris tanquam necessarius ad inserviendum sacerdoti celebranti : *Ibid.*, § 6.

Ac admitti potest alius familiaris, quum ad omnes eventus unus saltem famulus servitio domini necessarius est : *Ibid.*

Demum non excluditur alius familiaris pro affinibus et consanguineis sacrificio intervenientibus : *Ibid.*

Et decentia nobilis matronæ domi commorantis requirit ut præsto aliquis habeatur ephebus præter ancillam eidem proxime famulans, qui actu tempore Missæ intelligi possit necessarius : *Ibid.*

Et ubi in indulto præfinitus non sit numerus inservientium, pro securitate conscientiæ privilegiati Ordinarii præfinire debent : *Ibid.*, § 7.

Et consuetudo admittendi ad indulti participationem omnes familiares privilegiati servitio addictos non inducit tacita dispensatio pontificis : *Ibid.*

Missa in ecclesia celebrari et a fidelibus audiri

debet, proindeque indultum oratorii privati uti odiosum et divino cultui præjudiciale stricte debeat interpretari : *Ibid.*, § 8.

Et adhibenda est hæc distinctio : aut oratorium privatum concessum est in domo habitationis civitatis, vel castri, ubi adsunt publicæ ecclesiæ, tunc famuli et ancillæ actu non necessarii excusari non possunt ab obligatione audiendi Missam in ecclesia : *Ibid.*, § 9.

Aut concessum est in domo ruri constructa, et in isto casu excusari possunt, si ecclesia ultra dimidium milliarii distet : *Ibid.*

Exemplo regularium, qui (nisi consuetudo contraria adsit) non tenentur, nec cogi possunt accedere ad publicas supplicationes, si eorum monasteria ultra dimidium milliarii a civitate distent : *Ibid.*

Per verba indulti ; « In vestra, ac natorum, con« sanguineorum, et affinium in eadem domo vo« biscum insimul habitantium, familiæque præsentia « celebrari facere libere et licite possitis, et va« leatis, ac vestrum quilibet possit et valeat » ; nepotes, cum patruo in eadem domo degentes, quotiescumque Missa indultatariis præsentibus in oratorio celebratur, indulto rite recteque fruuntur : *Mars., Orat.*, 3 *dec.* 1740, § 3

Præsentia indultatarii omnino necessaria est : *Ibid.*, § 4.

Dicti indulti non fiunt participes consanguinei et familia ratione domini tantum, et dependenter ab illo, sed privilegium ipsum, licet principaliter, et primario domino elargitur, consanguineis quoque et familiæ in gratiam et commodo ipsius domini censeri concessum, ita ut nequeat proinde istis juberi ne Missam in oratorio privato celebrari faciant : *Ibid.*, § 5.

Praxis est quod, absente domino, ejus familiares audiunt Missam in privatis oratoriis : *Ibid.*, § 6.

In concessione indulti Romanus Pontifex respexit ad familiares necessarium dominis præbentes servitium, inspecto etiam istorum decore, et conditione : *Arbor.*, 26 *jan.* 1771, § 2.

Quum res sit de monachis, qui continuo in proprio monasterio residere debent et proinde sat est aliquorum residentiam in granciis disjunctive tantum, et in aliquibus anni temporibus, ad hoc ut indulto oratorii privati locus sit : *Trid., Juris visit.*, 23 *jan.* 1773, § 5.

Infamia juris et facti.

Infamia non oritur ex dicto duarum vel trium muliercularum, sed tantum ex communi opinione ac fama penes probos viros et majorem populi partem : *Benev., Irr.*, 18 *nov.* 1769, § 8.

Sicut ex inhonesta vivendi ratione nulla irregularitas incurritur, ita nulla ex dicta pœna exorta fuit infamia, vi cujus aliquis ab altaris ministerio arcendus sit : *Ibid.*

Infamia contrahitur ex turpi et inhonesta vivendi ratione : *Agrig., Disp.*, 12 *dec.* 1767, § 9.

Verum, si quis per triennium saltem a pristina vivendi norma resipuerit, et probitatis specimen præbuerit, infamia detergitur : *Ibid.*

Infames sunt omnes qui christianæ legis normam abjiciunt, et statuta ecclesiastica contemnunt ; similiter incestuosi, homicidæ, perjuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, etc. : *Hydrun., Irr.*, 11 *jun.* 1774, § 10.

Verum, si hujusmodi crimina notoria non fuerint, vel ordine judiciario minime probata, permitti potest clericis post peractam pœnitentiam in susceptis ordinibus ministrare : *Ibid.*

Infamia juris oritur ex condemnatione pro crimine stellionatus cum abusu confessionis : *Caput., Par.*, 30 *jul.* 1763, § 6.

Crimina, et quæ a crimine venit, infamia personarum est, non filiorum, fratrum, consanguineorum, ut quidquid vulgus imperitus opinetur : *Amer. seu Int., Ord.*, 11 *aug.* 1759, § 1.

Licet ex turpi, et inhonesta vivendi ratione apud probos et honestos viros species cujusdam infamiæ ita contrahatur, ut ea notatus ab altari arceri debeat, et ecclesiastica beneficia obtinere prohibeatur : *Spol., Par.*, 19 *jan.* 1737, § 5.

Attamen, si publice et per triennium saltem a pristina vivendi norma resipuerit et in loco, ubi antea delinquere consueverat, probitatis specimen præbuisse dignoscatur, nil vetat quominus et ad ordines promoveri et ecclesiastica beneficia consequi possit : *Ibid.*

Infamia ex hæresi contrahitur, quæ etiamsi non esset juris, sed facti, inhabilem reddit ad beneficia assequenda : *Terun., Ben.*, 3 *julii* 1762, § 7.

Nec prodest ei dimissio a tribunale S. Officii, quando non constet ex capite innocentiæ fuisse absolutum : *Ibid.*

Et post purgatam infamiam per emendationem vitæ, dignus non redditur beneficio debito dignioribus litteris, et virtutibus : *Ibid.*

Infamia juris ob hæreticales blasphemias in Deum et Virginem non contrahitur, nisi a secundo convictis in judicio, vel a tertio relapsis : *Ibid.*, § 8.

Et ad infamiæ maculam ex facto criminoso productam delendam regulariter satis est resipiscentia trium annorum : *Ibid.*

Inspecto præsertim, quando agitur de jure jam quæsito ex præsentatione, quo difficilius privari præsentatum ratione infamiæ potest : *Ibid.*

Debitores, qui bonis cesserint, licet ex ea causa

bona eorum venierint, non fiunt infames, licet in quibusdam locis ligentur ad columnam : *Atrien.*, 23 *jun.* 1725, § 4.

A fortiori procedit in hypothesi in qua cessio facta supponitur absque ulla nota ignominiosa : *Ibid.*, § 5.

Cedens bonis, si non de jure, saltem de facto, expositus est vituperio : *Ibid.*, § 7.

Clericus non oportet ut cedat bonis, et clericali characteri ignominia irrogetur, sed cavetur ut præstet idoneam cautionem de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenerit : *Ibid.*, § 8.

Sodomiæ crimen annexam habet infamiam, tam de jure civili, quam de jure canonico, dummodo sit notorium notorietate juris vel facti : *Ibid.*, § 6.

Ille aliquam infamiam contrahit ob inhonestam consuetudinem, semel ac inflictam pœnam ultro libenterque subiit, et indubia dedit resipiscentiæ signa : *Hydrun.*, *Irr.*, 11 *jun.* 1774, § 7.

Infamiæ nota nulla est, ubi deest delictum, et integre deleta fuit, postquam innocentem eum judex absolutoria sententia declaravit : *Andr.*, *Disp. ab irr.*, 20 *jan.* 1781, § 10.

Si plurium testimonio post lapsum triennii commendatur alicujus morum integritas, abolita debet reputari si non infamia juris, saltem infamia facti, ex diffamatione procedens, ad quem effectum lapsum unius anni sufficit, vel ad summum sat est triennium. *Salern. seu Caput.*, *Par.*, 9 *febr.* 1760, § 4.

Infamia notatus, et non recte expurgatus, merito proinde ab consecutione cujuscumque beneficii præsertim parochialis sit arcendus : *Cap.*, *Conc.*, 21 *nov.* 1739, § 7.

Infamia facti, non juris, ex facto ipso tollitur, constanti nimirum emendatione, quam plurimi doctores satis esse judicant si fuerit ad triennium ampliata : *Sabin.*, 30 *maii* 1786, § 6.

Infamia facti non deletur per absolutionem cum clausula *novis supervenientibus indiciis*, quæ accusatum ab inquisitione non eximit, ejusque innocentiam non excludit : *Nul. Mont. Virg.*, *Irreg.*, 16 *febr.* 1788, § 2.

Inferior prælatus. Vide *Prælatus*, § 11.

Infirmitas.

De modo probandi infirmitatem ad effectum non inserviendi, et non residendi, non levis controversia est. Putant aliqui ipsius infirmi juratam affirmationem sufficere : *Camerin.*, 21 *junii* 1766, § 17.

Quod non aliter tamen admitti posset, nisi dum agatur de testimonio, quod nulla suspicione laboret, quum fides jurisjurandi pendet a fide viri : *Ibid.*

Verum recepta ordinaria probatio fieri consuevit per litteras, et testimonium medicorum, qui de certis et indubitatis morbis et de necessaria ob eos causa testificentur : *Ibid.*, § 18.

De infirmitatibus judicium a solis medicis est ferendum : *Avenion.*, *Serv. chor.*, 16 *dec.* 1786, § 5.

Qui sunt infirmitate detenti excusantur a servitio chori, et quotidianas distributiones, ac si præsentes essent, lucrantur : *Ibid.*

Si invalitudinis infirmitatem prolapsi privari deberent, præter privationem fallentiarum, etiam distributionibus, noviter plecterentur eamdem propter causam ; et sic pro culpa unica duplex pœna irrogaretur, quod reprobatur : *Ibid.*, § 6.

Imo contrarium statutum tanquam irrationabile, non valet, quin distributiones lucrentur : *Ibid.*, § 14.

De qualitatibus infirmitatum dum agitur, si valetudinis gratia, sive medicina sumatur, et oporteat, sive minuendus sit sanguis, sive ad balnea discedendum distributiones quotidianæ debentur : *Ibid.*

Limitatur regula, quod infirmis favet, si canonicus aut beneficiatus residere non sit solitus : *Ibid.*, § 15.

Item limitatur, quoties infirmitas absentem occupat, quia sicut ante ægritudinem non debebantur illi distributiones, ita nec debentur, si in eo statu mortis superaccedat : *Ibid.*

Sed distinguendo absentes a loco residentiæ, et abesse solitos a choro, his negatur favere infirmitates, ut distributiones lucrentur : *Ibid.*, § 16.

Sed dari potest casus, quod infirmitas permitteret canonicos aliquantisper ex causa sanitatis exire e domo, et non permitteret adesse choro, unde in his arbitrium boni viri attendi debet : *Ibid.*, § 17.

Satis constat de infirmitate tum ex relatione vicarii generalis, tum ex testimonio medicorum : *Colon.*, *Ind.*, 22 *maii* 1734, § 4.

Satis non constat de infirmitate ex medici testimonio, si medici illius regionis facile admodum proferunt similia testimonia, vel si asserta infirmitas talis non sit qualem ad effectum petitum deberet esse : *Ibid.*, § 7.

Non quælibet infirmitas excusat a residentia, sed ea tantum quæ gravis sit et aliquem in posterum reddat inhabilem : *Comaclen.*, 18 *sept.* 1773, § 7.

Infirmus.

Ut infirmus excusetur a servitio chori, morbus requiritur adeo gravis ut sine valetudinis perni-

cie, et sine periculo majoris mali beneficiatus nequeat divinis interesse : *Hyrac., Disp.*, 13 *martii* 1762, § 5.

Et ad hunc effectum non requiritur quadragenarium, assiduumque et laudabile servitium, quemadmodum necessarium est pro indulto jubilationis ex æquitate moribus recepta concedendo; quia infirmi a servitio ecclesiæ eximuntur, non ex liberali gratia, sed ex providentia sacrorum canonum : *Ibid.*, § 7.

Sed præcedens continuum, et laudabile servitium requiri videtur etiam in infirmo, ad effectum lucrandi distributiones in statu infirmitatis : *Ibid.*, § 8.

Nec minus laudabile aut continuum dicendum est servitium aliquando intermissum ex justa causa infirmitatis : *Ibid.*

Ratione grandævæ ætatis septuaginta quinque annorum sola sufficit ut impotens diceretur ulterioris servitii : *Ibid.*, § 9.

Ubi tamen agitur de coadjutore, non de indulto absentiæ senibus concedendo, ratione etiam corporalium affectionum quibus vexatur et quæ exigunt aeris mitioris afflatum : *Ibid.*

Infirmis, qui onus residentiæ, et chori habent, in absentia omnia emolumenta præbendæ debentur : *Prat., Ind., Vac. a chor.*, 23 *jun.* 1764, § 11.

INHABILITAS. Vide *Matrimonium*, § XV.

Inhibitio.

Rescriptum Sac. Congregat. Concilii. *Expectetur relatio eminentissimi archiepiscopi Mediol. et citetur pars*, litis pendentiam et inhibitionem induxit : *Med. seu Nov.*, 19 *sept.* 1767, § 8.

Inhibitiones impune spernuntur, tametsi decreta, adversus quæ datæ sunt, edita fuissent ab Ordinario extra pastoralem visitationem : *Colon.*, 14 *febr.* 1767, § 32.

Nam omnia quæ respicit Dei cultum, et reditus ecclesiæ vel ad distributionem præsentiarum, vel ad beneficiatorum residentiam, et ad hujus generis alias species respicientes curam animarum, per se rejiciunt inhibitiones : *Ibid.*

INNOCENTIANA TAXA. Vide *Taxa*, § II.

INNOMINATUS CONTRACTUS. Vide *Contractus*, § XIV.

Insignia.

Insignia alia sunt majora, alia minora : *Vigil., Insig.*, 4 *junii* 1768, § 11.

Ordinariæ Episcopi facultates non extenduntur ad concedenda minora, et præsertim illa simplicis mozzettæ violacei coloris : *Ibid.*

Hinc quum archiepiscopus Hydruntinus caputium nigrum, quo prius utebantur canonici, mutasset in violaceum, statutum fuit id non licuisse, neque licere sine Sanctæ Sedis indulto : *Ibid.*

Canonistæ tenent facultatem concedendi usum canonicalium insignium, qui unice ac privative supremæ S. Sedis auctoritati est reservatus : *Ibid.*, § 10.

Et hæc semper fuit, tum Rotæ opinio, tum sententia S. Congreg. Rituum : *Ibid.*

Sac. Congreg. Rituum anno 1730, die 28 april., statuit Episcopum non posse concedere delationem insignium (nempe almutæi et rocchetti sine manica) : *Larin., Præced.*, 21 *jul.* 1742, § 7.

Insignia retenta in majori janua ecclesiæ, et in parietibus monasterii validum est subjectionis illius ecclesiæ argumentum : *Bricl. seu Null. S. Raph., Jur. par.*, 26 *nov.* 1768, § 2.

Insignia honoris ecclesiarum nullam denotat præeminentiam, neque alterius juribus præjudicium infert : *Feren., Præced.*, 23 *april.* 1768, § 9

RELIQUA. Vide *Mozzetta*.

INSTITUTIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XVIII; *Canonicatus*, § VI; *Capellania*, § VIII; *Hæres*, § II; *Seminarium*, § III.

Instrumentum.

Instrumenta publica sunt testibus præferenda : *Panor.*, 26 *mar.* 1763, § 8.

Publici instrumenti auctoritas prævalet assertioni : *Imol., Leg. pii*, 20 *sept.* 1794, § 9.

Instrumenta publica locationum optimam constituunt probationem reditus capellaniæ : *Perus., Cap. chor.*, 20 *jan.* 1770, § 8.

Ecclesiastici cogendi non sunt ad faciendam insinuationem in cancellaria laicali instrumentorum dotalium monialium, patrimoniorum, et similium scripturarum : *Sutrin.*, 23 *jan.* 1773, § 8.

Instrumentum erectionis servandum est, et prævalet legi fundationis, donec per rem judicatam fuerit correctum : *Urbin., Can.*, 26 *mar.* 1763, § 10.

INTELLIGENTIA. Vide *Voluntas testatoris*, § III.

INTENTIO. Vide *Sacramentum Ordinis*, § IV.

INTERDICTUM. Vide *Censura*, § II.

INTERPOSITIO APPELLATIONIS. Vide *Appellatio*, § IV.

INTERPRETATIO. Vide *Lex*, § II; *Privilegium*, § III; *Testamentum*, § II.

INTERPRETATIVA CONSUETUDO OBSERVANTIÆ. Vide *Consuetudo*, § VII; *Observantia*, § VII.

INTERSTITIA. Vide *Sacramentum Ordinis*, § V.

INTERSTITIA QUOAD DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § VII.

Inventarium.

Ad conficiendum inventarium tempora non limitentur administratori, aut exequutoribus : *Faven., Red. Mis., seu Reint.*, 27 *aug.* 1763, § 7.

Inventario deficiente onus utraque portio habet legati : *Casal.*, 20 *dec.* 1788, § 3.

Inventario deficiente, inducta censetur jurium confusio, ac propria hæredis vel donatarii universalis evadunt quæcumque testamenti vel donationis onera : *Cæsen., Subs. dot.*, 29 *novem.* 1788, § 12.

Inventarium bonorum a testatore relictorum exhiberi oportet, ad probandam exceptionem illum piam causam dotasse ex bonis beneficii personalis, ut inde dignoscatur, an alia bona præter illa beneficii, in ejus hæreditate extiterint : *Gerun., Cens.*, 14 *maii* 1768, § 13.

Vel saltem proferri debet beneficii personalis fundatio, cum non una eademque sit omnium beneficiorum hujusmodi natura, sed plures ex iis recenseantur, de quorum dotibus licet aliqua ex parte disponere : *Ibid.*

Et compertum est in Tarraconensi provincia, ubi pro diœcesum varietate diversimode personalia beneficia institui solent, et ex his nonnulla reperiri quæ potius piæ fundationes quam ecclesiastica beneficia appellari possunt : *Ibid.*

Ut ecclesiarum inventaria et repertoria legitime facta dicantur episcopis pro recognitione et approbatione exhiberi debent : *Savon.*, 8 *febr.* 1744, § fin.

Investimentum. Vide *Bona ecclesiastica* § vii.

Investitura. Vide *Emphyteusis* § vii.

Irrationabilitas electionis. Vide *Concursus*, § iii.

Irregularitas.

§ I.

Irregularitas in genere.

In dubio, haberi debet quis pro irregulari ; *Aquil., Irr.*, 17 *april.* 1790, § 3.

De qualibet dubietate facti contra irregularitatem pronuntiandum erat : *Reap. seu Boj.*, 15 *dec.* 1767, § 15.

Bona fides vel excusat ab irregularitate, vel apostolicam benignitatem meretur : *Hisp., Ord.*, 18 *sept.* 1773, § 5.

§ II.

Irregularitas ex defectu animi orta.

Nonnulli putant eum qui a dæmone obsessus fuit, si a vexatione liberatus est, posse ad ordines promoveri, nisi ex memoria morbi remanserit aliqua infamiæ nota, et occasio offensionis : *Med.*, 10 *jun.* 1724, § 2.

Alii e contra putant, ad ordines promoveri non posse illum qui fuit energumenus, etiamsi liberatus sit, posse tamen in ordinibus susceptis ministrare, si per spatium unius anni non fuerit a dæmone vexatus, et Episcopus eum dispensaverit : *Ibid.*

Nec desunt admittentes, quod obsessus olim a dæmone, licet liberatus, ad ulteriores ordines ascendere non possit, si sermo sit de ascensu ad ordines majores ; secus autem, si quæstio sit de ascensu ad ordines minores : *Ibid.*

Sacri autem canones præscribunt, ut dæmoniis aliisque similibus passionibus irretitis mysteria sacra tractare non liceat, cui præcepto, consensu rationis adhibito, id communiter definitur, ut nullus de his qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussi se divinis ingerant sacramentis : *Ibid.*, § 3.

Et obsessi, postquam ordines receperunt, in ordinibus ministrare non possunt, nisi saltem post unius anni spatium fuerint liberati, et Episcopus suum præstiterit assensum : *Ibid.*

Quoad obsessos vero, et liberatos, an ad clericatum, si adhuc clerici non sunt, vel ad majores ordines si clerici sunt, ascendere et promoveri possint, aliqua adesse videtur in sacris canonibus antinomia : *Ibid.*

Dubium est, an sacerdos qui plures eadem die missas celebret, irregularitatem incurrat : *Tolet., Irr.*, 25 *jan.* 1772, § 7.

Nonnulli negativam tuentur sententiam quia nulla irregularitas incurretur, nisi fuerit in jure expressa, et nulla fuit indicta contra hujusmodi sacerdotes : *Ibid.*

Alii dicunt quod si sacerdos sententia judicis damnatus fuerit, dum malitiose, id est non ex ignorantia, sacrificium iteraverit, infamia juris notetur, et idcirco vere ac proprie irregularis evadat : *Ibid.*, § 8,

Ea ratione quod damnatus de crimine publico est a jure infamia notatus : *Ibid.*

Quoniam crimen est publicum, prout est quælibet gravis injuria contra religionem : *Ibid.*

Et ex dispositione juris canonici omne crimen dolum continens est publicum, et lata sententia condemnatoria infamiam irrogat : *Ibid.*

Irregularitas a neophitatu descendens locum sibi vindicat in eo qui fuit in adulta ætate baptizatus, et qui novus est in baptismate : *Melev.*, 13 *aug.* 1718, § 3.

Nec applicatur illis qui in infantili ætate con-

stituti baptismum in adulta ætate receperint, quemadmodum nec procedit quoad eos qui licet baptismum in adulta ætate receperint, post aliquod nihilominus temporis intervallum, et experimentum idonei ab Ordinario reputantur pro sacrorum ordinum receptione : *Ibid.*

Illegitimus est irregularis, nec promoveri ad ordines debet : *Pien. seu Ilcin., Ord.*, 8 *aug.* 1733, § 3.

Et præcedens minorum ordinum susceptio non satis per se probat clericum ex justis nuptiis procreatum fuisse, cum illegitimus possit ab Episcopo per dispensationem effici habilis ad ordines duntaxat minores : *Ibid.*, § 4.

Item judex, exequutor et assessor in causis criminalibus : *Const.*, 10 *maii* 1766, § 5.

Item quicumque fuit accusator, aut advocatus, aut judex, aut testis, vel etiam notarius in causa sanguinis : *Ibid.*, § 6.

Non autem ii ex debito sunt irregulares, quum delictum non sit munera reipublicæ gerere : *Ibid.*, § 7.

Et hi irregulares arcendi sunt a sacro ministerio, quia ea lenitate animi carent, qua accedant ad mansuetudinem Christi : *Ibid.*, § 8.

Dum Christus noluit pronuntiare adulteram mulierem ream mortis : *Ibid.*

Apud ethnicos sacra post effusum humanum sanguinem non attrectabantur : *Ibid.*

David rex, quia multum sanguinem effudit, non potuit templum ædificare : *Ibid.*

Irregularitas non contrahitur ex colloquiis de alterius crimine cum judice extrajudicialiter facti ad suum honorem tuendum, et molestias curiæ advertendas : *Senog., Irr.*, 25 *jan.* 1772, § 4.

Imo neque ex querela judicialiter instituta animo tantum res suas defendendi : *Ibid.*

Irregulares non fiunt medici, chirurgi periti in arte, qui nihil in curando omittunt, et sanam in id habent conscentiam : *Luc.*, 18 *jul.* 1795, § 8.

Antiquitus enim post S. Lucam evangelistam medicinam exercebant Episcopi sacerdotes, et diaconi : *Ibid.*

Eis tamen concedendi est ad cautelam dispensatis ab irregularitate : *Ibid.*

Fillii eorum qui misere in hæresim prolapsi sunt ex parentum delicto irregularitatem contrahunt : *Sulm., Disp.*, 30 *jul.* 1735, § 3.

Sed, si ante patratum delictum nati fuerint, nullo irregularitatis impedimento obnoxii sunt : *Ibid.*

Ab hæreticis baptizati sunt irregulares : *Rom.*, 21 *maii* 1718, § 4.

Etiam ab infante hæc contrahitur irregularitas : *Ibid.*, § 5.

Et ab illo etiam contrahitur, qui in adulta ætate baptizatur, probaturque crimen esse fundamentum hujus irregularitatis, et crimen consistere in voluntaria susceptione baptismi ab hæretico : *Ibid.*

Irregulares sunt etiam hæreticorum filii : *Ibid.*, § 6.

Doctores faciunt differentiam inter hæreticum, et hæretici filium, quod hæreticus, hæresi etiam abjurata, remanet irregularis. E contra vero, hæretici filius non est irregularis, si parentes catholicam fidem amplexi sunt : *Ibid.*

Tum ex infamia juris, tum ex infamia facti contrahitur irregularitas : *Luc., Disp., ab Irr., dec.* 1789, § 2.

Infamia juris ex condemnatoria oritur sententia : infamia facti ex vulgata opinione delicti : *Ibid.*

Non aliter promovendo ad ordines remittitur irregularitas ex infamia juris, quam si homicidium patraverit, non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet : *Ibid.*

Adhiberi solet indulgentia cum irregulari ex infamia facti, ubi per triennium saltem emendationem vitæ deleta sit opinio delicti : *Ibid.*

Irregularitas ex infamia eo solum casu contracta censetur, quo pœna inflicta fuerit propter delictum infamiam irrogans : *Hydrunt., Irr.*, 11 *jun.* 1774, § 7.

Prava cum inhonestis fœminis consuetudo, licet ea de causa ab altaris ministerio sacerdos arceri debeat, nulla tamen a sacris canonibus irregularitatis pœna inflicta noscitur : *Ibid.*

Solumque Concilium Tridentinum in clericos fornicarios suspensionis pœnam indixisse, et Episcoporum arbitrio reliquisse eosdem clericos ad primæva jura restituere, si ad meliorem frugem fuissent reversi : *Ibid.*

Nulla autem irregularitatis pœna invecta est clericis ac sacerdotibus impudicitiæ sordibus, ac etiam immundo concubinatu inquinatis, nisi servatis pœnarum gradibus præscriptis a S. Concilio Tridentino : *Ibid.* ; *Benev., Irr.*, 16 *nov.* 1769, § 11.

Et recepta quoad abortum in jure canonico hæc distinctio inter fœtum animatum, et nondum animatum, ut scilicet primo casu delinquens tanquam homicida puniatur, et irregularis evadat : *Ibid.*, § 12.

Secundo vero casu mitius agendum est, et ita quidem ut nec irregularitatem clericus incurrat : *Ibid.*

Absque condemnatoria sententia irregularis non est inquisitus de homicidio ex infamia juris : *Null. Mont. Virg., Irr.*, 16 *febr.* 1788, § 2.

Talis tamen censetur ex infamia facti, seu vulgata opinione delicti : *Ibid.*

Irregularitas ex infamia fati tollitur absque dispensatione per eam vitæ emendationem, quæ maculas prioris non solum coram Deo, sed etiam in opinione hominum deterserit, ita ut sinistræ famæ successerit bona existimatio : *Ibid.*, § 4.

Contrahitur irregularitas facti per vulgatam opinionem delicti : *Feretr.*, *Irr.*, 15 *martii* 1794, § 3.

Tollitur per absolutionem ex capite innocentiæ : *Ibid.*

Non item per absolutionem cum præcepto de se repræsentando, vel ob non repertum culpabilem, post lapsum temporis atque emendationem vitæ : *Ibid.*, §§ 4 et 5.

Per sententiam declaratoriam delicti contrahitur irregularitas ex infamia juris : *Plac.*, *Irr.*, 9 *julii* 1796, § 5.

Fornicationi, ac etiam concubinatui nullibi a jure imposita est pœna irregularitatis : *Benev.*, *Irr.*, 18 *nov.* 1769, § 6.

Ille qui carceribus est mancipatus, et dimissus nisi præstita fidejussione de se repræsentando etiam novis et non novis supervenientibus indiciis, infamiam contraxit, et ex ea irregularitas, ob quam debet a consecutione beneficii omnino arceri, donec ab imputato homicidii crimine purgetur : *Viterb.*, *Con.*, 15 *apr.* 1741, § 3.

Irregularis est, qui viduam aut ab alio relictam duxit : *Const.*, 10 *maii* 1766, § 5.

Doctores communiter dicunt, quod qui cesserunt bonis possunt ad ordines promoveri, dummodo cessio non cedat in dedecus Ecclesiæ : *Atrien.*, 23 *jun.* 1725, § 5.

Infamia facti, quæ ortum habet ab hominum opinione, non constituit aliquem irregularem, ita ut in ejus sequelam ascendere non valeat ad sacros ordines : *Ibid.*, § 6.

Irregularitas non oritur ex nota infamiæ, quando nullum est debitum : *Taur.*, *Irr.*, 24 *martii* 1764, § 7.

Vel postquam judex innocentiam sententia comprobavit : *Ibid.*

Item non contrahitur, quando mors secuta non est ex vulnere dato, vel percussione facta : *Ibid.*

Calumnia subdiaconi in sacerdotem ratione publicæ infamiæ quamdam inducit speciem irregularitatis : *Lun.*, *Sarz.*, 9 *julii* 1696, § 3.

§ III.

Irregularitas ex defectu corporis orta.

Divino præcepto in veteri testamento corpore vitiati a sacerdotali officio arcebantur : *Trivir.*, *Irr.*, 22 *jan.* 1774, § 3.

Sed cum morte Christi præcepta cæremonialia finem habuerunt, et apti quærebantur qui ad sanctuarii ministerium ac virtutibus pollerent, et omnibus qualitatibus, quibus verbo et exemplo præesse possent gregi ipsorum curæ commisso : *Ibid.*

Et ex pluribus Summorum Pontificum responsis compertum est, quod hodie ab altaris ministerio arcentur qui aliquo corporis vitio laborant : *Ibid.*, § 4.

Verum si defectus talis sit, ut non impediat quominus sacerdos Missam celebrare valeat, nec scandalum generet, aut deformitatem, tunc celebratio permittitur, et dispensatio indulgetur : *Ibid.*, § 5.

Et cum regulari, cui ob morbum manus erat impedita, dispensatum fuit, ut celebraret cum assistentia alterius sacerdotis : *Ibid.*, § 6.

Et laborantibus aliquo corporis vitio illorum ordinum et functionum permittitur exercitium, quæ absque scandalo et periculo peragi possunt : *Ibid.*, § 8.

Compertum est, irregularitas ob defectum corporis ex veteri testamento desumitur : *Aug.*, *Irr.*, 19 *dec.* 1722, § 6.

Et hujusmodi defectus non absolute et simpliciter constituit aliquem irregularem, sed solum quando defectus accidit ex culpa vel quando talis sit, ut vel absolute defectuosum reddat inhabilem ad obeundas ministerii functiones, vel ratione defectus adsit periculum irreverentiæ, aut scandali : *Ibid.*, §§ 7 et 8.

Et juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, vitium sive defectum corporis, qui sine culpa patientis accidit, non inducere irregularitatem, nisi talis fuerit defectus, ut vel simpliciter impediat ordinum exercitium, vel deformitatem adnexam habeat, quæ functiones omnes secure ac sine periculo, aut populi offensione peragere non permittat : *Ibid.*, § 9.

Invaluit disciplina Ecclesiæ, ut corpore vitiati, aut aliqua parte mutilati, a sacris ordinibus arcerentur et evadunt irregulares, quando membrum, quo carent, aut in quo debilitatem patiuntur ad exercitium ordinis suscepti, vel suscipiendi necessarium fuerit, unde impossibilitas ministrandi emergat : *Abel.*, *Irr.*, 7 *julii* 1770, § 6.

Vel quando talis deformitas adsit, ut sine populi offensione sacra ministeria exerceri non valeant : *Ibid.*

Et tex. in cap. *Præsbyt.*, 2, *de Cler. ægrotant. et debilit.*, irregularitas inducitur ob defectum digitorum : *Com.*, *Irr.*, 8 *apr.* 1775, § 6.

Claudicare absque gravi deformitate, vel scandalo, nec baculo aut alio auxilio indigere, sed levissime sinistro pede, nihilque obstare altaris ministerio, et cæremoniarum implemento, irregulari-

talis notam non inducit : *Malac.*, 6 *maii* 1775, § 3.

Minus inducitur ex defectu digitorum, nisi agitur de digitis indice, vel pollice, sed de aliis medio, et annulari, quorum in consecratione nullus est usus : *Ibid.*, § 4.

Irregulares sunt ex defectu corporis vitiati, ut vel nequeant ordinis ministeria exercere, vel nonnisi cum deformitate, et scandalo : *Ibid.*, § 6.

Irregularis est, qui fuit aliqua manu mutilatus : *Ibid.*

Presbyter cui medietas palmæ cum duobus digitis fuit abscissa : *Ibid.*

Deformiter gibbosus : *Ibid.*

Claudus nequiens sine pede ligneo, vel sine baculo incedere : *Ibid.*

Oculo orbatus, sive cui oculus erutus est, si absque notabili deformitate canonem legere nequeat : *Ibid.*

Omnes notabiliter impediti aliquo usu membrorum : *Ibid.*

Sin vero talis sit corporalis defectus, qui neque notabilem deformitatem contineat, nec scandalum in celebrationem causet, neque exercitium celebrationis impediat, nulla irregularitas est : *Ibid.*, § 7.

Ita ungula a pollice avulsa causa non est quod sic affectus ab ordinibus repellatur : *Ibid.*

Irregularis est sacerdos cui altera abscissa est manus, vel ad faciendum sacrum inepta : *Gerunt.*, *Disp. ab irr.*, 26 *apr.* 1788, § 2.

Homines staturæ parvæ non sunt irregulares : *Mexic.*, 12 *jul.* 1721, § 4.

Nihil præcise in jure statutum est quoad corporis defectum, et solum datur pro regula generali, quod defectus ille causat irregularitatem, qui impedit congruum ordinis exercitium, aut qui notabilem deformitatem, et sic horrorem, vel risum affert : *Ibid.*, § 5.

Judicium an defectus impediat, aut ordinis exercitium, aut virum, vel horrorem afferat, pertinet ad Ordinarium : *Ibid.*

Irregularis dicitur ille, qui vel caret membro, vel illud habet ineptum ad opus perficiendum : *Cons.*, 13 *jul.* 1725, § 2.

Juxta theoriam abbatis sacerdos habens manum impeditam de jure dicitur irregularis, ita ut Missam celebrari non possit, licet reliqua sacerdotii ministeria perficere, et similia peragere : *Ibid.*

Si sacerdos evadat cæcus, non habet ordinis exequutionem quantum ad ea quæ visum requirunt, ut est Missæ celebratio ; secus, quoad alia quæ visum non requirunt, ut confessiones audire, et concionari : *Flor.*, 2 *aug.* 1727, § 4.

Irregularis est qui amisit sinistri brachii usum : *Vicen.*, *Irr.*, 15 *jul.* 1797, § 4.

Et amittitur dictus usus ob simplicem manuum attractionem, qua decenter Missam celebrare non valet : *Ibid.*

Homo cæcitatis fere vitio laborans est irregularis, nec solum impedit, quominus promoveatur ad ordines, sed etiam quin prima tonsura initiari possit, et clericus fieri : *Pampl.*, *Disp.*, 28 *mart.* 1733, § 2.

Irregularis ex defectu corporis est, qui manibus pedibusque attractis laborat : *Sarsin.*, 21 *apr.* 1792, § 9.

Irregularis est ex defectu corporis, qui ita attractos habet manus ut decenter sacrum facere nequeat : *Albing.*, *Irr.*, 21 *jan.* 1797, § 4.

Irregulares sunt laborantes morbo epileptico : *Neap.*, *Rest. in integ.*, 18 *nov.* 1741, § 4.

Robertus Scotus, quamvis cæcus a puerili ætate, Parisiis theologiam didicit adeo insigniter, ut Romæ creatus sacerdos, et Archiepiscopus Armacano in Hybernia, et legitime pro Julio III fuerit legatione perfunctus : *Hyber.*, *Disp.*, 28 *mart.* 1733, § 7.

Sed erravit Surius qui cæcum dixit fuisse Robertum Scotum, cum solum angusta ille fuerit et suppressa oculorum vi : *Ibid.*, § 8.

Multoque etiam certius evincunt legationes, quas ille a Paulo III et Julio III ad Cæsarem, et ad Gallæ regem accepit, antequam Tridentina Synodo interfuerit : *Ibid.*

Et is cui hebes vel obtusa sit oculorum acies, non est irregularis : *Ibid.*

Adfuit quædam Belga a teneris annis oculorum sensu destitutus, nihilominus in Parisiensi academia floruit, et monachus Ordinis S. Benedicti, atque etiam decanus fuit : *Ibid.*, § 7.

§ IV.

Irregularitas ex crimine in genere.

Irregularitas ut incurratur ex delicto, requiritur actus externus consummatus : *Ben.*, *Irr.*, 18 *nov.* 1769, § 11 ; *Tranen.*, *Irr.*, 26 *mart.* 1768, § 4.

Irregularitas quæ oritur ex delicto nunquam incurritur, nisi delictum præcesserit : *Hydr.*, *Irr.*, 11 *jun.* 1774, § 5.

Non incurritur irregularitas ex delicto, nisi hæc illi inhæreat ex juris sanctione, idemque delictum concludenter fuerit probatum : *Benev.*, *Irr.*, 18 *nov.* 1769, § 6.

Irregularitas ex delicto nullo modo incurritur, si de delicto dubitetur : *Tran.*, *Irr.*, 26 *mart.* 1768, § 4.

§ V.

Irregularitas ex homicidio voluntario.

Irregularis est qui voluntarium commisit homicidium : *Convenarum*, *Irr.*, 21 *april.* 1792, § 2.

Ex dubio homicidio etiam contrahitur irregularitas : *Canad., Disp. ab irr.*, 18 *sept.* 1790, § 3.

Irregularem non esse occidentem inter irregulares habendum juxta nonnullos doctores, donec superveniat declaratoria judicis, vel pontificis super facto : *Mess., Irr.*, 15 *jan.* 1780, § 5.

Licet in dubio sive juris sive facti quisque non sit irregularis censendus, diversimode tamen sentiendum quoad homicidium : *Benev., Irr.*, 18 *nov.* 1769, § 19.

Irregularis est ille qui hominem, licet unum pro alio, occidit : *Null. S. Benig., Irr.*, 15 *maii* 1790, § 3.

Et quia post commissum homicidium celebravit : *Ibid.*

Mutilatores irregulares evadunt : *Null. S. Laur. in Campo, Disp. ab irr.*, 21 *jul.* 1783, § 3.

Et ratio est, quia mutilare et occidere quoad incurrendam irregularitatem æquiparantur : *Ibid.*

Dummodo mutilatio inducat separationem et truncationem membri alicujus principalis in corpore humano habentis distinctum et peculiare officium, ut manus, pedis, brachii, auris, et similium : *Ibid.*

Ideo abscissio digiti, excussio dentis non est mutilatio : *Ibid.*

Abscindens tamen digitum pollicem, aut indicem, petere debet dispensationem ad cautelam : *Ibid.*

Occidens vel mutilans membrum, efficitur irregularis : *Aquin.*, 12 *jan.* 1726, § 4.

Privans aliquem visu in oculo, absque eo quod illum eruat, fit irregularis : *Ibid.*, § 5.

Quum aliud sit mutilatio, aliud vero debilitatio, et quum a mutilatione ad debilitationem non valet argumentum, hinc debilitans alicujus membrum non evadit irregularis : *Ibid.*, § ult.

Percutiens aliquem non lethaliter, nec animo occidendi, non efficitur irregularis, si mors percussi non ex percussione, sed ex urgentiori causa processerit : *Sen., Disp.*, 3 *febr.* 1776, § 5 ; *Gualt., Irr.*, 4 *maii* 1729, § 3.

Sed inspiciendum est an percussio modica, vel levis fuerit, ac in ea corporis parte in qua quis ad mortem de facili percuti minime solet, necnon judicium medicorum asserentium an fuerit nec non lethalis, præsertim medicorum a principio morbi intervenientium : *Ibid.*, §§ 5 et 6.

Fit vero irregularis, si percussus ex ipsa percussione aliam infirmitatem contraxerit, de qua noscitur expirasse : *Ibid.*, § 9.

Quando res versatur in dubio, utrum percutiens habendus sit pro irregulari est altercatio inter theologos et canonistas : *Ibid.*, § 7.

Nonnulli putant in qualibet dubietate, sive juris, sive facti, excludi irregularitatem in utroque foro ; ex quo in dubiis favendum sit reo : *Ibid.*

Alii sustinent, in dubio facti homicidii, percutientem in utroque foro esse irregularem : *Ibid.*

Verior et communior distinctio quod in dubio facti, si agitur in foro contentioso ad imponendam pœnam propter irregularitatem, percutiens non censetur irregularis, quia pœna ordinaria statuta delicto certo non est in dubio imponenda : *Ibid.*, § 8.

Si agitur in foro pœnitentiali ad effectum removendi promotum ab exercitio ordinum, vel non promovendi, tunc reputatur percutiens irregularis : *Ibid.*

Et saltem, injuncta percutienti pœnitentia congruenti, concedi solet ut minoribus ordinibus sit contentus : *Ibid.*, § 9.

Irregularis nequit declarari clericus in foro externo, vel judiciali, dum non sit certum, vel maxime dubium homicidium evenisse ex illius ictibus : *Fulg., Irr.*, 4 *martii* 1758, § 4.

Imo, etsi certum esset homicidium a clerico commissum fuisse, nulla in eum infligi pœna potest ex dispensatione juris civilis, si commissum sit ad defensionem fratris aggressi, et vulnerati, et quem clericus frater ex naturæ obligatione defendere teneatur : *Ibid.*

Quam juris civilis dispositionem sequendo, jus Pontificium non solum clericum impunem de homicidio voluit, sed ne irregularem quidem eum esse : *Ibid.*

Quum delictum non sit sine culpa, si autem culpa non habetur, nec irregularitas : *Terrac.*, 19 *april.* 1766, § 3.

Dare arma sine homicidii animo, vel præmeditatione, illicitum eo casu non fuisse ; ac propterea ex iis quæ sequuta sunt, quemadmodum non culpa, ita neque irregularitas venire potuit : *Ibid.*, § 5.

Dubitatum fuit aliquando, num vere irregularitas incurritur ex percussione quæ mortem directe non causavit : *Utin., Irr.*, 15 *jan.* 1785, § 5.

Si percussus antequam obiret aliis percussionibus ab altero fuit affectus, nec dijudicari potest ex quibus ictibus decesserit : *Ibid.*

Incurritur irregularitas quamvis homicidium in calore iracundiæ et in rixa fuerit secutum, et homicida animum occidendi non habuerit : *Pap., Disp.*, 24 *jul.* 1784, § 5.

Irregularitas non censetur contracta, ubi mors ex vi naturalis morbi sequuta non probetur : *Imol., Irr.*, 19 *nov.* 1740, § 7.

Ad judicandum vero num mors acciderit ex naturali morbo aut ex ictu, regula tradita a Clemente III præ oculis habenda est : *Ibid.*

Distingui debet utrum constare possit quod inflicta est percussio lethalis qua non sequuta, percussus minime interiisset : *Ibid.*

Item, si ictus tam modicus, tam levis, in ea parte corporis inflictus sit in qua quis de levi percuti non solet ad mortem, ut peritorum judicio medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis : *Ibid.*

Ponderandum est : 1° an vulneratus seu percussus illico vel paulo post, aut post longum tempus interierit ; 2° num corporis pars, in qua acceptum sit vulnus, ea sit ubi etiam de modico ictu quisque soleat mortaliter lædi, ut in cerebro, gula, pectore, intestinis, et similibus ; 3° quid medici, aliique in arte periti, qui a principio morbi interfuerunt, de inflicto vulnere et morte secuta sentiant : *Ibid.* ; *Gualt., Irr.*, 14 *maii* 1729, § 5 ; *Aquin., Irr.*, 20 *aug.* 1774, § 7.

Irregularitas contrahitur non solum ubi mors dignoscatur ab ipso vulnere processisse, verum etiam si illa contingat ex naturali morbo cui vulnus causam præbuerit, ita ut pro ejusmodi effectu idem plane fit mori ex vulnere ac ex alia infirmitate ab ipso vulnere inducta : *Ibid.*, § 8.

Ubi dubium sit, an mors immediate vel mediate ex vulnere processerit, ipsamet facti dubietas sufficit ut in finem abstinendi ab exercitio ordinum irregularitas dicatur contracta : *Ibid.*, § 9.

Baldus, consil. 328, lib. 2, argumenta in hac re desumit ex tribus : primo nempe a natura, an scilicet percussus illico, aut paulo post, aut post longum tempus interierit ; secundo ab experientia, an videlicet locus sit mortalis, ut in cerebro, gula, pectore, intestinis, et similibus, aut vero in locis non lethalibus, ut in natica, quæ sustinet magna vulnera ; et tertio a judicio peritorum in arte qui interfuerunt a principio morbi : *Ibid.*

Et ponderandum est concludenter quod mors causata fuerit, vel ex defuncti intemperantia, vel medici et chirurgi incuria : *Aquin., Irr.*, 20 *aug.* 1774, § 8.

Sed canonistæ unanimiter tradunt quod standum sit judicio medicorum : *Ibid., Papien. et Aquin.*

Quando autem res versatur in dubio, an mors ex vulnere, vel ex alia causa evenerit, putant nonnulli, in quolibet dubio, sive juris, sive facti, excludi irregularitatem in utroque foro, quia in dubio favendum est reo : *Ibid.*, § 6.

Alii vero eam tuentur sententiam, quod in dubio facti homicidii (quando scilicet certum est irregularitatem esse jure inductam, et dubium est an hic in eum casum homicidii incurrerit) quod percutiens in utroque foro censendus sit irregularis : *Ibid.*

Verior tamen canonistarum distinctio est : quod, in dubio facti, aut agitur in foro contentioso ad imponendam pœnam propter irregularitatem, qualis est privatio beneficiorum, aliæque similes, et tunc quis non censetur irregularis, quia pœna statuta delicto certo non est imponenda delicto dubio : *Ibid.*, §§ 7 et 8.

Aut vero agitur in foro pœnitentiali ad imponendam pœnitentiam, vel quasi pœnitentiali ad effectum nempe abstinendi promotum ab exercitio ordinum, ac non promovendi ad ordines sacros, et tunc in hoc dubio facti, percutiens reputari debet irregularis ; ex quo in hoc foro tutior pars est eligenda : *Ibid.*

Paria sunt mori ex vulnere et mori ex alia infirmitate ab ipso causata : *Ibid.*, § 9.

Quando autem vulnus dicatur causa immediata, vel mediata mortis, et quando non, theoricam ponit Baldus in consilio 237, lib. 11. Ait enim, quod interdum vulnus et mors se habent ut causa et effectus immediatus, ut quia vulnus fuit mortale et incurabile, ex quo vulneratus statim discessit : *Ibid.*

Et quod interdum se habent ut causa et effectus mediatus, ut si aliquis sit vulneratus in tali parte corporis quod postmodum superveniat spasmus, et deinde mors ; et aliquando non se habent ut causa, et effectus, nec immediatus, nec mediatus, sed sunt omnino discrepantia, ita ut nec vulnus influit in mortem, nec mors dependet aliquo modo a vulnere per intrinsecam causam, ut si aliquis est vulneratus in pede, et mortuus ex apostemate subascellari, et in hoc ultimo casu percutiens nullo modo est homicida : *Ibid.*

Quoties homicidium in rixa admissum est, et constet de illo qui occidit, tunc eum dumtaxat esse irregularem : *Pamp.*, 9 *april.* 1785, § 8.

Et revera Sac. Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 7, *de Reform.*, solos homicidii auctores a sacris ordinibus perpetuo arcet : *Ibid.*, § 9.

In casu proposito in cap. *Significasti*, 18, *de Homic.*, quo quis ab uno fuerat lethaliter percussus, et ab alio interemptus, quæritur an percutiens sit irregularis, et respondetur quod sic percutiens, licet forsan homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debeat : *Trid., Irr.*, 13 *martii* 1784, § 3.

Quod si homicidii reus inter multos non appareat, omnes pœna mortis erunt immunes, et solum arbitrio judicis coerceri debent ; verum omnes erunt irregulares : *Ibid.*

§ VI.

Irregularitas ex homicidio causali orta.

Irregularitatem contraxit qui, dans operam rei illicitæ, homicidium commisit, licet omnem præsti-

terit diligentiam ne mors sequeretur. *Salt., Disp. ab irr.*, 12 *martii* 1785, § 7.

Irregulares declarantur clerici qui in sacris constituti, et monachi, exercentes medicinam, vel chirurgiam, et mortem alicui causaliter inferentes : *Ibid.*

Ea ratione, quia clerici et monachi chirurgiam et medicinam exercentes extra casum necessitatis dant operam rei illicitæ ex homicidio causali : *Ibid.*

Hinc a pari omnes dantes operam rei illicitæ ex homicidio causali contrahunt irregularitatem, quamvis debitam adhibuerint diligentiam ad mortem vitandam : *Ibid.*; *Null. Cav., Irr.*, 24 *nov.* 1792, § 2; *Rar., Irr.*, 5 *junii* 1779, § 6; *Trid., Irr.*, 13 *mar.* 1784, § 3.

Ratio est, quia in hoc casu adesse dicitur causa proxima homicidii : *Ibid.*; *Bar.*

Et qui proximam dat causam homicidii irregularitatem contrahit : *Polit., Irr.*, 28 *febr.* 1795, § 2.

Sin autem ex usu rei illicitæ prævideri non potuit homicidium, et causa proxima ad illud præordinata defuit, tunc irregularitas non contrahitur : *Ibid.*; *Baren*, § 7.

Hinc ad cognoscendum an quis ex causali homicidio irregularis factus sit, traditur a doctoribus celebris distinctio : an quis dedit operam rei licitæ, vel illicitæ : *Spol.*, 18 *maii* 1776, § 5.

Inde quæstio est etiam si venatio, quando causam præbet morti alicujus, sit licita, vel illicita : *Ibid.*, § 6.

Hanc quæstionem tractat Bened. XIV, in tract. *de Synodo diœces.*, et remanere adhuc dubiam affirmat : *Ibid.*, § 7.

Quoad culpæ speciem quæ requiriritur ad contrahendam irregularitatem, aliqui doctores putant sufficere culpam levem; alii firmant sufficere aliquando etiam levissimam; alii existimant neque levem culpam sufficere, sed latam requiri : *Ibid.*, § 9.

Qui fuit in causa ut faber lignarius incederet per tectum ut illud componeret, non esse irregularem, si ille collapsus moriatur, dummodo sponte id operis assumpserit, et alias exercere consueverit : *Ibid.*, § 10.

Si quis proximam homicidio causam dedit, scilicet consilio, præcepto, vel ope, irregularitas contrahitur; secus vero, si remotam causam tantummodo præbuerit, nisi animo nocendi, vel minori diligentia id fecerit : *Salernit., Irr.*, 20 *april.* 1771, § 7.

Si causa nullomodo ad mortem inferendam fuerit ordinata, et tunc omnem excludit irregularitatem, etiamsi quis per accidens operam rei illicitæ daret : *Ibid.*, § 8.

Sacri canones statuerunt, ut percutiens aliquem non lethaliter, nec animo occidendi, irregularitatem non contrahat, si mors vulnerati non ex homicidio, sed ex alia urgentiori causa processerit : *Ibid.*, § 9.

Et clericus, qui ludens vulneravit ictu lapidis aliquem qui incuria patris ac medicantis imperitia occubuit, non incidit in irregularitatem : *Ibid.*

Irregularis est, qui remotam etiam causam dedit homicidio : *Jan., Irr.*, 20 *apr.* 1793, § 4.

Multo magis, si absolutus fuit cum clausula, *facta obligatione de se repræsentando, novis supervenientibus indiciis*, quæ innocentiam excludunt : *Ibid.*

Irregularitas non contrahitur per homicidium commissum ex opere licito, debita etiam ad illud vitandum adhibita diligentia : *Ibid.*, § 3.

De homicidiis quæ casu ac præter mentem agentis sive mandantis accidunt, est communis distinctio inter illud quod venit ab opera rei licitæ, ab eo quod ab opera rei ab initio illicitæ est : *Terr.*, 19 *april.* 1766, § 12.

De primo casu, certum est non contrahi irregularitatem : *Ibid.*, § 13.

Nisi dans operam rei licitæ de negligentia et culpa argui possit : *Ibid.*, § 14.

De secundo, indubitatum est contrahi irregularitatem : *Ibid.*, § 15.

Verum qui arma dedit aliqui apparitori, qui cum satellitibus armatis circumiret, licet neque mandatum occidendi, neque lædendi dederit, irregularis efficitur : *Ibid.*, § 16.

Si quis rei illicitæ operam dederit, quæ inde secuta sunt omnia ad ejus culpam recidere videntur : *Ibid.*, § 20.

Hinc homicidio causam hic dedit, et irregularitatem pro sacerdotio obtinendo contraxit : *Ibid.*

Irregularitas contrahitur per homicidium commissum præter intentionem, ubi culpa præcessit casum : *Nolan., Irr.*, 6 *dec.* 1794, § 3.

Irregularitas ex voluntario contrahitur homicidio, vel sit in causa, si ab eo patratum fuerit qui operam dabat rei illicitæ, vel causam præbuit ad illud ordinatam : *Ascul., Irr.*, 19 *jun.* 1790, § 2.

Qui debitam in re licita non adhibet diligentiam irregularis fit, si homicidium sequatur : *Ibid.*

Contrahitur irregularitas ob non adhibitam nempe diligentiam in re etiam licita, ex qua sequitur homicidium : *Luc., Irr.*, 17 *dec.* 1796, § 3.

Levissima vero culpa non censetur causa ordinata ad homicidium, quæ voluntarium reddat effectum : *Ibid.*

Quum prævideri potuerit homicidium irregularitas contrahitur, et voluntarium in causa fuit homicidium : *Const., Irr.*, 26 *nov.* 1796, § 3.

Irregularis est, qui homicidium instigavit, vel præbuit arma, vel occisum detinuit, ne aggressor resisteret : *Canad., Disp. ab irr.*, 18 *sept.* 1790, § 2.

A fortiori ille talis censetur qui ea omnia simul patravit, et nedum voluntate, sed facto etiam homicidium commisit : *Ibid.*

Ast potest excusari aliqua ratione, si ille deliquit per ebrietatem : *Ibid.*

Irregularitas ex homicidio contrahitur, aut facto, aut præcepto aut consilio : *Senog., Irr.*, 25 *jan.* 1772, § 8; *Gasseb., Irr.*, 16 *dec.* 1797, § 3; *Constan.*, 10 *maii* 1766, § 5; *Hydrunt., Irr.*, 11 *junii* 1774, § 6.

Hinc irregulares evadunt assessores et consiliarii qui vel judici in ferenda sententia assistunt, vel suo suffragio, aut consilio judicem promovent : *Ibid.*; *Senog.*, § 9.

Item advocati, accusatores, et testes contra reum in causa criminali pœnam sanguinis inducentes : *Ibid.*

Ille qui clamorem extulit adversus fures prævidendo quod, si caperentur, ultimo poterant supplicio multari, irregularitatem non contrahit, licet deinde fures a judice vel a circumstantiis occidantur : *Bisunt.*, 22 *apr.* 1719, § 2.

Contraria tamen sententia apparet verior : *Ibid.*

Irregularitatem non contrahitis qui forte equo in aliquem irruit, eumque occidit, juxta decretales Innoc. III : *Mont. Falis., Irr.*, 16 *maii* 1739, § 4.

Regula ex sacris canonibus desumpta de ferendo judicio circa irregularitatem ex homicidio causali, hæc esse videtur quod si quis dabat operam rei licitæ, simulque adhibuit diligentiam et cautelam quam potuit ac debuit, homicidium, quod fortuito et citra ejus culpam accidit, eum non reddit irregularem : *Ibid.*, § 5; *Ross., Irr.*, 20 *martii* 1734, § 4.

Secuti etiam, si causa remota sit, ac nullo modo ad homicidium ordinata, tametsi quis omnino per accidens daret operam rei illicitæ, adhuc non efficitur irregularis : *Ibid.*

Contra vero irregularitatem contrahit ille qui opus illicitum gessit, periculum mortis vel mutilationis inducens, præsertim si debitam diligentiam et cautelam non adhibuerit, ne inde homicidium, aut mutilatio, sequeretur : *Ibid.*

Præterea cum irregularitas non contrahatur, ubi mors ex alia causa, aut naturali morbo, quam ex inflictis vulneribus sequuta probetur : *Ibid.*, § 6.

Si Amasius temere accessit ad uxorem alterius, exponens illam periculo mortis, irregularis manet si hæc a marito occiditur, quum moraliter est causa talis homicidii : *Null. Prov., Comp.*, 2 *oct.* 1723, § 6.

Secus autem erit si mors uxoris sequatur, eademque a marito occidatur, et cum sufficienti cautela Amasius se gessit, ita ut periculum mortis probabiliter prævidere aut timere non potuerit : *Ibid.*

Non excusatur ab irregularitate ille qui dedit causam rixæ ut ejus amici, famuli, vel consanguinei alterum cum eo contendentem, vel pugnantem occiderent præter ejus voluntatem, et contra ejus prohibitionem, quia dedit culpam præambulam : *Caput.*, 24 *martii* 1725, § 6.

Sæviens in cadaver inimici, et occisurus si vivum reperisset, non commisit homicidium, et sic non fit irregularis : *Ibid*, § 8.

Leviter percutiens hominem lethaliter vulneratum incurrit irregularitatem si ille moriatur, quia ex postremis percussionibus, licet levibus, acceleratur mors percussi, quam primum vulnus lethale causasset, sed non tam facile, nec tam propere : *Ibid.*

Irregularis sit tradens arma quibus patratum est homicidium : *Faven., Irr.*, 22 *nov.* 1704, § 2.

Licet homicida non vibraverit gladium, eum tamen quem occisus ostendit stringebat, causam dedit homicidio, ob quam irregularitatem contraxit : *Mars. seu Rom., Irr.*, 30 *jul.* 1796, § 3.

Remota ad summum homicidio causa data inepta est ad irregularitatem contrahendam : *Saler., Irr., april.* 1771, § 5.

Et hæc est sententia S. Congregationis Concilii : *Ibid.*

Irregularitas non est contracta quia reus homicidii dici nequeat, qui occasionem tantum mortis præbet, non causa : *Aver., Irr.*, 2 *aug.* 1755, § 2.

Quod si etiam homicidii reus dici posset, non ideo tamen contracta fuisset irregularitas, quia id factum fuit ad tutelam corporis sui, et servato moderamine : *Ibid.*

Si tamen adsit difficultas, consulendum est Pontificem pro dispensatione ad cautelam : *Ibid.*

Licet occidendi animum aliquis non habuerit, et causam per inopportunam igneæ ballistæ ostentationem dedit homicidio, irregularis evadit : *Com., Irr.*, 31 *jul.* 1790, § 7.

§ VII.

Irregularitas ex homicidio in parentum defensione commisso.

Sacerdos qui occidit aut mutilat in parentum et propinquorum defensionem, incidit in irregularitatem : *Const., Irr.*, 30 *jul.* 1785, § 7.

Et ratio est, quia Clemens V fuit primus qui regulam generalem in certis nominatis casibus limitaverit : *Ibid.*, § 8.

Hinc ita casibus iis sepositis quos Clemens voluit exceptos, nempe furiosi, infantis, seu dormientis, et illius qui mortem aliter vitare non valet, regula in reliquis manere firmiter debet, et obtinere : *Ibid.*

Cultro ablato, nullum amplius vitæ discrimem adest ; qui sine discrimine, neque a jure civili excusatur : *Ibid.*, § 10.

Non incurrit irregularitatem ille qui operam rei illicitæ non dederit, qui subita animi perturbatione, ingenitoque instinctu matri, et sorori, auxilium ferendi, propriamque vitam tuendi, arma sumpserit : *Taur.*, *Irr.*, 15 *sept.* 1770, § 4.

Si homicidium commissum fuit pro necessaria defensione patris, matris, aut sororis, tunc irregularitas contrahitur : *Taur.*, *Irr.*, 14 *martii* 1772, § 8.

Sed ista irregularitas est dispensabilis : *Ibid.*

§ VIII.

Irregularitas ex homicidio ab illo qui non habet ætatem commisso.

Quamvis ætatis defectus homicidam a pœna temporali excuset, non una tamen est doctorum sententia num eadem ob causam ab irregularitate immunis evadat : *Trid.*, *Irr.*, 13 *martii* 1784, § 1.

Et similiter infans perpetrans homicidium ab irregularitate excusatur : *Ibid.*

Pignatelli existimat, cum aliis ab eo allegatis, quod puer cultrum projiciens et aliquem occidens irregularis evadat : *Ibid.*

Asserit quod juxta veriorem doctorum sententiam major septennio propter homicidium fiat irregularis : *Ibid.*

Alius doctor sustinet, quod major septennio ante annos pubertatis, quæ in jure a septimo ad decimum quartum extenditur, si hominem occidat, et nesciat quid faciat, nec doli capax sit, irregularis non evadat : *Ibid.*

Communis est sententia, quia ad contrahendam irregularitatem requiritur quod occisio sit libera et voluntaria : *Ibid.*

Et tam vir post decimum annum cum dimidio quam fœmina post nonum annum cum dimidio censuris puniri possunt ; attamen Ecclesia ante præfatum usum rationis censuris afficere noluit : *Ibid.*

Et ratio est, quia in puero deest rationis usus, et propterea doli capax non est : *Ibid.*, § 6.

Quidquid sit de diversa doctorum sententia, an ætatis defectus ab irregularitate excuset, in eo tamen omnes conveniunt, quod mitius in hisce circumstantiis procedi solet : *Ibid.*, § 7.

Ab Hostiensi affirmatur, quod puer non doli capax, si projiciendo lapidem, vel cultrum, occidit aliquem, irregularis est, licet non habuerit animum occidendi : *Ibid.*

Et ratio assignat, quia in lege promotionis non voluntas, sed factum attenditur : *Ibid.*

Si clericus licite ludat, et inspectis omnibus circumstantiis ludi, personarum, loci, et temporis, aliquem occidat in ludo, non est irregularis : *Ibid.*, § 9.

Si vero ludus cum lapidibus, quamvis pueris licitus, illicitus quandoque redditur ex immoderato lapidis ictu : *Ibid.*

Ex emptione veneni jussu matris facta nulla incurritur irregularitas, cum ista ex homicidio, aliove crimine non contrahatur a pueris, nisi post adeptum perfectum usum, quem masculi non ante decimum annum cum dimidio, assequi solent : *Alex.*, *Irr.*, 3 *dec.* 1740, § 5.

Præsertim si accedit juramentum filii in suo judiciali constituto præstitum, et sententia Episcopi, ex quibus perficitur purgatio canonica a quocumque reatu omnique infamia inde oborta, ut jure nequeat impediri, quominus in susceptis ordinibus ministret, atque ad presbyteratum promoveatur : *Ibid.*

Clemens V ab irregularitate, in quam quis incurrit, infantes homicidium committentes excepit : *Brug.*, *Irr.*, 8 *apr.* 1786, § 13.

§ IX.

Irregularitas ex homicidio ad propriam defensionem patrato.

Illum qui, mortem aliter evitare non valens, suum occidit invasorem, Hugo censuit esse irregularem : *Pap.*, 4 *maii* 1726, § 6.

Goffredus vero censuit occidentem in susceptis ministrare posse, sed esse irregularem quoad suscipiendos : *Ibid.*

Brixiensis et Hostiensis existimarunt sic occidentem nullo modo esse irregularem : *Ibid.*

Ille autem dicitur non posse aliter mortem vitare, nisi suum occidat, vel mutilet invasorem, qui est sic arctatus ut fugere non possit, nec se juvare clamore : *Ibid.*, § 6.

Ex Concilio Tridentino, ob homicidium in casu vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, commissum, ad sacrorum ordinum et altaris ministerium, et beneficia quæcumque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, committitur hæc Ordinario, qui, cognita causa, dispensare potest : *Ibid.*, § 7.

Hinc alii dixerunt sic occidentem etiam in terminis Concilii Tridentini non esse irregularem, sed inter irregulares habendum esse usquequo superveniat declaratoria Episcopi, vel Papæ, super facto : *Ibid.*, § 8.

Alii vero, communiore calculo, volunt nullum jus novum fuisse a Concilio Tridentino inductum, nec ullam novam inductam fuisse irregularitatem, quum Concilium sit intelligendum de occidente cum culpata tutela : *Ibid.*

Si occisio secuta fuerit non pro vita sed pro rerum conversatione, nullum nunc oritur dubium de irregularitate ; *Ibid.*, § ult.

Juxta juris canonici novissimam sanctionem, nulla contrahitur irregularitas ab eo qui, aliter vitam suam tueri non valens, aggressorem interfecerit : *Taur.*, *Irr.*, 14 *mart.* 1772, § 7.

Sed si moderamen, ut aiunt, inculpatæ tutelæ non servaverit, tunc irregularitatem incurrit : *Ibid.*; *Elbor.*, *Irr.*, 9 *febr.* 1737, § 4.

Nam irregularitas non contrahitur ex homicidio patrato ad necessariam suam defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ : *Mur.*, *Irr.*, 22 *jan.* 1763, § 5 ; *Terac.*, 19 *april.* 1766, § 10 ; *Elbor.*, *Irr.*, 9 *febr.* 1737, § 4 ; *Casal.*, *Irr.*, 24 *sept.* 1718, § 3 ; *Taur.*, *Irr.*, 14 *mart.* 1772, § 3 ; *Alben.*, *Irr.*, 8 *aug.* 1772, § 4 ; *Mess.*, *Irr.*, 15 *jan.* 1780, § 5 ; *Marian.*, *Irr.*, 17 *jul.* 1773, § 2 ; *Mess.*, *Irr.*, 15 *jan.* 1780, § 5.

Post Concilium Tridentinum in sess. 14, cap. 7, intelligitur procedere, quando non fuit servatum moderamen inculpatæ tutelæ : *Ibid.*; *Mur.*

Nec dans operam rei illicitæ efficitur tali casu irregularis, quando res illa non præordinabatur ad homicidium, nec prohibita fuit ratione periculi homicidii : *Ibid.*, § 6.

Ut delatio sclopi venationis causa, quæ prohibita non est clericis ratione periculi homicidii : *Ibid.*

Presbyter qui furem nocturnum, qui absque occisione comprehendi poterat, occiderit, ab irregularitate nequit excusari : *Casalen.*, *Irr.*, 24 *sept.* 1718, § 7.

Et qui furem nocturnum quem videbat se accingentem ad solvenda vincula, quibus tenebatur, ita ut de propria occisione timeret, occiderit, in irregularitatem incidit, quum periculum aliter evadere potuisset : *Ibid.*, § ult.

Sed irregularitatem non incurrit sacerdos, etiamsi in ipso actu celebrationis Missæ, ut mortis periculum evadat, invasorem interfecerit : *Ibid.*

Homicidium committens non ex proposito, sed casu, et ad vitæ defensionem, dispensari debet super irregularitate ab Ordinario loci, causa et rationibus cognitis, ut assequatur sacros ordines, et beneficia quæcumque, præscripsit Tridentina Synodus : *Mess*, *Irr.*, 15 *jan.* 1786, § 4.

Ex qua sanctione nonnulli doctores arguunt, occidentem non esse irregularem, sed habendum inter irregulares, donec superveniat declaratoria judicis super facto, vel Pontificis : *Ibid.*, § 5.

Communior vero doctorum opinio tenet non contrahi irregularitatem a clerico, qui ad propriæ vitæ defensionem aggressorem occidit, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ ; *Ibid.*

§ X.

Irregularitas ob malam ad ordines promotionem orta.

Irregulares esse canonistæ et theologi conveniunt, qui furtive ordinantur : *Gran.*, *Irr.*, 8 *jul.* 1786, § 8.

Et ratio est, quia irregularitatem describunt tanquam impedimentum quo quis interdicitur directe quidem et primario a susceptione ordinum, consequenter vero eorum usu : *Ibid.*

Et omnis irregularitas, quæ nascitur ex delicto in susceptione ordinum, exercitium suscepti ordinis prærequirit : *Ibid.*

Dicitur ordines ministrare, qui dum est subdiaconus ascendit ad diaconatum, vel dum est diaconus ad presbyteratum, et ex solo isto ascensu fit irregularis tanquam ordinum administrator : *Cephal.*, *Susp. et Irr.*, 24 *mart.* 1787, § 4.

Irregularitas incurritur per ordinatos ab Episcopo schismatico : *Ross.*, 14 *maii* 1763, § 10.

Irregularitas non incurritur, sed tantum suspensio ab Italo-Græcis ordinatis latino ritu animo ministrandi in ritu græco : *Ibid*, § 11.

Irregularitatem incurrunt omnes, qui ordines susceperunt sine proprii Episcopi scientia, et consensu : *S. Severin.*, *Irr.*, 10 *jan.* 1784, § 9.

Irregulares evadunt quoque promoti ad ordines sacros extra tempora a jure statuta sine Apostolica dispensatione : *Ibid.*

Eadem pœna afficiuntur falsificantes litteras proprii Ordinarii vel capituli : *Ibid*

Pœnam irregularitatis insuper subeunt, qui sine dispensatione ante legitimam ætatem, vel absque dimissorialibus litteris proprii Episcopi, ordinari præsumpserint : *Ibid.*, § 10.

Ordinatus cum dimissoriis falsis, quique judicium de hoc crimine subiit per publicam sententiam damnatus, ob infamiam quæ inde oritur, irregularitatem incurrit : *Conib.*, *Disp.*, 13 *junii* 1733, § 14.

Ubi constat de illegitima ordinatione constare debet etiam de irregularitate ; *Burg. S. Don. seu Crem.*, *Ord.*, 1 *aug.* 1750, § 3.

Qui Episcopum ordinantem decipit, ostendendo se habere titulum, remanet suspensus, et ministrando irregularitatem incurrit : *Burg.*, 13 *april.* 1720, § 7.

Pœna infligitur irregularitatis contra clericos male promotos, si in susceptis ordinibus ministraverint : *Visen.*, *Disp. ab irr.*, 11 *sept.* 1784, § 13.

Si quis ordinibus initietur in irregularitate detentus, illicita est ordinatio, sed per hujusmodi ordinationem non contrahitur nova irregularitas, quia inhabilitas non reiteratur, sed persistit per modum habitus permanentis, ad differentiam censurarum, quæ, multiplicatis transgressionibus, reiterantur : *Trid.*, *Irr.*, 13 *martii* 1784, § 10.

Per ascensum ad sacerdotium cum falsis dimissoriis incurritur irregularitas ; verius simplex incurritur suspensio et per administrationem ordinis irregularitas : *Nol.*, *Irr.*, 6 *dec.* 1791, § 3.

Item qui per aliquam subreptionem ad clericatum venit, irregularitatem incurrit : *Cast.*, 18 *maii* 1766, § 5.

§ XI.

Irregularitas orta ex Baptismi reiteratione.

Rebaptizantibus est imposita irregularitas : *Urb.*, 18 *dec.* 1723.

Irregularitas ex binis collatis baptismatibus contracta partialis et impeditiva ascensus est ad ordines, non autem privat usu et exercitio sacrorum ordinum : *Mur.*, *Irr.*, 14 *nov.* 1716.

Cardinalis autem Toletanus censet sacerdotem biterato baptizantem, uti non posse ordinibus, si crimen notorium sit ex irregularitate non speciali, sed communi omni publico delicto : *Ibid.*

§ XII.

Irregularitas ex homicidio causa abortus commisso.

In dubio an fœtus esset animatus, vel non, nonnulli existimarunt procurantes abortum irregulares nequaquam censeri : *S. Mar.*, *Irr.*, 8 *jun.* 1771, § 8.

Nam, quando fœtus non fuit animatus, nulla contrahitur irregularitas ex abortu, etiamsi ex proposito abortui causam dedisset : *S. Mar.*, *Irr.*, 7 *aug.* 1771, § 4.

Et dum ignotus alicui fuerit mulierum fuisse prægnantem, quam neque monitus ille in æstu iracundiæ animo percipere potuit, aut nullam contrahit irregularitatem, aut solam dubiam et facile dispensabilem : *Ibid*, § 5.

§ XIII.

Irregularitas orta causa excommunicationis et suspensionis.

Qui suspensus ascendit ad cæteros ordines, violator censuræ est, non secus ac si ministrasset in ordine, ideoque irregularitatem contrahit : *Conimb.*, *Disp.*, 13 *jun.* 1733, § 14.

Sed hæc sententia non est communis, cum alii censeant irregularitatem contrahi solum ab eo qui vel postea re ipsa ministerium præcedentis ordinis obeat, vel promoveatur ad ordinem superiorem obstrictus excommunicatione majori : *Ibid.*, § 16.

Qui existimat suspensum qui ascendat ad ordinem superiorem non proprie irregularitatem contrahere sed novam suspensionem, quam solus pontifex tollere possit : *Ibid.*

Clericus non evadit irregularis per exercitium ordinum, nisi temere et in spretum censurarum id fecerit : *Fabr. et Cam.*, *Ord.*, 19 *aug.* 1797, § 9.

Non irregularitatem evadunt, qui ecclesiastica censura irretiti Missæ sacrificium celebrarunt : *S. Sev.*, *Irr.*, 10 *jan.* 1784, § 9.

A Bonifacio VIII in cap. *Is cui, de Sent. excom.*, in 6, declaratur irregularis clericus qui ecclesiastica censura irretitus in suo officio ministrare præsumpserit ; *Arqor.*, *Disp.*, *mart.* 1784, § 5.

Ascensus ad majores ordines sub censura suspensionis non includit exercitium minorum ordinum necessarium pro contrahenda irregularitate : *Mind. seu Ovet.*, *Ord.*, 4 *jun.* 1763, § 4.

Qui a sacrorum ordinum exequutione ipso jure sunt suspensi, et si hujusmodi suspensione durante in ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrunt : *Salut.*, *Irr.*, 8 *junii* 1763, § 4.

Irregularitas incurritur a ministrantibus in suspensione, etiamsi sint clerici in minoribus, dummodo actu ordinis exerceant ex officio : *Ibid.*

Irregularitatem contrahit suspensus a divinis ministrans in ordine : *Apuan.*, 20 *febr.* 1796, § 6 ; et *Civit. Castel.*, *Punct.*, 16 *maii* 1795, § 12.

Irregularitas solum contrahitur, ubi præcesserat interminatio excommunitationis ipso jure subeundæ non per modum latæ sententiæ : *Pens.*, *Ord.*, 21 *jun.* 1732, § 12.

Irregularis est factus, qui prohibitionem de non conversando cum muliere sub pœna suspensionis a divinis est aspernatus, et nulla obtenta absolutione seu dispensatione a S. A., Missas celebravit : *Leod.*, *Disp.*, 3 *sept.* 1718.

§ XIV.

Irregularitas ob homicidium causa belli commissum.

Clerici ab bellum injustum progredientes irregulares fiunt, tam si aliquem occiderint, vel præsentia ad mortem, vel mutilationem alicujus causam dederint, licet mortis, vel mutilationis auctores non fuerint : *Visen., Disp. ab irr.*, 11 *sept.* 1784, § 4.

Clerici irregulares sunt, si socios milites ab bellum excitaverint, aut timorem adversariis incusserint, ut fugam arriperent, vel mors, aut mutilatio sequuta fuerit, quia se defendere non potuerint : *Ibid.*

Et ratio est quia operam rei illicitæ dederunt : *Ibid.*, § 6.

Si agatur de bello aggressivo, clerici non incurrere irregularitatem, si bellum gesserint moraliter et probabiliter justum ; dummodo propria manu neminem occiderint, neque consilium pro occisione dederint : *Ibid.*

Si censetur bellum esse injustum, quia cum omnes partem belli constituant, idcirco si mors, vel mutilatio licet aliorum opera sequatur, irregularitatem incurrunt : *Ibid.*

Sed bellum justum diversimode considerari debet quoad laicos et quoad clericos : *Ibid.*

Clerici cum arceantur a militari actione non possunt interesse bello etiam justo, nisi pro rebus spiritualibus, nempe prædicatione verbi Dei et sacramentorum administratione : *Ibid.*

Si tamen bellum sit justum et defensivum, doctores nonnulli sustinent quod clerici bello intervenientes, operam dantes, arma deferentes, atque aliis suadentes irregularitatem non incurrunt : *Ibid.*, § 7.

Et id procedit quamvis plurimorum hostium interitus sequatur, dummodo propriis manibus non occidant, vel mutilent, aut eam mandent : *Ibid.*

Lim. Hoc tamen licet clericis tantum, si non sufficiens numerus laicorum ad defensionem parandam : *Ibid.*

Et ratio est, quia ecclesiastici in subsidium tantum bello adstare possunt : *Ibid.*

Sed si clerici in bello offensivo, et justo propriis manibus occidant, vel mutilant, etiamsi in subsidium præliati fuerint, semper irregulares fiunt : *Ibid.*

Irregularitas incurrit a clericis, qui in bello justo contra infideles ex necessitate hostem occiderint : *Taur., Irr.*, 14 *mar.* 1772, § 8

IRREGULARITAS QUOAD DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, §§ VIII, IX, X et XI ; *Episcopus*, § XVI.

ITERATIO. Vide *Examen*, § II ; *Sacramentum Ordinis*, XI.

Janua.

Januam retinere in parietibus ecclesiæ vetitum est de jure : *Ugen.*, 12 *jan.* 1760, § 1.

Jejunium.

A lege generali jejunii excipiuntur minores annis uno et viginti, juxta receptam sententiam doctorum : *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin litt. S., part. 1, § 1.

JUBILATIONIS INDULTUM. Vide *Indultum Jubilationis.*

Jubilatus.

Si ecclesiæ servitium et cultus divinus detrimentum patiatur, Episcopus potest cogere jubilatos ad inserviendum : *Duq., Jub.*, 24 *sept.* 1718, § 10 ; *Urb.*, 19 *sept.* 1772, § 8.

Jubilati redire valent ad turnum anniversariorum, si celebrationis onus subire velint : *Horr.*, 5 *jun.* 1790, § 3.

Si immunes vero sunt ab onere, neque de emolumentis participare debent : *Ibid.*, § 4.

Jubilationis indultum in generica distributionum concessione quotidianas dumtaxat comprehendit : *Ibid.*

Non autem anniversaria et eventualia emolumenta, quæ solis intervenientibus præstantur : *Ibid.*

JUBILATUS CANONICUS. Vide *Canonicus*, § V.

Judæi.

Filii Judæorum, imo et Judæi ipsi dudum conversi ad fidem nequaquam repellantur a clericali militia : *Tuden., Ordin.*, 19 *sept.* 1761, § 4.

JUDEX CONSERVATOR PRIVILEGIORUM. Vide *Regulares*, § VI.

Judex.

§ I.

Judex delegatus.

Bonifacius VIII sancivit ut nullis nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis, causæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ vel legatorum ejusdem committentur : *Portalleg.*, 17 *nov.* 1725, § 2.

Sacrum autem Concilium Tridentinum statuit, in singulis synodis provincialibus aut diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant a constitutione Bonifacii VIII designatas, et ad id aptas, assignari, ut præter Ordinarios locorum iis etiam posthac causæ ecclesiasticæ spirituales, in partibus delegandæ committantur : *Ibid.*

Si aliquis ex iis interim mori contigerit, Ordinarius loci substituere potest cum consilio capituli alium in illius locum usque ad futuram provincialem, aut diœcesanam synodum ; ita ut quæque diœcesis habeat quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, quibus hujusmodi causæ a quolibet legato, et nuntio, atque etiam a Sede Apostolica committantur : *Ibid.*

Recusatio solemniter facta judicis delegati tanquam suspecti, et sæpius repetita protestatio, nullitatis vitio infecit quæcumque ab ipso gesta sunt *Imol.*, *Benef.*, 13 *april.* 1768, § 11.

Permissa est enim recusatio judicis, etiam delegati et exequutoris litterarum Apostolicarum, utpote delegati ad certam causam, quamvis nec adducatur, nec probetur suspicionis causa : *Ibid.*

Præsertim quando agitur de judicibus exequutoribus litterarum Apostolicarum in forma gratiosa, qui a cancellaria ad petitionem et nominationem ipsius provisi deputantur : *Ibid.*

Jurisdictio judicis delegati illico cessat ac ipse sententiam protulit : *Feren.*, *Serv. chor.*, 27 *nov.* 1779, § 6.

Secus si errore facti ductus illam pronuntiaverit, quia hoc casu valide potest suam revocare sententiam : *Ibid.*

§ II.

Judex ecclesiasticus.

Communiter statuunt juris canonici interpretes, quod, si pendente circa hæreditatem lite, incidat quæstio utrum qui hæreditatem petit sit filius defuncti sive legitima sortitus fuerit natalia, vel an matrimonium fuerit rite celebratum inter ipsius parentes, solus judex ecclesiasticus id cognoscere possit ; ad judicem vero laicum post expeditam præfatam legitimitatis controversiam pertineat definire cuinam hæreditas debeat adjudicari : *Elven.*, *Legit. prol. et Matrim.*, 14 *dec.* 1737, § 5.

Ad judicem ecclesiasticum pertinet non solum quæstio juris, nimirum an matrimonium fuerit legitimum validumque, sed etiam quæstio facti an scilicet matrimonium fuerit re ipsa contractum : *Vienn. seu Hung.*, *Matrim.*, 28 *mart.* 1732.

Non omnes tamen auctores in postremam hanc sententiam conveniunt : *Ibid.*

Filius esse potest judex in causa patris : *Bonon*, 1 *sept.* 1725, § 10.

Donec controversia super legitimitate filii petentis hæreditatem non fuerit a judice ecclesiastico expedita, supersedere debet judex laicus ab adjudicatione hæreditatis : *Vienn. sive Hung.*, 22 *mart.* 1732, § 7.

Judicis ordinarii auctoritas necessaria est in expendendis illis negotiis, quæ damnum irreparabile alicui inferunt, quæque etiam in sacra visitatione demandata, decretave sunt : *Null. S. Marci in Lamis*, *Par.*, 14 *dec.* 1743, § 4.

Hoc enim locum non habet Tridentina sanctio, qua cautum est appellationem non suspendere exequutionem eorum, quæ in visitatione statuta sunt : *Ibid.*

Judices admonentur, ut qualitatem personæ testificantis, omnesque circumstantias diligenter inquirant, atque perpendant : *Bulg.*, *Imp.*, 12 *maii* 1770, § 9.

Judices ecclesiastici pollent facultate indicendi non solum censuras, sed etiam multas ad compescendam inobedientium contumaciam, atque licentiam : *Colon.*, 14 *febr.* 1767, § 39.

Judices arbitri.

Quando contra judicem legitima suspicionis causa assignatur, arbitri sunt eligendi qui de causis suspicionis cognoscant, ita ut causa suspicionis coram judice sit alleganda, sed ejus cognitio ad arbitros est deferenda, qui de ea cognoscere debent intra terminum competentem : *Turr.*, 16 *dec.* 1724, § 4.

Si vicarius Episcopi allegetur suspectus, causa recusationis coram Episcopo probanda est ; nisi causa suspicionis ipsum etiam Episcopum respiciat, in quo rerum statu recurrendum erit ad arbitros : *Ibid.*

Si autem suspectus allegetur vicarius capitularis, nonnulli asserunt ad capitulum pertinere electionem arbitrorum, qui cognoscant de causis suspicionis : *Ibid.*

Et alii sustinent non posse capitulum hos arbitros deputare, seu debere per seipsum de causis suspicionis cognoscere : *Ibid.*

JUDICIALES CAUSÆ. Vide *Causæ*, § I.

JUDICIALES EXPENSÆ. Vide *Expensæ*, § II.

JUDICIALES ACTUS. Vide *Actus*, *Causæ*, § I.

JUDICIALIS ACTIO. Vide *Actio*.

Judicium.

Ordinarii judicium pluriml est faciendum : *Panor.*, 23 *martii* 1766, § 10.

Maxime omnia probantur judicio Episcopi, a quo non est recedendum : *Brict.*, *Trans. et Per.*, 24 *jan.* 1767, § 7.

Judicio Episcopi plurimi est deferendum : *Plac.*, *Celeb. Miss.*, 8 *junii* 1771, § 7 ; *Firm.*, *Emph.*, 15 *jan.* 1791, § 3.

Ad irritandum judicium Ordinarii requiritur manifestus et inexcusabilis excessus : *Cas.*, *Par.*, 21 *nov.* 1761, § 5.

Judicium Episcopi in controversiis processionum et consuetudinum attendi debet ; *Barch.*, *Proc.*, 13 *jul.* 1765, § 12.

Judicium Episcopi quoad servitium chori suæ ecclesiæ maximi momenti est : *Cord.*, 14 *dec.* 1765, § 10.

Quando ecclesiarum collatio ad Pontificem pertinet ; post indictum ab Episcopo concursum, et postquam is proposuit quem magis idoneum ad ecclesiam regendam censet, magni faciendum est Episcopi judicium ; *Aprut.*, *Par.*, 23 *junii* 1764, § 8.

Episcopi judicium ad electionem summi ponderis est, justissimam omni casu existimandam, nisi clarissime error, frausque, et dolus probatur : *Aquin.*, *Par.*, 19 *jan.* 1765, § 3.

Judicandum est ex ratione potius quam ab exemplis : *Camer.*, *Subs. dot.*, 16 *dec.* 1797, § 5.

Judicium ad imparia trahi nequit : *Rom. seu Sav.*, *Subs. dot.*, 27 *april.* 1788, § 9.

Cum in casu eædem concurrant qualitates et circumstantiæ, diversimode non est judicandum ; *Spal.*, *Jub.*, 18 *aug.* 1770, § 4.

Si judicium petitum pro restitutione in integrum prodierit, absolutum quodammodo, ac pene cæremoniale tantum reputatur judicium postea super nullitate professionis instaurandum ; *Uliss.*, *Rest. in int.*, 17 *dec.* 1740, § 6.

Ut rectum judicium proferri potest de professione religiosa, spectare debet personarum conditio, nec non rerum et temporum circumstantiæ ; *Valen.*, *Profess.*, 12 *jun.* 1773, § 3.

JUDICIUM EPISCOPI. Vide *Concursus*, § VII.

JURA. Vide *Administrator*, § IV ; *Beneficiati*, § V ; *Canonici*, § IV ; *Capellanus*, § VI ; *Confessarius*, § IV ; *Ecclesia in genere*, § VI ; *Ecclesia collegiata*, § II, *Hæres*, § III ; *Œconomus curatus*, § III ; *Patronus*, § IV ; *Portionarius*, § I ; *Præpositus*, § II ; *Rector*, § II ; *Regulares*, § VII ; *Sodalitium*, § V ; *Vicarius capitularis*, § II ; *Vicarius curatus*, § III.

Juramentum.

In qualibet dubietate locus est juramento, quoties nempe semiplenæ adsunt probationes, nec, inspecta rei de qua agitur qualitate, magis concludentes haberi possunt ; *Omol.*, *Matrim.*, 14 *maii* 1772, § 16.

Et plura adsunt exempla juramenti suppletorii, quod præsertim præstari solet a muliere, de cujus viri impotentia certo non constiterit : *Ibid.*

Atque admittitur in matrimonio spirituali, quoties perfectæ metus probationes non exhibentur, vel quia perierunt, vel quia metus fuerit occulte illatus : *Ibid.*

Juramentum suppletorium in causis gravioribus non admittitur : *Omol.*, *Matr.*, 14 *martii* 1772, § 27.

Præsertim in causis matrimonialibus : *Ibid.*

Nec quando pares sunt utriusque partis probationes, quæ invicem elisæ remanent : *Ibid.*

Juramentum suppletorium defertur etiam mulieribus post factam seriam et gravem admonitionem de juramenti importantia : *Rom.*, *Matrim.*, 2 *oct.* 1723, § ult.

Qui provisi sunt de ecclesiis parochialibus, præter fidei professionem, emittere quoque tenentur juramentum fidelitatis et obedientiæ erga proprium Episcopum, ante possessionem beneficii : *Tiras.*, *Visit. SS. LL.*, 20 *april.* 1782, § 8.

JURAMENTUM QUOAD ABSOLUTIONEM. Vide *absolutio*, § III.

Jura.

§ I.

Jura parochialia.

Jura parochialia acquiri possunt non solum a parochiali ecclesia, sed etiam a non parochiali adversus parochialem ex centenaria vel immemorabili præscriptione : *Fulg.*, *Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 11.

Præsertim quando agitur de uno tantum, vel altero parochiali jure acquirendo : *Ibid.*

Et multo magis ab ecclesia cathedrali et matrice

acquiri potest jus tumulandi ex immemorabili consuetudine ; *Ibid.*

Cum immemorabilis consuetudo præsumptionem inducat, vel stipulatæ in primæva parochiarum divisione reservationis, vel privilegii Apostolici, vel alterius cujusque optati tituli ; *Ibid.*

Atque ex his titulis resultat privativum jus tumulandi, aut alterius actus parochialis in favorem ecclesiæ etiam non parochialis : *Ibid.*

Eo magis, quia immemorabilis consuetudo magis operatur quam privilegium Apostolicum expressum : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Parochus*, § viii.

§ II.

Jura sanguinis.

Jura sanguinis nequeunt prodesse illi qui suam consumpsit portionem hæreditariam, nisi pro modo puræ hæreditatis : *Rom.*, 12 *jun.* 1762, § 10.

Jurisdictio. Vide, *Abbas*, § iii ; *Archidiaconus*, § ii ; *Capitulum ecclesiasticum*, § iv ; *Exemptio*, *Parochus*, § viii.

Jurisdictionales actus. Vide *Actus*, § iii.

Juris infamia. Vide *Infamia juris*.

Jus.

§ I.

Jus accrescendi.

In legato relicto in favorem quatuor alumnorum re et verbis procedit ejus accrescendi, it aut non existente in aliquo ex enumeratis castris juvene idoneo locus vacans illius castri debeat adolescentibus, qui alia incolunt accrescere : *Pen. seu Feretr.*, *Leg.*, 6 *maii* 1741, § 4.

Jus alimentorum. Vide *Alimenta*, § ii.

Jus conferendi beneficium. Vide *Episcopus*, § xii.

Jus eligendi. Vide *Electio*, § iv.

Jus ferendi censuras. Vide *Episcopus*, § xiii.

Jus ferendi suffragium. Vide *Beneficiati*, § xi ; *Capitulum ecclesiasticum*, § xv ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § iv.

§ II.

Jus hæreditarium et successionis.

In dispositionibus testamentariis, anima testatoris hærede relicta, jus successionis ad ecclesiam parochialem spectat : *Campost.*, 6 *junii* 1750, § 1.

Multo magis si testator ejusdem parochialis ecclesiæ rector fuerit, erga quam præsumptus illius affectus, et labor, voluntatis conjecturam præstant : *Ibid.*, § 2.

Unde æquum videtur id quod superest ex bonis hæreditariis tribui ecclesiæ parochiali pauperi, ut in fabricam erogetur : *Ibid.*

Ille qui jus conditionale et eventuale ad hæreditatem acquisivit, illud etiam ante conditionis eventum remittere, et transferre potuit ; *Anag.*, *Erect. capell.*, 14 *martii* 1772, § 6.

§ III.

Jus in re, sive ad rem.

Jus nominandi ad subsidia dotalia comparatum est ex titulo oneroso, quando provenit ex transactione, cujus natura præ se fert titulum correspectivum et onerosum : *Rom.*, *Subs. dot.*, 18 *nov.* 1769, § 6.

Haud dici debet jus nominandi sublatum ex diversa causa in transactione non comprehensa, quæque refragatur pacto transactionis adamusim servandæ : *Ibid.*, § 7.

Insuper minus recte in discrimen hodie revocatur, quidquid jam alias de eorumdem deputatorum consensu, ex placito fuerat admissum : *Ibid.*, § 9.

Jus præsentandi aliud est, et aliud est jus eligendi : *Spol.*, *Subs. dot. sup. mod. comp. suffr.*, 30 *junii* 1759, § 2.

Præsentatio fieri potest per voces, non vero nominatio : *Ibid.*

Quia nominatio, ut est electio, fieri debet a pluribus, corpore et collegio, quo casu singulorum suffragia sunt numeranda, non vero per voces : *Ibid.*

Et nulla ratione sustineri potest modus seu abusus in electione numerandi voces non vero singula suffragia : *Ibid.*

Jus præsentandi in emptorem universitatis bonorum venire non potest : *Savan.*, 24 *sept.* 1763, § 12.

§ IV.

Jus, Jura.

Cessante jure dantis, cessat etiam jus accipientis : *Macer.*, *Emph.*, 30 *aug.* 1788, § 5.

Optimo jure petitur id quod sacri canones, conciliaris dispositio, pontificiæ constitutiones, placita partium præscribunt : *Andr.*, 20 *dec.* 1766, § 6.

Qui jure suo utitur, non curandum quid alteri inde extrinsecus accidat : *Civ. Cast.*, *Tax. fun.*, 13 *jul.* 1765, § 7.

Juris dispositio nihil suffragare potest, quando prævalent constitutiones synodales : *Fav.*, *Præem. et Fun.*, 11 *april.* 1761, § 5.

Quod privato jure ad singulos pertinet, approbari oportet ab omnibus : *Traj., Præb.*, 30 *aug.*, 1752, § 7.

Jura juribus concordanda sunt, et quando aliquid est dubium de jure canonico, et est decisum de jure civili, jus civile non solum observatur in foro civili, sed etiam in foro canonico ; et quando aliquid est dubium de jure civili, et est decisum de jure canonico, jus canonicum observatur tam in foro canonico, quam in foro civili : *Bojan., Matrim.*, 8 *jun.* 1720, § 6.

Negligentibus ceteris de capitulo ob attinentiam vel amicitiam cum canonico cum quo agitur, unus canonicorum valet jura capituli promovere : *Feren.*, 7 *junii* 1760, § 3.

Jus a præscriptis pii relicti legibus pendet, eique assistit qui optatis pollet requisitis ; *Rom., Subs. dot.*, 28 *nov.* 1789, § 5.

Jus clarum hæredum ac patronorum, sive ex facto nominati, sive ex facto Curiæ imminui nequit : *Viter., Cop.*, 23 *nov.* 1765, § 14.

Reliqua. Vide *Consuetudo*, § viii.

Jus nominandi. Vide *Patronus*, § iii ; *Subsidium dotale*, § viii.

Jus præsentandi. Vide *Juspatronatus*, § vii ; *Patronus*, § iii.

§ V.

Jus quæsitum.

Nemini licet de jure tertii excipere, et aliena jura tueri : *Rip.*, 16 *jun.* 1787, § 6.

Lædere non solet summus Pontifex, nisi ex publica causa jus tertii : *Rom. seu Sav., Subs dot.*, 26 *april.* 1788, § 11.

Jus plene acquisitum abrogari alteri nequit : *S. Sever., Eleem.*, 26 *nov.* 1768, § 4.

Jus tertio quæsitum nullo jure est abrogandum : *Eystet. seu Bamber.*, 14 *martii* 1767, § 11.

Dubitari nequit de jure quæsito ex præsentatione, quæ nominatione patroni et vicarii capitularis sententia confirmari promeruit : *Aret., Disp.*, 20 *aug.* 1774, § 13.

Jus sepeliendi. Vide *Ecclesia in genere*, § iii.

Jus visitandi. Vide *Episcopus*, § xxvi.

Juspatronatus.

§ I.

Juspatronatus quando acquiratur ex dotatione, fundatione, ac constructione.

Ad acquirendum juspatronatus tria requisita concurrere necessario debeant ; nimirum erectio, dos, et ædificatio : *Tybr., Jusp.*, 14 *martii* 1778, § 3 ; *Verul., Jusp.*, 27 *junii* 1778, § 12 ; *Firm., Erect. cap.*, 4 *dec.* 1762, § 3 ; *Æsin., Cath.*, 23 *febr.* 1771, § 6 ; *Nepesin., Rest. eccl.*, 28 *aug.* 1773, § 17 ; *Civit. Cast., Cap.*, 16 *aug.* 1794, § 3 ; *Savon.*, 8 *febr.* 1744, § 4.

Et hoc factum esse debet ad tramites Concilii Tridentini : dict. *Æsina*, *ibid.*

Ex quibus autem probatur juspatronatus : *Ibid.*

Et horum trium requisitorum concursus copulativus requiritur, ita ut si alter eorum deficiat, actum est de jurispatronatus acquisitione : dicta *Tybur.*, *ibid.*

Et ad acquirendum juspatronatus satis non est simplex dotis augmentum, sed integra requiritur dotatio : *Parm., Jusp.*, 6 *aug.* 1791, § 7.

Sunt qui acquiri posse censent per incrementum medietatis dotis : *Ibid.*

Si tot nempe addantur reditus, quot habet ecclesia : *Ibid.*

Ad hanc acquisitionem accedere debet Summi Pontificis consensus in ipso limine fundationis : dict. *Savon.*, *ibid.*

Quandoquidem tamen quilibet ex his tribus modis disjunctim et separatim sufficit ad juspatronatus acquirendum : *Verul., Jusp.*, 27 *jan.* 1778, § 12.

Imo, ab hisce præcisive acquiri potest ex privilegio Pontificis : *Ibid.*

Item ex pluribus præsentationibus per tempus immemorabile sequutis : *Ibid.*

Per constructionem altaris ex largitione fidelium sequutam juspatronatus nemini acquiritur, sed ad illum spectat ad quem ecclesia pertinet : dicta *Tybur.*, § 4.

Cum non patroni in isto casu, sed benefactores dicantur qui ad illius erectionem contribuerunt : *Ibid.*, § 5.

Ad acquirendum juspatronatus capellæ in ecclesia regularium, non requiritur beneplacitum Apostolicum : dicta *Firm.*, § 3.

Secus autem pro acquirendo jurepatronatus eligendi superiorem regularem : *Ibid.*

Et patronus potest in capella patronali fundare capellanias sine consensu regularium : *Ibid.*, § 4.

Et quoad dotationem oportet ut dimidia saltem beneficii vel capellaniæ dos constituatur : *Civit. Cast., Cap.*, 16 *aug.* 1794, § 3.

Concessio enim jurispatronatus est gratiosa : *Ibid.*, § 4.

Juripatronatus ecclesiæ parochialis non potest subjici ecclesiæ, multoque minus filialis reddi nullo alio titulo accedente quam sola existentia intra limites ejusdem parœciæ, deficiente titulo fundi, vel dotis, vel constructionis ecclesiæ : *Brix., Erect. vic. per.*, 16 *febr.* 1743, § 6.

Spatium 40 annorum temporis dicitur immemorabile, quod sufficit ad acquirendum juspatronatus : *Ver., Jusp.*, 27 *junii* 1778, § 12.

Intelligo si res sit de personis de usurpatione minime suspectis : *Ibid.*

Si quis ecclesiam cum assensu diœcesani Episcopi construxit, ex eo juspatronatum acquirit : *Baln.*, 29 *nov.* 1783, § 10.

Et quæ de ecclesiarum patronatu statuta sunt, locum etiam habet quoad patronatum capellarum : *Ibid.*

Juspatronatus non acquiritur ex incremento exiguorum bonorum ecclesiæ jam antea dotatæ facto : *Ver., Jusp.*, 27 *junii* 1778, § 7.

Nisi excedat dotis medietatem : *Ibid.*

Ad acquisitionem juspatronatus ex incremento, requiritur beneplacitum Apostolicum : *Ibid.*

Perditur juspatronatus per alienationem bonorum : *Ibid.*, § 8.

Itidem, si antiqua ecclesia a largitionibus populi reædificata fuerit : *Ibid.*

Titulum vitiosum exhibens, præsumptum allegare prohibetur : *Ibid.*

Examen tituli super existentia jurispatronatus ex rescripto principis assumendum, vetat ne de ultimo statu deque possessorio quæstio aggrediatur : *Ibid.*, § 9.

Ecclesia constructa ex eleemosynis et devotione populi est libera non vero de jurepatronatus universitatis, nec universitas acquirere valet juspatronatus ex modica donatione ecclesiæ superaddita : *Cons., Cap.*, 19 *nov.* 1729, § 6.

Eo quod universitas possessionem habet præsentandi capellanum habentem onus celebrationis Missarum, non infertur illius patronatus ecclesiæ, quum aliud sit juspatronatus ecclesiæ, et aliud juspatronatus capellaniæ in ecclesia : *Ibid.*, § 6.

Et quatenus infertur juspatronatus ecclesiæ, si id non constet de legitimo titulo veluti usurpative quæsitum præsumitur ; et hæc juris dispositio procedit etiam in parvis communitatibus : *Ibid.*

Juspatronatus ecclesiæ acquiritur ejus fundatori : *Feret.*, 9 *jul.* 1796, § 4.

Ejus censetur ecclesia cujus erat beneficium unitum ; existente præsertim in eadem ecclesia illius inscriptione : *Ibid.*

Juspatronatus passivum habens per oppositionem acquirit jus ad beneficium : *Fav., Ben.*, 3 *jul.* 1762, § 4.

Dotatio unus est ex canonicis titulis quibus patronatus acquiritur, etiam absque expressa reservatione : *Firm.*, 20 *apr.* 1771, § 7.

Æquum non est ut concedatur jus nominandi ad beneficia absque fundatione, vel dotatione : *Spol., Erect. mans.*, 23 *apr.* 1796, § 14.

Pecuniarum adsignatio, vel attributio facta pro ecclesiæ constructione non propriis civitatis bonis, et reditibus, sed a collegiis, atque corporibus artium nullum patronatus jus acquirunt vel ipsa civitas, vel collegia, vel artium corpora, vel alius quilibet de populo, sed omnes uno benefactorum nomine complectuntur : *Savon.*, 8 *febr.* 1744, § 6.

Nullum sibi patronatus jus vindicare potest civitas in nova ecclesia, ex quo antiqua in ipso civitatis fundo atque ab ipsa ædificata fuerit, nisi una demonstrat congruam dotem veteri ecclesiæ assignasse, quæ postea in novum sit translata : *Ibid.*, § 7.

Cum plures in ecclesiæ constructionem pecunias contulerint, nullum juspatronatus quæsitum est, et ecclesia libera remanet : *Ibid.*, § 8.

Ut ecclesia serva ac juripatronatus subjecta sit, satis non est sola constructio, si reliqui fundationis nempe et dotis tituli desint, nisi qui eam construxerit expresse sibi id reservaverit, atque id a summo Pontifice comprobatur, quo casu dicitur juspatronatus ex privilegio quæsitum : *Ibid.*, § 9.

Partialis jurispatronatus reservatio excludit patronatum totius ecclesiæ : *Ibid.*, § ult.

§ II.

Juspatronatus quoad activam, et passivam vocationem.

Juspatronatus passivum relictum proximioribus familiæ comprehendit cognatos, sed cognatos unius tantum lateris paterni ; præsertim accedente observantia ipsius fundatoris : *Mont. Alt., Can.*, 24 *jul.* 1762, §§ 4 et 5.

Contra expressam tamen legem fundationis nullius ponderis est observantia : *Ibid.*, § 6.

Et cognatorum appellatione veniunt tam ex latere paterno, quam materno : *Ibid.*, § 8.

Et gravioris ponderis est nominatio cognationis maternæ facta in una vacatione, cum in materia jurispatronatus recedendum non sit ab ultimo statu : *Ibid.*, § 10.

Et debent esse graviores circumstantiæ ad excludendam cognationem maternam : *Ibid.*

Juspatronatus relictum personis familiæ certi cognominis etiam porrigitur ad cognatos : *Ancon., Cap.*, 12 *jun.* 1762, § 4.

Et multum interest utrum vocentur personæ existentes de familia, seu in familia : *Ibid.*, § 5.

Eoque magis præsumuntur vocati cognati, quando alias postponerentur extraneis : *Ibid.*

Et indefinita vocatio patronorum de domo certi cognominis includit solum agnatos : *Ibid.*, § 7.

Juspatronatus passivum relictum uni de domo comprehendit etiam cognatos ex ea domo descendentes : *Urbin., Can.*, 26 *mart.* 1763, § 5.

Præsertim quando domus contemplata fundatori conjuncta est per cognationem : *Ibid.*, § 6.

Et quando domui objecta est collectiva vocatio parentelæ : *Ibid.*, § 7.

Si tamen vocata est domus certi cognominis, veniunt solum agnati : *Ibid.*, § 8.

Et in jurepatronatus agnatitio non veniunt cognati, nec etiam per posterius : *Ibid.*

Menti testatoris, qui nihil sollicitus fuit de medio aut masculino, aut feminino, sed satis habuit, quod qui potituri essent jurepatronatus essent masculi, et a suis nepotibus genus ducerent, videtur satisfactum fuisse, si cognati ad juspatronatus admittuntur : *Firm., Cap.*, 1 *sept.* 1731, § 8.

Juspatronatus activum et passivum contra formam fundationis et erectionis extendi non debet ad alias personas : *Eug., Erect. can.*, 26 *febr.* 1763, § 7.

Juspatronatus passivum, sive passiva vocatio, si desit, nihil prodest sanguinis prærogativa : *Urb., Can.*, 26 *mart.* 1763, § 10.

Quum parochiæ incolarum nomine omnes veniant parochiæ habitatores, omnes idcirco ad exercitium jurispatronatus admitti debent : *Firm.*, 19 *jun.* 1790, § 10.

Inter certantes de passiva vocatione judicandum est ad formam ultimi status : *Mont. Alt., Can.*, 4 *dec.* 1762, § 7.

§ III.

Juspatronatus quoad commutationem qualitatis.

Non solum fundatoribus, sed etiam patronis ipsis licet jus activum nominandi ad beneficia de hæreditario in gentilitium commutare : *Cerun.*, 14 *dec.* 1771, § 4.

Idque ea ratione, quia gentilitium ad solos transit de familia, hæreditarium vero ad hæredes quoscumque transfertur, unde magis ecclesiæ favet patronatum de hæreditario gentilitium facere, ut hoc modo patronatus coarcletur : *Ibid.*

Neque hujusmodi variatio ullam præ se fert fundationis immutationem : *Ibid.*

§ IV.

Juspatronatus quoad concessionem.

Concedere solet Summus Pontifex laicis juspatronatus ecclesiæ pauperis : *Par., Jusp.*, 6 *aug.* 1791, § 8.

§ V.

Juspatronatus quoad devolutionem.

Patronis non nominantibus, jus nominandi devolvitur ad Episcopum : *Mac., Jur.*, 18 *jul.* 1795, § 6.

Quadrimestre lapso patronis laicis ad præsentandum concesso, et non nominato idoneo, jus ad superiorem devolvitur : *Vel., Cap.*, 26 *jan.* 1782, § 9.

§ VI.

Juspatronatus quoad fundationem et reservationem.

Reservatio jurispatronatus nedum fieri potest a fundatore beneficii, sed ab ejus hærede etiam, licet nihil de suo in dotem conferat : *Fan., Erec. cap.*, 9 *aug.* 1788, § 8.

Juspatronatus reservari potest non solum a fundatore ipso beneficii, sed etiam ab hærede, qui exequendo voluntatem testatoris fundationem perficiat, quamvis hic nihil de suo conferat in dotem : *Perus., seu Civ. Pleb., Cap.*, 13 *jun.* 1733, § 11.

Inconveniens non est, ut patronatus reservetur etiam in favorem hæredum, qui exequendo testatoris voluntatem fundationem perficiant, quamvis de proprio nihil conferant : *Senog., Com. vol.*, 30 *maii* 1772, § 8.

Sed æquitati consonum est, ut amissio lucri patronatus reservatione compensetur, intuitu etiam curæ et laboris, quem pro exequenda dispositione testatoris sustinuerunt : *Ibid.*

Reservatio jurispatronatus super parochia adversatur dispositioni juris : *Recin., Erec. par.*, 26 *sept.* 1795, § 4.

Permittitur vero, ubi dimidia saltem ei constituatur dos : *Ibid.*

§ VII.

Juspatronatus quasi possessio, seu jus præsentandi quando amittatur.

Concilium Tridentinum sustulit patronatum ex simplici privilegio acquisitum : *Aquen.*, 8 *jul.* 1719.

Patronatus acquiritur per oblatum dotis augmentum, et amittitur per dotem penitus deperditam : *Ibid.*

Pœna privationis jurispatronatus indicta est a Concilio Tridentino, sess. 22, cap. 11, ob usurpationem factam pecuniæ capellæ : *Cam.*, 16 *maii* 1767, § 16, 20.

Patronus recusans intra terminum ab Ordinario præfinitum reædificationis ecclesiæ, seu capellæ amittit juspatronatus, et alter qui ædificavit acquirit : *Alatr., Reædif. cap.*, 8 *jul.* 1775, § 6.

Amplia ; etiamsi patronus dedisset beneficiato dotem conspicuam : *Ibid.*

Patronus nominando forensem inhabilem, et ex lege fundationis non qualificatum, cecidit pro hac vice a jure suo, et a commodo juris nominandi : *Velit., Cap.*, 26 *jan.* 1782, § 8.

Nec excusatur ab ignorantia legis fundationis, quia illam scire tenebatur : *Ibid.*

Legatum jurispatronatus corruit in favorem auctorum, quando scriptum fuit ab eorum patre : *Mont. Fal., Er. cap.*, 23 *aug.* 1760, § 9.

Tum ignorantia proprii juris, tum etiam negligentia quoad præsentandi in futuris vacationibus : *Casal., Conc.*, 22 *jan.* 1774, § 7.

Præsertim quando agitur de patronatu familiari, qui defertur jure sanguinis, et in quo omnes proprio jure succedunt, cum in isto casu antecessorum negligentia nullum successoribus inferat præjudicium : *Ibid*

Vocatis a testatore taxative et limitative ad juspatronatus fœminis primogenitis, earumque descendentibus, hisce deficientibus, omne jurispatronatus vinculum censetur penitus dissolutum ac peremptum, et beneficia ad liberam ecclesiæ collationem redacta : *Padebor., Appl.*, 11 *nov.* 1772, § 5.

Patronus ob collectionem beneficii labe simoniaca fœdatus ex ingerentia in administratione bonorum ecclesiæ indicit in pœnam amissionis jurispatronatus : *Fan., Exeq. decr. S. visit.*, 22 *nov.* 1760, § 3.

Patronus vendentem juspatronatum, sive pro pretio et re temporali aliquem ad beneficium præsentantem, juspatronatus amittit, et ecclesia efficitur libera : *Salut., Benef.*, 3 *sept.* 1740, § 4.

Qui homicidium committit in persona alicujus Ecclesiæ cadit ab omni jurepatronatus, si quod in illa habet, et ecclesia evadit libera : *Null. seu For., Ben.*, 14 *maii* 1729, § 3.

Occidens prælatum nedum amittit illa feuda, officia, vel beneficia, quæ tempore homicidii habebat in ecclesia, cui præerat prælatus, sed etiam est indignus acquirendi alia de novo in eadem ecclesia : *Ibid.*, § 7.

Canonistæ examinant quæstionem istam an pœnæ in cap. *In quibusdam*, § *Sacri*, *de Pœnis*, intelligantur inflictæ ipso jure, vel potius requiratur sententia declaratoria, in qua nonnulli antiquiores tenent requiri sententiam judicis, eo quia in textu non dicitur ipso jure, vel ipso facto amittat, sed simpliciter amittat, quod verbum non fert sententiam ipso jure latam, sed judicis sententiam ferendam : *Ibid.*, § 8.

Contrarium tamen tenentur cæteri alii canonistæ, quia in dicto textu non dicitur simpliciter *amittat*, sed *prorsus amittat*, quæ dictio *prorsus* importat ipso jure, vel ipso facto sine alia judicis sententia : *Ibid.*, § ult.

§ VIII.

Juspatronatus quomodo probetur in genere.

Ex jure feudis patronatus non infertur, cum concludenter ostendi deberet, patronatum esse annexum feudo : *Nep., Rest. Eccl.*, 31 *aug.* 1771, § 14.

Et minus desumitur ex jure præsentandi ad beneficia, cum utrumque distinctum sit, propt innumeris exemplis, præsertim ecclesiarum Urbis, probatur : *Ibid.*

Neque ex stemmatibus, quæ signa sunt fallacia, quæ referri possunt ad meliorationem, ad restaurationem, et ad piam largitionem : *Ibid.*, § 15.

Juspatronatus in ecclesiis regularium est rigorose probandum : *Fir., Erect. cap.*, 22 *jan.* 1763, § 16.

Nec probatur enunciativis et argumentis æquivocis : *Ibid.*

Retentio clavis sacræ reliquiæ non probat juspatronatus, quia res spirituales possideri a laicis nequeunt : *Ibid.*

Neque gentilitium familiæ sepulcrum est argumentum sufficiens jurispatronatus capellæ : *Ibid.*

Acquisitum autem ex constructione altaris fit commune cum ecclesia, quæ præstitit solum : *Ibid.* § 2.

Juspatronatus in personis privatis, et non suspectis de usurpatione, non requirit exactam et plenam probationem : *Ver., Jurisp.*, 27 *jun.* 1778, § 13.

Sufficiunt præsentationes, quæ per quadraginta annos effectum sortitæ fuerint : *Ibid.*

Item enunciativæ per centum annos : vel quæ hominum memoriam excesserint : *Ibid.*

Ex litteris institutionum Ordinarii, in quibus expressum fuerit præsentationem spectare ad patronum : *Ibid.*

Ex antiquis sacris visitationibus per Antistites expletis : *Ibid.*

Ex consensibus vel patrono reservatis, vel ab eo præstitis : *Ibid.*

Demum ex publica voce et fama : *Ibid.*

Juspatronatus probatur ex visitationibus et testibus : *Pient., Cess.*, 22 *nov.* 1794, § 3.

Patronatus etsi expresse non fuerit reservatus,

nihilominus ex dotatione inducitur : *Firm.*, 20 *apr.* 1771, § 4.

Plurimi ultimus status, et quasi possessio nominandi in materia jurispatronatus æstimari solet : *Terr. seu Priv.*, *Cap.*, 18 *jul.* 1789, § 4.

Ubi activum juspatronatus competit per vices, qui novissime nominavit, hunc allegare nequit possessionis actum, ut successiva nominatio alternatim facienda excludatur : *Ibid.*

Juspatronatus sustineri non debet per commutationem voluntatis defuncti, factam per arbitrium ab exequutoribus testamentariis : *Feretr.*, 28 *aug.* 1779, § 9.

Sed omnia pristino restituenda patrono : *Ibid.*

Quasi possessio præsentandi non attenditur, ubi de proprietate constat jurispatronatus : *Terr. et Set.*, *Cap.*, 19 *sept.* 1789, § 6.

In jurepatronatus gentilitio sententia non afficit successores jure proprio venientes ; nisi edita sit cum legitimo contradictore in causa status : *Ibid.*

§ IX.

Juspatronatus quomodo probetur, et quibus spectare dicatur.

Est juspatronatus quid spirituale : *Pont. Cur.*, *Jur. par. et Admin.*, 23 *nov.* 1793, § 3.

Hominibus oppidi per dotationem quæsitum, spectat ad singulos, uti singulos : *Ibid.*

Transit cum universitate bonorum : *Ibid.*, § 2.

Æqualiter pluribus acquiritur dotantibus, licet quis minus conferat : *Senogal.*, *Canon.*, 11 *maii* 1793, § 8.

Quum juspatronatus competat parochianis alicujus ecclesiæ, non competit collegialiter uti universis, sed uti singulis : *Firm.*, *Jurisp.*, 19 *jun.* 1790, § 6.

Maxime si ecclesia extructa ac dotata fuit per virilem illorum contributionem : *Ibid.*

Quo casu singulis acquisitum censetur juspatronatus : *Ibid.*

Præsertim quando in electione facienda acquisita fuerint suffragia in domibus singulorum : *Ibid.*

Dividi potest jus nominandi ad ulteriores vitandas lites : *Ibid.*, § 7.

Quod libere et absque superioris auctoritate fieri potest : *Ibid.*

Quum juspatronatus competat uti singulis, jam satis non est ad transigendum parochiæ incolarum pars : *Ibid.*, §.

Et aliorum dissensus nullum reddit actum : *Ibid.*

Si tanquam universis, nec valide extra comitia transigi potest : *Ibid.*

Juspatronatus habere collegialem qualitatem colligitur ex necessitate rei : *Ibid.*

Nam nunquam a singulis parochiæ incolis, uno vel altero dissentiente exerceri potest : *Ibid.*

Si deficit documentum comprobans fundationem, vel constructionem, vel dotationem ecclesiæ, ex quibus pertinentia jurispatronatus rite valeat desumi, recurritur ad observantiam centenarium tempus excedentem, necnon ad actus, ad conjecturas, et circumstantias primum et originarium titulum jurispatronatus supplentes, et indicantes : *Nep.*, *Jurisp.*, 30 *aug.* 1777, § 4.

Insculpta stemmata non perhibent certum argumentum jurispatronatus, cum illa etiam apponi soleant a piis benefactoribus ut in Ecclesia maneat eorum liberalitatis et religionis æternum monumentum : *Ibid.*, § 4.

Ab expensis in opus sarcitionis ecclesiæ, illiusque ornamentorum comparationem seu renovationem erogatis recte colligitur, ecclesiam ad erogantes pertinere, vel jurepatronatus, vel jure dominii : *Ibid.*, § 5.

Juspatronatus ecclesiæ feudo adnexæ, quod in emptione litteraliter acquisivit, ad eum dumtaxat pertinere debet : *Ibid.*, § 6.

Limitatur : aliud est ecclesia, aliud est beneficium in ecclesia, ita ut argumentum a jurepatronatus beneficii ad juspatronatus ecclesiæ locum non habeat, tantumque sit inter utrumque discrimen quantum est inter continens et contentum : *Ibid.*, § 7.

Et arma alicujus familiæ quæ intus ecclesiam sunt, vel præ se ferunt signa collatæ liberalitatis, et beneficii, vel indicant juspatronatus reservatum, quoad capitulum, non autem quoad ecclesiam : *Ibid.*

Cessio jurispatronatus ecclesiæ probatur mirifice existentia cessi jurispatronatus penus cedentem, quoniam quisque cedit, vel in alium transfert, quod habet, quodque possidet : *Ibid.*, § 8.

Hinc explicita confessio pertinentiæ jurispatronatus ecclesiæ superat quemlibet probationis gradum, dum rite emissa fuit : *Ibid.*, § 9.

Juspatronatus nedum ex instrumento fundationis, aut alio actu, qui illo æquipolleat, evincitur, sed ex longæva etiam possessione : *Alatr.*, 9 *apr.* 1785, § 7.

Si personæ excipiantur, in quas usurpationis præsumptio cadere potest ex sanctione Tridentini sess. 25, cap. 9, *de Refor.* : *Ibid.*

Quod si agatur de ecclesia non libera, sed patronatui alterius subjecta tunc liberior est indulgendus præscriptioni cursus, breviorque exigitur temporis lapsus ob eam non difficilem rationem, quod res tunc non est contra ecclesiam, cujus nihil in-

terest unum vel alterum habere patronum, sed contra laicum nullo speciali privilegio donatum : *Ibid.*

Sequela autem jurispatronatus retentio scamni esse videtur, et ejus quasi naturam obtinet, et ejusdem fere juris et prærogativæ censetur : *Ibid.*, § 8.

Quæri non potest juspatronatus ex alienis largitionibus, quod nec ipsis largitoribus jura permittunt : *Forol.*, 28 *jul.* 1787, § 7.

Enunciatæ constructionis capellæ, et licentiæ datæ pro construenda nova urna SS. Reliquiarum probare nequeunt juspatronatus ex fundatione, a qua proficiscuntur : *Ibid.*, § 8.

Insuper publici stemmatis existentia in sacello ad simplicem potius referri debet honorem, quam ad ejus patronatum, de quo aliunde neque ex fundatione, neque ex dotatione constat : *Ibid.*

Parocho matricis ecclesiæ in tantum competit jus præsentandi ad parochiam noviter institutam ad terminos textus in cap. *Ad audientiam, de Eccl. ædif.*, in quantum ecclesia antiqua de suo contulit pro ædificatione aut fundatione ecclesiæ : *Imol.*, *Dism.*, 8 *jun.* 1720, § 4 ; *in ead.*, 21 *jun.* 1721, § 4.

Secus autem res se habet quando eadem Ecclesia aliorum sumptibus fuit ædificata, et fundata : *Ibid.*

Juspatronatus datum certis personis nominatis, non capitulo, ad illas spectare debet : *Cam. seu Fabr., Jur. int. cap* , 6 *maii* 1752, § 4.

Et licet fundator dederit designatis personis modum faciendæ nominationis *capitulariter*, id factum dicitur, non quia omnes de capitulo jus habere debeant, sed ut illi qui jure singulari nominare debent in unum coeant, et commodius fiat nominatio : *Ibid.*, § 5.

Jus ad capellanias de jurepatronatus alicujus familiæ nemini adscribi debet, nisi probet suam descendentiam a familia testatoris per gradus distinctos : *Casal.*, *Conc.*, 22 *jan.* 1774, § 4.

Si hujusmodi descendentia sit ex fœminis tantum cognatis, nullum jus tribuit, quoties testator ita loquutus est ut non alios comprehendisse videatur quam masculos ex masculis, aut saltem masculos ex fœminis agnatis : *Ibid.*, § 5.

Juspatronatus inutiliter non est relictum alicui capellæ quæ nequit sibi servire, et adjudicandum est, vel rectori ecclesiæ in qua sita est capella, vel societati ad quam ecclesia pertinet : *Mon. Fal.*, *Er. cap.*, 23 *aug.* 1760, § 8.

Qui nudi sunt in fundatione capellaniæ ministri, et exequutores testamentarii nequeunt sibi jurapatronatus asserere : *Nicien.*, *Cap.*, 15 *april.* 1758, § 3.

§ X.

Juspatronatus quoad qualitatem et statum.

Juspatronatus sive ex sui indole familiare, sive hæreditarium sit, semper in unica et ultima superstite vocata cum suis descendentibus evasit hæreditarium : *Padeb.*, *Appl.*, 21 *nov.* 1772, § 13.

Et hæc limitatio procedit, quando vel expresse, vel tacite fundator taxative coercuit juspatronatus ad personas, et gentem nominatas : *Ibid.*, § 14.

In hoc casu, personis extinctis, perimitur etiam juspatronatus, et ecclesia omnimodam beneficiorum libertatem adipiscitur : *Ibid.*

Quum agatur de patronatu hæreditario, juris est non incerti posse patronum de eo disponere : *Uxen.*, *Union.*, 28 *sept.* 1754, § 2.

Quum fundator illum reservaverit hæredibus et successoribus vocatis, et deficientibus aliis verbis designantibus mixtam ejus qualitatem (ut esset, si expressa fuisset ratio servandæ agnitionis, aut nomen familiæ, et domus, et alia his similia), patronatus censetur hæreditarius : *Ibid.*, § 3.

Imo est hæreditarius, si ille omnino extraneis fuit reservatus, et nullam propriæ familiæ rationem habuerit : *Ibid.*

Juspatronatus laicale an sit vel ecclesiasticum a discretiva desumitur loquutione inter unum vel alterum beneficium : *Macer.*, *Jurisp.*, 18 *jul.* 1789, § 5.

Juspatronatus laicis præsertim servari solet, ne a fundatoribus beneficiorum retrahatur : *S. Sever.*, *Visit. SS. LL.*, 28 *nov.* 1789, § 6.

Inducitur ex abrogatione consuetudinis, quod privatum quarumdam familiarum jus ferendi suffragium in electionibus parochorum de patronatu populi cedat publice animarum bono : *Ibid.*, § 7.

Diversus est patronatus ecclesiæ a patronatu beficiorum quæ in illa erecta sunt : *Nepes.*, *Restaur. eccl.*, 26 *aug.* 1773, § 13.

Juspatronatus passivum beneficii potest redigi ad familiare, coarctari scilicet ad clericos de familia, licet hæc lex non in limine fundationis, sed ex intervallo adjici quæratur : *Satrian. seu Camp.*, *Jurisp* , 23 *nov.* 1748, § 2.

Explorati juris est, censendum esse originariam qualitatem laicalem conservasse patronatum, et retinuisse ad effectum respuendi reservationes ex regulis cancellariæ : *Clus.*, *Er.*, 20 *jul.* 1754, § 3.

Juspatronatus relictum agnatis et cognatis est hæreditarium : *Mon. Alt.*, *Cap.*, 22 *aug.* 1795, § 7.

Compatronus transferre nequit suum jus in extraneum : *Ibid.*, § 8.

Patronatus eodem jure et modo censetur ac fideicommissa : *Eugubina, Can.*, 7 *julii* 1770, § 12.

Patronatus inter bona hæreditaria censetur : *Ibid.*, § 13.

Per genericam descendentium vocationem inducitur juspatronatus gentilitium, et in eo agnati et cognati continentur : *Fir., Cap.*, 29 *jan.* 1791, § 7.

Quando quidem qualitas jurispatronatus ab observantia declaratur : *Ibid.*, § 8.

§ XI.

Juspatronatus quoad renuntiationem.

Nulla est renuntiatio jurispatronatus voluntaria exhibita ab antecedenti abbatissa, inconsultis monialibus capitulariter : *Baln.*, 7 *jun.* 1777, § 5.

Fortius, quia ab iisdem monialibus, re integra, fuit dicta renuntiatio uti nulla ac invalida revocata : *Ibid.*

Nam renuntiatio insignis patronatus, ut loco pio exitiosa, merito a sacris canonibus improbatur : *Ibid.*

§ XII.

Juspatronatus quomodo transeat cum venditione seu translatione bonorum, seu alius transferatur.

Juspatronatus veluti spirituale deduci nequit in commercium : *Recineten., Par.*, 12 *julii* 1794, § 5.

Ei competit qui qualitatem habet fundatoris, et nominatus ab ipso institui debet ad beneficium : *Ibid.*

Juspatronatus exercere valet egrediens e religione : *Ibid.*

Juspatronatus delatum post ingressum in religionem, comprehensum non est in præcedenti renuntiatione religiosi ; quamvis renuntiatio retractari nequeat post dimissum religiosum habitum : *Ibid.*, § 6.

Votum pupertatis acquisitionem impedit jurium, inter quæ juspatronatus : *Ibid.*

Manet enim post egressum etiam a religione : *Ibid.*

Non impedit tamen juspatronatus exercitium, ut non impedit bonorum usufructum : *Ibid.*, § 5.

Juspatronatus, reservatum natu majori, reservatum censetur primogenito : *Ibid.*, § 6.

Eique competit ad exclusionem senioris patrui : *Ibid.*

Exploratum non est, quod libere vendi queat laicalis beneficii patronatus : *Macer., Jurisp.*, 18 *jul.* 1789, § 5.

Sed in Concilio Trident., sess. 25, cap. 9, *de Reform.*, expressum est excommunicationis anathema contra vendentes juspatronatus : *Ibid.*, § 6.

Et excusare potest emptorem bona fides, ac reservatio beneplaciti Apostolici : *Ibid.*

Qui juspatronatus vendit vel contra canonicas sanctiones transferre præsumit, excommunicationis et interdicti pœnis subjicitur : *Macer., Jurisp.*, 18 *julii* 1795, § 6.

Attamen unus ex modis transferendi patronatum est venditio : *Macer., Jurisp.*, 18 *jul.* 1789, § 4.

Dummodo tamen fiat *accessorie*, seu, ut aiunt, cum universitate bonorum, vel re particulari cui inseparabiliter adnexus sit patronatus, neque ejus ratione pretium augeatur : *Ibid.*

Directa patronatus venditio interdicitur : *Ibid.*

Compertissimum est tunc legitimam validamque cessionem esse, sive jurispatronatus, sive juris præsentandi, etiam pro unica vice, cum actui solemnia accedunt, nempe Ordinarii approbatio, sive consensus : *Raven.*, 7 *maii* 1785, § 8.

Et præmitto, Episcopi approbationem non requiri ad donationis seu cessionis substantiam, sed pro effectu transferendi patronatus jus in donatarium et cessionarium ; ita ut ea sine approbatione in-donantis præjudicium donatio valere possit : *Ibid.*, § 9.

Aut cessio est simplex sine juramento, aut juramento pactoque de illam non revocando firmata : *Ibid.*, § 10.

In primo casu, revocari statim potest, re integra, antequam Ordinarius eam laudet ; secus in casu posteriori, in quo Ordinarii consensus ex intervallo potest accedere : *Ibid.*

Et donatarius bene præsentat sub spe futuri consensus, qui etiam, pendente inter præsentatos lite, supervenire poterit : *Ibid.*

Conventiones et alia quæcumque pacta super jurepatronatus prohibentur, quum illud nec venditionem, nec emptionem, neque pignorationem recipiat : *Pampil., Confr. concord.*, 15 *maii* 1723, § 6

Jus præsentandi annexum universitati bonorum transit una cum universitate in emptorem ; sed non potest tamen juspatronatus principaliter vendi, nec pretium universitatis bonorum augeri propter illud : *Ibid.*, § 7.

Juripatronatus neutiquam derogari potest dissentiente patrono, et mutationes alias factæ non

sustinentur, etsi res sit de patronatu laicali : *Sabin.*, *Union.*, 28 *aug.* 1745, § 3.

JUSTITIA. Vide *Contractus*, § IV ; *Transactio*, § VI.

LÆSIO. Vide *Contractus*, § IV.

Laici.

Laici, in respicientibus matrimonium, nequeunt exercere potestatem legislativam, privative reservatam judicio Ecclesiæ : *Macer.*, 29 *aug.* 1761, § 1.

LAICORUM COMMUNITAS. Vide *Communitas laicorum*.

Lascivia.

In canonicum per triennium negligentem, et de cujus notoria lascivia constat, ad privationem canonicatus, omissis pœnarum gradibus, procedi potest : *Spir.*, *Can.*, 17 *aug.* 1764, § 6.

LAUDEMIUM. Vide *Emphyteusis*, § VIII.

Laureola.

Decreta generalia Urbani VIII pont. max. prohibent laureolas circa caput non beatorum nec sanctorum : *Alb.*, *Conc.*, 28 *aug.* 1723, § 9.

LEGALIS COGNATIO. Vide *Matrimonium*, § XXXIV.

LEGALIS DOMUS. Vide *Domus legalis*.

Legatarius.

Augmentum et accessiones legati ad legatarium spectant : *Castel.*, *Dot.*, 8 *maii* 1751.

Legatum pium.

§ I.

Legatum pium, seu Opera pia, in genere.

Ad opus pium et necessarium perficiendum omnia posthabenda : *Auximana*, 18 *maii* 1765, § 9.

Duæ sunt causæ ob quas Missarum legata ut plurimum fideles relinquunt, nempe propriæ animæ suffragium, aut peculiaris erga sanctum pietas, vel erga ecclesiam aliquam affectio : *Aux.*, *Trans. Mis.*, 15 *febr.* 1772, § 9.

Dum agatur de legatis annuis et perpetuis, horum onera censentur realia indicta bonis eorumque fructibus : *Null. Lepriani, Leg.*, 7 *april.* 1781, § 8.

Ita ut legatario actio competat hypothecaria contra hæredes, et etiam tertios possessores : *Ibid.*

Simplex legatum Missarum, demandatum ad onerum dumtaxat implementum, ad susceptionem sacrorum ordinum non compellit : *Null. Lepriani*, *Cap.*, 12 *junii* 1773, § 6.

Legata et debita non sunt solvenda ultra vires hæreditatis : *Rav.*, *Cess. leg.*, 15 *dec.* 1759, § 4.

§ II.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad abolitionem.

Justa abolitionis pii legati causa est defectus fundi : *Asculana*, *Cap.*, 5 *martii* 1792, § 5 ; *Plat.*, *Red. on.*, 27 *aug.* 1791, § 5.

Deficiente fundo, abolendum est legatum Missarum : *Cam.*, *Ab. leg. Mis. et Abs.*, 14 *dec.* 1793, § 2.

Si ex legatis fructibus censuum ab initio fundus non fuerit constitutus, vel constitutus perierit, si unum vel alterum culpa vacavit parochi, locus esse possit abolitioni legati : *Firm.*, 7 *febr.* 1789, § 4.

Si ejus facto vel culpa evenerit, præjudicium fortasse successoribus parochis et ecclesiæ inferre non potuit : *Ibid.*

Longius satius est cavere ne opus pium jam perlectum destruatur, quam ut novum opus fiat : *Rec.*, 28 *febr.* 1750, § 2.

Testator mandato suffragio per abolitionem legato Missarum privandus non est : *Tolent.*, *Red. Miss.*, 16 *maii* 1795, § 5.

Nisi omnino defecerit ejusdem legati fundus : *Ibid.*

Si legatarius vero arbitrio suo disposuerit de sortibus legati, easque miscuerit propriis, integra ferre onera debet : *Ibid.*, § 6.

§ III.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad acceptionem.

Acceptio vel repudiatio alicujus legati facta extra statutum tempus culpa officialium alicujus eccle-

siasticæ fabricæ, cui dictum legatum relictum erat, neque ecclesiæ, neque pio operi ullum damnum affert : *Urb., Leg.*, 10 *martii* 1742, § 6.

Legatum pium, quod individuam testatoris voluntatem continet, a monialibus, vel repudiari, vel suo cum onere acceptari debet : *Rom., Uten.*, 15 *sept.* 1738, § 6.

Patres reformati possidere nequeunt annuos reditus, nec annua accipere legata, quibus etiam annexa sint onera Missarum : *Pap., On. Miss.*, 20 *nov.* 1733, § 5.

§ IV.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad applicationem.

In applicatione legati, quæ commutationem involvit voluntatis, accurate quærendum est de justa et necessaria causa : *Tolen., App. Leg.*, 9 *sept.* 1797, § 4.

Justa causa non est commutatio majoris suffragii in favorem testatoris in aliud opus pium : *Ibid.*

Legata relicta pro instituendis juvenibus in litterarum studiis seminario applicanda sunt : *Nucer., App.*, 24 *julii* 1762, § 3.

Applicationem legatorum piorum permittit Sancta Synodus ad succurrendum parœciæ pauperi : *Faret., App.*, 27 *aug.* 1796, § 8.

Legatum factum pro construendo monasterio, et recipiendis in eo monialibus, consequi potest a monasterio jam alterius expensis exstructo, et idoneo ad recipiendum moniales, prout a testatore dispositum fuit : *Civit. Cast., Com. vol.*, 21 *nov.* 1772, § 12.

§ V.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad caducitatem.

Legatum, et quævis alia quantumvis pia dispositio, ex voluntatis defectu corruere dicitur, ubi contingit conditionem sub qua idem legatum, aut dispositio concepta fuit, quoquomodo deficere : *Civit. Cast., Leg.*, 27 *sept.* 1738, § 5.

Pium legatum quod nequit impleri modo mandato a testatore ob juris vel facti impedimentum, caducum nequaquam fuit, sed converti in alios pios usus debet : *Boss., Appl. leg.*, 16 *jun.* 1762, § 4.

Caducato per repudiationem hæreditatis testamento, caduca etiam fiunt legata in eo relicta : *Sav., Leg.* 28 *febr.* 1795, § 6.

Ita ut a legitimo hærede præstari non debeant : *Ibid.*

Sed nonnulli, qui amplissima expendunt piæ causæ privilegia, negativam tuentur sententiam : *Ibid.*

Impotentia ad inducendam caducitatem legati pii ea dici potest quæ testator ipse potuit tunc prævidere, non ea quæ vel ex lite et quidem parum justa venit, vel ex facto principis, qui ex necessaria publica causa, nunc temporis non existentente, hæreditatem percepit : *Vtter., Pror.*, 30 *aug.* 1766, § 18.

Legatum etiam ad pias causas relictum sub conditione suspensiva caducum fit, et hæredi accrescit si conditio non impleatur : *Boss., App. leg.*, 13 *martii* 1762, § 1.

Et contraria sententia recepta est in conditione mixta, seu potestativa simul et causali, ut legatum debeatur, quoties legatarius paratus est conditionem implere, sed ab alio impeditur : *Ibid.*, § 2.

§ VI.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad capacitatem illud assequendi ac retinendi.

Consequi debet legatum, qui mandata a testatore requisita habet : *Fir., Leg.*, 19 *jan.* 1793, § 6.

Quando agitur de mero et simplici legato pio, assequi recte et retineri a laicis, infantibus, ac etiam a mulieribus potest : *Fir., Leg.*, 19 *jul.* 1777, § 4.

Fortius, quando legatum hujusmodi in statu conjugali ab ultimo possessore retentum fuit : *Ibid.*

Nec obstat, legatum voluisse testatorem defunctis iis ab ipso nominatis quod *vada a quel prete, che si troverà della mia casa il più prossimo però ec.* ; quia voluntas intelligenda est, ut in usufructu locorum montium præferatur presbyter, quatenus existat in familia, non autem ut laicalem legati qualitatem in sacerdotalem immutet : *Ibid.*, § 6.

Legatum habet causam lucrativam, et pro se hæres retinere valet quod superest impletis oneribus : *Fer., Miss.*, 10 *maii* 1794, § 6.

Puer annorum trium dumtaxat constitutus incapax est assequendi legatum scholastico relictum : *Null. seu Subl., Leg.*, 24 *sept.* 1740, § 3.

Si legatum sit allegatum alicui qualitati, hac sive ex privilegio, sive alio modo acquisita, legatum debetur : *Rom. seu Tuder.*, 28 *jan.* 1769, § 11.

Hinc legatum civibus relictum, eis quoque debetur qui civitatem acquisiverunt : *Ibid.*

Hæredes non tenentur ad præstationem legati inspecta Patrum Capuccinorum et Minorum de Observantia possidendi incapacitate, postulandique legata : *Vad., Leg.*, 29 *nov.* 1777, § 4.

Idque sive legatum sit pecuniæ, sive speciei cum onere celebrationis Missarum, vel sine onere : *Ibid.*, § 5.

Et ad differentiam casus, in quo agitur de unica tantum præstatione, vel de præstatione temporali : *Ibid.*

Atque data illorum capacitate legata dici debent præscripta, si a die obitus testatoris ad diem petitionis legati quinquagesimus quintus elapsus est annus, absque eo quod legatum unquam postulatum sit : *Ibid.*, § 6.

Fortius quando ex legantis hæreditate, detracta legitima, et trebellianica primo hæredi gravato competenti detractaque dotium restitutione nihil superest unde legata possint impleri : *Ibid.*

Non obstante, quod primus hæres gravatus nullum de bonis fideicommissariis confecerit inventarium : *Ibid.*

Cum illius omissio non prohibeat quominus hæres gravatus, vel ab eo causam habens adversus fideicommissarium detractiones tum quotitativas, tum quantitativas assequi possit : *Ibid.*

S. autem Congregatio Concilii nunquam hujusmodi legata pro non scriptis habuit sed decrevit ea libere tradi debere titulo eleemosynæ Fratribus Cappuccinis, et Minoribus de Observantia : *Ibid.*, § 10.

Rota decrevit pro capacitate Patrum S. Francisci ad Ripam Tyberis et Patrum Cappuccinorum Urbis assequendi legata seu eleemosynas carnis et vini : *Ibid.*

Nec admitti potest præscriptio legati non probata in Fratres Cappuccinos, et Minores de Observantia certa scientia tum secundi legati, tum extinctionis familiæ, a qua pendere debebat illius præstatio : *Ibid.*, § 11.

Opinio quod hæredibus gravatis competant detractiones legitimæ et trebellianicæ et dotium, non obstante omissione inventarii, suscipi potest, tunc cum agatur de fidei commissariis : *Ibid.*, § 12.

Non autem quando res est cum legatariis, ut sunt Patres Cappuccini, et Minores de Observantia: *Ibid.*

Fratres Cappuccini, et Minores strictioris Observantiæ, et alii regulares qui bona in communi possidere non possunt, reputantur incapaces annuorum redituum, qui iisdem relicti sunt adjecto onere celebrationis Missarum : *Brund.*, *Adim.*, 5 *aug.* 1719, § 4 ; *Firm.*, *Leg.*, 11 *jan.* 1721, § 6.

Secus autem erit quoad eleemosynas manuales Missarum, quarum etiam Fratres hi qui nil in communi possidere quæunt non sunt incapaces : *Ibid.*, § 5.

Patres Minores, qui annuorum legatorum sunt incapaces, summam sibi relictam recipere solum valent per modum eleemosynæ a sponte offerentibus, Missas celebrando ad rationem rei acceptæ, et citra obligationem ad onus perpetuum, et dummodo prius protestantur se illorum capaces non esse : *Justin.*, *Miss.*, 19 *nov.* 1719 ; *Valt. seu Aquil.*, 2 *dec.* 1730, § 6.

Capaces etiam sunt recipicere eleemosynas ab hæredibus gratis ad faciendam celebrationem Missarum ab iisdem Fratribus : *Firm.*, *Leg.*, 11 *jan.* 1721, § 7 ; *in ead.*, 21 *junii* 1721, § 6.

Fratres hi capaces sunt legati annui reditus fabricæ, sacrario, vel eorum ecclesiæ relicti, dummodo non adsit excessus in quantitate, et dummodo ea non a Fratribus, sed a syndico dumtaxat Apostolico exigatur : *Ibid.*, § 10 ; *Luc.*, *Leg. pii*, 10 *jul.* 1728, § 13.

Fratres Minores tam de familia quam ex reformatione nullatenus esse capaces legatorum annuorum, quæ fiunt adjecto onere celebrationis Missarum, congr. ab Urbano VIII horum Fratrum negotiis præposita decrevit : *Firmi*, *Legat.*, 21 *jun.* 1721, § 3.

Ideo sunt annuorum legatorum incapaces, quia victum et vestitum debet illis incerta mendicitas præbere : *Ibid.*, § 7.

Capaces vero sunt legatorum, quæ respiciunt decorem suarum ecclesiarum, et certum usum cultus divini : *Ibid.*

Et capaces propterea sunt eorumdem legatorum, non obstante quod illis annexum sit perpetuum onus Missarum : *Ibid.*

Capaces etiam legati situs pro viridario, quod eis fuit relictum cum onere unius Missæ qualibet hebdomada : *Ibid.*

Necnon capaces legati relicti cum onere ut certa portio panis et vini emeretur pro servitio infirmorum conventus, et cum onere Fratribus imposito celebrandi Missas certas quolibet anno : *Ibid.*

Fratres Minoritæ de Observantia nedum hæreditatem, sed nec etiam annuorum legatorum sunt capaces, si sortes et bona mobilia, sive eorum dominium deferatur ad syndicum Apostolicum, idque sive syndicus consideretur ut talis, sive ut tertia persona : *Pisaur.*, *Hær.*, 11 *jan.* 1727.

Cardinalis Petra plurima S. Congregationis Concilii responsa super capacitate legatorum piorum Fratrum Minorum summa diligentia collegit : *Luc.*, *Leg. pii*, 10 *jul.* 1728, § 12.

Patres Cappuccini, licet sint incapaces annua possidendi legata per modum assignationis tanquam debita ex civili actione, incapaces tamen non sunt ea recipiendi per modum puræ et simplicis eleemosynæ, qualibet seclusa obligatione, et actione, facta prius protestatione : *San. Sev.*, *Elee.*, 26 *nov.* 1768, § 10,

In id consonat decretum S. Cong. Fabricæ die 14 febr. 1633 ab Urbano VIII approbatum : *Ibid.*, §§ 11 et 12.

Hinc factum est ut judicis officio hæredes, qui onus legatorum habent, ea per modum eleemosynæ a Fratribus accipienda præstare cogendi sunt : *Ibid.*, § 13.

Et licet Cappuccini capacitate careant petendi legata perpetua per modum actionis judicialiter, sunt tamen capaces illa recipiendi per modum eleemosynæ ab hæredis defuncti, et idem hæres cogi potest per judicem ex officio, vel ad instantiam alicujus de populo, etiamsi is sit syndicus Apostolicus, dummodo ipse compareat tanquam unus de populo, et imploret officium judicis, ut demandet exequutionem testamenti et voluntatis testatoris : *Ibid.*, § 14.

Imo, juxta communem doctorum sententiam, hæres tenetur in conscientia adimplere onera et pias dispositiones ; potest etiam ad implementum cogi instante syndico Apostolico tanquam altero de populo, sed nomine Ecclesiæ Romanæ : *Ibid.*

De legatis piis relictis Minoribus de Observantia S. Francisci egit S. Congr. fabricæ S. Petri 14 febr. 1633, præstanda ea esse decrevit, et recipienda per modum eleemosynæ non autem per Patres exigenda : *Viter.*, *Leg.*, 8 *aug.* 1767, § 14.

Idem sancivit Urbanus VIII anno 1637, 27 julii de legatis prædictis : *Ibid.*, § 14.

Et idem sensit S. Congr. Boni Regiminis pro legato quodam pro victu et vestitu : *Ibid.*, § 15.

Legatum relictum sub conditione inæqualium nuptiarum, etiam non purificata conditione debetur : *Panor.*, *Susb. dot.*, 21 *aug.* 1762, § 4.

Et relictum sub conditione ingrediendi unum monasterium consequi etiam in aliud ingrediendo potest : *Ibid.*

Præsertim accedente Pontificis dispensatione, quæ concedi potest, non curato eventuali substitutorum præjudicio : *Ibid.*, § 5.

Sed jus alteri quæsitum non est tollendum : *Ibid.*, § 6.

Legatum pium relictum in favorem ejus qui velit esse sacerdos, potest consequi etiam clericus, qui propositum assumendi statum sacerdotalem habeat : *Spolet.*, *Assig. patrim.*, 14 *maii* 1763, § 5.

§ VII.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad commutationem.

Quod legatum est in unum pium opus, converti sine Apostolica auctoritate in aliud non debet : *Nuc.*, *Com. vol. et Trans.*, 15 *mart.* 1794, § 7.

Quum sit impossibilis legati executio, commutatio voluntatis, si peteretur, concedenda est tum ex jure pontificio, tum ex jure civili : *Luc.*, 31 *maii* 1766, § 3.

Necessaria videtur commutatio, cum non deficiant causæ ob quas illa concedi consuetum est, quod scilicet non adversetur testatoris voluntas : *Albin.*, *Com. oner. Mis.*, 25 *jan.* 1772, § 5.

Ulterius ea indulgetur ob causam quam si testator prævidisset, utique consensum præstitisset : *Ibid.*

Ac demum quando commutatio cedit in utilitatem civitatis et populi : *Ibid.*

Amplia, si accedat præsumpta testatoris voluntas ex legatorum pluralitate, ex qua amor testatoris erga legatarium satis desumitur : *Ibid.*, § 6.

Imo si testator legatarii deteriorem conditionem prævidisset, vel illum tam magnis oneribus non gravasset, vel permisisset ut fructus in auxilium pauperum converti possent : *Ibid.*

Justitia suadet voluntatis commutationem in aliud pietatis opus, quod utilius defuncto comperiatur : *Ibid.*, § 9.

Notum est justam et necessariam causam requiri ad testatoris voluntatem commutandam : *Ibid.*, § 9.

Et commutatio voluntatis remedium dicitur extraordinarium, ac subsidiarium, cum Concilium Tridentinum non aliter fieri permittat, nisi urgente necessitate : *Ibid.*, § 11.

In subsidia dotalia converti non debent pia Missarum legata : *Albin.*, 26 *sept.* 1795, § 7.

Legatum dotium et Missarum facile converti non debet in diversum fabricæ Ecclesiæ et sacrarum utensilium usum : *Nov.*, 25 *jan.* 1794, § 4.

Legatum relictum pro conficiendis ad assignatum altere specularis, ut ecclesia non oneretur, convertendum est in aliam rem, ut memoria testatoris alio et licito genere celebretur : *Rom.*, *Leg.*, 22 *jul.* 1758, § 3.

Legata pia Missarum in extinctionem æris alieni inopis parœciæ converti possunt : *Macer.*, 24 *martii* 1787, § 4.

Legatum pium relictum pro fundatione conventus in certo loco, ubi nequit fundari, applicandum est fundationi conventus in alio commodiori loco : *Boss.*, *Appl. leg.*, 16 *jan.* 1762, § 5.

Erectio pii legati in capellaniam ecclesiasticam consentanea voluntati fundationis est : *Alb.*, 24 *mart.* 1792, § 5.

Sic enim perpetuo, ac tutius ejusdem bona servantur : *Ibid.*

Dummodo erectioni consensus accedat patroni : *Ibid.*, § 6.

Quo deficiente non facile fundatio aliqua est immutanda : *Ibid.*

Quæ ad certum usum largitione in favorem sunt destinata fidelium, ad illum debent non ad alium, salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate, converti : *Hipor. seu Epor., Appl.*, 17 *sept.* 1791, § 5.

Et in terminis legati Missarum, illud non debet in aliud quodcumque pium opus commutari : *Ibid.*

Et utilius est animabus testatorum, si bonorum omnium pretium in eas statim erogaretur : *Ibid.*

§ VIII.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad distributionem.

Piorum legatorum distributio iis debetur qui qualitatibus a testatore requisitis pollent ; præsertim si testatori sanguine conjuncti sint : *Urb. seu Arim.*, 11 *jun.* 1774, § 9.

Prælatio vero tribuenda videtur indigentibus, quia ubi majus est periculum, ibi celerius est occurrendum : *Ibid.*

De legatorum piorum distributione spectanda est voluntas testatoris, et serio perpendendæ concurrentes circumstantiæ : *Urb. seu Arim.*, 24 *jan.* 1784, § 9.

Quandoque ex præsumpta testatoris voluntate pauperes conjuncti exteris præferri debent : *Ibid.*

§ IX.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad dotem et fundum.

A nonnullis taxative relictum censetur legatum, quoties testator uno eodemque verborum contextu Missarum indicit celebrationem, et simul pro ea fundum assignat : *Veron., Trans. Mis.*, 30 *julii* 1768, § 7.

Alii vero censent, factam constitutionem fundi demonstrative, quando fundator exordiatur ab oneris impositione, indeque pergat ad fundum constituendum : *Ibid.*

Et taxative, quando a fundi designatione incipiat, indeque ad ordinationem Missarum progrediatur : *Ibid.*

Hac postrema regula uti solet S. Congreg. Concilii, ut patet ex ipsa instructione, cujus vi transmittit Episcopis facultatem petentibus Missarum onera reducendi : *Ibid.*, § 8.

Atque ubi legata fuerunt in specie per hæredem legatario tradenda, si ea post traditionem perierint, vel imminuta fuerint, peremptio et imminutio legatarii damno cedit : *Ibid.*, § 9.

At si perempta fuisset, vel diminuta antequam legatario traderetur, id damno hæredis cedere deberet, qui proinde supplere tenetur : *Ibid.*

Clarum est ut onus, quatenus non ex contractu, sed ex ultima voluntate procedit, tunc locus sit distinctioni, nimirum aut quantitas fundi relicta est taxative, et tunc onus minuitur in diminutione fundi : *Alb., Red. Miss.*, 4 *april.* 1778, § 8 ; *Nepes., Red. Miss.*, 25 *jan.* 1772, § 4.

Et hæres non tenetur illius defectum de reliquis bonis hæreditariis supplere : *Camer., Red. Miss.*, 12 *maii* 1792, § 3 ; et in dicta *Alb.*, § 5.

Aut demonstrative, et eo casu, firmo manente onere, hæres de proprio supplere debet : *ibid.*, in dicta *Alb.*, § 8.

Dicitur taxative relictum, quando legatum incipit ab assignatione fundi, vel quantitatis, et deinde subsequitur onus : *Ibid.*, § 5 ; *Rom., Red. on. Mis.*, 12 *maii* 1781, § 8 ; *Ferr., Red. Mis. et Abs.*, 29 *nov.* 1788, § 3.

Sicut taxative etiam habetur si taxata fuerit a testatore eleemosyna : *Ibid.* ; dict. *Rom.*

Dicitur autem demonstrative, quando incipit ab onere, et assignatio fundi, vel speciei, vel quantitatis adjungitur : *Ibid.* ; dict. *Alb.* ; dict. *Ferr.*, et dict. *Camer.*

Nisi tamen ex toto dispositionis contextu contraria voluntas testatoris appareat : *Ibid.* ; dict. *Alb.*

Et quando fundus assignatus est demonstrative, hæres eo imminuto, vel perempto supplere de proprio tenetur : dicta *Ferr., ibid.*

Quum fundus in Missarum celebrationem, unica oratione cum institutione legati fuerit destinatus, non demonstrative, sed taxative fuit legatum relictum : *Veron., Trans. Miss.*, 30 *julii* 1768, § 3.

Præsertim si testator data hæredibus facultate eligendi capellanum, huic directe fundum reliquit : *Ibid.*

Hinc fundo perempto hæredem ad subrogationem alterius cogi non potest : *Ibid.*

Quidquid detrimenti absque culpa hæredis subierunt loca montium cedere debet damno puellarum, in cujus favorem legatum pium est relictum, quia pro illis loca montium acquisita fuerunt : *Rom., Subs. dot.*, 28 *febr.* 1733, § 5.

Aliter putandum est, si pius largitor præcipue habuisset respectum annuorum fructuum, si præscripserit summam puellis singulis assignandam, distributa inter illas quantitate subsidii singulis annis : *Ibid.*, § 6.

§ X.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad extinctionem.

Ex voluntaria rei legatæ alienatione extinguitur aut minuitur legatum ad differentiam alienationis necessariæ, in qua nec extinguitur, neque minuitur : *Rom., Leg.*, 13 *sept.* 1721, § 4.

Præfata tamen regula locum tantum habet in legatis profanis, quia in legatis piis propter animæ favorem, ex alienatione rei legatæ, nec extinguitur, nec minuitur legatum : *Ibid.*, § 4.

Quamvis non desint, qui sustinent quod ex alienatione rei legatæ voluntaria pium etiam legatum extinguatur, aut imminuatur : *Ibid.*, § 6.

Si testator pretium deposuit, non videtur a priori voluntate recessisse, et sic ratum et integrum legatum debetur, licet aliqua portio legati fuerit alienata : *Ibid.*, § 5.

Hoc autem procedit in themate, in quo testator pretium recepit, quod recusare non potuit ; secus autem quoties in tantum pretium recepit, in quantum nullo impellente vendere voluit loca montium : *Ibid.*

§ XI.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad fructus.

Cessante legati usufructu cessat etiam onus usufructuario impositum : *Laur., Leg.*, 15 *dec.* 1759, § 4.

Fructus prædiorum legatorum percepti ante legati purificationem legatario sunt ab hærede præstandi : *Tolen., Erect. arch*, 5 *dec.* 1744, § 4.

Amplia, quando non tantum quoad hæreditatem, sed etiam quoad rem legatam jussa fuerit dilatio implementi legati : *Ibid.*

In annuis legatis attenditur valor monetæ de tempore testamenti : *Nov., Red. Mis.*, 28 *nov.* 1795, § 4.

Idque procedit etiam in promissione quantitatis : *Ibid.*

Licet nonnulli sentiant attendendum esse valorem de tempore solutionis : *Ibid.*

§ XII.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad implementum.

Præcipit Sancta Synodus sess. 25, cap. 4, *de Reform.*, ut quo plenius et utilius potest, custodiantur ea quæ ad pios usus relicta sunt : *Inter.*, 17 *aug.* 1776, § 9.

Si legatarii immunes fiunt ab implemento legati, ad nihil aliud teneri putant, quam ad restitutionem pecuniæ a fundatore persolutæ : *Plac., Leg.*, 14 *sept.* 1782, § 12.

Piorum onerum executio diœcesanorum Antistitum curæ et solicitudini commissa est : *Vusian., Distr. elee.*, 24 *aug.* 1743, § 7.

Ita expressit Concilium Tridentinum loquendo de eleemosynis montibus pietatis sive charitatis, deque omnibus piis relictis : *Ibid.*

Civilis ex informi folio deest obligatio implendi legatum : *Senog., Trans. Miss.*, 17 *jan.* 1789, § 4.

Quum summa relicta censeri possit erogata in utilitatem ecclesiæ, Missarum legatum etiam absque fundo est implendum : *Firm.*, 7 *febr.* 1789, § 6.

Ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum non ad alium converti debent : *Civit. Castell.*, 24 *jan.* 1795, § 5.

Impotentia pium opus implendi non extingui substantiam obligationis, sed suspendit illius effectum in tempus quo impedimentum cessaverit : *Casal.*, 20 *dec.* 1788, § 4.

Obligatio legati facta in opinione, quod legatum foret quoquo modo implendum, sive in causam a testatore contemplatam, sive in aliud opus pium, tanquam erronea non obligat ad observantiam : *Bosan., Appl. leg.*, 13 *mart.* 1762, § 3.

Si in legato concipiendo non appareat peculiarem fuisse habitam rationem ministrorum illius ecclesiæ, in qua Missæ sunt celebrandæ, sed onus sit tantummodo injunctum hæredi, tunc in ejus arbitrio censeri positum, ut quos maluerit sacerdotes ad id deligat, utensilibus tamen ut aiunt solutis : *Pastien., Oner. Miss.*, 28 *nov.* 1733, § 3.

Ex diverso, cum fortasse non deesset conjectura de tali testatoris mente, præferendi in Missarum celebratione ministri ejusdem ecclesiæ : *Ibid.*, § 4.

Si mens testatoris et ejus dispositio defectu puellarum, quæ demonstrative, non taxative vocatæ sunt, impleri non potest, non ad hæredem pertinere debet relictum, sed in aliud simile opus pium erogatio reliquæ pecuniæ facienda est : *Camen., Subs. dot.*, 23 *nov.* 1743, § 6.

Nam legatum pium eo quo potest meliori modo semper implendum est ; dispositio siquidem in Deum, propriamque animam directa, hac ratione sequitur legatum, ut modus implementi nihil referat : *Ibid.*, § 7.

Et ob id, sive deficiat locus in quo legatum pium impleri debet, sive deficiant personæ, testatoris voluntas est alio simili opere pio executioni mandanda : *Ibid.*

In facultate hæredis non est id a legato evellere quod usui rei legatæ a testatore ac patrefamilias

designatum est, quodque in legato comprehensum dicitur: *Tolent., Erect. archi.*, 5 *dec.* 1744, § 5.

Idque fortius procedit, quando ita infixum est rei legatæ, ut quasi ejus pars censeatur: *Ibid.*, § 6.

Idque locum esse Pomponii definitioni, qui ait: cum fundus sine instrumento fuerit legatus, omnia in eo inædificata legata intelligantur: *Ibid.*

Quum ageretur de omni marmore legato, et Javolenus refert Labeonem putasse non omnes deberi statuas quæ sub legato genere marmoris continentur, sed duas dumtaxat nominatim expressas: *Feretr., Leg.*, 30 *maii* 1786, § 3.

LEGATUM PIUM, SEU OPERA MISSARUM. Vide *Capellania, Missa.*

§ XIII.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad numerum.

In dubio standum est pro unitate legati, ut minus gravetur hæres: *Spol., Leg.*, 16 *jun.* 1792, § 2.

Unitatis argumentum est, si unum in altero continetur: *Ibid.*

Duplex tamen erit legatum, si testator in diversis ac distinctis orationibus mentionem fecit oneris diversæ naturæ: *Ibid.*, § 3.

§ XIV.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad prælationem et vocationem.

Legato Missarum danda est quæcumque prælatio: *Raven., Cess. leg.*, 15 *dec.* 1759, § 5.

Hæres autem, qui errore juris ad talem prælationem non advertit, nullam contrahit obligationem, præcipue cum munitus sit beneficio inventarii: *Ibid.*

Et prælatio competit legato Missarum etiam adversus legata speciei, quæ diminutionem patiuntur, sicuti cætera legata in casu insufficientiæ hæreditatis: *Ibid.*, § 6.

In legato relicto puellis orphanis, vera censetur orphana, quæ caret matre: *Rom. seu Null. Subl., Leg.*, 19 *jan.* 1793, § 2.

Ad legatum relictum pauperibus pauperes consanguinei testatoris præferendi sunt: *Urbin. seu Arim.*, 15 *mart.* 1774, §§ 4 et 6; *Fav., Com. vol.*, 4 *apr.* 1789, § 4.

Et facile in illorum favorem admittitur extensio legati: *Ibid.*, § 4.

Prælatio autem tributa illis de domo testatoris, remotissimos quoque comprehendit consanguineos, qui nomine domus continentur: *Ibid.*

Prælatio ad legatum pium debita est ei qui attinentiam habet cum testatore, et ob præsumptam voluntatem ejusdem, qui plura legata reliquit illius familiæ: *Bonon., Assig.*, 21 *jun.* 1760, § 6.

Dum existit unus masculus ex linea fœminina descendens, sed alter quoque ex ea linea ex filio majori, seu primogenito speratur, hic si actu existeret, ex mente fundatricis præferri deberet: *Melev., Ind.*, 10 *sept.* 1735, § 8.

Legatum eleemosynæ consanguineis primum debetur, nec ulla pauperibus incertis fit injuria: *Rag., Elee.*, 10 *jul.* 1790, § 5.

Præsertim si accedat consensus illorum, a quibus distribuenda est eleemosyna, votumque Episcopi, quod grave est: *Ibid.*

In legatis piis naturalis charitas et affectio testatoris erga suos consanguineos non egreditur quartum gradum de jure civili: *Firm., Subs. dot.*, 9 *sept.* 1730, § 4.

Sed hoc intelligitur in casu, quo consanguinei ad legatum concurrerunt ex sola verisimili voluntate defuncti, seu ex motivo pietatis, et debito bene ordinatæ charitatis.

Legatum pium pauperibus consanguineis testatoris prælative vocatis debetur: *Urbin. seu Arim.*, 20 *dec.* 1788, § 8.

Idque locum obtinet ex præsumpta etiam testatoris voluntate: *Ibid.*, § 4.

Nullum est jus pauperibus exteris ad legatum civibus relictum: *Ibid.*, § 5.

Ad legatum pium de jure solum illi possunt aspirare, qui præscriptis qualitatibus pollent: *Null. Subl., Leg.*, 24 *sept.* 1740, § 3.

Legatum pium extendi in favorem unius in præjudicium alterius vocati non debet: *Fir., Leg.*, 19 *jan.* 1793, § 7; *Mediol., Subs. dot.*, 12 *jul.* 1794, § 5.

Legatum relictum militi non debetur honorario, qui verus non est miles: *Rom. seu Chien., Leg.*, 16 *april.* 1791, § 7.

Sed debetur vocato purificata conditione: *Ibid.*, § 8.

S. Cong. Concilii, ab anno 1704 usque ad annum 1719 opinata semper fuit quod Justiniani Chienses essent admittendi ad participationem legati marchionis Vincentii Justiniani, quando constet tamen de eorum paupertate, nec non de descendentia a Justinianis civitatis Januensis: *Rom. seu Jan., Leg.*, 8 *aug.* 1721.

Sacra Rota e contra putavit quod, in puncto juris, et citra subsidium gratiæ, non possunt Justiniani Chienses admitti ad participationem dicti legati: *Ibid.*, § 2.

Opinionum hanc contrarietatem sustulit Congregatio particulariter deputata, decernens ut Justi-

niani Chienses non commorantes in insula Chiensi et probantes suam descendentiam a familia Justinianorum Januæ, mediante descriptione vel propria vel alicujus ex progenitoribus in libro aureo reipublicæ, sint ad participationem hujusce legati admittendi : *Ibid.*, § 3.

§ XV.

Legatum pium, seu Opera pia, quomodo probetur et validum sit.

Legatum pium probetur ex testamento, vel ex publico altero monumento : *Camer., Abol. leg. Miss. et Abs.*, 10 *dec.* 1793, § 2.

Et contra scribentem ejusque hæredes ex libro etiam privato ; centenaria præsertim accedente observantia : *Ibid.*

Legatum pium, licet non resultet ex testamento, satis tamen exploratum est ex declaratione filii ejusdem, quam ipsius hæredes impugnare nequeunt : *Ferr., Red. Miss. et Abs.*, 29 *nov.* 1788, § 3.

Nec dubitari potest de illius validitate, qui recte hæredis fidei committuntur legata pia, satisque est voluntatis demonstratio ut exequatur : *Ibid.*

Alicujus legatari opinio cedere oportet patentissimæ veritati, quæ ex nuda testamenti lectione emergit : *Rom.*, 8 *maii* 1786, § 6.

Multo magis, si in testamento tantum absit ut de legato mentio fiat, ut in eo illi qui putant esse legatarii ne appellentur quidem : *Ibid.*

Legatum quod habet annexam causam finalem, ac causa cessante, sive ex facto legatarii, sive ex impedimento alieno, irritum fit : *Boss., App. leg.*, 13 *mart.* 1762, § 2.

§ XVI.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad qualitatem.

In legatis spectanda potissimum est mens testatoris : *Aux., Leg.*, 12 *jul.* 1794, § 4; *Ventim., Red. Mis.*, 9 *sept.* 1797, § 4.

Pia legata interpretantur ex consuetudine loci et ex observantia hæredum : *Ibid.*, § 6.

In legatis perpetuis acceptatio decessoris non præjudicat successori : *Ibid.*

Legatum alimentorum relictum pauperibus debetur etiam quoad præteritum : *Ibid.*, § 7.

Et late pro legato pio interpretanda est legantis mens : *Sep., Leg. pii*, 26 *dec.* 1797, § 2.

Legatum relictum absque nota paupertatis censetur temporale, et personale, et defuncto legatario resolvitur : *Ibid.*

At ubi indefinite demandatum est illius implementum, *quolibet anno*, reputatur perpetuum : *Ibid.*

Præsertim si accedat observantia, qua tanquam perpetuum usque ad hæc tempora fuerit impletum : *Ibid.*

Favor causæ piæ operatur ut legatum perpetuum in quolibet dubio dicatur : *Cæs., Leg.*, 22 *martii* 1766, § 14.

Maxime si testator pro sui expiatione legata fecerit : *Ibid.*

Verba *finchè viverranno, e camperanno*, quæ de perpetua hæredum duratione in omnibus legatis intelligi possunt, in legatis piis perpetuitatem indicant : *Cæsen., Leg.*, 22 *mart.* 1766, § 15.

Ob eam rationem, quia non præsumitur qui suæ animæ favorem respexit voluisse minus gravare remotos quam proximos : *Ibid.*, § 16.

Ex verbis personalibus : *mi dica, o mi faccia dire ogni anno messe* 40, expiratum legatum esse videtur cum vita primi hæredis : *Aprut.*, 19 *maii* 1787, § 7.

Contemplata legati perpetuitas in primo hærede videtur per indefinitam illam dictionem, *ogn' anno*, quasi universi in ejus persona comprehensi fuerint successores : *Ibid.*, § 8.

Ex communi canonistarum sententia quælibet in legatis piis sumenda est legitima interpretatio ratione pietatis causæ, ac in favorem cultus divini pro perpetuitate : *Ibid.*

Legatum relictum ad certum tempus, ultra illud denegatum censetur : *Firm., Leg.*, 19 *jun.* 1795, § 6.

Et dubiam præfiniti temporis intelligentiam declarat observantia : *Ibid.*, § 5.

Ad suadendum oneris perpetuitatem plurimum valere solet favor piæ causæ, et verisimile desiderium uberioris suffragii, si res dubia sit, nec dilucide constet de contraria testatoris voluntate : *Raven., Ob. Miss.*, 14 *nov.* 1753, § 4.

Quando legatum alicui indefinite relictum est, nulla facta hæredis vel temporis mentione, hinc nec personale legatum, nec in personam legatarii factum existimatur, qua deficiente legatum non deficit : *Rom., Leg.*, 1785, § ult.

Dispositio judicatur merum et simplex legatum pium, quando nulla intercessit auctoritas ordinarii : *Firm., Leg.*, 19 *jul.* 1777, § 4.

Et quando nulla fuit a testatore præscripta Ecclesia, nullumque designatum altare, in quo sacra celebranda essent : *Ibid.*

Natura ac indolis legati demonstratur si retentum fuit in statu conjugali ab ultimo possessore : *Ibid.*, § 5.

Nulla facta mentione de capellania, nemini jure

nominandi relicto, nulla præscripta ecclesia, nulloque altari designato, voluisse testatorem dumtaxat pium relictum, suffragiumque Missarum censendum est : *Ibid.*, § 7.

Legatum taxative conceptum dicitur, quando peculiaribus quibusdem bonis assignatis capellaniam testator erigi voluit : *Terrac. et Set., Red.*, 10 *maii* 1783, § 6.

Et tunc deficientibus reditibus hæres adigi non potest ad supplementum, sed onera reduci debent : *Ibid.*

Axioma juris est : in quacumque perplexitate standum est potius pro sensu demonstrativo quam taxativo : *Rom.*, 9 *jul.* 1785, § 16.

Legatum natura sua perpetuum est, nisi a testatoris cognita voluntate argumenta dentur temporalitatis : *Cerv., Leg.*, 9 *jul.* 1785, § 5.

Cum altari scriptum erit legatum, non massario ejusdem, certi juris est perpetuum esse renuntiandum, eodem ferme modo, quo altare est perpetuum : *Ibid.*, § 8.

Taxativa est legati natura tanquam ad designationem certi fundi incipientis, mox dotium in certa quantitate præstationem annuam præ se ferentis juxta theoricam Felini : *Null. seu Farf., Subs. dot.*, 2 *dec.* 1786, § 5.

Legatum dicitur taxativum, quoties relicti sint certi fructus quos præstare tantummodo tenetur hæres, etiamsi pro implemento onerum injunctorum non sufficiant : *Rom., Leg.*, 15 *dec.* 1759, § 5.

Nec obesse poterunt codicilli in quibus onera potius designantur quam constituatur fundus pro illorum implemento. Codicilli enim hoc casu relativi reputantur ad testamentum, nec proinde quidquam immutatum circa qualitatem legatorum censetur : *Ibid.*

Quando igitur de legatis acceptis agitur pro supplemento, dicta distinctio est peragenda : *Ibid.*, § 6.

Si peteretur reductio onerum quæ implenda forent non ratione legati taxativi, aut demonstrativi, sed ratione obligationis assumptæ in acceptione legatorum, debitores non sunt facile absolvendi : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Capellania*, § xi.

§ XVII.

Legatum pium, seu Opera pia, a quo recipi debeat.

Legatum accipi debet de manu hæredis : *Spol., Subs. dot.*, 8 *febr.* 1794, § 5; *Cæsen., Subs. dot.*, 29 *nov.* 1788, § 10.

Annuum legatum est perpetuum : *Ibid.*, § 10; *eud. Spol.*

In annuis relictis tot sunt legata quot anni : *Ibid.*, § 6

Annuum legatum deest in illo anno in quo deficit conditio : *Ibid.*

Et deberi incipit sequenti anno, purificata conditione : *Ibid.*

§ XVIII.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad reductionem.

Legata pia, per solemne testamentum relicta, per posterius minus solemne valide moderari atque reduci possunt : *Ancon., Leg. pii*, 28 *sept.* 1771, § 6.

Idque æquitati magis consonum est, cum satis esse debeat ut in revocatione testamenti in favorem ecclesiæ exarati idem adhibeatur modus qui in confectione potest valide adhiberi : *Ibid.*

Legatorum piorum contributo locus est, quando bona relicta omnibus non sufficiunt : *Camer., Subs. dot.*, 30 *maii* 1761, § 5.

Sed insufficienta bonorum allegari non potest ab hærede qui inventarium non confecit : *Ibid.*, § 8.

Est locus reductioni legatorum, quando reditus deficiant : *Vallis.*, 22 *maii* 1784, § 6.

Sed ab hujusmodi regula receditur, quando onera per contractum fuerint accepta : *Ibid.*

Legata pia sunt minuenda, si vires hæreditatis excedant : *Ferr.*, 13 *febr.* 1751, § 2.

Imo neque quærendum est an taxative vel demonstrative ea testator præstari voluerit : *Ibid.*

Hac enim distinctione utendum est, ubi certum prædium designatum fuerit : an, ubi præstanda sunt ex fructibus hæreditatis universæ, debeantu ad mensuram et quantitatem fructuum, qui si deficiant, legata quoque deficere certum est : *Ibid.*

Imminutis fructibus hæreditatis, omnia legata æque minuenda sunt, etiamsi res sit de legati piis : *Viter., Leg.*, 8 *aug.* 1767, § 5.

Nec ferendum ut integri hæreditatis fructus assumantur, et quod primario testator respexit, cujus utilitas bonum publicum respicit, et maximo favore donanda est, non exequatur : *Ibid.*, § 6.

Si ob redituum tenuitatem facienda est reductio, fieri primum reductio aliorum legatorum quam Missarum debet : *Lun. Sarz.*, 15 *maii* 1728, § ult.

Quando vero testator suam hæreditatem gravavit, tum onere Missarum, tum aliis legatis piis, ex ejus intellecta mente eum potius, in casu diminutionis, voluisse diminutionem Missarum quam aliorum legatorum, desumendum est : *Ibid.*

Reductio legati injuste petitur ob insufficientiam fundi, si universa hæreditas oneri injuncto obnoxia

reperiatur, manente tamen salva actione legatariis super cæteris bonis agendi : *Bonon., Red. leg.*, 8 *martii* 1760, § 3.

Reductioni locus non est, quando legatum pium incipit ab oneris designatione ; sed ex hæreditariis bonis supplendum est : *Luc., Com. ult. volunt.*, 30 *martii* 1737, § 5.

Perspecto an bona pro fundo legati taxative relicta fuerint, vel demonstrative, in primo casu si fundus perierit, vel fuerit imminutus, reductio conceditur : *Spol., Red.* 8 *jun.* 1771, § 9.

Nam diminutis reditibus bonorum, quæ pro implemento alicujus pii operis constituta fuerunt, ipsum quoque pium opus debeat imminui : *Rom., Sub. dot., et Celeb. Miss.*, 22 *sept.* 1736, § 4.

Reducere nequeunt Ordinarii Missas aliaque pia legata : *Aux., Leg.*, 12 *julii* 1794, § 4.

Non est dubium quin ea legata, a quibus hæres submovere exceptione petitorem potest, in quartam ei imputentur ; nec ceterorum legata minuunt : *Rom., Red. leg.*, 16 *dec.* 1769, § 8.

Quacumque ex causa legata non præstantur, imputantur hæredi in quartam partem, quæ propter legem Falcidiam remanere apud eum debet : *Ibid.*

Juxta verosimilem testatoris voluntatem S. Congregatio Concilii alia potius legata quam Sacrorum celebrationem minuere ac moderari consuevit : *Ibid.*, § 10.

§ XIX.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad renuntiationem.

Regulares libere possunt renuntiare legatum pium Missarum ; *Rom., Cap.*, 23 *febr.* 1793, §3 .

§ XX.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad repetitionem.

Legatum ad pias causas relictum erronee solutum non repetitur : *Boss., Appl. leg.*, 13 *martii* 1762, § 3.

Legatum relictum ab instituto repetitum non censetur a substituto : *Laur., Leg.*, 15 *dec.* 1759, § 3.

Oppositum de jure verius, quod legatum instituto relictum præstari etiam a substituto debeat : *Ibid.*

§ XXI.

Legatum pium, seu Opera pia, quomodo et quibus solvi ac præstari debeat.

Sine inventario hæres allegare nequit insufficientiam bonorum hæreditariorum, nec se eximere ab integra præstatione legati potest : *Rom., Subs. dot.*, 2 *martii* 1776, § 6.

Imo computum introitus et exitus hæreditatis per annos decem continuos ad hunc effectum exhibere debet : *Ibid.*, § 7.

Legatum relictum super re legata censetur relictum a legatario : *Laur., Leg.*, 15 *dec.* 1750, § 4.

Legatum pecuniæ, cujus valor variat, solvendum est juxta valorem qui fuit tempore testamenti : *Apan., Red. Mis.*, 24 *nov.* 1792, § 5.

Testator namque, legans certam pecuniæ quantitatem, respexisse censetur ad valorem monetæ quæ de tempore conditi testamenti in more erat : *Ibid.*

Legatum est præstandum in ea quantitate, si minime est in testamento expressa, quam fiduciarius constituit, nisi contrarium concludenter probetur : *Rag.*, 30 *jul.* 1763.

Hæres, quum testator rem alienam legaverit, præstare debet legatario æstimationem, si testator rem legatam alienam fuisse sciverit ; secus vero, si ignoraverit : *Neap., Leg.*, 20 *dec.* 1732, § 7.

Inspiciendum etiam erit an legatarius sit persona vel sanguine vel necessitudine adeo conjuncta cum testatore, ut verosimile sit eum voluisse, ne legati commodo careret, sed potius ab hærede tantumdem præstari quanti valeat res aliena quæ legata fuit : *Ibid.*, § 8.

Ubi ad piam causam pertinet legatum, censetur eo animo fuisse testator ut rei legatæ, etiamsi non ignoraverit alienam esse, æstimationem hæres solvat : *Ibid.*

Et ubi etiam agitur de causa pia, repeti id non potest quod quis errore ductus solverit, licet indebitum : *Ibid.*, § 9.

Duo ex distinctis dispositionibus in dubio debentur legata : *Cerv., Leg.*, 18 *apr.* 1795, § 3.

Et ex identitate vero onerum, unum præsumitur : *Ibid.*

Legatum relictum in casu ingressus in monasterium non præsentandum est in casu nuptiarum carnalium : *Imol., Subsid. dot.*, 20 *dec.* 1749, § 4.

Singuli hæredes tenentur ad solutionem legati pro virili : *Jan., Cap.*, 16 *mart.* 1793, § 4.

Quilibet tenetur ad solutionem legati pro rata parte in qua hæres est : *Terr., Red.*, 13 *jun.* 1789, § 5.

Præstatio annua decernenda est juxta statum necessitatis sacrarii quæ vigebat tempore obitus testatoris : *Viterb., Leg.*, 8 *aug.* 1767, § 7.

§ XXII.

Legatum pium, seu Opera pia, ad quem spectare debeat.

Legatum relictum Episcopo tanquam Episcopo, hoc est ipsius dignitati, etiam dicitur relictum ecclesiæ cui præest : *Vot. card. Pereira*, 28 *dec.* 1723, § 13.

Cathedralis ecclesia a jure præsumitur magis dilecta, tanquam sua sponsa : *Ibid.*, § 14.

Quis non potest simul intentionem habere succedere tanquam hæres et tanquam legatarius, quum in eodem subjecto convenire non potest esse insimul hæredem et legatarium : *Ibid.*, § penul.

Si testator domicilium habet in urbe, in eaque moritur, regula est ut in legato pauperibus relicto fieri debeat distributio egenis illius loci in quo ille testamentum condidit et domicilium habuit : *Rom. seu Bon.*, 22 *sept.* 1725, § 3.

Quidquid relinquitur in favorem fabricæ ecclesiæ intelligitur dispositum et relictum in favorem etiam ornamentorum et supellectilium, cum nomine fabricæ ecclesiæ veniant etiam ornamenta necessaria cultui divino : *Tusc.*, 6 *dec.* 1727, § 3.

Pro negativa vero facit, quod stricte loquendo sub nomine fabricæ venit opus tantum et structura ecclesiæ materialis : *Ibid.*, § ult.

Legatum pluribus assignatum non est ejusdem major pars fructuum eroganda in aliquibus tantum : *Cam. seu Fabr.*, 27 *mart.* 1762, § 8.

Et tempus non præfinitum a testatore duraturæ largitionis pendet a solo arbitrio administratorum : *Ibid.*

Legatum datum capellæ, in qua erectum est sodalitium, debetur rectori, et domino ecclesiæ, non sodalitio : *Com., Leg.*, 24 *aug.* 1734.

Legatum, si alicui sit alligatum qualitati, hac sive ex privilegio, sive alio modo acquisita, legatum debetur : *Imolen., Subs. dot.*, 20 *junii* 1767, § 13.

Hinc legatum civibus relictum eis quoque debetur qui civitatem acquisiverunt : *Ibid.*

Fallit tamen, ubi ad qualitatem quæ naturalis est respexit ; nam hæc aliter quam naturaliter parta non prodest : *Ibid.*

Exemplum est qualitas originis, quæ nunquam venit nec ex domicilio, nec ex allectione, vel privilegio : *Ibid.*

Quando legatum Missarum dici debeat relictum intuitu capellæ, vel commodo rectorum, doctores resolvunt : *Comp.*, 19 *jul.* 1766, § 6.

LEGATUM PIUM, SEU OPERA PIA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Vide *Subsidium dotale.*

§ XXIII.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad suspensionem, et translationem.

Ponderandum est num tanti sit difficultas exequendi dispositionem piam testatoris, ut permitti potius legatorum suspensio debeat : *Melev., Trans.*, 15 *maii* 1790, § 6.

Ex juris regula legatum uni ademptum, et alteri datum, censetur translatum cum eodem onere, nisi alia mente testatorem fuisse appareat : *Rom., Subs. dot.*, 20 *mart.* 1734, § 5.

§ XXIV.

Legatum pium, seu Opera pia, quoad unionem.

Legatorum unio maxime præstat ut meliori impleatur modo : *Sutr.*, 16 *jun.* 1792, § 3.

Unio fieri debet cum iisdem oneribus pii operis, quod alteri unitur : *Phar.*, 25 *jun.* 1791, § 3.

LEGITIMA ÆTAS. Vide *Professio religiosa*, § III.

Legitima, Trebellianica.

Quum agatur de substitutione causæ piæ, videndum an habeat locum regula, quod non detrahatur trebellianica a fideicommisso ad causam piam relicto : *Fav.*, 22 *mart.* 1766, § 19.

De legitima, quum filia hæres non imputat in eam fructus hæreditatis, ponderandum an imputare debeat promissam dotem : *Ibid.*, § 20.

Maxime quia testatrix in testamento mentionem fecit, ubi inter sua bona de sua dote loquitur, cujus partem filiæ promissam enuntiat : *Ibid.*

Legitimæ detractio reservata est in testamento illis verbis : *salva pera la legitima*, et ad quoslibet, extraneos etiam, hæredes transmittitur : *Rav., Leg.*, 25 *apr.* 1789, § 6.

Ex hæreditate detrahenda est legitima acquisita super bonis maternis ob non servatam in testamento cautelam Soccini : *Anag., Erect. cap.*, 14 *mart.* 1772, § 9.

Necnon trebellianica primo hæredi gravato super fideicommisso debita : *Ibid.*

Hæres privari nequit sua legitima, et trebellianica, quamvis agatur de causa pia substituta : *Fav.*, 22 *mart.* 1766, § 8.

Quum rogatus quis fuerit, ut sine liberis decedens, quod tunc ex hæreditate superest, restituat, vel alias hujusmodi fideicommissi verbis gravatus,

quartam institutionis fideicommissario restituere cogitur : *Verul.*, 11 *jan.* 1777, § 9.

LEGITIMATIO PROLIS. Vide *Matrimonium*, § X.

Levitæ.

Levitæ in lege mosaica post diutinum accuratum servitium, ab omni deinceps onere et laboribus renuntiati sunt immunes : *Dert.*, *Jub.*, 14 *maii* 1768, § 7.

Lex

§ I.

Lex in genere.

Verba legis, nisi aliud ex ipsamet conjiciatur, accipienda sunt in significatione *naturali*, *usuali*, et *populari*, ac nequaquam extendenda ad civilem : *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. I, disc. 1, § 36.

Ubi locum habet eadem ratio, ipsissima eadem debet esse legis dispositio : *Ibid.*, § 37.

Quia aliter limitationis a legislatore adhibitæ alius omnino ac sibi proposuerat futurus esset exitus, contra legem explicandi leges : *Ibid.*

Lex debet esse honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta, etc. : *Ibid.*, § 38.

Omnis lex ordinatur ad communem hominum salutem, et in tantum obtinet vim legis ; secundum vero quod ab hoc deficit, vim obligandi non habet : *Ibid.*

Inter qualitates legis, ut vim habeat suam, debet esse possibilem : *Ibid.*, § 39.

Impossibilitas eximit a lege quæ certam constituit formam actui, qui non ideo justus, et ratus evadit quia modo a lege præscripto fieri potuit : *Ibid.*

Limitatur : hoc verum est, tunc solummodo cum ejusmodi impossibilitas unius alteriusve personæ propria est, non vero cum reipublicæ, vel religioni generatim, atque universæ accidit, et perpetuo durat : *Ibid.*, § 40.

Ad legis humanæ rationabilitatem, ac proinde ad valorem debent concurrere certæ quædam conditiones, illæ scilicet quæ numerantur in jure canonico : *Ibid.*, litt. S., par. 1, § 2, num. 19.

Nempe quod sit possibilis secundum naturam, id est non maxime difficilis ; quod sit possibilis secundum patriæ consuetudinem ; quod sit loco, temporique conveniens ; quod sit in commodum subditorum : *Ibid.*

Lex quæ nullum bonum nec communem alicujus populi salutem promovet, quæ nullum malum ab aliqua republica avertit, quin potius malum in eadem causat, virtutem obligandi non habet : *Ibid.*, litt. F., § 23.

Et ratio est quia in tali lege ea quæ de essentia sunt legis deficiant respectu ejusdem reipublicæ : *Ibid.*

Lex nunquam recepta, nunquam observata, nullam vim habet, si ab ejus promulgatione longum fuerit tempus lapsum : *Firm.*, 13 *jun.* 1795, § 10.

Exemptio a lege a Summo Pontifice solum fieri præsumitur, quando legum repellendarum causa ex honestate et justitia, non ex pontificiæ potestatis decisione nascitur : *Ibid.*, litt. I, num. 28.

Lex respicit ad id quod frequentius accidit, et non ad id quod raro contingit. *Disc. secr.*, 8 *aug.* 1722, § 3.

Veteribus ecclesiæ legibus derogari non potest : *Colon.*, 9 *aug.* 1766, § 30.

Præsertim si nihil huc usque excepto usu, vel mali, vel incommodi in Ecclesiam venisse firmetur : *Ibid.*

Ex justa multoque magis publica causa a legislatore non cogitata, moderare Episcopi legem valent : *Besan.*, *Vis. SS. LL.*, 19 *sept.* 1789, § 4.

Ubi Pontificia lex est præceptiva, non indiget inferioris facto, vel reservatione, ut exequi debeat : *Verul.*, *Med. ann.*, 29 *nov.* 1788, § 6.

Lex lata pro futuris adlectionibus civium, non afficit longe anteriorem : *Forosemp.*, *Subs. dot.*, 8 *aug.* 1789, § 7.

Lex fundationis inviolabiliter est servanda : *Imol.*, *Distrib.*, 9 *maii* 1772, § 8.

Uti leges, servanda sunt præcepta testatoris, et Sac. Congregationis Concilii decreta : *Nepes.*, *Doct.*, 21 *aug.* 1790, § 9

Lex particularis unius ecclesiæ reliquas non afficit : *Castr. Alb.*, *Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 9.

Causa cessante, cessare legis dispositionem oportet : *Lun. Sarz.*, *Celeb. Mis.*, 4 *apr.* 1772, § 4.

Legis vinculum quandoque relaxandum est, si aliqua urgeat necessitas, vel publica concurrat utilitas : *Valent.*, 17 *jan.* 1761, § 5.

Lex omnes afficit statim ac fuit promulgata : *Alex.*, *Susp.*, 11 *jan.* 1772, § 2.

Vim legum habent synodales constitutiones et societatum statuta : *Reat.*, 5 *apr.* 1788, § 4.

Et quælibet contraria consuetudo potius est abusus et corruptela : *Ibid.* : § 5.

Legis vinculum quandoque relaxare debetur, justa scilicet concurrente causa : *Santad. seu Cub.*, *Matr.*, 26 *apr.* 1788, § 5.

Maxime si impossibilis sit ejus observantia : *Ibid.*

legiatæ juxta votum Episcopi. Quo vero ad alternam nominationem ejusdem scholastici per canonicos, et sodales Suffragii faciendam, decernitur rem esse committendam pro prima vice sortis : *Faventina, Com. vol, et app.*, 15 *sept.* 1792.

69. Conceditur commutatio voluntatis Bartholomæi Manildi tum oneris Missarum, tum præstationis olei in pias preces ; sed Missæ hebdomadales 4, et altera cum cantu in festo S. Nicolai de Tolentino, quibus gravatur Joan. Franciscus filius ob gravem illius paupertatem suspenduntur ad decennium imposito aliquo pio onere per modum suffragii arbitrio Episcopi ; necnon mandatur Episcopo ut incumbat vindicationi bonorum, quæ alienata fuerunt : *Derthonen.*, *Com. vol.*, 10 *maii* 1794, *dub.* 1.

70. Anniversarium a sacerdote Francisco de Villaggis præscriptum commutatur in duas Missas lectas, sequuta tamen erectione conservatorii pauperum puellarum in castro Arquati, in cujus oratorio Missæ transferentur : *Placentina, Com. vol. et trans. on.*, 21 *junii* 1794.

§ VI.

Legatum pium seu opera pia quoad deletionem, et remissionem.

1. Card. Nicolaus Caracciolus Capuanus archiepiscopus metropolitanam suam ecclesiam ex asse scripsit hæredem, ad hoc ut ea in ornatiorem induceretur formam. Executori vero testamentario Josepho Schinosa episcopo Casertano facultatem dedit, quod si quid ex bonis post opus perfectum superesset pro nubendis pauperibus puellis, proque pauperibus ipsis suæ diœcesis erogaret. Moniales monasterii S. Hieronymi exorarunt, ut auctoritate Pontificia condonari eis possit debitum census in sorte ducat. 1300, cum hæreditate Card. prædicti nuper contracti ; ad hoc ut proprium monasterium occasione novissimi belli dejectum, fatiscensque reedificarent. Archiepiscopus supplicantium voto favit, et S. C. cum illius sententia sententiam suam conjunxit : *Capuana*, 13 *sept.* 1738.

2. Hæredes Jacobi Ambrosini bona hæreditaria in divisionem legatorum, quibus a testatore gravabantur, ob æs alienum cesserunt. Et unicum prædium quinque jugerum ab ipsis possessum immune fuisse ab onere omni ipsius testatoris judicio dixerunt. Ob id putarunt cessatum fuisse implementum annui legati relicti in ecclesia parochiali Gambellariæ, a cujus solutione hæredes jam ex inopia hæreditatis sese abstinuerant. S. C. tamen decrevit non constare de deficientia bonorum dicti Jacobi ; ita ut cessatum fuisset legati implementum : *Ravennaten.*, *Ces. leg.*, 15 *dec.* 1759.

3. Nicolaus Montini legavit hospitali Expositorum Tuderti lectum unum, ut asservaretur pro recipiendis, curandisque pauperibus exterarum nationum infirmis ; idcirco assignavit reditus scut. 25 censuum. Testatoris hæres fuit monasterium sanctimonialium Montis Christi, quæ per annos 100 solvit legatum ; sed postea per 30 annos destitit a solutione. Inde vero exorarunt pro oneris deletione, vel saltem pro commutatione, quia nunquam pia voluntas fuerit executa, nec infirmi exteri unquam fuerint recepti. Administri hospitalis repugnant. S. C. decrevit locum esse legati deletioni : *Tudertina*, 8 *maii* 1784, *dub.* 1.

4. Quæsitum fuit, an pia legata tam Missarum, quam aliorum, quæ dubia, et incerta sunt, quæque non habent peculiarem fundum superstitem, sint penitus delenda juxta capituli preces, vel potius reducenda, et quomodo? responsum prodiit juxta votum Card. relatoris [80] : *Ecclesien.*, *On. et distr.*, 9 *sept.* 1786, *dub.* 4.

5. Quoad legatum Missarum a Maria Catharina Burlando nunquam fuit constitutus legati fundus, uti disposuerat testatrix. Sed Missæ celebratæ fuerunt. Hinc tanquam de indebita celebratione doluit Anna Maria hæres, eo quod par oneri ab initio non esset hæreditas, et testatrix, uti ait Episcopus, inter credita hæreditatis ea scripserit, quæ reapse reperta non fuerunt. S. C. autem abolitionem legati non admisit. *Januen.*, *Leg*, 15 *dec.* 1787, *dub.* 1.

6. Parochus ecclesiæ SS. Laurentii, et Nicolai oppidi de Morisco postulavit abolitionem legati unius Missæ hebdomadalis, quod fundo carebat. Certum enim erat, ut sors pro fundo legati relicta perierit ; at abolitionem S. C. denegavit : *Firmana*, 14 *martii* 1789.

§ VII.

Legatum pium, seu opera pia quoad dominium, admissionem, et vocationem.

1. Joan. Baptista Sequi a majori patronorum parte nominatus fuit uti proximior ad annuum lega-

[80] Qui respondendum esse arbitratur « negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et reductionem faciendam esse ab Episcopo juxta modum inferius exprimendum » nempe juxta uniuscujusque legati descriptionem in tabella adnotatam, et fructus, qui ex communi legatorum fundo percipi poterunt Missarum legata ad rationem manualis eleemosynæ, reducendo prius cetera pia opera, quam Missas, et Missas solemnes Missis lectis subrogare : *Ead. causa*, 16 aug. 1794, *in* 1 *relat.*, § 31 et 36.

bus hæredum tradendi vel igni, vel salsamentariis vel sordidis aliis usibus adhibendi cum nimio detrimento parochiæ incolarum et civilis vitæ atque commercii : *Adnot. secr.*, 9 *sept.* 1724, § 20, in fin.

Libri parochiales baptizatorum, matrimoniorum, et mortuorum retinendi sunt in ecclesia matrice : *Mont. Alt.*, *Ret. cap.*, *et Jur. par.*, 22 *maii* 1762, § 6.

Libri status animarum, baptizatorum, matrimoniorum, et mortuorum, retinendi sunt a solo parocho : *Andr.*, 11 *sept.* 1762, § 9.

Capitulum penes debet esse custodia librorum, seu codicum parochialium, si ipse sit dominus parœciæ, et jurisdictionem in eamdem habet : *Carp.*, 15 *sept.* 1781, § 12.

Libera bona. Vide *Bona ecclesiastica*, § v.

Liberalitas.

Liberalitate qua quisque abusus est, uti nequit : *Senog.*, *Can.*, 14 *maii* 1768, § 13.

Liberi. Vide *Filius*.

Libertas. Vide *Matrimonium*, § xi.

Liberus.

Qui ratione parent, soli digni sunt qui liberi vocentur ; soli enim hi vivunt ut volunt, qui, quod velle debeant, didicerunt : *Diss. sup. matr.*, 1740, in fin litt. J, disc. 2, num. 7

Licentia.

Licentia Ordinariorum pro matrimoniis ineundis datur parochis vel jure ordinario, vel delegato : *Taur.*, *Matr.*, 29 *julii* 1769, § 17.

Jure ordinario quoties datur, ut parochus assistat dispensationi puellarum sub ejus cura existentium, ad excitandam in eo facultatem præbendi se testem auctorizabilem, quam exercere prohibetur, donec accedat permissio Ordinarii : *Ibid.*

Jure delegato alicui sacerdoti, et non proprio parocho datur jus assistendi matrimonio celebrando a personis non subditis ejus curæ : *Ibid.*

Et licentia ordinario jure concessa sufficiens est, quoties vel errore Ordinarii, vel bona fide contrahentium directa fuit non proprio parocho : *Ib.*, § 18.

Licentia nimis vaga et generalis contrahendi matrimonium, coram quocumque sacerdote, et coram quocumque particulariter nominatim non designato, ut pote contraria menti S. Concilii Tridentini non suffragatur : *Neap. seu Put.*, *Matr.*, 3 *jul.* 1734, § 11.

Licentia recipiendæ ordinationis a pluribus Episcopis non potest non esse nociva, cum ea accidit, ut ab uno Episcopo rejectus ab alio probetur : *Tar.*, *Ord.*, 16 *dec.* 1741, § 5.

Nulla est canonica lex quæ canonicos cathedralis ecclesiæ, aliosque locorum piorum administratores obliget ad petendam in activis investimentis, seu in acquirendo veniam Episcopi : *Narn.*, 15 *maii* 1790, § 2.

Quotannis tamen ei reddenda est administrationis ratio : *Ibid.*

Dum fides de statu libero legalitate munita expresse requisita sit pro celebratione matrimonii, id licentiam indicat tacitam, quæ sufficit : *Neap. seu Put.*, *Matr.*, 3 *julii* 1734, § 16.

Licitatio. Vide *Bona ecclesiastica*, § viii.

Ligamen. Vide *Matrimonium*, § xliv.

Linea.

Linea est collectio personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens, et numeros distinguens : *Fulg.*, *Concor.*, 26 *martii* 1791, § 12.

Lis judicialis.

Lite introducta, terminus non amplius excurrit: *Med. seu Nov.*, 19 *sept.* 1767, § 7.

Ubi lis non agitur ad tuenda bona et jura sodalitii, cedere debent sumptus in damnum sodalium litigantium : *Asc.*, *Brep.*, 9 *jul.* 1796, § 10.

Ad vitandam litem permittitur subrogatio pecuniæ in locum prædii assignati pro fundo capellaniæ : *Ascul.*, *Cap.*, 3 *martii* 1792, § 9.

Quum lis agatur, exitus adest incertitudo, sumptus, diuturnitas ejusdem, et damnosa prorogatio, hinc aliquam promeretur æstimationem a lite recessus : *Firm.*, *Tran.*, 10 *dec.* 1785, § 14.

Lis intentatur, ut spes obtinendæ causæ vel cum a lite recessu justa transigendi ratio haberetur : *Firm.*, 24 *maii*, 1788, § 6.

Si ad defensionem litis aliqui, quorum interest petierint admitti, in illo statu quo ipsam invenerint, admittendi sunt, alias lis calumniosa et injusta diceretur : *Salern.*, *Disp.*, 19 *dec.* 1750, § 6.

Reliqua. Vide *Causæ*, *Expensæ*, § ii.

Lis judicialis quoad expensas. Vide *Expensæ*, § ii ; *Matrimonium*, § ii.

Litteræ.

§ I.

Litteræ apostolicæ.

Apostolicæ litteræ veritatem expositorum sine ulla dubitatione præ se ferentes, sunt omnino exequendæ : *Aquin.*, *Par.*, 19 *jan.* 1765, § 2.

Præsertim ne interea ecclesia mercenariis relinquatur : *Ibid.*

Litteræ Apostolicæ non justificatæ exequutionem non promerentur : *Ver., Jurisp.*, 27 *junii* 1778, § 9.

Summa inquisitio litterarum Apostolicarum venit, postquam datæ illæ sunt : *Aquinulana, Par.*, 19 *jan.* 1765, § 11.

Non decet insistere contra litteras Apostolicas jam acceptatas et exequutas : *Verulana, Jur. par. et Præem.*, 9 *aug.* 1777, § 2.

Nec de jure locus est litterarum reformationi, quia hæc non admittitur, nisi in casu quo litteræ Apostolicæ erroneæ sunt, vel male expressæ, vel sint a supplicatione difformes : *Ibid.*, § 3.

Quia, in statu difformitatis, statur supplicationi tanquam matrici litterarum Apostolicarum : *Ibid.*

Si autem litteræ Apostolicæ consonæ sunt cum supplicatione ab Episcopo obsignata, tantum abest quod illæ reformationem mereantur, ut immo standum illis omnino sit, et juxta illius tenorem ferri debeat judicium : *Ibid.*

Litteræ Apostolicæ, cum se referent ad onera ex fundatione beneficio inhærentia, conditionaliter tantum sunt intelligenda, quatenus scilicet onus aliquod eidem beneficio inhærere constiterit, non tamen ullum onus in iis præscriptum aut additum censetur : *Sign., Benef.*, 3 *aug.* 1771, § 4.

Litteræ dispensationis super impedimentis matrimonialibus ecclesia pastore viduata dirigi solet juxta veterem Datariæ stylum, vicario generali vicinioris Episcopi : *Ugen. seu Alex.*, 7 *sept.* 1737, § 1.

Mandatis exequutioni litteris Apostolicis cum plena possessione, in favorem cujus fuerunt expeditæ, et fructuum beneficii perceptione, exequutoria in illis mandata consumpta remanent et extincta : *Imol., Benef.*, 25 *april.* 1768, § 9.

LITTERÆ DIMISSORIALES. Vide *Sacramentum Ordinis*, § VI.

LITTERÆ QUOAD EXECUTIONEM. Vide *Exequutor*, § I.

§ II.

Litteræ citatoriales.

Edictum, seu litteræ citatoriales, ut canonicus ad suam residentiam rediret, non in finitima civitate, nec in aliis urbis locis, sed in ecclesia beneficii seu canonicatus est affigendum : *Roman., Can.*, 3 *dec.* 1718, § 5.

§ III.

Litteræ patentes.

Eadem fere est litterarum formula, quæ pro vicariis generalibus præscribitur, diversimoda est ab altera, quæ pro vicariis foraneis legitur : *Cerv.*, 18 *sept.* 1790.

LITTERÆ TESTIMONIALES. Vide *Sacramentum*, § VI.

LITTERÆ QUOAD MATRIMONIUM. Vide *Matrimonium*, § XII.

Loca.

§ I.

Loca montium.

Loca montium ad omnes juris effectus pro stabilibus bonis reputantur : *Com.*, 5 *jun.* 1790, § 3.

Loca montium nullam accipiunt hypothecam, præter eam quam litteræ patentales exhibent : *Bon., Alien.*, 11 *maii* 1793, § 7.

Locorum montium fructus anni 1654 fuerunt reducti ad annua scuta 4.50 : *Roman., Leg.*, 21 *jul.* 1764, § 4.

De anno vero 1676 fuit facta alia reductio ab Alex. VII ad annua scut. 4 : *Ibid.*

§ II.

Loca sacra.

Loca sacra et religiosa non sunt in profanos usus convertenda sine gravi et urgenti causa : *Firm., Ædic.*, 13 *martii* 1762, § 1.

LOCALIS JURISDICTIO. Vide *Exemptio*, § III.

LOCATIO. Vide *Contractus*, § XV.

LOCUS. Vide *Matrimonium*, § XXIV ; *Sacramentum Ordinis*, § XIII.

LOCUS CELEBRATIONIS MISSÆ. Vide *Anniversarium*, § III ; *Missa*, § V.

Locus pius.

Luere non debet locus pius officialium culpam : *Rom.*, 17 *jan.* 1789, § 8.

Loca pia habent privilegium, nec deficiente inventario ultra vires hæreditatis teneantur : *Rom., Cap.*, 15 *julii* 1797, § 8.

Loca pia Urbis suscipere nequeunt Missarum onus absque expressa cardinalis vicarii licentia : *Rom.*, 5 *junii* 1790, § 5.

LONGÆVA OBSERVANTIA. Vide *Observantia*, § IV.

Ludi magister.

Clericus idoneus dici non potest ad exercitium ludi magistri, cum nondum completo studiorum curriculo, adhuc in seminario moretur, nec idcirco præferri debeat aliis qui presbyteri sunt, et ad id minus idonei, quibus etiam de jure prælatio competit : *Com.*, 10 *martii* 1770, § 9.

RELIQUA. Vide *Magister*.

Magister.

§ I.

Magister.

Alexander III Pont. Max., ne clerici propter paupertatem rerum ecclesiasticarum studium prætermitterent, provide statuit ut in qualibet cathedrali aliquod beneficium præceptori addiceretur, qui pauperiores clericos gratis docere deberet : *Fulgin.*, 3 *jul.* 1784, § 6.

Concilium Lateranense IV anni 1215 jussit ut, in omnibus cathedralibus et in aliis ecclesiis quæ sufficientes haberent reditus, ad erudiendos clericos magister grammaticæ constitueretur : *Ibid.*, § 7.

In ecclesiis quarum annui proventus sunt tenues, et ubi cleri et populi exigua est multitudo, ut theologiæ lectio in eis commode haberi nequit, saltem deputetur magister qui clericos aliosque scolasticos pauperes grammaticam gratis doceret : *Ibid.*, § 9.

Voluit Concilium Tridentinum studiis favens, ut saltem in locis sit magister, qui doceret grammaticam : *Santand.*, *Com. vol.*, 21 *julii* 1764, § 6.

Hinc in qualibet cathedrali, et in aliis ecclesiis, constitui debet ab Episcopo magister idoneus, qui clericos grammaticæ facultatem doceat : *Fer.*, 4 *dec.* 1754, § 5.

Et dicti juris antiqui dispositioni accedit Tridentina Synodus, quæ voluit ut, si theologiæ lectio commode haberi nequeat, magistere ligatur ab Episcopo, qui clericos et scolasticos pauperes grammaticam gratis doceat : *Ibid.*

Sed, si electio magistrorum ad alios spectet, Episcopo non licet eos deputare, nisi in casu negligentiæ illorum ad quos tale jus pertinet : *Ibid.*

Magister ludi litterarii a communitate electus, ex sententia S. Concilii Tridentini in iis quæ spectant ad doctrinam catholicam et bonos mores potest ab Episcopo examinari : *Ibid.*, § 6.

Qualitatem sacerdotalem Concilium Tridentinum in instituendis magistris grammaticæ vel seminariorum non requisivit : *Comen.*, *Benef.*, 13 *jul.* 1771, § 7.

Reliqua. Vide *Ludi magister.*

§ II.

Magister sacrarum cæremoniarum.

Qui in munere cæremoniarum magistri assistentiam præstat archiepiscopo, censetur inservire eidem ecclesiæ metropolitanæ et distributiones quotidianas lucretur : *Rav.*, *Dist. quot.*, 1 *aug.* 1739, § 2.

Munus magistri cæremoniarum, licet moneatur Episcopus ut dicti magistri ex gremio suæ ecclesiæ, si fieri potest, assumantur, nulli tamen canonicatui vel beneficio de jure addictum est, ita ut nemo ex canonicis, vel beneficiatis, queat ad illud suscipiendum obstringi : *Ibid.*, § 3.

Magistris cæremoniarum debet certum quodpiam et competens stipendium assignari, et insuper præter ceteras prærogativas emolumenta aliqua extraordinaria applicanda sunt : *Ibid.*, § 4.

Si pro munere magistri cæremoniarum sustinendo annua scuta 18 assignata sunt, hoc stipendium tenue et minus congruum reputetur, sive ab Episcopo, sive a capitulo supplendum, donec ei aliunde provideatur : *Ibid.*, § 5.

Magistræ piæ.

De magistrarum piarum origine ac instituto disserit Benedictus XIV Pont. Max., dum Anglicanarum virginum institutum confirmavit sua const. *Quamvis*, 30 april. 1749 : *Tuscul.*, 16 *maii* 1767, §§ 20, 21.

Magistræ piæ de jure Episcopi jurisdictioni sunt subjectæ : *Ibid.*, § 8.

Ab Episcopi arbitrio magistrarum piarum deputatio ac amotio pendet : *Ibid.*, § 4.

Magistratus.

Magistratus sæcularis quotiescumque abfuerit præses, vel gubernator, occasione accedendi ad ecclesiam, non ad ostium Episcopi tantum, sed superius ascendere in aulam ab Episcopo ad hoc destinatam, et progredientem Episcopum ad ecclesiam comitari, et ante illum incedere debet : *Terr. et Set.*, 21 *aug.* 1784, § 9.

Id confirmat *Cæremoniale Episc.*, lib. 3, c. 10, et lib. 1, c. 15, §§ 2 et 3 : *Ibid.*, § 10.

Si Episcopus ob aliquam rationabilem causam

descendat in ecclesiam per scalam interiorem, tunc magistratus ad ecclesiam accedat, Antistitem excipiat et comitetur, præside tamen, seu gubernatore, absente : *Ibid.*, § 11.

Si autem contigerit quod magistratus supervenerit incepta jam Missa, vel officio, id quod mandatur a Cæremoniale de adventu canonici, lib. 1, cap. 18, § 4, observandum est : *Ibid.*, § 12.

Magnus prior. Vide *Religio militaris*, § iv.

Mandatum procuræ.

Mandatum procuræ non præsumitur in præsente : *Nol.*, *Rest. in int.*, 19 *nov.* 1757, § 3.

Mansionaria quoad qualitatem.

Ex verbis fundatoris nominandi alium casu quo *se ottenesse qualche altro beneficio ecclesiastico*, mansionaria beneficio ecclesiastico comparata est : *Firm.*, *Mans.*, 15 *dec.* 1770, § 8.

Præterea si patronatus capitulo metropolitanæ relictus sit : *Ibid.*

Et si demandaverit testator electionem personæ *da elegersi in perpetuo ec. sempre in infinito ec.* : *Ibid.*

Ac demum si requisiverit in eo qui ad mansionariam nominandus esset, doctrinæ et eruditionis prærogativam : *Ibid.*

Mansionarius.

§ I.

Mansionarius in genere.

Mansionarii de jure communi non sunt de gremio capituli, nec appellatione capituli comprehenduntur ; *Fir.*, *Voc.*, 21 *aug.* 1734, § 6 ; *Cal.*, 5 *jul.* 1738, § 4.

Quia capitulum constat de solis canonicis, ideoque sub nomine capituli et canonicorum non continentur mansionarii : *Eug.*, 7 *sept.* 1793, § 4.

Mansionarii mysticum saltem sunt membrum capituli : *Ibid.*, § 5, et *Firm.* cit., § 7.

§ II.

Mansionarius quoad distributiones.

Mansionarii conferre debent tertiam eorum stipendii partem in distributiones : *Senog.*, 13 *jun.* 1789, § 20.

Et solvendæ sunt hujusmodi distributiones singulis mensibus in manibus æditui, ne per dimissionem negligentis mansionarii, iis privetur qui diligentem assistentiam præstitit choro ; ac utroque deficiente, cedere debere in utilitatem sacrarii : *Ibid.*

§ III.

Mansionarius quoad servitium in choro et cætera onera.

In capitulis generaliter institutum est mansionarios, veluti canonicorum famulos, obstringi libros in legili parare, eorumque folia, cum opus fuerit, persolvere, ut horæ canonicæ rite possint decantari : *Macer.*, *Serv. chor.*, 22 *aug.* 1739, § 5.

Præsertim si accedit decretum Episcopi occasione visitationis pastoralis editum, quod utpote sacrorum canonum disciplinæ consentaneum religiose observandum est : *Ibid.*

Et multo magis favente veteri consuetudine, juxta quam mansionarii cuncti onus prædictum absque illa contradictione subierunt. Nam hic vetus usus plurimum ad rem confert : *Ibid.*

Munus mansionarii est divina officia et Missas canere : *Firm.*, *Mans.*, 15 *dec.* 1770, § 5.

Mansionarii, qui et *assisii* nuncupantur, veri beneficiati dicuntur et ecclesiasticum beneficium obtinent : *Ibid.*

Mansionarii, nisi almutiam in choro et supplicationibus deferant, pro intervenientibus habere nequeant : *Senog.*, 13 *jun.* 1789, § 20.

Mansionarii ad Missam conventualem eleemosyna desumpta ex massa distributionum tenentur : *S. Sever.*, *Eleem. Mis. conv.*, 18 *febr.* 1764, § 5.

§ IV.

Mansionarius quoad vocem in capitulo.

Mansionariis non est de jure debita vox in capitulis : *Brix.*, *Voc. in cap.*, 6 *dec.* 1760, § 1.

Nec concedi videtur ex privilegio in litteris Apostolicis erectionis præcipientibus, capitulum ejusdem collegiatæ ecclesiæ insimul constitui a dignitatibus canonicis et mansionariis : *Ibid.*

Mansionarii non sunt de gremio capituli, neque in eo suffragii jure potiuntur : *Ibid.*, § 3 ; *Calar.*, *Elec. conc.*, 5 *jul.* 1738, § 4.

Attamen est limitatio vulgata, ut ex privilegio vel consuetudine possint utramque prærogativam adipisci : ead. *Brix.*, *ibid.* ; et *Firm.*, *Voc. in cap.*, 21 *aug.* 1734, § 7.

Quia possint mansionarii nihilominus capitularibus actibus aliquando interesse, ibique suffragium suum una cum canonicis proferre, si id juris sive ex Apostolico indulto, vel ecclesiæ statuto, vel legitima consuetudine, sive ex illius reservatione quoad aliquem actum per fundatorem facta acquisierint : *Ibid.* ; ead. *Cal.*

Neque ferre possunt mansionarii suffragium in electionibus reservatis capitulo et canonicis : *Eug., Elect.*, 7 *sept.* 1793, § 4.

Maxime si discretive vocati sunt ad passivum jus electionis : *Ibid.*

Et in eo quoque habere valent vocem ex privilegio, statuto, vel consuetudine : *Ibid.*, § 5.

Facile autem ob eorum vocatione passiva fit illatio ad activam : *Ibid.*

Inspecta potissimum *seu* inter ipsos et canonicos adjecta, quæ alternativam inducit : *Ibid.*

Quum mansionarii saltem mysticum sint membrum capituli, hinc suo jure convenire valent cum corpore, et in rebus ad se etiam pertinentibus suffragium ferre : *Firm., Voc. in Cap.*, 17 *junii* 1797, § 7.

Et eis illatum non censetur præjudicium, licet quandoque canonici in rebus ipsis disposuerint : *Ibid.*, § 8.

Idem jus ferendi in rebus communibus suffragium in capitulo clerici beneficiati habent : *Ibid.*, § 9.

Ubi eadem militat communionis ratio idem esse debet judicium : *Ibid.*, § 10.

Ideoque ad mansionarios etiam et clericos spectat electio camerarii : *Ibid.*, § 11.

Neque jus privativum eligendi quærere canonici ex observantia valent : *Ibid.*

Observantia diuturna contra mansionarios interpretata, intelligi debet de illorum simultaneo concursu in capitulo quoad solas res œconomicas, et quoad respicientia eorum interesse, non autem quoad præeminentialia et jurisdictionalia : *Brix., Voc in cap.*, 8 *martii* 1760, § 5.

Fortius, si canonici postmodum acquieverint per quadraginta et amplius annos, observantia interpretativa inde validius confirmata est : *Ibid.*, § 6.

Mansionarii suffragii jure saltem potiuntur in iis quæ eamdem massam communem respiciunt, cum de cetero administratio massæ communis competat solum canonicis, ubi eadem massa sit conflata non ex bonis tam canonicorum quam mansionariorum, sed ex bonis ecclesiæ, et mansionarii duntaxat audiendi sunt, si velint administrationem a canonicis gestam explorare, aut aliquid adversus illam opponere : *Ibid.*, § 9.

MANUALIA BENEFICIA. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XIX.

Marca moneta.

Marca meranensis respondet valori scuti unius, et obul. 35 monetæ Romanæ : *Trid., Appl.*, 26 *aug.* 1769, § 6.

Marcæ viginti meranenses summam non excedunt scut. 27 ; quemadmodum publici etiam cambistæ retulerunt ; quibus uti deponentibus de re ad proprium officium spectante, plena fides est adhibenda : *Ibid.*

Nec oppositum desumitur ex auctoribus de marcarum valore disserentibus, cum isti non loquantur de marca meranensi, sed de marca argenti puri valente sex ducatos de camera : *Ibid.*

MARITUS QUOAD DIVORTIUM. Vide *Matrimonium*, § VII.

MARITUS QUOAD RELIGIONIS INGRESSUM. Vide *Matrimomium*, § XXXVII.

MARITUS QUOAD SEPARATIONEM THORI. Vide *Matrimonium*, § XXII.

MARGINALIS NOTA. Vide *Apostilla*.

Marmor.

Marmor est lapis insigniter durus : *Parmen.*, 10 *maii* 1794, § 6.

Martyr.

Asserunt nonnulli milites catholico in bello pugnantes adversus infedeles martyres esse, si mortem inductam voluntate suscipiant : *Alb., Conc.*, 28 *aug.* 1723, § 10.

Nonnulli e contra sustinent, martyres non esse dicendos dictos milites, licet pura intentione pugnent pro fide, et in bello moriantur : *Ibid.*

Alii vero mediam tenentes viam docent, prædictos milites rigorose martyres dici non posse, sed improprie, eo quod licet moriantur pro fide, tamen contrapugnando et resistendo occumbunt : *Ibid.*

MASSA FRUCTUUM AC DISTRIBUTIONUM. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § V.

MATERIA. Vide *Sacramentum Ordinis*, § VIII.

MATRIMONIA. Vide *Parochus*, § XI.

MATRIMONIALES CAUSÆ. Vide *Causæ*, § III.

MATRIMONIALES DISPENSATIONES. Vide *Dispensatio a* § XII *usque ad* § XVIII.

Matrimonium.

§ I.

Matrimonium in genere.

Triplici modo considerari valet matrimonium, ut contractus nempe pure naturalis, ut contractus civilis, ut sacramentum novæ Legis : *Brix., Dub. bapt. et Matrim.*, 27 *aug.* 1796, § 14.

Matrimonium ratum unum est ex septem sacramentis, quorum janua est baptismus : *Ibid.*, § 15.

Hinc matrimonium secundum Ecclesiæ ritum vere et proprie unum ex septem Legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum esse Con-

cilium Tridentinum docuit : *Rem. seu Reat., Null. matr.*, 1 *febr.* 1766, § 13.

Matrimonium est plane suapte natura indissolubile : *Luc., Null. matr.*, 21 *nov.* 1767, § 10.

Finis matrimonii primarius sistit in prolis generatione; secundarius in concupiscentiæ extinctione : *Plac., Null. matr.*, 17 *apr.* 1779, § 8.

Matrimonia contra formam Concilii Tridentini inita nec in sponsalia transeunt, etiamsi conjugalis actus accesserit : *Taur., Matr.*, 12 *dec.* 1767, § 7.

Alii putant pro tractatu ineundi matrimonii sufficere generales etiam pollicitationes a viro factas deducendo puellam in uxorem, et ab ista acceptatas : *Omol., Matr.*, 18 *martii* 1772, § 34.

Alii censent, tam validum et perfectum tractatum requiri, ut pro matrimonio pene haberetur, nisi parochi et testium præsentia deficeret : *Ibid.*

Matrimonium reservatum est privativo judicio Ecclesiæ, nec subjacet laicorum potestati : *Macer.*, 29 *aug.* 1761, § 1.

Laicorum statuta, quæ connubii vinculum tangunt, vel pœnam decernunt causa matrimonii, irrita sunt : *Ibid.*, § 2.

Certissimum et notissimum juris principium illud est, in individuis nempe contractibus, cujusmodi est matrimonium, jus et privilegium uni collatum, etiam alter contrahentium convenire : *Disser. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. I, discep. 2, num. 13.

Leges profana auctoritate latæ matrimonium secundum civiles quidem effectus rescindere integrum possunt; at secundum contractus rationem, abrogandi facultas, ex quo ad Sacramenti excellentiam evectus fuit, penes solam Ecclesiam est : *Ibid.*, disc. 3, num. 9.

Matrimonium etiam infidelium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia : *Flor.*, 29 *mart.* 1727, § 31.

§ II.

Matrimonium quoad alimenta et sumptus litis.

Exploratum est in jure, quod pendente judicio super validitate matrimonii, quod præsertim ratum sit et consummatum, subministranda per virum sunt alimenta et sumptus litis uxori, quamvis ista esset penitus indotata : *Cæs., Matr.*, 10 *martii* 1770, § 10.

Et hoc onus refunditur in filium viri prædefuncti in primis nuptiis susceptum, utpote quia patri ab intestato successit : *Ibid.*

Et alimenta, dum agitur de prænobili ac ditissima familia, non ex necessitate tantum sunt dimetienda, sed pro modo dignitatis ac decoris juxta patrimonii vires, et personarum qualitatem, quemadmodum occasione primi matrimonii viri pater filio ejusque uxori subministrare promiserat : *Ibid.*

Ac etiam explorati juris est, licet matrimonii nullitatem in judicio mulier sustineat, alimenta et sumptus litis a viro sunt præstanda : *Crac., Matr. sup. alim. et sumpt. lit.*, 21 *jul.* 1759, § 2.

Et præstatio facienda est in ea quantitate quæ fructibus bonorum dotalium respondeat : *Ibid.*

Et ratio est, quia cum fructus dotis spectent ad maritum propter onera matrimonii, consequens est ut, si vir non ferat hæc onera, nequeat fructus suos facere : *Ibid.*

Locumque habet, etiamsi vir onera matrimonii uxoris culpa non ferat : *Ibid.*

Matrimoniali causa pendente, suppeditanda sunt mulieri pauperi alimenta et sumptus litis a viro appellante : *Cam. seu Fabr., Matr.*, 27 *junii* 1761, § 10 ; *Cord., Disp.*, 22 *nov.* 1760, § 2.

Et præfiniri a judice certa quantitas anticipata subministranda quolibet mense juxta indigentiam uxoris collitigantis et dignitatem familiæ debet : *Ibid.*; *Cord.* cit.

§ III.

Matrimonium non baptizatorum.

Non baptizati valide non contrahunt matrimonium uti sacramentum, sicuti valide non accipiunt Confirmationem et Ordinem : *Brix., Dub. bapt. et Matr.*, 27 *aug.* 1796, § 16.

Quamvis aliqui canonistæ et theologi affirment sacramenta Conjugii et Eucharistiæ recipi posse a non baptizatis : *Ibid.*

Loquuntur hi tamen de sacramento Matrimonii late sumpto pro mysterio nempe, ob quamdam significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia : *Ibid.*, § 17.

Irritum etiam est matrimonium cum cathecumeno, licet fidem habeat baptismi : *Ibid.*

Neque ad validitatem matrimonii valere baptismus flaminis : *Ibid.*

Illud vero uti contractum civilem legitime et valide ineunt non baptizati, legitimamque ex eo suscipiunt prolem : *Ibid.*, § 20.

Matrimonium legitimum solvi potest in favorem fidei, cum unus conjux, altero dissentiente, convertitur ad fidem : *Ibid.*, § 14.

MATRIMONIUM CELEBRATUM PER VERBA DE FUTURO. Vide *Sponsalia*.

§ IV.

Matrimonium sub conditione contractum.

Conditiones turpes, aut impossibiles, sed quæ matrimonii bonis non adversantur, vitiantur, sed

non vitiant matrimonium : *Ulyssipon. Occ., Nul. matr.*, 16 *mart.* 1720, § 3.

Secus autem se habet res, si conditiones apponantur quæ matrimonii substantiæ aut bonis sint adversæ ; tunc quippe non vitiantur, sed vitiant matrimonium, illudque nullum reddunt : *Ibid.*

Matrimonium a conditione ut liceat ingredi in religionem, et in ea ante consummationem profiteri, non vitiatur, cum conditio hæc de jure insit : *Ibid.*, § 4.

Conditio autem ut alter ex conjugibus teneatur ingredi in religionem ante consummationem, non est de jure, et matrimonii substantiæ adversatur, et ipsum matrimonium vitiare videtur : *Ibid.*

Alii, e contra, censent validum esse matrimonium sub conditione quod alter ex conjugibus se obbligeret ad professionem in religione emittendam, quum nec proli, nec fidei, nec indissolubilitati repugnet : *Ibid.*, § 5.

Recepta inter theologos sententia est, matrimonium esse validum, etiamsi contrahatur post conventionem initam abstinendi a quolibet actu conjugali, quum dominium distinguatur ab usu, et dominium subsistere valeat cum obligatione seu conditione non utendi re ipsa : *Ibid.*, § 5.

Si conditiones in matrimonio appositæ sunt turpes, aut impossibiles, debent propter ejus favorem pro non adjectis haberi. Si vero conditiones contra conjugii substantiam inserantur, puta, si alter alteri dicat : Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam alteram honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu : *Ibid.*, § 9.

Pactum emissum ante matrimonium ingrediendi religionem, et in ea profitendi, abstinendi insuper ab usu et consummatione matrimonii una cum renuntiatione cuicumque juri quod mulieri competere possit super corpore viri, superaddita expressione quod aliter matrimonium esset nullum, multa continet contra fidem, prolem, et sacramentum, quæ sunt tria bona nuptiarum, et sic substantiæ matrimonii adversatur : *Ibid.*, §§ 10 et 11.

Quando autem alter tantum ex contrahentibus protestationem fecerit conditionum bono matrimonii adversantium, et alter ignoraverit, ita ut ex parte tantum unius adsit dolus, Ecclesia judicare debet pro matrimonio : *Ibid.*, § 12.

Si tempore quo celebratum fuit matrimonium, non fuit exposita conditio illius substantiæ contraria, sed liber fuit consensus, validum est matrimonium : *Ibid.*

Matrimonium vero initum sub conditione ejus substantiæ contraria est invalidum, nisi probetur recessus a conditione : *Ibid.*, in fin.

Si sub conditione matrimonii substantiæ contraria initum illud fuit, est invalidum, quamvis vir copulam cum muliere habuerit : *Ibid.*, § 13.

Quia regula juris est, ut si matrimonium contrahatur cum conditione quæ sit contraria substantiæ matrimonii, conditio non vitiatur, sed vitiat matrimonium : *Flor.*, 29 *mart.* 1727, § 43.

Pactum dissolubilitatis est contra substantiam matrimonii : *Ibid.*, § 44.

Intellige etiam in terminis matrimonii initi inter Judæos, quod nullum est, si fuerit contractum cum pacto expresso repudii, vel cum intentione non observandi perpetuitatem : *Ibid.*

Conditio ut uxor comitari deberet virum in patriam reversurum, si fuerit violata, locum dare nequit irritationi matrimonii : *Eyslett., Matr.*, 17 *sept.* 1731, § 12.

Si ageretur de vera et propria conditione, quæ, ubi sit de futuro contingente, matrimonii valorem suspendit, videndum esset an, consummato ante eventum conditionis matrimonio, censeri debeat fuisse recessum a conditione, et virum absolute in matrimonium consensisse : *Ibid.*, § ult.

Potissimum in eo loco quo ob non factam S. Concilii Tridentini promulgationem servanda non erat forma ab eo præscripta, sed solo contrahentium consensu poterat matrimonium iniri vel confirmari : *Ibid.*

Si conditio habitandi in certo loco censenda sit habere potius naturam modi, sive pacti, illius violatio locum dare non potest irritationi matrimonii : *Eadem caus.*, 9 *febr.* 1732, § 15.

Ubi agitur de vera et propria conditione futurum eventum respiciente, adeoque suspensiva valoris matrimonii, obstat illud, quod, consummato ante ejus eventum matrimonio, recessum fuisse videtur ab ea conditione, et absolute præstitus in matrimonium consensus censetur : *Ibid.*, § 16.

Quamvis conditio impossibilis adjecta matrimonio non officiat ejus validitati, sed habeatur pro non adjecta, nihilominus si contrahentes aut eorum alter conditionem illam putaverit possibilem, vel hanc canonici juris constitutionem ignoraverit, vel conditionem utcumque impossibilem sciens et prudens serio adjecerit, matrimonium redditur irritum ex defectu consensus, qui tali conditioni fuerat affixus : *Ibid.*, § 18.

Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, ut puta si alter alteri dicat : Contraho tecum donec aliam ditiorem invenio, matrimonium caret effectu : *Ibid.*, § 5.

Pactum in matrimonio adjectum, ut proles nascitura debeat hæresim profiteri, irritum est et improbum, quum divino æque ac naturali jure parentibus cura incumbat liberos in vera fide, bonisque

moribus educandi : *Aug., Matr.*, 24 *nov.* 1742, § 9.

Sed dubium est an prædictum irritum pactum substantiæ matrimonii refragetur, ita ut illud irritum reddat : *Ibid.*, § 10.

Nonnulli aiunt quod pactum istud sit irritum, salvo et integro manente jure connubii : *Ibid.*

Alii ex professo quæstionem istam pertractant, et contrariam tuentur sententiam : *Ibid.*

Nullum est matrimonium ex defectu consensus, non purificata conditione sub qua contractum fuit : *Brix., Can.*, 18 *sept.* 1790, § 5.

Quum ab initio defecisse censeatur consensus, ac si nunquam præstitus fuisset : *Ibid.*

Quo deficiente consensu ad valorem matrimonii requisito, neque beneficium vacavit, quod antea possidebat : *Ibid.*

Protestatio in matrimonio, quod omnia quæ dicet et faciet non faciet animo contrahendi matrimonium, locum non habet, quando emissa fuit coram pluribus ab altero ex contrahentibus, vel conditio ab altero ex contrahentibus apposita est altero ignorante : *March., Matr.*, 22 *maii* 1734, § 11.

§ V.

Matrimonium quoad consensum ejusque renovationem.

Verba mutuum consensum exprimentia pertinent ad substantiam et formam sacramenti : *Aven. seu Aur., Matr.*, 9 *julii* 1768, § 6.

Hinc matrimonium ex defectu consensus est nullum : *Lun. Sarz., Matr.*, 17 *sept.* 1796, § 6.

Nec ratum haberi valet nullum ex defectu mandati, sed novo indiget consensu : *Ibid.*, § 8 ; et *Leod., Matr.*, 28 *maii* 1796, § 13.

Subsequentes actus conjugales convalidant matrimonium nullum ex defectu consensus occulto : ead. *Lun.*, § 10.

Non item nullum ex defectu consensus publico : *Ibid.*, § 9.

Ad validitatem matrimonii omnino requiritur ut uterque contrahens suum consensum coram parocho expresserit : *Taur., Matr.*, 26 *jan.* 1771, § 3.

Et ut parochus utriusque contrahentis consensum plane intellexerit, et de illo testari valeat : *Ibid.*

Cum alias parochus nullo modo esse possit testis illius actus quem non intellexit : *Ibid.*

Et si recurrat difficultas, quod parochus non intellexerit, satis est ad probandam matrimonii nullitatem : *Ibid.*, § 4.

Actus, quod vir super gradu altaris, puella vero super ostio capellæ genuflexerint, utpote præparatorius, inefficax est ad exprimendum actualem consensum in matrimonium : *Ibid.*, § 5.

Et instántia viri pro ineundo matrimonio trahi non potest ad actum matrimonii : *Ibid.*

Defectus consensus desumitur, quum sponsus statim dereliquerit sponsam, nullos cum ea actus conjugales exercuerit, et nunquam illius ædes inviserit : *Milet., Nul. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 3.

Matrimonium sine consensu vero consistere nequit : *Chien.*, 12 *mart.* 1729, § 4.

Viro asserenti se fuisse deceptum, ac non habuisse animum se obligandi, et non specificanti causam deceptionis ob quam inductus fuit ad contrahendum coram Ecclesia, deferendum nullo modo est in foro externo ; etiamsi medio juramento id affirmat : *Ibid.*, § 5.

Verosimilius enim est modo mentiri, quam in contractu principali : *Ibid.*

Circumstantiæ antecedentes, concomitantes, et subsequentes, quibus probari solet simulatum seu fictitium consensum contrahentium, debent esse adeo præcisæ et urgentes, ut certum moraliter redderent judicem hujus ficti consensus : *Ibid.*, § 6.

Conjecturæ et circumstantiæ simulatum consensum demonstrantes sunt, si vir illico post contractum matrimonium animum suum aperit se ficte consensisse, vel si statim aufugerit, vel si verbis id expresserit, vel insimul aliud matrimonium ineat, aut ad religionem transeat, vel ad sacros ordines se promoveri faciat : tunc enim demonstrare videtur suum fictum consensum, quum præsumendum non sit tam cito se pœnitere, si vere consensisset, et immemorem suæ salutis esse, ut alias nuptias contrahere auderet : *Ibid.*, § 8.

Contractus connubialis perfici nequit sine mutuo consensu et mutua voluntate ; a qua ille vim formamque accipit : *Eyst., Matr.*, 8 *febr.* 1732, § 1.

Secundum jus antiquum, matrimonii consummatio ac diuturna cohabitatio tanquam ex novo libero consensu satis esse ad illius revalidationem poterant : *Crem., Matr.*, 22 *mart.* 1752, §§ 10 et 11.

Sed post Concilium Tridentinum necesse est matrimonium de integro contrahi coram parocho et testibus, adhibita rursus ejusdem Concilii forma : *Ibid.*

Sed hæc regula limitatur, ubi nullitas a metu promanans sit occulta, quia purgato tunc metu, iteratoque conjugum consensu convalescit, nec oportet denuo contrahi cum iisdem solemnitatibus : *Ibid.*, § ult.

Matrimonium non contrahitur, nisi utriusque

contrahentis consensus exprimatur verbis, aut signis certis et univocis : *Cam. seu Fabr.*, 27 *jun.* 1761, § 3.

Et consensus contrahentium pro ineundo matrimonio exprimendus est coram parocho et testibus : *Ibid.*, § 4.

Præsentia autem parochi et testium debet esse moralis cum intelligentia actus qui geritur : *Ibid.*

Et circa testium intelligentiam magis deferendum illorum dispositioni, quam contrariis argumentis et conjecturis : *Ibid.*, § 5.

Præsertim in matrimonio clandestino, pro quo non militat juris præsumptio, uti in matrimonio rite contracto præviis solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis ; sed in dubio judicandum est pro illius nullitate : *Ibid.*

In matrimonio consensus exprimendus est verbis non ambiguis, sed certis : *Cam. seu Fabr., Matrim.*, 21 *aug.* 1762, § 11.

Et requiritur præsentia formalis testium, qui non videntur fuisse præsentes dum nec verba audivisse, nec aliquo modo percepisse contrahentium consensum : *Ibid.*

Atque deferendum est testibus deponentibus de facto proprio, quam indicio parochi et verisimilitudini : *Ibid.*, § 12.

Ac unus testis non sufficit, sed duo requiruntur, qui simultanee intelligant cum parocho : *Ibid.*

Nihilque prodest favor parochi matrimonio, quando contractum est clandestinum : *Ibid.*

Verba *placet*, vel *consentio* sufficiunt ad matrimonium contrahendum : *Ibid.*, § 13.

Et de actu testari possunt, a quo infertur consensus præstitus matrimonio, licet ipsi testes ex eodem actu non arguissent consensum : *Ibid.*

Matrimonialis consensus rite præstatur per nutus et signa : *Neap., Matrim.*, 6 *maii* 1741, § 2.

Exploratum est, non ex verbis tantum sed ex nutibus, ac signis, et actibus, qui matrimonium antecedunt, comitantur, et subsequuntur, parochum et testes utriusque contrahentis consensum percipere posse, deque illo adeo certos esse ut probe valeant de inito matrimonio testimonium perhibere : *Aven. seu Beac., Matrimonii*, 9 *jul.* 1768, § 20 ; *Taurinen., Matrimonii*, 26 *jan.* 1771, § 9.

Mutis fas est per signa et nutus consensum exprimere, non autem loqui valentibus : *Anag. seu Aur., Matr.*, 9 *jul.* 1768, § 9.

Actus initiales et proximi ad matrimonii celebrationem non sunt apti ad inducendam præstationem realem consensus in matrimonium, atque idcirco inutiles sunt, et inefficaces ad ipsum consensum comprobandum : *Ibid.*, § 10.

Vel ad summum vim aliquam habent, quando præter relatos actus intervenit celebrationi matrimonii legitimus testium numerus, aut aliqua coram parocho prolata sunt verba consensum præ se ferentia, aut æquipollentia signa sunt adhibita, et quando etiam cohabitatio et copula est subsequuta : *Ibid.*

Invalidum est matrimonium celebratum a demente, quum ratione dementiæ legitimum non possit consensum ad matrimonii validitatem necessarium elicere : *Corduben., Nul. matr.*, 26 *febr.* 1763, § 10.

Mulier demens tempore initi matrimonii instigata porrigere manum coram parocho dubium de primævo illius consensu injicit : *Ead.*, 20 *sept.* 1760, § 7.

Uxor post contractum matrimonium non valet asserere illud se contraxisse tempore quo non erat sanæ mentis : *Præmis., Null. mart.*, 18 *jul.* 1778, § 12.

Nisi probet actu celebrati matrimonii eodem morbo correptam fuisse : *Ibid.*, § 13.

In matrimonio præsumpto præsumptione juris tantum, prout in matrimonio a parentibus filiorum nomine contracto, admittitur sufficere taciturnitas : *Taur., Matr.*, 26 *jan.* 1771, § 14.

Et rationem affert S. Thomas, quia verba parentis reputántur filii, qui, si non contradicat, præbet signum consensus : *Ibid.*

Affectus et voluntas contrahendi matrimonium quis habere potest, quamvis impedimentum dirimens, quo detinebatur optime sciret : *Valen., Disp.*, 15 *apr.* 1752, § 1.

Mulier si non contradicit, manifestat suum consensum in contractu quo ex silentio rite infertur : *Taur., Matr.*, 26 *jan.* 1771, § 9.

Eo magis, quia verba necessaria non sunt quoties sponsalia, et tractatus de ineundo matrimonio præcesserunt ; *Ibid.*

Si superveniat consensus sine præsentia parochi, convalidare hic nequit matrimonium nullum : *Theat., Null. matr.*, 4 *jun.* 1763, § 9.

Standum est testibus affirmantibus consensum de præsenti, quia sunt numero plures præsertim, quando assertio parochi est jurata : *Ferr., Matr.*, 12 *dec.* 1761, § 7.

Ad matrimonium valide ineundum satis esse, ut conjuges unius saltem mensis spatio habitaverint in loco ubi fuit celebratum : *Olom , Null. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 21.

Preces, et suasiones, nisi in apertissimam violentiam redoleant, nusquam irritare valent in matrimonio consensum : *Præmislien., Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 10.

Quando impedimentum est occultum, et in ma-

trimonio, licet nulliter a principio contracto, servata est forma conciliaris, non est opus pro revalidatione iterum contrahere repetitis solemnitatibus, alias rite adhibitis in primo contractu : *Cænet.*, 10 *april.* 1723, § 7.

Etiam Sacra Rota pro revalidatione matrimonii si impedimentum fuerit occultum, et in primo contractu servata fuerit forma Concilii, renovationem consensus coram parocho, et testibus necessariam esse non existimavit : *Ibid.*, § 8 ; et *in Flor. seu Luc.*, 28 *sept.* 1726, § 8.

Matrimonium contractum propter metum a consanguineis stupratæ incussum stupratori, quum fuerit justus, sed non juste fuerit incussus, est nullum, si metus tempore initi matrimonii erat publicus, neque ex copula, et aliis actibus subsequentibus revalidatum dici potest deficiente videlicet novi præstatione consensus coram parocho, et testibus : *Ibid.*, § 9.

Supposito metu, et quod matrimonium contractum fuerit dependenter a metu cadentem in constantem virum, subsequens cohabitatio illud validum efficere non potest, nisi novus accedat consensus, adhibita forma a Concilio Tridentino præscripta : *Vigil.*, *Matr.*, 23 *jun.* 1725, § 12.

Quando publicum adest impedimentum non potest matrimonium revalidari, nisi per novum contrahentium consensum præstandum coram parocho et testibus ad tramites Concilii Tridentini, licet forma hæc a Concilio præscripta in primo matrimonio nulliter contracto fuerit adhibita : *Flor. seu Luc.*, 28 *sept.* 1726, § 6.

Ad differentiam casus in quo impedimentum esset occultum, et in matrimonio, licet nulliter contracto, servata fuisset forma Concilii ; in ejus etenim revalidatione, licet opus sit quod a contrahentibus renovetur, non est tamen necessarium ut iterum contrahant, repetitis solemnitatibus in primo contractu adhibitis : *Ibid.*, § 7.

Ratihabitio fit non ad convalidandum matrimonium nullum, sed ad majorem cautelam : *Lun. Sarz.*, 17 *sept.* 1796, § 13.

Novum non est apud Indos consensum revocandi, inspecta eorum conditione et consuetudine facile consentiendi in matrimonium ficte contractum : *Sant. seu Cub.*, *Matr.*, 26 *apr.* 1788, § 2.

Absque mutuo consensu induci nequit matrimonii vinculum : *Ibid.*, § 6.

Testibus præferendum est publicum revocati consensus instrumentum : *Ibid.*

At si testes contradicunt instrumento in quo scripti sunt, prævalent instrumento : *Ibid.*, § 7.

Protestans de ficto et revocato in matrimonium consensu, faciendo actum contrarium protestationi, videtur ab ea recedere et simpliciter consentire : *Ibid.*

Matrimonium, ab initio nullum ex defectu consensus, revalidare nequit copula subsequuta : *Camer. seu Fabr.*, *Matr.*, 27 *junii* 1761, § 6.

Minusque nequeunt epistolæ ad mulierem scriptæ consensum supplere legitime non præstitum coram parocho et testibus : *Ibid.*

Verbum *volo* injuctum accusativo præsentem habet significationem, et aptum est exprimere consensum de præsenti pro ineundo matrimonio : *Ibid.*, § 7.

Responsio mulieris *placet*, vel *consentio* exprimit consensum de præsenti pro ineundo matrimonio : *Ibid.*

Et responsio mulieris *io confermo lo stesso* parem habet efficaciam : *Ibid.*

Et ratio est, quia responsio, etiamsi concepta verbis dubiis, et æquivocis, regulariter accipitur cohærenter ad interrogationem : *Ibid.*

Pro præsentia testium satis est eos quoquomodo percipere consensum contrahentium : *Ibid.*, § 9.

§ VI.

Matrimonium quoad denuntiationes.

Synodus Tridentina, sess. 24, cap. 1, *de Reform.*, statuit ut antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festis in ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum : *Senog. seu Matr.*, 3 *apr.* 1734, § 2 ; *Andr.*, 20 *dec.* 1776, § 23.

Si quis ex sponsis recenter venerit ad eam parochiam in qua matrimonium est contracturus, plures doctores existimant proclamationes fieri etiam oportere in alia ecclesia in cujus parochia diutius domicilium antea habuerat : *Ibid.*, *Senog.*

Quia ex præscripto sac. Concilii, et etiam ante Concilium hoc ex lege lata ab Innocentio III ideo publicæ denuntiationes sunt præmittendæ, ut impedimenta, si quæ sint detegantur ; id melius ibi resciri potest, ubi longior fuit commoratio : *Ibid.*

Alii doctores opiniones censent conciliandas, ut quando brevis fuerit commoratio in nova parochia, adeo ut verosimilis ibi non sit impedimentorum notitia tunc denuntiationes fieri debeant etiam in priori parochia, secus vero si per aliquot annos habitaverint in parochia qua matrimonium sit ineundum : *Ibid.*, § 3.

Matrimonii denuntiationum in tribus diebus festis inter Missarum solemnia finis est, ut stante populi multitudine, facilius et securius detegantur

impedimenta, si forte adessent inter contrahentes: *Brun.*, 3 *jun.* 1780, § 4.

Præceptum Tridentini præscribens trinas publicas denuntiationes matrimonii inter Missarum solemnia faciendas in ecclesia, intelligitur, juxta nonnullos, in sensu taxativo, ita ut nullo modo præteriri possit : *Ibid.*, § 6.

Sed cum denuntiationes prædictæ non sint de substantia matrimonii, valide fieri possunt, sicuti et matrimonia valida sunt, tam in diebus festis quam extra, dummodo denuntiationum tempore adsit populus : *Ibid.*, § 7.

Matrimonium quod fit non præmissis denuntiationibus, tunc dicitur clandestinum, quando omissio denuntiationum fit cum culpa et cum dolo : *Vesc.*, 20 *maii* 1719, § 3.

Secus autem, quoties omissio secuta fuit sine dolo et sine culpa, et cum consilio parochi : *Ibid.*

Concilium Tridentinum prudentiæ et judicio Ordinarii remittit omissionem denuntiationum in matrimoniis : *Jadren.*, 24 *aug.* 1720, § 8.

Recepta in Sacra Congreg. sententia est, ut matrimonium sit validum licet fuerint omissæ denuntiationes : *Ibid.*

Et justa subsistere causa potest quod Episcopus dispenset, ut vel eædem non præmittantur ante consummationem, vel ut eædem omnino prætermittantur : *Fer.*, *Matr.*, 21 *jun.* 1721, § 20.

Matrimonia secreta, omissis ea dispensatione denuntiationibus, sunt valida, quia illæ non sunt de substantia matrimonii : *Ibid.*, § 19.

Si mandato procuræ exprimitur quod matrimonium contrahitur præmissis denuntiationibus, matrimonium est validum si iisdem omissis contrahatur, quia, quando exprimitur in commissione forma juris communis eo modo quo jure communi inest, non inducitur nova forma; tantum expressa censetur admonitio ut jus commune servetur : *Feren.*, *Matr.*, 21 *jun.* 1721, § 4.

Denuntiationes non sunt de substantia, aut forma, earumque omissio matrimonium minime irritum facit : *Call.*, *Matr.*, 17 *aug.* 1776, § 5.

In his dispensari potest justis accedentibus causis, ut sunt illæ inæqualitatis personarum, et fœminæ jam compressæ et prægnantis, necnon consanguineorum adversatio : *Ibid.*, § 8.

Immo Ordinarius tenetur ad petitionem partis sub pœna peccati mortalis dispensare denuntiationes, maxime si sequeretur scandalum vel esset suspicio malitiosi impedimenti : *Ibid.*

Denuntiationes a Sac. Congregatione Concilii indictæ et non servatæ nullum afferunt impedimentum matrimonio, quoties sponsa a viro in legitimam uxorem est recepta : *Fer.*, *Matr.*, 20 *aug.* 1735.

Proclamationes matrimoniorum, quæ in quaque parochia contrahantur, et clericorum promovendorum ad ordines, sacrum Concilium Trident. exercenti curam animarum committit : *Aud.*, 29 *aug.* 1767, § 74.

Parochus qui facit matrimonium absque denuntiationibus, suspensione ab officio triennio duratura plectitur : *Aux.*, *Par.*, 15 *martii*, 1797, § 24.

§ VII.

Matrimonium quoad divortium.

In divortio permittendo caute procedendum ob periculum incontinentiæ et deficientis prolis damnum : *Im.*, *Sep. thor.*, 21 *jul.* 1792, § 3.

Maxime si uxor separata a viro in liberioris vitæ periculo versetur : *Ibid.*

Consensus tamen utriusque conjugis justa reputatur causa temporalis, vel etiam perpetui divortii : *Ibid.*

Uxor indigna est maritali consortio, quæ non paucis annis notorie in adulterio vixit : *Posn.*, *Matr.*, 12 *julii* 1760, § 3.

Inimicitiis exortis et odiis, locus est separationi thori : *Ibid.*, § 4.

Infidelis conjux collocanda est in aliquo ex monasteriis clausuram servantibus, ne plus libertati in dedecus familiæ indulgeat : *Ibid.*

Si schismatici contrahunt cum pacto expresso ut possint uti repudio in casibus sibi permissis, matrimonium est nullum, et per consequens non debent cogi ad illud observandum : *Eyst.*, *Matrim.*, 8 *martii* 1732, § 7.

Si eum animum internum habeant, et eo animo contrahant, ut liceat sibi uti repudio in casibus sibi permissis, matrimonium est etiam nullum : *Ibid.*

Si eam scientiam quam habebant de usu repudii habuerint antecedenter, ideo contraxerunt quia sciebant licere repudium, et aliter non contraxissent, jam videntur se implicare nolle ad perpetuitatem : *Ibid.*

Hebræus cum Hebræa matrimonium contrahendo, contrahit cum lege repudii : *Flor.*, 29 *mart.* 1727, § 40.

Repudii libellus, de quo in *Deuter.* cap. 24, sive importaverit simplicem tollerantiam, sive positivam dispensationem, juxta varias theologorum sententias, a Christo Dominus sublatus fuit in Evangelio : *Ibid.*, § 41.

Matrimonia inita inter infideles apud quos viget usus repudii, sed absque eo quod facultas repudiandi deducatur in peccatum, nec interne inten-

datur tanquam conditio et circumstatia contractus, ita ut iidem intendant matrimonium, utique possunt valide contrahere licet sint in opinione, quod possint valide repudire, hæc siquidem matrimonia uti valida reputant auctores relati : *Ibid.*, § 44.

Propter solam fornicationem sive adulterium est locus perpetuæ dimissioni, et absoluto divortio, quum divortium non sit verum, nisi quod animo constituendæ perpetuæ separationis expletur : *Taur.*, 16 *mart.* 1726, § ult.

§ VIII.

Matrimonium quoad dotem.

Non sunt in nuptiis nova exempla, inire contractum dotis cum spe additamenti consequendi : *Nul. Fer., Cont.*, 1 *mart.* 1766, § 8.

Subsidia pia dotalia ad facile inveniendas nuptias constituta sunt ; ideo danda non sunt mulieri jam nuptæ : *Ibid.*, § 2.

Sed de hac quæstione certatur inter legales : *Ibid.*

Verum distinguunt quod vel agitur de dispositione generali pro incertis de incertis, ita ut generaliter pro pauperibus puellis subsidia sint, et hoc casu cum nulla major sit ratio affectionis erga jam nuptas, excludi debeant quæ jam matrimonio sunt junctæ : *Ibid.*, § 2.

Aut agitur de subsidiis dandis certæ personæ, aut incertis de certo genere, ut nuberent, et hoc casu, etiam iis quæ nuptæ sunt dari debeant, propterea quod præsumitur testatorem non minus egenti jam nuptæ quam innuptæ consultum voluisse : *Ibid.*, § 13.

Præsertim si vocata mulier, antequam matrimonium iniverit, legitime de subsidio habendo patronos vel executores interpellaverit, ne præsentis tum matrimonii occasio interciperetur : *Ibid.*, § 14.

§ IX.

Matrimonium filiorumfamilias, seu invitis parentibus initum.

Nunquam Concilium Tridentinum requisivit consensum parentum, vel tutorum, quibus etiam invitis et renuentibus validum esse matrimonium definierat : *Omol.*, *Matr.*, 12 *mart.* 1772, § 32.

Matrimonium contractum de assensu puellæ, non curato parentum dissensu, validum est : *Præmis.*, *Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 12.

Tale efficitur, etiamsi ipsa uxor contraxisse dicatur tempore, quo non erat sanæ mentis : *Ibid.*, § 13.

Dummodo non probetur actu celebrati matrimonii eodem morbo correptam : *Ibid.*

Et invalida est pœna a statuto laicali indicta contra filiosfamilias nubentes cum dissensu patris : *Marcer.*, 29 *aug.* 1761, § 3.

Sed in casibus particularibus recurrendum est ad judicem ecclesiasticum, ut suo interposito officio indignas illorum nuptias prohibeat : *Ibid.*

An filiifamilias peccent nubendo cum dissensu patris, non una est doctorum sententia : *Ibid.*

Cautum in concilio Foroliviensi matrimonia, quamvis ex se valida, illicita tamen ex dissensu parentum, si rationabili nitatur fundamento : *Forol.*, *Spon.*, 29 *nov.* 1793, § 17.

§ X.

Matrimonium quoad legitimitatem prolis.

Pontifex Summus in radice matrimonii dispensando, facit ut proles legitima censeatur quoad omnes effectus etiam civiles indirecte : *Prag.*, *Matrim.*, 13 *jul.* 1720, § 3.

Copula, habita dum expectantur subsequenter litteræ declaratoriæ super dispensatione silentio prætermissi gradus propinquioris, est incestuosa ; et filii ex ea nati sunt illegitimi : *Luceor.*, *Null. matr.*, 28 *febr.* 1722, § 8.

Obvia est in decretalibus materia legitimitatis prolis ex matrimonio publice et bona fide contracto, licet ob latens aliquod impedimentum postea deprehendatur esse nullum : *Mechlin.*, *Leg. prol.*, 6 *jul.* 1726, § 3.

Filii concepti ante sententiam divortii a parentibus, qui ignorabant impedimentum, sunt legitimi, prout etiam legitimi sunt ii qui nati sunt post litem contestatam, qua valor matrimonii impugnatur : *Ibid.*

Permittitur carnale commercium inter conjuges quandiu lis pendet super matrimonio bona fide contracto, et in favorem pariter legitimitatis liberorum statutum est non requiri bonam fidem in utroque conjuge, sed sufficere bonam fidem unius ex ipsis : *Ibid.*

Sed si conjugatus, vivente uxore, ducat aliam, et hæc sciat illum esse conjugatum, proles exinde nata erit illegitima : *Ibid.*

Si vero secunda uxor ignorat impedimentum ligaminis quo vir laborat, legitima erit proles exinde nata : *Ibid.*

Erunt filii illegitimi si nati sint in matrimonio sine denuntiationibus contracto, licet impedimentum fuisset a conjugibus ignoratum : *Ibid.*

Limita hic, si denuntiationes omissæ ullo modo ad impedimentum detegendum non detulissent, ut

puta si matrimonium clandestine contractum, fuisset nullum ex defecti consensus interni alterius conjugis, vel ex defectu parochi communiter talis reputati, quamvis nullum titulum haberet, sed esset intrusus : *Ibid.*

Doctores aiunt quod proles, quæ nata est ex matrimonio nulliter contracto, etiamsi ante dispensationem, pro legitima habenda est usque a tempore conceptionis : *Flor. seu Luc.*, 28 *sept.* 1726, § 4.

Proles, quæ ex eo matrimonio genita est quod matre vivente impetitum non fuit, legitime dicitur : *Col., Leg. prol.*, 22 *jan.* 1746, § 4.

Quod multo magis procedit, si non agatur de illius fœdere, vel sustinendo, vel impugnando, mortuis parentibus, sed de effectu matrimonii : ideoque sive res sit pro alimentis, sive pro successione respondendum semper est in favorem matrimonii, quod eousque verum est, ut locum habeat etiamsi matrimonium non fuerit legitime celebratum : *Ibid.*

Nefandum enim esset ut filii, quorum nulla fuit culpa, detrimento afficiantur, dissoluto matrimonio, sive ii nati essent, sive dumtaxat concepti ante matrimonii dissolutionem, sed reputari debent legitimi, et jus illi est ut interea parentum bonis alantur : *Ibid.*

Et ubi de valore matrimonii nulla est quæstio, vivis conjugibus, et solum post eorum mortem in discrimen revocatur, an legitima soboles sit, hoc in casu prolem legitimam pronuntiari debet : *Ibid.*, § 5.

Et nulla vis facit defectus publicationis sententiæ, si non fuerit conjugum culpa quod illa publicata non fuit, satisque est fuisse in hac bona fide, et putassent fuisse publicatam : *Ibid.*

Constans est juris præsumptio (nisi contrarium doceatur per manifesta, vel diuturnæ absentiæ, aut impotentiæ viri, vel alterius similis causæ argumenta) sobolem ex conjugio potius quam ex adulterio esse procreatam, quamvis certo constet matrem sæpius pollutam fuisse nefariis amplexibus : *Bobien., Matr.*, 26 *febr.* 1743, § 7.

Idque adeo verum est ut neque si mater ipsa, vel uterque etiam parens in mortis articulo adseverent, quempiam ex filiis natum esse extra legitimum conjugii usum, nullatenus eis credi oporteat : *Ibid.*, § 8.

Id quod præsertim obtinet, si aliæ quædam legitimatæ prolis faveant præsumptiones, quarum præcipua est adnotatio in libro parochiali baptismatum : *Ibid.*

Ex constanti juris præsumptione soboles non ex adulterio, sed ex conjugio suscepta præsumitur, quamvis minime dubitetur de consuetudine mulieris, etiam cum alio homine : *Pien., Matr.*, 20 *martii* 1734, § 11.

Nisi tamen ob absentiam mariti, vel aliam certam causam id fieri non potuisse, manifestis argumentis evincatur : *Ibid.*

Proles edita septimo mense post conjugum cohabitationem censetur legitima : *Ibid.*, § 12.

Et ratio est, quia justo tempore natus videtur ille, quia centesimo octogesimo secundo die, videlicet ineunte septimo mense, lucis usuram adeptus fuit : *Ibid.*

Proles redditur legitima, etiam ex vi matrimonii, quod licet vere non sit validum, tale nihilominus existimetur ob ignorantiam vitii illud inficientis, bona fide concepta : *Tricarien., Matr.*, 27 *jun.* 1733, § 16.

Sed dubitatione non vacat, num ad legitimationem tribuendam proli ante nuptias susceptæ satis sit subsequens matrimonium, ex conjugum opinione, licet a vero aberrante, validum ; an ea vis ex præscripto juris canonici insit tantum matrimonio vere valido, riteque contracto : *Ibid.*, § 17.

Alii priorem sententiam amplexi sunt, alteram ceteri sectantur, et melioribus rationibus innixam : *Ibid.*

Proles redditur legitima etiam ex vi matrimonii quod, licet vere non sit validum, tale nihilominus existimetur ob ignorantiam vitii illud inficientis, dummodo apud alterutrum ex contrahentibus ea resideat opinio bona fide concepta : *Neap., Matr.*, 7 *jul.* 1756, § 5.

Non attenditur conceptio tempore concubinatus, quoniam si ante matrimonium filii progeniti, natique per subsequens matrimonium legitimi fiunt : *Cal., Matr.*, 17 *aug.* 1776, § 9.

Filius legitimus, et naturalis est, quoties ille venerat in lucem mense post initum matrimonium : *Ibid.*

Proles legitima est, si matrimonium celebratum fuerit præviis solemnitatibus consuetis in faciem Ecclesiæ, et in pacifica possessione ejusdem virum usque ad obitum permanserit, et nonnisi sequuto eodem quæstio instituta fuerit pro effectu prolis legitimitatis : *Neap., Matr.*, 11 *julii* 1767, § 23.

Satis est, ut matrimonium putativum sit, et bona fide contractum, ut validum declaratur pro prole legitima habenda, eademque capaci ad succedendum hæreditatibus legitimis descendentibus relictis : *Ibid.*, § 3.

§ XI.

Matrimonium quoad libertatem

In Concilio Tridentino sess. 24, cap. 9, *de Reform. Matrim.*, cautum est ne quovis modo dire-

cte, vel indirecte, magistratus et domini cogant subditos suos, vel quoscumque alios, quominus libere matrimonium contrahere debeant : *Macer.*, 20 *dec.* 1760, § 3.

Et id prohibetur sub pœna anathematis : *Ibid.*

Nec officit statutum, in quo pœna ejectionis ab ordine nobilium indicit contra eos qui decus propriæ nobilitatis maculant, vilibus abjectisque conjugiis : *Ibid.*, § 4.

Et ratio est, quia libera manet facultas nobilibus digne nubendi, absque incurrenda pœna, quamcumque maluerint paris conditionis mulierem : *Ibid.*

Atque in his terminis sustinetur, etiam ex mente Concilii : *Ibid.*

Liberum est matrimonium : *Tuder.*, *Matrim.*, 7 *sept.* 1793, § 5.

Et nemini adimenda hujusmodi libertas, qui canonico non prohibetur impedimento : *Ibid.*

Impedimenta quæ matrimonium dirimunt sunt : *error, conditio, votum, cognatio, crimen, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas si sit affinis, si forte coire nequibis, si parochi et duplicis desit præsentia testis, raptaque sit mulier nec parti reddita tutæ ;* hæc socianda vetant, connubia facta retractant : *Ibid.*, § 4.

Inter impedimenta dirimentia non est senectus : *Ibid.*, § 5.

Nemo enim est, in decrepita etiam ætate, quin natura vel arte adjectus aliquando coire valeat : *Ibid.*

Atque etiam generare, quum nullum a natura definitum sit procreationis tempus : *Ibid.*

Et fuerunt qui ultra centesimum annum generarunt : *Ibid.*

Ideoque permittit Ecclesia matrimonium senibus, qui habitu saltem potentiam habent generandi : *Ibid.*

Illudque immo permittit morientibus, licet extincta pene in eis sit talis potentia : *Ibid.*

Ad dirimens inducendum impedimentum satis non est difficultas, sed impossibilitas requiritur coeundi : *Ibid.*, § 6.

Matrimonii libertatem impedire nequeunt laici : *Macer.*, 29 *aug.* 1761, § 4.

Et quælibet laicorum dispositio, quæ sub formidine pœnæ vetat vel præcipit nuptias ineundas cum certo genere personarum, invalida est, tanquam læsiva libertatis matrimonii : *Ibid.*

Et pœnæ æquiparatur amissio magni lucri, qui jure proprio quodammodo sperari potuisset titulo suspensionis : *Ibid.*

Sub spe tamen lucri omnino eventualis potest quis allici ad certum matrimonium contrahendum : *Ibid.*

An vero matrimonii libertatem in se lædat statutum civitatis, quo, nulla indicta pœna contra indigne nubentes, monentur solum cives de ratione habenda initarum nuptiarum in concedendis vel denegandis patriis honoribus etiam titulo successionis prætensis : *Ibid.*, § 7.

In hujusmodi statuto inest publica utilitas, ne familiæ nobiles deturpentur indignis nuptiis : *Ibid.*, § 10.

Licet non vir uxoris, sed uxor viri sequatur conditionem : *Ibid.*, § 5.

Publica vero utilitas valida non reddit statuta laicorum, quæ sub formidine pœnæ, vel amissionis magni lucri, prohibent nuptias cum certo genere personarum : *Ibid.*

Limita, si libera maneat facultas commode et honeste nubendi cum aliis personis quæ non sint de genere prohibito : *Ibid.*, § 8.

Et similia statuta civitatum a Summo Pontifice confirmata suam metiuntur validitatem a sola confirmatione Pontificis, nec traducenda sunt in exemplum pro tribuenda simili potestate statuendi aliis civitatibus : *Ibid.*, § 6.

Statuta vero equestrium ordinum, quæ generosam militis nobilitatem requirunt ex latere utriusque genitoris, non respiciunt matrimonia, sed solum militis originem : *Ibid.*

Nec sunt pœnalia, quia non adimunt jus quæsitum, sed arcent a militiæ gradu, sive a lucro quærendo, natos ex ignobili matre : *Ibid.*

Matrimonii libertas non læditur per statutum conditum sub expressa reservatione confirmationis Apostolicæ : *Ibid.*

Quia hoc casu ejusdem statuti efficacia metienda est non a potestate laici conditoris, sed a potestate Summi Pontificis confirmantis : *Ibid.*, § 9.

Matrimonii libertas læditur, illudque idcirco redditur nullum, sive quis compellatur ad illud contrahendum cum una determinata persona, sive absolute et simpliciter adigatur ad illud ineundum, relicta libertate illud contrahendi cum indeterminata persona : *Mutin.*, *Matr.*, 19 *aug.* 1724, § 8.

Aliud est eligendi matrimonii pœnæ metu libertatem auferri, aliud ad matrimonium certa lege invitari. Juxta hanc distinctionem, an matrimonii eligendi libertas, hæreditate data, aut adempta, tolli censeatur, disputant Sanchez et alii : *Urb.*, *Matr.*, 26 *april.* 1732, § 7.

Hæreditas sive legatum amittitur ab eo qui nubat ignobili, quum a testatore jussus nubere nobili fuisset : *Ibid.*

Favori causæ piæ substitutæ nihil est tribuendum, ubi agitur de libertate matrimonii per injectam pœnam violata : *Ibid.*, § ult.

Matrimonii libertas ab aliena voluntate pendere non valet : *Rom.*, *Sup. dub. matr.*, 6 *martii* 1700, § 1.

§ XII.

Matrimonium per litteras contractum.

Matrimonium jure communi potest etiam contrahi per litteras, præsertim si litteræ a viro missæ fuerint : *Jan.*, *Matrim.*, 10 *jnl.* 1728, § 6.

Jus autem canonicum indistincte loquitur, et nullum inter virum et mulierem discrimen agnoscit : *Ibid.*

Dubitatum aliquando est, an ea contrahendi ratio sit a Sac. Tridentino abrogata ; sed doctores frequentius post Concilium Tridentinum docent, quod uti per procuratorem ita etiam per litteras contracta matrimonia viribus subsistere : *Ibid.*, § 7.

Communi vero sententia admittitur, quod litteras mittens non solum scribere debeat se præsenti matrimonio consentire, sed etiam alterius consensum acceptare, quo scilicet, aliisque similibus casibus, si lecta epistola coram parocho et testibus, alter consentiat, jam mutua utrinque voluntas et acceptatio intervenisse videatur : *Ibid.*, § 9.

§ XIII.

Matrimonium quoad locum et tempus.

Celebrari dicitur in faciem Ecclesiæ, si juxta ejus ritum quocumque in loco celebretur : *Lun. Sarz.*, *Matr.*, 17 *sept.* 1796, 13.

Matrimonia valida contrahuntur tam in ecclesia quam extra, tam diebus festis quam feriatis : *Brun.*, 3 *jun.* 1780, § 7.

§ XIV.

Matrimonium quoad obsequia matrimonialia.

Uxor, quæ sine legitima causa divertit a viro, cogenda est, per censuras etiam ecclesiasticas, ad virum redire, illique præstare obsequia matrimonalia : *Baln.*, *Obseq. matr.*, 12 *martii* 1763, § 4.

Et quidem in domo propria viri, cum uxor non possit domicilium sibi benevisum eligere : *Ibid.*

Conjux, ante consummationem, potest intra bimestrem religionem ingredi : *Placen.*, 20 *jan.* 1725, § 3.

Aliquando prorogationes a judice obtinere vetitum non est : *Ibid.*

Vir ad amice revocandam uxorem ad maritale consortium, sibique blandiens quamcumque repugnantiam ab ipsa deponendam fore, si penes honestam prudentemque matronam, vel a se, vel suo saltem consensu designandam, extra septa monasterii collocetur, antequam imploret severiora canonum remedia : *Ancon.*, *Matr.*, 10 *sept.* 1735, § 2.

MATRIMONIUM QUOAD MORTEM PRIORIS CONJUGIS. Vide *Matrimonium*, § XLIV.

§ XV.

Matrimonium quoad pœnam inhabilitatis ad contrahendum.

Non est in jure imposita pœna inhabilitatis ad alias nuptias, per hoc quod quis incestum commiserit extra figuram, et in figura matrimonii : *Luceor.*, *Null. matr.*, 28 *febr.* 1722, § 11.

Qui sciens matrimonium cum vetito gradu contraxit, redditur inhabilis ad contrahendum ex crimine incestus : *Ibid.*

Qui propinquam sanguinis uxorem ducunt, et separantur, non licebit eis, quandiu utrique vivunt, alias uxores sibi in conjugio sociare, nisi ignorantia excusetur : *Ibid.*

Mulier nullam contrahit inhabilitatem non obstante quod incestuose copulata fuisset in vim dispensationis obtentæ a non habente facultatem, ex quo decepta contraxerat matrimonium et cum ignorantia impedimenti : *Ibid.*, § ult.

§ XVI.

Matrimonium quoad probationem.

Christianæ interest reipublicæ ut perpetuum de contractis matrimoniis sit monumentum, ne ex humana inconstantia in quæstionem veniant, maximoque sacramento illudatur : *Macer.*, 17 *april.* 1790, § 2.

Qua de causa provide sacrum Concilium Tridentinum voluit ut parochus habeat librum ad illa describenda, et diligenter custodiat : *Ibid.*

Et hoc modo quælibet removetur dubitandi occasio, quum plene quoad celebrata matrimonia parochiali libro deferatur : *Ibid.*

Hinc ad conciliarem legem implendam requiritur legalis codex : *Ibid.*

Et sat non est simplex diarium, cui minor adhibetur fides : *Ibid.*

Matrimonium, quando de illius fœdere agitur, debet concludenter probari, ad differentiam casus in quo de matrimonio disceptari contingat ad effe-

ctum legitimitatis prolis successionis, vel alimentorum præstationis : *Segnen.*, *Matr.*, 22 *sept.* 1736, § 4.

Matrimonium occulte contra formam a Synodo Tridentina præscriptam initum, utpote non favorabile, sed summopere odiosum, et a Sacris Canonibus improbatum, ex dispositione testium, qui vel alteri vel utrique sponso sint sanguine conjuncti, atque ex facti circumstantiis quoquomodo suspecti, nequeat demonstrari : *Ibid.*

Matrimonium potest ex testibus probari, licet illud non fuerit a parocho in libris parochialibus descriptum, et parochi licentia per æquipollentes probationes et per testes potest etiam demonstrari : *Taur.*, *Matr.*, 16 *nov.* 1720, § 7.

Defectus adnotationis in libro parochiali non irritat matrimonium, quod aliumde quam ex parochi libro matrimonium probari valet : *Ibid.*, § 20.

§ XVII.

Matrimonium per procuratorem contractum.

Certum in jure est, mandatum procuræ, ut satis sit ad matrimonium valide contrahendum, fieri debere certæ et determinatæ personæ, atque ad effectum illud contrahendi cum certa et determinata persona : *Neapolitana, Matr.*, 7 *jul.* 1736, § 4.

Illudque, absque scientia et consensu ejus cui traditum est, tacite etiam revocari posse : *Ibid.*

Tam ante quam post Concilium Tridentinum validum est matrimonium contractum per procuratorem, dummodo tamen contrahatur coram parocho et testibus, et est propterea indissolubile et sacramentum : *Urb.*, 12 *jan.* 1726, § 3.

Ita ut est de consilio non autem de necessitate, et ad tollendos scrupulos, quod qui contraxerunt per procuratorem, quando simul conveniunt, consensum renovent coram parocho et testibus : *Ibid.*

Matrimonium contractum per mandatum procuræ, ad cautelam ratihaberi debet : *Lun. Sarz.*, *Matr.*, 17 *sept.* 1796, § 13.

Ad validam ratihabitionem constare debet contrahentibus de speciali ejus facultate, coram quo fit ratihabitio : *Ibid.*, § 7.

Et ut facta censeatur deliberato animo, exponenda iis est præcedens nullitas matrimonii : *Ibid.*, § 8.

Nullo matrimonio ex defectu mandati, novus omnino præstandus est consensus, novaque requiritur præsentia parochi et testium : *Ibid.*, § 10.

Revocato per unum ex contrahentibus consensu ante celebratum a procuratore matrimonium, hoc nullum est etiam quoad alterum : *Sant. seu Cub.*, *Matr.*, 26 *apr.* 1788, § 6.

Licet consentiens et procurator revocationem consensus ignorent : *Ibid.*

Nullum est matrimonium contractum per procuratorem, si ante matrimonium tacite vel expresse revocatum fuerit procuræ mandatum, quamvis revocationis notitia ad procuratorem non pervenerit : *Feren.*, *Matr.*, 21 *jun.* 1721, § 1.

§ XVIII.

Matrimonium putativum.

Pro matrimonio putativo, et pro legitimitate prolis requiritur bona fides, quæ in altero saltem ex contrahentibus est indispensabilis super ignorantia impedimenti juris, et requiritur publica celebratio matrimonii præviis solitis denuntiationibus : *Mechl.*, *Matr. et Leg, prol.*, 3 *sept.* 1729, § ult.

MATRIMONIUM PUTATIVUM QUOAD DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § XVIII.

§ XIX.

Matrimonium ratum et non consummatum.

Probationes non consummationis tales esse debent, quales *de jure* requiruntur, adeo scilicet evidentes ut verum justumque constituant illius judicium : *Melev.*, *Disp.*, 7 *sept.* 1789, § 12.

Assidua assistentia infirmæ sponsæ a sponso præstita indefinire dicitur, et fieri potuit ut clam sponsus ad illam accederet, et matrimonium consummasset eo tempore quo aliquantulum domestici abessent, et quievissent convulsiones, quæ perpetuæ esse non solent : *Ibid.*

Juramentum sponsæ certam non constituit non consummationis probationem : *Ibid.*

Septima propinquorum manus, ceterique testes de publica voce et fama fallaces sunt, et consummationis possibilitatem non excludunt : *Ibid.*

Hinc dubium saltem non consummationis affirmat, ne dispensatio concedatur : *Ibid.*

Ad probandum matrimonium non fuisse consummatum præmitti debet solemnis jurata repetitaque utriusque conjugis in hanc rem confessio, a juramento septimæ manus propinquorum et respective vicinorum admiriculata : *Nic. seu Turr.*, *Matr.*, 11 *mart.* 1786, § 8.

Geminatæ solemnes juratæque confessiones contrahentium, judicium Episcopi, et tam accurata temporis per singula intervalla descriptio, rerum denique circumstantiæ sequutam consummationem omnino excludere videntur : *Ibid.*, § 9.

Præcipua consummationis matrimonii præsumptio oritur ex cohabitatione et concubitu : *Vis., Disp.*, 24 *nov.* 1787, § 5.

Contra vero si solemne adsit sponsi juramentum contraxisse matrimonium, sed non consummasse, huic deferendum est : *Ibid.*

At quum de solo agatur ejus animæ præjudicio, pluresque accedunt testes, ac morientis mulieris confessio consummasse idem matrimonium, quæ sincera de jure præsumitur : *Ibid.*

Et præsumptio cohabitationis non deservit ad probandam commixtionem viri et uxoris, stante impedimento infirmitatis, ut se non compatientis cum coitu : *Ibid.*

Matrimonii non consummatio probatur ex jurata depositione conjugum, aliarum circumstantiarum præsidio munita : *Luc. seu Sarz., Disp.*, 26 *sept.* 1739, § 5.

Ad omnino necessariam conditionem non consummationis credendum haud est conjugibus id affirmantibus, et communi voto in matrimonii dissolutionem adnitentibus : *Prag., Matr.*, 27 *febr.* 1734, § 6.

Quod tamen videtur intelligendum, si huic tantum confessioni conjugum nitatur probatio : *Ibid.*

Etiam approbatur confessio ipsorum conjugum, jurejurando confirmata, ac etiam septima propinquorum, vel si ii desint, vicinorum manu munita : *Ibid.*

Utrinque debent septem propinqui aut vicini jurati affirmare, sese credere veram conjugum confessionem, adeoque quatuordecim eos omnino esse necesse sit : *Ibid.*, § 7.

Juramentum conjugum, et septima propinquorum manus, quæ in extraordinaria præsertim cognitione dispensationis a matrimonio rato, non consummationem probant : *Melev., Disp.*, 7 *febr.* 1789, § 9.

Defectus insuper cohabitationis et concubitus : *Ibid.*

Corporis quoque infirmitas, qua toto nuptiarum tempore ad discessum sponsi laboravit sponsa, haud enim censetur consummatum cum infirma matrimonium : *Ibid.*

Matrimonium fuisse ratum tantum, et non consummatum, evincitur recte ex jurata mulieris declaratione : *Anic., Disp.*, 8 *jul.* 1769, § 2.

Nec non ex octo juratis testibus, atque ex impotentia viri : *Ibid.*

Consummationis vehementissima præsumptio oritur ex cohabitatione et condormitione : *Corduben., Disp.*, 20 *sept.* 1760, § 8.

Præsertim post diuturnam triginta annorum acquiescentiam : *Ibid.*

Obstetricum relatio adminiculum, non probationem facit ; quia facile decipiuntur : *Ibid.*

Imo fallax in casu judicandum est obstetricum judicium ex ineptitudine indiciorum juxta votum peritorum ; et testes de propria credulitate deponentes non sunt attendendi, nec standum juramento viri : *Ibid.*

Juramentum præstitum ab utroque conjuge et repetitum in judicio, si non perfectam probationem non consummationis, saltem grave adminiculum constituit pro augenda fide reliquis probationibus : *Neap., Matrim.*, 11 *april.* 1761, § 7.

Addita potissimum publica impotentiæ fama, et communi opinione quatuor testibus probata : *Ibid.*

Probatur autem sequutam non fuisse consummationem ex judicio peritorum super debilitate viri : *Ibid.*, § 8.

Et ex relatione obtestricum super virginitate uxoris : *Ibid.*

Quantum judicio standum est cum desint meliora virginitatis experimenta : *Ibid.*, § 9.

Et juramentum septimæ manus etiam solum ad hunc effectum sufficit : *Ibid.*

Utriusque conjugis assertio de matrimonio non consummato tanti ponderis est, ut per se sufficiat ad consummationem matrimonii excludendam : *Com., Matr.*, 17 *dec.* 1768, § 7.

Confessio viri de consummatione despicienda est veluti minus probabilis ex circumstantiis prodeuntibus, tum ex parte viri, tum ex parte mulieris : *Ibid.*, § 8.

Non officit impedimentum consummationi resistens oppositum a viro post confirmatam mulieris ejus voluntatem ingrediendi religionem, non vero ab initio, prout certe opposuisset, si vera illa fuisset : *Ibid.*, § 9.

Et despicienda est viri assertio super matrimonii consummatione, quum uxor illam juramento negaverit, et obtestrices de ipsius integritate testimonium perhibuerint : *Ibid.*, § 10.

Ex inspectione corporis mulieris facta a duabus obstetricibus a judice electis probatio virginitatis firmior nulla, meliorque proferri potest : *Neat., Matr.*, 31 *mart.* 1770, § 5.

Ratum et non consummatum reputandum est matrimonium non obstante penetratione claustri, sine seminum commixtione : *Cadic., Disp.*, 12 *jun.* 1762, § 3.

Probatio non sequutæ consummationis sufficiens eruitur ex juramento viri, cui plene deferendum est in subjecto casu : *Ibid.*, § 4.

Item quando agitur de solo præjudicio animæ confitentis, et aliunde non possint meliores probationes haberi : *Ibid.*

Præsertim cum viri juramentum corroboratum

est opinione testium, et infirmitate mulieris, quæ verisimiliorem reddunt non sequutam consummationem : *Ibid.*

Viro affirmanti matrimonium fuisse consummatum, non mulieri contrarium asserenti est credendum : *Neap., Matr.*, 28 *sept.* 1771, § 12.

Nisi ex aliis probationibus et conjecturis veritas confessionis mulieris elucescat : *Ibid.*, § 13.

Non hæsitatur esse matrimonium ratum et non consummatum, quum evincatur id ex declarationibus mulieris tempore non suspecto emissis, et modo repetita jurata affirmatione ex testibus, ex habituali defuncti viri mala valetudine : *Const., Disp.*, 23 *april.* 1768, § 4.

Ad excludendam præsumptionem sequutæ culpæ, ut matrimonium dissolvatur etiam ad effectum ingrediendi religionem, servanda est forma constitutionis Benedictinæ : *Neap., Matr.*, 11 *april.* 1761, § 4.

Ob matrimonium ratum et non consummatum, liberum non est mulieri ad alias nuptias transire, nisi post solemnem viri professionem : *Neap., Matr.*, 31 *mart.* 1770, § 14.

Matrimonium, etsi validum sit, tanquam ratum et non consummatum dissolvi oportet, tum ob disparitatem natalium, divitiarum, et diversæ inter utrumque conditionis, tum etiam ob alias perniciosissimas circumstantias, quæ matrimonii nullitatem suadent : *Milet., Nul. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 5.

Non una doctorum opinio, an ex matrimonio rato et non consummato impedimentum affinitatis, vel publicæ honestatis, contrahatur : *Acher., Disp.*, 16 *jun.* 1770, § 9.

Divus Thomas affinitatem contrahi affirmat ; nonnulli alii hanc sequuntur sententiam ; alii tenent, ex matrimonio rato et non consummato affinitatem oriri, non proprie, sed initiative, et lato modo sumptam : *Ibid.*, § 10.

Alii denique sustinent impedimentum contrahi tantum publicæ honestatis, non autem affinitatis, quia hæc non intercedit nisi ex copula perfecta et consummata, qua vir et uxor una caro efficiuntur : *Ibid.*

Quidquid de hac difformi doctorum sententia, certum est hujusmodi impedimentum non fuisse per Concilium Tridentinum coercitum ad primum gradum, sed protrahi ad omnes gradus ad quos ante Concilium protrahebatur : *Ibid.*, § 11.

Ex matrimonio rato et non consummato impedimentum subortum est non affinitatis, sed tantum publicæ honestatis : *Leod., Disp.*, 8 *maii* 1762, § 1.

Juramento viri deferendum est de nunquam sequuta consummatione, cum mortuæ uxoris corpus inspici amplius non possit : *Ibid.*, § 3.

Bimestre conceditur conjugibus ad resiliendum a matrimonio rato et non consummato per solemnem professionem in monasterio : *Chien., Matr.*, 15 *dec.* 1792, § 2.

Secundum tamen aliquos, possunt conjuges hoc uti remedio, quocumque non obstante temporis lapsu : *Ibid.*

Ad excludendam matrimonii consummationem moralis sufficit certitudo : *Ibid.*, § 3.

Plurimum in id defertur juratis conjugum declarationibus, et testibus : *Ibid.*

Sola tamen conjugum confessio certam non constituit non consummationis probationem : *Ibid.*, § 4.

In quolibet enim dubio, matrimonium consummatum censetur ex sola consummationis possibilitate : *Ibid.*

Ob hujusmodi autem possibilitatem, denegatur dispensatio super matrimonio rato et non consummato : *Ibid.*, § 6.

Ex peculiaribus tamen circumstantiis, locus est dispensationi matrimonii rati et non consummati : *Ibid.*

Regulariter gravem infirmitatem, vel acutam febrim, ea durante matrimonii consummationem impedire firmatur : *Usit., Disp.*, 7 *jun.* 1777, § 6.

Ex matrimonio rato et non consummato an oriatur impedimentum publicæ honestatis justitiæ, vel affinitatis, quæstio est adhuc indecisa : *Ibid.*, § 7.

S. Thomas docet ex hoc matrimonio utrumque impedimentum prosilire : *Ibid.*, § 8.

Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 3, *de Reform. matr.*, amplectens impedimentum publicæ honestatis justitiæ loquitur de sponsalibus de futuro : *Ibid.*, § 9.

Nec esse illam sanctionem intelligendam de matrimonio S. Pius V dicit in const. *Ad Romanum spectat* anni 1568 : *Ibid.*

Corradus, licet teneat impedimentum dumtaxat justitiæ publicæ honestatis oriri ex matrimonio rato non consummato, fatetur illud affinitatem quoque vocari si non perfecte, vel consummate, saltem initiative : *Ibid.*, § 10.

Et pergit quod impedimentum affinitatis in primo gradu, sive affinitas sit initiativa, sive perfecta et consummata, non ea facilitate dispensatur, sicuti in impedimento publicæ honestatis justitiæ ex sponsalibus de futuro proveniente : *Ibid.*

Ex can. *Si quis desponsaverit*, præscribitur ex matrimonio rato tantum oriri vinculum publicæ honestatis justitiæ, non autem affinitatis : *Ibid.*, § 11.

Matrimonium ratum et non consummatum non dissolvitur quoad vinculum per susceptionem sacri Ordinis : *Eyst.*, 28 *jul.* 1724, § 10.

Per professionem autem religiosam solvitur etiam quoad vinculum : *Ibid.*, et in *Plac.*, 20 *jan.* 1725, § 3.

Licet elapsum sit bimestre, et elapsi sint termini a judice prorogati ad inveniendum benevolum religionis receptorem, potest conjux religionem ingredi, et in ea professionem emittere, quum nequeat præjudicium facere privilegio religiosæ professionis, ut per eam videlicet dissolvatur matrimonium ratum et non consummatum : *Ibid.*

Nullum est matrimonium pendente inhibitione contractum post aliud præcedenter initum, licet carnali copula non consummatum : *Agrig.*, *Matr.*, 15 *martii* 1727, § 6.

Aiunt nonnulli, quod matrimonium in infidelitate consummatum solvitur per ingressum religionis, ex quo, si professio religiosa solvit matrimonium ratum inter fideles, multo magis solvere debet matrimonium consummatum inter infideles, quum vinculum matrimonii inter fideles sit fortius matrimonio consummato infidelium : *Flor.*, 29 *mart.* 1727, § 7.

Alii vero asserunt principium hoc non sustineri, quum nullibi concessum inveniatur quod professione religiosa dirimatur matrimonium consummatum infidelium : *Ibid.*

Matrimonii consummati in infidelitate ratio habet etiam post conversionem : *Ibid.*, § 16.

Matrimonium ratum fidelium, licet sacramentum, non constituit vinculum fortius matrimonio consummato infidelium : *Ibid.*, §§ 30 et 31.

Matrimonium ratum significat unionem Christi cum anima justa, et matrimonium consummatum significat unionem inter Christum et Ecclesiam per carnem assumptam : *Ibid.*, § 31.

Dubitatum olim fuit an matrimonium ratum inter fideles dissolveretur per aliud matrimonium subsequenter contractum atque consummatum. Sed Alexand. III decrevit, matrimonium ratum nullatenus dissolvi per posterius consummatum : *Ibid.*, § 32.

Primum matrimonium ratum, rite contractum, non potest dissolvi per secundum cum alia contractum et consummatum : *Chien.*, 12 *mart.* 1729, § 14.

Matrimonium non dicitur consummatum opere non perfecto : *Adnot. secr.*, 11 *sept.* 1762, § 1.

MATRIMONIUM RATUM, ET NON CONSUMMATUM, QUOAD DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § XVI.

§ XX.

Matrimonium quoad reintegrationem.

Matrimonium primum solutum ob impotentiam; si conjux ille qui impotens renuntiatus fuit a judice, potens deinceps efficitur, tunc reintegrandum venit : *Mess.*, *Matr.*, 24 *jan.* 1778, § 9.

Non obstante quod in sequelam sententiæ super dissolutione matrimonii latæ, alter ex conjugibus, qui impotens non erat, secundum contraxerit matrimonium ; *Ibid.*, § 10.

Dissoluto autem primo matrimonio per sententiam ex impotentia respectiva, si non quoad speciem, saltem propter perpetuum impedimentum ex vitio aut maleficio subortum, tunc impotens conjux etiamsi potens deinceps efficiatur, non amplius primum matrimonium reviviscit : *Ibid.*, § 11 et 12.

Etiamsi sententia judicis super dissolutione matrimonii processerit, sine præcedentia triennalis cohabitationis : *Ibid.*, § 13.

Matrimonium quando dissolvitur a judice ob perpetuam impotentiam alterius conjugis, tunc non requiritur triennalis cohabitatio : *Ibid.*

Ita dissolutum primum matrimonium, amplius non redintegratur : *Ibid.*, § 12.

Sicuti non reconvalescit primum matrimonium, quando ex secundo per alterum conjugem contracto (post primi dissolutionem) filii nati essent, nec ideo illegitimi efficiantur et infamia notentur : *Ibid.*, § 15.

Idque obtinet similiter ut tollantur rixæ, et odia, quæ inter hos conjuges eorumque consanguineos orirentur, atque ad avertendas populi offensiones : *Ibid.*

Æquitas proinde suadet locum esse dispensationi super primo matrimonio rato et non consummato : *Ibid.*

Et ita in simili casu occulto a Sacra Pœnitentiaria dispensatur : *Ibid.*

§ XXI.

Matrimonium secretum, seu conscientiæ.

Prima species est earum sacrilegarum conjunctionum, quæ matrimonia conscientiæ dicta sunt, et quæ de consilio impii apostatæ Marci Antonii de Dominis secreto contrahi debebant, et remoto quocumque arbitrio a viris licet constitutis in sacris ordinibus, ad evitandum, ut ipse profitebatur, frequens incontinentiæ periculum : *Adnot. secret.*, 9 *sept.* 1724, § 3.

Sed anathema est quicumque dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, et contractum validum esse : *Ibid.*

Theophylus Rainaud pluribus hanc speciem matrimonii conscientiæ docte de more impugnat : *Ibid.*

Secunda species matrimonii conscientiæ ea est,

quando inter virum et fœminam matrimonium de facto contrahitur sine denuntiationibus, et sine præsentia parochi et testium, ita ut matrimonium hoc dicitur clandestinum, et a plerisque etiam denominatur matrimonium conscientiæ : *Ibid.*, § 4.

Sed hujusce generis matrimonia in locis ubi publicatum fuit Concilium Tridentinum sunt nulla ; in locis autem in quibus illud publicatum non fuit, matrimonia hæc ad summum erunt valida, sed illicita : *Ibid.*, § 5.

Tertia species matrimoniorum conscientiæ est, quando vir et mulier, fide sibi conjugii invicem data, matrimonium contrahunt antequam dispensationem obtineant quæ pro dicto matrimonio valide contrahendo erat necessaria, ut interim copulam exercent, data tamen promissione de celebrando deinde solemniter conjugio coram parocho et testibus, quando supervenerit dispensatio, vel impleta fuerit alia conditio sub qua matrimonium contractum est : *Ibid.*, § 6.

Sed usus conjugii in prædictis circumstantiis nefarius est, nec ullo modo tolerabilis : *Ibid.*, § 7.

Quarta species est, quando obtenta ab Episcopo dispensatione a proclamationibus, nec non facultate ut alienus sacerdos, qui non sit contrahentium parochus, matrimonio intersit, contrahitur matrimonium per procuratores, qui ut plurimum sunt contrahentium confessarii, binique testes advocantur inter se, et parocho et contrahentibus incogniti, hac intentione, ut exsaturata libidine, aut excitata offensione, conjuges impune separentur, et unusquisque acquirat libertatem alterum contrahendi matrimonium, liberis natis in classe illegitimorum remanentibus : *Ibid.*, § 8.

Sed hæc facti expositio detestabilem patefacit hunc unionis modum, et sic contrahentes, si non resipiscant, sunt in statu perpetuæ damnationis : *Ibid.*, § 9.

Quinta matrimoniorum conscientiæ species est, quando ad avertendum scandalum conceditur a superiore, et signate a cardinali pœnitentiario dispensatio a denuntiationibus una cum facultate, ut parochus contrahentium, qui sunt veri concubinarii, sed pro legitimis conjugibus passim habentur, matrimonio eorum intersit una cum duobus testibus confidentibus : adposita in litteris Sacræ Pœnitentiariæ consueta clausula, *laceratis*, in cujus sequelam contracto matrimonio, epistola illius tribunalis laceratur, et matrimonium in libro non adnotatur : *Ibid.*, § 10.

Dubitandum non est de validitate, et legitimitate hujus matrimonii, quum in eo adsint substantialia, et certa si facultas summi pœnitentiarii quoad dispensationem a denuntiationibus ; licet aliqua mala, mortuis parocho et testibus, derivabant : *Ibid.*, §§ 11, 12, 13.

Hinc hodie non laceratur epistola summi pœnitentiarii directa parocho, et positivum mandatum additur ut matrimonium a parocho in libro describatur : *Ibid.*, § 15.

Sexta species est, quando vir et fœmina, obtenta a superiore dispensatione a denuntiationibus, matrimonio copulantur aut coram sacerdote ab Episcopo delegato, aut coram parocho et duobus testibus confidentibus, et matrimonium a parocho describitur in libro ; ita tamen, ut hujusmodi matrimonii partita obsignetur de mandato Episcopi ; et cum præcepto, quod non aperiatur, nisi de Episcopi pro tempore consensu : vel si non describatur in libro, describitur inter matrimonia secreta, quæ in cancellaria episcopali asservantur : *Ibid.*, § 16.

In Germania passim, nobiles, mortua prima uxore, contrahere solent matrimonium secretum cum fœmina inferioris conditionis coram parocho et testibus, prævia dispensatione a denuntiationibus, et pactum apponere ut hæc uxor et liberi ex ea procreandi certam portionem ad conservationem necessariam habere debeant, sed conditionem et dignitatem mariti non participent, et cæteris bonis avitis et paternis, et titulis, et insignibus abstineant: *Ibid.*

Pro hujusce matrimonii validitate multi theologi et canonistæ pugnant, quia præ se fert honestatem quum vir continere non valens ponatur extra periculum illiciti concubitus, et quia liberis prioris matrimonii aut agnatis per divisionem nullum præjudicium affertur : *Ibid.*, § 27.

Si juxta antiquam sacrorum canonum disciplinam matrimonia erant valida et licita, licet nonnullæ solemnitates deficerent, nonnisi, quia cætera quæ erant necessaria et substantialia non deerant, hoc ipsum asserendum est in matrimoniis conscientiæ, quum omnia in illis concurrant quæ sunt necessaria, et ea quæ desunt inter solemnia sunt referenda : *Ibid.*, § 24.

Prædicta sexta matrimonii species valida est et licita ; sed prædictis minime obstantibus scandalum urget, quod ea matrimonia reddere potest illicita : quia multi ignorantes virum et fœminam esse matrimonio conjunctos exemplo offenduntur, quum videant eosdem insimul cohabitare, nec ullum a superioribus ecclesiasticis verbum moveri adversus prædictas cohabitationes : *Ibid.*, § 25.

Sed hujusce scandali non est habenda ratio, quando adest justa causa matrimonium modo prædicto contrahendi, quum scandalum non erit datum, sed acceptum : *Ibid.*, § 26.

§ XXII.

Matrimonium quoad separationem thori.

Notissimum est adulterium alterutrius conjugis legitimam præbere causam parti innocenti petendi separationem a connubiali thoro : *Imol., Sep. thor.*, 11 *mart.* 1786, § 2.

Præivit Christus Dominus, *Matth.* 5, et consonant canonicæ leges, quæ nullam inter virum et mulierem distinctionem agnoscunt : *Ibid.*

Sed difficultas oritur in adulterii probatione : *Ibid.*, § 3.

Hæc probatio desumitur ab ea celtica lue, quæ matrimonium subsequatur, quæve vere talis et venerea sit, non ad illius similitudinem, et ab innocuis progenita causis, puta nimia sanguinis acrimonia, incauto vel nimio conjugii usu, sub ipsa præsertim matrimonii exordia : *Ibid.*

Si tota legitima probatio in ore residet chirurgii, huic tanquam unico et extrajudiciali in re gravissima fidendum non est ; præsertim si inverisimilia deponit : *Ibid.*

Vix enim post paucas a contracto matrimonio horas ad non permissos amplexus vir ut convolasset credibile non est : *Ibid.*

Insuper, quando chirurgus nec tempus prætensi morbi venerei definiri potest : *Ibid.*

Cum ad separandum conjugale fœdus demonstrare oporteat violatum illud pendente matrimonio fuisse : *Ibid.*

Et sine infirmi confessione distingui vix potest inter veneream luem celticam, et eam quæ fere analoga in effectibus ab innocuis nihilominus causis proficisci solet : *Ibid.*, § 6.

Nec stare potest veritas morbi in iis de quibus chirurgus infirmum ipsum postquam convaluerat, interrogavit, corporeis namque oculis rem ipsam videre et animadvertere omnino debuisset : *Ibid.*

Hinc, si rejicienda esset mulieris pro separatione thori instantia, quandocumque ipsa evidantissimas non affert violatæ fidei probationes, multo magis repellenda, cum eæ quas in medium profert ineptæ, omnino inverisimiles, aut falsæ deprehenduntur : *Ibid.*

Quando adulterium est publice notorium, sive notorietas illa sit facti, sive juris, potest conjux innocens propria auctoritate recedere, tam quoad debiti redditionem, tam quoad mutuam cohabitationem : *Flor.*, 29 *martii* 1727 §, 9.

Ecclesia, præscindendo ab adulterio, potest etiam ex aliis causis inter conjuges decernere thori separationem : *Ibid.*, § 13.

Inter causas adscribitur cohabitatio ex probabili periculo jurgiorum atque rixarum : *Ibid.*

At ad separationem thori requiruntur graves et atroces sævitiæ : *Balneoreg., Obs. matr.*, 12 *mart.* 1763, § 5.

Immo nec minæ sufficiunt in actu iracundiæ prolatæ, cum non probetur viri consuetudo illas exequendi : *Ibid.*

Et quælibet antiqua injuria remissa est per voluntarium reditum mulieris ad virum : *Ibid.*

Præsertim restituenda est uxor, quia vir paratus est cautionem præstare illam non lædendi : *Ibid.*

Quum timeatur de gravioribus sævitiis in odium litis, satis hujusmodi timor censetur, ne remoto etiam periculo vitæ ad conjugalem consuetudinem compellatur : *Firm., Sep. thor.*, 16 *maii* 1789, § 6.

Vir non diffamasse uxorem probatur ex sollicitudine qua illam ad nuptialem thalamum revocare contendit : *Ibid.*, § 7.

Quidquid de cætero ex suo excidit ore, tribuendum odio litis, justamque separationis thori causam præbere non potest : *Ibid.*

De universis fere matrimoniis ageretur, si ex inofficiosis parumque urbanis verbis conjuges separari deberent : *Ibid.*, § 8.

Ubi periculum abest vitæ, quilibet non sufficit morbus, ut conjugalis communio et cohabitatio dissolvatur : *Ibid.*

Et argumentum de bona valetudine esse potest, quando de loco duntaxat præstandi obsequia matrimonialia in S. Rota certatum est : *Ibid.*

Dissentiones tam judiciales, quam extrajudiciales quæ inter conjuges vigent dant separationi thori fundamentum : *Taur., Matr.*, 23 *aug.* 1721, § 3.

Si maritus moderate, et ex causa, verberet uxorem, uti dicitur jure suo ; si atrociter et immoderate id faciat, locus est divortio et separationi thori, si res eo redacta est ut nec quidem oblata per virum fidejussione, uxor illi possit tuto committi : *Ibid.*, § 5.

Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam legitime conjunctos contra statuta Domini separare : *Lun. Sarz., Matr.*, 17 *sept.* 1796, § 12.

In re de separatione thori ad evitandum incontinentæ periculum publicumque deficientis prolis damnum, caute procedendum est : *Firm., Sep. thor.*, 16 *maii* 1789, § 4.

Urgentissimæ autem in id requiruntur causæ, vel alterius nempe conjugis adulterium, ex quo perpetuum conceditur divortium, vel periculum vitæ, ex quo temporalis permittitur separatio thori : *Ibid.*

Non desunt qui diffamationem æquiparant periculo vitæ, et justam separationis thori causam arbitrantur : *Ibid.*, § 5.

Ad fidem conversa pro evitanda cohabitione cum viro ad fidem etiam postmodum converso, nil aliud prætendere potest, quam causa odii et inimicitiarum non rigorosum divortium, sed abstinentia a cohabitatione, et a thoro ad tempus certum, vel incertum ut concedatur : *Flor.*, 29 *mart.* 1727, § 14.

Propter solam fornicationem, sive adulterium fit locus perpetuæ dimissioni, et absoluto divortio, quum divortium non sit verum, nisi animo constituendæ perpetuæ separationis expletum : *Taur.*, 16 *mart.* 1726, § ult.

Et licet propter alias causas thori et cohabitationis separatio ab Ecclesia permittatur, hæc tamen non durat, nisi usquequo durat causa propter quam separatio concessa fuit : *Ibid.*

Quum calumniosa ac improba sit accusatio matrimonii nulliter contracti ob stuprum sponsæ, eadem est cogenda ad cohabitationem cum viro, juxta præceptum Apostoli : *Ascul., Matr., 4 jun.* 1768, § 7.

§ XXIII.

Matrimonium quoad vinculi indissolubilitatem.

Matrimonium suam obtinet indissolubilitatem in ipso mundi principio ex jure naturali divino, et deinde ex Evangelio, ut vir adhæreret uxori suæ eruntque duo in carne una : *Flor.*, 29 *mart.* 1727, § 27.

Indissolubilitas vero accipitur in matrimonio consummato jure naturali, divino et evangelico : *Ibid.*

Inest dissolutionis casus ab apostolo Paulo expressus, quando videlicet conjux infidelis non vult cohabitare, vel si vult id facere, non vult id exequi sine contumelia creatoris : *Ibid.*, § 28.

Matrimonii indissolubilitas non provenit a sacramento ; quin matrimonium uti sacramentum non habet effectum indelebilem, puta characterem : *Ibid.*, § 30.

Dici ad summum potest quod indissolubilitas matrimonii fuerit ex elevatione hujus contractus ad esse sacramentale confirmata, benedicta, et sanctificata, et eo validius roborat, ut desumitur ex catechismo Concilii Tridentini : *Ibid.*

Christus Dominus in sacramentorum institutione assignavit pro materia id quod erat aptum ad significandum quod intendebat, ablutionem videlicet corporis in baptismate ad significandum animæ ablutionem, panem et vinum in Eucharistia ad innuendam spiritualem animæ nutritionem ; pro materia in matrimonio assignavit contractum ab intrinseco indissolubilem, ut significaret indissolubilem nexum quem habet cum natura humana per Incarnationem, et per gratiam et charitatem cum tota Ecclesia : *Ibid.*

Matrimonium simpliciter ratum est verum matrimonium, et indissolubile, individuam vitæ consuetudinem continens, et a jure etiam divino procedens : *Ibid.*, § 33.

Cessat matrimonii rati indissolubilitas in casu quo alter ex conjugibus professionem regularem emittat, et hæc subtilitas originem habet a jure divino : *Ibid.*, § 35.

Matrimonium est indissolubile suapte natura, et disjungitur ex impedimento quod adfuerit atque adsit ad illud consummandum : *Roman. seu Reat., Null. matr.*, 1 *febr.* 1766, § 13.

Impedimentum tamen perpetuum et insanabile ex uno ex conjugibus debet esse ; ob consensus scilicet, sine quo matrimonium non fuit, defectum, qui alteri justam querelam præbet : *Ibid.*

Ita ut matrimonium vere non rescinditur, quod christiano more disjunctionem non patitur ; sed declaratur ab initio non extitisse : *Ibid.*

Hinc contrahens scienter cum impotenti ad copulam, ab eo non separatur : *Ibid.*

Quia ab initio consensus non defuit, unde valent matrimonia etiam cum senibus : *Ibid.*

Et certam probationem impedimenti omnino desperati, nulla quocumque tempore reparabilis arte, canones cum universa theologorum schola requirunt : *Ibid.*, § 15.

Etiam post triennii habitationem, quæ sola sufficiens non judicatur : *Ibid.*

Probatio ab initio, vel certa esse potest ex vitio aliquo, præsertim si sub oculis et manu sit, perpetuo et immedicabili : *Ibid.*, § 16.

Vel dubia, quæ de verisimiliter evidenti vitio recidere in idem videtur : *Ibid.*

Quia hæc ab initio dubia inde ex plurimis requisitis probationibus verisimiliter evidens evadere potest : *Ibid.*

Si autem de certa probatione ob evidentis vitii causam manifestam agitur, rectum judicium non differtur : *Ibid.*, § 17.

Si dubia probatio est, tunc judicando supersedetur, et aliæ probationes admittuntur : *Ibid.*, § 8.

Matrimonium contractum inter hæreticum et catholicum, licet illicitum, est tamen validum, non solum in ratione sacramenti indissolubiliter, quum hæretici quoque baptismum suscipiant : *Eystet., Matr.*, 9 *febr.* 1732, § 20.

Ita tamen ut hæreticus habeat saltem generalem intentionem faciendi id quod a Christo Domino institutum fuit in matrimonio, vel quod docet vera Ecclesia, quæcumque illa sit : *Ibid*

Saxones Lutherani non intendunt matrimonium contrahere, nisi tanquam civilem contractum, et

quidem dissolubilem non solum propter adulterium, sed etiam ob alias causas : *Ibid.*, § 21 ; *in ead.*, 8 *mart.* 1732, § 9.

Matrimonium uniformem utriusque contrahentis consensum exigens, et par utrinque vinculum inducere debet, quum ex parte mulieris non valuerit, subsistere nec etiam potest ex parte viri : *Ibid.*, § 22.

Fideles nequeunt contrahere matrimonium quod, si verum validumque in ratione contractus, et rationem sacramenti non habeat, adeoque illud et sacramentum et indissolubile esse oportet aut omnino nullum : *Ibid.*, § 23.

Nihil refert quod præsumendum sit nedum catholicum, sed ipsum etiam hæreticum habuisse intentionem contrahendi matrimonium validum, indissolubile : *Ibid.*, § 24.

Nec præsumptioni locus esse potest, ubi tum ex communi regionis more non ex facto mulieris, tum ex jurata asseveratione ipsius viri deducitur solubilitatis matrimonii affecisse, et infirmasse contractum quasi per conditionem sine qua non fuisset initus contractus : *Ibid.*, § 23.

Ad inducendum matrimonii nullitatem non sufficit privatus error, quo Lutherani existimant matrimonium certas ob causas esse solubile etiam quoad vinculum, quia nimirum prævalet generalis intentio, quam habere censetur ineundi matrimonium legitimum, ac validum, cui consectaria pernecesse est indissolubilitas : *Ead.*, 8 *mar.* 1732, § 1.

Si contrahentes non consenserunt in matrimonium perpetuum, atque indissolubile, aut saltem non consensit alter eorum, matrimonium erit nullum : *Ibid.*

Si quis calvinianus matrimonium contraxit sub conditione sua mente servata, valiturum quando mulier sibi fidem servaverit, et non valiturum si hæc fidem violaverit, factus deinde catholicus, tenetur saltem propter scandalum obtinere sententiam de invaliditate matrimonii a tribunali catholico, si uxor non servarit fidem, et ille a consistorio fuerit absolutus : *Ibid.*, § 3.

Si schismatici contrahentes ignorabant omnino, an vinculum istud esset perpetuum, vel si credebant etiam dissolubile, sed non limitarunt suam intentionem tempore contractus ad eam existimationem, sed habuerunt voluntatem generalem contrahendi matrimonium validum, ita ut illa ignorantia vel existimatio se habeat concomitanter, quum etiam sine illa æque contraherent, tunc matrimonium videtur validum, et observandum : *Ibid.*, § 7.

Quamvis hæreticus habeat errorem, ut existimet matrimonium esse ex causa dissolubile, et licere libellum repudii, et mente retineat, vel explicet, si tamen vult contractum matrimonii celebrare juxta suam naturam, quæcumque illa sit, valebit contractus et erit indissolubilis, quia error ille tantum est concomitans ; si vero unus expresse velit ita contrahere, et non aliter, sive eum animum explicet, sive mente retineat, nullum est matrimonium : *Ibid.*, § 8.

Si in utroque conjuge fuit animus contrahendi dissolubiliter ex utriusque confessione constabit sufficienter, ut matrimonium possit declarari nullum, etiam in foro externo : *Ibid.*, § 16.

Si autem fuit in solo uno, sufficiet ipsi in foro interno, imo sufficiet etiam alteri conjugi, si concurrant rationes probabiles ad æstimandum ipsum non mentiri : *Ibid.*

Quod matrimonium dissolvi possit etiam quoad vinculum causa adulterii ab uxore commissi, tres tantum ex theologis enumerantur, qui eam dissolutionem approbarunt : *Dub. matr.*, 15 *jan.* 1724, § 3.

Cæteri autem omnes sentiunt, matrimonium quoad vinculum non dissolvi propter adulterium, et neutri conjugi licere, altero superstite, ad alias nuptias transire : *Ibid.*, § 3.

Peritis undique argumentis, impugnatur Græcorum praxis, solvendi matrimonium quoad vinculum propter adulterium : *Ibid.*, § 4.

Licet quippe thori separationem facere ex causa fornicationis, non autem aliud matrimonium contrahere fas est, quum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit : *Ibid.*, §§ 4 et 5.

§ XXIV.

Matrimonium quoad impedimenta in genere.

Inter cetera impedimenta matrimonium dirimentia locum habent *consanguinitas, affinitas, et publica honestas* : *Cons., Disp.*, 23 *april.* 1768, § 8.

Ad consanguinitatem, quod attinet, præmittuntur quæ sub Hygini, Fabiani, et Julii Romanorum Pontificum nominibus a Gratiano referuntur decreta : *Ibid.*

Comperta res est, variam fuisse per duodecim priora sæcula Ecclesiæ disciplinam circa consanguinitatis impedimentum, et hoc ad septimum usque gradum juxta canonicam computationem fuisse aliquando productum : *Ibid.*

Sed Innocentius III, ad evertenda multa incommoda, in concilio Lateranensi coercuit prohibitionem usque ad quartum gradum : *Ibid.*, § 9.

Quod confirmavit Concilium Tridentinum : *Ibid.*

Hic autem gradus sumendus est juxta computationem canonicam : *Ibid.*

Matrimonium rite et recte solvitur ex vitio seu impedimento alterius ex conjugibus, dum alter querelam de eo proponit : *Val., Null. matr.*, 24 *mart.* 1764, § 5.

Ex causa nimirum consensus, quando principio defuit : *Ibid.*

Quapropter, si impedimentum aut vitium antea fuisset notum, querela non daretur ad dissolvendum matrimonium : *Ibid.*

Et proinde matrimonia inita cum senio confectis, licet impotentibus, non dissolvuntur : *Ibid.*

Regula, quod in dubio standum sit pro matrimonio, habet locum in dubio juris, non autem in dubio facti : *Camer. seu Fabr., Matr.*, 4 *jun.* 1768, § 11.

Neque procedit, quando matrimonium fuit clandestine contractum contra formam a Concilio traditam, quia hoc notabilem habet contra se suspicionem : *Ibid.*

Sicut Papa potest statuere per legem universalem impedimenta impedientia et dirimentia matrimonium, ita potest, in casu particulari, sub pœna nullitatis interdicere ne tale matrimonium in casu particulari contrahatur : *Agrig., Matr.*, 13 *mart.* 1727, § 5.

Si interdictum prælatorum inferiorum est innixum causæ perpetuæ, hoc est impedimento impedienti et dirimenti, valet nullitatem matrimonii causare ; secus autem est, si innixum sit causæ temporali, hoc est impedimento tantum impedienti : *Ibid.*, § 6.

Docent nonnulli, quod ex duodecim impedimentis impedientibus et non dirimentibus in suo robore tantum permaneant interdictum, votum, et sponsalia : *Ulyss.*, 7 *sept.* 1726, § 3.

Alii volunt prædicta omnia impedimenta adhuc esse in usu, ex quo consuetudo adversus canones, non consuetudo sed abusus dicenda sit : *Ibid.*

Alii vero distinguunt inter impedimenta impedientia et non dirimentia delata ad forum contentiosum, et impedimenta occulta, ita ut prima adhuc permaneant, et non secunda : *Ibid.*

Dubium non est ipsam impedimenti famam, sicut etiam unius testis asseverationem ex certa scientia satis esse, ne sponsis amplius liceat matrimonium inire : *Dub. matr.*, 16 *febr.* 1743, § 6.

Ipsa fama impedimenti satis est ad impediendum matrimonium, nondum initum : *Pien., Matr.*, 20 *mart.* 1734, § 13.

Ut etiam sufficere unius testis asseveratio de certa scientia cautum est in jure canonico : *Ibid.*

In jure adnotatur, quod, licet sola impedimenti fama, et unius testis asseveratio de certa scientia satis sit ad impediendum matrimonium nondum contractum : *Mather., Matr.*, 30 *julii* 1735, § 5.

Attamen, ad dirimendum matrimonium jam rite celebratum, requiruntur concludentes probationes, ita ut nec fama, nec unius testis depositio, præsertim si in causa habeat interesse, vel matrimonii validitas displiceat, suffragetur : *Ibid.*

Ut matrimonium initum etiam contra Summi Pontificis inhibitionem sit invalidum, non sufficit simplex prohibitio, sed expressa et specifica matrimonii contrahendi irritatio requiritur : *Segn., Matr.*, 17 *nov.* 1736, § 1.

Matrimonium non irritatur ob supervenientem alterius conjugis furorem : *Cad., Null. matr.*, 26 *febr.* 1763, § 11.

De ratione probandi impedimenta matrimonii doctores distinguunt, si agatur de impedimento matrimonii nondum contracto, levis sufficiat probatio ; si quæstio sit de dirimendo matrimonio jam inito, plenissima probatio requiritur : *Milet., Null. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 18.

Calvinus et Lutherus cum pervicacia asserunt, non potuisse fideles novis impedimentis matrimonio dirimentibus ab Ecclesia obstringi : *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. I, discep. 1, num. 27.

Pro matrimonio contrahendo sufficit sola diffamatio super aliquo impedimento oriens ex testibus singularibus : *Ver., Matr.*, 2 *april.* 1729, § 3.

Ad rite probandum impedimentum, quod dissolvat sponsalia, et matrimonium contrahendum impediat, communis apud omnes opinio invaluit, unum etiam testem sufficere : *Baln., Imp.*, 12 *maii* 1770, § 8.

Idque ideo receptum est, quia agitur de impediendo peccato et animæ periculo : *Ibid.*

Unicus testis sufficit ad probandum matrimonii contrahendi impedimentum, ex quo agitur de peccato vitando, dummodo tamen testis sit bonæ famæ, et non patiatur exceptionem in persona aut in verbo : *Reat.*, 13 *jul.* 1725, § 9 *.

* Prodiit anno 1786, in Italia, anonymus liber, cujus titulus *Defensio Tridentinorum Canonum de Ecclesiæ potestate in dirimentia matrimonium impedimenta adversus Launoium, Tamburinum, Nestium, aliosque recentiores, auctore Petro Deodato Nicopolitano ;* in quo libro demonstrat auctor validissimis rationibus ex canone III hisce verbis concepto : « Si quis dixerit, eos tantum consenguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut pluries impediant, et dirimant, anathema sit, » et ex canone IV : « Si quis dixerit Ecclesiam non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit », constare luculenter a Tridentino Concilio definitum Ecclesiam habuisse, habere,

§ XXV.

Matrimonium quoad impedimentum ætatis.

In fœmina pro contrahendo matrimonio necessaria est ætas annorum duodecim : *Neap.*, *Matr.*, 1 *octob.* 1720, § 3.

Prædicta autem ætas debet esse completa, et ad summum validum est matrimonium, si ultima dies anni duodecimi in fœmina, et decimi quarti in viro sit incepta : *Ibid.*, § 3.

Validum etiam erit, si aliquis ad perfectionem debitam ante tempus prædictum perveniat, ita ut vigor naturæ et rationis defectum ætatis suppleat : *Ibid.*

Nullum est matrimonium contractum pendente interdicto a puella constituta in ætate impubere : *Agrip.*, *Matr.*, 15 *mart.* 1727, § 6.

Tam jus civile quam jus canonicum nuptias ante legitimam ætatem initas irritat, nisi malitia suppleat ætatem : *Wil. seu Lucer.*, *Matr. et Prof.*, 9 *febr.* 1732, § 8.

S. C. invalidum declaravit matrimonium contractum cum puella habente annos undecim, menses totidem, et dies 24 : *Ibid.*

Ita quidem, ut matrimonium sic contractum nec etiam ætate superveniente, ut mutuo conjugum as-

atque in posterum habituram infallibilem auctoritatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, atque ab iisdem fideles subditos dispensandi. Nam in altero quidem canone sunt verba ad præteritum tempus, in altero autem ad præsens spectantia ; in utroque vero est etiam formula, *Si quis dixerit*, quæ futuram ætatem respicit. Ecclesiæ nomen in iis Tridentinis canonibus adhibitum significat ecclesiasticum ordinem, ecclesiasticamque hierarchiam ; præterea, canones iidem dogmatici sunt ; ac demum sermo in ipsis est de potestate illa quæ eidem ecclesiastico ordini intima et propria est. Tria hæc singillatim in dicto libro auctor demonstrat, et argumenta contradictorum refellit ; et refert inde interpretationem Concilii Tridentini nuperrimi auctoris Jos. Joan. Nep. Pehem, professoris juris canonici in universitate Viennensi. Hic enim in *Prælection. in Jus eccl.*, part. 11, § 458, hæc habet : « Canonem Tridentinum ex historia et scopo hujus concilii explicandum esse nemo, puto, in controversiam revocabit. Inde autem discimus, anathema intentatum (forte pro *inflictum*) eos tantum ferire, qui potestatem constituendi impedimenta dirimentia Ecclesiæ ideo denegarunt, ut dogma sacramenti abolerent, quique libertatem matrimonii ineundi sine restrictione a quocumque demum posita indulgendum esse contenderunt, quousque Deus expresse non restrinxerit ; quam opinionem Luther *de Captiv. Babylon.* foverat, et ipsa Synodus Tridentina, can. 3, perstrinxerat ; qua admissa nec ex concessa et delegata potestate unquam Ecclesia impedimenta statuere potuisset : quique denique Ecclesiam male usurpatæ potestatis alienæ ream agebant. Qui autem juris publici universalis principiis et antiquissimæ traditioni inhærentes hanc potestatem ex principum beneficio Ecclesiæ obtigisse adfirmant, nec dogma sacramenti abnuunt, nec concessam, vel acquisitam potestatem veram esse et legitimam inficiantur. » Idem auctor, ibid., § 516, de canone III Concilii hæc addit : « Manifestum est, non hic definiri, quo jure ea (Ecclesia) proprio an delegato in impedimentis dirimentibus contractum matrimonialem dispensare possit ; sed illum damnari errorem novatorum, qui tum quidem partim contendebant, legem ac de re mosaicam etiam christianorum intuiti immobilem esse ; partim dispensandi potestatem Ecclesiæ abnegabant, ut dogma sacramenti abolerent ; partim hujus potestatis usum impium et injustum calumniabantur. » Et § 17 : « Delegata igitur est Ecclesiæ potestas, quam in remittendis impedimentis contractum matrimonii dirimentibus exercet. » Hæc Joseph Pehem.

« Contendit Pehem negatam a Luthero illam Ecclesiæ potestatem eo fine, ut matrimonii sacramentum destrueret. Ergo necesse est ut Pehem demonstret, vel maximam haberi connexionem inter binas has propositiones : Ecclesia potestatem habet constituendi dirimentia matrimonium impedimenta, ergo matrimonium est sacramentum ; vel hanc duarum propositionum connexionem saltem fuisse a Luthero admissam. At neutrum ostendi a Pehemio poterit : si vero ostenderit, consequens inde erit, agnitam a Luthero eam potestatem ut Ecclesiæ propriam, quam ipse potestatis abusum appellat, et certe ut propriam Ecclesiæ definitam fuisse a Tridentino Concilio. Primum demonstrari nequit ; nam Ecclesia impedimenta etiam constituit, ne plura alia aut licite, aut valide peragantur, quæ tamen sacramenta non sunt. Nimirum potestas constituendi impedimenta, est potestas ferendi leges aliquid vetantes ne fiat a subditis, ita ut si illud ab eisdem in aliquibus rerum circumstantiis perficiatur, aut illicite, aut invalide perficiatur juxta legum rerumque diversitatem. Ecclesia porro hujusmodi leges ferre potest, quoties agatur de moribus, aut de sacris rebus, licet sacramenta non sint. Ergo ex eo quod Ecclesia leges condat de impedimentis conjugiorum, consequens inde minime ex hoc tantummodo est, quod matrimonium sacramentis sit adnumerandum.

« Neque vero alterum demonstraverit unquam Pehem, nempe necessariam earum propositionum connexionem ex Lutheri doctrinis. Hæresiarcha enim ideo blasphemabat matrimonium e sacramentorum numero sejungendum, quod, ut ipse censebat, atque ut putant etiam aliqui ex nostris scholasticis, nullum sit in novo fœdere testimonium ex quo illud evidenter probari possit ; neque enim ipse alterum fidei fontem, id est Ecclesiæ traditionem fatebatur. Sic Luther, *Disput. contra Articul. Lovan.*, art. 45 : « Matrimonium, inquit, esse sacramentum sine verbo dicitur, et a magistrollis in speculo Marcolfi visum est ». Alibi vero, *de Captiv. Babyl.*, scribit : « Matrimonium non solum sine ulla scriptura pro sacramento censetur, verum eisdem traditionibus, quibus sacramentum esse jactatur, merum ludibrium factum est ». Quam deinde blasphemiam pluribus futilibus argumentis conatur impius probare, quod nempe, si ipsum audiamus, matrimonium non habeat Christi institutionem, nec divinæ gratiæ promissionem, quod fuerit matrimonium usque ab mundi exordio, quodque ineatur etiam inter infideles. Noverat vero Luther, Ecclesiæ vetustissimam esse disciplinam, ut jurisdictionem exer-

sensu accedente, convalescat ; sed oportet iterum matrimonium contrahi coram parocho, et testibus, si impedimentum ex ætatis defectu promanans sit publicum : *Ibid.*, § 9.

Posito etiam quod matrimonium fuerit consummatum, non per hoc matrimonium non potuit convalescere, nisi iterum valide initum fuisset servata norma a Tridentinis legibus præscripta : *Ibid.*, § 10.

Hinc duodecim ætas annorum requiritur in muliere pro contrahendo matrimonio : *Theat.*, *Null. matr.*, 4 *jun.* 1763, § 8.

Minor tamen sufficit, si malitia suppleat ætatem : *Ibid.*, § 10.

Defectus ætatis legitimæ non inducit impedimentum simplex et absolutum, sed conditionatum, quatenus scilicet malitia non suppleat ætatem : *Theat., Matr.*, 23 *jan.* 1773, § 3.

Et hac in re standum est judicio Ordinarii : *Ibid.*

Ætas constituta est in jure canonico pro nuptiis celebrandis annorum 12 pro fœminis, et in maris annorum 14 : *Theat.*, *Matr.*, 16 *Mart.* 1771, § 20.

ceat in rebus quibuscumque sacris, aut religiosis, licet sacramenta non sint, eamque ferre leges ad mores christianorum spectantes ; nec ullus proferri a Pehemio aut judicari potest locus, in quo Luther unquam fassus sit aut contenderit necessariam esse illarum propositionum connexionem. Contra vero, si Lutheranos consulamus, ecclesiasticorum ordo potestatem habet in matrimoniis, licet illa sacramenta non adnumerent. En Bohemerium, qui, *Jus eccles. protest.*, tom. II, tit. II, §§ 25, 26, 27, hæc habet : « Adeo vero causæ matrimoniales ad consistoria nostra spectant, ut doctrina juris pontificii universa de hac materia fere recepta sit. Pertinent itaque ad consistorium etiam causæ sponsaliorum, si vel examine sint de futuro, et quamvis hæc rationem sacramenti non habent de jure pontificio, hoc ipsum tamen eas suo foro vindicavit, et ad ejus exemplum praxis Protestantium... imo adeo ad consistorium hæ causæ spectant ut ne quidem magistratus sæcularis per modum præventionis de iis cognoscere queat. » Similia fere habet Christoph. Matth. Pfaffius, in *Orig. Jur. eccl.*, qui Bohemerium ut magistrum laudat. Quinimo et Luther ipse, concl. 5 *de Matrim.*, scribit : « Omnino itaque res sancta est, et sacra (in lata significatione) matrimonium, si rite fuerit observatum, in cujus typo significatur is qui, quum Deus esset, factus est homo, etc. » Quamobrem ex Lutheri doctrina nequit demonstrari, Lutherum ipsum inter binas illas propositiones necessariam agnovisse connexionem.

« Quod si hoc demonstraretur, jam inde consequens esset, quod nollet Pehem, nempe et Lutherum putasse, Ecclesiam constituentem dirimentia conjugiorum impedimenta usam non esse regia potestate, sed abusam esse ecclesiastica jurisdictione. Nam si Luther arbitratus esset, Ecclesiam in hac re usurpasse, aut adhibuisse potestatem regiam, de hac re ipsa aliquam injicere debuisset mentionem Hæresiarcha enim impudentissimus, qui Ecclesiam tot injuriis contumeliisque adortus est, quique curabat magnopere, ut amissa Ecclesiæ amicitia hanc sibi apud principes vehementissime acquireret, non si luisset profecto aut illam Ecclesiæ usurpationem, aut acceptæ a principibus potestatis abusum : principibus magnopere consuluisset, quod nunc non veretur catholicus quidam, ut concessam Ecclesiæ potestatem in sua jura revocarent. At de hisce omnibus ne verbum quidem reperire est apud Lutherum. Quinimo vidimus jam superius, eum hortari sacerdotes, ut confirment conjugia contra leges ecclesiasticas et pontificias inita. Ecclesia porro ex mente Lutheri abutebatur facultate in christianorum conjugia ; ergo si censuisset potestatem hanc ipsi fuisse a principibus collatam, probare tentasset debere principes omnem quamcumque eidem eripere ; atque propterea eorum imploran-

dam esse auctoritatem clamasset, ut conjugia illa confirmarentur.

« Quum ergo Luther Ecclesiam male usurpatæ potestatis alienæ ream ageret, potestatis alienæ nomine divinam tantummodo, non illam principum commonstrabat ; aiebat enim non esse constituenda conjugiorum impedimenta plura iis quæ in Levitico recensentur, quia Deus plura minime constituit, quia separandi non sunt quos Deus conjunxit, quos ipse non separat, ac propterea divinam legem semper opponit ecclesiasticis de matrimonio legibus, easque *tyrannicas* per summam injuriam appellat, quas etiam per contemptum *humanas* vocat. Demonstratum namque superius a nobis est, *leges humanas*, *leges hominum* dici a Luthero, non quascumque hominum, adeoque et principum de conjugio leges ; sed ipso Luthero interprete ostensum est, hisce formulis ecclesiasticas dumtaxat et pontificias leges indicari. Ergo Luther liberum volebat matrimonium non a legibus quibuscumque, sed tantum ab iis quæ latæ ab Ecclesia fuerant, nam ab hominum legibus, quas ipse appellat, expresse exceptas voluit leges principum, ut supra ostendimus, quibus sancte obtemperandum hac etiam re ipse docuerat. Itaque a veritate prorsus aberrat interpretatio, quam Pehem Lutherano errori subjicit, qui forte Lutheri opera nunquam consuluit, sed interpretationem, ut videtur, ex impurissimo aliquo fonte, vel nimis ingenio suo indulgens auditoribus suis secutus propinavit. Si ergo Tridentini canones ex historia et scopo Concilii interpretandi sunt, ut ipse Pehem ingenue fatetur, si Luther non alienæ potestatis abusum in Ecclesia damnavit, sed quem putabat abusum propriæ ipsius auctoritatis, ut antea demonstravimus ; consequens profecto est, Tridentinis canonibus dogmaticis definitam fuisse propriam Ecclesiæ potestatem dirimentia constituendi impedimenta plura iis quæ sunt in Levitico, atque ab iis eadem auctoritate propria fideles aliquos dispensandi. Namque in concessis positum a Pehemio est, damnatum in Tridentinis canonibus errorem Lutheri, negantis Ecclesiæ potestatem illam ; at Luther ne verbum quidem habet de hoc ecclesiasticæ potestatis genere, adeoque nunquam negavit, Ecclesiam habere eam potestatem ex principum indulgentia : ergo Tridentina Synodus non damnavit, quem Luther non docuit errorem hujusmodi. Verum Luther negavit propriam Ecclesiæ potestatem ; hunc ergo ut errorem anathemate proscripsit eadem Tridentina Synodus, et damnare doctrinam ipsi contradictoriam : ergo Concilii Tridentini Patres iis canonibus definiere, Ecclesiæ inesse intimam propriamque potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, adeoque et auctoritatem ab iisdem aliquos dispensandi. »

Sed quandoque contingit ut etiam ante hanc ætatem naturalis pubertas superaccedat, pro qua non aliud requiritur quam mentis discretio, et aptitudo ad copulam : *Ibid.*

Et definitum in jure non invenitur, qua ratione ac methodo cognosci possit, utrum malitia suppleat ætatem : *Ibid.*, § 21.

Nullum est matrimonium contractum a muliere ante ætatem duodecim annorum completorum; tum ex dispositione juris civilis, tum juris canonici : *Ibid.*, § 5.

Quia ea requiritur ætas, quæ secum ferat discretionem ad consensum explicandum, et aptitudinem ad generandum : *Ibid.*

Legitima ætas debet esse completa : *Ibid.*, § 6.

Et ob ætatis defectum aperte excluditur aptitudo ad matrimonium, quæ præsumi nequit, sed concludenter probari debet : *Ibid.*

Nullum est matrimonium ob defectum ætatis in impubertate contractum, sine probatione requisita in litteris Apostolicæ dispensationis, quod malitia suppleret ætatem : *Theat., Null. matr.*, 4 *jun.* 1763, § 8.

Et requiritur judicialis inquisitio tum potentiæ ad copulam, per attestationes medicorum et obstetricum, tum prudentiæ et directionis ad intelligendam consensus conjugalis vim, per speciales et diversas interrogationes : *Ibid.*

Matrimonium ad valide contrahendum certa ætas præsumptive tantum, non vero taxative præfinita est, ita ut si ex habitu corporis dignoscatur capacitas contrahendi, firmum, validumque est matrimonium ante pubertatem contractum : *Posn., Matr.*, 4 *maii* 1754, § 3.

In decernendo an puella esset viri potens, et an malitia suppleret ætatem, standum est judicio Ordinarii : *Theat., Matr.*, 8 *aug.* 1772, § 9.

Ad dignoscendam puellæ capacitatem necessarii non sunt testes, aut periti, cum idoneitatis cognitio ad Ordinarium pertinet, idque ejus prudentiæ ac judicio committitur : *Ibid.*, § 10.

Impubertas mulieris nihil officit validitati matrimonii cum ex testibus Episcopi et vicarii generalis, qui eam interrogarunt, constet, in ipsa malitiam supplevisse defectum ætatis : *Theat., Null. matr.*, 4 *jun.* 1763, § 10.

Pubertas pro matrimonio contrahendo in aptitudine ad generandum, et in discretione cap. *De illis*, 9, *de Despons. impuber.*, consistit : *Theat., Matr.*, 16 *martii* 1771, § 12.

Ad dignoscendam pubertatem necessarii sunt testes, medicorum relationes, et confectio processus, cum ejus cognitio et verificatio ab uno Ordinarii judicio et relatione pendere debuisset : *Ibid.*, § 14.

§ XXVI.

Matrimonium quoad impedimentum affinitatis.

Affinitas est propinquitas procedens ex carnali copula licita, vel illicita, et matrimonium dirimit intra quartum gradum, si contracta fuerit ex copula licita ; illud vero dissolvit intra primum et secundum duntaxat, si ex copula illicita provenerit : *Vot. Fr. Antonio Bardoni*, 3 *aug.* 1720, § 4.

Ex copula licita, secundum antiquum jus canonicum, descendens affinitas ad quartum usque gradum extendebatur, etiamsi ex copula illicita descenderet ; quod correctum est a Sacr. Tridentino, quod impedimentum affinitatis ex fornicatione copulaque illicita contractum ad primum et secundum gradum affinitatis restrinxit : *Raven., Matr.*, 23 *aug.* 1721, § 2 ; in *Cenet.*, 10 *april.* 1723, § 9.

Ex matrimonio rato et non consummato impedimentum affinitatis causam habere non potest, quum affinitas ex culpa carnali consurgat : *Dub.*, 21 *nov.* 1722, § 4.

Affinitatis genus olim triplex erat, et eorum alterum matrimonium dirimebat ; sed hodie matrimonium dirimitur solo primo affinitatis genere, quod intercedit inter personam copula licita, vel illicita cognitam et consanguineos cognoscentis, et e contra inter personam cognoscentem, et consanguineos cognitæ : *Vot. Fr. Dom. Pontii*, 3 *aug.* 1720, §§ 2 et 5.

Ex declaratione S. Pii V textus in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam, intelligitur de gradibus affinitatis et consanguinitatis, dummodo tamen consanguinitas vel affinitas orta sit ex legitimo matrimonio : *Cenet.*, 10 *apr.* 1723, § 3.

De impedimento affinitatis, quæ vulgo dicitur proximitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela, varia olim fuit disciplina : *Const., Disp.*, 23 *april.* 1768, § 11.

Quum triplex distingueretur affinitatis genus, et ad septimum usque extenderetur gradum, Innocentius III ad unum tantum genus reduxit, illudque ultra quartum gradum protrahendum non esse declaravit : *Ibid.*

Sed Synodus Tridentina sess. 24, cap. 4, *de Reform. matr.*, licet quoad affinitatem ex copula licita seu conjugali nihil innovaverit, affinitatis tamen impedimentum ex fornicatione contractæ, et matrimonium postea factum dirimentis ad eos tantum, qui in primo, et secundo gradu conjunguntur, restrinxit : *Ibid.*; *Milet., Null. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 16.

Et in ulterioribus gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere: *Ibid.*

Idque latius declaravit S. Pius V const. *Ad Rom. Pont.*, 18 nov, 1566 : *Ibid.*

Disputatur a doctoribus, an positivo tantum, vel naturali etiam vetita sint matrimonia in primo affinitatis gradu lineæ rectæ aut transversalis : *Ibid.*, § 12.

Sed tanquam verior recepta est eorum sententia, qui pro jure tantum positivo pugnarunt : *Ibid.*

Hinc Innocentius III propter infirmitatem eorum qui recenter conversi erant ab infidelitate ad fidem, dispensavit, ut matrimoniis cum relictis fratrum contractis uterentur : *Ibid.*

Martinus V anno 1418, ut comes Tuxensis matrimonium iniret cum fratris vidua filia ducis Bavariæ: *Ibid.*

Alexander VI, ut Emmanuel, rex Portugalliæ, duas sorores acciperet : *Ibid.*

Julius II, ut Henricus VIII, rex Anglorum, duceret Catharinam, fratris sui Arcturi filiam : *Ibid.*

Hanc Julii dispensationem Clem. VII viris doctissimis, et omnibus fere studiorum academiis consultis legitime factum fuisse declaravit in suo decreto : *Ibid.*

Communissima canonistarum sententia est, quod affinitas ex matrimonio, ex copula conjugali contracta, inspecto etiam solo jure naturæ, dirimat matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, ut inter vitricum et privignam, novercam et privignum, socerum et nurum, socrum et generum : *Vot. P. Joseph de Alfaro*, 3 *aug.* 1720.

Nec refert, quod uxor privigni habeatur tanquam nurus vitrici, adeoque reputanda sit tanquam filia, et quod vitricus se habeat loco patris, quia reverentia similitudinaria non irritat matrimonium : *Vot. Fr. Dom. Pont., ibid.*, §§ 10 et 11.

Secundi, et tertii generis affinitatis impedimentum sublatum est a concilio Lateranensi sub Innocentio III in cap. VIII *de Cons. et Affin.*, et hodie solum primum affinitatis genus est illud quod constituit impedimentum usque ad quartum gradum inclusive : *Bojan., Matrim.*, 7 *junii* 1720, § 2 ; *Vot. P. Dom. Pontii ; Ibid.; et in Vot. P. Aloys. Sparverii, dicta die* 3 *aug.* 1720.

In hac affinitatis materia, non jus civile, sed jus canonicum est attendendum : *Ibid.*, § 3.

Uxor privigni est affinis vitrico, sed non affinis primo genere affinitatis, sed secundo : *Ibid.*, § 2.

Matrimonia cum affini in linea transversa contracta non sunt gravis indecentiæ, quia viri sancti talia matrimonia contraxerunt : *Ibid.*

Contracta autem in linea recta tanquam gravissima scelera valde detestatæ sunt omnes gentes : *Ibid.*

Caïus duxit Bertam, quæ fratrem habebat Cæsarem, qui duxit Catharinam. Mortuis Berta et Cæsare, Caïus potest ducere Catharinam secundi generis illi affinem : *Ibid.*

Papinianus in leg. *Uxorem* ff *de Ritu nupt.* respondit, uxorem quamdam privigni conjungi matrimonio vitrici non oportet : 3 *aug.* 1720, *adnot.*

Sed textus hic fuit a jure canonico correctus : *Adnot.*, 8 *mart.* 1721, §§ 5, 6, 7, 8.

Inter virum et mulierem non contrahitur affinitas, sed ipsi sunt affinitatis causa : *Ibid.*, § 3.

Nonnulli putant, quod cap. 8 *de Cons. et Aff.* revocat impedimentum secundi et tertii affinitatis, sed non revocat impedimentum secundi generis affinitatis in linea recta ad tramites juris antiqui : *Adnot.*, 8 *mart.* 1721, §§ 10, 11, 12, 13.

Alii e contra sentiunt quod capitulum illud indistincte loquitur, et indistincte aufert impedimentum secundi et tertii generis affinitatis, et sic etiam aufert illud secundi generis affinitatis in linea recta : *Ibid.*, §§ 14 et seqq.

Matrimonium permittendum non est inter illos, cujus mulier cum sponsi fratre uterino commercium illicitum habuit, quod parit impedimentum affinitatis in primo gradu : *Benev., Matr.*, 20 *sept.* 1760, § 5.

Et illicitum commercium probatur ex depositione 20 testium juridice examinatorum, qui promiscue narrant familiarissimam viri consuetudinem in domo mulieris, et aliquos reciprocos actus amatorios etiam impudicos, et copulæ præsumptionem : *Ibid.*

Immo si referunt confessiones implicitas, vel explicitas tum viri, tum ipsius viri patris et matris, quæ, licet sint extrajudiciales, coadjuvant copulæ præsumptionem : *Ibid.*

Præsertim si duo mulieres testantur actus ipsos concubitus de proprio visu, quo perfecta constituitur probatio : *Ibid.*

Et omnes conveniunt de publica diffamatione, quæ sola sufficeret ad impediendum matrimonium : *Ibid.*

Nullum impedimentum affinitatis oriri potest ex matrimonio quod ratum solum fuit, non etiam consummatum : *Leodien., Disp.*, 10 *maii* 1755, § 2.

Et hoc casu, mulier respectu fratris viri defuncti solo detineretur impedimento publicæ honestatis ad effectum contrahendi cum illo nuptias : *Ibid.*

A quo etiam impedimento aliquando dispensatio conceditur : *Ibid.*

Et de inertia et imbecillitate viri defuncti, in casu quo non agitur ut solvatur matrimonium, sed ne obstet affinitatis impedimentum, satis constat ex jurata mulieris confessione : *Ibid.*

Matrimonium inter conjunctos in primo affinitatis lineæ rectæ, secundum aliquos, prohibitum est

de jure naturæ; ita ut permitti nequeat ab Ecclesia : *Leod., Matr.*, 28 *maii* 1796, § 3.

Contrarium communiter sentiunt theologi et canonistæ : *Ibid.*

Matrimonium contractum inter affines in quarto gradu ex aperta sanctione Innocentii III est nullum : *Null. S. Ben., Null. matr.*, 14 *jan.* 1758, § 2.

Ob affinitatis impedimentum, matrimonium, etiamsi contractum revera dici posset, irritum tamen atque invalidum est : *Matheranen., Matr.*, 30 *jul.* 1735, § 4.

Ad inducendam copulam inductivam affinitatis pro dirimendo matrimonio, probant testimonia vidisse virum et mulierem nocturno tempore solos in domo clausos : *Milet., Null. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 7.

Ad impedimentum affinitatis duo requiruntur, videlicet copula undequaque completa et concludens, ac legitima illius probatio : *Baln., Imp.*, 12 *maii* 1770, § 2.

Ad contrahendum impedimentum affinitatis, carnalis copula debet esse consummata : *Milet., Null. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 13.

Quum agatur de matrimonio jam contracto et consummato, non est dissolvendum, nisi constet de certo impedimento affinitatis : *Ascul., Matr.*, 4 *jun.* 1768, § 4.

Et nonnisi testes omni acceptione majores in hoc judicio sunt admittendi : *Ibid.*

Testes consanguinei, vel inquisiti, vel pessimis moribus imbuti, non sufficiunt ad matrimonium dissolvendum : *Ibid.*, § 6.

Etiamsi sponsa sub sibilorum tormento delictum confirmaverit ex quo orta fuit affinitas : *Ibid.*

§ XXVII.

Matrimonium clandestinum, seu quoad præsentiam parochi.

Sancta Dei Ecclesia, ex justissimis causis, matrimonia clandestina semper quidem detestavit, et prohibuit, ea tamen nunquam irrita fecit : *Call., Matr.*, 17 *aug.* 1776, § 3.

Immo sancta Synodus Tridentina, sess. 24, cap. 1, *de Reform. matr.*, declaravit hujus generis matrimonia, quæ libero contrahentium consensu facta sunt, rata et vera fuisse matrimonia : *Ibid.*

Sed Tridentinum præscripsit eodem capite interventum parochi ac duorum testium pro validitate matrimoniorum; et hæc lex non obligavit, nisi post 30 dies numerandos a die primæ publicationis factæ in parochia : *Dub., Matr.*, 15 *jan.* 1721, § ult.

Ideo nullum matrimonium est modo non servata forma a Concilio Tridentino statuta : *Ancont., Null. matr.*, 10 *maii* 1760, § 1.

Ut matrimonium sit validum, satis est quod coram parocho et testibus reciprocus accedat contrahentium assensus per verba de præsenti prolatus, utcumque parochus dissentiat, vel aufugiat : *Ibid.*

Denuntiationibus propria auctoritate et culpabiliter, cæteris tamen servatis solemnibus, omissis, matrimonium dicitur illicitum et clandestinum : *Ibid.*, § 8.

Hinc vigore Concilii Tridentini cap. cit., irritum et invalidum est matrimonium non contractum præsente parocho, vel sacerdote de ipsius licentia, et duobus testibus : *Neap., Matr.*, 11 *julii* 1767, § 10; *Cam. seu Fabr., Matr.*, 4 *jun.* 1768, § 18; *Theat., Matr.*, 16 *martii* 1771, § 21; *Segn., Matr.*, 17 *nov.* 1736, § 4; *Taur., Matr.*, 26 *jan.* 1771, § 12.

Ex mente S. Congreg. Concilii censetur nullum matrimonium contractum coram sacerdote extraneo, cui facultas data fuerat a parocho unius ex contrahentibus, sed ipse hujusmodi facultatem ignorabat : *Ibid., in Theat.*, § 12.

Sed validum est matrimonium contractum coram sacerdote de licentia Ordinarii : *Ibid., in Segn.*

Et nomine Ordinarii venit vicarius generalis Episcopi : *Ibid.*

Qualiscumque consensus perceptio certam habet et sufficientem matrimonii probationem, ac proinde abunde satisfit menti et dispositioni Concilii : *Cam. seu Fabr., Matr.*, 4 *jun.* 1768, § 15.

Et plena fides habenda est parocho, qui de matrimonio coram se et testibus contracto testatur : *Ibid.*, § 16.

Quum agatur de matrimonio clandestino a Concilio Tridentino improbato, nisi perspicuæ afferantur probationes, contra illud in dubio est pronuntiandum : *Aven. seu Aur., Matr.*, 9 *jul.* 1768, § 11.

Haud inspecto quidquid a contrahentibus, parocho et testibus absentibus, asseratur : *Ibid.*

Matrimonii perfectio etiam post decretum Concilii Tridentini habetur ex mutuo contrahentium consensu, per parochum et testes præsentes quomodolibet percepto et intellecto : *Cam. seu Fabr., Matr.*, 4 *jun.* 1768, § 15.

Præsentia parochi et testium debet esse moralis cum intelligentia et advertentia ejus quod geritur, ad quem effectum necessarium est ut videant et cognoscant contrahentes, ut testari possint Ecclesiæ inter eos fuisse contractum matrimonium : *Ferr., Matr.*, 12 *dec.* 1761, § 9.

Nihil officit affectata parochi ignorantia, quia facile potuisset se vertere erga mulierem, illiusque vultum aspicere, et cognoscere : *Ibid.*, § 10.

Rejicitur opinio Monacelli, aliorumque dicentium id procedere pro solo casu quo parochus affectasset non vidisse, quod revera vidit : *Ibid.*

Matrimonium clandestinum coram parocho et testibus initum detestatur quidem, sed non irritatur : *Feretr., Matr.*, 5 *jun.* 1779, § 5.

Sat enim est pro illius validitate, ut coram parocho sponsæ, et testibus præsentibus, illorum accedat consensus : *Ibid.*

Idque obtinet etiamsi parochus dissentiat ; aut testetur, se non audivisse verba puta sponsi, non aliter vero explicite illa sponsæ : *Ibid.*, § 6.

Ad validitatem matrimonii requiritur præsentia parochi et testium non physica seu materialis, sed moralis humano modo, ut possint scilicet testificari matrimonium actualiter et de facto contractum : *Rom., Matr.*, 28 *jul.* 1730, § 9; *Neap., Matr.*, 6 *maii* 1741, § 2.

Super dubio an sufficiat sola præsentia pure physica, seu materialis, S. Congregatio Concilii respondit providendum esse in casibus particularibus : *Ibid.*, § 14.

Ad dubium vero, si sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum quæ agebantur vidit, neque audivit, utrum tale matrimonium valide contractum sit, vel potius sine sacerdote nullius sit ponderis, responsum non valere, si sacerdos non intellexit, nisi tamen affectaverit non intelligere : *Ibid.*, § 15.

Resolutio hæc in diversum sensum trahitur a doctoribus : alii intelligunt de parocho qui affectavit non intelligere, sed nihilominus revera intellexit ; alii contrarium tenent, quod intelligendum sit de parocho qui revera nihil audivit : *Ibid.*, § 16.

Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentant, eos Synodus Tridentina ad sic contrahendum omnino inhabiles reddidit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decrevit : *In Relat. Secr.*, 15 *julii* 1793, § 14.

Et hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere inciperet a die primæ publicationis in eadem parœcia facta numerandos : *Ibid.*, § 17.

Parochus in matrimoniis nullam exercet jurisdictionem, cum ipse non sit minister magni hujus sacramenti, sed sit testis spectabilis matrimonii, qui cum aliis testibus certam reddat Ecclesiam, hunc et illam matrimonium contraxisse : *Spol., Matr.*, 31 *jul.* 1751, § 3.

Licet de jure decretalium sponsalia de futuro transiverit in matrimonium de præsenti ex copula inter sponsos affectu maritali exercita ; cessat tamen hæc dispositio propter jus notum a S. Concilio Tridentino inductum, ubi nullum declaratur matrimonium sine parochi præsentia contractum : *Ibid., et Agrig., Matr.*, 15 *martii* 1727.

Matrimonium, non contractum coram parocho vel mulieris vel viri, nullitate laborat : *Eug. seu Per., Matr.*, 25 *jan.* 1727, § 3.

Tridentinum Concilium noluit nullitatem matrimonii ex defectu præsentiæ parochi et testium sibi vindicare locum in parochiis in quibus decretum publicatum non fuit : *Colon.*, 17 *jan.* 1727, § 3.

Quum in matrimonio servata sit forma Concilii Tridentini perperam initum conjugium de nullitate redarguitur : *Neap., Matr.*, 11 *julii* 1767, § 5.

Matrimonia coram solo parocho ineunda sunt : *Civit. Cast.*, 25 *sept.* 1762, § 6.

Parochus quibuscumque rationibus et angustiis, etiam ad evitanda gravissima mala, ad clandestinam desponsationem devenire nequit : *Stagn.*, 19 *nov.* 1746, § 3.

Satis est ut parochus ex his quæ vidit, atque ex nutibus seu signis, aliisque coram ipso gestis intelligat contrahentes mutuum præstare consensum in matrimonium : *Aven. seu Beac., Matr.*, 9 *jul.* 1768, § 12.

Nec necesse est ut testes formalia verba audiverint expressum consensum præ se ferentia, cum sufficiat consensus elicitum quibusvis exterioribus signis et circumstantiis : *Ibid.*

Affectatio parochi non intelligere mutuum consensum nihil matrimonii validitati officit : *Ibid.*, § 13.

Et solæ conjugum assertiones probant matrimonium, quando tantummodo sit quæstio de sufficienti coram illis explicato consensu per verba, et signa : *Ibid.*, § 15.

S. Concilium Tridentinum cit. statuit matrimonium non celebratum coram proprio parocho, aut alio sacerdote de ejusdem parochi vel Episcopi licentia, et duobus testibus saltem, nullum esse : *Ibid.*, § 16.

Limitatio a S. Congreg. Concilii adhibita, quod validum est matrimonium, *nisi effectasset intelligere*, importat quod si non vidit, nec intellexit, ipse in causa fuit ne videret nec intelligeret, propterea quod vel aures sibi obstruxerit, vel faciem velaverit, ne audire et aspicere cogeretur : *Ibid.*, § 18.

Et id verisimilius esse naturalis ratio suadet, cum in arbitrio parochi non sit matrimonii libertatem impedire : *Ibid.*

Non est opus quod consensus ex verbis percipiatur, sed sat est illum percipi etiam ex signis,

licet extrinsecis : *Civit. Castell., Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 8.

Etiamsi affectate et fugiens præcisa verba utriusque conjugis parochus non audivisset, nec intellexisset : *Ibid.*

Sufficit ad matrimonii validitatem parochum plene novisse conjugum consensum, et voluntatem celebrandi matrimonium : *Ibid.*

Affectatio parochi solum admittitur, quando ille in causa fuit, ne verba audiret, aut intelligeret, obstruendo aures, aufugiendo, vel aliud quid simile peragendo : *Cam. seu Fabr., Matr.*, 4 *jun.* 1768, § 8.

Verum, si parochus affectasset non intelligere, propterea quod vel aures sibi obstruxerit, vel faciem averterit, aut velaverit, ne audiret ac aspiceret, tunc matrimonium validum erit, cum in arbitrio parochi non sit matrimonii libertatem impedire : *Taur., Matr.*, 26 *jan.* 1771, § 12.

Et ea quæ de parocho affectante non intelligere Tridentina Synodus disponit, sess. 24, cap. 1, trahi non possint etiam ad testes : *Ibid., Cam. seu Fabr.*

Matrimonii validitas sustinetur in casu quo parochus non obstante sua affectatione, consensum ex verbis, vel signis, percipiat; secus autem, ubi reipsa nec verba intellexerit, nec viderit signa : *Segn., Matr.*, 24 *sept.* 1736, § 5.

Oportet quod parochus ac testes sic viderint, vel aliter, sed tamen indubie noverint contrahentes, ut certo possint testificari de matrimonio inter eos contracto; nam alioquin non evitarentur luctuosa illa pericula, quæ ex clandestinis matrimoniis manantia avertere voluit sacrum Concilium : *Neap., Matr.*, 13 *jun.* 1733, § 7.

Sed aliqui doctores peculiariter etiam agunt de sponso aut sponsa faciem habente tectam velo : *Ibid.*

In conciliis provincialibus Cameracensi et Mechliniensi statuerunt Patres clandestina matrimonia, ut sint in Concilio Tridentino decreta, irrita et nulla fore : *Disser. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. I, discep., 1, num. 10.

Et matrimonia, quum sint sicuti ceteri contractus, pendent a jure locorum in quibus celebrantur : *Ibid.*, § 20.

Matrimonia contracta ab oriundis ex aliquo loco ubi fuit publicatum Tridentinum omnino nulla, atque irrita sunt, nisi contracta coram sacerdote ad hoc specialem potestatem habente : *Ibid.*, § 19.

Matrimonia quæ sine sacerdotis præsentia et benedictione contrahuntur legitimi quidem sunt contractus, ad sacramenti vero dignitatem nequaquam pertinent : *Ibid.*, § 21.

Sed hæc sententia post Tridentinum non favet matrimoniis clandestinis in locis quibus idem Tridentinum est publicatum : *Ibid.*, § 22.

Quia Tridentinum irrita esse jubet clandestina conjugia in eadem ratione qua erant antea firma; secus nihil novi statuisset; ex quo fit, ut quæ prius erant firma ratione contractus, hæc in eadem ratione esse nulla declarat : *Ibid.*

Tridentini Patres quum irrita clandestina matrimonia juberent, quæ inde incommoda promanarent, si suum alicubi decretum non acceptaretur, prospexerunt, hinc illud temperarunt, ut neminem teneri voluerint, nisi post 30 dies ab ejusdem promulgatione facta in parochia : *Ibid.*, § 31.

Et S. Concilii Congregatio censuit satisfactum menti Concilii, si dictum decretum non in ecclesia parochiali, sed voce præconis in platea civitatis fuerit publicatum : *Ibid.*

Parochus si ex conclamata matrimonii nullitate ab ecclesia consulto recesserit, nihilque propterea audire potuit, et testes adsunt qui consensum coram eo ab utroque conjuge præstitum excludunt, consistere matrimonii validitas nequit : *Nic. seu Turr., Matr.*, 11 *mart.* 1786, § 5.

Præsertim cum de matrimonio clandestino agatur, contra quod ita probationum vigor exigendus est, ut in quacumque implicitate contra matrimonii validitatem sentiendum sit : *Ibid.*

Receptum est, non verbis tantum sed aliis etiam extrinsecis signis consensum ad matrimonii validitatem necessarium exprimi posse : *Ibid.*, § 7.

§ XXVIII.

Matrimonium quoad delegatos.

De facultate parochi hebdomadarii ecclesiæ metropolitanæ, ac vicarii generalis, concedendi licentiam celebrandi matrimonium dubitari non potest : *Theat., Matr.*, 16 *mart.* 1771, § 17.

Etiamsi extra sua jurisdictionis limites matrimonium foret ineundum : *Ibid.*

Nec opus est, ut parocho innotescat delegatio, cum hanc scientiam minime requirat Concili Tridentini decretum, quod tanquam correctorium juris naturalis et antiquæ libertatis rigidius, quam fieri possit, intelligi debet : *Ibid.*

Non officit quod delegatio non reperiatur in libro matrimoniorum ad curam ecclesiasticam transmisso et compulsato, cum id similiter evenire potest ex negligentia parochi, ex qua nihil contra matrimonii validitatem desumi potest : *Ibid.*, § 18.

Stare nequeunt suis viribus matrimonia coram delegato contracta, cum præter facultatem eidem

assistenti collatam necesse sit ut is sciat se illam habere : *Nicien. seu Turr., Matr.*, 11 *mart.* 1786, § 11.

Quando data semel fuit sacerdoti legitimis matrimoniis assistendi licentia, statim titulus coloratus quoad omnia in genere matrimonia enascebatur, qui communi errore accedente ad clandestinorum quoque conjugiorum validitatem satis erat : *Ibid.*, § 6.

Parochus alterius parochiæ jure delegato non potuit matrimonio assistere, cum mandatum archiepiscopi, uti præ se ferens clausulam *parochianam tuam*, nec novam dans in sponsos jurisdictionem, excitare tantum potuisset jurisdictionem ordinariam, non novam conferre dicto parocho jurisdictionem : *Taur., Matr.*, 12 *decem.* 1767, § 6.

Potest parochus hebdomadarius ecclesiæ cathedralis delegare archipresbyterum, ut matrimonio adstaret ; licet hic non sit proprius contrahentium parochus : *Theat., Matr.*, 7 *aug.* 1772, § 11.

Et quoad scientiam licentiæ eidem archipresbytero tributa attendi plurimum debet illius dispositio : *Ibid.*

Et licet non innotuisset ei licentia, non ideo tamen ex hoc capite matrimonium irritum est, cum defectus scientiæ delegationis sit quid extrinsecum, quod actus nullitatem non inducit : *Ibid.*, § 13.

Licet quique parocho multoque magis Episcopo aut vicario generali facultatem alteri sacerdoti concedere assistendi matrimonio : *Theat., Matr.*, 23 *jan.* 1773, § 6.

Et hæc facultas concedi potest, etiamsi matrimonium ineundum sit extra limites propriæ jurisdictionis : *Ibid.*

Et ratio est, quia jus concedendi hujusmodi facultatem sit actus jurisdictionis voluntariæ, qui ubique potest exerceri : *Ibid.*

Atque ad matrimonii validitatem necessaria non est licentiæ exhibitio : *Ibid.*, § 7.

Potestatem non habent simplices sacerdotes assistendi matrimoniis a Sac. Concilio Tridentino, sed a parocho, vel ab Episcopo, quibus reservata est licentia accipere, possunt : *Bosan., Visit. SS. LL.*, 19 *sept.* 1789, § 3.

Et veteri abrogata sententia, quod per approbationem Episcopi concessa intelligeretur etiam facultas pro-parochis assistendi matrimoniis, eam declarare potest illius decessor, ut non amplius censeretur concessa, certamque formam in concedendo præscribere : *Ibid.*

Matrimonium sustineri nequit, quamvis initium demonstraretur de licentia alterius a parochis contrahentium vel ordinarii diversi : *Gnesn., Null. matr.*, 15 *jan.* 1791, § 5.

Et satis est, adnotatum esse in codice parochialis ecclesiæ adfuisse capellanum de parochi consensu : *Ibid.*, § 6.

Constare tamen debet de ipsa licentia, si ad eam se referat adnotatio : *Ibid.*

Parochorum facultas concedendi licentiam assistendi matrimoniis indefinita est, nullisque legibus a Sac. Conc. Trid. circumscripta : *Bosan., Visit. SS. LL.*, 19 *sept.* 1789, § 4.

Parochus indefinitam habet facultatem concedendi licentiam assistendi matrimoniis : *Turr., Matr.*, 13 *jun.* 1795, § 5.

Eam tamen moderare valeat Episcopus : *Ibid.*

Ideoque validum est matrimonium contractum coram pro-parocho, licet ob prohibitionem Episcopi illicitum : *Ibid.*, § 6.

Potest parochus alteri sacerdoti delegare præsentiam in matrimoniis : *Spol., Matr.*, 31 *jul.*. 1751, § 3.

Et dispositione juris neque tenetur parochus licentiam concedere in scriptis, neque prohibere potest, ne ea valide utatur, qui verbis accepit : *Boss., Visit. SS. LL.*, 19 *sept.* 1789, § 4.

Parochi consensus et delegatio requiritur ad matrimonii validitatem : *Theat., Matr.*, 16 *mart.* 1771, § 11.

Immo si unus ex contrahentibus licentiam ignorasset, in isto quoque casu matrimonium irritum fuit : *Ibid.*

Ubi integra re fuerit adempta facultas, et denuntiata ejus revocatio, plane sequitur tolli de medio facultatem ipsam et matrimonium postea initum adstante, tanquam in parochi locum subrogato eo qui tunc non erat tali potestate præditus, nullitati obnoxium est : *Tricar., Matr.*, 27 *jan.* 1733, § 15.

Ad effectum assistendi matrimonio requiritur in delegato scientia suæ delegationis : *Theat., Null. matr.*, 4 *jun.* 1763, § 9.

Facultas assistendi matrimoniis in ipsa generali delegatione continetur : *Cæsaraug., Mat.*, 10 *mart.* 1770, § 9.

§ XXIX.

Matrimonium initum coram parocho acatholico, et ubi non publicatum, vel publicatum, et haud acceptatum fuerit Concilium Tridentinum.

Matrimonia inter hæreticos, vel inter hæreticum et catholicam, et e contra, absque parochi et testium præsentia inita in locis ab hæreticis modo occupatis, ubi publicatum fuit decretum Tridentinum sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.*, sunt valida juxta sententiam doctorum : *Ipren., Visit. SS. LL.*, 17 *aug.* 1737, § 4.

Matrimonia inter catholicos, et hæreticos, vel e contra, coram magistratu, vel ministro hæretico inita in regione ubi constat non defuisse verum parochum, coram quo poterat matrimonium rite celebrari, sunt invalida : *Ibid.*, § 6.

Matrimonium initum coram parocho hæretico non sustinetur : *Ibid.*

Et ratio est, quia ob hæresim uti parochialis beneficii titulo destitutus est : *Ibid.*

Certum est, conjuges qui matrimonium coram ministro hæretico invalide contraxerunt absque præsentia parochi, in perpetuo vivere concubinatu, nisi subinde curent, renovato censensu coram parocho catholico, matrimonium convalidare : *Ibid.*, § 12.

Matrimonium contractum coram ministro hæretico, si nequeant conjuges, ad fidem conversi, renovato consensu coram parocho catholico convalidare, relinquendi sunt in bona fide : *Ibid.*, § 13.

Immo conjuges etiam dubitantes de validitate matrimonii non debent ad illud renovandum compelli, si id tuto fieri nequeant : *Ibid.*, § 14.

Matrimonium si coram ministro hæretico fuerit initum, et subinde conjuges ad fidem convertantur, et nequeant tuto convalidare matrimonium coram parocho catholico, Summus Pontifex indulgere debet ut in dicto matrimonio permaneant : *Ibid.*

Difficultas est, num in locis ab hæreticis modo occupatis, ubi publicatum fuit Concilii Tridentini decretum, valida sint matrimonia quæ inter hæreticos, vel inter hæreticum et catholicam, et e contra, celebratur sine parochi quidem præsentia, sed coram magistratu, aut ministro hæretico : *Dissert. sec. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. A, § 4.

Nonnulli auctores tuentur dicta matrimonia inita sustineri : *Ibid.*

1° Quod si non physice, moraliter saltem impossibile sit, matrimonium inter hæreticos contrahi coram proprio parocho, quandiu provinciæ seu loca, ubi illa celebrari contingit, acatholici principis imperio remanent subjecta : *Ibid.*

2° Quod inde possent hæreticorum conversiones impediri, pluraque exoriri incommoda, quæ facile avertentur, si hæretici petentes catholicæ Ecclesiæ reconciliari non obligentur uxores hæreticas converti nolentes deserere, sed possint cum iis pristinum prosequi connubium, tametsi nequeant istæ ad novum consensum coram parocho catholico præstandum pro matrimonii convalidatione induci : *Ibid.*

3° Quoad incommoda ex matrimoniis clandestinis, quæ in foro externo probari non poterant, satis evitentur in nuptiis publice coram magistratu vel ministro acatholico celebratio : *Ibid.*

Matrimonium initum coram parocho hæretico, uti parochialis beneficii titulo ob hæresim destituto, minime sustinetur : *Ibid.*

Hæretici degentes in locis quibus Concilium Tridentinum publicatum non fuit, non sunt subjecti huic legi, ita ut matrimonia ibi ab eis contracta coram ministro acatholico, ei sic sine vero parocho et testibus pro validis sint habenda : *Colon.*, 17 *jan.* 1727, § 3.

Alii tenent quod matrimonia hæc hæreticorum valida sunt in illis locis quibus utpote nunc principi catholico subjectis, licet olim fuerit publicatum Tridentini decretum, hodie nihilominus subsunt principibus hæreticis ; et hanc assertionem ampliant etiam ad casum in quo alter ex contrahentibus catholicus esset : *Ibid.*

Et alii demum volunt, matrimonia hæreticorum nulla esse, sive inter hæreticos contracta fuerint, sive inter hæreticum et catholicam, dummodo tamen copia haberi potuerit parochi, aut sacerdotis catholici, quo matrimonio interesset : *Ibid.*

Ubi parochi catholici non sunt, vel est moraliter impossibile eos reperire, validum etiam est matrimonium sine eorum præsentia contractum, juxta responsum Card. Bellarmini : *Ibid.*

Hæreticorum matrimonia sunt valida, quamvis contracta sine parocho, si in loco nec Episcopus, nec parochus adsit, dummodo tamen duo, aut tres testes fuerint adhibiti, et sic servata fuerit quantum potuit forma Concilii : *Ibid.*

Sunt nonnulli doctores, qui existimant matrimonia sive inter catholicum et hæreticam, sive inter acatholicos, sine præsentia veri parochi initi in locis ubi Decretum Concilii Tridentini publicatum fuit, et quorum dominatum hodie teneant principes acatholici, esse valida : *Worm.*, *Matr.*, 7 *jun.* 1731, § 5.

Probabilius tamen est, quod hujusmodi matrimonia irrita sint et invalida juxta ecclesiasticam legem a qua exemptos non reddit hæreticos ipsum crimen defectionis ab Ecclesia : *Ibid.*

Ubi nec Episcopus nec parochus catholicus existat, vel iis ob metum latentibus, ignoretur quonam loco sint, vel ad eos tutus non pateat accessus, matrimonium valet etiam absque præsentia parochi, modo servetur, quantum cæteroquin potest, præscriptum Concilii, adhibitis videlicet duobus vel tribus testibus : *Ibid.*, § 6.

Consideratione dignum est, quod etiamsi in tali loco sit parochus, hic tamen assistere non debet matrimonio, vel inter hæreticos, vel inter hæreticum et catholicam contracto : *Ibid.*, § 7.

Ubi sanctio Tridentini Concilii, sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.*, recepta non est, minime obligat saltem ad effectum, ut irrita dici debeant

matrimonia, quæ sine forma per illam præscripta fuerint celebrata : *Dissert. secret. supr. matr.*, 1740, in fin. litt. D., § 11.

Et ratio est, quia non sufficit promulgatio, sed requiritur acceptatio : *Ibid.*

Atque probabilis est opinio, num toties memoratum decretum Tridentinum aliquo in loco promulgatum, aut si promulgatum non constet fuisse receptum, matrimonia ibidem absque parochi ac testium præsentia contracta pro validis haberi debeant : *Ibid*, § 12.

Et quando dubitetur de ejusdem promulgatione, donec dubium eliminetur et rei veritas elucescat, non debet recedi ab ea sententia quæ matrimonia sine parocho inibi valide celebrari tuetur, cum in dubio possessionis legis standum sit pro libertate : *Ibid.*, § 13.

Regula est generalis, quod si in loco ubi contingit matrimonia celebrari, neque parochus, neque sacerdos ab eo deputatus, qui eisdem matrimoniis valeat assistentiam præstare, inveniatur, vel si quis existat, hæreticorum tamen metu latitet, sive tutus nequeat ad eum haberi accessus, rite, valideque nedum inter hæreticos, verum etiam inter catholicos absque illius præsentia celebrari possunt matrimonia, si modo, quantum cæteroquin fieri potest, adhibitis saltem duobus testibus, forma a Tridentino præscripta servetur : *Ibid.*, § 19.

Plures auctores licet existiment, matrimonia in Hollandia aliisque locis confederatis ab hæreticis inter se celebrata absque parochi præsentia non esse invalida ; secus tamen tenendum fore tuentur de matrimoniis inter catholicos ibidem initis : *Ibid.*, § 21.

Limitatur, si catholici illic habitantes possint habere parochum, vel ejus substitutum, sine gravi ipsius, vel contrahentium periculo : *Ibid.*

Si autem matrimonium contrahatur a catholico cum hæretica, et e converso, invalide contrahant : *Ibid.*, § 22.

Et ratio est quod a catholicis cum contrahant hi in loco ubi receptum est Concilium Tridentinum, adhibendus est parochus : *Ibid.*

Atque quia catholica legi ecclesiasticæ subjicitur, indirecte quoque hæreticus cum ea contrahens ligatur, ut nequeat valide contrahere absque parocho : *Ibid.*

Matrimonia inter hæreticos celebrata iis in locis ubi constat decretum Tridentinum fuisse sufficienter promulgatum, et ubi non desit copia parochi, tutusque ad eum haberi possit accessus, invalida existimantur, si fiunt absque præsentia parochi, ac duorum saltem aut trium testium, etiamsi contrahantur coram magistratu, seu ministro acatholico : *Ibid.*, § 23.

Et hoc judicium dedit facultas theologica universitatis Viennensis, latum die 18 maii 1665 : *Ibid.*

Et fundamentum sententiæ prædictæ est, quod hæretici sanctam Dei Ecclesiam per Baptismi lavacrum ingressi, quemadmodum cæteris omnibus Apostolicis constitutionibus subjiciuntur, ita decreti Concilii Tridentini forma in matrimoniis servanda, et parere tenentur sub pœna nullitatis suorum matrimoniorum : *Ibid.*, § 24.

Plurimi e contra eorumdem matrimoniorum validitatem proponunt theologi et canonistæ : *Ibid.*, § 25.

Limitatur : sed de his auctoribus pauci loquuntur de matrimoniis inter hæreticos in Hollandia aliisque confederatis provinciis contractis, sed agere de matrimoniis in genere hæreticorum : *Ibid.*, § 26.

Et concludunt nonnulli difficile esse hac in re quid certi statuere, et Apostolicæ Sedis definitionem necessariam esse : *Ibid.*

Primo, quum catholici iis in locis, ubi permixti commorantur cum hæreticis, duæ considerari debent parochiæ, tametsi in catholicorum parochia decretum Tridentinum fuerit promulgatum, atque inter istos usu receptum, eo plane modo quo dictum decretum in una catholicorum parochia publicatum non ligat in alia in qua ejus promulgatio sequuta non fuerit : *Ibid.*, § 27.

Et quia in talibus locis, ubi hæretici suos habent prædicantes, licet parochia hæreticorum et catholicorum sit physice eadem, moraliter duæ parochiæ fide et moribus distinctæ, ideoque promulgatio decreti Tridentini moraliter censetur facta in una parochia, et non in alia, cum facta non sit a prædicantibus hæreticis : *Ibid.*

Secundo quod hæretici, re strictius accepta, nullam habeant parochiam, proindeque tanquam vero et proprio parocho carentes, ea non ligentur lege quæ jubet matrimonia coram proprio parocho celebrari : *Ibid.*, § 28.

Tertio, quia sicuti vetitum est parocho assistere matrimoniis sive inter hæreticos, sive inter hæreticum et catholicam, impossibile hinc est hæreticis uti præsentia parochi, qui nequit accersiri, et accersitus non assisteret : *Ibid.*, § 29.

Quarto, quod hæretici, si doctiores excipias, sæpe dictum decretum, quo clandestina conjugia irritantur, prorsus ignorent ; unde teneri non debeant pœnæ legis quam nesciunt a se violari : *Ibid.*, § 30.

Quinto, quod matrimoniis ineundis nedum verus et proprius parochus, sed etiam is qui ex communi populi errore pro vero et legitimo parocho, licet reipsa talis non sit, valide assistit : *Ibid.*, § 31.

Sexto, quod admodum verisimile sit patres Tridentini ex quadam epicheia noluisse hæreticorum matrimonia sub prædicto decreto comprehendere : *Ibid.*, § 31.

Licet forma præscripta absque nullitate actus omitti nequeat in matrimonio, si fortasse in articulo mortis, sive ad legitimandam prolem, sive ad avertendum quodcumque aliud gravissimum incommodum absque præsentia parochi celebretur, irritum esset, tametsi in ea temporis angustia impossibile fuisset, parochum adhiberi : *Ibid.*

Attamen ubi impossibilitas universalis, et perpetua foret, totamque rempublicam, regionem, aut communitatem aliquam afficeret, æquitas postulat, ut talis forma, quoad illud personarum genus cui difficillimum ac ferme impossibile redditur, eam servare non censeatur inducta : *Ibid.*

Septimo, quod inoleverat in Hollandia, aliisque provinciis confœderatis, universalis et pacifica consuetudo centenaria celebrandi inter hæreticos matrimonia sine parochi præsentia coram magistratu, aut ministro acatholico : *Ibid.*, § 33.

Octavo, quod luctuosa incommoda, quæ ex clandestinis connubiis solent oriri quæque sancta Tridentina synodus voluit avertere, sufficientem ex nuptiis publice coram magistratu, vel ministro acatholico ineundis evitentur : *Ibid.*, § 34.

Nono, quod Apostolica Sedes a sæpedicta Tridentina lege hæreticos non contradicente, eoque tacite consentiente dispensasse censeatur : *Ibid.*, § 35.

Præcipue cum Papa sciens non declarat irrita ; ideoque non est existimandum, velle pontificem, ut decretum Concilii Tridentini ad ejusmodi matrimonia clandestina se extendat, ne multa gravia incommoda inde oriantur : *Ibid.*

Item eadem matrimonia valida ita reputata, ut filii inde procreati tanquam legitimi absque ulla Apostolica dispensatione ad ordines solent promoveri : *Ibid.*

Accedit auctoritas Congregationis S. Officii, qui respondit ut statueretur ab Episcopo quod magis sibi creditarum animarum saluti expediret; et Episcopus contra doctrinam, et praxim ab eo inductam nihil decrevit : *Ibid.*, § 37.

Decimo, ubi probabile est, impedimentum aliquod matrimoniorum validitatem inficiens nequaquam in jure subsistere, tunc eadem matrimonia censenda sint valide celebrari ob ipsius matrimonii favorem : *Ibid.*, § 37.

Nam ejus validitas quoad fieri potest, sustineri debet : *Ibid.*

Et hoc procedit, non solum in matrimoniis confractis, verum etiam in contrahendis : *Ibid.*

At respondetur ad allatas rationes, et ad primam scilicet de duplici parochia in quolibet parochiali districtu consideranda non suffragatur hæreticis hæc ratio, ubi judicetur his in locis sufficienter Concilium Tridentinum promulgatum fuisse ; ne hoc pacto possint hæretici ab ecclesiasticis legibus sese indirecte subducere : *Ibid.*, § 39.

Respondetur ad secundam quod hæreticus subjectus est jurisdictioni Ecclesiæ, hinc etiam parocho, a quo non potest eximere : *Ibid.*, § 40.

Respondetur ad tertiam quia ex regula juris tunc solum cessat obligatio servandi aliquam legem, quando impedimentum, ne illa servetur, aliunde provenit quam ex culpa ejus qui legis vinculo obstringitur, secus enim culpa ipsa commodum delinquenti adferret : *Ibid*, § 41.

Respondetur ad quartam : perpendendum est, num assertæ ignorationis effectus eousque protendi possit, ut habilitas quam Tridentina Synodus omnibus semel Ecclesiam ingressis ad matrimonium sine præsentia parochi ineundum ademit ab hæreticis obtineri censenda sit, cum de cetero lex omnis quæ irritans dicitur etiam ignorantes afficiat : *Ibid.*

Ad quintam, solus communis error absque titulo colorato ad validitatem actuum, qui celebrantur, sive quibus assistitur a pseudo parocho, non sufficit, quum error debeat esse in hunc finem probabilis, non autem, ut dici solet, crassus atque supinus : *Ibid.*, § 43.

Ad sextam, videtur objici posse, neminem sub obtentu verisimilis æquitatis, ut epicheiæ a generali decreto præsentiam parochi pro forma matrimonii explicite demandatæ immunem consensum fore : *Ibid.*, § 44.

Eoque minus hæreticos, qui dum Ecclesiæ leges contemnunt, si mala deinde ipsis, et gravia, ut dici solet per accidens obveniunt incommoda, non debent tamen ab iisdem legibus eximi : *Ibid.*

Et quia receptum est, hæreticos Ecclesiæ legibus post infelicem eorum lapsum non teneri ; quippe quod nolit Ecclesia potestatem, et jurisdictionem, qua cæteroquin pollet, in filios illos perduelles exercere : *Ibid.*

Hæc ratio suffragari videtur tantum hæreticis Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Sveciæ, Daniæ, aliarumque provinciarum, quæ ante an. 1545 quo Tridentina Synodus haberi cœpit, hæresi jam infectæ reperiebantur : *Ibid.*

Ad septimam, consuetudo, veluti proveniens ex infecta hæresis radice, ex insano potestatis clavium et jurisdictionis ecclesiasticæ contemptu, ex odio in Ecclesiam, ullius hac in re momenti judicari valeat : *Ibid.*

Quum præsumi non posse videatur, supremum Ecclesiæ caput suum consensum accommodasse con-

suetudini, qua hæretici Ecclesiæ rebelles, propria freti pertinacia tentarunt, se a sæpe dicta Tridentini lege subducere : *Ibid.*

Ad octavam, quod satis obtineatur finis, quem Tridentini Patres intenderunt, arcendi mala plurima ex clandestinis connubiis provenientia, statim ac ista coram magistratu, sive ministro hæretico celebrantur : *Ibid.*, § 46.

Ad nonam, pluries Congr. S. Officii censuit controversa matrimonia hæreticorum veluti sine parochi præsentia contracta, tanquam invalida habenda esse : *Ibid.*, § 47.

Et superior etiam sciens aliqua permittat, inde non posse universaliter colligi ejus consensum; quia multa per patientiam tolerantur, quæ non approbantur : *Ibid.*

Ad decimam : Objici potest animadversio, prima, si matrimonium jam sit ita contractum, poterunt conjuges etiam conversi permanere in usu illius, quamvis consensum non renovent coram parocho catholico, quia probabile est fuisse validum : *Ibid.*, § 48.

Secunda, si agatur de matrimonio ineundo, non eadem videtur recipi posse sententia, quod nequeant hæretici matrimonia contrahere : *Ibid.*

Propositio Innocentii XI habet, illicitum esse in administratione sacramenti sequi sententiam probabilem, relicta tutiore, quando agitur de valore, nisi aliunde accedat certitudo : *Ibid.*

Matrimonia hæreticorum contracta sunt valida : *Ibid.*, § 49.

Aliter omnia hæreticorum matrimonia in Gallia esse fornicationes, et omnem eorum sobolem illegitimam : *Ibid.*

Lex Tridentina est humana, tametsi justa et sancta, atque adeo adversus eam posse præscribi interveniente bona fide, et silente Ecclesia : *Ibid.*, § 50.

Ita hæretici matrimonia clandestina contrahunt in bona fide, non dubitando quin valide sine parocho contraherent, et per diuturnam consuetudinem, dissimulante Ecclesia, præscripserunt jus contrahendi valide absque parochi proprii præsentia : *Ibid.*, § 51.

Neque auctoritas S. Congr. Concilii potest infirmare præscriptionem hujusmodi neque inchoatam abrumpere : *Ibid.*, § 53.

Huic malo, quod ex hæreticorum inobedientia nascitur, potest Ecclesia maturiori consilio, quod aliquando futurum speratur, occurrere, et id vel explicando decreti sui sensum, vel novum decretum statuendo : *Ibid.*, § 55.

Tridentina Synodus noluit nullitatem matrimonii ex defectu præsentiæ parochi et testium sibi vindicare locum in parochiis quibus decretum publicatum non fuerit : *Ibid.*, lit. E., § *Hæc sunt.*

Et in locis ubi publicatum est, nonnulli sentiunt quod hæretici degentes in prædictis locis non sint prædictæ legi subjecti, ita ut matrimonia ibi ab eis coram ministro acatholico contracta, et sic sine vero parocho, a testibus pro validis sint habenda : *Ibid.*

Alii asserunt quod dicta hæreticorum matrimonia valida sint in illis locis, in quibus utpote tunc principi catholico subjectis, hodie sunt principibus hæreticis, in quibus deest copia parochi catholici, et alter ex contrahentibus esset catholicus : *Ibid.*

Alii volunt quod matrimonia hæc hæreticorum nulla esse, sive inter hæreticos contracta, sive inter hæreticum et catholicam, dummodo copia haberi potuerit parochi, aut sacerdotis catholici, qui matrimonio interesset : *Ibid.*

Ubi parochi catholici non sunt, vel est moraliter impossibile eos reperire, validum etiam est matrimonium sine eorum præsentia contractum : *Ibid.*

Praxi, quoad matrimonia in dictis locis non servata forma Concilii Tridentini celebrata, implicitus accessit Papæ consensus : *Ibid.*, lit. F., § 18.

Deinde talis praxis ad notitiam S. Sedis deducta, non fuit a S. Sede prohibita, neque missionariis, vicariis apostolicis præscriptum quod haberetur pro invalida et nulla, et consequenter tolerata fuit : *Ibid.*

Lex Tridentina apud hæreticos ordinum fœderatorum in Belgio est non solum hæreticis, verum etiam catholicis, catholicæquæ religioni nociva : *Ibid.*, § 22.

Hinc eosdem obligandi ista lex non habet : *Ib.*

Legiones Hollandicæ extra Hollandiam censentur gaudere eodem jure, vel dissimulatione Ecclesiæ, quo in Hollandia gaudent, quia censeri possunt veluti parochiæ cum suo parocho ambulantes; hinc valide contrahunt milites hæretici matrimonia: *Ibid.*, part. 2, § 1.

Urgente necessitate valet matrimonium sine parocho, qui reperiri non potuit, initum : *Disser. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. I, discep. 1, num. 39.

Triginta doctores propugnant rata esse conjugia ab hæreticis, legitimo parocho absente, inita : *Ibid.*, § 47.

Sancta Mater Ecclesia, pro singulari sua indulgentia et in filios lenitate, ne matrimonium forte irritum sit, impedimentum, quod abesse, probabile est reipsa amovet et aufert : *Ibid.*, § 48.

Alii odiosum illud probabilitatis nomen horrent, presertim cum de sacramento matrimonii agatur : *Ibid.*

Hinc, si contrahatur matrimonium cum tali dubio

juris, non proceditur ad illius celebrationem, ex opinione probabili quod illicitum est : *Ibid.*

Quum hæretici præcipue Germanici et Belgæ ad veram catholicam fidem revertuntur, neque Episcopi, neque parochi solliciti unquam fuerunt aut sunt de eorum matrimoniis restaurandis : *Ibid.*, § 50.

In Belgio, hisce temporibus, nisi postquam ter denuntiata sunt, coram loci magistratu, aut ministro acatholico, pluribusque testibus, matrimonia celebrantur : *Ibid.*, § 53.

Olim inter catholicos, et hæreticos saltem orientales, irrita fuerunt matrimonia : *Ibid.*, discep. 2, num. 1.

Sed tempore procedente, sive jure scripto sancitum id fuerit, sive quod ultimum sola consuetudine invectum, vim ubique gentium obtinuisse, et apud omnes etiamnum nisi aliud quid obstet, firma esse reputari, honesta vero non item : *Ibid.*

Et fini matrimonii adversantur, mutui nempe inter conjuges amoris necessitudini, atque arctissimæ sine rixa et querela societatis : *Ibid.*, § 2.

Si in eadem urbe duæ sunt parochiæ, in quarum altera promulgatum est Concilium Tridentinum, in altera non item, in hac posteriori duo earumdem parochiarum incolæ etiam non servata Tridentina forma, matrimonio rite junguntur : *Ibid.*, disc. 2, num. 13, 18.

Quia alter conjugum, ratione loci in quo domicilium habet, ab exequenda Tridentini forma eximatur, ne nuptialis conventio claudicet, ejusdem exemptionis participem facit quam inibi ducit uxorem : *Ibid.*

Nonnulli doctores generaliter affirmant in mixtæ religionis urbibus matrimonia sine legitimo pastore celebrata valere, neque matrimonia quæ hæretici inter se ab illis, quæ cum catholicis ineunt, distinguunt : *Ibid.*, § 34.

Matrimonii æque atque ceterorum contractuum firmitas et robur, a legibus in loco ubi conficiuntur vigentibus omnino, pendet : *Ibid.*, disc. 3, num. 4.

Clandestinum matrimonium, ubi Tridentinum viget, a puberibus initum, sponsaliorum vim obtinet : *Ibid.*, § 8.

Quæ opinio a nonnullis probabilis, si juris severitate metitur, probabilior, etiam verior dicitur : *Ibid.*

Insuper adhibenda est distinctio inter hominem qui e loco ubi Tridentinum receptum est, ad locum ubi receptum non est se confert in fraudem, et hominem qui alio quam saluberrimum Tridentinum decretum eludendi animo illuc proficiscitur : *Ibid.*, § 11.

Hæc distinctio locum habet, quando et vir et fœmina matrimonium inter se contracturi, in locum se recipiunt in quo Tridentinum non viget : *Ibid.*

Non vero quando solus vir illum locum petit, ut ibi cum fœmina loci incola matrimonium ineat, aut vice versa : *Ibid.*

Et ratio est, quia cum altera pars per se, et ratione loci in quo domicilium habet, Tridentini lege solvatur, quam longissime abest ab altera omnis fraudis suspicio : *Ibid.*

Vagi homines contrahere coram parocho loci, ubi, dum contrahunt, easu sunt : *Ibid*, § 17.

Etsi ejusmodi parochus, si cum veritate loquatur, non est illorum vagorum hominum proprius, qualem Tridentinum exposuit : *Ibid.*

Sed si vagus homo, qui heri Romam venit, nuptias hodie inire velit cum fœmina, cui in parochia E. G. D. Petri domicilium est, convenire neutiquam necesse habet eum, qui alterius e conjugibus revera proprius esset, D. Petri parochum, sed quemcumque ipse vagus elegerit : *Ibid.*

Quia, cum hoc privilegio per epicheiam vagus frui dicatur, ob individuam contractus conjugalis naturam, ejusdem privilegio participem facit fœminam quam ducit uxorem, quin huic, quæ parochum verissime proprium habet, se accommodare teneatur : *Ibid.*

In Belgio romano-catholici, postquam coram magistratu calviniano, habitis tribus dominicis solemnibus denuntiationibus, matrimonii contractum juxta civilia patriæ statuta iniverunt, sacramentum matrimonii coram parocho et testibus, ex præscripto S. Concilii Tridentini, sess. 24, cap. 1, *de Reform. matr.*, contrahunt : *Ibid.* ; litt. K, num. 2.

Certum est conjuges, qui matrimonium coram ministro hæretico invalide contraxerunt absque licentia parochi, in perpetuo vivere concubinatu, nisi subinde curent, renovato consensu coram parocho catholico, matrimonium convalidare : *Dissert secr. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. A, § 12.

Et si tuto et commode id fieri nequeat, non desunt doctores qui putant eis licere in usu matrimonii jam initi, non reservato consensu coram parocho catholico, perseverare, arbitrantes hanc opinionem veluti probabilem admitti posse, non obstante propositione ab Innocentio XI proscripta in ordine *la* 1, quæ de sacramentis administrandis, vel conficiendis, et respective de matrimonio contrahendo, non autem de jam celebrato loquitur : *Ibid.*, § 14.

Alii vero censent præstare, ut Summus Pontifex suprema sua auctoritate conjugibus conversis indulgeat in matrimonio celebrato coram ministro

hæretico, etiam dicto consensu non iterato, permanere : *Ibid.*

§ XXX.

Matrimonium quoad proprium parochum, seu domicilium.

Matrimonium initum coram parocho qui neutrius contrahentis verus erat, ex aperta Concilii Tridentini sanctione penitus est nullum : *Taur., Matr.*, 12 *dec.* 1767, § 3.

Jure communi receptum est, ut tam coram sponsi vel sponsæ parocho matrimonium possit celebrari : *Spol., Jur. ass. matr.*, 1 *dec.* 1736, § 2.

Nullum affirmatur matrimonium contractum in fraudem proprii parochi coram parocho alterius loci, nisi domicilium legitimum, vel quasi, contraxerit : *Rip., Nul. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 17.

Non aliter pro matrimonii nullitate respondendum est, nisi compertissimum fiat, domicilium vere fuisse mutatum, et ad aliam parochiam translatum : *Taur., Matr.*, 12 *dec.* 1767, § 8.

Eventualis habitatio ad effectum contrahendi matrimonium minime attenditur : *Theat., Matr.*, 16 *mart.* 1771, § 10.

Validum est matrimonium contractum coram parocho, cui Ordinarius interdixerat ne ejus celebrationi interesset : *Agrig., Matr.*, 15 *mart.* 1727, § 4.

Ad contrahendum matrimonium spectanda est præsens habitatio alterutrius ex sponsis : *Pisaur.*, 18 *jan.* 1757, § 2.

Ex Concilio Tridentino celebrare debet matrimonium coram proprio parocho : *Spolet., Assist. matr.*, 1 *dec.* 1736, § 3.

Et ad hujusmodi effectus proprius parochus dicitur tantum ille in cujus parochia alter ex sponsis domicilium obtinet : *Ibid.*

Quum constet parochum expressam licentiam ab Episcopo habuisse matrimonio assistendi, subtilius inquirendum non est, an sponsa vere domicilium habuerit, sed matrimonium semper est validum : *Taur., Matr.*, 29 *jul.* 1769, § 9.

Concilium Tridentinum statuit quod qui aliter, quam præsente parocho, vel sacerdote, de ipsius parochi, vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, irritos faciunt contractus : *Ibid.*, § 10.

Et conjugium absque proprii parochi præsentia initum, ne in sponsalia quidem de futuro resolvitur, nec contrahentes compelli possunt ad denuo contrahendum : *Ibid.*, § 12.

Ac proprius parochus ille dicitur in cujus parochia sponsus, aut sponsa, domicilium habet, vel quasi : *Ibid.*, § 13.

Licet autem ad acquirendum domicilium pro matrimonio ineundo sufficiat habitatio unius saltem mensis in loco, ubi matrimonium celebratur : *Ibid.*, § 14.

Ad matrimonii validitatem sufficit præsentia parochi in cujus parochia contrahentes habitant tempore contractus : *Posnan., Visit. SS. LL.*, 22 *jan.* 1746, § 4.

Proprius parochus est, in cujus parochia contrahentes habitant tempore quo matrimonium contrahitur : *Neap. seu Puteol., Matr.*, 3 *jul.* 1734, § 12.

Matrimonium non est validum coram sacerdote delegato non acceptante, quia acceptatio delegationis in sacerdote substituto ad assistendum matrimonio est conditio pro ejus validitate omnino necessaria : *Ibid.*, § 13.

Pro matrimonii validitate nihil mutat defectus parochi mulieris, satis enim notum est viri parochum sufficere : *Csanadien.*, 26 *jun.* 1745, § 2.

Falsum est nullam episcopis schismaticis jurisdictionem esse deputandi parochos, qui servato Tridentini decreto possint matrimoniis interesse : *Ibid.*

Ad effectum contrahendi matrimonium æque dici potest proprium contrahentium parochum, qui revera talis sit, ac ille qui ex communi opinione etiam erronea pro parocho reputatur ; *Cæs., Matr.*, 17 *mar.* 1770, § 3.

Cum in isto casu lex ipsa ad gravia incommoda evitanda defectum supplet potestatis : *Ibid.*

Etiamsi parochus putativus titulo colorato careret, et quamvis esset intrusus : *Ibid.*

In matrimonio ille parochus est necessarius, qui est parochus habitationis : *Pisan., Null. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 5.

Non sufficit habitationem qualemcumque, sed ea requiritur, quæ conjunctum habeat animum per aliquod temporis spatium permanendi : *Ibid.*

Proindeque per unum saltem integrum et continuum mensem protractum esse debet : *Ibid.*

Qui aliter facit, in fraudem legis fecisse putatur, atque idcirco matrimonium nullum est : *Ibid.*, § 6.

Pro ineundo matrimonio satis est eum parochum haberi, cujus in parœcia alter ex sponsis aliquo temporis spatio fuerit commoratus, etiamsi ibi domicilium non contraxerit : *Nerit., Matr.*, 24 *maii* 1738, § 11.

Ad valide contrahendum matrimonium, si sponsi diversæ parochiæ sint, alterutrius contrahentium parochi præsentia sufficit : *Posn., Visit. SS. LL.*, 22 *jan.* 1746, § 2.

Atque ita in praxi servatur, licet in pluribus locis consuetudo servetur, ut matrimonia coram pa-

rocho sponsæ contrahantur ex causa ejusdem honestatis : *Ibid.*

Honestius enim visum est, ut sponsus sponsam in ejus parochia quærat, quam contra : tum etiam quia, hac ratione quævis tollitur inter parochos emulatio : *Ibid.*

At quis sit, et quomodo proprius parochus intelligatur, nec expeditam hactenus rem esse, neque eamdem regulam in omnibus indistincte casibus locum habere posse in comperto est, pluresque ob id, tum inter theologos, tum inter jurisconsultos, fiunt disputationes : *Ibid.*

Et ad proprium parochum constituendum in sacramento Matrimonii ad differentiam sacramenti Ordinis, quod speciali ratione verum strictumque domicilium postulat, sufficit ut sola habitatio habeatur, nisi levandi animi gratia aut valetudinis causa sit : *Ibid.*

Quamvis matrimonium ineatur in loco ad quem Tridentinis legibus nunquam patuit aditus, non per hoc tamen solutus forsan dici posset contrahens illius loci ab obligatione contrahendi matrimonium juxta normam a S. Concilio præscriptam : *Eyst., Matr.*, 9 *febr.* 1732, § 11.

Sententiam de matrimonio secundum Tridentinas leges contrahendo etiam, in loco ubi illæ non vigeant, ab eo qui talem in locum se contulerit sine mente collocandi ibidem firmam sedem, ac domicilium, aliqui fuse propugnant : *Ibid.*

Nonnulli autem eam saltem probabilem esse concedunt : *Ibid.*

Contrahi matrimonium coram proprio parocho ex dispositione S. Concilii Tridentini, sess. 24, cap. 1, *de Ref. matr.*, debet : *Eugub., Visit. SS. LL.*, 26 *april.* 1788, § 2.

Parocho scilicet illius loci in quo contrahentes habent domicilium : *Ibid.*

S. Congregatio Episcoporum et Regularium decrevit puellas existentes in monasteriis reverti debere post datam matrimonii fidem ad domos parentum, et sic in loco proprii domicilii constitutæ procul dubio ad matrimonium ineundum parocho uti debent, cujus ditioni paterna ædes adscripta judicabitur : *Ibid.*

Et Benedictus XIV statuit, quod si puella, quæ matrimonii fidem præstitit, in alia parochia domicilium non habeat, tunc parochus, monasterii scilicet, vel domini, puellam in matrimonium conjunget. Sin autem paternum, maternum, vel fraternum domicilium habebit, tunc parochus, cui domicilium idem subjicitur, pro conficiendo matrimonio præsens assistet : *Ibid.*

Proprius dicitur ille parochus duntaxat, in cujus parochia alter ex contrahentibus habet domicilium : *Jadren.*, 24 *aug.* 1720, § 6.

Proprius parochus non dicitur ille in cujus parochia mulier possidet quædam bona, sed ibi non habet habitationem, neque domicilium.

Vagi non habent proprium parochum, sed quilibet parochus est parochus vagorum, et vagi contrahere possunt matrimonium coram parocho illius loci in quo actu versantur : *Ibid.*, § 7.

Quod procedit non solum si uterque conjux sit vagus, sed etiam si alter ex ipsis tantum vagus sit; sufficit quippe ad validitatem matrimonii, quod illud contrahatur coram parocho sponsi, aut sponsæ, et quando sponsus est vagus, quilibet parochus est ejus parochus : *Ibid.*

Quum concepta fraus commorandi in alia parochia pro matrimonio ineundo, sicque effugiendi suam parochiam, habeatur tantum ex testibus, vel consanguineis, vel familiaribus ipsius sponsæ, vel causam scientiæ reddentibus de auditu ab ipsa matre et filia; hic autem pro effectu dirimendi initum matrimonium sunt spernendi : *Taur., Matrim.*, 12 *dec.* 1767, § 10.

Quum curia archiepiscopalis dederit expressum mandatum cuidam parocho, non est inquirendum subtilius an sponsa domicilium adhuc habuerit, vel ne in parochia illius parochi, sed matrimonium semper validum est : *Ibid.*, § 11.

Sancta Synodus Tridentina voluit, sess. 20, cap. 1, *de Reform. matr.*, quod nullum sit matrimonium contractum aliter quam præsente parocho, et duobus testibus : *Ibid.*, § 12.

Necnon quod benedictio a proprio parocho recipiatur : *Ibid.*

Et ille proprius censetur esse sponsi aut sponsæ parochus, in cujus parochia sponsus, aut sponsa, domicilium habet, vel quasi : *Ibid.*, § 13.

Quæstio est inter doctores, qualis habitatio requiratur ut quis alicui parocho subditus dici possit, et Fagnanus præ ceteris opinionibus amplecti censet, quæ statuit ex sola habitatione quæ efficit parochianum alicujus ecclesiæ, dummodo ibi non sit recreationis causa : *Olum., Null. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 37.

Hinc, ad acquirendum domicilium pro matrimonio valide ineundo, haud opus est ut quis longo tempore in aliquo loco permanserit, ac animum habuerit ibidem permanendi, sed satis est ut unius mensis spatio habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur : *Ibid.*, § 38.

Quum Tridentinum Concilium in cap. 7, sess. *de Reform. matr.*, in matrimoniis vagorum non apposuerit clausulam irritantem, ob inobservantiam eorum quæ ibi sunt statuta, argumentum propterea deduci nequit ad nullitatem matrimonii : *Jadren.*, 24 *aug.* 1720, § 8.

Proprius est loci eorum militum parochus, qui

fixas stationes non habent, et militiæ signa semper sequi debent, et ire, quo duces imperant, urgentur : *Ibid.*, § 10.

Si vero domicilio relicto, quamvis in fraudem proprii parochi, facti essent vagi, possent coram quovis parocho matrimonium inire ; sicut mutantes parochiam in fraudem parochi possunt in matrimonio copulari a parocho novæ parochiæ : *Ibid.*, § ult.

Ille non est exemptus a lege Concilii servanda, qui, licet natus Danus, matrimonium contraxit in curia Rethorum secundum legem concilii Liburni vigentem : *Rip., Null. matr.*, 29 *julii* 1769, § 9.

Exemptio non est personalis, quæ comitetur personam, sed realem tantummodo, quæ locum non excedit : *Ibid.*

Mutatio loci a Liburno ad curiam Rethorum matrimonii validitati officere nequit, cum unusquisque ex naturali libertate jure suo uti valeat : *Ibid.*, § 11.

§ XXXI.

Matrimonium quoad testium præsentiam.

Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.*, non alia de causa duorum vel trium testium præsentiam in matrimoniis celebrandis præscripsit, quam ut de matrimonio certo constaret, idque a testibus posset affirmari : *Cam. seu Fabr., Matr.*, 4 *jun.* 1768, § 5.

Hinc, ex theologorum et canonistarum opinione testes matrimonii non tantum materialiter et physice præsentes esse debent, sed etiam moraliter et humane, ita nimirum ut mutuum contrahentium consensum percipiant et intelligant : *Ibid.*

Nullum initum matrimonium est ex defectu testium, quorum præsentiam pro forma, et substantia requirit Concilium Tridentinum sess. citata : *Aven. seu Aur., Matr.*, 9 *jul.* 1768, § 5.

Præsentia testium non ad solam matrimonii probationem præscripta fuit, sed etiam ad illius formam : *Ibid.*, § 10.

Et propterea mutuus contrahentium consensus non per æquipollens, sed in forma specifica percipi a testibus debuit : *Ibid.*

Ac intervenisse oportet ipso tempore quo actus inesse producebatur : *Ibid.*

Non est opus quod testes sciant cujus nominis et familiæ sint contrahentes, dummodo eos ita videant, ut post factum dicere possint hos esse : *Ferr., Matr.*, 12 *dec.* 1761, § 11.

Nec obest, quod aliqui testes sint mulieres, quæ minime repelluntur in contractu matrimonii : *Ibid.*

§ XXXII.

Matrimonium coram vicario generali initum.

Matrimonium est validum celebratum coram vicario generali, quia vicarius generalis æque ac contrahentium parochus, ex proprio officio et facultate, potest absque speciali Episcopi commissione matrimoniorum celebrationi interesse, ac etiam simplici sacerdoti licentiam illis assistendi concedere : *Call., Matr.*, 17 *aug.* 1776, § 6.

Validum est matrimonium vagorum contractum coram vicario generali, quum ipse sub Ordinarii appellatione comprehendatur : *Jadren.*, 24 *aug.* 1720.

Concilium Trident. præscribit matrimonium esse præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, contrahendum ; et nomine Ordinarii venit etiam vicarius generalis : *Pistor., Matr.*, 1 *april.* 1719, § 2.

§ XXXIII.

Matrimonium quoad impedimentum cognationis spiritualis.

Hodie dubitatur an per Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 2, *de Reform. matr.*, sublatum sit impedimentum oriens ex catechismo ad matrimonium contrahendum : *Ventim., Cogn. spir.*, 8 *jun.* 1782, § 9.

Si attendatur præfatio sessionis, deduci posse videtur, ibi solam cognationem dirimentem matrimonium restringi velle, non autem illam quæ matrimonium impediat contrahendum : *Ibid.*

Ideoque etiam post Tridentinam Synodum spiritualis imperfecta cognatio matrimonium contrahendum impedire videtur : *Ibid.*

Probabilius autem est per dictum Tridentinum catechismi impedimendum penitus fuisse sublatum : *Ibid.*, § 10.

Nam sancta Synodus designat personas quas inter cognatio spiritualis contrahitur, et nulla ibi fit mentio de cognatione quæ per simplicem catechismum contrahi possit : *Ibid.*

Conjicitur nullam cognationem spiritualem etiam ad effectum impediendi matrimonium ineundum illos contrahere, qui tanquam patrini intersunt catechismo : *Ibid.*

S. Pius V in motu proprio anno 1566 mandat non esse ullo modo recedendum a præcisis Tridentinæ sanctionis verbis : *Ibid.*

Testatur Gonzalez fuisse decisum a Sac. Con-

gregatione Concilii hanc speciem cognationis spiritualis esse a Concilio Tridentino sublatam : *Ibid.*, § ult.

Opinantur nonnulli spiritualem cognationem non contrahi nec a mandante, quia non tangit baptizatum, nec a procuratore, quia nomine proprio baptizatum non suscepit : *Theat., Matr.*, 23 *aug.* 1721, § 10.

Putant aliqui eam non a mandante, sed a procuratore contrahi posse propter contractum : *Ibid.*

Communior vero, et a Sac. Congreg. Concilii recepta sententia est, quod cognatio spiritualis a mandante, non a procuratore, contrahatur ; qui enim per alium facit per se ipsum facere videtur : *Ibid.*

§ XXXIV.

Matrimonium quoad impedimentum cognationis legalis.

Cognatio legalis jure cujusdam affinitatis contrahitur ab adoptante cum uxore adoptati, et vicissim ab adoptato cum adoptantis conjuge, eamque inter ipsos inducit impedimentum dirimens matrimonii : *Hort., Disp.*, 25 *sept.* 1734, § 4.

Et hoc quod ex jure civili constat, approbavit subinde jus canonicum, et universalis Ecclesiæ consuetudo : *Ibid.*

Et quamvis cognatio legalis, quæ per modum fraternitatis intercedit inter adoptatum et filios adoptantis, atque impedimentum matrimonii dirimens quod ex ea oritur extinguatur, sublata quoquomodo adoptione, vel per obitum patris adoptantis, vel per emancipationem filii adoptati, aut per ortum filiorum naturalium : *Ibid.*, § 5.

Certum tamen est, quod cognatio legalis exorta inter adoptantem et uxorem adoptati, et e converso inter adoptatum et adoptantis conjugem, perpetuo durat, ita ut nullo unquam tempore etiam adoptione per emancipationem vel obitum soluta, inter ipsos vigente semper quadam pudoris et honestatis ratione, nuptiæ valeant celebrari : *Ibid.*, § 6.

Sed dubitatur, an cognatio legalis inducatur dumtaxat ex adoptione perfecta, sive adrogatione, qua mediante aliquis sui juris existens auctoritate, seu rescripto supremi principis in filium assumitur, atque transit in potestatem et familiam adoptantis, sitque illius necessarius hæres, tam ab intestato, quam ex testamento : *Ibid.*, § 7.

An autem illa permanet non solum ex arrogantia, sive adoptione perfecta, verum etiam ex imperfecta, quæ a quolibet competenti judice auctorizari potest, illiusque vigore filius adoptivus sub pristina patris naturalis potestate manet, et patris adoptantis necessario hæres est dumtaxat ab intestato : *Ibid.*

Nonnulli doctores primam sententiam amplexi sunt, alii posteriorem sectantur, et magis conformem juri canonico : *Ibid.*, § 8.

Præter binas adoptionis species, tertia quoque expeditur a doctoribus, quæ nonnisi improprie adoptio nuncupatur, ea nimirum quæ, forma a legibus præscripta nullatenus servata, privatim coram vicinis, aut aliis honestis personis fiat magistratu non interveniente, et hæc nullum impedimentum matrimonio præstat : *Ibid.*, § 12.

§ XXXV.

Matrimonium quoad impedimentum consanguinitatis.

Prohibitum est de jure naturæ matrimonium in primo ascendentium gradu : *Leodien., Disp. matr.*, 14 *dec.* 1793, § 3.

At est controversum, num eadem obstet lex naturæ in primo collateralium : affirmant nonnulli, alii negant : *Ibid.*

Nullum vero hactenus fuit super hoc gradu pontificiæ dispensationis exemplum : *Ibid.*

Disputant doctores de matrimonio in primo consanguinitatis gradu lineæ collateralis, utrum scilicet naturali etiam jure, nedum positivo, illicitum sit : *Const., Disp.*, 23 *apr.* 1768, § 10.

Non dubitatur in ulteriori gradu lineæ collateralis matrimonium solo jure Ecclesiæ esse vetitum : *Ibid.*

Matrimonium celebratum inter consanguineos, dispensatione non præcedente, invalidum est : *Civit. Cast., Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 5.

Quam decernere debet judex in litteris designatus, et non alter : *Ibid.*

Ad illius validitatem requiritur moralis parochi præsentia : *Ibid.*, § 6.

Idque ut intelligere valeat contrahentium assensum : *Ibid.*

Testis esse nequit de eorum consensu, quem non audivit, neque intellexit, quo non intellecto, matrimonium redditur invalidum : *Ibid.*

Contractum coram parocho sponsæ, et duobus testibus validum est : *Ibid.*, § 7.

Licet decretum pro dispensatione ab executore nondum latum fuerit : *Ibid.*

Quia tam verbo quam facto dispensatio demandari potest : *Ibid.*

Vir qui a stipite quarto gradu, et mulier, quæ ex alio latere distat quinto, possunt licite matrimonialiter copulari, quia computatio fit a remotiori, ita ut vir et mulier distent in quinto, in quo gradu

nulla est prohibitio : *Disc. secr.*, 28 *martii* 1722, § 10.

Papa Clemens V dispensationem concessit, ut vir et mulier non obstante quarto gradu consanguinitatis possent ad invicem matrimonialiter copulari; sed comperto quod vir tertio et mulier quarto distabant, declaravit ut illa, et similes dispensationes omnes in posterum haberent robur, non obstante omissione mentionis de distantia tertii gradus prædicti a stipite : *Ibid.*, § 11.

Pius autem IV voluit, ut in dispensationibus specialis et expressa mentio fieret non solum de remotiori, sed etiam de proximiori gradu, et de eorum distantia, declarando quod in casu non factæ mentionis, matrimonium nullius esset roboris : *Ibid.*, § 12.

At Pius V bullæ Pii IV derogavit, et voluit, ut excepto casu quo vir et mulier primum consanguinitatis gradum attingerent, in quo se nunquam dispensare prætendebat, in ceteris solis consanguinitatis et affinitatis gradibus, remotior attenderetur, et secum traheret propinquiorem, et ob id sufficeret remotiorem tantum gradum exprimere obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis : *Ibid.*

Validum matrimonium esse putant, licet disputationem tantum remotioris gradus, proximiore silentio servato, vir obtinuerit, quia novæ declaratoriæ litteræ requiruntur ad avertendum scandalum, ne videlicet aliqui sumerent occasionem scandali, videntes non fuisse dispensatum in gradu propinquiore, licet aliunde regula juris sit quod gradus remotior imbibit, et trahit ad se propinquiorem : *Luceor.*, *Null. matr.*, 7 *sept.* 1720, § 7; *in ead.*, 28 *febr.* 1722, § 7; *in ead.*, 28 *martii* 1722, § 3.

Alii e contra censent matrimonium nedum illicitum esse, sed invalidum, quia sanctus Pius V postquam declaravit sufficere ad valorem dispensationis, si exprimatur gradus remotior, *obtentis tamen postea super propinquiori litteris declaratoriis*; quæ verba important conditionem ante actum explanandum, et quæ si non præcedat, actum nullum reddit : *Ibid.*, § 8.

Matrimonium inter secundo et tertio gradu consanguinitatis conjunctos de jure subsistere non potest, nec confirmatur dispensatione Apostolica, si fuit subreptitie et obreptitie impetrata : *Ger. seu Vic.*, *Nul. matr.*, 2 *aug.* 1760, § 2.

Matrimonium initum cum viri defuncti fratre per legem Mosaïcam prohibitum est : *Animadv. secr.*, 11 *sept.* 1762, § 8.

Limitatur : non est prohibitum, quando ex defuncto viro filios non susceperat : *Ibid.*

Et etiam nova lege toleratur in neophytis : *Ibid.*

Impedimentum consanguinitatis in matrimoniis ex bullis Pontificum ad quartum gradum inclusive fuit restrictum : *Mont. Falis.*, *Null. matr.*, 28 *aug.* 1751, § 2.

Quod impedimentum non solum præpedit ne matrimonium contrahatur, sed contractum dirimit, etiamsi bona fide et impedimentum ignorantes illud contraxerint : *Ibid.*

Neque ex concubitu ratihabitum dici potest matrimonium quod in radice nullum fuit : *Ibid.*

§ XXXVI.

Matrimonium quoad conversionem conjugatorum.

Doctrina certa est, posse unum ex conjugibus resilire a matrimonio rato ut ad statum regularem transeat : *Cam. seu Fabr.*, 24 *aug.* 1765, § 5.

Id habet locum, tametsi alter conjugum non consentiat : *Ibid.*

Offerri debet tamen nunc utriusque ipsorum juratum solemne testimonium de non consummatione : *Ibid.*, § 6.

Quæ res cum sit de difficillima probatione, assertio ipsorum conjugum plenissimam fidem facit : *Ibid.*

Nec obest prior contraria declaratio non solemnis, non judicialis, in causa producta ab illo qui de sui matrimonii validitate propugnabat : *Ibid.*, § 7.

Concilium Tridentinum, can. 6, sess. 24, anathematizavit, qui matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjuguni non dirimi asserit : *Ibid.*, § 13.

Quo casu non requiritur consensus alterius conjugum, qui per alterius solemnem professionem liber est : *Ibid.*

Sed locum non habet in consummato, nisi ambo consentiant, et claustralem vitam eligant, sive servandæ castitatis votum emittant : *Ibid.*

Quatuor requiruntur ut unus ex conjugibus religionem profiteatur manente altero in sæculo : *Barch.*, 28 *sept.* 1765, §§ 4 et 7.

1° Consensus manentis in sæculo; 2° ejus senilis ætas; 3° ut periculum incontinentiæ desit; 4° ut iis perpetuum continentiæ votum emittat : *Ibid.*

Regula est, ut alter conjugum non possit regularia vota emittere, nisi alter quoque libere consensum præstet, et regularem statum simul profiteatur : *Ibid.*, § 9. seq.

Una exceptio datur, si læsa ita sint jura matrimonii, ut quidem perpetuæ separationi locus fuerit, nempe ob adulterium unius ex conjugibus; conjux innocens non potest cogi, ut regularem statum profiteatur : *Ibid.*, § 12.

Altera exceptio est, si ex conjugibus qui in sæculo maneat, sit senex, et ab omni incontinentiæ suspicione vacet, ac simul votum castitatis emittat: *Ibid.*, § 18, seq.

Ut, superstite adhuc uxore, maritus ingredi valeat religionem, et in ea valide profiteri, requiritur ut mulier consentiat, et quod et ipsa religionem ingrediatur, si est juvenis, vel si non caret periculo incontinentiæ; aut quod perpetuum continentiæ votum in sæculo emittat in manibus Ordinarii, si est senex, et extra periculum incontinentiæ : *Turon.*, 7 *sept.* 1720, § 4; *Ulyss.*, *Or.*, 6 *dec.* 1727, § 3; *Veron.*, 18 *dec.* 1728, § 9.

Quando autem mulier manens in sæculo emisit votum simplex continentiæ, sive deinde sit senex et non suscepta de incontinentia, sive sit juvenis, et suscepta, non habet facultatem revocandi virum a monasterio, quum professio a viro emissa hoc casu valida manet : *Ibid.*

Si vir malis artibus et per vim injustam ab uxore extorserit profitendi in religionem licentiam, professio sic emissa nulla est, et professus tenetur ad uxorem redire : *Ibid.*, § 5.

Uxor autem, quæ captiose et dolose fuerat inducta ad suum assensum præstandum, repellitur a viro e monasterio vindicando si post illius ingressum in religionem adulterium cum alio commiserit : *Ibid.*, § 6.

Conjux fidelis debet de necessitate conjugem infidelem interpellare, an velit converti, et cohabitare sine contumelia Creatoris, ad effectum ut ad alia vota sibi liber aditus esse debeat : *Hor.*, 17 *jan.* 1722, § 4.

Docent communiter theologi, hodie Judæis non esse permissum suas uxores repudiare, et per repudium non solvi vinculum matrimonii; Christus enim Dominus illud reduxit ad suum primum statum, hoc est ad indissolubilitatem, non statuendo novam legem, sed auferendo dispensationem quæ circa dictam indissolubilitatem fuerat concessa : *Ibid.*, § 5.

Et quamvis hodie inter Hæbreos, scientibus et tolerantibus superioribus ecclesiasticis, vigeat praxis repudii, adhibitis nonnullis solemnitatibus; hæc tamen poterant ad summum sibi locum vindicare in repudio inter infideles misso, et iisdem in infidelitate permanentibus; secus autem quoties alter ex eis ad fidem conversus est : *Ibid.*, § 6.

Conjux fidelis potest ex circumstantiis, puta quando periculum est in mora, quando elapsus est longum tempus a discessu repudiantis, quando nulla adest spes illius ad uxorem repudiatam reditus, et quando ignoratur an mortuus vel vivus sit repudians, transire ad alia vota, omissa interpellatione viri infidelis : *Ibid.*, § 7.

Alii e contra censent, quod etiam accedentibus circumstantiis de jure locus sit interpellationi, sed quod si graves sint, haberi debeat recursus ad Summum Pontificem, cujus est in eo rerum statu indulgere, ut, omissa interpellatione, conjux fidelis ad alia vota transire possit : *Ibid.*, § 8.

Sicuti commisso per alterum ex conjugibus notorio adulterio, conjux innocens, etiam invito adultero, potest ad religionem transire, sic licitum est innocenti, quamvis in sæculo remanenti, concedere facultatem adultero ut transeat ad religionem : *Jan.*, 2 *maii* 1722, § 7.

Quando læsa sunt jura matrimonii, et diminuta propter sententiam divortii, potest conjux innocens in sæculo manere, et alter ad religionem transire, si conjux innocens eidem præstet licentiam : *Salam.*, 6 *mart.* 1723, § 4.

Jura prohibentia professionem, seu mutationem status alterius conjugis absque voto continentiæ emittendo ab eo qui in sæculo remanet, procedant in casibus, in quibus matrimonium integrum, et illæsam perseverat, secus autem, quando ejus jura sunt læsa et diminuta : *Ibid.*

Quemadmodum matrimonium ratum et non consummatum solvitur per religiosam professionem, quæ in ordine monastico aut regulari emittatur, ita eadem dissolutio sibi vindicat locum si fiat professio inter milites Hierosolymitanos, qui, juxta receptam in curia sententiam, sunt veri et proprii religiosi : *Ibid.*, § 5.

Distinguendum est inter matrimonium læsum propter adulterium, quod est quid perpetuum, et inter matrimonium læsum per divortium propter sævitiem, quæ non est quid perpetuum, sed temporale : in secundo casu, jura matrimonii læsa dici non possunt, ut permissum esse videatur alteri ex conjugibus in religione profiteri, altero in sæculo permanente : *Ibid.*, § 7.

Si judex divortii sententiam non limitaverit ad aliquod tempus, nec fuerit inter conjuges stante longa separatione sequuta reconciliatio, æquiparari hinc potest casus matrimonii læsi ex sententia divortii propter adulterium, etiam ad effectum ut conjux transire valeat ad religionem, altera remanente in sæculo : *Ibid.*, § 9.

Matrimonium in infidelitate contractum solvitur, quoad vinculum, si alter ex conjugibus in infidelitate permaneat, et nolit cohabitare cum conjuge ad fidelitatem converso, vel si velit cohabitare, nolit id facere sine contumelia Creatoris : *Disc. secr.*, 27 *jul.* 1726, § 2.

De tempore quo matrimonium quoad vinculum solvatur, nonnulli putant matrimonium quoad vinculum dissolvi statim ac infidelis monitus renuit legitime habitare : *Ibid.*, § 3.

Alii docent, illud non statim dissolvi, sed tunc solum quando lapsus est terminus auctoritate Ecclesiæ infideli præfixus, ut se declaret an velit cohabitare sine contumelia Creatoris : *Ibid.*

Cæteri demum existimant, ut matrimonium tunc solum dissolvatur quoad vinculum, quando conjux fidelis aliud contrahit matrimonium : *Ibid.*

Solvitur pariter quoad vinculum, vel statim ac infidelis renuit legitime habitare, vel statim ac intra terminum præfixum non se declarat quod vult habitare sine contumelia Creatoris : *Ibid.*, §§ 5 et 6.

Pugnant vero theologi et canonistæ super dubio, an matrimonium quoad vinculum dissolvatur tunc cum conjux fidelis aliud contrahit matrimonium : *Ibid.*, §§ 5 et 14.

Sed communior sententia est, ut matrimonium solvatur quoad vinculum, si conjux fidelis aliud non contraxerit matrimonium : *Ibid.*, §§ 5, 7, 8, 9, 10 et 14.

Si ergo conjux fidelis remanserit innupta, et deinde convertatur infidelis, qui in infidelitate aliam duxerit uxorem, primum matrimonium non est solutum, et conversus non cum secunda manere, sed ad primam redire tenetur . *Ibid.*, § 10.

Quum infidelis legibus canonicis non teneatur, matrimonia ab ipsis contracta in secundo, vel tertio, vel ulteriori grado, non dissolvuntur, sed permanent etiam post receptum Baptisma, juxta famigeratum textum in cap. *Gaudeamus*, *de Divort.* : *Ibid.*, § 11.

Non potest mulier conversa post conversionem sui viri aliud contrahere matrimonium, quum primum permaneat, sed posse ab eo recedere quoad thorum, ex quo infidelis admonitus noluit converti : *Ibid.*, § 13.

In terminis, in quibus Judæus habebat uxorem, quæ conversa est, et quæ remansit innupta, quique duxit secundam, et deinde ipse cum secunda conversus est, Papa potest dispensare, ut cum secunda remaneat, dissoluto quoad vinculum primo matrimonio in infidelitate contracto : *Ibid.*, § 16.

Privilegium ab Apostolo datum solvendi vinculum matrimoniale in casu quo alter ex conjugibus convertatur ad fidem, et est datum in favorem fidei, et sic per se fideli, et per accidens infideli : *Flor.*, 29 *martii* 1727, § 12.

Id facit, ut non possit infidelis ad alia vota transire, nisi postquam fidelis solutus est ; quæ solutio non datur nisi per novum matrimonium, quod ab ipso post conversionem contrahatur : *Ibid.*

Certum est certitudine fidei sublatum esse per Christum Dominum libellum repudii a Moyse permissum ; et quod si uxor repudiata, vivente marito repudiante, transeat ad alia vota, adulterium committit : *Ibid.*, § 14.

Discrepant theologi a theologis, canonistæ a canonistis, ita ut utraque opinio tanquam probabilis haberetur, et controversia tanta ab aliis existimatur ut expectandum dicant judicium Sedis Apostolicæ super casu, quando matrimonium fuit contractum et consummatum in infidelitate, et post unius ex conjugibus conversionem, et alterius permanentiam in infidelitate, promovetur instantia pro dissolutione : *Ibid.*, § 15.

Si infidelis si infidelitate plures habuerit uxores, et ipse ad fidem convertatur, debet cum prima uxore permanere juxta doctrinam divi Thomæ ; *Ibid.*, § 20.

Pontifices aliquando dispensarunt, ut infidelis ad fidem conversus, qui plures habuit uxores, possit remanere cum ea uxore quæ fidem christianam amplexa est, relicta prima, quæ in infidelitate permansit : *Ibid.*, §§ 21 et 23.

Et quod hoc non aliter fieri non potuerit, nisi dissoluto quoad vinculum primo matrimonio contracto, et in infidelitate consummato, patet ; quia alias sequeretur quod Pontifex super polygamia dispensasset contra jus divinum, quæ dispensatio soli Deo est reservata : *Ibid.*, § 22.

Accedentibus vero legitimis circumstantiis et signate difficultate reperiendi primam conjugem, probabilis est opinio doctorum interpellationem omitti posse, et sine ea permissum est conjugi converso ad alia vota transire : *Ibid.*, § 37.

Post consummatum matrimonium non potest uxor ingredi monasterium, et in eo religiosam professionem emittere, nisi accedat consensus viri : *Ulix.*, *Orien.*, 22 *nov.* 1727, § 6.

Limita in casu quo matrimonii jura læsa essent per adulterium ; in eo quippe casu, accedente sola licentia conjugis vere innocentis, qui nec directe, nec indirecte adulterio alterius cooptatus est, potest conjux adulter religionem profiteri ; licet innocens in sæculo ramaneat, nec emittat solemnem professionem, si sit juvenis, nec faciat simplex votum castitatis, si sit senex : *Ibid.*, § 8 ; et *Veron.*, 18 *dec.* 1728, § 15.

Affirmativa resolutio habetur, quod qui consensum præstitit, et nec regularem professionem, si juvenis, nec votum simplex castitatis, si senex, emisit, habeat jus revocandi professionem cum ejus simplici licentia : *Ibid.*, § 10.

Nonnulli distinguunt inter manentem in sæculo, et conscium juris disponentis conjugem non posse profiteri, nisi licentiam concedens voveat castitatem, si senex est, et, si juvenis ingrediatur religionem, et ignarum hujus dispositionis juris ; ita ut in primo casu non sit permissa revocatio, secus in secundo,

dummodo tamen ignorans dispositionem juris fuerit uxor, et non vir, utpote qui per ignorantiam juris excusari non potest: *Ibid.*

Alii autem hanc distinctionem impugnant, et contendunt locum esse revocationi, sive adfuerit, sive non cognitio dispositionis juris: *Ibid.*

Conjux qui, non obstante valida professione, ad sæculum revocatur, non potest petere, sed tantum reddere debitum, et mortuo revocante, tenetur ad religionem redire: *Ibid.*

Si maritus dederit assensum suum, sed nec regularem professionem, nec votum simplex castitatis emiserit, potest uxorem suam repetere, et eadem ipsi saltem officio judicis restituenda est: *Ead.*, 6 *dec.* 1727, § 3.

Sed assensus hic, licet libere præstitus, ab Ecclesia non acceptatur, nisi vallatus vel professione regulari, vel voto simplici continentiæ in sæculo fuerit: *Ibid.*, § 6.

Si vir uxori proximam dedit adulterii causam, ut quando expresse vel tacite concessit eidem facultatem adulterandi, sciensque adulterium sponte reddidit debitum, vel petiit, nunc omnino necesse est quod præter licentiam profitendi, ipse, si sit juvenis, professionem regularem, vel si senex, votum continentiæ in sæculo emittat: *Ibid.*, § 8.

Si vir est innocens, tunc sufficit licentia innocentis, nec opus est ut ipse, vel religionem ingrediatur, vel emittat in sæculo votum continentiæ, ex quo jura canonica, quæ ingressum in religionem, seu regularem professionem, vel votum simplex castitatis in sæculo exposcunt, procedunt in terminis, in quibus jura matrimonii sunt integra, et illæsa; secus autem, quando læsa et diminuta sunt: *Ibid.*, § 9.

In praxi vero receptum est quod, dum constet de adulterio mulieris de consensu viri sui in juvenili ætate constituti, et nolentis propter infirmitatem ordines sacros recipere, nec emittere professionem regularem, uxor professionem emittat, marito in sæculo manente, solo voto continentiæ emisso: *Ibid.*, §§ 10, 11 et 12.

Ad hoc ut vir possit sacros ordines, uxore in religione solemnia vota emittente, suscipere, requiritur illius senilis ætas, quæ in conjuge in sæculo remanente ad minus supra annos 50 esse debet: *Veron.*, 18 *dec.* 1728, § 3.

Viri etiam precibus sacros ordines suscipere volentis obstat existentia prolis adhuc in infantili ætate, cujus curam prætermitterre non licet propter ingressum in religionem: *Ibid.*, § 4.

Sin vero aliunde filio impuberi possit provideri, si nimirum remanet apud aviam vel patruos, tunc non erit obstaculum prolis existentia; sed requiritur ut avia et patrui consentiant, et ut filii conditio non fiat ex tali educatione deterior: *Ibid.*, § 4.

Nonnulli hoc limitant in conjuge in sæculo in statu laicali remanente, non autem in viro qui vult effici sacerdos, qui requisitum habere debet ut uxor continentiam profitens consenserit: *Ibid.*, § 5.

Si unica superstat, filia non obstat, quum satis provisum illi videtur, si vel remaneret in sæculo penes patrem, vel ingrederetur monasterium simul cum matre: *Ibid.*, § 6.

Si ratio potissima, ut uterque conjux solemnia vota emittant pro dissolvendo matrimonio consummato, est ut Deo melius servirent, tunc sufficit sola susceptio sacrorum ordinum absque eo quod maritus cogendus esset religiosam vitam amplecti: *Ibid.*, § 7.

Sin vero ratio potissima est ad effectum consulendi periculo incontinentiæ conjugis reclusi, et ut a vagationibus arceatur, tunc permittitur permanentia unius in sæculo cum voto perpetuo castitatis, quando ob ingravescentem ætatem cessaret timor incontinentiæ, et si non est in senili ætate constitutus, nec in eo deficit suspicio incontinentiæ, tunc non sufficit sola susceptio ordinis sacri: *Ibid.*, § 8.

Si conjux initiatus ad sacerdotium sit cum legitima licentia uxoris manentis in sæculo cum voto castitatis, suspectus est, non est permittendus simul cohabitare; sin vero suspectus minime est, tunc satis est cubiculum sequestrare: *Ibid.*, § 9.

Glossa in cap. *Conjugatus, de Conv. conjug. ab uxore*, refert, nonnullos antiquos canonisitas tenuisse, quod non sit vir ordinandus in sacris, nisi uterque conjux in religionem ingrediatur: *Ibid.*, § 10.

Et in cap. 2. *de Cleric. conjug.*, verbo *Castitatem* eadem habet, quod possit vir ad sacros ordines promoveri, sequestrato mansionis cubiculo cum uxore, si senes sunt; secus, si sunt juvenes: *Ibid.*

Imola contrariam tenet glossæ opinionem, asserens quod sufficeret mulierem transire ad religionem, sive vir voveat castitatem, et promoveatur ad sacros, licet ipse remaneat in sæculo tanquam clericus sæcularis: *Ibid.*, § 11.

Et ejusdem opinione est practicus Monacellus cum D. Bonaventura, dicens quod dissolvuntur sponsalia, immo et matrimonium ratum, et non consummatum, quando conjuges de communi consensu ambo ad statum cœlibatus eodem tempore volunt transire, nempe mulier, ut professionem emittant in monasterio, et vir ordinem sacrum suscipiat: *Ibid.*, §§ 12 et 13.

De conjugiorum a catholicis cum fœminis hæreticis coram ministro acatholico initorum valore, qui

in controversiam veniat, judicandum est non secundum favorem, qui causa matrimoniali competere solet, sed juxta rigorem juris : *Eyst., Matr.*, 8 *mart.* 1732, § ult.

Ad sacerdotium promoveri valet conjugatus, dummodo uxor consentiat, et voveat castitatem : *Luc.*, 18 *jul.* 1795, § 2.

Et si uxor sit juvenis et suspecta de incontinentia, ingredi etiam debet claustra ; non item senex, et probatæ honestatis : *Ibid.*

Quæ imo cohabitare potest cum viro ; cum eo tamen condormire, vel in eodem jacere cubiculo prohibetur : *Ibid.*, § 3.

Permittunt enim canones cohabitationem, dummodo de carnali fiat spirituale conjugium : *Ibid.*

Promotionem conjugati permittebat etiam vetus Ecclesiæ disciplina : *Ibid.*, § 4.

Atque Episcopi decernebant de circumstantiis ad permittendam cohabitationem viri cum uxore in statu sacerdotali : *Ibid.*

Ad impedienda vero mala quæ in re periculis plena eveniebant, rem deinde in se assumpserunt Summi Pontifices : *Ibid.*, § 5.

Et vix unum et alterum est exemplum permissæ promotionis conjugati : *Ibid.*, *et seq.*

At ratione scandali adversantur nonnulli doctores cohabitationi viri sacerdotis cum uxore : *Ibid.*, § 7.

Maxime si illius promotio non sit evidenter utilis Ecclesiæ : *Ibid.*

Ante consummationem licitum est alteri ex conjugibus religionem approbatam ingredi, et in ea perpetuam castitatem profiteri, ita ut alter conjux in sæculo remanens, vinculo conjugii solutus, potest libere ad novas nuptias convolare : *Neap., Matr.*, 11 *april.* 1761, § 3.

Non requiruntur rigidissimæ probationes, vel impotentiæ, vel non sequutæ consummationis, quæ ad obviandum fraudibus in judicio nullitatis proposito ex impotentia absoluta, vel correspectiva, exiguntur : *Ibid.*, § 6.

Quia ingressus in religionem respicit perfectiorem statum, in cujus assumptione suspicari nequit de fraudibus et de collusione : *Ibid.*

Præsertim si cœptum fuerit judicium paulo post contractum matrimonium : *Ibid.*

Cum tempestiva reclamatio vim augeat probationibus : *Ibid.*

Conjugum qui votum castitatis emiserunt permanentia in sæculo repugnare textus in can. *Episcopus*, distin. 76, et in cap. *Cum sis, de Convers. conjug*, videtur : *Panor.*, 20 *maii* 1752, § 1.

Hoc tamen juris dispositio locum habet, ubi uxor juvenis est, periculum adsit incontinentiæ ; secus vero ubi uxor senex est, et conjux, qui sæculo remanet, quinquagenario major sit, ut senilem ætatem ad hunc effectum communi consensu canonistæ constituunt : *Ibid.*, § 2.

Hoc casu cum cesset quælibet incontinentiæ suspicio, satis est votum castitatis, ut uterque vel alteruter remanere possit in seculo : *Ibid.*

Verum si ita uxor senex sit ac sterilis, ut sine suspicione possit esse in seculo, dissimulare poterit, ut ea in seculo remanente, et castitatem promittente, ad religionem vir ejusdem transeat : *Ibid.*

Eadem distinctione tolli potest difficultas de cohabitatione in una domo : quoties conjuges senes sint, et absit omnis incontinentiæ suspicio, satis est cubiculum sequestrare : *Ibid.*

Si vir mulierem non cognoverit carnaliter, et eadem mulier ad religionem transire voluerit, recepta cautione duorum mensium spatium habeat : *Neapol., Matr.*, 31 *mart.* 1778, §§ 18 et 19.

Spatium verum duorum mensium computandum nonnulli censuerunt a die contracti matrimonii : *Ibid.*

Ex communi tamen canonistarum sententia computari debet a die præfixionis termini a judice factæ : *Ibid.*

Et terminus duorum mensium decurrere ipso jure non potest a die initi matrimonii, sed a die præfixionis termini : *Ibid.*

Hinc inferunt canonistæ plerique, quod si elapso bimestri, nullaque præstita cautione, matrimonium nondum fuerit consummatum, liceat, non obstante quocumque temporis lapsu, religionem ingredi : *Ibid.*

Libertas mulieris ad alias nuptias transeundi, non prius permitti potest, quam post exactum a viro integro tyrocinii annum, emissamque solemniter professionem, quia nonnisi per professionem matrimonium dissolvitur : *Neap., Matr.*, 27 *jun.* 1772, §§ 5 et 6.

Licet alteri ex conjugibus post consensum in matrimonio præstitum, religionem ingredi, dummodo carnalis copula non intercesserit : *Ibid.*, § 7 ; *et ead.*, 28 *sept.* 1771, § 11.

Hinc per solemnem professionem alterius ex conjugibus matrimonium dirimitur : *Ibid.*

Et contrarium asserentes Concilium Tridentinum anathemate damnavit : *Ibid.*

Quamvis duorum mensium spatium a jure concessum fuerit ad deliberandum de ingressu in religionem : *Ibid.*

Nihilominus hujusmodi terminus computari non debet a die contracti matrimonii, uti nonnulli putarunt, sed a die præfinitionis termini a judice factæ, uti est communis canonistarum sententia ; *Ibid.*

Status regularis unius conjugis nullum alteri præjudicium irrogat, cujus jura ante professionem semper integra et illæsa remanent : *Barch.*, 19 *sept.* 1767, § 8.

Nec professionis dilationi decretum Concilii Tridentini, sess. 25, cap. 16, *de Reg. et Mon.*, obest : *Ibid.*, § 9.

Sed hoc procedit tantum quoad novitios, non vero quoad novitias : *Ibid.*

Et sibi locum non vindicat, ut professio ex rationabili causa differtur etiam a viris : *Ibid.*

Vulgatissima res est, ac firmissima sacrorum canonum et Ecclesiæ doctrina, posse quemlibet ex conjugibus a matrimonio rato et non consummato resilire, ut statum regularem amplectatur : *Camerinen. seu Fabrianen.*, *Matrimonii*, 4 *junii* 1768, § 21.

Idque procedit altero etiam conjuge invito ac repugnante : *Ibid.*

Liberum est ante matrimonii consummationem unicuique ex conjugibus religionem ingredi : *Neap.*, *Matr.*, 31 *mart.* 1770, § 3.

Et seposito probationum rigore, sufficit utriusque conjugis depositio, qua eorum cuique potestas fiat religioni nomen dare : *Ibid.*

Liberum non est uxori ad alias transire nuptias, nisi post solemnem professionem a viro servata forma sacri Concilii Tridentini, sess. 26, cap. 15, *de Reg.*, emittendam : *Neap.*, *Matr.*, 11 *april.* 1761, § 10.

Terminus duorum mensium a jure canonico sponsis assignatum ad religiosam vitam amplectendam, non esse computandum a die contracti matrimonii, sed ab eo duntaxat tempore quo judicialis intercessit termini præfixio : *Com.*, *Matr.*, 17 *dec.* 1768, § 5.

§ XXXVII.

Matrimonium quoad impedimentum criminis.

Impedimentum impediens et dirimens matrimonium quod dicitur impedimentum criminis, quodque ex solo adulterio, vivente prima conjuge, patrato non coalescit, coalescit ex adulterio una cum promissione adulteram ducendi in uxorem post obitum conjugis tunc viventis : *Reat.*, 13 *jul.* 1725, § 8.

Amplia etiam sive adulterium præcedat promissionem sive promissio præcedat adulterium, dummodo promissio sit vera, et seria, et ab altera parte acceptata : *Ibid.*

Maritus qui uxorem interemit, in pœnam hujus peccati non potest cum alia matrimonium contrahere : *Ulix.*, 7 *sept.* 1726, § 3.

Amplia, etiamsi maritus occidat uxorem in adulterio deprehensam, licet id impune fiat per leges civiles : *Ibid.*

Communis opinio est, quod ut inducatur impedimentum impediens, et dirimens matrimonium ob uxoricidium simul cum adulterio necesse est, quod occisio facta fuerit animo contrahendi matrimonium cum complice vel occisionis, vel adulterii : *Ibid.*, § 7.

Sin vero uxoricidium ex alia causa descendat, impedimentum præfatum non adest : *Ibid.*

In foro fori, quidquid sit de foro conscientiæ quando maritus uxorem interficit, et contrahere vult matrimonium cum adultera, presumitur quod interfecerit animo et intentione eam in uxorem ducendi : *Ibid.*, § 8.

Impedimentum impediens et dirimens matrimonium consurgit ex adulterio cum promissione contrahendi matrimonium, quoties uxor moriatur : *Ibid.*, § 4.

Et consurgere etiam potest ex machinatione in mortem conjugis una cum adulterio, etiamsi nulla accesserit promissio in uxorem ducendi eam quam polluit per adulterium : *Ibid.*

Nulla accidente necessitate, quod tam vir, quam mulier in mortem uxoris sint moliti, quum utrius machinatio necessaria sit, quando non intervenit adulterium, et alterutrius sufficiat, quando adulterium intervenit : *Ibid.*

Constat de criminis impedimento, quando adhuc vivente uxore vir adulterium sub promissione matrimonii data et accepta commiserit : *Milet.*, *Null. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 9.

Et hæc mutua promissio satis evincitur ex utriusque rei jurata depositione, quibus in re occulta æque et turpissima fides habenda est : *Ibid.*

Testimonium ad impedimentum criminis probandum non prodest, si habeant personales exceptiones, et si deposuerit de auditu ex conjugibus : *Ibid.*, § 15.

Est impedimentum criminis, quando scilicet adulter, et adultera sive ante, sive post adulterium commissum promittunt, et fidem dant de matrimonio post mortem conjugis ineundo, etiamsi ipsi in talem mortem non conspiraverint : *Ibid.*, § 17.

Mors alicujus an opera, vel casu communi evenerit, ex ejusdem cadaveris 48 horarum spatio inhumati signis, atque indiciis clare, aperteque colligi potest : *Neap.*, *Imp. crim.*, 26 *martii* 1746, § 2

Neque obstabit rumor viciniæ circa illius mortem non naturalem, sed opera uxoris, quoties testes qui proponuntur, id non habeant : *Ibid.*

§ XXXVIII.

Matrimonium quoad impedimentum cultus disparitatis.

Non solum inter infideles, sed etiam in prioribus Ecclesiæ sæculis erant irrita matrimonia apud orientales inter catholicos et hæreticos : *Annot. secr.*, 15 *julii* 1793, § 1.

Deinde vero ex universali consuetudine, jureque scripto valide contrahi cœperunt, sed illicite : *Ibid.*; et in *Dissert. secr. sup. matr.*, 1740, in fin litt. A, num. 3.

Post Concilium vero Tridentinum orta fuit quæstio, num valide illi contraherentur coram ministro acatholico : *Ibid.*

Affirmabant alii, etiamsi contraherentur in locis publicati Concilii : *Ibid.*, § 3.

Cum communi negabant alii, eo quod soluti non essent hæretici legibus Ecclesiæ, a qua turpiter recesserunt : *Ibid.*

Tum quia parochialis beneficii titulo destituerentur parochi, seu ministri acatholici : *Ibid.*

Ut verior tamen hæc recepta fuit opinio : *Ibid.*

In dubio publicationis Concilii hujusmodi matrimonia censentur valida : *Ibid.*, § 6.

In dubia enim possessione legis standum est pro libertate : *Ibid.*

Constare debet de publicatione Concilii in qualibet parochia, non in regno tantum, provincia, vel synodo : *Ibid.*

Desumi valet publicatio a loci catholica religione dominante : *Ibid.*, § 4.

Excluditur vero in ducatu Cliviensi ex qualitate ejus ducum : *Ibid.*, § 7.

Probatur etiam ex observantia conciliaris decreti, ubi celebrari nempe consuevissent matrimonia mixta coram parocho, et duobus, vel tribus testibus : *Ibid.*, § 8.

De hac observantia non constat in ducatu Cliviensi quoad matrimonia catholicorum cum acatholicis coram ministellis hæreticis : *Ibid.*, § 9.

Plura immo sunt inobservantiæ argumenta : *Ibid.*, § 10.

Hinc in ducatu Cliviensi matrimonia cum muliere catholica a viro acatholico inita sunt illicita, non tamen irrita : *Ibid.*, § 11.

Observantiæ indicium præbere videtur recessus religionis, seu pacta inita inter electorem Brandeburgi et comitem Palatinum, dum indivisam ducatus possessionem retinebant, ob præscriptas nempe plantationes, dimissorias, et celebrationem matrimonii coram alterutro viri parocho, catholico, vel acatholico ; sed certam non constituunt publicationis Concilii probationem, ex quo nulla præsertim in illis fit mentio testium : *Cit. ibid.*, § 11.

Magis in Hollandia, fœderatoque Belgio præcisa, et conciliari legi consentanea erat observantia, et tamen ob dubiam Concilii publicationem valida matrimonia mixta coram ministello acatholico declarata fuerunt : *Ibid.*, § 12.

Decretum Concilii, licet in aliqua ditione publicatum, non afficit hæreticos, qui distinctam in ea societatem constituunt : *Ibid.*, 13.

Eademque idcirco immunitate ob individuitatem contractus gaudent catholici, qui cum illis contrahunt matrimonia : *Ibid.*, § 14.

Si necessario catholica nubere debet hæretico coram ministello acatholico, decretum Concilii non obligat : *Ibid.*

Nemo enim tenetur ad impossibile : *Ibid.*

Et dicitur impossibile quod commode fieri nequit : *Ibid.*

Licet catholici nubere potius debeant catholicis : *Ibid.*, § 15.

Ob difficultates tamen loci, permissa et valida sunt eorum matrimonia cum hæreticis; ex centenaria potissimum observantia conciliari decreto contraria : *Ibid.*, § 16.

Vim sane habet hujusmodi observantia abrogandi ecclesiasticam etiam legem : *Ibid.*

Et legitime præscripta, satis est ad id quadragenaria cum titulo, et bona fide, uti nonnulli putant : *Ibid.*, § 17.

Maxime si eam toleravit Ecclesia : *Ibid.*, § 18.

Matrimonia tamen inter catholicos et hæreticos sunt illicita : *Ibid.*, § 19.

Adversantur enim juri divino, quum religionis diversitas verum inter conjuges impediat amorem, æternamque partis catholicæ sobolisque salutem in discrimen adducat : *Ibid.*, § 20.

Eaque idcirco detestantur canones, et canonistæ : *Ibid.*

Sunt immo flagitiosa ob communionem catholicorum cum hæreticis in rebus sacris : *Ibid.*, § 21.

Baptisatus enim, licet hæreticus, contrahens matrimonium cum catholica accipit sacramentum : *Ibid.*

Ex catholici, qui eam contrahunt coram ministellis acatholicis, peccant mortaliter : *Ibid.*

Et matrimoniali formula quam adhibentur ministelli ut sacri ministri : *Ibid.*

Eoque magis, in Germania præsertim, illicita, et flagitiosa sunt ob tacitum, vel expressum pactum educandi masculinam prolem in falsa secta patris, fœmininam in catholica religione matris : *Ibid.*, § 22.

De jure enim divino tenentur parentes educare filios in vera religione : *Ibid.*

Et quamvis pactum illud excusent nonnulli ex consuetudine, contrarium tamen sustinet Benedictus XIV : *Ibid.*, § 23.

Mixta matrimonia reddere potest Summus Pontifex licita per rationabilem dispensationem : *Ibid.*, § 24.

Potissima dispensandi causa est majus catholicæ religionis bonum : *Ibid.*

Parochi catholici secundum laxiorem quorumdam sententiam licite concedere valent dimissorias ad illicita contrahenda matrimonia coram ministellis acatholicis : *Ibid.*, § 25.

Contrarium verius, quia próxime influunt in malum, quod absque dimissoriis non sequeretur : *Ibid.*, et § 26.

In concedendis sane dimissoriis peccant parochi catholici contra sacrum Concilium Tridentinum, dum per eas substituunt ministellos, ut matrimoniis assistant : *Ibid.*, § 27.

Neque per silentium approbare censetur Ecclesia illorum factum : *Ibid.*, § 28.

Licet ex justa causa licitas reddere valeat ipsorum dimissorias ; in publicum scilicet catholicæ religionis bonum : *Ibid.*, §§ 29 et 30.

Eas tamen parochi catholici concedere nequeunt absque dispensatione Apostolica : *Ibid.*, § 28.

Declaratio Benedictina, quoad Hollandiam et Belgium, tanquam localis, vim non habet in aliis regionibus : *Ibid.*, § 31.

Extendi tamen valet ex identitate rationis : *Ibid.*, § 32.

Et plura sunt hujusmodi extensionis exempla : *Ibid.*, § 34.

Communis est opinio theologorum et canonistarum, quod matrimonia inter hæreticum et catholicam contracta sint illicita, sed valida : *Trajec.*, 22 *nov.* 1721, § 2; et *Dub. matr.*, 15 *jan.* 1724, § 2; *Ipren.*, *Visit. SS. LL.*, 17 *aug.* 1737, § 3; et *Gnes.*, *Null. matr.*, 15 *jun.* 1791, § 7.

Putant nonnulli, matrimonium inter hæreticum et catholicam contractum coram parocho Lutherano in locis ubi est receptum Concilium Tridentinum esse validum : *Ibid.*, § 4; *Traject. et Ipren.*

S. autem Congregatio Concilii censuit, quod matrimonia sint nulla, quando inter hæreticos, vel inter hæreticum et catholicam contracta sunt coram ministro hæretico in locis, quibus Concilium Tridentinum receptum et publicatum est : *Ibid.*, § 5.

Si Lutheranus sit hæresim abjuraturus, et religionem catholicam amplexurus, potest a Sede Apostolica dispensationem impetrare super matrimonio coram parocho catholico iterum contrahendo quum clausula *abjurata prius hæresis* non concedatur : *Ibid.*, § 7.

Catholicus cum hæretica, vel vice versa, est in inevitabile æternæ ruinæ discrimen : *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. I, discep. 2 num 3.

Et ratio est quia cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris, si hoc in aliis, quid magis in conjugio, ubi una caro et unus spiritus est : *Ibid.*

Et comperitur ex historia per alienæ nationis injustam copulam a mandatis Dei plurimos deviasse, et in magna devolutos facinora : *Ibid.*

Magis discrimen timendum est, ubi fœmina hæretica cum catholico jungitur : *Ibid.*

Ita Salomon suarum uxorum lenociniis in idololatriam lapsus est : *Ibid.*

Maxime verendum est, ne nacitura proles, etsi fortasse ex pacto inter conjuges inito, catholicis dogmatibus imbuenda sit, hæresis nihilominus venenum guttatim hauriat, et unius parentis lue ita paulatim tabescat : *Ibid.*

Et ipsimet doctores Germanici et Belgici, quamvis eadem frequenter oculis usurpent, misera nihilominus, et quotidiana malorum inde pullulantium experientia edocti, ea tanquam juri naturali repugnantia, uno animo, atque una voce exsecrantur : *Ibid.*, § 5.

Atque ea matrimonia recte et honeste contrahi possunt, modo Summus Pontifex auctoritatem suam interponat, cujus unius est quempiam, ecclesiastica lege eas nuptias prohibente, solvere, et quo tempore naturale jus obligare cesset, interpretari : *Ibid.*, § 6.

Raro autem, et nonnisi gravissimis de causis, tanta Summus Pontifex potestate usus est : *Ibid.*

In locis ubi hæresis invaluit hujusmodi matrimonia dissuadenda potius, quam pœnis interdicenda sunt : *Rel. secr.*, 15 *junii* 1793, § 11.

§ XXXIX.

Matrimonium quoad impedimentum erroris.

Textus in cap. *Dominus, de Secund. nupt.*, succurrit conjugi decepto contra decipientem, ut si deceptus velit, cogatur decipiens stare matrimonio : *Smirn.*, *Matrim*, 6 *maii* 1752, § 3.

Non vero cogit deceptum læsumque conjugem, ut sit in matrimonio ; deceptis enim læsisque succurrendum est, non decipientibus et lædentibus : *Ibid.*

Error qualitatis personæ non facit conjugium irritum : *Novar.*, 24 *febr.* 1720, § 6.

Id vero limitatur in casu quo quis expresse denuntiatur se contrahere sub conditione qua talis qualitas insit personæ cum qua matrimonium iniit ; *Ibid.*

Defectus autem qualitatis plene sufficienter deduci non potest ex editione prolis post sextum mensem a die initi matrimonii : *Ibid.*, § 7.

Error in extrinsecis non autem in substantia matrimonium irritum non facit : *Comp. seu Luc.*, *Matr.*, 29 *aug.* 1744, § 3.

§ XL.

Matrimonium quoad impedimentum impotentiæ coeundi.

Triplex est species impotentiæ : alia evidens, quæ visibili vitio elucescit, subitam exposcit matrimonii dissolutionem : *Luc.*, *Nul. matr.*, 29 *nov.* 1767, § 3.

Alia verosimilis, quæ ex indiciis moraliter certis, utcumque non manifestis resultans, statim locum facit dissolutioni, si juramentum conjugum et septimæ manus propinquorum accedat : *Ibid.*

Alia dubia, quæ solis nititur præsumptionibus, et ex ea nonnisi præmisso triennalis cohabitationis experimento matrimonium dissolvitur : *Ibid.*

Non potest ambigi de impotentia verisimili, et moraliter certa, quam comprobat evidentia facti, certoque univoce affirmant periti numero plures, formaliterque examinati : *Ibid.*, § 5.

Accedente præsertim integra adhuc et incorrupta mulieris virginitate, ac univoca confessione tum utriusque conjugis tum septimæ manus propinquorum : *Ibid.*

Et extranea est triennalis cohabitatio, statim ac ex peritorum judicio, ex frustra adhibitis medelis, ex comperta mulieris integritate, et ex confessione utriusque conjugis, et septimæ manus propinquorum, constat de verisimili perpetua impotentia : *Ibid.*, § 6.

Nec alias cum gravi animarum periculo inutile fit experimentum viri, si ob grandævam ejus annorum 50 ætatem vires magis magisque de die in diem decrescunt, absque spe quod beneficio temporis robustiores ac viridiores efficiantur : *Ibid.*

Conjugii fœdus non aliter quam concludenter probato perpetuo et absoluto impotentiæ vitio, dissolvi potest : *Ibid.*, § 7.

Quum constet ex peritorum judicio nullum exterius vitium patere, omniaque rite recteque a natura conformata esse, deest proinde certa probatio perpetuæ et absolutæ impotentiæ : *Ibid.*

Et ad naturalem mariti pudorem et verecundiam referenda est ea circumstantia, quod periti in actu recognitionis corporis viri inertem perspexerint, et veluti immortuam ejus partem : *Ibid.*, § 8.

Impotentia in matrimonio in duas classes dividitur, una in coeundo, alia in generando : *Placen.*, *Null. matr.*, 17 *april* 1779, § 8.

Impotentia perpetua et absoluta viri existimatur quoties duo medici, totidemque chirurgi, considerata mala corporis habitudine, morbi vi, et experimentis habitis, concordi sententia id existimarunt : *Jan. seu Albin.*, *Null. matr.*, 26 *aug.* 1769, § 9.

Non amplius biennium, sed triennium ex ipso copulationis tempore numerari voluit Justinianus novell. 22 *de Nuvt.*, cap. 6, ad probandam viri impotentiam : *Arim.*, *Null. matr.*, 16 *matr.* 1720, § 9.

Hanc Justiniani sententiam sequutum etiam jus canonicum, cap. *Laudabilem*, *de Frig. et malefic.*, est : *Ibid.*

Tunc autem triennalis conceditur cohabitatio, quando dubia sunt impotentiæ signa, aut præsumptiva ; secus vero est quando impotentiam evidenter concludunt, aut etiam quando sunt verisimiliter evidentia : *Ibid.*

Juxta receptiorem sententiam a Rota Romana firmatam, triennium non a die intentatæ copulæ, sed a die decreti judicis computatur ; ita ut vir judici permittatur triennale tempus abbreviare in hypothesi, qua conjuges per plures annos cohabitarunt, et copulæ vacarunt : *Ibid.*, § 11 ; et *in Tiras.*, *Matrim.*, 18 *sept.* 1723, § 4.

Impotentia a contrahente ignorata dirimit matrimonium, ad differentiam casus quando videlicet matrimonium fuisset contractum cum scientia impotentiæ : *Taur.*, *Matr.*, 23 *aug.* 1721, § 2.

Si de impotentia non constat evidenter, subintrat lex de triennali cohabitatione antequam locus dissolutioni matrimonii esse possit : *Ibid.*, § 4.

Textus in cap. 1 *de Frigid. et malef.*, qui denegat audientiam mulieri, quæ non reclamavit initio matrimonii, allegando viri impotentiam, non procedit, quando mulier negat copulam et est parata ad sui corporis ostensionem : *Gienn.*, *Null. matr.*, 15 *maii* 1723, § 6.

Si matrimonium ob impotentiam accusatur, et vir contendit a se cognitam uxorem suam, et mulier neget, præstatur fides viro firmanti et juranti et secundum eum est pronuntiandum : *Ibid.*, § 7.

At si mulier virum arguat mendacii et perjurii, et se virginem per experimentum juratarum matronarum probare velit, inspectio est decernenda, et creditur mulieri : *Ibid.*

Facienda est etiam inspectio viri, ut per eam facilius haberi possit veritas, et nihil est omittendum, quando agitur de matrimonii dissolutione : *Ibid.*, § ult.

Juxta cautelam Hostiensis mulieres in balneo reponi debent ad hoc ut illarum corporum inspe-

ctio et perquisitio facilius fiat : *Tiras.*, *Matr.*, 18 *sept.* 1723, § 6.

Antiquiores theologi negarunt, quod impotentia respectiva sit impedimentum impediens, et dirimens matrimonium : *Eysten.*, 28 *jul.* 1724, § 11.

E contra, recentiores voluerunt ut esset impedimentum impediens et dirimens matrimonium, quoad illud genus personarum, quod impotentiam respectivam respicit : *Ibid.*

Si fœminæ arctitudo tolli possit sine peccato, vel sine periculo vitæ, matrimonium est validum ; si vero tolli potest cum peccato, et cum periculo vitæ, est invalidum : *Ibid.*

Jura, et concors conjugum confessio concurrit ad probandam viri impotentiam : *Mediol.*, *Matr.*, 4 *dec.* 1728, § 3.

Concurrit etiam septima manus propinquorum jurantium se credere conjuges verum fateri : *Ibid.*

Et concurrit etiam judicialis perquisitio peritorum : *Ibid.*

Hinc his concurrentibus dari locus experimento triennalis cohabitationis injuncto non debet : *Ibid.*, § 4.

Cohabitationi enim triennali tunc datur locus, quum frigiditas prius probari nequit : *Ibid.*

In triplici differentia veniunt consideranda naturalia impedimenta ; quædam enim necessario et evidenter per visibilia nempe signa concludunt impotentiam : et in hoc casu deveniri potest ad separationem absque alio juramento, et non expectata habitatione triennali : *Ibid.*, § 5.

Alia autem sunt impedimenta verisimilia, et tunc requiritur juramentum conjugum asserentium se non posse coire, et septima manus propinquorum jurantium se credere eos verum fateri, absque pariter experimento dictæ triennalis cohabitationis : *Ibid.*

Et alia demum sunt impedimenta dubia, et præsumptiva, et tunc præter depositiones et juramenta prædicta indispensabilis est cohabitatio triennalis : *Ibid. et Mediol.*, *Matr.*, 12 *jan.* 1732, § 6.

Triennalis cohabitatio solet, juxta casuum contingentiam, a judice præscribi : *Mediol.*, *Diss. matr.*, 21 *april.* 1731, § 3.

Ob perpetuæ impotentiæ certitudinem judicio peritorum contestatam, locus est dissolutioni matrimonii absque ulteriori cohabitatione, quam injungi postulatur a viro : *Mediol.*, *Matr.*, 12 *jun.* 1732, § 7.

Jus canonicum disponit, ubi agitur de dissolutione matrimonii ex impotentia coeundi, deferendum esse utriusque conjugis juramento : *Comen.*, *Matr.*, 17 *dec.* 1768, § 14.

Si autem vir affirmaverit matrimonium fuisse consummatum, uxor vero negaverit, viro adhibendam esse fidem statuitur ab eodem jure : *Ibid.*, § 15.

Addita ratione, quia vir caput est mulieris : *Ibid.*

Quod si uxori neganti matrimonii consummationem, accedat testimonium obstetricum de ejus corporis integritate deponentium, standum est juratæ ejusdem assertioni, etiamsi vir contrarium juramento affirmaverit : *Ibid.*, § 16.

Et advertunt doctores mentionem fieri in jure canonico de septem mulieribus, non ad necessitatem probationis, cum illarum testimonium non requiritur, ubi præter juramentum mulieris obstetrices ad inspectionem corporis fuerint adhibitæ : *Ibid.*

Sed inspectio ab obstetricibus facta fallax quandoque fuit deprehensa : *Ibid.*, § 17.

Atque idcirco judicibus præcipitur, ut, licet præcesserit inspectio puellæ, septima propinquorum manus etiam accedat : *Ibid.*

Et etiam mulieris inspectio ab honestis matronis fieri decernitur : *Ibid.*

Perpetuum et insanabile impedimentum irritum certe reddit matrimonium : *Luc.*, *Null. matr.*, 21 *jun.* 1766, § 3.

Et accedente jurejurando utriusque conjugis super non consummatione, et decem nobilium testium loco septimæ manus, dissolvi debet matrimonium, non expectato experimento triennalis habitationis : *Ibid.*, § 5.

Quod non solum verosimiliter evidens impotentia, sed certa et manifesta concluditur, quæ ampliorem probationem non desiderat : *Ibid.*

Non probata perpetua et absoluta impotentia viri, matrimonium dissolvi nequit : *Ibid.*, § 8.

Illa autem nunquam probari potest ex testimonio conjugum, quorum fides suspecta est semper : *Ibid.*, § 9.

Maxime, quia maritus perpetuam illam negavit, et periti nullum visibile adesse vitium testati sunt : *Ibid.*

Certum est : ex integritate mulieris non concluditur impotentia mariti, et quidem perpetua et absoluta : *Ibid.*, § 10.

Dum constat de absoluta coeundi impotentia, dissolvendum est matrimonium ob defectum substantiæ : *Ancon.*, *Matr.*, 19 *jan.* 1793, § 2.

Et relationes peritorum plurimi faciendæ sunt : *Ibid.*

Et comprobat impotentiam viri incorrupta mulieris virginitas, servatis servandis, et adhibitis balneis cognita : *Ibid.*, § 3.

Ac tres noverunt obstetrices, quæ pro inspectione mulieris adhiberi solent : *Ibid.*

Rectumque obstetrices proferunt virginitatis judicium, licet causam non reddant scientiæ : *Ibid.*

Atque quamvis non desint anatomici qui signa inficiantur virginitatis, tamen eam admittunt : *Ibid.*

Præsertim si accedit juramentum utriusque conjugis, septimaque manus conjunctorum consanguineorum, de non consummato matrimonio : *Ibid.*

Impotentia naturalis et perpetua valet dissolvere matrimonium, ex recentiori et communi recepta opinione : *Mess.*, *Matr.*, 24 *jan.* 1778, § 9.

Falso allegata ab uno ex conjugibus, unde matrimonium rite contractum per sententiam judicis fuerit dissolutum, facit illud reviviscere : *Ibid.*, § 8.

Maxime si conjux ille potens deinceps inveniatur : *Ibid.*, § 9.

Non obstante quod alter ex conjugibus qui impotens non erat, secundum matrimonium contraxerit : *Ibid.*, § 10.

Impotentia respectiva, ob quam dissolutum fuit matrimonium per sententiam judicis, non amplius facit illud reviviscere ex subsequenti potentia unius ex conjugibus : *Ibid.*, §§ 11, 12.

Nec refert, si ante dissolutionem non præcesserit triennalis cohabitatio : *Ibid.*, § 13.

Matrimonium nullum dicitur, quando spes procreandæ sobolis in habitu et potentia deficiat : *Plac.*, *Null. matr.*, 17 *apr.* 1779, § 8.

Contrarium tamen ex auctoritate Ecclesiæ definitum fuit : *Ibid.*

Ratio est, quia propter sterilitatem non dissolvuntur matrimonia, cum senes quoque illa contrahere possint : *Ibid.*

Duplex enim est finis matrimonii : primarius sistit in prolis generatione ; secundarius, ut extinguatur concupiscentia : *Ibid.*

Alterutro occurrente, validum efficitur matrimonium : *Ibid.*

Longa conjugum condormitio, absque ulla reclamatione, tum in judicio, tum extra, facta, nec cum amicis et consanguineis, rationabilem causam præbet arguendi matrimonii consummationem : *Ibid.*, § 9.

Recognitio corporis mulieris non dicitur legalis, nisi usus balnei adhibeatur : *Ibid.*, § 10.

Requiritur etiam, ut intercedat septima manus, ut dicitur, propinquorum, qui asserant virum esse bonis moribus imbutum, et a perjurio prorsus alienum : *Ibid. et seq.*, § 11.

Atque formaliter interrogati adfirment jurasse conjuges sese matrimonium consummare nequivisse : *Ibid.*

Quum omnis absit probatio impotentiæ, vel evidentis, vel verisimilis, et ad summum conjecturalis concipi potest, proinde est necessario præmittenda triennalis cohabitatio : *Luc.*, *Null. matr.*, 21 *nov.* 1767, § 9.

Matrimonium disjungitur ex impedimento quod ad illud consummandum in altero ex conjugibus adfuerit, ac perpetuum et insanabile sit futurum : *Ibid.*, § 10.

Quia consensus defuerit, sine quo matrimonium esse non potuit, quia mulier se matrimonio vult esse matrem, et filios procreare, et vir si est naturæ frigidæ, nequit esse : *Ibid.*

Verum impedimenti probatio, si ab initio certa sit ex vitio aliquo quod corporeis oculis cernitur, aut hoc ex judicio peritorum irreparabile ac perpetuum, et tunc nihil ultra expectandum est ut judicium statim pro nullitate feratur : *Ibid.*, § 11.

Quando impotentia non est evidens, nec verisimilis, sed dici potest conjecturalis ad summum triennii habitatio inevitabilis de jure est : *Luc.*, *Null. matr.*, 21 *jun.* 1766, § 12.

Sanctio canonica in cap. *Fraternitatis*, *de Frig. et malef.*, debet habere locum tam in mulieribus, quam in viris ipsissima ratione atque ipsissima sacramenti sanctitate, et fœdere non violando, sive redintegrando, si postea appareat Ecclesiam fuisse deceptam : *Ibid.*, § 18.

Cœlestinus III indulsit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis triennium, quo elapso, si defecerint, separentur : *Ibid.*, § 19.

Vir et mulier inter se conjuncti, si dixerit mulier de viro quod coire non possit cum ea, si probetur per justum judicium, accipiat alium ; si ille aliam acceperit, separetur : *Ibid.*, § 20.

Impotentia dubia probatur medicorum declarationibus : *Ibid.*, § 21.

Nam cogitur vir permittere se a testibus, hoc est medicis, inspici, et mulier permittendo se ipsam per matronas contemplari, sitne virgo, necnon : *Ibid.*

Hinc asserunt nonnulli, quod ubi deficiat ea certa probatio ex viri aspectu, neque uxoris virginitas ex aspectu corporis comprobata, nec utriusque conjugis jurata fides, ac septima manus sufficiant : *Ibid.*, § 22.

Idcirco judex ex officio omnino inspectionem viri mandari debet : *Ibid.*

Juxta antiquiores theologos impotentia respectiva naturalis et perpetua non est matrimonii dirimens impedimentum : *Abul.*, *Matr.*, 26 *mart* 1718, § 7.

Soluto per judicis ecclesiastici sententiam matrimonio propter impotentiam, si conjux ille qui judicatus est impotens ex post facto potens deprehendatur, primum matrimonium est reintegrandum : *Ibid.*, § 8.

Amplia : etiamsi in sequelam sententiæ dissolu-

tionis primi matrimonii, alter ex conjugibus, qui non erat impotens, aliud matrimonium contraxerit : *Ibid.*

Id vero locum non habet, si impotentia respective perpetua ex maleficio aut quoad individuum procedit : *Ibid.*

Impotentia absoluta est, ac perpetua, quando adhibitis etiam ad longum tempus balneis, pharmacisque a medicis præscriptis, sanari non potest : *Luc., Matr., 4 maii* 1771, § 7.

Item quando post ultimam recognitionem corporis viri ita existimarunt quatuor periti quorum judicium juramento firmatum attendi debet : *Ibid.*

Maxime, quando impotentiæ signa haud dubia referunt : *Ibid.*

Quum vir ad potentiam acquirendam consilio medicorum mutasset locum, calidiores cibos, et medicamenta sumpsisset, et eo devenire, ut repugnanti uxori turpissima amittendæ virginitatis media insinuaverit, impotentia ejusdem viri evincitur : *Neap., Matr.*, 28 *sept.* 1771, § 6.

Et quum uxor conquesta sit de viri imbecillitate cum familiaribus et cum confessario, aliisque sacerdotibus, et publica inde exorta sit fama de nunquam sequuta consummatione, hæc sunt gravissima rati matrimonii argumenta : *Ibid.*

Immediata causa erectionis penis sunt musculi erectores : *Ancon., Matr.*, 19 *jan.* 1793, § 8.

Aliqualis experta penis soliditas cum larga seminis effusione, absolutam excludit impotentiam : *Ibid.*

Ad effectum dissolvendi matrimonium impotentia requiritur absoluta quoad mulieres omnes : *Ibid.*

Validumque propterea reputatur matrimonium cum virgine, ubi potens est vir cum corrupta : *Ibid.*

Post decennium cognosci nequit impotentia viri, num matrimonium præcesserit : *Ibid.*, § 9.

Et ad dissolvendum matrimonium, constare debet quod vir ante matrimonium esset impotens ad copulam carnalem : *Ibid.*

Impotentia viri ex defectu hastæ virilis, necessario causat separationem thori, ne conjuges ex contubernio illo, et lecti societate ad illicitos actus, quique peccatum involvant, devenire possint : *Plocen., Separ. thor.*, 22 *jan.* 1746.

Impotentia absoluta viri impedit destruitque matrimonii essentiam, ut jam dictum est : *Jan., Matr.*, 20 *jul.* 1793, § 3.

Et satis probatur inhærere de præsenti, si eadem inhabilitas probata fuerit de tempore præterito, quum magis augeret de futuro in ætate invalidiore : *Ibid.*

Argumentum impotentiæ viri desumitur ab intacta virginitate mulieris, quæ consummationem excludit matrimonii : *Ibid.*, § 4.

Obstetricibus potissimum committunt canones corporis mulieris inspectionem : *Ibid.*

Quamvis reddere non teneantur causam scientiæ : *Ibid.*

Multum in hac materia deferunt canones judicio obstetricum : *Ibid.*, § 5.

Præsertim si expleverint recognitionem post balneum mulieris : *Ibid.*

Judicium peritorum, ex causis et signis externis non apparentibus depromptum, præsumptive tantum verisimilem impotentiam concludit, prorsus ineptam ad matrimonii dissolutionem absque triennali cohabitatione : *Jan. seu Albin., Null. Matr.*, 26 *aug.* 1769, § 6.

Ad matrimonii dissolutionem ex capite impotentiæ, duo copulative requiruntur, et quod non fuerit consummatum, et quod id ex impotentia hominis perpetua et insanabili evenerit : *Ibid.*, § 7.

Impotentia, vel certe ab initio est ab evidenti vitio proveniens, et judicio peritorum irreparabilis ; et tunc tanquam de re certa et evidenti, in qua nihil ultra expectandum sit, judicium non defertur : *Ibid.*, § 8.

Si dubia sit, tunc locus est experimento triennaliis cohabitationis, antequam sententia proferatur dissolutionis : *Ibid.*, § 9.

Inverisimile est per sexennium mulierem cum impotente viro cohabitare voluisse : *Januen., Matr.*, 20 *jul.* 1793, § 10.

Naturalis et perpetua in viro coeundi impotentia nullum irritumque reddit matrimonium : *Asten., Matrim.*, 2 *mart.* 1776, § 7.

Imo dissolvitur absque alio triennalis habitationis experimento, postquam per sexennium et ultra data fuit opera copulæ, et consummationem nunquam perfici potuisse jurejurando affirmavit tum ipsa mulier, tum septem illius consanguinei : *Ibid.*, § 8.

Obstat si mulier de viri impotentia longum tempus, quo cum viro suo pacifice vixit, tacuerit, nec cum aliis conquesta fuisset ; quia cito et parvo tempore scire potuit si secum coire poterat : *Ibid.*, § 9.

Argumenta imbecillitatis ac inertiæ viri dubia solam præsumptionem inducunt, ideoque locus est dispositioni cap. *Laudabilem*, tit. *de Frig. et malef.*, ubi decernitur experimentum triennalis cohabitationis : *Ibid.*, § 10.

Nam in dicto capite non esse procedendum ad causæ decisionem ante experimentum triennale demandatur : *Jan., Matrim.*, 15 *maii* 1700.

Et hoc triennium a die quo dicta cohabitatio fuit

a judice decreta, non a die tentatæ copulæ computandum : cit. *Jan.*, 1793; *ibid.*

In juramentorum contradictione, fides præstatur viro affirmanti et juranti, et secundum eum est pronuntiandum : *Ibid*, § 11.

Probatio septimæ manus consanguineorum admittitur in casu quo uterque conjux jurejurando declarasset matrimonii consummationem fieri non posse propter perpetuam viri impotentiam : *Ibid.*, § 12.

Non autem quando vir juramento affirmavit se uxorem pluries cognovisse : *Ibid.*

Sed spreto viri juramento, fides mulieris juramento est adhibenda, ac testimonio septimæ manus propinquorum, casu quo mulier virginem se esse ostendisset per explorationem factam sui corporis : *Ibid.*, § 13.

Nihilominus probatio virginitatis facta per aspectum corporis fallacissima est, cum obstetricum manus et oculi sæpe falluntur : *Ibid.*

Ea ratione, quia virginitatis signa obscura sunt, incerta, et fallacia, nihilque certi promittunt : *Ibid.*

Ponderandum est, si a medicis et ab obstetricibus facta fuerit recognitio corporis mulieris sine balneo contra cautelam Hostiensis : *Ibid.*, § 14.

Quia juxta cautelam Hostiensis et doctorum mulieris super virginitate recognitio facienda est cum balneo : *Arim.*, *Null. matr.*, 16 *mart.* 1720, § 12.

Absoluta impotentia probari nequit ex mulieris testimonio, cujus fides suspecta semper est : *Ast.*, *Matr.*, 18 *maii* 1776, § 2.

Ex integritate mulieris non concluditur impotentia mariti, et quidem perpetua et absoluta : *Ibid.*, § 3.

Triennalis cohabitatio incipere debet non a tempore celebrati matrimonii, sed a die qua judex illam decrevit : *Jan.*, *Matr.*, 16 *aug.* 1783, § 7.

Et, ex constanti doctorum sententia, satis est quod fuerit expleta a die initi conjugii, nec requiritur ut illa judicis auctoritate præficiatur, et contrariam opinionem abolevit, et tanquam a recta ratione aberrans est reprobata : *Ibid.*

Canones ideo requirunt triennalem cohabitationem, ut per tempus satis idoneum tuto judicium fieri possit de perpetua inertia viri : *Ibid.*

Cum triennalis cohabitatio effectu prorsus vacua jam præcesserit, inutile est decreto judicis illam iterare : *Ibid.*

Nam tunc solum fieri debet, quando impotentia viri ex maleficio oritur, vel quando constiterit de viri impotentia ante contractum matrimonium : *Ibid.*

Alienum est ab ecclesiastica jurisprudentia et tribunalium praxi, quod ad magis magisque comprobandam mulieris virginitatem adhibendi sint periti in arte medica : *Ibid.*, § 11.

Sacri canones demandant ut ad inspiciendum mulieris corpus matronæ adhibeantur, ea potissimum ratione quod pudori et verecundiæ parcendum sit, cum plurimum dedecet uti peritorum opera, quando obstetrices sufficiunt : *Ibid.*

Non inficiatur delectos aliquando fuisse peritos, sed tunc solum quando quæstio erat de nimia mulieris arctitudine, vel de respectiva conjugum impotentia : *Ibid.*

Antiquata est, et a Sac. Congreg. Concilii reprobata sententia quorumdam doctorum, quod oculi et manus obstetricum sæpe falluntur, quod potest matrimonium consummari absque claustri virginalis læsione : *Ibid.*

Et ratio est, quia inutile forent querelæ de matrimonii nullitate ob latentem viri impotentiam proponere : *Ibid.*

Ac ad præcavendum quodcumque dubium debet accedere juramentum propinquorum, quo perficitur virginitatis probatio : *Ibid.*

Non est in pretio habenda opinio nonnullorum, quod ex intermisso per aliquod tempus matrimonio, mulieris claustrum iterum coalescit : *Ibid.*, § 14.

Sed hæc physicis potius academico more, quam veritatis sensu dicta sunt : *Ibid.*

Imo Sac. Congreg. Concilii mulierum inspectionem demandavit elapsis jam pluribus annis postquam a viro recesserunt, et causas pro nullitate matrimonii fuisse definitas : *Ibid.*

Matrimonii vinculum ex divina dispositione est indissolubile : *Ibid.*, § 20.

Potest quidem per Ecclesiæ judicium dissolvi, si nullitatis vitio laboret : *Ibid.*

Nullitas tamen debet esse evidens, ita ut de illa dubitari non possit : *Ibid.*

Nunquam sacri canones præscripserunt quod judicio nullitatis matrimonii præcederet triennalis cohabitatio : *Ibid.*

Nam ex juris dispositione mulier cito, et primo mense, vel intra unum, vel duos menses, reclamare debet : *Ibid.*

Triennalis vero cohabitatio præfinita est solum in casu impotentiæ, quæ viri frigiditate promanat, et incipere debet non a die contracti matrimonii, sed a tempore quo judex illam decrevit : *Ibid.*

Ad eludendam præsumptionem sequutæ consummationis, quam violentam, certam, ac juris et de jure doctores appellant, requiruntur probationes adeo certæ, ut omnem suspicionem secutæ consummationis excludant : *Ibid.*, § 23.

Matrimonium, unum ex septem novæ Legis sacramentis a Christo Domino institutum, ex sua natura indissolubile est : *dbid.*, § 25.

Solvitur tamen, si vir ad illius consummationem impotens deprehendatur, et impotentia sit perpetua et insanabilis : *Ibid.*

Eo namque in casu licet mulieri reclamare, et matrimonii dissolutionem petere : *Ibid.*

Ut autem rectum in hujusmodi causis proferri judicium possit, inter alias probationes recipi debet jurata depositio tam viri quam mulieris : *Ibid.*, § 26.

Et si discordes inter se fuerint, viro, quod est caput mulieris, fides adhibenda est, si id affirmaverit cum juramento : *Ibid.*

Verum, si mulier virum arguat de mendacio, et per inspectionem sui corporis se virginem esse demonstret, tunc posthabendum est juramentum viri, et fides adhibenda est mulieri : *Ibid.*, § 27.

Quoad inspectionem corporis mulieris notandum, quod matronæ sint bonæ opinionis, fide dignæ, et expertæ in opere nuptiali : *Ibid.*, § 28.

Hujus generis olim fuisse obstetrices colligitur ex jure civili et canonico : *Ibid.*

Si vitium mulier a natura contraxerit, tentanda est medicorum opera : *Rom., Matrim.*, 19 *aug.* 1786, § 3.

Invaluit proinde apud omnes juris interpretes distinctio, quod si aliquod in muliere adsit impedimentum, tunc utique cogenda ea sit, et medicorum operam experiri ; sin autem nullus in ea notari defectus queat, tum e converso ab hac sit necessitate eximenda : *Ibid.*

Fides adhibenda est testimonio septem mulierum, quæ per aspectum corporis mulieris esse virginem asseverant : *Ibid.*, § 4.

Et quoad impotentiæ probationem standum est etiam praxi Sac. Congreg. Concilii, quæ hujus generis probationi constantissime adhæsit : *Ibid.*

Tum auctoritate Sacræ Rotæ id ipsum sentientis : *Ibid.*

Denique uniformi, tum veterum, tum modernorum interpretum sensui : *Ibid.*

Sed ad incisionem præferendam a muliere oportet, ut nedum quodlibet absit periculum, sed manifesta quoque, et certa sit viri potentia, ne alias fœmina irreparabilem virginitatis jacturam inutiliter contra omnem æquitatem patiatur : *Ibid.*, § 5.

Ex intrinseca fœderis conjugalis natura est, ut disrumpi illud nequeat, quoties impedimentum præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo possit removeri : *Ibid.*, § 9.

Hinc in casu viri imbecillis, integræque e converso mulieris, mulier, potius quam matrimonium dissolvatur, incisionem pati tenetur : *Ibid.*

Si vero mulier nullo sit obnoxia vitio, et vir frigidus, minusque validus, et nullam de matrimonio moveat quæstionem, tamen cogi possit a viro medicas manus experiri, ut illi apta reddatur, et hoc jus soli viro datum est, cujus certa sit post peractam incisionem validitas : *Ibid.*

In dubio pro validitate matrimonii standum semper est : *Ibid.*, § 10.

Non desunt doctores, qui distinguunt in eam dubitationem, quæ oritur super idoneitate conjugis ad maritale opus, et alteram, quæ nascitur super extrinsecis matrimonii circumstantiis, puta intercedente consanguinitate, præsentia legitimi parochi, etc., et in hac secunda docent doctores in dubio pro matrimonio præsumendum esse, secus autem in prima : *Ibid.*

Tamen alii doctores de ea impotentia loquuntur, de qua ambigi contingat, an matrimonium præcesserit, vel subsequuta sit, cui consequens esset matrimonii disruptio si antecessisset, et ejusdem vicissim confirmatio, si eo constante supervenisset; in qua quæstione non usque adeo ampliandus videtur matrimonii favor, ut impotentiam hanc supervenisse censendum sit resistente alia lege, quod nunquam mutatio præsumatur : *Ibid.*

Triennalis ex cap. 5 *de Frig. et malef.* decernenda cohabitatio est, si reclamaverit mulier ultra unum vel alterum mensem, nec prius constare valeat de frigiditate viri : *Jan., Matr.*, 16 *april.* 1791, § 2.

In hoc namque casu superveniente præsumitur impotentia viri, ita ut manuteneri debeat in possessione continuandi habitationem per triennium : *Ibid.*

Statim vero ex cap. 1. eod. tit., solvendum matrimonium, si post duos menses de frigidi viri natura proclamaverit mulier, ac per rectum de ea constet judicium : *Ibid.*

Post duos menses deferendum est juramento viri : *Ibid.*, § 3.

Si prius vero probari valeat fridigitas, tunc ex ipso cap. 5, statim solvendum matrimonium, non expectato triennio : *Ibid.*, § 4.

Nec licite permitti valet triennale experimentum ; probanda tamen frigiditas incontinenti ; alias in quolibet dubio pronuntiandum in favorem matrimonii : *Ibid.*, § 5.

Statim ex visibili impedimento dissolvendum matrimonium : *Ibid.*

Invisibile vero impedimentum probatur per experimentum triennale, juramentum conjugum, septimamque propinquorum manum : *Ibid.*

Certa occultæ impotentiæ probatio desumi nequit ex fallaci exploratione virilium, multomi-

nus post biennium a contracto matrimonio : *Ibid.*, § 6.

Ex judicialibus peritis rectum concipitur impotentiæ judicium : *Ibid.*, § 8.

Maxime si ad excitanda virilia, medica et chirurgica adhibuerunt media ; eam tamen dubiam reddunt extrajudiciales peritiæ : *Ibid.*, § 6.

Etsi judiciales præferantur extrajudicialibus : *Ibid.*, § 11.

Et impotentiæ potius absolutæ reputantur syntomata flacciditatis penis, ejusque inanis tumor, aut momentanea etiam erectio : *Ibid.*, § 10.

Musculorum erectorum paralysis est insanabilis: *Ibid.*, § 9.

Immediata enim penis erectio ab his procedit musculis : *Ibid.*

Licet qui ea laborat, aliquod emittant semen corruptum, tenue, aquosum : *Ibid.*

Manifesta impotentiæ signa sunt flacciditas penis, ejus momentanea erectio : *Ibid.*

Signum etiam impotentiæ viri est virginitas mulieris : *Ibid.*, § 12.

Incerta secundum aliquos sunt virginitatis signa : *Ibid.*, § 7.

Et fallere possunt obstetrices : *Ibid.*

Et saniori vero anatomicorum schola sunt certa : *Ibid.*

Et præsertim membranula quæ vocatur *hymen* : *Ibid.*

Certius dignoscitur virginitas post balneum : *Ib.*

Eamque confirmant confessio viri, juramentum mulieris, et septima propinquorum manus : *Ibid.*

Rectum idcirco ex obstetricibus virginitatis judicium : *Ibid.*, § 12.

Licet causam non afferant scientiæ, et materialiter de illius signis deponant : *Ibid.*

Eoque contenti sunt sacri canones, ne in re pudore plena medici et chirurgi se immisceant : *Ibid.*

Certitudo moralis impotentiæ viri sufficit ad dissolvendum matrimonium : *Ibid.*, § 14.

Præsumitur virilis potentia, ex inverisimili patientia mulieris cum impotente per decennium : *Ancon., Matr.*, 19 *jan.* 1795, § 6.

Atrigidiores propterea post diuturnum hoc silentium exigit probationes : *Ibid.*

Et despiciendæ sunt uxoris querelæ, quia requiritur in hoc casu in cap. 1, *de Frig. et malefic.*, formale judicium : *Ibid.*

Cum septima propinquorum manu depositio obstetricum, aliorumque parentum, virginitatem mulieris, quæ consummationem excludit, probat : *Amer., Matr.*, 15 *jan.* 1793, § 5.

Post inutile veneris periculum per annos fere quatuor, supervacanea est ulterior cohabitatio : *Ibid.*, § 6.

Triennalis cohabitatio, ubi de absoluta et perpetua non constet impotentia viri, non item, si de ea conveniant periti, conjuges et propinqui, locum habet : *Ibid.*

Valde de impotentia viri dubitandum est ob non delatam illius querelam ad judicem post mensem, aut duos : *Ibid.*, § 7.

Et satis non sunt ad illam excludendam extrajudiciales querelæ, sed formale intra legitimum tempus requiritur judicium super impotentia viri : *Ibid.*

Parum deferendum est juramento conjugum, quum suspicione non caret ipsorum conventio pro dissolutione matrimonii : *Ibid.*

Maxime, si de sua vir juravit potentia in prima declaratione, quæ prævalet secundæ : *Ibid.*

Septem esse debent propinqui viri, qui juramentum præstare debent, totidemque ex parte mulieris : *Ibid.*, § 8.

Nihil valet cohabitatio quatriennis, si neque continua, neque officiosa fuit : *Ibid.*

Insuper si expleta absque decreto judicis a quo incipit triennalis a jure canonico præscripta : *Ibid.*

Evidens impotentiæ viri signum non exhibet virginitas mulieris : *Ibid.*

Impediri potest virilis potentia maleficio : *Ibid.*

Magna immo de ipsa virginitate est controversia ; alii enim negant illius signa : *Ibid.*, § 9.

Desumitur ex conformatione præsertim virilium : *Ibid.*

Ex inspectione accurata viri a quatuor physicis facta, ac mulieris a duobus obstetricibus, evincitur virum maritale opus nunquam implevisse : *Neapol., Matr.*, 28 *sept.* 1771, § 7.

Judicium obstetricum est modus probandæ virginitatis a sacris canonibus adinventum, et communi Ecclesiæ praxi ac disciplina confirmatum : *Ibid.*, § 9.

Et quidem recto jure, quia certa et indubia signa adsunt quibus virgo a corrupta distinguitur : *Ibid.*

Ea autem signa virginitatis semel viri congressu disrupta, nunquam ad primævum statum redigi, quantocumque temporis spatio mulier a viro se abstineat : *Ibid.*

Impotentia viri evidenter probata, locus esse dissolutioni conjugii, nullo præmisso triennali experimento, cui tantum locus est quando impotentia est dubia, non vero quando sit verisimiliter evidens ; *Jan. seu Alb., Null. matr.*, 16 *aug.* 1769, § 11.

Et si desit certa impotentia viri perpetua, sine qua dissolutioni matrimonii locus esse nequit, sed tantum triennali cohabitationi : *Ibid.*, § 5.

Paralysis perpetua atque insuperabilis producit impotentiam : *Spol., Diss. matr.*, 3 *julii* 1762.

Impotentia generandi a peritis enuntiata haud pertinet ad nullitatem matrimonii : *Ibid.*

Certa adsunt virginitatis signa in muliere : *Jan., Matr.*, 20 *julii* 1763, § 5.

Id tenent meliores anatomiæ scholæ : *Ibid.*

Mulier fidem in sua negativa jurata supra virum affirmantem meretur : *Ibid.*, § 6.

Præsertim accedente septima propinquorum manu, ex quibus concipitur judicium de perpetua frigiditate viri : *Ibid.*

In quo casu necessaria non est recognitio, sed satis est juramentum mulieris et propinquorum septimæ manus de matrimonio non consummato : *Ibid.*

Nunquam tamen per silentium mulieris præscribitur actio nullitatis matrimonii, ubi imputari nequit silentium illius malitiæ, et signa concurrant impotentiæ viri, licet verisimiliter evidentia : *Ibid.*, § 7.

Canonicæ triennali satis superque factum, et hæc expleta est, si in majori parte anni matrimonii consummatio tentata fuerit ; ducto scilicet initio non a decreto judicis, sed ab initio matrimonii : *Ibid.*

Testes rejiciendi sunt, qui inhabilem mulierem ad matrimonium asseruerunt, quum aliqui de auditu deposuerunt, aliqui nullam sibi vindicent fidem, vel quia affines, ac familiares, vel quia fassi sunt matrimonii dissolutionem summopere optare : *Theat., Matr.*, 23 *jan.* 1773, § 4.

Alii posthabendi sunt, si de mendacio convincuntur, quia mulier apta esse potest ad matrimonium, etiamsi consueta sexus incommoda non patiatur : *Ibid.*

Cum sufficiat ut membra ad generationem destinata sint rite constructa, partesque ordinatim dispositæ : *Ibid.*

Recognitio corporis mulieris per se sufficiens est ad asserendam ejusdem virginitatem : *Neap., Matr.*, 31 *mart.* 1770, § 5.

Virginitas convenire potest cum pubertate : *Theat., Matrim.*, 16 *mart.* 1771, § 13.

Et virginitatis probatio fallax magnopere est, incerta et inconcludens : *Ibid.*

Neque aliud ad conceptionem requiritur, nisi ut membra generationi destinata rite constructa sint atque disposita : *Ibid.*

Obstetricum judicium non attenditur, nisi de unione simul membranarum et cohæsione partium deponant : *Jan., Matr.*, 20 *junii* 1793, § 12.

Recognitio corporis mulieris non dicitur legalis, nisi usus balnei adhibeatur : *Plac., Null. matr.*, 17 *jan.* 1779, § 10.

Incerta est inspectio muliebrium per obstetrices facta : *Ancon , Matr.*, 19 *jan.* 1793, § 7.

Quia sæpe fallitur manus, et oculus obstetricum : *Ibid.*

Insuper possunt esse signa virginitatis, quæ ex constringenti inducti possunt medicamento : *Ibid.*

Et elusa remanet ars per adhibitum balneum : *Ibid.*

Atque potest fieri, ut remanentibus signis per obstetrices notatis, fuerit matrimonium consummatum : *Ibid.*

Ad cognoscendam mulieris virginitatem, satis sunt tres obstetrices, et septima manus, requisita in cap. *Laudabilem* 5, *de Frigid.*, suppletur oculari inspectione et aliis probationibus : *Cord., Disp.*, 20 *sept.* 1760, § 8.

Et præsumptio copulæ ex condonatione resultans eliditur per contrariam virginitatis probationem : *Ibid.*

Nec obstat tricenarium silentium, cum appareat mulierem esse incorruptam : *Ibid.*

Si experimentum de potentia viri peritorum votis non respondeat, ex aliis quam ab impotentia repeti possit, ac præsertim a pudore cuique a natura ingenito : *Luc., Matr.*, 4 *maii* 1771, § 14.

Multoque magis in viro nobili, pudico, et bene morato : *Ibid.*

Matrimonium fuisse consummatum, si affirmat mulier, maritus autem id negat, si probari potest per rectum judicium non fuisse consummatum, separari debent, et mulier cui vult nubere potest in Domino : *S. Sever., Matr.*, 14 *dec.* 1737, § 2.

Licet mulieri ad Episcopum vel alium ecclesiasticum judicium proclamanti adversus matrimonium, illudque invalidum asserenti ob naturalem et perpetuam viri impotentiam, fides non est adhibenda, sed credendum potius sit viro affirmanti matrimonium consummasse : *Ibid.*, § 3.

Procedit, si uxor diu distulit invaliditatem matrimonii ex capite impotentiæ perpetuæ in viro proponere : *Ibid.*

Secus vero, si maritum super matrimonii invaliditate ab initio et infra duos menses a die initi matrimonii provocavit : *Ibid.*

Matrimonium statim dissolvitur, quando viri impotentia est evidens, et manifesta : *Ibid.*, § 4.

Matrimonium itidem statim dissolvitur, si impotentiæ signa sint moraliter certa, accedat utriusque conjugis juramentum cum septima propinquorum aut vicinorum manu accedat, necnon concors peritorum judicium adstipuletur : *Ibid.*

Matrimonium nequit dissolvi statim, quando impotentiæ signa sunt incerta et dubia, aut periti sint inter se discordes, sed permittendum est triennalis cohabitationis experimentum : *Ibid.*, § 5.

Matrimonium perfectum, et secundum morem

Ecclesiæ completum, indissolubile suapte natura est; declaratur tamen ab initio non extitisse ex impedimento, quod adfuerit atque adsit ad illud consummandum, perpetuo tamen et insanabili, ob implicitum defectum consensus, sine quo matrimonium non fuit : *Albin.*, *Null. matr.*, 30 *jan.* 1768.

Atque hinc intelligitur, cur contrahens scienter cum impotente ad copulam ab eo non separetur : *Ibid.*

Quia nimirum tunc non deficit consensus ab initio, unde fit ut matrimonium cum senibus consistant : *Ibid.*

Reliqua. Vide § sequentem.

§ XLI.

Matrimonium quoad consummationem.

Ex sola cohabitatione et condormitione viri juvenis cum uxore juvene, quinque mensium spatio continuata, violentam resultare ac certam juris et de jure præsumptionem sequutæ consummationis : *Neap.*, *Matr.*, 31 *mart.* 1770, § 11.

Et adversus hanc præsumptionem non alias admittuntur probationes, nisi quæ plenissimæ sunt et concludentes, omnemque suspicionem removeant : *Ibid.*

Et contrariæ declarationes posteriores minimi faciendæ sunt, quia de jure prioribus magis deferendum est juratis depositionibus, quam posterioribus ex intervallo emissis : *Ibid.*

Inspectio corporis mulieris ab obstetricibus facta, quam fallax esse contenditur, non solum ex ipso jure canonico, verum etiam ex constanti plurium auctorum sententia, asserentium, vel nulla per se dari certa virginitatis signa, vel matrimonii consummationem perfici citra ullam virginitatis claustri læsionem posse : *Ibid.*, § 12.

Multo magis, quia recognitio corporis non prius, quam post novennium fuit expleta ; et hoc temporis spatio partes coalescere, glutinari, atque ad naturalem integritatem redire potuerunt : *Ibid.*

Infirmissimum quoque est argumentum depromptum ex inspectione corporis viri, cum periti dubitative tantum loquuti fuerint de illius impotentia, quæ referri potius debet ad ingenitum cuique a natura pudorem, præsertim viro nobili ingenium : *Ibid.*, § 13.

Deest juramentum septimæ manus propinquorum viciniorumque ex parte viri; quod tamen necessarium est, quando utrique conjuges matrimonii consummationem impugnant : *Ibid.*

Immerito corporis inspectio tanquam incerta et ambigua virginitatis probatio a nonnullis rejicitur, cum hujusmodi probatio a recentioribus anatomicis admittatur : *Com.*, *Matr.*, 17 *dec.* 1768, § 9.

Immo a sacris canonibus præcipiatur : *Ibid.*

Cohabitare in eadem domo per quatuor menses, et eodem in lecto cubare cum uxore, valida oritur juris et de jure præsumptio de sequuta matrimonii consummatione : *Ibid.*, § 10.

Immo non præsumptio tantum, sed plena probatio : *Ibid.*

Adversus quam non aliæ admitti debeant probationes, nisi quæ fuerint plenissimæ et concludentes : *Ibid.*

Non attenditur negativa mulieris assertio, quoties vir medio juramenti oppositum affirmet, tum quia potius viro affirmanti quam uxori neganti fides est adhibenda : *Ibid.*, § 12.

Tum quia in spatio quatuor mensium tacuit, nec nisi post biennium, et postquam ad monasterium traducta fuerat, suam virginitatem allegavit : *Ibid.*

Denique tum quia viro favet præsumptio juris et de jure : *Ibid.*

Licet non inficiatur quoad conjuges peritorum oculos et manus obstetricum sæpe decipi : *Neap.*, *Matr.*, 31 *martii* 1770, § 8.

Negatur tamen id accidere posse, quando omnes adhibitæ fuerint diligentiæ, omniaque experimenta, balnea præsertim aquæ calentis : *Ibid.*

Eo magis, quia juxta communem recentiorum physicorum opinionem, læso semel virginitatis claustro, nullo potest remedio aut arte sanari : *Ibid.*

Necesse non est, ut omnis certitudo physica deponatur, sed satis est, probabiliter tantum et rationaliter periti testentur : *Ibid.*

Nihil officit defectum juramenti septimæ manus propinquorum, quia hoc non est de judicii forma, sed suppleri potest ex testibus formaliter examinatis, et ab obstetricum et peritorum relatione : *Ibid.*, § 9.

Liberum est mulieri, non obstante quocumque temporis lapsu, viri impotentiam proponere, et matrimonii dissolutionem utiliter postulare : *Ibid.*, § 10.

Et si de non sequuta matrimonii consummatione, haud ita facile deferri soleat conjugum assertionibus, quoties utrique ad alias nuptias transire contendunt; nihilominus quando alter ex conjugibus perpetuam agere vitam in monasterio desiderat, ejus assertioni non immerito fides adhibetur : *Cam. seu Fabr.*, *Matr.*, 4 *jun.* 1768, § 22.

Cum præsumi nequit, ipsum dimittendo conjugem velle per falsitates et mendacia Deo se vovere : *ibid.*

Confessio viri regulare institutum amplecti volentis validam probationem facit de matrimonio non consummato, cum suspicandum haud sit quid

fraude vel collusione moliri ab eo qui perfectionem vitæ rationem instituere exoptat : *Neap., Matr.*, 28 *sept.* 1771, § 3.

Et unisona viri ac mulieris confessio juramento septimæ manus firmata, a sacris canonibus verum et rectum judicium appellatur : *Ibid.*, § 4.

Atque satis est, quælibet consummationis umbra excludatur, etiam ad effectum dissolutionis conjugii : *Ibid.*

Judicium peritorum ad probandam consummationem matrimonii pro veritate ipsa haberi semper consuetum est : *Ibid.*, § 6.

Cohabitatio et condormitio præsumptionem juris et de jure inducit de sequuta copula : *Neap., Matr.*, 11 *apr.* 1761, § 10.

At probationes uti non excludentes possibilitatem sequutæ copulæ, quæ præsumitur ex cohabitatione, ineptæ sunt : *Ibid.*

Præsertim ob omissum experimentum balnei calentis pro muliere : *Ibid.*

Matrimonium ex imperfecta copula carnali, consummatum non censetur : *Colon., Disp.*, 15 *maii* 1779, § 3.

Quumque ex hoc defectu oritur tantum impedimentum publicæ honestatis : *Ibid.*

Testificationes ad probandam matrimonii consummationem extrajudiciales nullius momenti sunt reputandæ : *Neap., Matr.*, 28 *sept.* 1771, § 10.

Etiam quia editæ sunt non citato nec interpellato defensore matrimonii, nec servatis aliis præscriptis in const. Bened. XIV : *Ibid.*

Deferendum est utriusque conjugis juramento cum septima manu propinquorum et vicinorum bonæ famæ : *Neap., Matr.*, 31 *mart.* 1770, § 15.

Inquirendum est quanti faciendum sit judicium obstetricum, quæ non raro fefellerunt, ut experientia duce refert : *Ibid.*, § 17.

Declaratio excludens consummationem posterior licet priori adversatur, tamen attendenda est, quia magis clara, perspicua, ac sincera detegitur, et veritati conformis deprehenditur : *Neap., Matr.*, 29 *aug.* 1772, § 3.

Reliqua. Vide § antecedentem.

§ XLII.

Matrimonium quando locus est experimento triennalis cohabitationis.

Sacri canones concedunt ad probandam impotentiam triennalem cohabitationem : *Luc., Matr.*, 4 *maii* 1771, § 16.

Et doctores sacros canones interpretantes arbitrati sunt, triennium a die decreti computandum, et hanc sententiam in consuetudinem transiisse : *Ibid.*, § 17.

Canonicum experimentum triennalis cohabitationis etiam in repudiis leges civiles requisiverunt, biennium primum, postea triennii tempus : *Valen., Null. matr.*, 24 *mart.* 1764, § 8.

Dum constat de evidenti ac aperta viri imbecillitate perpetua et insanabili, non est admittendum triennale experimentum, ut non legitimum ac fortasse illicitum : *Albin., Null. matrim.*, 30 *jan.* 1768, § 6.

Triennalis cohabitatio computari debet a die quo illa fuit a judice demandata : *Luc., Matr.*, 4 *maii* 1771, § 5.

Et hæc opinio doctorum procedit non in casu impotentiæ naturalis, sed impotentiæ ex maleficio provenientis : *Ibid.*

Separatio mulieris a viri thalamo repugnat formali cohabitationi triennali a sacris canonibus præscriptæ : *Ibid.* § 10.

Et si intermissio illius notabilis fuerit, subsequenti tempore suppleri debeat, donec triennium compleatur : *Ibid.*, § 11.

Ex sententia canonistarum triennium cohabitationis ob impotentiam quocumque ex capite dimanantem, incipere debet a die quo post judicis decretum cohabitatio fuit inchoata : *Ibid.*, § 12.

Et hæc sententia verior est, atque tutior : *Ibid.*

Atque illam Sac. Congreg. Concilii constanter retinuit, ac proinde in re tam gravis momenti ab ea non esse recedendum : *Ibid.*

Experimento cohabitationis triennalis locum non est quando querela nullitatis proposita fuit intra binestre : *Amalph., Matr.*, 2 *apr.* 1757, § 2.

Sed hæc querela non attenditur, dum vir asserit matrimonium consummasse et argumenta imbecillitatis atque inertiæ dubia esse : *Ibid.*

In quo casu locus est cohabitationi triennali : *Ibid.*

Reliqua. Vide §§ antecedentes.

§ XLIII.

Matrimonium quando ratum dissolvitur.

Nullum est dubium, ut matrimonium si duntaxat fuerit ratum et non consummatum, possit Summi Pontificis auctoritate dissolvi : *Jan., Disp.*, 15 *jan.* 1785, § 9.

Dissolutio autem non permittur, nisi justæ et rationabiles causæ concurrant ; et esse debent urgentissimæ : *Ibid.*

In causa dissolutionis matrimonii gravissimæ requiruntur concludentes probationes : *Ancon., Matr.*, 19 *jan.*, 1793, § 6.

Ad matrimonii dissolutionem procedendum non est, nisi probationes nullitatis perspicuæ sint, atque omni exceptione majores : *Milet., Null. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 10.

Absoluta impotentia dirimit matrimonium : *Camer., Matr.*, 22 *sept.* 1794, § 2.

Eam probare debet uxor agens pro dissolutione matrimonii : *Ibid.*, § 6.

Alias matrimonium non dissolvitur : *Ibid.*

Impotentiam viri absolutam probat virginitas mulieris post triennalem cohabitationem ; eoque magis post octonnem : *Ibid.*, § 2.

Et satis est hujusmodi probatio ad dissolvendum matrimonium, dubiaque etiam impotentia viri : *Ibid.*, § 3.

Ex receptiori autem physicorum sententia certa existunt virginitatis signa : *Ibid.*, § 4.

Licet ad cognoscendam impotentiam viri non requiratur de jure canonico inspectio ejus corporis, fit tamen ex antiqua praxi : *Ibid.*, § 4.

Aquosum semen viri cum virginitate mulieris excludunt consummationem matrimonii : *Ibid.*, § 4.

Inverisimile tamen est quod ferre voluerit mulier per plures annos virum impotentem : *Ibid.*, § 6.

Et sera impotentiæ querela suspecta est : *Ibid.*

Juramentum viri de consummatione matrimonii præfertur contrario juramento mulieris : *Ibid.*, § 7.

Vir habens mentulam brevem et subtilem consummare valet matrimonium absque magna muliebrium læsione : *Ibid.*, § 9.

Impotentia generalis non dirimit matrimonium : *Ibid.*

Recte matrimonium dissolvitur ob viri impotentiam : *Spol*, *Diss. matr.*, 27 *matr.* 1762, § 4.

Sed pro dissolvendo matrimonio probata dicenda est impotentia viri post triennalem inutilem cohabitationem, cum juramento manus propinquorum, utriusque conjugis, et formali recognitione mulieris, quæ, adhibita cautela balnei aquæ calentis, virgo reperta est : *Ibid.*

Et rite decernitur initium triennii a die tentatæ copulæ, quando res est de frigido, non autem de maleficiato : *Ibid.*

Sed cum vir fateatur habere erectionem, quæ ex dolore reprimitur, facile tolli potest impedimentum : *Ibid.*, § 3.

Et triennale experimentum non completum prodesse nequit, quia integrum requiritur : *Ibid.*

Ante hoc vim non habet recognitio mulieris, et juramentum septimæ manus, cum probata mulieris virginitas non concludit impotentiam viri ante triennale experimentum : *Ibid.*

Et triennium computari debet a die decreti : *Ibid.*

Et de jure cogendus est vir ad cohabitationem triennalem absolvendam : *Ibid.*

Impotentiaque viri non probatur per testes, aut peritos a judice non electos : *Ibid.*

Data viri impotentia naturali, absoluta, et perpetua, nullum est ab initio matrimonium ; hinc decernenda est dissolutio ejusdem : *Forol., Diss. matr.*, 8 *aug.* 1761, § 9.

Et idem quoque dicendum est de impotentia solum correspectiva : *Ibid.*

Atque quando dubia est impotentia, matrimonium dissolvendum est post triennalem cohabitationem, cum juramento septimæ manus ex parte utriusque conjugis de non sequuta consummatione : *Ibid.*

Nec tempus præfinitum est conjugibus ad reclamandum pro nullitate matrimonii ex capite impotentiæ : *Ibid.*

At diuturnum silentium suspectam reddit querelam nullitatis propositam post duorum et viginti annorum cohabitationem : *Ibid.*, § 10.

Et peritorum discrepantia dubiam reddit viri impotentiam : *Ibid.*

Nec triennale experimentum impletum dicitur per communionem conjugalis thori servatam paucis noctibus : *Ibid.*

Atque impotentia correspectiva ob aversionem vincibilis est, nec sufficit pro dissolvendo matrimonio : *Ibid.*

Et probatio non sequutæ consummationis certa non redditur ex discordi obstetricum relatione super mulieris virginitate : *Ibid.*

Neque ex juramento conjugum suspecto de conniventia, ob conventionem inter eos initam : *Ibid.*

Matrimonium statim dissolvitur, ubi rectum ex perspicuis probationibus proferri judicium de impotentia viri valeat : *Amer.*, *Matr.*, 15 *jun.* 1793, § 3.

Satis est impotentia, quæ ex interiori, aut invisibili procedit causa : *Ibid.*

Ejusque sufficiunt signa moraliter certa, quod concors nempe sit peritorum judicium de perpetua et insanabili frigiditate : *Ibid.*

Eaque juramento confirmata a conjugibus, et ipsorum propinquis, qui *septima* ex numero nuncupantur *manus* : *Ibid.*

Hujusmodi impotentiam tribuunt musculorum erectorum paralysi, quæ nulla omnino arte sanari valet : *Ibid.*

Etiamsi ex experimento dubitative inferri posset viri impotentia, non tamen sufficeret ad matrimonii dissolutionem, pro qua impotentia naturalis,

perpetua et insanabilis requiritur : *Luc., Matr., 4 maii* 1771, § 15.

Qua deficiente inevitabile est experimentum triennalis cohabitationis conjugali more protractæ : *Ibid.*

Infirmitas hominis evidens verisimiliter ex sententia Rotæ Romanæ satis superque est, ut ad dissolutionem nihil expectetur ultra, ac de ea proferatur judicium : *Rom. seu Reat., Null. matr., 1 febr.* 1766, § 5.

Si agatur de viro qui uxorem et prolem habuit, cujus proinde probatio certa est, subitam infirmitatem venisse, evidenter concludendum est : *Ibid.*

Fides conjugum affirmationibus non datur ulla, sive ob suspicionem quam intrinsece illi habent, sive ob peculiares causas quibus matrimonium dissolvendum conjuges exoptant : *Ibid.*, § 11.

Et primo, ut, si possibile sit, matrimonium perficiatur, Ecclesia exoptat, et conjuges monet ut Deum exorent : *Ibid.*, § 18.

Secundo, ut ea experimenta fiant, eæ diligentiæ, eæ inquisitiones, atque eæ probationes quærantur, quæ rem verisimiliter evidentem faciant : *Ibid.*, § 19.

Hinc unctiones ad emolliendum, ad aperiendum; hinc sectiones quandoque, hinc potiones, et fomenta ad reficiendas sive augendas vires : *Ibid.*

Hinc triennii habitatio, quam etiam civiles leges in repudiis demandaverunt : *Ibid.*

Hinc juratæ affirmationes conjugum, propinquorum, vel vicinorum : *Ibid.*

Et in quocumque casu certior debet esse judex, qui separat conjuges, de perpetuo inter eos per omnem vitam duraturo impedimento : *Ibid.*, § 21.

Immo, quod nulla ope artis, nullo adjumento, nulla occasione, nullaque etiam ætate, quæ omnia laxat, resolvitque, removeri possit : *Ibid.*

Ne alias jura sacramenti, semper mansura illæsa, post irreparabilium malorum seriem, redintegranda sint : *Ibid.*

Hinc summi theologi affirmarunt impotentiam respectivam non esse habendam pro legitimo impedimento; quibus tamen recentiores adversantur : *Ibid.*

Verum hoc impedimentum, licet dari possit in jure, vix tamen nunquam cum hisce conditionibus in facto datur : *Ibid.*

Matrimonium rite contractum, et per sententiam judicis, ex falsa causa impotentiæ naturalis alterius ex conjugibus dissolutum, reviviscit, et reintegrandum venit : *Mess., Matr., 24 jan.* 1778, § 8.

Ex antiquiori doctorum sententia assertum impedimentum ineptum dicitur ad illud dirimendum : *Ibid.*

Ex recentiori autem et communi recepta opinione, data impotentia naturali et perpetua, dissolvitur matrimonium : *Ibid.*, § 9.

Facit contra dissolutionem matrimonii cohabitatio duorum annorum, et dormitio in eodem lecto, de qua deposuit conjugis mater, cujus assertio maximi facienda est, non solum quia inducta fuit ab ipsismet conjugibus : *Milet., Null. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 11.

Sed etiam quia deposuit de re quæ domi suæ contigit, et de qua proinde omnimodam scientiam habere debuit : *Ibid.*

Nec præsumitur quod falsum testari voluerit contra filiam, cui in examine, quantum potuit, prodesse studuit : *Ibid.*

Juramentum septimæ propinquorum vicinorumque manus, una cum juramento conjugum, integram perfectamque probationem ad matrimonii rati dissolutionem constituit : *Neap., Matr.*, 31 *martii* 1770, § 7.

Dissolutionem matrimonii sera mulieris reclamatio, juxta cap. 1 *de Frig. et malef.*, impedit : *Anc., Matr.*, 19 *jan.* 1793, § 4.

Nisi tales concurrant probationes, ut rectum proferri judicium frigiditatis viri secundum, cap. 6 et 7, eod. tit., valeat : *Ibid.*

Idque plurimis confirmatur exemplis matrimonii post diuturnum tempus dissoluti : *Ibid.*, § 5.

§ XLIV.

Matrimonium quoad impedimentum ligaminis.

Matrimonium polygami contractum vivente prima uxore nullum est omni jure : *Theat., Matr.*, 27 *jun.* 1761, § 6.

Ac ex testibus ac publica fama identitas polygami satis probatur : *Ibid.*

Fas non est ad alteras transire nuptias, nisi certo accepto nuntio de prioris conjugis morte : *Papien., Matr.*, 12 *dec.* 1733, § 5.

Et sententia probabilior tantam requirit certitudinem de obitu prioris conjugis, ut prudentis viri judicio nullus moraliter relinquatur de ea dubitandi locus : *Ibid.*

Qualis speciatim debeat esse ea certitudo, et qualis illius assequendæ modus a singulorum casuum conditionibus et circumstantiis pendet, habita scilicet ratione, vel regionis admodum remotæ, vel diuturnæ absentiæ, vel belli, aut pestilentiæ grassantis in ea provincia in qua conjux degebat, vel etiam ejus provectæ ætatis, aut ægræ valetudinis : *Ibid.*

Matrimonium contractum ab eo qui, non expectato certo nuntio de morte conjugis, cum alia se-

cundas nuptias contrahit, dum vere uxor obierit tempore quo secundum matrimonium initum fuit, est validum, licet illicitum : *Smir.*, *Matr.*, 9 *sept.* 1752.

Et ratio est, quia consensus non in ea solum qui moraliter certus est, sed etiam in eo qui de sua libertate dubius est, si contrahit servata forma Tridentina, satis est ut valide contrahat, licet matrimonium sit illicitum : *Ibid.*

De morte conjugis quando probatio integra et plena haberi nequit, satis est per conjecturas ; extra tamen hunc casum integra et plena probatio desideratur : *Pap.*, *Matr.*, 27 *febr.* 1734, § 5.

Moraliter quoque certa efficitur mors conjugis, ubi ad unius fide digni hominis testimonium accedent conjecturæ, verisimilem reddentes obitum : *Ibid.*, § 6.

Satis docetur de obitu prioris conjugis, vel ex libro parochi, vel ex libro præfecti nosocomii, vel etiam ex libro alterius officialis, ad quem spectet mortuorum nomina describere ; item fides adhibetur duci exercitus asserenti militem e vivis excessisse : *Pap.*, *Matr.*, 12 *dec.* 1733, § 5.

Qui propinquam sanguinis uxorem ducunt, et separantur, non licebit eis, quandiu utrique vivunt, alias uxores sibi in conjugio sociare, nisi ignorantia excusetur : *Luceor.*, *Null. matr.*, 7 *sept.* 1720, § 9.

Juxta stylum Datariæ, in dispensationibus matrimonialibus quæ expediuntur pro incestuosis consanguineis, apponitur semper clausulam quod alter alteri supervivens perpetuo absque spe conjugii remaneant : *Ibid.*

§ XLV.

Matrimonium quoad impedimentum publicæ honestatis.

Papinianus, leg. *Uxorem*, 15, ff. *de Ritu nupt.*, et doctores docent, quod uxor quondam privigni matrimonio vitrico propter impedimentum publicæ honestatis, et naturalem pudorem inter eos, qui parentis et filii loco fuerunt, intercedentem, conjungi non debeat : *Adnot.*, 8 *mart.* 1721, §§ 1, 2, 3 et 4.

Impedimentum autem hoc in secundo et tertio affinitatis genere sustulit concilium Lateranense : *Ibid.*, §§ 5, 6, 7, 8 et 9.

Impedimentum publicæ honestatis locum sibi in jure antiquo vindicabant in sponsalibus de futuro puris et certis, sed invalidis, præterquam ex defectu consensus : *Dub. matr.*, 21 *nov.* 1722, § 2.

Alii contrarium docent, et notant de jure antiquiori non adfuisse impedimentum : *Ibid.*

Inspecto autem jure medio juxta nempe Bonifacii VIII decretum ex sponsalibus puris et certis, quavis ratione nulla sint, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum et dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis : *Ibid.*

Bonifacii decreto derogavit Concilium Tridentinum, sess. 24, *de Reform.*, cap. 3, quod justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quæcumque ratione valida non erunt, sustulit ; ubi autem valida fuerunt, primum gradum non excedere jussit : *Ibid.*

Et hoc impedimentum restrictum ad primum gradum durat, etiamsi sponsalia mutuo deinde consensu dissolventur, dummodo a principio valida fuerunt : *Ibid.*

Præfatus sacri Concilii Tridentini textus excludens impedimentum justitiæ publicæ honestatis a sponsalibus nullis, et illud restringens ad primum gradum in sponsalibus validis, non habet locum in matrimonio de præsenti contracto rato et non consummato : *Ibid.*, § 4.

Ex matrimonio rato et non consummato oritur impedimentum publicæ honestatis, non autem affinitatis : *Ibid.*, § 4.

Impedimentum hoc extenditur ad quartum gradum in matrimonio rato et non consummato : *Ibid.*, § 5.

Nonnulli asserunt impedimentum publicæ honestatis oriens ex matrimonio rato et non consummato, sed invalido, dummodo invaliditas non proveniat ex defectu consensus, esse restrictum ad primum gradum : *Ibid.*, § 6.

Alii e contra sentiunt quod impedimentum publicæ honestatis procedens ex matrimonio rato et non consummato, licet invalido, præterquam ex defectu consensus, extenditur usque ad quartum gradum : *Ibid.*

Nonnulli pariter tenent, ex matrimonio rato et non consummato, sed contracto sine præsentia parochi et testium, impedimentum oriri publicæ honestatis : *Ibid.*, § 7.

Et alii e contra censent dictum oriri impedimentum, et extendi usque ad primum gradum, si admittatur matrimonium contractum absque præsentia parochi et testium valere in vim sponsalium : *Ibid.*

Verior tamen et communior opinio est, quod ex matrimonio rato, et non consummato, licet contracto sine parocho et testibus proveniat impedimentum publicæ honestatis, quia, licet illud nullum sit, non est tamen nullum ex defectu consensus : *Ibid.*

Ex matrimonio, licet nullum ex defectu consensus, sed per aliquod tamen temporis spatium fuerit saltem in implicito statu validitatis in foro exteriori, videtur oriri impedimentum publicæ honestatis : *Cenet.*, 10 *april.* 1723, § uti.

Contrarium tamen apparet quum ex matrimonio nullo ex defectu consensus non indicatur hujusmodi impedimentum, non obstante quod matrimonium fuerit habitum pro valido per aliquod temporis spatium in foro exteriori : *Ibid.*

Multo vero magis, quando matrimonium fuit nullum declaratum propter vim et metum, quum cessare videatur indecentia ex qua ortum ducit impedimentum publicæ honestatis : *Ibid.*

Impedimentum publicæ honestatis definiri solet: Propinquitas jure ecclesiastico oriens ex sponsalibus aut ex matrimonio rato : *Mend., Disp.*, 3 *aug.* 1771, § 7.

Olim disputatum fuit, an ex matrimonio rato per verba de præsenti, sed non consummato, oriatur impedimentum justitiæ *publicæ honestatis*, vel potius *affinitatis* : *Ibid.*

Tamen primo dictum impedimentum consurgere duntaxat constat ex declarationibus Sac. Congreg. Concilii : *Ibid.*

Hujusmodi impedimentum justitiæ publicæ honestatis latius protenditur, quando provenit ex matrimonio rato et non consummato, quam si ex sponsalibus tantum oriatur, quæ si valida sint, tunc primum gradum non excedit : *Ibid.*

Sed quando oritur ex matrimonio rato, sive hoc validum sit, sive non (dummodo tamen non fuerit nullum ex defectu consensus), ad quartum usque gradum inclusive protrahitur : *Ibid.*

Maximum in veteri mosaica lege erat discrimen inter casum quo frater cum filiis, et casum quo sine filiis decessisset : *Acher., Disp.*, 10 *jan.* 1770, § 12.

Et reprobata erant omnino conjugia cum uxore defuncti fratris qui relictis filiis obiisset ; e converso autem, si nulla relicta prole interiisset, permissa erant, immo demandata hujusmodi connubia, ad suscitandum demortui fratris semen : *Ibid.*

In nova lege tolerantur hæc matrimonia, et prævia Apostolica dispensatione permittuntur in neophytis, si tamen fratres sine prole decessissent : *Ibid.*

Publica honestas est propinquitas jure ecclesiastico oriens ex sponsalibus, ut ex matrimonio rato : *Const., Disp.*, 23 *april.* 1768, § 13.

Hujusmodi impedimentum ad eosdem olim gradus extendebatur, ad quos impedimenta consanguinitatis et affinitatis : *Ibid.*

Immo locum habebat, etiamsi sponsalia, quavis ex causa, non tamen ex defectu consensus, fuissent invalida : *Ibid.*

Sed Synodus Tridentina, sess. 24, cap. *de Reform. Matr.*, justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, prorsus tollit : *Ibid.*

Et ubi valida fuerint, primum gradum non excedat : *Ibid.*

Dictum decretum S. Pius V. declaravit esse intelligendum, et procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat: *Ibid.*

Insurgit affinitas ex coitu interdum cum publica honestate, et interdum sine, et publica honestas interdum sine affinitate : ut si cognosco uxorem, vel sponsam, hic impedimentum est publicæ honestatis et affinitatis ; si cognosco non sponsam, hic affinitas sola est; si sponsam nondum cognovi, ibi sola publica honestas : *Urit., Disp.*, 7 *jan.* 1777, § 12.

Doctores plures cum D. Thoma aiunt non aliter, nisi arctius vinculum publicæ honestatis oriri ex matrimonio rato, quam ex sponsalibus, et initium quoddam affinitatis, non tamen vere affinitatem : *Ibid.*, § 13.

S. Pius V in const. *Ad Romanum* declarat quod ex matrimonio rato non consummato minime oriatur affinitas, sed justitia publicæ honestatis dirimens matrimonium : *Ibid.*

Hinc non accedente licita, vel illicita copula, vinculum impeditivum matrimonii, sicut et in sponsalibus de futuro, primum gradum non egreditur : *Ibid.*

Matrimonium cum impedimento publicæ honestatis initum dirimitur : *Gnes., Matr.*, 17 *dec.* 1735, § 1.

Nedum ex sponsalibus, sed ex matrimonio etiam rato et non consummato impedimentum oritur publicæ honestatis : *Visen., Disp.*, 24 *nov.* 1787, § 6.

Ex matrimonio non consummato adest impedimentum publicæ honestatis, non autem affinitatis, quæ non nisi quam ex matrimonii consummatione contrahitur : *Acher., Disp.*, 8 *jun.* 1771, § 3.

Nec nisi improprie latoque modo vocari impedimentum affinitatis, quod ex matrimonio tantum rato oritur : *Ibid.*

Et hæc fuit sententia Sac. Congreg. Concilii : *Ibid.*

Impedimentum publicæ honestatis non obest matrimonio, quoties pro dispensatione Apostolica legitimæ et rationabiles causæ concurrunt : *Anicien., Disp. matr.*, 8 *jul.* 1769, § 3.

Dissolutis sponsalibus sive communi consensu,

sive obitu alterius ex sponsis, aut ex quacumque alia causa, publicæ honestatis impedimentum inde ortum non cessat, sed perpetuo durat : *Gnes., Matr.*, 17 *dec.* 1735, § 4.

Publicæ honestatis impedimentum ortum ex matrimonio tantum rato, inter impedimenta minime recensetur levioribusque ex causis facilius dissolvitur : *Const., Disp.*, 23 *april.* 1768, § 4.

§ XLVI.

Matrimonium quoad impedimentum raptus.

Raptus, juxta Tridentinum, est violenta abductio fœminæ de loco in locum, matrimonii contrahendi causa : *Præmis., Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 8.

Violenta abductio dicitur de essentia raptus : *Ibid.*

Fit per physicam manuum injectionem, etiam per moralem ob minas, gravemque metum puellæ illatum : *Ibid.*

Hisce cessantibus, vel ea assentiente, raptus non admittitur : *Ibid.*

Sed admisso raptu, matrimonium inter raptorem et raptam non sustinetur; magis, quando rapta in potestate raptoris manet : *Ibid.*, § 7.

Raptus formalis adest non solum, quando invita rapitur puella, sed etiam quando illa in raptum consentit, insciis tamen et invitis parentibus, vel tutoribus : *Olomuc., Matr.*, 14 *maii* 1772, § 4.

In hanc sententiam, si unus aut alter excipiatur, omnes conveniunt doctores, et consonum est jus canonicum, atque etiam jus civile : *Ibid.*

Insuper semel et iterum hanc sententiam probavit Sacr. Congreg. Concilii, nec dissimilis fuit Sacræ Rotæ Romanæ opinio : *Ibid.*

Et ab hac generali regula tunc solum receditur, quando puella post desponsationem in raptum consenserit : *Ibid.*

Atque Concilium Tridentinum voluit, ut raptus nova forma expiari deberet, priusquam rapta puella matrimonium contraheret : *Ibid.*, § 5.

Et postquam puella post raptum, matrimonium contraheret, servari debeat forma a Concilio præscripta, scilicet ut in tuto loco et libero constituatur : *Ibid.*

Ad excludendum raptum formalem requiruntur duo copulative, nimirum libertas consensus in actu raptus, et præcedentia sponsalia solemnia atque perfecta : *Ibid.*, § 6.

Hujusmodi probationes debent esse perspicuæ et invincibiles : *Ibid.*

Et nihili faciendæ sunt probationes desumptæ ex confessione puellæ in raptoris potestate adhuc existentis : *Ibid.*

Raptum formalem et violentum ea juris præsumptione desumitur, quando puella est in ætate tenera annorum 14, plenoque rationis usu destituta : *Ibid.*, § 7.

Ut voluntas puellæ raptæ exploretur, necessarium est ut ea omnimodæ libertati plenæque securitati restituatur : *Ibid.*, § 11.

Raptus jure Cæsareo perpetuum fuit matrimonii impedimentum : *Ibid.*, § 17.

Impedimentum in duobus casibus est, quando scilicet defecisset consensus raptæ in matrimonium cum raptore, vel quando rapta sponsalia cum altera persona per verba de præsenti antea iniisset : *Ibid.*

Ceterum antiquo jure vetitum in perpetuum nequaquam fuit raptoris cum rapta matrimonium constare : *Ibid.*

Tridentinum Concilium, non immutata disciplina sacrorum canonum, constituit modum magis accuratum explorandi consensum raptæ, ut matrimonium cum raptore posset contrahere : *Ibid.*, § 18.

Hinc definivit ut rapta, a raptore sejuncta, in loco tuto et libero collocaretur : *Ibid.*

Et Concilium Tridentinum sub juris dispositione reliquit interpretationem nominis raptoris, et raptæ, non tamen ad omnem et solam juris communis dispositionem : *Ibid.*, § 19.

Ex Tridentini mente, non sequitur, ut stuprum dirimeret matrimonium, licet stuprum dicatur raptus : *Ibid.*

Violenta meretricis abductio in jure civili non reputatur raptus : *Ibid.*

Et tamen jure canonico est raptus, et parit impedimentum : *Ibid.*

Prout etiam raptus viri factus a muliere sub juris dispositione comprehenditur : *Ibid.*

Sed ex jure canonico matrimonium non dirimit : *Ibid.*

Et non alia fuit Concilii mens, quam consulendi libertati mulieris raptæ, ut in matrimonium cum raptore libere posset consentire, nulla prorsus habita de consensu parentum vel tutorum ratione : *Ibid*

Nec aliud evincitur a decretis a Sacr. Congreg. Concilii : *Ibid.*, § 20.

Et clausulas decreto adjectas, *dum tamen sit raptus juxta terminos juris communis*, referendas esse ad consensum quem mulier rapta non sponte, sed falsis suasionibus, ac malitiose seducta, præstiterit, Sacra Rota Romana intellexit : *Ibid.*

Tria ad constituendum raptum formale requiruntur, ex communi sententia : 1° quod sit abductio; deinde 2°, quod ea directa sit ad matrimonium,

et 3° quod sit violenta, vel physice per violentam manuum injectionem, vel moraliter per minas, et gravem metum : *Ibid.*, § 28.

Nonnulli addunt importunas etiam suasiones, dona, aut alias amatorias artes : *Ibid.*

De raptu quoad matrimonium, alia in jure civili, alia in jure canonico constituta inveniuntur : *Ibid.*, § 29.

Jure civili consistere non poterat matrimonium raptorem inter et raptam, etiamsi parentum vel utriusque partis consensus accederet : *Ibid.*

Idque apud alias quoque gentes fuit observatum : *Ibid.*

In jure canonico nonnulli sentiunt, quod ex antiqua sacrorum canonum præscriptione, raptus fuit saltem in aliquibus Ecclesiis impedimentum perpetuo dirimens matrimonium inter raptorem et raptam : *Ibid.*

Sed certum : apud omnes a sæculo XI ratum fuit habitum matrimonium raptoris cum rapta, dummodo istius consensus accederet : *Ibid.*

Et id innititur decretis S. Congr. Concilii : *Ibid.*, § 31.

Alii censent, ex jure novissimo Concilii Tridentini, nil aliud de sacrorum canonum benignitate fuisse innovatum, quam modum et formam legitime explorandi raptæ consensum, priusquam cum raptore matrimonium contrahere possit : *Ibid.*, § 32.

Quum raptus in quibusdam ecclesiis olim fuisset impedimentum, quod perpetuo raptorem inter et raptam matrimonium dirimebat, adeo ut nec per spontaneum mulieris raptæ consensum revalidari posset, etiamsi in loco tuto vel extra raptoris potestatem præstitus fuisset : *Olom.*, *Null. matrim.*, 29 *jul.* 1769, § 25.

Id desumitur ex canone veteri relato a Gratiano, quod illi qui fœminas rapiant, nullatenus eas habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut dotaverint, vel nuptialia cum consensu parentum acceperint : *Ibid.*, § 26.

Postmodum veteri moderato vigore validum haberi cœpit matrimonium raptorem inter et raptum, dummodo spontaneus istius consensus superaccessisset : *Ibid.*, § 27.

Et Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 6 *de Refor. matr.*, voluit ut quamdiu in potestate raptoris est, nullum possit consistere matrimonium; permittit, si rapta est in loco tuto et libero constituta : *Ibid.*, § 28.

Declarationes mulieris raptæ contrariæ irritæ censeri debent, si sint obsignatæ, dum mulier adhuc in raptoris potestate manebat : *Ibid.*, § 8.

Maxime quia non desunt posteriores mulieris declarationes editæ in statu libertatis, quæ his adversantur, et quibus tantummodo fides est adhibenda : *Ibid.*

Item attendendi non sunt testes, raptum excludentes, quando omnes loquuti sunt ex ore et de auditu ab ipsamet muliere, quæ adhuc sub arctissima raptoris custodia manebat : *Ibid.*, § 9.

Essentia raptus est, ut vis in invitam et renuentem illata fuerit : *Ibid.*, § 16.

A theologis et canonistis excitatæ sunt controversiæ circa raptus essentiam et naturam, utrum scilicet raptus dici debeat, quando puella lubens et volens abducta fuerit, invitis tamen et reclamantibus parentibus, tutoribus, aut curatoribus, aliisque sub quorum cura et potestate vel educatione permanserit : *Ibid.*, § 29.

Affirmant magni nominis doctores, et innituntur canone concilii I Aurelianensis, ex quo resultat quod quandoque infertur patri violentia, et non virgini : *Ibid.*, § 30.

Alii doctores sentiunt, ad concludendum raptum dirimentem matrimonium, satis esse ut absit violentia fœminæ illata, proindeque tuentur, quod si puella consenserit ut abducatur, non inducitur impedimentum, quamvis parentes seu tutores reclamaverint : *Ibid.*

Et rationem adducunt, quod Concilium Tridentinum præcavere voluerit, ne matrimonii lædatur libertas, quæ utique non læditur, quum puella consentiens, invitis etiam parentibus, abducitur : *Ibid.*

Insuper asserunt, matrimonii libertatem pendere solum a consensù puellæ nubere volentis, non autem a voluntate parentum, quibus etiam renuentibus matrimonium valide contrahi potest, ut Concilium declaravit cap. 1 : *Ibid.*

Item dicunt, nequaquam decrevisse Concilium ut puella rapta parentibus, tutoribus, aut educatoribus restituatur, sed solum quod sit a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta : *Ibid.*

Verum omnes canonistæ et theologi conveniunt in eo quod, si post initum de matrimonio tractatum, vel post sponsalia jam contracta, puella consentiat, ut e domo patris, aut tutoris, inviti et contradicentis abducatur, tunc cesset raptus matrimonium dirimens : *Ibid.*, § 33.

Et tunc dicitur puella in potestate raptoris, quando raptæ aditus non conceditur libere, de aliqua re disponere, nec suam liberam voluntatem coram aliquo deducere : *Ibid.*, § 34.

Raptus suspicio oritur solum, quando puella sub parentum custodia constituta, ex eorum domo ipsis invitis abducitur : *Gerun. seu Vic.*, *Null. matr.*, 4 *aug.* 1760, § 7.

Et excluditur præsertim, quando puellam ab-

duxit avia illius paterna, cui potiori jure debita erat neptis educatio : *Ibid.*

§ XLVII.

Matrimonium quoad impedimentum vis et metus.

Matrimonium, accedente qualitate stupri contractum, nullum dici non potest, licet fuisset meticulose contractum : *Hydrunt., Matr.*, 25 *aug.* 1721, § 5; *Albing., Matr.*, 28 *jul.* 1724, § 7.

Metus non cadens in constantem virum, et metus ulterius, qui justus est, matrimonium non inficit : *Cæsen.*, 10 *april.* 1723, § 6.

Ad matrimonii revalidationem sufficit signum consensus ab eo præstiti qui metum passus est, nec oportet ut ex parte alterius detur de novo consensus, dummodo prior non fuerit retractatus : *Ibid.*, § 7.

Matrimonium contractum propter metum a consanguineis stupratæ incussum stupratori, quum fuerit justus, sed juste non fuerit incussus, est nullum, si metus tempore initi matrimonii erat publicus : *Ibid.*, § 8.

Nec ad adstruendum matrimonium oportet ut metus fuerit incussus ad illud contrahendum cum determinata persona; sed satis est ut per illum contrahens fuerit adactus ad ineundum absolute et simpliciter matrimonium, relicta ineundi libertate cum indeterminata persona : *Mutin., Matr.*, 9 *junii* 1725, § 2.

In praxi, et in foro fori, matrimonia contracta ab eo qui a consanguineis mulieris deprehensus se eam obtulit in uxorem ducturum, ut minas mortis evaderet, sibi illatas ad præcisum finem ut matrimonium contraheretur, et ad effectum ulciscendi injuriam, nullitatis vitio laborant, statim ac constat fuisse contracta ob metum ab armatis illatum, et eo fortius post mortalia vulnera inflicta : *Vigil., Matr.*, 23 *jun.* 1725, § 12.

Matrimonium contractum metu in quem quis culpa sua incidit, est nullum, quia matrimonium contrahitur libero consensu, et ubi intervenit metus, tollitur qualitas libertatis : *Cord.*, 27 *aug.* 1726, § ult.

Ubi vero etiam matrimonium sit ab initio initum per vim, metumque, potest tamen per ejus consummationem, vel per diuturnam cohabitationem, censeri spente ratihabitum, et confirmatum : *Eystett., Matr.*, 17 *nov.* 1731, § 9.

Quoad quæstionem, an quum vir cum muliere per annum convixerit, alterumque filium procreaverit, inde oriatur libera approbatio et confirmatio matrimonii, tametsi per vim metumque contractum initio fuisset : *Ead.*, 9 *febr.* 1732, § 10.

Licet matrimonium coacte initum, adeoque invalidum, deinde per ejus consummationem convalescat, et confirmetur; nihilominus si vere non ea affectione conjugali, quam Ecclesia præsumit ad evitandam præsumptionem peccati, sed vi metuque, vel vitioso tantum affectu, fuerit consummatum, nullum inde robur acquirit : *Ibid.*, § 19.

Si coacta per gravem metum fuerit voluntas, est certum matrimonium non subsistere : *Crem., Matr.*, 22 *mart.* 1732, § 6.

Si vero consensus non fuerit per minas vel dolum extortus, sed per idoneas rationes ac suasiones impetratus ab eo qui prius repugnaverit, sed sciens ac prudens postea voluntatem mutavit, id valori matrimonii non officit : *Ibid.*, § 7.

Etiamsi aliquanto quis fuerit invitus, et gravem liberi sui arbitrii læsionem passus fuerit, contingere tamen potest ut postea, cessante omnino vi metuque, libere nihilominus assentiatur matrimonio, quod proinde ratum firmumque manet : *Ibid.*, § 8.

Matrimonium et sponsalia vi et metu contracta sunt nulla et irrita : *Luceor., Matr.*, 21 *nov.* 1777, § 6.

Connubium nullum est, quod vi metuque est initum : *Ibid.*

Verbera si accesserint, ut matrimonium iniatur, vel atroces minæ, quæ exequi possint ab eo qui potestatem habet exequendi, nullum ac irritum matrimonium, et sponsalia efficiunt : *Ibid.*

Matrimonium metu contractum est nullum : *Lun. Sarz.*, 27 *sept.* 1796, § 11.

Et quidquid agitur durante causa metus, non purgat illius nullitatem : *Ibid.*

Ad nullitatem vero matrimonii requiritur continua metus causa ad momentum ejus celebrationis, seu etiam ratihabitionis et consummationis : *Ibid.*, § 12.

Neque aliter vis et metus inducunt nullitatem, quam si vitiari non potuerint illorum consequentiæ : *Ibid.*, § 13.

Et in dubio pronuntiandum est pro validitate : *Ibid.*

Ad irritandum matrimonium requiritur gravis metus in constantem virum cadens : *Gnes., Null. matr.*, 15 *jan.* 1791, § 3.

Facile tamen, ob imbecillitatem sexus, metum concepit puella : *Ibid.*

Facilius admittunt judices, a quorum arbitrio pendet de illo decernere : *Ibid.*

Et sunt qui gravem etiam reputant metum, nedum a matre, sed a tertio etiam incussum, ubi graves præcesserint minæ : *Ibid.*

Et præcedens metus et coactio liberum excludunt consensum, et matrimonium irritant : *Ibid.*

Auctoritate Sacræ Rotæ nequit metum cadentem in virum constantem incuti a fœmina : *Ibid.*, § 4.

Per trimestrem cohabitationem et conjugalem consuetudinem, matrimonium metu contractum convalescit : *Ibid.*

Si qui vi et metu adacti matrimonium contrahant, illius vinculo non obstringuntur : *Gnes., Matr.*, 17 *dec.* 1735, § 1.

Matrimonium, per vim contractum, cohabitatione convalescit : *Panorm., Null. matr.*, 30 *sept.* 1719, § 4.

Ad judicis vero officium pertinet ponderare circumstantias suadentes an ex cohabitatione purgatus fuerit metus : *Ibid.*

Per vim et metum contractum non convalidatur, nisi iterum contrahatur, adhibita forma Concilii coram nempe parocho et duobus testibus, licet intercesserit cohabitatio una cum copula : *Ibid.*, § 5.

Ad invalidandum matrimonium metus debet ex testibus fide dignis concludenter probari : *Tran., Matr.*, 6 *dec.* 1738, § 5.

Testes de metu deponentes nihil relevant, quia non deponunt de metu gravi cadente in constantem virum, et continuato usque ad celebrationem matrimonii : *Theat., Null. matr.*, 4 *junii* 1763, § 10.

Violentiæ et minæ ex sua indole, inspecta potissimum qualitate ipsius puellæ adhuc in ætate tenera degentis, et eorum qui controversum matrimonium sub eisdem minis extorquere nitebantur, idoneæ sunt ad talem metum eidem puellæ incutiendum, ut invita exoptato matrimonio consensum præberet : *Crem., Matr.*, 22 *sept.* 1736, § 5.

Matrimonium nusquam irritant suasiones et preces, nisi in apertissimam violentiam redoleant : *Præs., Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 10.

Matrimonium quod ratione præcedentis metus, si iste ad tempus illius celebrationis perdurasset, irritum fuisset, eo postmodum cessante, validum firmumque mansit : *Crem., Matr.*, 22 *sept.* 1736, § 8.

Licet matrimonium contractum ex vi et metu sit irritum, validum tamen est, si ex vi et metu juste illato contrahatur : *Crot., Matr.*, 18 *jun.* 1735, § 6.

Licet matrimonium vi et metu initum olim censeretur per subsequentem copulam vel diuturnam cohabitationem approbari, ita ut ex subsecuta hac approbatione convalidaretur, attamen ex recenti lege a sacro Tridentino indicta, ut matrimonium vi metuque contractum validum fiat, non sufficit subsequens illius approbatio, sed necesse est ut coram parocho et testibus iterum celebretur : *Gnesn., Matr.*, 17 *dec.* 1735, § 4.

§ XLVIII.

Matrimonium quoad impedimentum voti et ordinis.

Mortuo viro, mulier quæ dederat consensum ut ille ad sacros ordines promoveretur, licet votum simplex castitatis emiserit, utpote non suspecta de incontinentia, vel in juvenili ætate non constituta, non potest cum ullo alio matrimonium contrahere, et hoc non ratione voti, sed ex constitutione Ecclesiæ, quæ propter reverentiam ordinis sacri constituit impedimentum : *Eystet.*, 28 *jul.* 1724, § 9.

Non vota simplicia, sed votum solemne in religione approbata emissum, contrahendum impedit matrimonium, et contractum dirimit : *Canar.*, 26 *mart.* 1718, § 6.

Excipiuntur vota simplicia, quæ post biennium tirocinii in Societate Jesu emittuntur, quorum vigore matrimonium contractum impeditur : *Ibid.*

Matrimonium ratum et non consummatum per ingressum in religionem, secuta professione, dissolvitur : *Tudert.*, 22 *april.* 1719, § 3.

Quando autem sponsalia sunt jurata, sponsa tenetur prius contrahere matrimonium antequam in religionem ingrediatur : *Ibid.*, § 4.

Matrix Ecclesia. Vide *Ecclesia matrix.*

Media annata, cui et a quo debetur.

Omnes provisi de beneficiis, sive residentialibus, sive non, debent vigore constitutionis Benedicti XIII mediam annatam pro fabrica ecclesiæ cathedralis : *Firm.*, 8 *aug.* 1767, § 11.

Excipiuntur tamen illa beneficia diœcesum vel collegiatarum in quibus reperitur patrimonium peculiare fabricæ, vel onus reparandi communitatibus locorum incumbit, vel adsunt ecclesiarum patroni : *Ibid.*, § 12.

Idem Benedictus XIII sua constitutione egit de præstatione dimidiorum fructuum erga ecclesiam Beneventanam : *Ibid.*, § 13.

Qua in constitutione innovavit, et confirmavit constitutionem Pii II reservando mediam annatam in favorem fabricæ ecclesiæ Beneventanæ : *Ibid.*

Quam const. Pii II confirmavit etiam concilium Romanum anni 1725 : *Ibid.*, § 14.

Locus est solutioni mediæ annatæ ex clara dispositione constitutionis Benedicti XIII incipien. *Pius et misericors* : *Reat., Med. ann.*, 12 *maii* 1770, § 2.

Nec obstare potest contraria consuetudo illam non solvendi, etiamsi centenaria foret : *Ibid.*

Tum quia constitutio est munita clausula, *sublata*, et decreto irritanti : *Ibid.*

Tum maxime, si post dictam constitutionem exacta fuit, qua exactione possessio juris exigendi quæsita est, et in ea manutenendum est, etiamsi postea exactionem intermiserit : *Ibid.*

Nam statutum est in concilio Romano, medios fructus primi anni ex beneficiis ecclesiasticis etiam jurispatronatus laicalis percipiendos in ecclesiarum cathedralium et collegiatarum reparationem et ornatum, debere persolvi : *Æsin.*, *Med. ann.*, 1 *jul.* 1741, § 2; *Cam. et Anag.*, *Med. ann.*, 2 *maii* 1733, § 1.

Ex dispositione Benedicti XIII provisi de parochiis, qui annuum cum incertis haberent reditum scut. 100, cæterisque ad residentialia et simplicia beneficia cujuscumque valoris existant, promoti, mediam cathedrali Ecclesiæ solvere tenentur annatam : *Reat.*, *Med. ann.*, 16 *maii* 1789, § 2.

Provisi in ecclesiis collegiatis ex constitutione Benedictina debent mediam annatam ad hoc ut sarta tecta servarentur ædificia ecclesiarum; ideoque debetur a provisis omnibus tam in collegiatis, quæ aderant tempore dictæ constitutionis, quam in aliis inde erectis : *Imol.*, *Med. ann.*, 14 *jan.* 1758, § 2.

Et voluit Benedictus XIII, ut consulerent fabricæ ecclesiarum cathedralium per totam Italiam et adjacentes Insulas, ut de parochiis ab Ordinariis provisi deponere tenerentur pro illarum fabrica mediam annatam, dummodo certi et incerti parochiarum reditus annuam excederent summam scut. 100 : *Verul.*, *Med. an.*, 29 *nov.* 1788, § 5.

Et idem Pontifex præstari jussit mediam ratam fructuum ex omnibus beneficiis parochialibus, residentialibus, et mere simplicibus, etiam jurispatronatus, sive mixti, sive laicalis; nullo habito discrimine, an beneficia perpetua vel manualia essent : *Firm.*, 8 *aug.* 1767, § 4.

Totum fundamentum mediæ annatæ solutionis pro fabrica ecclesiæ cathedralis constitutum est in recenti concilio Romano 1725, et const. Benedicti XIII : *Arim.*, *Med. ann.*, 18 *dec.* 1734, § 4.

Media annata debetur ex canonicatibus et beneficiis residentialibus, non residentialibus, et simplicibus : *Nep.*, *Med. ann.*, 16 *aug.* 1794, § 2.

Etiam beneficia, quorum reditus in solis distributionibus quotidie consistunt, tenentur ad solutionem mediæ annatæ Datariæ Apostolicæ : *Reat.*, *Med. ann.*, 12 *maii* 1770, § 9.

Ex jure canonico habetur teneri omnes ad contributionem expensarum pro ecclesiæ restauratione, omnes eos, qui in ea beneficium possident, dummodo non adsit statutum, aut consuetudo hujusmodi onus in alios transferens, vel dummodo non sint certi reditus pro fabrica destinati : *Ibid.*, § 14.

Quoties aut statutum, aut contraria consuetudo, aut certi fabricæ reditus deficiant, onus manutenendi ecclesiam cathedralem primario incumbit Episcopo : *Ibid.*, § 15.

Ac demum inferioribus clericis in ea beneficium possidentibus : *Ibid.*

Postmodum Benedictus XIII nova subministrare subsidia curavit, ut ecclesiarum, præsertim cathedralium et collegiatarum, restauratione consultum foret : *Ibid.*, § 16.

Noluit tamen Episcopos eximere ab onere ex juris dispositione ipsis inhærente manutenendi ac restaurandi cathedrales ecclesias : *Ibid.*, § 17.

Declaravit vero solutioni mediæ annatæ nequaquam subjecta esse debere beneficia illarum ecclesiarum in quibus peculiare patrimonium fabricæ sufficienter instructum reperitur : *Ib id.*

Vel dictum onus residet penes communitatem locorum : *Ibid.*

Hinc semiannatas exigere nequeunt cathedrales ecclesiæ, in quibus onus, seu particulare patrimonium fabricæ sufficienter instructum reperitur : *Arim.*, *Rep. eccl. cath.*, 19 *sept.* 1789, § 8.

Ad mediæ annatæ solutionem cogendi sunt, præter canonicos, etiam clerici beneficiati : *Firm.*, *Præp. eccl.*, 7 *april.* 1742, § 2.

Post constitutionem Benedicti XIII cogendi sunt dimittere medios anni fructus, ut isti in necessariam ecclesiæ restaurationem queant erogari : *Ibid.*, § 4.

Media annata tantum exigi potest a novo capitulari pro sacristia, vel fabrica, vel alterius loci pii usibus : *Eccl.*, *Massæ distr.*, 6 *maii* 1797, § 10.

Ad evadendam mediæ annatæ solutionem non prodest, quod in eamdem massam collati fuissent reditus fabricæ, qui de cætero esse debent distincti : *Reat.*, *Med. ann.*, 16 *maii* 1789, § 3.

Contraria contemni debet observantia ex decreto *irritanti*, et clausula, *sublata*, quibus munita est constitutio Benedictina : *Ibid.*

Neque obest beneficialis *irritans* Benedictinæ decretum, et clausula, *sublata*, eo quod ipsi constitutioni est consentanea ob factas reparationes ex massa capitulari, in quem bona donata ecclesiæ coaluerunt, seu ex peculiari ipsius ecclesiæ patrimonio : *Ibid.*, § 6.

Media annata solvenda est deductis expensis, et oneribus, quæ minuunt fructus parochiæ : *Reat.*, *Med. ann.*, 10 *maii* 1794, § 4.

Et deductis etiam emolumentis, quæ parochiali non obveniunt titulo : *Ibid.*

Licet vero benedictinæ indefinite comprehendat certos et incertos beneficiorum fructus, nec de ulla loquatur detractatione : *Ibid.*, § 5.

Medicina.

Antiquitus post S. Lucam evangelistam medicinam exercebant Episcopi, sacerdotes, diaconi : *Luc.*, 18 *julii* 1795, § 9.

Eam deinde concilia et canones interdixerunt monachis, sacerdotibus et clericis : *Ibid.*

Et modo exerceri nequit absque indulto Apostolico ; quod non conceditur sine justa causa : *Ibid.*

Medicinam exercens non fit irregularis, nisi ejus imperitia vel culpa ægrotus obierit, aut super ægroti sequuta morte illius conscientia remordeat : *Null. Mont. Cas.*, 12 *dec.* 1761, § 3.

Quod tamen non intelligitur de medico laico : *Ibid.*, § 5.

Monachis etiam prohibitum est medicinæ studium, sub pœna excommunicationis et irregularitatis : *Ibid.*

Et irregularis efficitur monachus chirurgiam exercens, ob sequutam mortem ex incisione tumoris per eum facta, licet sine ejus culpa : *Ibid.*

Pœnæ autem indictæ contra monachos medicinæ studentes extensæ fuerunt etiam ad presbyteros seculares : *Ibid.*

Et sacerdos, diaconus, et subdiaconus, exercere nequeunt ullam chirurgiæ artem quæ adustionem vel incisionem inducit : *Ibid.*

Sacerdos tamen, qui medicinam exercuit absque indulto, nisi constet de alicujus morte sequuta ex ejus facto, dispensandus est ab irregularitate ad cautelam : *Ibid.*, § 3.

Meliorationes.

Meliorationes factæ a possessore capellaniæ fere in illius beneficium cedunt : *Turr., Cap.*, 9 *jul.* 1796, § 4.

Quum testator præceperit custodiri et coli sua bona, ut debitum reddant fructum, interpretantur a doctoribus de ordinariis consuetisque melioratibus, quæ potius conservationem, quam insignem veteris status mutationem præ se ferunt : *Macer.*, 4 *febr.* 1786, § 4.

Memoria.

Memoria delicti debita præsumitur post plurimos annos : *Urb., Irr.*, 20 *mart.* 1790, § 3.

Mensa Episcopalis. Vide *Episcopus*, § XXII.

Merces.

Iniquum est ut unus serviat, alter mercedem rapiat : *Tolen., Arcip.*, 11 *jan.* 1766, § 11.

Ille qui prope quotidianam suam præsentiam in choro præstat, congruam mercedem requirit : *Bonon.*, 8 *jun.* 1765, § 9.

Maxime si totam vitam occupet pro Ecclesiæ servitio, cum non sit alligandum os bovi trituranti : *Ibid.*

Defensor in lite mercedem consequi debet, et pro ea super bonis recuperandis ex juris dispositione prælationem habet : *Mont. Falis., Exp. lit.*, 20 *aug.* 1763, § 11.

Metus.

§ I.

Metus in genere.

Receptum est apud theologos et canonistas, metum ab intrinseco promanantem, sive ut aiunt a causa naturali et necessaria incussum, nimirum ratione mali temporalis aut spiritualis, voluntatem adeo liberam relinquere, ut amplectens statum religiosum, aut matrimoninm contrahens urgente metu, sive supplicii ob commissum crimen sui debiti, sive peccati mortalis, et respective spiritualis pœnæ sibi inde impedientis, valide religionem profiteatur, vel matrimonium contrahat : *Crem., Matr.*, 22 *sept.* 1756, § 6.

Communiter ad gravem metum quatuor requiruntur : 1° quod malum timendum sit grave in se, et non in sola æstimatione metuentis : *Luc., Rest. in int.*, 26 *mart.* 1768, § 12 ; *Grat., Rest. in int.* 24 *nov.* 1770, § 11.

2° Quod prudens sit, non levis, vel irrationabilis timendi ratio : *Ibid.*

3° Ut metum inculiens potens sit minas exequi : *Ibid.*

4° Quod is qui timet, non possit ullo modo minanti resistere, aut vitare malum quod timet : *Ibid.*

Alterutra ex hisce conditionibus deficiente, metus dicitur levis, seu non cadens in virum constantem : *Ibid.*

Disceptatum sæpe est, an metus reverentialis erga parentes æquivaleret metui gravi, et licet affirmativam sententiam nonnulli tenuerint : *Ibid.*, § 13.

Contraria tamen, tanquam probabilior et communior in praxi, recepta est, adeo ut solus metus reverentialis non æquivaleat metui gravi nisi minæ

præcesserint, vel verbera, aut pater sit terribilis : *Ibid.*

Metus duplex est : alter levis, quem vir pusillanimis concipit de levi malo aut gravi quidem sed remoto, et proinde nec rationabiliter nec prudenter metuendo : *Ibid.*, 11.

Alter gravis et instans, quam vir constans et fortis prudente, et rationabiliter concipit, de gravi morbo sibi, aut consanguineis, vel affinibus inferendo : *Ibid.*

Quando autem, et quid dicatur metus levis, vel potius gravis, relinquitur arbitrio judicis : *Ibid.*, § 12.

Faciliusque metus gravis in fœmina, ob sexus imbecillitatem, secus ac in masculo censetur : *Ibid.*

Metus, licet voluntarius coactum efficiat, attamen vera voluntas est : *Osnab., Disp.*, 15 *dec.* 1764, § 16.

Unde vere ordines suscipiuntur, character imprimitur, et suscipiens nexu continentiæ obligatur : *Ibid.*

Est metus gravis, qui cadit in virum constantem, comminatio ejectionis e domo ac privationis alimentorum : *Camer., Disp.*, 18 *nov.* 1769, § 4.

Nec ullus magis certam habere potest metus probationem, quam quæ resultat ex jurata parentum confessione, qui de facto proprio, et de rebus ab ipsis gestis testantur : *Ibid.*

Vel saltem eorumdem dispositionem, aliis adminiculis, et probationibus roboratam, satis superque sufficere ad obtinendam dispensationem, quæ ex consueta benignitate, ac perpetuo S. Congreg more solet quamdemcumque coactionem passim indulgeri : *Ibid.*

Metus dicitur instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio : *Gratian., Rest. in int.*, 24 *nov.* 1770, § 11.

Duplex est : alter levis, quem vir pusillanimis concipit de levi malo, aut gravi quidem sed remoto, et proinde nec rationabiliter, nec prudenter metuendo : *Ibid.*

Alter vero gravis et instans, quem vir constans, et fortis, prudenter et rationabiliter, concipit de gravi malo sibi aut consanguineis, vel affinibus, inferendo : *Ibid.*

Arbitrio tamen judicis relinquitur an et quando metus, vel gravis, vel levis dicatur : *Ibid.*, § 12.

Contumeliæ, verbera, minæ illatæ ab eo cui obsequium et reverentia debetur, inducunt in teneras puellas metus gravem, qui fortissimum quemque virum commovere valuisset : *Ibid.*, § 3.

Multo magis gravis metus est, quando minæ fuerunt ad actum perductæ, cum in isto casu certissima habeatur probatio metus, quæ sufficit ad irritandam professionem : *Ibid.*, § 4.

Nec obest quod metus probatio non aliunde desumatur, quam ex testimonio patris et consanguineorum, nam cum res de factis domesticis est, et difficilis probationis, admittuntur etiam domestici et conjuncti : *Ibid.*

Nec melius coactio probari potest, quam depositione illius qui metum incussit : *Ibid.*

Immo admittuntur etiam testes singulares, et de auditu, atque etiam inhabiles, quando veritas aliunde haberi non possit : *Ibid.*

Sufficit simplex metus reverentialis erga genitorem, et naturalis in filia impotenti ad contradicendum ejus voluntati gravem metum in puella inducit : *Theat., Matr.*, 16 *martii* 1771, § 8.

Actus patris adeo proximus percutiendi filiam, ut hæc fugere debuerit, gravissimam pœnam involvit : *Ibid.*

Idcirco gravissimum præ se fert metum cadentem in virum constantem : *Ibid.*

Cum metum a se incussum in exonerationem propriæ conscientiæ judiciali confessione declaraverit pater, major probatio nulla dari potest : *Ibid.*, § 9.

Si metus pœnæ temporalis, aut spiritualis, ob delictum imminentis, non fuerit per se, ac sponte conceptus ab eo qui religiosam professionem emisit, aut matrimonium contraxit, sed fuerit ei ab altero incussus, videndum num causa proposita timendi fuerit justa et vera, in quo casu timor inde conceptus non adversatur validitati professionis, vel matrimonii, cum ex via monstrata ad evadendum periculum pœnæ commisso crimini debitæ, auferri videatur metus, cui causam dabat ipsum crimen : *Crem., Matr.*, 22 *sept.* 1736, § 7.

Secus in altero casu, si causa sit falso et dolose suggesta, ubi quis professionem aut matrimonium extorqueret, falsam timendi causam dolose proponens : *Ibid.*

METUS IN MATRIMONIIS. Vide *Matrimonium*, § XLVII.

§ II.

Metus quoad probationem.

Metus et vis probatur minime ex testibus extrajudicialibus : *Theat., Matr.*, 16 *mart.* 1771, § 15.

Nec etiam ex testibus non examinatis cum interrogatoriis a defensore matrimonii datis : *Ibid.*

Neque quoque a testibus de fæce plebis, utpote addictis humillimis abjectisque muneribus : *Ibid.*

Hinc non sunt audiendi in gravissima causa dissolutionis matrimonii testes hujusmodi ; quia debent hi esse omni acceptione majores : *Ibid.*

Præsertim si sunt in dicto singulares, et de auditu deponunt : *Ibid.*

Et Archiepiscopi ac vicarii generalis relationibus, posthabitis aliis testibus, deferendum omnino est : *Ibid.*, § 16.

Nihili est facienda patris puellæ declaratio cum in ipso nimia erga filiam dilectio præsumatur : *Ibid.*

Quoad metus probationem non eadem requiritur vis in fœmina, quæ in masculis, nam fœminæ levioribus, mentis motibus, affectionibus afficiuntur : *Lisb., Null. prof.*, 25 *jun.* 1714, § 4.

In fœmina requiruntur leviores metus causæ, ac leviores probationes : *Valen., Prof.*, 12 *jun.* 1773, § 9.

Et gravis deprehenditur metus ex iis quæ fortem quemcumque virum concutere debuissent : *Ibid.*

Metus non melius probari potest, quam jurata mulieris declaratione, quæ metum passa est in professione religiosa emittenda : *Val., Prof.*, 12 *jun.* 1773, § 8.

Maxime si alia concurrant adminicula, ex quibus plena metus probatio eruatur : *Ibid.*

Metus in professione religiosa. Vide *Professio religiosa*, § xi.

Metus in Sacramentis. Vide *Sacramentum Ordinis*, § xv.

Miles.

Milites præsidiarii arcis Sancti Angeli Urbis, quum teneantur diu noctuque in eadem arce morari, ex qua solo permissu præfecti exeunt, ac sacramenta omnes recipiunt a parocho S. Mariæ Transpontinæ, sui sunt parochiani : *Rom., Fun.*, 9 *febr.* 1765, § 6.

Hinc necessario infertur ut tanquam veri parochiani in sua ecclesia sint tumulandi : *Ibid.*

Item judicatum est de captivis, et in arce detentis, ac defunctis : *Ibid.*, § 7.

Itaque alii parochi non possunt insurgere post tot res judicatas : *Ibid.*

Nec obstat additio facta ad statutum Cleri Romani cap. 3, *de Jure elig. sep.*, in qua requiri videtur, quod milites in arce diu noctuque morentur, atque ibi moriantur : *Ibid.*, § 8.

Additio illa intelligi videtur, ut jus commune receptum non destruat : *Ibid.*, § 9.

Non per conditionem, neque taxative opposita sunt verba, ut de solo obitu in arce dicant; ne alias dicatur, quod miles, qui diu noctuque in arce commoretur, si ex accidenti extra illam obierit : *Ibid.*

Cæterum omnia posthabenda sunt post novam legem additionis prædictæ, quæ ab ipso Pontifice approbata est, cum expressa quarumcumque contrariarum legum derogatione : *Ibid.*, § 11.

Statutum cap. 3, *de Jur. elig. sep.*, decernit milites, qui in stationibus, seu quarteriis pernoctent, et extra illa habent propriam domum, seu domicilium ad parochiam domicilii spectant : *Ibid.*, § 13.

Sed excipiuntur milites præsidarii arcis Sancti Angeli Urbis, quatenus ibi diu noctuque commorentur, et moriantur, qui tunc ad parochiam Arcis, seu beatæ Mariæ Transpontinæ spectant : *Ibid.*

Imperatorem leges veteranis militibus honestam missionem a laboribus indulgebant : *Civil. Pleb., Jub.*, 23 *nov.* 1782, § 5.

Veteranis militibus post vicena stipendia emeritis honesta missio, et a belli laboribus immunitas concessa fuit : *Dert., Jub.*, 14 *maii* 1768, § 7.

Militaris ordo. Vide *Religio militaris.*

Militia sæcularis. Vide *Clerici*, § v.

Militiæ capellanus, seu vicarius. Vide *Capellanus*, § xi.

Misericordia.

Prior est misericordia holocaustis, et sacrificiis : *Lisb.*, 10 *maii* 1760, § 4.

Missa.

§ I.

Missa, seu sacrificium Missæ in genere.

Antiquitus Missæ sacrificium designabatur etiam ministerii nomine : *Mess.*, 4 *april.* 1778, § 7.

Missarum celebratio etiam sub officii nomine comprehendebatur : *Ibid.*

Missæ sacrificium inter horas canonicas minime refertur : *Thel., Miss. conv.*, 4 *jun.* 1768, § 60.

Comprehenditur tamen sub nomine officii divini : *Ibid.*

§ II.

Missa, seu sacrificium Missæ quoad applicationem.

Missa est pro fundatore applicanda, licet ipse applicationem non expressit, sed solam celebrationem : *Corn.*, 23 *junii* 1725, § 9.

Facta expressione celebrationis pro commoditate audientium absque ulla mentione applicationis, applicatio demandata pro fundatore dicenda non est : *Ibid.*

Qui conspicuum numerum Missarum pro suis animabus relinquunt, putant, multiplicationem suffragiorum sibi esse maximopere profuturam, quia

licet valor sacrificii ex opere operato sit infinitus, in actu primo, talis tamen non est in applicatione, et in actu secundo juxta doctrinam divi Thomæ : *Disc. secret.*, 13 *april.* 1726, § 8.

In capellaniis perpetuis cum onere Missarum, fere sacrificium est applicandum pro fundatore; nisi aliud præ se ferat ejus voluntas, vel expressa, vel ex urgentibus conjecturis elicita : *Ferr., Appl. secr.*, 11 *jun.* 1729, § 4.

Amplia etiam non obstante quacumque observantia in contrarium : *Ibid.*

Prima conjectura præ se ferens contrariam testatoris mentem, est quando celebratio Missæ demandata fuit pro commodo populi, vel monialium Missam audientium : *Ibid.*, § 5.

Secunda autem est, quando fundator præscribendo certum numerum Missarum aliquas applicari pro anima sua expresse mandaverit, et quoad alias vel nil de applicatione dixerit, vel illas remiserit ad arbitrium capellani, quia nunc has posteri res haud sibi applicari voluisse præsumitur ex vi discretivæ locutionis : *Ibid.*

Verbum *orare* a testatore usurpatum, est diversum ab applicatione sacrificii; theologi sumentes hoc verbum *orare* juxta ejus propriam et rigorosam significationem putant illud esse quid distinctum ab applicatione : *Ibid.*

Sacra tamen Congregatio Concilii, ut magis verisimili voluntati et meliori bono fundatorum provideret contrarium censuit, dictumque verbum *orare* sumptum fuit in ampliori significatu, ad præ se ferendam scilicet applicationem sacrificii : *Ibid.*, § 7.

Si fundator capellaniæ demandavit celebrationem Missarum in commodum communitatis, et sub auroram celebrandarum non celebrationem solum, sed etiam sacrificii applicationem injunxisse censetur, quamvis de applicatione mentio expressa habita non esset : *Med., Appl. Miss.*, 15 *dec.* 1731, § 14.

Applicatio Missæ quoque demandata censetur pro anima testatoris, quamvis ipse de sola celebratione locutus fuerit, nec de applicatione ullo pacto mentionem fecerit : *Taurin.*, 19 *aug.* 1775, § 12.

Hoc vero procedit, quando agitur de fundatione beneficiorum et capellaniarum cum onere celebrandi Missas nullo adjecto onere illas applicandi pro fundatore : *Ibid.*, § 13.

Non autem quando res est de onere Missarum jam fundato, et inde largitiones pro manutentione dicti oneris quotidiani certa hora implendi relictæ fuerint : *Ibid.*

Imo si nulla sit superaddita mentione pro suffragio elargientium animarum, quod una cum celebratione expresse mandassent, quatenus voluissent : *Ibid.*, § 14.

Missarum applicatio, utpote a voluntate et ab actu interno celebrantis dependens, probatur celebrantis juramento : *Hort., Stip. et lib. a moles.*, 17 *aug.* 1776, § 3.

Fundator, qui beneficiato onus imposuit celebrandi Missam, nec ullum verbum de illius applicatione adjecit, censetur etiam onus Missam applicandi imposuisse : *Bonon., Disp.*, 11 *jan.* 1783, § 11.

Et ratio est, quia verisimile est, ut ille, qui beneficium fundavit, et onus celebrandi Missam imposuit, in ejus suffragium eamdem Missam applicari voluerit : *Ibid.*

Beneficiatus tenetur applicare sacrificium pro beneficii fundatore, licet onus hujusmodi non reperiatur expressum : *Ferrar.*, 19 *julii* 1783, § 14.

Et fortius si beneficium recenter sit fundatum, et reditus habeat qui vel excedant, vel adæquent id quod, vel ex jure, vel ex consuetudine, solet erogari pro onere applicationis : *Ibid.*

Si vero beneficii reditus non adæquent consuetum stipendium pro Missarum applicatione, sed sint longe inferiores, vel beneficium sit antiquum, et eo tempore erectum, quod ob penuriam sacerdotum præcipuus respectus haberi solebat ad commodum populi, ad honorem templi, vel sancti, tunc capellanus tenetur ad applicationem sacrificii : *Ibid.*

Non defuerunt nonnulli, qui putabant licere post acceptam a pluribus eleemosynam omnibus satisfacere per unicum sacrificium nominatim, et expresse applicatum pro singulis, qui eleemosynam tradiderant : *Ovet., Mis. pro pop.*, 22 *jan.* 1774, § 5.

Alii considerarunt triplicem sacrificii fructum : unum nempe *generalissimum*, qui in universam redundat Ecclesiam, et cujus omnes fideles participes sunt; alium *medium*, seu *specialem*, de quo illi participant, pro quibus nominatim offertur; tertium *specialissimum*, de quo ipse sacerdos particeps evadit : *Ibid.*

Hinc affirmarunt tertium fructum a sacerdote offerenti alteri renuntiari posse, et pro hujusmodi cessione novam eleemosynam percipi : *Ibid.*

Sed Benedictus XIV, Pont. Max., has sententias subdolas artes, unice ab avaritia excogitatas, appellavit : *Ibid.*, § 6.

Et a seculo XIII rejectæ hæ opiniones fuerunt : imo Alex. VII, Pont. Max., illas damnavit : *Ibid.*, § 9.

Missa est pro fundatore applicanda, licet ipse applicationem sacrificii non expresserit : *Mant., Appl. sacrif.*, 19 *nov.* 1718, § 2.

Statim ac aliquis demandavit Missas celebrari, intelligitur quod voluerit eas etiam pro anima

sua applicari : *Fund., Appl. Miss.,* 13 *sept.* 1721, § 6.

Sacerdos obligatus ad dicendam Missam quotidianam pro aliquo non tenetur tres Missas in Nativitate Domini pro eodem applicare, sed unam tantum, nisi forte fundator beneficii seu capellaniæ expresse dixisset, se velle trium Missarum applicationem die Nativitatis Domini : *In Discur. secr.,* 16 *dec.* 1724, § 13.

Censetur exclusa applicatio, quum sola celebratio non applicatio est demandata, quam expresse jussisset testator, si eam voluisset : *Trid., App.,* 27 *feb.,* 1768, § 4.

Præsertim si expendatur tenuis dos, quæ vix sufficiens pro injuncto onere continuæ et personalis residentiæ : *Ibid.,* § 5.

Imo si per duo secula cum dimidio, et ultra a die fundationis semper celebratio tantum servata fuerit : *Ibid.,* § 6.

Qua nefas est de tam longæva consuetudine hæsitare, et de incuria ac negligentia redarguere tot vigilantissimos præsules et capellanos : *Ibid.*

A vi discretivæ aperte conjicitur, in fundatione præscriptam quidem Missarum celebrationem, non optatam applicationem : *Ibid.,* § 7.

Onus celebrationis inferri non potest ad obligationem applicationis, cum hoc sit onus a celebratione diversum : *Novarien.,* 14 *maii* 1768, § 13.

Præsertim si prospectum sit populi utilitati, ex quo infertur celebrationem fuisse optatam, non vero applicationem : *Ibid.,* § 14.

Ac sit observantia desumpta tum ex testimonio sacerdotis de facto proprio deponentis, cui plurimum adhærendum est, ad excludendam applicationem : *Ibid.,* § 15.

Tum ex deficientia libri, seu tabellæ, in qua onus applicationis recensetur : *Ibid.*

Et in quavis dubietate pro applicationis exclusione standum est, cum in dubio pro oneris exclusione judicium ferendum est : *Ibid.*

Onus applicationis nequaquam infertur a demandata celebratione, cum sint hæc duo inter se omnino distincta : *Trid., Appl.,* 26 *aug.* 1769, § 2.

Idque locum habet, ubi etiam celebrationis onere gravatus pro Missis non celebratis restitutioni eleemosynæ obstrictus esset : *Ibid.*

Quando testator id unum in votis habuit, ut populi commoditati consultum foret, tunc applicatio omnino exclusa videtur : *Ibid.,* § 3.

Præsertim si oneribus stipendium tenue non respondeat, tunc applicatio nullo modo præsumi potest : *Ibid.,* § 4.

Et sicuti reliquæ Missæ nunquam subierunt onus applicationis, ita neque aliæ, quæ injunctæ sunt in eodem actu, quia una determinatio plura determinabilia respiciens, omnia pariformiter determinat : *Ibid.*

Neque ex augmento reditnum induci potest diversum onus applicationis : *Ibid.,* § 5.

Onus celebrandi Missam distinctum est ab onere applicandi : *Melevit.,* 23 *april.* 1768, § 6.

Injuncta ideo in erectione sola celebratione, non venit applicatio : *Ibid.*

Præsertim si Missæ celebratio non in alicujus suffragium, sed tantum ad ecclesiæ cultum ac decus augendum præscripta fuit : *Ibid.*

Imo si nullibi constet, tale onus ante erectionem in ecclesia viguisse, unde omne abesse applicationis argumentum : *Ibid.,* § 7.

Testator enim applicationem cum aliis expressisset, si mens ejus fuisset, ut in sui suffragium celebraretur : *Ibid.*

Simplex celebrationis onus applicationem in antiquis excludit : *Ascul.,* 29 *aug.* 1789, § 3.

Distincta est obligatio celebrandi, ad altera applicandi ; et una sine altera ad meram populi commoditatem induci potest : *Ibid.*

Verior, et magis recepta sententia est, ut applicationem etiam voluisse testatorem censeatur, qui Missarum celebrationem præstito emolumento demandavit : *Ibid.,* § 4.

De capellaniis, seu beneficiis erectis præcipue ad finem celebrandi sacra demandatæ applicationis præsumptio est : *Reat.,* 22 *mart.* 1766, § 5.

De clericatibus institutis ad ecclesiæ et chori servitium ea præsumptio non intrat : *Ibid.*

Sed jussa applicatio evidenter probari videtur : *Ibid.*

Aliter si expresse injuncta non sit, non est facienda : *Ibid.*

Satis consultum est per applicationem sacrificii in animæ testatoris suffragium, non curato celebrationis loco, de quo testator nihil disposuit : *Cæsen., Indulti,* 12 *jan.* 1760, § 4.

Quando cum certo emolumento demandata est Missarum celebratio, optata etiam applicatio censetur : *Spolet,* 17 *sept.* 1791, § 7.

Onus applicationis tacite comprehenditur in suscepta obligatione celebrandi et canendi Missas, nisi de contraria testatoris voluntate constet : *Firm., Offic.,* 21 *nov.* 1761, § 5.

Ex jure applicationem voluit testator, qui certum celebranti reditum assignavit : *Mutin., Appl. Miss.,* 16 *julii* 1791, § 5.

Dum præstito emolumento illarum celebrationem præscripsit, in suam quoque utilitatem fructum, qui applicatione consistit, voluit : *Ibid.*

Certa est regula, quod Missa pro fundatore applicari debeat, licet hanc applicationem expresse

testator non præscripserit, sed solam celebrationem : *Flor* , 18 *maii* 1765, § 14.

Sed regula hæc patitur exceptionem quando Missæ celebratio injuncta est, ob expressum alium peculiarem finem, nempe pro commodo populi, monialium, agricolarum, artificum, peregrinorum, etc.: *Ibid.*, § 15.

In beneficiis et capellaniis perpetuis regula est, applicatio sacrorum in sola demandata celebratione comprehenditur : *Reat.*, 22 *mart.* 1766, § 12.

Nisi contraria mens testatoris, vel expressis verbis, vel urgentibus conjecturis, appareat : *Ibid.*

Sed perpenditur, an hæc regula sit in beneficiatis vel capellanis erectis in servitium ecclesiæ et chori : *Ibid.*, § 15.

Quando testator pro Missa cum cantu assignavit emolumentum, argumentum est expetitæ applicationis : *Rom.*, 29 *jun.* 1791, § 6.

Quid enim præstito emolumento celebrationem vult Missæ, in propriam quoque utilitatem voluisse censetur illius fructum, qui in applicatione consistit : *Ibid.*

Excluditur tamen applicatio, si aliarum Missarum applicationem testator expressit : *Ibid.*

Item excluditur applicatio a consuetudine et testimonio communitatis loci, ac capellanorum, quibus plurimum deferri oportet : *Trid.*, *Appl. Miss.*, 26 *aug.* 1769, § 9.

Et regulæ a canonistis, a tribunalibus, et a S. Congr. Concilii probatæ, quod scilicet injuncta obligatio celebrandi implicitum secum ferat onus etiam applicandi, quoties aliter dispositum non constat : *Ibid.*, § 10.

Demandata per fundatorem beneficii, seu capellaniæ Missæ celebratione, injunctum quoque censetur onus applicandi : *Ibid.*, § 15.

Et verisimilius est, eum qui beneficium seu capellaniam fundavit, et onus celebrandi Missam imposuit, applicationem etiam voluisse : *Ibid.*

Noluit testator Missarum applicationem ob non expressum contemplatum suffragium animæ suæ ducto argumento ab hujusmodi discretiva : *Compostell.*, 27 *martii* 1762, § 1.

Et quum certum locum, et horam celebrationi Missarum præscripserit, videtur potius respexisse ad populi commoditatem, quam ad proprium suffragium ex applicatione obventurum : *Ibid.*

Fortius quando testator permisit capellanorum promotionem ad titulum earumdem, pro quo titulo congruo constituendo immunis ab oneribus Missarum esse debet : *Ibid.*

Pro valida conjectura aliquoties reputata fuit discretiva loquutio testatoris, ut applicatio quoad unum legatum expresse demandata, non intelligeretur mandata quoad aliud legatum, in quo non fuit repetita : *Compost.*, 8 *maii* 1762, § 2.

Quoties fundator præstito emolumento Missarum onus indixerit, applicationem etiamsi silentio servatam voluisse intelligatur : *Civit. Pleb.*, 11 *maii* 1793, § 6.

Missæ designatæ a testatore, ut in illis oraretur pro sua anima, haud onus applicationis ferunt : *Brix.*, 12 *jun.* 1762, § 5.

Ex verbis, *quia in hoc modo erunt tres Missæ, et in alio una tantum*, dignoscitur testatorem ecclesiæ cultum, et commoda populi præ oculis habuisse tantum, non applicationem sacrificii : *Turvis.*, *Appl.*, 6 *decem.* 1749, § 3.

Reliqua. Vide *Capellanus*, § II.

§ III.

Missa quoad celebrationem in genere.

Semel accepto largitionum lucro, dicendum est etiam onus manutenendæ celebrationis lucro adnexum, et correspectivum, a qua resiliri non potest, assumptum fuisse : *Taur.*, 19 *aug.* 1775, § 10.

Et codicibus sacristiæ plene probatur Missarum celebratio : *Hort.*, *Stip. et liber. a molest.*, 17 *aug.* 1776, § 3.

A jure pontificio statuitur, ut presbytero liberum sit quavis hora canonica Missam peragere : *Urbev.*, 15 *mart.* 1777, § 4.

Ecclesia ab Apostolorum ævo sollicita fuit, ut Missæ audiendæ omnimodis copia fidelibus suppeteret : *Ibid* , § 6.

Hinc quamvis Romæ et Alexandriæ unicum in singulis titulis eodem die sacrificium ageretur, nihilominus, S. Leo Pontifex Dioscorum, episcopum Alexandrinum, per apostolica scripta monuerit, sacrum conventum ad subveniendum populis esse iterandum : *Ibid.*

Et ita jugiter apud fideles memoria passionis Christi manet, et illi immaculatæ oblationis salutari præsentia recreantur, et sacerdos pro eorum peccatis aliqualiter satisfacit : *Ibid.*, § 7.

Sacerdos autem, qui nec curam animarum, neque beneficium, atque stipendium obtineat, rem divinam operari debet, cum necessitas id postulaverit : *Ibid.*, § 8.

Nec debent fideles divinæ adstantes oblationi fructu uberrimo carere, nec sacerdos debet, quæ sua sunt considerare, sed ea quæ aliorum : *Ibid.*, § 9.

Difficultatem parit celebratio perpetua Missarum S. Gregorii singulis anni mensibus exequenda : *Congr. Oliv.*, 16 *april.* 1791, § 6.

Ac piæ hujusmodi S. Gregorii institutioni non adversatur, si intra trigesimum dierum numerum, postremi dies tres majoris hebdomadæ occurrunt, quia diebus insequentibus numerus absolvitur : *Ibid.*

Magis juvant Missæ animæ testatoris, in quibus peculiares reciantur orationes : *Ibid.*

Quæ non possunt testatori, reponuntur in thesauro Ecclesiæ, aliisque ex divina misericordia applicantur, qui illis indigent : *Ibid.*

Sacerdos qui per seipsum celebrare tenetur, tempore quo ægrotat, aut alio detinetur impedimento legitimo, nulla obligatione celebrandi per alium afficitur : *Inter.*, 11 *jan.* 1783, § 7.

Excipitur casus, quando infirmitas sit diuturna, tunc non solvitur ab obligatione per alium celebrandi : *Ibid.*, § 8.

Legatum Missarum factum intuitu ecclesiæ est implendum per rectorem ejusdem ecclesiæ : *Benev.*, 10 *jan.* 1784, § 7.

Ubi testator tumulatus est, maxime decet, quod sacra in ipsius animæ expiationem ibidem conficiantur : *Perus.*, *Trans. Miss.*, 20 *aug.* 1785, § 6.

Verisimile est ut testator ideo canonicos præelegerit, quia plus de pietate ecclesiasticorum dignitate præstantium confiderit, adeoque majoris illius meriti particeps fieri voluerit, quod in sacrosancto sacrificio ab opere operantis dependet : *Alix.*, 26 *nov.* 1785, § 14.

Imo si accedat scripturæ ordo, et testator vetuerit, et quidem sæpe, celebrationem *ab aliis sacerdotibus, et in aliis ecclesiis : Ibid.*

Est regula in præsumpta morientium voluntate fundata, quibus cum utilior sit Missarum celebratio, ita præ omnibus eas voluisse præsumuntur : *Æsen.*, 20 *maii* 1786, § 4.

De Missis relictis in regularium ecclesiis, pinguior eleemosyna a testatoribus data præsumitur pro dictorum religiosorum subsidio, et ad levandam eorumdem inopiam, hinc fere ab hæredibus per sacerdotes seculares hisce oneribus satisfacere non permittatur : *Melev.*, *Confir. stat.*, 29 *julii* 1786, § 6.

Quando cura et onus est impositum hæredi, et legatum collatum est in ecclesiam, ut celebratio ibidem fieret, hæres plena potitur potestate eligendi, quos maluerit ad celebrationem quotidianæ Missæ in ea Ecclesia peragendam : *Rom.*, *Oner. Miss.*, 12 *jan.* 1732, § 4.

Celebrari debet Missa quotidiana sine ulla vocatione, ubi hoc impositum sit onus in erectione capellaniæ : *Firm.*, *Capell.*, 23 *jun.* 1796, § 4.

Ubi onus vero Missæ quotidianæ impositum non sit in fundatione capellaniæ, neque in erectione injungi valet : *Ibid.*, § 5.

Quum verba transactionis importet tantummodo onus celebrationis, hoc etiam per alium, quoties expressa prohibitio deficiat, impleri potest : *Novar.*, 14 *maii* 1768, § 10.

Missæ non celebratæ suppleri debet ex fructibus superextantium, ne mandatis longius frandetur suffragiis : *Arim.*, *Leg.*, 11 *febr.* 1797, § 7.

Sed æquum non est, ut legatarius de proprio impendat, quod pro constituendo legati adimplemento requiritur : *Ibid.*

Ille sacerdos est præferendus ad celebrationem Missarum, quia testator principaliter contemplavit ecclesiam, cui ille est præpositus, vel rector : *Melev.*, *Celebr. Miss.*, 8 *maii* 1734, § 5.

Congruum est, quod beneficiati, qui ecclesiæ servitio continuo assistunt, in distributione eleemosynarum pro Missis in eadem ecclesia celebrandis præferantur : *Ibid.*

Magis expedit erogatio fructuum in Missarum celebrationem, quam fundi ampliatio : *Usell.*, 20 *julii* 1793, § 7.

Magisque expedit animæ testatoris, ut erogentur vacantes reditus in celebrationem Missarum, quam explere tempus perpetui erigendi legati : *Novar.*, *Red. Miss.*, 17 *aug.* 1793, § 9.

Utilius est animabus testatorum, ut statim omnes celebrentur Missæ, quam per institutionem perpetui legati in annos partiantur : *Perus.*, *Com. vol.*, 18 *dec.* 1790, § 6.

Utilius est animæ testatoris præsens Missarum celebratio, quam retardata perpetuæ capellaniæ erectio : *Januen.*, *Cap.*, 16 *matr.* 1793, § 5.

Magis prodest animæ testatoris præsens Missarum celebratio, quam major illarum numerus in futurum : *Parm.*, *Red. oner.*, 12 *jul.* 1794, § 9.

Fraudari non debet defunctis suffragiis Missarum : *Civit. Pleb.*, *Vis. SS. LL.*, 27 *aug.* 1791, § 3.

Qui celebrare debet certum Missarum numerum in hebdomada, illum supplere debet in casu impedimenti : *Ibid.*

Administratores loci pii, quibus onus Missarum impositum fuit, plena potiuntur potestate Missas per se ipsos celebrandi, vel eligendi quos maluerint ad earum celebrationem in illis ecclesiis adimplendam : *Tybur.*, *Celeb. Miss.*, 10 *sept.* 1735, § 4.

Quum in fundatione non sit cautum, ut qui ad quotidianæ Missæ celebrationem delectus a fundatore fuerit, huic onere per se ipsum deberet satisfacere, nec in electione illius, qui explere onus debet implementum per alium permissum censetur : *Gerun.*, *Celebr. Miss.*, 20 *mart.* 1734, § 3.

Libertas ubilibet celebrandi concessa in corre-

spectivitatem injuncti oneris quotidianæ celebrationis ; atque idcirco quemadmodum viget onus, ita etiam libertas subsistere debeat : *Inter., Celebr. Miss.*, 11 *jun.* 1774, § 4.

Si fundus in commodum cessit ecclesiæ, eo etiam non existente, impleri Missarum onus debet : *Albing.*, 15 *jun.* 1793, § 6.

Indulgetur Missæ lectæ celebrationis exemptio quum nonnisi accessorie in erectionem fuerit injuncta, et quia cessatio statum ecclesiæ nihil immutat : *Melev.*, 25 *apr.* 1768, § 4.

Onus celebrationis Missarum jus honorificum deputandi celebrantem tribuit : *Rom., Leg. Miss.*, 22 *aug.* 1795, § 5.

Utrum in dominicis festisque diebus, in oratoriis vel capellis celebrari possit, nullo habito ad Missam parochialem respectu, a prudenti Episcopi arbitrio pro locorum diversitate pendere debet : *Cassan.*, 30 *maii* 1767, § 25.

Quamvis Missarum celebratio ab initio inducta fuerit ex libera voluntate, obligatoria tamen temporis diuturnitate evadere potest : *Phar.*, 25 *jun.* 1791, § 3.

Tollendum est abusum anticipatæ et posticipatæ celebrationis Missæ quotidianæ : *Fir., Cap.*, 23 *jan.* 1796, § 4.

Valide assumunt regulares perpetua Missarum onera de licentia eorum generalis vel provincialis : *Imol., Leg. pii*, 20 *sept.* 1794, § 7.

Et datam servare fidem debent : *Ibid.*

Et promissio tamen evictionis fundi per eos emissa sine causa non sustinetur : *Ibid.*, § 8.

Evictionis enim promissio species est alienationis, quæ beneplacitum Apostolicum requirit : *Ibid.*

Constans doctorum opinio non est, an regulares consentire teneantur, ut in propriis ecclesiis ab exteris capellanis Missæ celebrentur, quæ ibidem testatores celebranda mandaverint : negativam nonnulli sententiam tuentur : *Rom., Celebr. Miss.*. 12 *jun.* 1773, § 6.

Alii affirmativam sequuntur, et regulares dicunt teneri præstare patientiam et consensum, ut beneficiorum rectores Missas celebrent quas ratione fundationum in eorum ecclesiis celebrare, solutis tamen utensilibus, tenentur : *Ibid.*, § 7.

Summus Pontifex sacerdoti impedito licentiam celebrandi Missam sedendo concedere valet : *Por., Emp.*, 14 *dec.* 1793, § 3.

Missa per sacerdotem innixum baculo celebrari nequit : *Casert.*, 30 *jul.* 1797, § 2.

Quandoque tamen Summi Pontifices facultatem eam celebrandi sedendo concesserunt, spectabilioribus vero ecclesiasticis, et episcopis sanctitate præclaris : *Ibid.*, § 3.

Nemo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque consuetudine, pilleolo uti debet : *Melph.*, 8 *aug.* 1722, § 5.

A futura Missarum celebratione excusat impotentia ; quia nemo obligari valet ad impossibilia : *Dert., Com. Vol.*, 10 *maii* 1794, § 6.

Ex præsumpta quidem testatoris voluntate, qui non permitteret, ut ad servandum legatum Missarum, filius interim, vel consanguineus fame periret : *Ibid.*

De promoto ad sacerdotium certum est, quod si ille cæcus evadat, non habet executionem ordinis, quantum ad ea quæ visum requirunt, uti est Missæ celebratio : *Flor.*, 2 *aug.* 1727, § 4.

Ex immemorabili Missarum celebratione, acceptum per regulares illarum legatum de licentia ordinis superiorum censetur : *Foss., Celeb. Miss.*, 11 *maii* 1793, § 8.

Sacerdos, si post consecrationem inceptam recordetur, se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium, et sumere sacramentum : *Juv., Sus. et Irr.*, 3 *dec.* 1735, § 10.

Si sacerdos meminerit, se peccatum aliquod commisisse, vel excommunicationi cuicumque subjacere, ante consecrationem Missam inceptam deserere debet, nisi gravis populi offensio timeretur : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Capellanus*, § III.

§ IV.

Missa quoad celebrationis diem et horam.

Juxta antiquiorem disciplinam pro sacrificio Missæ, hora tertia diebus festis, hora sexta diebus ferialibus, hora nona diebus jejuniorum per annum, et hora vespertina diebus quadragesimalibus, erat statuta : *Ven.*, 13 *jul.* 1720, § 3.

Communis doctorum opinio est, ut omnia antecedentia privilegia celebrandi ad mediam noctem sint in Bulla S. Pii V revocata : *Ibid.*

In Concilio Tridentino in decret. *de Observ. et Evit. in Celeb. Miss.*, cavetur ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent : *Ibid.*, § 3.

In synodo autem Veneta sub cardinali Priolo prohibita fuit celebratio ante mediam noctem sub pœna suspensionis : *Ibid.*, § 4.

In civitate Venetiarum ante mediam noctem Nativitatis Domini in templo sancti Marci a primicerio Missa celebratur, et senatus Venetus, et alii qui Missam audiunt, satisfaciunt præcepto audiendi Missam die Nativitatis Domini : *Ibid.*, § 5.

S. Congregatio Concilii est opinata, ut nec pa-

rochus, nec Episcopus impedire possit ad instantiam parochi, quominus Missæ celebrentur in ecclesiis sitis in districtu parochiæ, nisi post absolutam Missam parochialem : *Arim., Jur. par.*, 18 *april.* 1722, § 2.

Doctores tenent sacerdotes quoscumque ad celebrandum obligatos inchoare debitis horis juxta tabellæ ordinem, vel sacristiæ mandatum pro populi commoditate teneri : *Urb.*, 15 *mart.* 1777, § 10.

S. Carolus Borromæus præcepit, ut in ecclesiis quibus plures Missæ recitari solent, per distincta temporum intervalla ad populi commoditatem dicantur a primo mane usque ad meridiem, seu alias per congrua spatia : *Ibid.*, § 11.

Et Sac. Congreg. Episcoporum et Regularium sanxit sacerdotes etiam, qui ex sola propria devotione vel vigore jurispatronatus celebrant, horis Ecclesiæ commodis sacrum facere debere : *Ibid.*, § 12.

Tempus celebrationis Missæ incipit ab aurora et terminatur in meridie : *Camerin., Capell.*, 18 *mart.* 1797, § 6.

Toleratur tamen prorogatio celebrationis ad tertiam horæ partem ultra meridiem : *Ibid.*

Sed non raro Summi Pontifices hoc ex justa causa indulserunt : *Ibid.*

Servanda est celebratio Missæ hora certa, ubi commodum respicit populi : *Foss., Celeb. Miss.*, 11 *maii* 1793, § 6.

Remitti tamen valet hujusmodi obligatio in favorem xenodochii, ne majori gravetur celebrantis stipendio : *Ibid.*, § 7.

Optima esset celebratio Missæ sub auroram in spiritualem agricolarum utilitatem, si ei præsertim actus virtutum theologicarum et contritionis adduntur : *Velit., Red. oner.*, 25 *jan.* 1794, § 5.

Celebratio Missæ sub auroram licet cedit in spiritualem agricolarum utilitatem, ad eam inducendam commutanda non est testatoris voluntas : *Ibid.*, § 4, et seq.

Prima Missa ante ortum solis celebranda est cum expositione doctrinæ christianæ pro agricolis : *Brict.*, 20 *apr.* 1793, § 15.

Missa non est celebranda ante Missam parochialem in aliis ecclesiis, parocho contradicente : *Plac. Fest.*, 24 *mart.* 1764, § 11.

Limita : in oratoriis dissitis, et præsertim ruralibus : *Ibid.*

Censetur fundatorem se conformasse universali consuetudini, qua in ecclesiis ruralibus ob agricolarum commodum, diebus dominicis et festis, Sacrum celebrari consuevit, quando de contraria voluntate non constet : *Sign., Benef.*, 3 *aug.* 1771, § 12.

Missa præsente corpore defuncti celebrari debet, antequam illud sepulcro tradatur : *Fesul., Mis. par.*, 16 *jun.* 1770, § 2.

Hujusmodi ritus antiquissimus est; ac tanti olim fuit habitus, ut bis ea die Sacrum facere liceret : *Ibid.*, § 3.

Sed Benedictus XIII huic opinioni certos limites ac modum imposuit : *Ibid.*, § 4.

Hinc liquet ritum ullum servandum esse, non obstante contraria consuetudine : *Ibid.*, § 5.

Quia consuetudo, quæ adversatur legibus, piisque institutionibus, ac defunctos fraudat potiori suffragio despicienda est tanquam abusus : *Ibid.*

Cæterum Rituale Romanum enixe quidem inculcat, ut defunctorum cadavera cum sacrificio sepulcro tradantur, non tamen id absolute præcipit : *Ibid.*, § 6.

Induci nequit obligatio celebrandi Missas diebus festis expresso deficiente testatoris præcepto : *Cam.*, 11 *maii* 1793, § 6.

§ V.

Missa quoad celebrationis locum.

De jure communi, et de mandato Tridentini, Missa in ecclesia celebrari et audiri debet : *Arb.*, 26 *jan.* 1771, § 11.

Missæ post conventualem certis diebus sunt celebrandæ juxta Missalis rubricas generales : *Imol., Distr.*, 13 *martii* 1773, § 18.

Quando agitur de Missis perpetuis absque designatione ecclesiæ, ubique pro arbitrio celebrari valent : *Fan., Cap.*, 7 *maii* 1791, § 10.

Ad differentiam Missarum manualium, quæ ex præsumpta testatoris affectione celebrandæ sunt in ecclesia tumulante : *Ibid.*

Circa locum celebrandi Missas legitime judicium de mente et voluntate testatoris, ex rerum circumstantiis pendet : *Comps.*, 19 *julii* 1766, § 7.

Quamvis nullus pro Missarum celebratione designatus esset locus, impleri nihilominus deberet in ecclesia in qua testator suum corpus humari præcepit : *Aux., Trans. Miss.*, 15 *febr.* 1772, § 5.

Ex certa animi deliberatione, et pia quadam affectione erga ecclesiam, in qua testator se sepeliri mandavit, præcepisse quoque censetur celebrationem Missarum in eo loco in quo suum corpus quiesceret : *Neap., Capell.*, 16 *junii* 1731, § ult.

Missæ celebrandæ sunt in ecclesia per testatorem designata : *Arim.*, 21 *jan.* 1794, § 5; *Novar., Trans. Miss.*, 6 *aug.* 1791, § 4.

Ubi circa celebrationem Missarum expresse loquitur testator, diversum ferre non debet judicium : *Ferr., Miss.*, 10 *maii* 1794, § 7.

Maxime si testator ecclesiam designaverit ex speciali devotione ; et observantia centenaria accedat : *Ead.; Nov., ibid.*

Ita si sit contemplata populi commoditas, tunc difficilius in alia ecclesia Missæ sunt celebrandæ : *Ib.*

Permittitur vero alibi celebratio in majus ipsius populi commodum : *Ibid.*, § 5.

Quærendum est, ubi Missæ celebrari debeant, cum nulla a testatore fuerit ecclesia præfinita : *Imol., Leg.*, 26 *febr.* 1774, § 11.

Et celebrari debeant in ecclesia, ubi cadaver tumulatum fuit, tum quia id conforme videtur testatoris desiderio : tum quia etiam congruum est, ut ecclesia prædilecta, et quæ defuncti cineres servat, sentiat quoque commodum celebrationis Missarum : *Ibid.*

Præsertim si accedat observantia usque a tempore obitus testatoris, quæ illius voluntatem explicat, atque declarat : *Ibid.*

Quoties testator certam non designavit ecclesiam, liberum reliquisse locum celebrationis Missarum censetur : *Cam.*, 11 *maii* 1795, § 4.

Maxime si ecclesiam designavit pro aliis piis operibus, et observantia accedat : *Ibid.*

Voluisse vero præsumitur celebrationem in ecclesia sibi prædilecta : *Ibid.*, § 5.

Prædilectionis argumenta sunt constructio ecclesiæ, et fundatio perpetuæ capellaniæ : *Ibid.*

Potissimum, si fit mentio ejusdem ecclesiæ in præcedenti parte testamenti : *Ibid.*

Et his concurrentibus non attenditur discretiva : *Ibid.*

In quolibet dubio mandata censetur Missarum celebratio in ecclesia titulari : *Ibid.*

Si religiosi renuant admittere exterum sacerdotem ad celebrandam missam quotidianam in sua ecclesia, datur facultas hæredi eam in quavis alia celebrandi : *Rom., On. Miss.*, 12 *jan.* 1732, § ult.

Missæ manuales una vice celebrandæ, si designata non sit ecclesia, debent ob præsumptam testatoris voluntatem in tumulante exequi : *Fan., Erect. cap.*, 9 *aug.* 1788, § 5.

Missæ perpetuæ, si pariter designata non sit ecclesia, ubi magis libuerit hæredibus, seu exequtoribus testamentariis sunt celebrandæ : *Ibid.*

Ad altare ubi usque celebrata sacra fuerunt, eadem proinde non alibi celebranda sunt : *Perus., On. Miss.*, 20 *sept.* 1766, § 5.

Præsertim non sunt ad aliam ecclesiam, vel aliud altare transferenda præter illud, cui jam irrevocabilem inter vivos dotis fecerat donationem : *Ibid.*, § 6.

Perpetuum Missarum legatum absque designatione ecclesiæ impleri potest, *ubi magis libuerit hæredibus : Senog., Trans. Miss.*, 17 *jan.* 1789, § 4.

Tametsi verba legati directa fuerint ad aliquam congregationem, sive illius conviventes, ex præsumpta tamen voluntate testatoris censendum est eos in legato Missarum quoad celebrationem designatos fuisse, velut rectores ecclesiæ, atque ita non ipsorum sic conviventium intuitu, sed ejusdem ecclesiæ ratione : *Bonon., Leg. Miss.*, 15 *dec.* 1742, § 6.

Imo elicitur testatoris voluntas ex tumulatione proprii cadaveris ibidem optata : *Ibid.*

Et ratio est, quod nihil est honestius et testatoris desiderio conformius, quam quod Missæ ab ipso relictæ celebrentur in ecclesia, quæ suos cineres servat : *Ibid.*, § 7.

In oratoriis publicis ex juris dispositione celebrari potest Missa etiam diebus festis solemnioribus : *Lun. Sarz., Celeb. Miss.*, 4 *april.* 1772, § 2 *et* 4.

Missæ celebratio permissa fuit a Benedicto XIV, Pont. Max., in oratoriis ruralibus etiam in solemnioribus festis : *Plac., Fest.*, 24 *mart.* 1764, § 1.

Cum onere tamen quod capellanus vel in medio Missæ, vel post celebrationem singulis festis diebus fidei rudimenta populo explicet : *Ibid.*

Missæ a testatore relictæ ex præsumpta ipsius voluntate, in ea ecclesia celebrari debent ubi cadaver fuit tumultatum : *Imol., Leg.*, 26 *febr.* 1774, § 6.

Et eo magis enixam voluntatem præsumi, si observantia accesserit : *Ibid.*

In oratoriis privatis societatum licita est celebratio Missæ privatæ assentiente Ordinario loci, et contradicente parocho : *Ferr., Confr.*, 14 *sept.* 1782, § 15.

At in ecclesiis societatum non potest celebrari, nisi aliter Episcopus disponat, Missa sive lecta, sive cum cantu ante Missam parochialem, sive lectam, sive cum cantu : *Ibid.*

MISSA QUOAD CELEBRATIONEM PER SE IPSUM. Vide *Capellanus*, § VIII.

§ VI.

Missa quoad commutationem.

Missæ manuales converti nequeunt in Missas perpetuas sine justa causa : *Perus., Com. vol.*, 18 *dec.* 1790, § 5.

Quandoque in tenues augendas distributiones commutandæ sunt Missæ : *Bonon., Com. vol.*, 21 *junii* 1794, § 6.

§ VII.

Missa conventualis.

Missam conventualem in cathedralibus et collegiatis ecclesiis Honorius III, Pont. Max., præ-

scripsit : *Taur., Mis. conv.*, 10 *julii* 1790, § 3 ; *Nep., Miss. conv.*, 16 *maii* 1789, § 3.

Hanc disciplinam restituit Benedictus XIV, Pont. Max., qualibet consuetudine sublata, et non obstante aliarum Missarum onere, quo singuli canonici ex fundatione gravantur : *Ibid.*

Missa conventualis in cathedralibus, et insignibus collegiatis ecclesiis, inducta ab Honorio III semper habita est ut pars divini officii : *Laqued.*, 20 *sept.* 1788, § 3.

In veteri confirmando jure respexit Benedictus XIV, ad tenuitatem præbendarum, ac tunc onus illud reduci posse ad dies festos permisit, cum cetera remedia a S. Concilio Tridentino proposita deficiant : *Ibid.*

Sunt quidem rigidiores doctores, qui neque ex præbendarum tenuitate, reducendam Missæ conventualis applicationem putant : *Ibid.*, § 4.

Ecclesia immunis non est, nisi cum apertissime manifestum fuit haud recenseri inter collegiatas : *Nep., Miss. conv.*, 16 *maii* 1789, § 3.

Et sacrorum canonum præscriptio Missæ conventualis celebratio adeo stricte injungitur, ut cum in multis ecclesiis omitteretur Missa conventualis de festo, vel de feria, quoties occurret anniversarium pro defunctis, Honorius III, Pont. Max., per decretum *Cum creatura* non omitti mandavit : *Com , Celeb. Miss.*, 28 *sept.* 1771, § 19.

Hinc consuetudo introducta ante tempora Honorii III sublata per illam decretalem, et tanquam abusus rejecta est : *Ibid.*

Rubrica Missalis præscribit, ut in feriis quadragesimæ, aliisque per annum, si festum aliquod occurrat, celebrentur in cathedralibus et collegiatis duæ Missæ una de festo post tertiam, et alia de feria post nonam : *Ibid.*, § 21.

Quod si anniversarium celebrari contingat, tum duæ cum cantu Missæ celebrentur, una scilicet pro defunctis, altera de feria vel festo juxta temporum contingentias : *Ibid.*

Et quæ a rubricis Missalis præscripta sunt, Benedictus XIV Episcopis commendavit : *Ibid.*, § 22.

De S. Congr. Rituum ex oraculo summorum Pontificum servari rubricas Missalis Romani in omnibus, et per omnia mandavit, non obstante quocumque prætextu, et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat : *Ibid.*

Hæc autem decreta limitationem admittunt, quando ex lege fundationis constet de qualitate servitii ecclesiæ, et de numero Missarum in erectione præfinito : *Ibid.*

Textus in cap. *Cum creatura, de Celeb. Miss.*, tunc solum procedit, quando constat de erectione collegii, non autem de quantitate Missarum, quæ pro incertis ecclesiæ benefactoribus debeant applicari : *Cing., Miss. conv.*, 27 *junii* 1772, § 2.

Hinc liberam applicationem Missæ conventualis relinqui oportet : *Ibid.*, § 3.

Hujusmodi oneri satisfactum dici nequit per applicationem sacrificii pro peculiaribus benefactoribus, quia Missa conventualis non pro singulis benefactoribus, sed pro ecclesiæ benefactoribus in genere applicari debet : *Ibid.*, § 6.

Licet Benedictus XIV, encyclica *Cum semper oblatas*, expresse non retractaverit privilegia et indulta applicandi Missam conventualem diebus tantum festis, ita ut ea servasse videatur : *Cam., Miss. conv.*, 14 *dec.* 1793, § 3.

Amplissimæ tamen clausula ejusdem encyclicæ, cujuscumque consuetudinis abrogatoriæ, ipsa etiam afficiunt privilegia : *Ibid.*, § 4.

Bened. XIV in litteris suis encyclicis instaurando obligationem Missæ conventualis in omnibus ecclesiis cathedralibus et collegiatis qualiscumque etiam immemorabilis contrariæ consuetudinis excusationem proscripsit : *Lun. Sarz., Red. Miss. conv.*, 8 *julii* 1786, § 4.

Immemorabilem consuetudinem celebrandi Missam pro benefactoribus servandam statuit Bened. XIV : *Sant.*, 12 *maii* 1792, § 4.

Fortius consuetudinem illam celebrandi secundam et tertiam Missam conventualem : *Ibid.* ; *Cass., Mis. conv. et pro pop.*, 20 *sept.* 1794, § 4.

Et eam solum abrogavit consuetudinem, quæ ex opinionum varietate inducta fuisset : *Ibid.*

Benedictus XIV, const. *Cum semper* provide excusationes substulit, quæ ad declinandam quotidianam Missæ applicationem pro benefactoribus in genere proferri solent : *Chel., Mis. conv.*, 4 *jun.* 1768, § 10.

Et ob exiguitatem redituum habito recursu ad S. Concilii ad festos dies tantummodo reduci possit : *Recin., Mis. conv* , 10 *jan.* 1784, § 3.

Atque an applicationi sacrificii pro benefactoribus in genere obstet animadversio, quod in collegiatæ vel canonicatuum erectione nulla de hac applicatione mentio habita fuerit? nonnulli doctores negativam sententiam tuentur : *Ibid.*, § 12.

Canonicis cathedralium et collegiatarum ecclesiarum onus inhæret non solum canendi in choro horas canonicas, sed etiam Missam conventualem quotidie celebrandi : *Alex., Miss. conv.*, 18 *dec.* 1773, § 7.

Et Benedictus XIV voluit, ut ab iisdem singulis diebus celebretur Missa conventualis, et applicetur pro benefactoribus in genere : *Ibid.*, § 8.

Ab hoc onere eximuntur ecclesiæ, seu presbyterorum consortia, quæ vere et proprie collegiatæ non sunt, et apostolica carent institutione : *Ibid.*, § 9.

Et quoad cathedrales et collegiatas contraria consuetudo licet immemorabilis abusus potius, et corruptela dicenda est : *Ibid.*, § 10.

Aliquis putat, quod quando constat ex lege et statuto fundationis de testatorum et benefactorum præscripto, illorum mens servanda est, et cessat dispositio juris, et interpretandi ratio : *Ibid.*, § 11.

Sed alii putant teneri canonicos cathedralium et collegiatarum ad onus applicationis Missæ conventualis, etiamsi in erectione nullum verbum habitum fuerit de sacrificii applicatione pro benefactoribus : *Ibid.*

Verum Benedictus XIV quando præbendæ canonicorum vel plurium Missarum oneribus gravatæ reperiantur, vel congruis non sint ditatæ reditibus, permisit reductionem Missæ conventualis ad dies festos : *Ibid.*, § 12.

Missam conventualem quotidie celebrandi onus cathedralibus et collegiatis ecclesiis impositum affirmatur : *Mont. Fal., Mis. conv.*, 29 *jan.* 1718, § 6 ; *Fund., App. Miss.*, 13 *sept.* 1721, § 4 ; *Cass., Miss. conv. et pro pop.*, 20 *sept.* 1794, § 2 ; *Recin., Red. Miss. conv.*, 10 *jan.* 1784, § 3 ; *Civit. Duc., Miss. conv.*, 18 *julii* 1795, § 2 ; *Sant.*, 14 *jan.* 1792, § 2 ; *Castri Alb., Vis. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 8 ; *Alex., Mis. conv.*, 7 *julii* 1770, § 6 ; *Vercell., Red.*, 28 *julii* 1770, § 6 ; *Terr. seu Priv. Miss. conv.* 19 *sept.* 1772, § 7.

Ita ut si aliqua ecclesia probet se non esse collegiatam ab hoc onere exempta dicitur : *Ibid.*

Missa conventualis est pro benefactoribus applicanda, non obstante quacumque consuetudine, aut tenuitate redituum : *Terr.*, 4 *mart.* 1719, § 3 ; *Spol., Miss. conv.*, 2 *julii* 1729, § 9 ; cit. *Civit. Duc.* ; cit. *Alex. et Vercell.*

Inspecta tamen tenuitate præbendarum S. Congregatio Concilii benigne indulgere solet, ut illa applicetur in diebus festis de præcepto : *Ibid.*, § 10 ; et cit. *Civit. Duc.*, *ibid.*

S. Congregatio declaravit etiam, quod ob superadditam, seu injunctam hanc applicationem Missæ conventuales non eximantur canonici ab applicatione impositarum aliorum onerum et Missarum, quæ prius applicari solebant pro iisdem benefactoribus : *Ibid.*, § ult.

Sub nomine divinorum officiorum, comprehenditur Missa conventualis : *Verul., Vis. SS. LL.*, 17 *dec.* 1718, § 3.

Quin immo Missa solemnis et conventualis est primo intenta, et horæ canonicæ, tanquam dispositiones ad eam ordinantur : *Ibid.*

Conventualis Missa diaconum et subdiaconum exposcit ita ut in casu solum deficientiæ ministrorum necessariorum, cani valeat cum uno ministro, qui præter solidas functiones, cantat epistolam, cantante sacerdote celebrante evangelium : *Ibid.*

Missam conventualem celebrantibus debita est eleemosyna per modum distributionis, et solvenda est ex reditibus capituli : dict. *Ferr.*, *ibid.*

Antiqua est, et bene multis confirmata canonibus Missæ conventualis obligatio in qualibet cathedrali vel collegiata ecclesia peragenda : *Alb., Red. Miss.*, 17 *jun.* 1786, § 3.

Ea enim tantum divini officii pars semper habita est : *Ibid.*

Hæc obligatio veluti resumpsit Benedictus XIV, encyclica *Cum semper oblatas*, in qua non solum originem, gravitatemque obligationis recenset, sed etiam eam nova veluti auctoritate firmavit : *Ibid.*

Necnon etiam difficultatibus, quæ hac in re exoriri possent, luculenter occurrit : *Ibid.*

Inter hæc meminit præbendarum tenuitatis ; et eo in casu remedia proponit a sac. Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 15, *de Reform.*, constituta : *Ibid.*

Quod si neque ea præsto esse possint, Sac. Congregat. Concilii adeundam esse monet, quæ perpensa paupertate reductionem ad dies tantum festos indulgere haud raro solet : *Ibid.*

Nihilominus sunt rigidiores doctores, qui neque in casu tenuitatis præbendarum temperandum esse putant obligationem applicationis Missæ conventualis : *Ibid.*, § 5.

Inter quos Monacellus, qui affirmat quod non obstante redituum tenuitate Missa conventualis et celebranda et applicanda est : *Ibid.*

Non desunt doctores, qui in ipso præcepto recitandi in choro horas canonicas intrinsecam contineri et præsupponi docent Missæ conventualis celebrationem : *Lun. Sarz., Red. Miss. conven.*, 8 *jul.* 1768, § 3.

Et rationem adducunt, quia horæ canonicæ tanquam dispositiones ad solemnem Sacrificii actionem præscribuntur, ita ut actio sacrificii sit præcipue, et primario intenta, cantus vero horarum canonicarum sit præparatio ad solemnis Missæ celebrationem : *Ibid.*

Quatenus constet de ecclesiæ collegialitate amplecti, et observare decet Missam conventualem horarum canonicarum partem : *Civit. Castell., Miss. conv.*, 16 *dec.* 1786, § 7.

Propterea ad illius celebrationem omnes tenentur per vices canonici cujusvis illi sint erectionis : *Ibid.*

Applicatio Missæ conventualis pro benefactoribus quorum memoria fundamentum est, præteriri nequit : *Urb*, 15 *sept.* 1787, § 3.

Et hoc in casu plurimi æstimandæ sunt episcopales sanctiones : *Ibid.*

Induci valet consuetudo plures Missas conventuales celebrandi : *Ibid.*, § 4.

Missa conventualis est præcipua divinorum officiorum pars, ita quidem, ut eam celebrare teneantur non canonici tantum, sed beneficiati, quoque mansionarii, cæterique chori et ecclesiæ servitio addicti : *Pisan., Appl. Miss. conv.*, 6 *jul.* 1737. § 4.

Et tam canonici quam memorati beneficiati, capellani, seu mansionarii obstricti onere Missam conventualem celebrandi, nequeant eam nisi in benefactorum suffragium applicare, tametsi in eorum erectione nullum de sacrificii applicatione pro benefactoribus habitum fuerit verbum, et iidem canonici, seu beneficiati, ab immemorabili tempore, consueverint eam simpliciter celebrare, facta applicatione pro iis qui sibi eleemosynam obtulerunt : *Ibid.*

Missæ conventualis quotidiana applicatio pars divini officii reputatur : *Fabr.*, 18 *dec.* 1789, § 4 ; *Albin., Miss. conv.*, 9 *aug.* 1788, § 3.

Ac tenuitas præbendarum est justa causa reductionis ad dies dominicos, aut festos saltem de præcepto : *Ibid.*

Præsertim si cætera desint remedia a Sacr. Concilio Tridentino proposita, sess. 24, cap. 15, *de Reform.* : *Ibid.*

Missa conventualis est applicanda in illis ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, quorum peremptа est benefactorum memoria : *Null. S. Ruph. prov. Rav.*, 8 *aug.* 1761, § 5.

Missa conventualis est quotidie solemni ritu celebranda : *Saler., Edict.*, 27 *sept.* 1732, § ult.

Missa conventualis non fructuum, et distributionum, sed ipsius collegii canonicorum, qui tenetur ad illius celebrationem est onus. *Sen., Jub.*, 12 *jan.* 1760, § 6.

Quin immo Missa conventualis est primo intenta, et præcipua pars divinorum officiorum canonicis incumbentium, et horas canonicas tanquam dispositiones ad eam ordinatas insinuat : *Ibid.*

Ad celebrationem Missæ conventualis cum applicatione pro benefactoribus in genere tanquam inhærentem universo canonicorum cœtui teneri alternatim omnes canonicos cujusvis sint illi erectionis, nullo excepto stipendio : *Fav., Miss. conv.*, 29 *april.* 1780, § 7.

Missæ duæ quolibet mense conventuales ad formam Constitutionum Urbanarum Regulæ, cap. 3, tit. 7, num. 11 et 13, nempe pro omnibus religiosis defunctis, et benefactoribus, et pro fundatore conventus cani debent : *Firm., Offic.*, 29 *aug.* 1761, § 4.

Missæ conventuales ex canonica dispositione plures etiam juxta rubricam celebrandæ sunt in cathedralibus et collegiatis ecclesiis : *Firm., Miss. conv.*, 23 *nov.* 1793, § 3.

Quandoque concessa fuit ob consuetudinem libera secundæ et tertiæ Missæ applicatio : *Ibid.*, § 5.

In cathedralibus et ecclesiis collegiatis Missa conventualis quotidie celebranda, et pro benefactoribus in genere applicanda est : *Senog., Miss. conv.*, 2 *dec.* 1786, § 5.

Imo juxta rubricam generalem aliquibus anni temporibus secunda quoque, et tertia Missa accedit : *Ibid.*

Ad inducendam obligationem Missæ conventualis non sufficit, quod ecclesia sit cathedralis, vel collegiata, sed requiritur, quod habeat sufficientem numerum ministrorum : *Ibid.*, § 7.

Et pro Missa requirantur septem personæ, nimirum celebrans, diaconus, et subdiaconus : duo ceroferarii, thuriferarius, et acholytus : *Ibid.*

Ac pro choro saltem quatuor, quia cum cantu esse debet : *Ibid.*

Etsi idem clericus possit supplere pro acholyto, ut thuriferario : *Ibid.*

Et deficientibus ministris cani potest Missa conventualis a celebrante cum unico ministro canente epistolam : *Ibid.*, § 8.

Missa conventualis sicuti pars divini officii est, ita officio diei correspondere debet : *Ibid.*, § 9.

Onus Missæ conventualis quotidie applicationis pro benefactoribus contraria observantia immemorabilis sive præscriptive, sive interpretative, accipiatur clare, aperteque non excludit : *Imol*, *Mis. conv.*, 26 *jan.* 1771, § 6.

Oneris Missæ conventualis pro benefactoribus initium, et origo depromitur ex tex. in cap. *Cum creatura* : *Ibid.*, § 7.

Cum istius textus dispositio ad solas ecclesias collegiatas et cathedrales, hinc communis invaluit opinio, solas illas ecclesias ad quotidianam Missam conventualem pro benefactoribus in genere teneri ; *Ibid.*

Hæc ipsa opinio communi calculo recepta, ac approbata est, tum a Sacræ Rotæ auditorio, tum a Sac. Congreg. Concilii et const. *Cum semper* Bened. XIV : *Ibid.*, § 8.

Et ecclesiæ mere communitativæ, et receptivæ sunt exemptæ ; etiamsi servitium ecclesiæ instar cathedralium et collegiatarum sit quotidianum : *Ibid.*, § 9.

Et ecclesiis omnibus patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis, sacrum conventuale singulis diebus pro benefactoribus agi debet : *Luc., Mis. conv.*, 14 *mart.* 1750, § 1.

Limita tamen quod sacrum conventuale applicare non tenentur capellani pro iis benefactoribus qui certo numero sacrorum constituto in fundatione capellaniæ animæ suæ consuluerunt : *Ibid.*, § 4.

Monachi monasterii S. Pantaleonis Lucensis, collegia capellanorum ejusdem civitatis, et parochialium ecclesiarum parochi, ad applicationem sacri conventualis non tenebantur : *Ibid.*, § 5.

Missa conventualis servari debet non obstante tenuitate præbendarum redituum; et indigentiæ canonicorum succurrendum est per unionem beneficiorum simplicium : *Civit. Duc.*, *Mis. conv.*, 18 *jul.* 1795, § 3.

Missa secunda aut tertia applicari quoque debet pro benefactoribus in specie : *Santan.*, 14 *jan.* 1792, § 3.

Vel nisi præbendarum tenuitas excuset; quæ æstimari solet etiam, dum est tenuitas relativa : *Ibid.*

Hoc onus impositum in fundatione beneficiorum, tanquam lex servari debet : *Cast. Alb.*, *Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 8.

Si ex lege fundationis constet de numero Missarum, quæ in benefactorum suffragium sint applicandæ, tunc Missæ conventuales celebrandæ forent juxta numerum in fundatione præfinitum : *Feren.*, 26 *mart.* 1735, § 8.

Onus applicationis Missæ conventualis pro benefactoribus in genere parochialibus, et beneficiis unitis non est adnexum : *Thel.*, *Mis. conv.*, 4 *junii* 1768, § 3.

Imo cessante præcisa obligatione in fundatione collegiatæ, et accedente contraria consuetudine, nequaquam gravari potest capitulum onere applicationis Sacrificii pro benefactoribus in genere : *Ibid.*, § 4.

Ab hujusmodi onere eximuntur ecclesiæ de quarum erectione in collegiatam non constat, neque ea concurrunt, quæ collegiatam constituunt, licet divina officia quotidie celebrentur, et Missa canatur : *Terr. seu Priv.*, *Mis. conv.*, 19 *sept.* 1772, § 7.

Missa conventualis non venit applicanda pro benefactoribus in ecclesiis quæ collegiatæ non sunt : *Prænest.*, *Miss. conv.*, 6 *mar.* 1779, § 6.

Etiamsi species quædam collegialitatis ecclesiæ sortiri videretur : *Ibid.*, § 8.

Atque validiora concurrerent indicia collegialitatem comprobantia : *Ibid.*

Pro sacri conventualis onere explendo non sufficit quod ecclesia cathedralis sit vel collegiata, sed tot etiam habere debet ministros, qui prædicto oneri explendi satis sint : *Call.*, *Red. Miss. conv.*, 25 *jan.* 1744, § 2.

Missa conventualis tanquam pars divini officii choralis debet in ecclesiis cathedralibus et collegiatis quotidie celebrari, et applicari pro benefactoribus, non obstante quacumque consuetudine contraria : *Pien.*, *Red. oner.*, 17 *febr.* 1731, § 5.

Quoties autem canonicorum præbendæ sint tenues, benigne indulgeri consuevit, ut illa applicetur tantum in diebus festis de præcepto, non obstante quod capitulum haberet onus celebrand alias Missas, et quotidianæ recitationis precum cum applicatione pro benefactoribus : *Ibid.*, § 6.

Et quatenus dictis ecclesiis cura animarum immineat, præter Missam conventualem celebrari etiam debet Missa parochialis de populo, quæ provenit ex obligatione pascendi oves, et offerend sacrificium pro illis; quum eadem Missa non potest satisfieri duabus obligationibus distinctis, quum unaquæque illarum obliget ad substantiam Missæ ex proprio titulo : *Ibid.*, § ult.

Eleemosyna Missæ conventualis ex massa distributionum capituli desumi debet : *Senen.*, *Jub.*, 12 *jan.* 1760, § 5.

Nulla injuncta apparet in actu erectionis collegiatæ obligandi Missam conventualem ob tenuitatem emolumenti, quod oneri non respondet, ob necessariam proportionem, quæ intercedere inter emolumentum, et onus debet : *Aret.*, *Miss. conv.*, 18 *nov.* 1769, § 4.

Quum non semper a canonicis, aut dignitatibus, Missa conventualis celebretur, sed aliquando a beneficiatis, et mansionariis, tunc eleemosyna pro his ex massa distributionum desumi debet : *Scepus.*; *Miss. conv.*, 6 *maii* 1797, § 4.

Facile Missa conventualis reduci non debet : *Brug.*, *Miss. conv.*, 19 *dec.* 1795, § 4.

Potissimum si celebrari consueverit : quia fas non est a consuetudine recedere : *Ibid.*

Missæ conventualis applicatio in ecclesia collegiata quotidie celebrandæ, inspecta tenuitate redituum ad solos dies festos de præcepto est restringenda : *Amer.*, *Miss. conv.*, 12 *febr.* 1746, § 2.

Redituum tenuitas non eximit omnino capitulares ab onere Missæ conventualis, sed officit ut ad dies festos coerceatur : *Terr. seu Priv.*, 19 *sept.* 1772, § 10.

Quando nullos benefactores incertos canonici habent, non est Missa conventualis pro illis applicanda : *Null. S. Ruph. Prov. Rav.*, 8 *aug.* 1761, § 6.

Missa conventualis quacumque contraria consuetudine licet immemorabili, aut proventuum tenuitate minime suffragante, in singulis cathedralibus, et collegiatis ecclesiis in benefactorum suffragium quotidie celebrari debet : *Mont. Mar.*, *Mis. conv.*, 21 *maii* 1735, § 5.

Verum ab hoc onere omnes ecclesiæ sunt exemptæ, quæ collegialitatis jure non potiuntur : *Ibid. et Cass.*, 20 *aug.* 1735.

Etiamsi in illis ecclesiis horæ canonicæ quotidie persolvantur, et Missa cum cantu celebretur : *Collen.*, *Appl Mis. conv.*, 8 *febr.* 1783, § 6; et *Imol.*, *Miss. conv.*, 26 *jan.* 1771, § 4.

Nam ad applicationem Missæ conventualis pro benefactoribus in genere tenentur ex juris dispositione ecclesiæ tantum cathedrales et collegiatæ, non vero communitativæ et receptitiæ : in ead. *Imol.*, *ibid.*

Sacrum conventuale, sicuti agitur pro benefactoribus incertis, et quorum periit memoria, hoc ideo onere non gravari nequeunt canonicatus illi, qui de novo erecti certos habent fundatores, certaque onera data in fundatione : *Arim.*, *Miss. conv.*, 18 *sept.* 1751, § 3.

Illæ collegiatæ, de quibus ex lege, et statuto fundationis constat de qualitate, et quantitate servitii ecclesiæ, et de numero Missarum et officiorum a fundatoribus et benefactoribus præscripto, excipiuntur ab onere Missæ conventualis : *Null. Trium. Font.*, *Mis. conv.*, 14 *mar.* 1772, § 8.

Ex jure ministrorum assistentia Missæ conventuali, in ecclesia duntaxat cathedrali, vel collegiata, quæ sacerdotales habet præbendas, requiritur : *Tol.*, *Mis. conv.*, 26 *april.* 1788, § 5.

Non item in collegiata impropria, et nominis, in qua clericales tantum sunt præbendæ : *Ibid.*

Capituli prima dignitas in solidum cum reliquis canonicis ad sumptus Missæ conventualis tenetur : *Ibid.*, § 6.

Reliqua. Vide *Beneficiati*, § x; *Canonici*, § v; *Capitulum ecclesiasticum*, § vi; *Dignitates ecclesiasticæ*, § iii.

§ VIII.

Missa quoad deletionem.

Peremptis in totum reditibus, in totum etiam cessat obligatio celebrandi Missas : *Spol.*, 17 *jun.* 1775, § 9.

Si bona defecerunt legati pii culpa legatarii non cessat obligatio celebrandi ; si autem citra culpam legatarii perierint, tunc onus Missarum delere debet : *Viter.*, *Red.*, 10 *maii* 1783, § 4.

Justa abolitionis Missarum causa esse potest fundorum defectus absque culpa legatarii : *Civit. Cast.*, *Red. oner.*, 19 *dec.* 1789, § 4.

Ex deficientia redituum legatorum abolenda sunt potius onera Missarum, et suffragiorum, quibus suppleri potest de thesauro ecclesiæ, quam deserere infirmorum expositorumque curam ex præcepto charitatis præstandam, et tantopere commendatam a sanctis Patribus, sacrisque conciliis : *Crem.*, *Supp. oner.*, 15 *febr.* 1761, § 2.

Licet ex regula sit, ubi nequeant onera impleri, alia potius sint revocanda quam illa Missarum ; *Ibid.*, § 3.

Limitatur, sed quum testatores hæreditas, et legata hospitali reliquerint, primario respexisse videntur ad prædicta opera ex instituto implenda secundario ad Missas et eleemosynas in suffragium propriæ animæ : *Ibid.*

Quando agitur de onere Missarum per contractum assumptum juxta constantissimam S. Congr. Concilii sententiam, nedum deletur, sed nec etiam reducitur : *Egitan.*, *On. Miss.*, 24 *jan.* 1778, § 10.

§ IX.

Missa quoad eleemosynam.

Licet a S. Concilio Tridentino cujusvis generis conditiones, et pacta pro Missis celebrandis prohibeantur, licitum nihilominus est sacerdoti pecuniam recipere pro Missa non quasi pretium Missæ, sed in causam suæ conservationis : *Disc. secr.*, 13 *april.* 1726, § 2.

Justa pro Missa eleemosyna est illa quæ requiritur ut sacerdos celebrans vivere possit, tum quia inutilis esset sacrorum canonum dispositio, quæ præscribit ut nemo ordinari possit, nisi ad titulum beneficii, vel patrimonii, tum quia per alia media honesto potest sacerdos celebrans sibi quærere victum qualibet die : *Ibid.*, § 3.

Quantitas eleemosynæ, et justa ejus taxa desumenda est aut a decreto Episcopi, aut a communi consuetudine, quæ vigeat in diœcesi, vel a lege synodali : *Ibid.*, § 4.

Eleemosyna per consuetudinem localem vel legem synodalem aut Episcopi decretum taxata, id operatur ut sacerdotes plus exigere non possint, præcedente pacto implicito, sed non facit ut ampliorem eleemosynam sibi sponte oblatam accipere non possint : *Ibid.*, § 5.

In taxatione eleemosynæ habenda est ratio circumstantiarum loci et temporis, et signate caritatis vel vilitatis annonæ : *Ibid.*, § 6.

Infinitus est Missæ valor, sed finita applicatio, ita ut pro una Missa non licet plures eleemosynas accipere, et pluribus oneribus satisfacere : *Ferr.*, 19 *julii* 1783, § 11.

Sacerdos, qui tenetur ad solam Missæ celebrationem, non autem ad illius applicationem, potest pro applicatione eleemosynam accipere : *Ibid.*

Imparitas eleemosynæ Missarum ab annonæ ca-

ritate, regionis more, incommodo celebrationis, loco, et tempore, similibusque circumstantiis desumitur : *Jun., Red. Miss. et oner.*, 17 *junii* 1786, § 6.

Perpetuitas legati Missarum eleemosynam exigit ad taxam perpetuæ juxta notissima Urbani VIII et Innoc. XII, Pont. Max., decreta et concilii Romani Bened. XIII : *Alex.*, 28 *julii* 1787, § 6.

Decreta generalia S. Cong. Concilii per Urbanum VII et Innoc. XII confirmata, retineri prohibent, quod manualem excedit eleemosynam, si res sit de Missis manualibus ; secus de Missis ex fundatione capellaniæ vel beneficii celebrandis : *Null. S. Salv. Maj., Cap.*, 18 *aug.* 1792, § 6.

Turpe lucrum est tradere sacerdoti eleemosynam manualem, retenta altera portione pro Missa assignata : *Null. Lepr., Cap.*, 14 *jan.* 1773, § 5.

Eleemosyna a fidelibus oblata pro celebratione Missarum debetur integra non aliqua ejus quota sacerdoti celebranti est tradenda : *Civit. Cast., Eleem. Miss.*, 29 *apr.* 1780, § 6.

Eleemosyna Missarum, quam recipiunt sacerdotes, non est pretium Missæ ; sed causa eorum conservationis : *Ibid.*, § 11.

Cui pingue aliquod emolumentum pro sacri celebratione relictum est, cum alteri sacerdoti sacrificium peragendum committit, nequit aliquo sibi retento reliquum delegato sacerdoti tradere, sed integrum ei præstare debet : *Rom., Leg.*, 8 *febr.* 1744, § 3.

Justa eleemosynæ Missarum taxa desumi debet vel a communi consuetudine, quæ viget in diœcesi, vel a lege in synodo præscripta, vel demum ab Episcopi decreto : *Alex., Celeb. Miss.*, 12 *jan.* 1743, § 9.

Disputatur inter doctores num Episcopus statuere possit ne sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata : *Ibid.*, § 10.

Alii affirmativam, alii negativam sententiam tenent : *Ibid.*

In decernenda Missarum reductione servatur plerumque, ut illarum eleemosynam ad rationem, ut aiunt manualem, constituat, id est, ad eam quantitatem quæ vel ex synodali taxa, vel ex recepta regionis consuetudine præstatur pro singulis Missis, quas fideles dictim, et ad manus tradita sacerdotibus eleemosyna, celebrari curant : *Lun., Sarz., Red. Miss.*, 28 *jun.* 1769, § 11.

Ratio eleemosynæ perpetuæ juxta diversum cujusque civitatis, diœcesis, aut provinciæ morem, diversimode statui consuetum est : *Ibid.*, § 13.

Sed concilium Romanum anno 1725 constituit, ut pro Romana provincia taxa Missarum perpetuam ad rationem dupli, id est annuæ quantitatis scut. 60 præfiniatur : *Ibid.*

Et ad hanc rationem reduxit Benedict. XIV in archidiœcesi Bononiensi, dum illam ecclesiam regeret, onera Missarum : *Ibid.*, § 14.

Missarum eleemosyna taxari potest ad rationem perpetuæ, si testator beneficium seu capellaniam cum certo Missarum numero fundavit : *Arim.*, 14 *jan.* 1741, § 3.

Limita ; si testator indixit celebrationem tot Missarum ad mensuram redituum in hunc finem relictorum, quia tunc eleemosyna taxatur ad rationem manualis juxta cujusque civitatis morem : *Ibid.*

Pro celebratione Missæ perpetuæ debetur eleemosyna ad taxam perpetuæ ; *Spol., Leg.*, 16 *jun.* 1792, § 5.

Et in dubio intelligenda est eleemosyna ad taxam perpetuæ, ne elusorium reddatur legatum remunerationis gratia relictum ; *Ibid.*

Rectius tamen decerni nequit de quantitate eleemosynæ, quam ex solito testatoris : *Ibid.*, § 6.

Eleemosyna Missarum pro oneribus perpetuis præfinita fuit in ratione ob. 20. pro qualibet Missa : *Aquen., Red.*, 30 *maii* 1772, § 10.

Sed in more positum est, ut præfiniatur in ea quantitate, quæ vel ex synodalibus constitutionibus, vel ex recepta religionis consuetudine præstari pro Missis manualibus solet ; *Ibid.*

Si agitur de imminuenda onerum quantitate ; constituendaque proportione servata eleemosyna, postquam dispositio jam fuerit executioni demandata tunc, ut minori quo fieri potest numero Missarum reductio sequatur, manualis eleemosyna constituitur : *Mon. Fal.*, 15 *sept.* 1770, § 10.

Si demonstrativa sit eleemosyna subsequens assignatio, supplere tenetur hæres majorem illius quantitatem, quam temporum vicissitudines, aliæque circumstantiæ solitam reddunt ; *Spol.*, 17 *sept.* 1791, § 6.

Supplere debet justam Missæ eleemosynam, qui sentit ejus celebrationis commodum : *Cæs., Cap.*, 19 *dec.* 1795, § 8.

Missæ celebratio ad certam ecclesiam, vel certum altare, illudque dispositum, majorem exigit eleemosynam : *Nov., Red. Miss. et Abs.*, 12 *maii* 1792, § 5 ; *Foros., Red. Miss.*, 5 *apr.* 1794, § 5 ; *Rom., Leg. Miss.*, 22 *aug.* 1795, § 6 ; *Brach., Red. Miss.*, 15 *julii* 1797, § 3.

Ratio idcirco majoris incommodi celebrationis Missarum majorem postulat eleemosynam : *Civit. Plab.*, 11 *maii* 1793, § 7.

Æquandum est onus Missarum cum eleemosynis adventitiis ; quum justa inter emolumentum et onus esse debeat proportio : *Anc., Trans. Miss.*, 7 *febr.* 1789, § 8.

Eleemosynæ Missarum custodiendæ sunt ab ædi-

tuo juxta cæremoniale Episcoporum : *Senog.*, 12 *jun.* 1789, § 18.

Quisque ex capellaniis collegiatæ S. Mariæ de Vineis Januæ ex privilegio et gratia percipere potest summam librarum sexcentum, quæ sunt scuta centum monetæ Romanæ, pro unica tantum Missa in die celebranda, ne alias ex tenui stipendio ad eorum congruam insufficienti divinus cultus in ea ecclesia minueretur : *Jan.*, *Celeb. Miss.*, 3 *sept.* 1701.

§ X.

Missa quoad fundum.

Quando S. Congr. permittit ut fiat assignatio in bonis pro celebratione Missarum, intelligit de bonis vere stabilibus, et non de censibus, licet ad alios effectus census inter stabilia recenseantur : *Polic.*, 17 *aug.* 1726, § 5.

Perpetuo onere Missarum absque fundo gravari ecclesia nequit : *Firm.*, 7 *febr.* 1789, § 4.

Inverisimile est, ut collatæ dotis Missarum nulla extet memoria, quando alterius non controversi, et contemporanei oneris locupletissima adsunt testimonia : *Rom.*, 6 *maii* 1786, § 5.

Multoque inverisimilitas in ea benefactrice quæ dicti alterius non negati Missarum oneris adeo sollicita fuit, ut tribus quodammodo non fidens codicillis legati, memoriam lapidi in ecclesia affigendo consignari mandaverit : *Ibid.*

Census non recensentur inter bona ac res stabiles, quando res est de celebratione Missarum, earumque fundo : *Inter.*, 8 *julii* 1775, § 5.

Reditus Missarum taxative a donatoribus fuit assignatus, cum ab illius nuncupatione donatio incipiat, moxque oneris impositio sequatur : *Ulyss.*, 26 *nov.* 1785, § 6.

Census cum locis piis, et communitatibus fuit idoneum sunt investimentum pro celebratione Missarum : *Imol.*, *Leg. pii*, 20 *sept.* 1794, § 12.

Quod destinatum est celebrationi Missarum, in alios usus pios erogari non debet : *Derth.*, *Com. vol.*, 10 *maii* 1794, § 5.

In ejus præsertim favorem qui sciens vendidit bona celebrationi obligata : *Ibid.*

Solvens sortem relictam pro celebratione Missarum sua liberatur obligatione ; veluti per rem judicatam : *Imol.*, *Leg. pii*, 20 *sept.* 1794, § 10.

Ex pecuniis pro celebratione Missarum census non acquiruntur, qui pro hujusmodi effectu inter bona stabilia recensendi non sunt : *Fir.*, *On. Mis.*, 2 *jan.* 1764, § 5.

§ XI.

Missa quoad numerum.

A primis usque christiani nominis sæculis fuisse in more positum, ut sacerdotes una eademque die pluries divina mysteria celebrarent, dubitari haud posse videtur : in *Vot secr.*, 20 *aug.* 1768.

Hic mos, aucta presbyterorum copia, longe lateque augeri Ecclesia latina permisit : *Ibid.*, § 2.

Imo eo pervenit nonnullorum pietas, ac religio, ut non bis tantum, aut ter ; sed quoties sibi liceret, sacrum eadem die repeterent : *Ibid.*

Hinc factum est, ut Græci schismatici Michaelis Cerularii adhærentes hanc Latinis quasi prævaricationem objecerint : *Ibid.*, § 3.

Inde ob turpem cupiditatem complurium presbyterorum necessarium fuit, ut sacrificii iterandi placito aliqui præfigerentur limites : *Ibid.*, § 4.

Et statuta ecclesiarum singularum minime satis fuerunt ad modum imponendum sordidæ presbyterorum avaritiæ ; idcirco Summi Pontifices eam coercerunt suis legibus : *Ibid.*, § 5.

Inde decreto Alexander II, can. *Sufficit*, *de Consec.*, dist. 1, veterem morem sæpius in die celebrandi circumscriptum fuisse in universa Ecclesia ad unam tantummodo Missam, vulgo creditum est : *Ibid.*, § *dub.* 6.

Primus itaque, qui eodem die sacrum ab uno sacerdote iterari vetuit, fuit Innocentius III, quia sufficere unam Missam ait in responsione Episcopo Wigorniensi : *Ibid.*, § 7.

Qui præterea excepit diem Nativitatis, Dominicæ Resurrectionis, et casum necessitatis : *Ibid.*

Et quamvis verbum *sufficit* consilium indicet, sæpe in hac tamen responsione necessitatem complectitur, et præceptum : *Ibid.*

Per varias orbis regiones curarunt complures Episcopi in suis synodalibus constitutionibus edicere unam tantum Missam semel in die, excepto casu necessitatis, a sacerdote celebrari ; etiam sub arcerbioribus pœnis : *Ibid.*, § 9.

Causas necessitatis, quibus suadentibus fas esset ex Innoc. III dispositione sacrum eodem die iterare glossa reducit ad causas honestatis, vel utilitatis : *Ibid.*, § 9.

Et vocabulum *utilitatis* intelligendum est non de utilitate celebrantis, sed Missam audientis : *Ibid.*

Alii alias causas hujusmodi necessitatis enunciant : *Ibid.*, § 10.

Pro hospitibus nempe, et peregrinis venientibus :

sacerdos tunc post primam Missam circa horam tertiam diei celebratam jejunet : *Ibid.*

Si duæ festivitates simul occurrunt, duæ vel tres celebrari poterunt : *Ibid.*

In diebus Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ, et quando corpus in propria ecclesia fuerit duntaxat tumulandum : *Ibid.*

Ac necessitas limitatur in festis IX lectionum, vel in Quadragesima, vel in Quatuor Temporibus, vel si sponsalia fieri oporteat, vel in subveniendo socio infirmo, vel pro ecclesiæ suæ negotio, vel propria necessitate manifeste absente : *Ibid.*

Hinc Guillelmus Durandus, episcopus Mimatensis, enumerat casus omnes in quibus plures Missas celebrare sua ætate fas erat : *Ibid.*, § 11.

1° In festo Natalis Domini ; 2° ubi necessitas exigit, puta si quis moriatur ; 3° propter honestatem, ut aliqua magna persona superveniens audire Missam velit ; 4° causa utilitatis, puta propter peregrinos, propter commeantes, propter infirmos, propter sponsos, propter raritatem sacerdotum ; 5° cum duæ occurrunt festivitates, possunt etiam tres celebrari ; 6° si in die jejunii occurrit aliquod solemne festum, potest unam de festo aliamque de jejunio celebrare : *Ibid.*

Casus omnes antiqui, qui, dum Ecclesia exiguo sacerdotum numero laborabat, frequentes erant, quibus unus possit pluries in die Sacra operari, exoleverunt : *Ibid.*, § 12.

Et vix casus superfuit, in quo citra specialem Episcopi concessionnem id liceat, hempe quando unus habeat plures ecclesias parochiales : *Ibid.*

Ex communi theologorum sententia necessitas casus ad sacrificium eadem die repetendum est, cum duas presbyter parochias habet, si in alterutram parochiam nequeat populus convenire, nec alius præsto sit sacerdos præter parochum, qui Missam possit celebrare : *Ibid.*, § 13.

Id ipsum concessum esse intelligitur, quoties parochus duos populos habet adeo distantes, ut alter ipsorum eidem parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo ob maximam locorum distantiam possit : *Ibid.*, § 14.

Item ampliatur, quod expedit etiam ut parocho potestas secundum offerendi sacrificium, tametsi una tantum sit ecclesia, in qua Missæ celebrantur, et ad quam universus populus insimul convenire non potest : *Ibid.*, §§ 15, 16 et 17.

Et non alia necessitatis causa est admittenda secundum hodiernam Ecclesiæ disciplinam, quam quæ oritur ex defectu alterius sacerdotis, qui aliud sacrificium offerre possit : *Ibid.*, § 18.

Quæ tamen ita intelligenda sunt, ut nullum inde inferri putetur præjudicium aliis casibus, qui solent contingere in sacris missionibus, in quarum utilitatem missionariis conceditur facultas plures celebrandi Missas eadem die : *Ibid.*

An ad sacrum bis celebrandum in locis, ubi prædicta urget necessitas, parochi opus habeant licentia Episcopi, est doctorum disputatio : *Ibid.*, § 19.

Quidam negative sentiunt, ea ducti ratione, quod facultas hæc a jure communi concedatur : *Ibid.*

Affirmativam complures alii tuentur sententiam : *Ibid.*

Sed sive sit necessaria licentia Episcopi, sive non, id certe necessarium est ut ille rem cognoscat, ac perspiciat, num revera necessitas urgeat, ut sacerdos duas Missas celebrare cogatur : *Ibid.*

Sed ad proferendum justum judicium de hujusmodi titulo necessitatis, expendi debet an locus esse possit remediis a sacris canonibus et a sacro Concilio Tridentino institutis : *Ibid.*, § 20.

Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 4, decernit ut Episcopi ecclesias parochiales, in quibus numerosus sit populus, et unus rector non sufficiat, cogant rectores alios sacerdotes sibi adjungere : *Ibid.*

Hinc episcopali auctoritate adigi poterunt, qui duas parochias, vel duos populos valde dissitos habent, ad eleemosynam alteri sacerdoti elargiendam, qui Missam diebus dominicis festisque celebret in alia dissita ecclesia, vel etiam in eadem, ad quam universus populus insimul conveniri nequit : *Ibid.*

Permissum non est unicuique sacerdoti nisi Missam unam quolibet die celebrare : in *Disc. secr.*, 16 *dec.* 1724, § 5 ; *et Castell.*, 2 *maii* 1722, § 2.

Excepto die Nativitatis Dominicæ, quo tres Missæ a quolibet sacerdote celebrantur : *Ibid.*

Et juxta disciplinam, qua vivimus, impositæ sunt gravissimæ pœnæ sacerdoti plures Missas eadem die celebranti : *Ibid.*

Licet antiquioribus temporibus, et etiam post multiplicationem numeri sacerdotum, plures Missæ laudabiliter ab unoquoque sacerdote uno die celebratæ sint : *Ibid.*, § 3.

Tres Missæ diei Nativitatis Domini sunt inter se distinctæ, uti sunt realiter tres Missæ, quæ eodem die celebrantur ad recolenda plura Dei beneficia, hoc est quando una celebratur pro festo, alia pro jejunio, et alia pro mortuis : *Ibid.*, § 16.

In terminis primæ Missæ, quæ nocte Nativitatis Domini canitur in ecclesiis, prohibitum est a decretis Congregationis Sacrorum Rituum, et Sacræ Visitationis, ut aliæ duæ immediate canantur, et ut fidelibus media nocte confluentibus Eucharistia exhibeatur : *Ibid.*, § ult.

Reliqui vero sacerdotes privatim celebrantes possunt tres Missas die Nativitatis Domini celebrare cum intervallo, aut sine intervallo : *Ibid.*

Pluries eadem die ab uno sacerdote Missæ sacrificium fieri, non est divina lege vetitum, nec natura ipsius Sacrificii repugnat quod ab eodem Ministro sæpius offeratur : *Oriol., Visit. SS. LL.*, 30 *aug.* 1732, § 2.

Quare priscis Ecclesiæ temporibus integrum erat sacerdotibus, una eademque die plures, quot vellent, Missas celebrare, uti tradunt Card. Baronius, et alii : *Ibid.*

Alexander II statuit sufficere sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est et totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, et valde felix est qui unam digne celebrare potest : *Ibid.*, § 2.

In regno Aragoniæ, quod Aragoniam, Valentiam, et Cataloniam comprehendit, die Commemorationis omnium Defunctorum a sacerdotibus secularibus binas Missas et a regularibus tres Missas celebrantur : *Ibid.*, §§ 4 et 6 ; *Oriol., Visit. SS. LL.*, 30 *aug.* 1732, § 6.

Mos hic pluries celebrandi Missas die Commemorationis omnium Defunctorum viget etiam in regno Majoricæ utpote de appendicibus regni Aragoniæ, et in ecclesia conventus S. Jacobi P. Dominicanorum civitatis Pampilonensis, qui conventus olim suberat provinciæ Valentinæ : *Ibid.*, § 6.

Nonnulli auctores asserunt, exoptandum esse ut hoc indultum pluries celebrandi die Defunctorum ad alia regna extendatur : *Ibid.* § ult.

In hoc distinguitur applicatio a celebratione, quod celebratio probanda est per testes, vel scripturam, quando applicatio probatur per juramentum ejus qui celebravit : *Amalphi.*, 28 *jul.* 1724, § ult.

Tres Missæ diei Nativitatis Domini haberi quodammodo possunt pro unica Missa, ex quo videlicet in tribus prædictis Missis Christi Nativitatis semper recolitur, æterna videlicet, temporalis, sed spiritualis, et temporalis insimul et corporalis juxta doctrinam divi Thomæ : *Disc. secr.*, 16 *dec.* 1724, § 7.

Certa est theologorum opinio, quod, secluso voto, aut alia obligatione speciali, nullus sacerdos tenetur die Nativitatis Domini tres Missas celebrare, nec fidelos dicta die tres Missas, sed unam tantum tenentur audire : *Ibid.*, § 13.

Innocentius III decrevit, ut, excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam tantum Missam celebrare : *Ibid.*, § 4.

Quamvis antiquitus (præter diem Dominicæ Nativitatis) a quocumque sacerdote binæ Missæ celebrari solerent anniversario die Circumcisionis Domini, itemque duæ vel tres in Natali S. Joannis Baptistæ, ac binæ etiam in die SS. Apostolorum Petri et Pauli nobilitata martyrio, nihil tamen aiunt scriptores de more bis sacrificandi etiam in celebratione omnium Sanctorum : *Ibid.*, § 9.

Prioribus Ecclesiæ seculis celebrari solebant tres Missæ solemnes feria V in Cœna Domini : *Bonon.*, 14 *mart.* 1795, § 2.

At per sacramentarium divi Gregorii Magni ad unam reducto trium Missarum numero, in eam translatæ sunt triplices cujusque Missæ functiones, et injuncta communio cleri : *Ibid.*

Idque probarunt concilia et Summi Pontifices : *Ibid.*

Quæstio autem erat num, præter Missam solemnem, alias eadem die ad libitum sacerdotum celebrare liceret Missas privatas ; plures affirmabant : *Ibid.*, § 3.

Et mos hujusmodi celebrationis in Bononiensi præsertim invaluerat diœcesi, et in ipsa Urbe : *Ibid.*, § 5.

Graviores vero auctores negabant, nisi eadem die recurreret festum SS. Annuntiationis, aut S. Josephi : *Ibid.*, § 4.

Et hanc sententiam probavit S. Congreg. Rituum, inhibuitque dictarum Missarum celebrationem Clem. XV in Urbe, et S. M. Bened. XIV Bononiæ, dum eam regebat ecclesiam : *Ibid.*, §§ 5 et seq.

Lex tamen hæc ecclesiasticæ disciplinæ prescribi valet contraria 40 annorum observantia ; multoque magis per immemorabilem : *Ibid.*, § 7.

Ubi præsertim inducta sit in eodem prohibitionis loco, et ex rationabili causa ; ad conferendam nempe fidelium pietatem : *Ibid.*

Sacrum eadem die prioribus Ecclesiæ seculis iterare consueverunt sacerdotes : *Nicien.*, 27 *nov.* 1790, § 3.

Idque pro fidelium copia exiguus requirebat illorum numerus : *Ibid.*

Diu tamen, permittente Ecclesia, hoc ipsum aucti servarunt : *Ibid.*

Plura etiam Leo III una die fecit sacra : *Ibid.*

Quum ea abuti cœpissent facultate, præ omnibus decrevit sæculo XI concilium Salegunstadiense, ut unusquisque presbyter in die non amplius, quam tres Missas celebrare præsumat : *Ibid.*

Auctoque abusu deinde, statuit Leo IV, ut nullus presbyter plures Missas in die celebret, quam unam tantum, excepto die Nativitatis Domini, et in dominica præsente funere : *Ibid.*

Hoc ipsum alii edixerunt Pontifices : *Ibid.*

Et strictius iteratio Missæ prohibita est, una excepta festivitate Nativitatis Domini : *Ibid.*

Plures theologi ponunt casus, in quibus bis die festo celebrare liceat : *Ibid.*, § 4.

Si ministrandum nempe sit Viaticum infirmo, si benedictio urgeat nuptiarum, vel magnus superveniat princeps qui Missam non audierit : *Ibid.*

Et casu quo binæ dissitæque parochiæ sub uno sint rectore, nec aliter sit sacerdos qui in altera ex ipsis Missam celebret, secundum Bened. XIV sacrum est iterandum : *Ibid.*

Ad facultatem bis in die festo celebrandi concedendam non sufficit, secundum hodiernam Ecclesiæ disciplinam, quæcumque necessitas, sed ea requiritur, cui nulla alia ratione remedium afferri possit : *In disc. secr.*, 20 *aug.* 1768, § 22.

Quoties constet de titulo necessitatis in concedenda bis celebrandi facultate, animadverti debet quasdam præscriptas esse regulas ab Episcopis servandas : *Ibid.*, § 27.

Concilium Provinciale Burdigalense anni 1583 coarctavit hanc Episcopi facultatem ob gravissimas causas ad breve tempus, ad dominicos et festos dies tantum : *Ibid.*

Et constat de necessitate urgenti et gravibis celebrandi, quum nullum supersit remedium ex iis quæ a sacris canonibus, et a sacro Concilio Tridendentino sunt assignata : *Ibid.*, § 38.

Hinc locus est exceptioni illi quam Innoc. III adjecit, cap. *Consulisti, de Celebr. Miss.*, quum unum tantum modo sacrum in die ab eodem sacerdote perfeci jussit : *Ibid.*

Missa bis eadem die ab eodem sacerdote, si id postulet necessitas, adprobante Episcopo, celebrari potest : *Apt., Ind.*, 27 *jun.* 1733, § 2.

Hinc si ob sacerdotum penuriam unus præficiatur duabus parochiis, ita inter se dissitis ut grex unius parochiæ commode nequeat ecclesiam alterius adire, ibique sacrificio Missæ interesse, parochus potest eadem die in utraque ecclesia, Episcopo id permittente et approbante, sacrificare : *Ib.*

Idem sentit S. Congreg. Episcoporum et regularium : *Ibid.*, § 3.

Item S. Congr. de propaganda Fide : *Ibid.*, § 5.

Nulla est habenda consuetudinis ratio, ut tueantur causam de duplici Missa celebranda in diebus festis : *In vot. secret.* cit., § 25.

Hanc enim consuetudinem Innocentius III damnavit, et abrogavit, et tantum esse permittendam censuit, ubi necessitas id postularet : *Ibid.*

Hinc quando leges consuetudinem aliquam rejiciunt, hoc ipso inefficacem illam reddunt ad inducendam præscriptionem contra leges : *Ibid.*

Quod intelligitur de consuetudine etiam futura, nedum præsente, et existente : *Ibid.*

Anno 1198, Innocentius III prohibuit plurium Missarum celebrationem eadem die ab eodem sacerdote faciendam, sed casum excepit necessitatis : *Dert.*, 20 *aug.* 1768, § 3.

Et in dubio non potest ; imo ad Episcopum pertinet hujusmodi necessitatis cognitio : *Ibid.*, § 4.

Atque ad hanc rem non requiritur necessitas physica, sed moralis : *Ibid.*, § 5.

Crimen celebrationis plurium Missarum eodem die ab eodem sacerdote puniri debet a tribunali Sacræ Inquisitionis : *Tolet., Irr.*, 25 *jan*, 1772, § 9.

Liberum olim erat cuique sacerdoti plures Missas pro sua pietate et religione eadem die celebrare: *Ibid.*, § 3.

Ad cohibendos tamen abusus, qui irrepserant trium Summorum Pontificum decretis plurium Missarum celebratio interdicta est : *Ibid.*, § 4.

Et non defuere, qui ex verbo *sufficit*, quod in decretali Innocentii III legitur, arbitrati sunt, illas potius præ se ferè consilium, quam præceptum, aut legem prohibentem plures Missas eadem die celebrare : *Ibid.*, § 5.

Sed declaravit Benedictus XIV, quod illud *sufficit* sacerdotes adigit præcepto, ne plura sacrificia uno die faciant : *Ibid.*, § 6.

Hinc graviter peccat sacerdos, qui plures Missas eadem die pro libito celebraverit : *Ibid.*

Si Missarum numerus non resultat ex visitationibus pastoralibus, nec ex tabella, et exprimatur sine ullo documento, vel fundatione major numerus illo præscripto in testamento, tunc visitationes et tabellæ non sunt attendendæ, utpote testamento adversantur : *Anc.*, 8 *junii* 1782, § 9.

Imo si pro exclusione majoris numeri urgeat observantia interpretationum regina, et si etiam dubia esset dispositio circa Missarum celebrandarum numerum : *Ibid.*, § 10.

In omnibus relictis pro celebratione Missarum regula est, uti et in quibusvis piis legatis, quod ad Episcopum pro executione confugiendum est : *Macer.*, 4 *febr.* 1769, § 11.

Quando disponens tot celebrari sacra jussit, quot ferrent reditus juxta taxam ab eo præscriptam, tunc auctis et respective diminutis reditibus augendum et respective minuendum esse sacrorum numerum receptum est : *Ibid.*, § 12.

Quod si fructus augeantur expensis et industria possidentis legatum, non debet numerus Missarum augeri : *Ibid.*, § 13.

Et ratio, quia hoc augmentum non debet credere in beneficium testatoris seu fundatoris, sed possessoris, quia sunt fructus industriæ et expensarum : *Ibid.*

Et æquitas non patitur, ut alius ex eorum industria et expensis impendium assequatur : *Ibid.*

Minor statim numerus Missarum in expiationem

testatoris celebretur, quam post 25 annos augeatur : *Bon.*, 16 *junii* 1787, § 3.

Auctis reditibus pro celebratione Missarum destinatis, illarum numerus augeri debet : *Gadic.*, *Miss.*, 3 *april.* 1773, § 5.

Alii cum distinctione procedunt, si augeantur reditus, quia fructus qui retrahuntur cariori pretio vendi consueverint, aut quia ex aliqua alia causa crescant in quantitate, tunc Missarum numerus augendus est : *Ibid.*

Quando vero reditus adaucti fuerint expensis, et industria capellani, tunc Missarum quantitas augeri non debet : *Ibid.*

Si præcisive a qualibet capellani industria et expensis reditus augeantur, et Missarum numerus a testatore præfinitus non fuerit, locus est augmento numeri Missarum : *Ibid.*, § 6.

Ex bis centenaria observantia Missarum numeri celebrationis præsumitur talem fuisse erectionem, sive quia non omnia bona donata in fundum cesserint capellaniæ, sive quia gravem passa fuerint jacturam : *Aquen.*, *Red. oner.*, 29 *jan.* 1791, § 5.

Numerus Missarum in ipso legato a testatore non præscriptus est determinandus, vel ab hæredibus, vel ab exequutoribus testamentariis, vel ab Ordinario juxta arbitrium bono viro conveniens, habita ratione facultatum hæredum, ac defuncti, et aliorum onerum : *Mediol.*, 14 *mart.* 1733, § 6.

Si testator numerum non præfinivit, ejusdem quantitas ab Ordinario est determinanda : *Viterb.*, *Cap.*, 4 *april.* 1767, § 8.

§ XII.

Missa parochialis.

Ad applicationem Missæ parochialis pro populo tenentur omnes qui actu curam animarum exercent : *Mont. Alt.*, *Appl. Miss.*, 30 *julii* 1763, § 4.

Et si sunt plures concurati, simul omnes tenentur unicam Missam alternatim pro populo sive per vicem applicare : *Ibid.*, § 5.

Sacris canonibus statutum est, nonnisi post Missam parochialem in ecclesia parochiali, dominicis festisque diebus, divina mysteria in ecclesiis filialibus esse celebranda : *Cass.*, 30 *maii* 1707, § 10.

Missam parochialem applicare tenetur parochus ratione officii, non reditus : *Cass.*, *Miss. conv. et pro pop.*, 20 *sept.* 1794, § 3.

Parochi cum veri sint, sive originarie, sive ob sequutam divisionem Missam singuli tenentur celebrare pro populo sibi commisso : *Mont. Alt.*, *App. Miss.*, 30 *julii* 1763, § 4.

Tridentinum expresse præscripsit sacrificium Missæ applicandum ab animarum pastoribus pro populo ipsorum curæ commisso : *Fulg.*, *Miss. par.*, 17 *jul.* 1773, § 3.

Et Benedictus XIV declaravit pro illis, qui animarum curam exercent, sustinere onus non valeant, satis esse ut applicent Missam pro populo in dominicis aliisque per annum festis diebus de præcepto : *Ibid.*

Illi qui præter divitem præbendam omnia tum certa, tum incerta parochialia emolumenta habet, onus Missæ parochialis incumbit : *Embr.*, *Jur. can.*, 19 *jan.* 1765, § 18.

Choro addictus et curam animarum insimul habens nequit diebus festis celebrare Missam pro populo, eteamdem, etiamsi conventualem, pro benefactoribus suæ cathedralis vel collegiatæ ecclesiæ applicare : *Null. Fer.*, *Visit. SS. LL.*, 7 *april.* 1781, § 6.

Sed ipse tanquam canonicus, vel beneficiatus sacrum conventuale faciens, rem divinam pro benefactoribus generatim applicare, aliumque sacerdotem vocare eadem die debet qui pro populo celebret : *Ibid.*

Non obstante contraria quacumque consuetudine, etiam immemorabili : *Ibid.*

Obligatio applicandi pro populo extenditur etiam ad curatos amovibiles quum amovibilitas non tollat quin habeant curam animarum : *Ferr.*, 4 *mart.* 1719, § 3.

Amplia etiam, quod paupertas non excusat ab applicatione pro populo : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Archipresbyter*, § III ; *Parochus*, § III ; *Vicarius caratus*, § IV.

§ XIII.

Missa quoad reductionem.

Nequit Episcopus propria auctoritate sacra reducere, et antiquissimam observantiam pervertere : *Viter.*, *Cap.*, 4 *apr.* 1767, § 16.

Episcopi, quibus data est facultas reducendi Missas, non possunt earum numerum in contractu præscriptum, et vicissim acceptatum minuere, licet imminuti fuissent reditus assignati, sed judicis partes assumere debent, atque investigare an redituum imminutio talis sit, ut sufficiat ad rescindendum contractum, vel saltem illum et justitiæ æquitatis mensuram redigendum : *Vallus.*, 22 *maii* 1784, § 6.

S. Concilium Tridentinum concessit Episcopis et generalibus ordinum, ut in primo synodo, et in capitulis generalibus moderari possent onera Missarum, ac subsequentibus temporibus Summi Pon-

tifices nonnullis Episcopis et generalibus eamdem facultatem concesserunt : *Berg.*, *Red. Miss.*, 10 *jul.* 1728.

Disputatum pluries exinde est, utrum in ejusmodi facultatibus comprehenderentur etiam onera provenientia ex contractu et quanquam alias S. Congregatio Concilii negativam amplexata est sententiam, attamen postremis temporibus non semel affirmative respondit, petentibus id declarari procuratoribus Ordinis B. M. V. de Mercede : *Ibid.*

Facultas reducendi Missarum onera superioribus regularibus fuit concessa ab Urbano VIII, Pont. Max., aliisque Summis Pontificibus, deindeque renovata a Benedicto XIII ; ejusdem tamen facultatis usus maturo adhibito consilio, nonnullis regulis servatis, fieri debet : *Firm.*, 20 *april.* 1771, § 9.

Inter pia diversi generis opera Missæ postremum sibi vindicant locum, quando agitur de onerum reductione : *Brach.*, *Red. Miss.*, 3 *sept.* 1718, § 4; *Med. seu Com.*, *Red. oner.*, 11 *jan.* 1721, § 6.

Missarum ac aliorum onerum piorum est æque ac proportione servata explenda reductio, ubi de mente testatorum, ac contrahentium constat, quod ipsi eorum voluntatis fervore tam suffragia Missarum, quam alia pia opera demandaverint : *Ibid.*

Facile non est concedenda Missarum reductio : *Jan.*, 6 *aug.* 1791, § 4 ; *Portuc.*, 23 *jan.* 1795, § 3.

Ubi par non est emolumentum, conceditur onerum reductio : ead. *Portuc.*

Potius bona sunt distrahenda, quam numerus sacrorum minuendus : *Spol.*, *Cap.*, 14 *mart.* 1744, § 5.

Etiamsi patroni repugnent, alienatio permitti debet : *Ibid.*

In Missarum reductione, ponderandum est an potius alia onera omnia moderanda sint, ut sacra celebranda integra omnia retineantur : *Flor.*, 18 *maii* 1705, § 13.

Non est locus reductioni Missarum qui privat pluribus sacrificiis, si commode per alios impleri præscripta onera possint : *Fan.*, *Red. Mis.*, 6 *dec.* 1760, § 8.

Reductio Missarum non est admittenda, quia recusante capellano numerum a testatore præscriptum implere commode possit per alios sacerdotes, ab hærede seligendos, earum integram celebrationem obtinere : *Flor.*, *Appl. Miss. quot.*, 24 *jul.* 1734, § 10.

Missarum reductioni expressa adversatur testatoris voluntas, si numerum illarum, ac eleemosynam statuit, nec imminuti sunt beneficii reditus, unde justa de causa reducantur : *Alex.*, 28 *julii* 1787, § 6.

Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 4, *de Reform.*, impleri debere statuit pia Missarum relicta, ut testatores voluerint, sed illorum reductionem implicite permittit , si peculiares urgeant circumstantiæ : *Lun. Sarz.*, 15 *sept.* 1787, § 2.

Et æqua videtur reductio ob auctum servitium per assistentiam chori, quum eleemosyna utrique respondet oneri Missarum et chori : *Ibid.*

Ac debet reduci potius chori servitium, quam Missarum, ex urgentissima illa ratione, quod meliora sacrificia sint : *Ibid.*, § 5.

Absurda videri potest ulterior Missarum reductio in compensationem servitii, quod semel quis assumpsit : *Ibid.*

Regula ne reductione in casu diminutionis redituum, quæ æquitatis plena est in simplicibus Missarum legatis, in quibus ad solum suffragium fundatores respiciunt, congrua etiam est in beneficiis, in quibus nedum suffragia, sed decentem etiam considerant beneficiati exhibitionem, onerumque compensationem, ac diurnæ præsertim recitationis officii : *Alex.* cit., § 4.

Antequam Missarum reductio postulari queat, reliqua prius onera inquirere, et minuere, aut etiam delere oportet : *Ulyss.*, 26 *nov.* 1785, § 6.

Et ex conventione accepta onera Missarum sunt reducibilia : *Ibid.*, § 8.

Atque ratio est, quia cum obligatio, quæ suscipitur, tempus respicit successivum, tradunt doctores, pactioni inesse tacitam conditionem quatenus res in eodem statu maneant; eo quippe mutato instrumentalem quoque obligationem pro certo numero sacrorum cum certa, designataque eleemosyna assumptam, ad æquitatem reduci oportere : *Ibid.*

Præsertim, quando tractu temporis contractus reducitur ad magnam justitiam, judicis officium pro moderatione, ac reductione ad justitiam intrat : *Ibid.*

Recepta, et confirmata est regula, quod cætera prius onera, quam sacrorum numerus reformetur : *Parm.*, 6 *maii* 1786, § 7 ; *Jan.*, *Red.*, 15 *jan.* 1785, § 4; *Nep.*, *Red. Mis.*, 25 *jan.* 1772, § 5 ; *Alb.*, *Cap.*, 12 *mart.* 1774, § 5 ; *Flor.*, *Red. Mis.*, 17 *sept.* 1774, § 9 ; *Albing.*, 21 *novemb.* 1778, § 10 ; *Urban.*, *Red. Miss.*, 16 *febr.* 1788, § 3 ; *Novar.*, *Red. et Com. oner.*, 19 *feb.* 1791.

Ab hac regula receditur, vel quando contraria voluntas testatoris dignoscitur : *Ibid.* cit. *Jan.* et *Nep.*

Vel quando pro uno quoque legato peculiares reditus sunt assignati : *Ibid.*

Et ratio est, quia tunc onerum reductio propor-

tione servata juxta deficientium assignatorum redituum quantitatem indulgeri solet : *Ibid.*

Praxis Sac. Congreg. Concilii alia potius minuendi onera, servitii et residentiæ, quam reducendi Missarum numerum : *Plac.*, 26 *jan.* 1781, § 6.

Verisimilis est inspecta testatoris voluntas occasione Missarum reductionis, quod alia onera potius, quam Missarum numerus imminuatur : *Rom*, *Red. Leg.*, 18 *mart.* 1775, § 5 ; *Syrac.*, *Red. Miss.*, 8 *jul.* 1775, § 23.

Præsertim in casu quo pro implendis Missarum oneribus tot assignata fuerunt bona, quæ alicui imminutione subjecta minime fuisse demonstrantur : *Ibid.*

Urgente necessitate, sicuti locus est commutationi voluntatis, ita eo magis reductioni onerum : *Tad.*, *Red. oner.*, 8 *april.* 1775, § 6.

Quando est necessaria Missarum reductio, inquirendum est ad quam rationem fieri debeat : *Ibid.*, § 9.

A Sac. Congreg. Concilii ad perpetuam facta fuit ; et aliquoties ad manualem ; aliquando arbitrio Ordinarii relicta fuit : *Ibid.*

Quando agitur de onere sacrorum jam agnito, et dudum impleto, si diminutio fructuum contingit, minuendum est onus servata proportione eleemosynæ manualis : *Spol.*, 17 *jun.* 1775, § 8.

Quando agitur de reducendis, vel Missis manualibus, vel anniversariis, ista potius quam illa reductioni subjiciuntur : *Nep.*, *Red. Miss.*, 25 *jan.* 1772, § 5 ; et *Albanen.*, *Cap.*, 11 *martii* 1774, § 5.

Cum sacrificia prosint defunctis per modum solutionis debiti : *Ibid.*

Et plus suffragium capiunt fideles ex Missis, quam ex anniversariis, quia suffragium, quod provenit ex virtute sacrificii, et operis operati, prævalet ei, quod ex merito et virtute operantium resultat : *Ibid.*

Si non alius supersit modus, quam Missarum numerum minuendi, ut subveniatur beneficiato, æquum est ut, imminutis reditibus, onera quoque imminuantur : *Aq.*, *Red.*, 30 *maii* 1772, § 3.

Reductioni Missarum justam et rationabilem causam præbet imminutio reddituum qui pro subeundis oneribus impares comperiantur : *Ibid.*, § 7.

Præcipue si legatum taxative fuerit relictum, quia tunc hæredes ad supplementi præstationem adigi non possunt : *Ibid.*

Cæterum Missarum celebratio, et alia pia opera demandata fuerint, in isto casu, alia potius pia opera, quam Missarum numerus imminuitur : *Ibid.*

Ab hac regula receditur, vel quando ex toto dispositionis contextu contraria dignoscatur testatoris voluntas : *Ibid.*, § 8.

Vel quando testator diversos reditus pro unoquoque onere assignaverit : *Ibid.*

Tunc proportionata eorumdem onerum reductio, juxta deficientium reddituum quantitatem fieri debet : *Ibid.*

Minui potius debet servitium chori, quam Missæ : *Taur.*, *Red.*, 26 *nov.* 1791, § 3.

Quando de pluribus oneribus res est, alia potius onera, etsi eleemosynæ sint, ac etiam chori servitium, reducuntur, quam onera Missarum, quæ in animarum expiationem suarum a testatoribus jubentur : *Null. Foro Pomp.*, 20 *aug.* 1785, § 5.

Quia legatum Missarum pro anima testatoris dicitur omnibus aliis legatis piis magis pium, et cæteris semper præfertur : *Ibid.*

Prius aboleri onus minus pium præstationis cereæ, quam Missarum reductio concedi debet : *Macer.*, *Red. Miss.*, 16 *dec.* 1797, § 4.

Quando grandis præscriptus est sacrorum numerus piaculum non est illa minuere, ut alia pietatis opera exerceantur : *Æsin.*, 30 *maii* 1786, § 5.

Et res prudenti judicum arbitrio est committenda : *Ibid.*

Reductio Missarum concedi solet concurrente præsumpta testatoris voluntate : *Vent.*, *Red. Mis.*, 9 *sept.* 1797, § 4.

Ob difficultatem sacerdotum conceditur Missarum reductio : *Velit.*, *Com. vol.*, 23 *jan.* 1797, § 4.

Plurimi facienda est præsumpta testatorum voluntas, ut Missarum onus ad vitam pauperum hæredum minuatur : *Casal.*, *Red. Miss.*, 7 *jul.* 1787, § 5.

Reducendæ Missæ sunt in favorem pauperum consanguineorum testatoris : *Fav.*, *Com. vol.*, 4 *april.* 1789, § 4.

Casus est reductionis magnus numerus Missarum, et tenuis eleemosyna, ob quam impleri nequeunt : *Novar.*, *Trans. et Red. Miss.*, 13 *dec.* 1793, § 4.

Et magnum animæ testatoris incommodum affert reductio, dum pluribus eam suffragiis privat : *Ibid.*

Potissima Missarum reductionis causa est reddituum imminutio : *Derth.*, *Red. Miss.*, 21 *april.* 1787, § 3.

At si adjunctum in casu sit illarum celebrationi servitium chori, hoc potius et ante omnia delendum est : *Ibid.*

Accedit si ordo testamentariæ scripturæ incipiat a Missarum celebratione, et lex choralis residentiæ in eo tantum casu quo non adesset capellanus de familia ; in his terminis præsumpta etiam urget te-

statoris voluntas, ut cetera onera prius quam Missæ reducantur : *Ibid.*

Si oneri saltem Missæ respondeant reditus, reliqua potius reduci possent onera : *Viglev.*, 14 *mart.* 1789, § 5.

Si de Missis adventitiis sermo est, seu eleemosynæ recipi non debent, nisi infra modicum tempus, scilicet unius mensis, Missæ celebrari possint ; seu pios offerentes admonendos esse, tot Missas celebratum iri, quot reipsa celebrari contingeret, eos vero, pro quibus celebrari nequivissent Missæ, futuros participes fructus Missarum, quæ in ecclesia pro benefactoribus offeruntur : *Anag.*, *Red. Miss.*, 9 *apr.* 1785, § 5.

De Missis perpetuis plerumque imo fortasse semper reductio suppeditat decrementum redituum, qui fuerant pro onerum implemento assignati : *Ibid.*, § 6.

Et quando auctæ sunt eleemosynæ, impar deprehendatur reditus, nec ullus reperiri valeat sacerdos, qui, oblata juxta veterem taxam eleemosyna, Missam celebrare velit : *Ibid.*

Distinctio autem obtinet in oneribus perpetuis inter ea quæ a contractu proficiscuntur, et ea quæ in ultima voluntate imposita sunt : *Ibid.*, § 7.

Priora reductioni non subsunt, etsi fructus rei datæ, sive quantitates impares sint, seu evaserint, nisi manifestam iniquitatem contractus præ se ferat : *Ibid.*

Quo vero ad onera ex ultima defunctorum voluntate subdistinctio servetur, oportet, ut scilicet si quantitas taxative relicta sit, reductio obtineatur : *Ibid.*

Si demonstrative, secus dicendum, sed hæredes suppliere tenentur : *Ibid.*

Dignum animadversione est, postulari reductionem sacrorum in fundatione impositorum, quæ Sac. Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 15, *de Reform.*, intacta manere voluit : *Lun. Sarz.*, 9 *jul.* 1785, § 4.

Limitatur ; sed hæc conciliaris sanctio de solis loquitur beneficiis, et si ad quascumque pias dispositiones extenderetur, nunquam aut raro admodum essent casus in quibus de sacrorum reductione agi posset : *Ibid.*

Regula Sac. Congr. Concilii, in præsumpta testatorum voluntate fundata, ea semper fuit ut cætera alia pia opera reformarentur, antequam sacrorum numerus diminueretur : *Ibid.*, § 5.

Quando agitur de sacris per contractum acceptis, reductioni auscultandum non est, solaque querela læsionis acceptanti relinqui in dissito, separatoque examine expendenda : *Ibid.*, § 6.

Quum agatur de capellania, quæ suum habuit effectum, et cujus onere adimplenda hucusque fuerunt, quævis reductio ad manualem facienda esset, quæ minor foret constituta a testatore eleemosyna : *Æsin.*, 26 *nov.* 1785, § 6.

Etiam onera, in quibus nulla contingerat redituum diminutio, reduci possunt, inita proportione cum annuis scutis 60 pro Missa quotidiana in perpetuum celebranda : *Rom.*, *Red. oner. Miss.*, 22 *mart.* 1732, § 6.

Reductio Missarum ita elargienda est, ut emolumento taxæ perpetuæ in futurum respondeat, habita etiam ratione oneris residendi in loco, Missamque in certa ecclesia, et in designato altari celebrandi, quorum causa pingue emolumentum assignari solet : *Aquen.*, *Red.*, 21 *nov.* 1772, § 3.

Cum res sit de onere nondum accepto, nec executioni mandato, non alia reductio competit, quam juxta rationem eleemosynæ taxæ perpetuæ : *Arim.*, *Red.*, 13 *mart.* 1773, § 5.

Nec efficere potest compositio cum Rev. Fabrica Sancti Petri indulta, etiamsi absque ulla protestatione sequuta fuisset : *Ibid.*

Reductio oneris Missarum in occasione diminutionis hæreditatis si petatur ante executionem dicti oneris, concedenda est pro rata parte eleemosynæ, quæ debetur pro Missa perpetua juxta morem regionis : *Viterb.*, *Cap.*, 14 *dec.* 1743, § 4.

Si vero jam agnito et impleto dicto onere, diminutio sortis contingat, dictum onus redigendum est servata proportione eleemosynæ manualis : *Ibid.*, § 5.

Missarum legati præ se ferentis onus indefinitæ celebrationis per modum quantitatis fructuum rei legatæ reductio haud concedere consuevit Sac. Congreg. Concilii, nisi ad rationem eleemosynæ manualis : *Fan.*, *Red. Miss.*, 14 *febr.* 1761, § 5.

Et potius alia onera sunt reducenda, quam Missarum numerus, seposita contraria testatoris voluntate : *Ibid.*, § 10.

In reducendis oneribus Missarum consuevit Sac. Congreg. Concilii eleemosynam præfinire, quæ pro Missis manualibus præstari solet : *Arim.*, *Red.*, 13 *mart.* 1773, § 10.

Missarum reductio fieri debet ad rationem eleemosynæ, ad taxam scilicet ob 20 juxta notissimam praxim Vicariatus Urbis : *Rom.*, 5 *jun.* 1790, § 5.

Praxis Sac. Congreg. Concilii, ut dum de reductione Missarum aliisque oneribus ob redituum deficientiam minuendis oritur disputatio, alia potius onera quam Missarum numerus reducatur : *Lun. Sarz.*, *Red. Miss.*, 28 *jan.* 1769, § 5.

Si autem ex dispositione propensiori affectu reliquorum piorum operum implementum exoptasse, quum Missarum celebrationem conjiciatur, tunc istarum potius numerus, quam cætera omnia sunt reductioni obnoxia : *Ibid.*, § 6.

Præsertim, quia juxta graves receptasque doctorum sententias, ex consuetudine sancta et salubri multiplicandi suffragia, et sacrificia pro defunctis, obsolescere non debet æque sanctus ac pius usus eleemosynas in levamen pauperum erogandi : *Ibid.*, § 7.

In decernenda Missarum reductione videndum est an sit taxativa assignatio fundi cujuslibet beneficii : *Mont. Fal.*, 15 *sept.* 1770, § 8 ; *Fir., Red. Miss.*, 28 *aug.* 1773, § 4.

Animadvertendum num dispositio exordiatur ab assignatione fundi ; deinde onerum præscriptio sequatur, seu potius e converso : *Ibid.*

In primo casu *taxative*, in secundo *demonstrative*, bona relicta censentur : *Ibid.*

Si autem taxative bona relicta fuerint locus est reductioni juxta proportionem redituum quantitatis : si vero demonstrative reductio non admittitur, sed hæredes fundatoris cogi deberent ad supplementum : *Ibid.*

Fructus summæ taxative relictæ, quum impares sint ad onus Missarum ferendum, locus est reductioni Missarum : *Null. Ter. Pont., Red. Miss.*, 4 *maii* 1771, § 7.

Ubi taxative Missarum legatum incerto consistit fundo, locus est ob diminutionem fructuum reductioni : *Aprut.*, 19 *maii* 1787, § 6.

Redituum imminutio juxtam et rationabilem præbet causam onera Missarum reducendi : *Seneg., Red.*, 10 *maii* 1783, *dub.* 3 ; *Derth., Red. Miss.*, 21 *april.* 1787, § 3 ; *Urb., Red. Miss.*, 16 *febr.* 1788, § 3 ; *Cing., Red. Miss.*, 18 *sept.* 1790, § 4 ; *Novar., Red. et Com. oner.*, 19 *febr.* 1791, § 3.

Sed si beneficio ultra sacrorum celebrationem adjunctum sit onus chori, melius est reducere chori servitium, quam Missarum numerum imminuere : *Ibid.*

Et ratio est, quia celebratio excellentior est servitio : *Ibid.*

Imo plus suffragii consequuntur animæ defunctorum ex Missarum celebratione, quam ex aliis piis operibus : *Ibid.*

Receditur tamen ab hac regula, si voluntas testatoris contraria dignoscatur : *Ibid.*

Ad reductionem concedendam duo requiruntur, quod sequuta nempe sit imminutio redituum absque culpa possessoris fundi : cit. *Aug.* ; *ibid.*

Et quod certus fundus, sive taxative, sive demonstrative a testatore relictus, ab hærede traditus fuerit : *Ibid.*

Ubi deficit, vel excusabilis est culpa, adhiberi solet indulgentia pro reductione : *Ibid.*

Quum emolumentum non respondet oneri, tunc locus est ad æquitatem reductioni : *Viter., Red. Miss.*, 22 *nov.* 1794, § 5 ; *Alatr., Red. oner.*, 27 *aug.* 1791, § 4 ; *Mutin., Un. et Red.*, 26 *nov.* 1791, § 4 ; *Plac., Red. Mis.*, 21 *julii* 1792, § 7 ; *Rom., Capell.*, 20 *aug.* 1774, § 4 ; *Novar., Red. on.*, 17 *sept.* 1791, § 5.

Ob tenues fructus parœciæ reduci Missæ solent : *Lamac., Miss. pro pop.*, 30 *julii* 1796, § 5.

Reducendæ sunt Missæ, si reditus impares sint, quandoque ad rationem manualis eleemosynæ perpetuæ, juxta morem regionis : *Albin.*, 21 *nov.* 1778, § 14.

Imminutis reditibus Missarum oneri suppositis, istarum etiam numerus imminui debet : *Mont. Fal.*, 15 *sept.* 1770, § 5.

Et quando taxative facta fuit assignatio bonorum, non alia suppetit via, quam ad Missarum reductionem devenire : *Ibid.*

Et attendendus non est ordo scripturæ ad videndum, an potius onera, quam Missæ reduci debent, sed voluntas testatoris : *Ibid.*, § 6.

Missarum reductio fieri debet relative ad annuos reditus, magis quando id contingit citra culpam beneficiati : *Rom. et Mess.*, 27 *jun.* 1778, § 7.

In reductione Missarum ratio haberi debet de reditibus, qui si respondeant eleemosynæ perpetuæ, ad hanc normam celebrandæ veniunt : *Imol., Red. ac Susp. oner. Miss.*, 24 *jan.* 1778, § 4.

In concedenda Missarum reductione potissimum spectari solet inculpata redituum imminutio : *Foss., Red. Mis. et Abs.*, 15 *jan.* 1791, § 4.

Quum haud imminuti fructus apparent ex culpa usufructuariæ, cui facultas in cætero erat alienandi, justam præbere reductionis Missarum causam possent : *Sign.*, 20 *sept.* 1788, § 7.

Quoad Missarum reductionem notandum est, nedum absque culpa oratoris imminutos esse beneficii reditus, sed onus etiam sacrarum supellectilium, ac manutentionis fabricæ ei incumbere : *Senog.*, 26 *april.* 1788, § 5.

Ubi certus in celebrationem Missarum assignatus est fundus, supplere non debet hæres, quod ad justam deficit eleemosynam, et reducendæ sunt potius Missæ : *Sav., Red. Miss.*, 13 *jun.* 1795, § 2.

Taxative assignatus censetur, ubi ab illius assignatione incipit dispositio : *Ibid.*

Missarum reductio conceditur ob imminutos reditus absque culpa obligati : *Hipor. seu Epor., Red. Mis.*, 18 *april.* 1795, § 4 ; *Firm., Red. oner.*, 13 *jun.* 1795, § 4 ; *Aquil., Red. Mis.*, 17 *sept.* 1796, § 6.

In favorem præsertim pauperis consanguineæ ex præsumpta testatoris voluntatis : *Ibid.*, § 5.

Quum imminutio fundi absque culpa hæredum præsentium facta fuerit, et distructa bona a priori-

bus fuerunt, justa reductionis Missarum causa reputari solet : *Lun. Sarz.*, 13 *jun.* 1789, § 4.

Reductioni, non abrogationi Missæ causam suppeditat decrementum redituum, qui fuerant pro onerum implemento assignati : *Eccles.*, 16 *aug.* 1794, § 36.

Exploratum est ; hujusmodi reductio caute admodum a Sac. Congr. Concilii fit : *Ibid.*, § 38.

Et facile reductio fieri potest, fructibus nullius culpæ imminutis, vel deperditis, et centenaria transacta : *Ibid.*

Ubi paria non sunt legantis, pium etiam Missarum legatum, vel ad æquitatem reduci, vel aboleri debet : *Nul. Trium Fon., Leg.*, 17 *dec.* 1791, § 3.

Major est adhibenda indulgentia pro Missarum reductione, quando reditus sunt imminuti absque culpa gravati, et idem pauper est : *Mont. Fal., Red. Miss.*, 17 *dec.* 1791, § 3.

Locus est reductioni Missarum non obstante acceptione oneris Missarum per contractum facta, quando redituum diminutio læsivam reddidit susceptam obligationem : *Brix.*, 12 *junii* 1762, § 5.

Non est locus Missarum reductioni, quoties pro Missarum celebratione non certus fundus fuit assignatus, sed hæredes ad certæ summæ solutionem gravati fuerunt : *Burg., Red.*, 1 *martii* 1777, § 8.

Præsertim si hæredem inventarium confecisse non constat : *Ibid.*, § 9.

Quamvis reditus hæreditatis ad onera ferenda reperiantur idonei : *Ibid.*

Reductio oneris Missarum per contractum susceptì, si reditus assignati sine culpa assignatarii notabiliter diminuti sint vel perierint, facienda est : *Pisau., Res. contr.*, 30 *jan.* 1762, § 9.

Et ratio est, quia conventio inspecto tempore præsenti injusta et læsiva efficiatur : *Ibid.*

Non habet locum Missarum reductio, si redituum imminutio eveniat ex facto, et culpa legatarii : *Ascul., Red. Miss.*, 18 *sept.* 1773, § 4.

Reduci non debet Missa post simplicem acceptionem : *Ap., Red. Miss.*, 9 *sept.* 1797, § 4.

Maxime ubi pares sint reditus oneribus : *Ibid.*

Regula juris est, Missarum celebrationem ex contractu prosilientem reductioni non subjacere : *Nov., Red.*, 5 *aug.* 1780, § 8 ; *Firm.*, 20 *april.* 1771, § 5.

Præsertim in casu quo reditus bonorum assignatorum imminuti non sunt : *Ibid.*

Quinimo pares pro Missarum celebratione, quæ in concursu cum aliis oneribus, si reditus non suppetunt pro omnium onerum implemento, præferri debet ceteris oneribus, quæ potius minuenda vel reducenda sunt : *Ibid.*

Non reducuntur Missæ celebrandæ ex contractu, nisi manifestam contractus sapiat iniquitatem : *Senog., Red. Miss.*, 23 *april.* 1796, § 3.

Ubi testator non designavit eleemosynam certam, sit Missarum reductio ad taxam perpetuam : *Ibid.*, § 6.

Prius reduci debet servitium chori quam Missæ : *Ibid.*, § 5,

Majus enim defunctorum animæ habent suffragium ex celebratione Missarum, quam ex aliis piis operibus : *Ibid.*

Ab hac tamen receditur etiam ex contraria voluntate fundatorum : *Ibid.*, § 6.

Ubi pares sunt reditus, locus non est reductioni, multoque minus abolitioni legati : *Apuan., Red. Miss.*, 15 *dec.* 1792, § 5.

Præsertim si pares habeantur reditus Missis celebrandis : *Vigler., Red. Miss.*, 24 *nov.* 1792, § 6.

Ob peculiares circumstantias conceditur reductio ad taxam perpetuæ, non obstante onerum acceptione, eorumque implemento : *Albin., Red. Miss.*, 24 *nov.* 1792, § 4.

§ XIV.

Missa quoad ritum ac rubricas.

Missæ defunctorum seu de Requiem celebrari possunt omnibus diebus, celebrari autem nequeunt, quando occurrit festum duplex juxta rubricas generales : *Rom.*, 9 *febr.* 1726, § 8.

In Basilica Vaticana ex præscripto Sixti V non possunt celebrari Missæ de Requiem in festis duplicibus : *Ibid.*

Alexander VII decrevit, ut si ex benefactorum institutione Missæ pro defunctis celebrandæ incidant in festum duplex, tunc ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicatur die festo currenti cum applicatione sacrificii, et quod hoc ipsum tenetur quoad Missas in altaribus privilegiatis ex obligatione celebrandas : *Ibid.*, § 10.

Clemens IX extendit hanc Alexandri VII dispositionem ad altaria privilegiata, licet non in perpetuum, sed ad septennium, et non in omnibus, sed in aliquibus tantum hebdomadæ diebus : *Ibid.*, § 14.

Innocentius XI declaravit brevia prædictorum Pontificum sibi locum vindicare pro omnibus diebus, quibus juxta rubricas Missæ defunctorum celebrari non possunt, et sic diebus dominicis et infra octavam Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi, aliisque anni diebus,

quibus licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ defunctorum juxta ritum Ecclesiæ celebrari non possunt : *Ibid.*, § 12.

Seculo XII ad hæc verba : *Omnis honor et gloria*, nec prius ostendebatur Corpus Christi simul cum calice populo circumstanti ad adorationem : *Abell., Irr.*, 7 *jul.* 1770, § 7.

Inde usus invaluit elevandi Corpus Christi et deinde Calicem, statim post peractam consecrationem : *Ibid.*

Et nonnulli rationem referunt originem habuisse a tempore, quo Berengarius, vel realem Christi præsentiam in Eucharistia, vel transubstantiationem panis in Corpus Christi negavit : *Ibid.*, § 8.

Et non una tamen penes omnes ecclesias hujusce ritus observantia fuit : *Ibid*, § 9.

Carthusiani morem retinent elevandi tantum Hostiam, qui in elevatione Calicis nonnihil periculi inesse perpenderent : *Ibid.*

Item religiosis Ordinis S. Dominici antiquitus non fuit elevatio Calicis præscripta : *Ibid.*

Elevatio sive post consecrationem, sive ad verba : *Omnis honor et gloria*, fieri debet, ut populus venerabile Sacramentum adoret : *Ibid.*, § 10.

Fractio Hostiæ est præscripta, tum quia Christus Dominus in ultima Cœna panem benedixit, ac fregit, jubens ut id fieret in sui commemorationem : *Ibid.*, § 11.

Tum etiam ad indigitanda per hanc actionem mysteria : *Ibid.*

Missa, quæ ab uno sacerdote propter aliquem casum relinquitur imperfecta; si id contingat ante consecrationem, non debet ab alio suppleri ; secus vero peracta consecratione : *Juvenac., Susp. et Irr.*, 3 *dec.* 1735, § 9.

Ecclesia facile olim sese præbuit, in impertienda facultate, ut sacerdotes latini græco ritu et vicissim sacerdotes græci latino ritu divinis mysteriis operarentur : *Ord. S. Bas.*, 4 *maii* 1771, § 2.

Sed, exortis inter Græcos et Latinos dissidiis, Ecclesia a pristina facilitate et indulgentia recedit : *Ibid.*

Et etiam Concilium Tridentinum præcepit, ut in celebratione Missæ retineatur ubique cujuscumque ecclesiæ antiquus a Romana Ecclesia probatus ritus : *Ibid.*

Tamen nonnulli, prætextu facultatum concessarum, Missam cæteraque divina officia modo græco, modo autem latino ritu, celebrarunt : *Ibid.*, § 3.

Hujusmodi abusum radicitus evellit S. Pius V const. *Providentia*, 20 aug. 1566, quod confirmavit Gregorius XIII : *Ibid.*

Tamen non desunt nonnulli auctores, qui distinctionem excogitantes Græcos inter in Græcia commorantes, aliosque peregrinantes, aut degentes apud Latinos, ubi non sunt proprii ritus ecclesiæ fas istis esse, sese conformare Ecclesiæ sub qua versantur, latinoque ritu sacra conficere : *Ibid.*, § 4

Sed lex de retinendo suæ Ecclesiæ ritu personas afficit, cum susceperint baptismum, aut ordines, et Ecclesiæ lege adstringantur ad perseverandum in proprio ritu, servandamque propriæ Ecclesiæ consuetudinem : *Ibid.* et § 5.

Hanc disciplinam servari jussit Benedictus XIV : *Ibid.*, § 6.

Clemens XI, animo perpendens unumquemque juxta canonicas sanctiones in suo ritu permanere debere, neque sacerdoti licere modo latino, modo autem græco ritu celebrare : *Ibid.*, § 7.

Et dum transitus de uno ad alterum ritum vetitus est non autem prohibetur permixtio ritus ab Ecclesiæ legibus : *Ibid.*, § 8.

§ XV.

Missa solemnis.

S. Congregatio Rituum decrevit anno 1703 celebrationem Missarum solemnium in oratoriis confraternitatum per annum sive pro vivis, sive pro defunctis, non esse de juribus parochialibus, sed licere confratribus duntaxat illam peragere celebrationem in festivitatibus solemnioribus ejusdem ecclesiæ vel oratorii : *Ferr., Confr.*, 14 *sept.* 1782, § 13.

Sacerdotes, qui in Missa solemni Nativitatis diaconi aut subdiaconi munere funguntur, uti passim fit in capella Pontificia, et in basilicis Urbis, ac sacram communionem a celebrante recipiant, tenentur a Missæ celebratione ea die abstinere : *Disc. secr.*, 16 *dec.* 1724, § 19.

§ XVI.

Missa quoad suspensionem.

Facile suspendi non debent Missæ, multominus tolli animabus suffragia : *Melev., Trans.*, 15 *maii* 1792, § 6.

Potius est reformandus religiosæ familiæ indigentis numerus, quam Missarum suspensio concedatur : *Rom., Susp. Miss.*, 6 *dec.* 1794, § 6.

Missarum suspensio conceditur ad reædificandam ecclesiam parochialem deficientibus aliis remediis a S. Concilio Trid. præscriptis : *Plac., Susp. oner*, 22 *nov.* 1794, § 9.

Missarum celebratio est ad tempus intermittenda, ut reditus in reparationem ecclesiæ erogentur : *Firm., Ædic.*, 13 *mart.* 1762, § 2.

Suspensione Missarum peracta a canonicis, præsumere illos occurrere necessitatibus capituli voluisse censetur : *Forol.*, 16 *maii* 1789, § 5.

Justam ac legitimam præbet causam reparatio bonorum hæreditatis pro temporali Missarum suspensione : *Rom.*, *Susp. oner.*, 17 *jun.* 1775, § 3.

§ XVII.

Missa quoad translationem.

Legata Missarum a testatoribus reliquuntur vel in propriæ animæ expiationem, vel ex devotione erga aliquem sanctum, seu affectione ad aliquam ecclesiam : *Camer.*, *Restaur. eccl.*, 18 *sept.* 1779, § 7.

Ubi appareat testatorem respexisse suffragium propriæ animæ, tunc facilius conceditur translatio Missarum ad aliam ecclesiam : *Ibid.*

Sin autem celebratio Missarum demandata deprehenditur ex devotione erga aliquem sanctum, seu pro decore alicujus ecclesiæ, translatio non donatur ; *Ibid.*

Dum agitur de translatione distinctio hæc est facienda : quod si testatoris intentio directa fuit ad commodum loci, ut scilicet Missa singulis hebdomadis habitatoribus non deesset, tunc non est locus translationi : *Plac.*, *Trans.*, 7 *aug.* 1773, § 7.

Si vero testator per singulas hebdomadas, imo etiam per uniuscujusque hebdomadæ dies Missarum celebrationem demandavit, in isto casu, Missarum implementum transferri posse credidit, quia testatorem tantummodo respexisse præsumitur ecclesiæ et sacerdotum commodum ; *Ibid.*

Verum si testator certam diem pro celebratione destinaverit, non debet translatio permitti : *Ibid.*, § 8.

Nec per anticipatam Missæ celebrationem testatoris voluntati satis fit : *Ibid.*

Immutari potest dies a testatore præfinitus, quoties rationabilis causa, legitimumque impedimentum concurrat ; *Ibid.*

Quando pro Missarum celebratione certam ecclesiam testator designavit, tunc ea translatio difficilius est concedenda : *Luc.*, *Dem. et Trans. oner. Miss.*, 28 *jul.* 1781, § 7. ; *Æsin.*, *Dem.*, 26 *aug.* 1780, § 6.

Ad translationem Missarum non solum requiruntur justæ causæ, sed etiam urgentes, et quæ inevitabilem necessitatem important ; *Senog.*, *Trans. Miss.*, 28 *aug.* 1773, § 5.

Quando ex contextu testamenti innixa deprehenditur testatoris voluntas pro celebratione Missarum in ecclesia ab ipso designata, cum non solam determinatam ecclesiam, sed altare determinatum expresserit, quod sacrum est Passioni Christi offerendum, et tunc minus translatio conceditur : *Ibid.*, § 7.

Cum testator ecclesiæ cultum respexerit, denegari solet translatio, nisi impossibilis reddatur in designata ecclesia oneris implementum : *Ibid.*, § 10.

Sin autem Missarum celebratio demandata noscitur pro animæ suffragio, quamvis deinde et per posterius ecclesiæ decorem testator respexerit, facilius translatio concedi potest : *Ibid.*

Quando testator suffragium animæ respexerit, justa accedente causa translatio conceditur, quia quacumque in ecclesia Missæ celebrentur, idem semper habetur suffragium, quod defunctis eodem modo prodest : *Amer.*, *Red. et Disp.*, 25 *jul.* 1773, § 6.

Quando testator populi commodum respexerit, nonnisi raro ac difficillime translatio permittitur, ob specialem testatoris erga ecclesiam devotionem, aut ne populus alterius Missæ commodo et utilitate fraudetur : *Ibid.*

Justa pro transferenda ab una ad alteram ecclesiam Missarum celebratione requiritur causa : *Verul*, *Trans. Miss.*, 25 *apr.* 1789, § 4.

Circumstantiæ, quod in ecclesia fuit demandatum a testatore anniversarium, in qua tumulatum fuit, et construi debet depositum, translationem impediunt ; *Ibid.*, § 5.

Ad indulgendam Missarum translationem justa et rationabilis causa requiritur, ut necessitatem quodammodo indicat : *Ast.*, *Trans. Miss.*, 31 *maii* 1794, § 4.

Et denegatur, si incommoda est populo : *Ibid.*

Ac si fundator sollicitus non fuerit de loco, idem est ei suffragium, sive in una, sive in altera ecclesia celebrentur Missæ : *Ibid.*, § 5.

Justa in concedenda Missarum translatione, et rationabilis causa, illa esse debet, quæ necessitatem indicat : *Senog.*, *Trans. Mis.*, 17 *jun.* 1789, § 5.

Et in id plurimi facit testatoris præsumpta voluntas : *Ibid.*

Præsumpta testatoris voluntas faciliorem viam sternit ad concedendam translationem : *Auæ.*, *Trans. Miss.*, 8 *jun.* 1771, § 4.

Et Missæ relictæ in una ecclesia ob peculiarem devotionem erga aliquem sanctum, vel capellam, possunt celebrari in alia, quia per celebrationem Missæ in quacumque ecclesia sequutæ pio benefactori solvitur totum id quod ei debetur : *Ibid.*, § 7.

Dum agitur de translatione Missarum de una ad aliam ecclesiam spectanda, videtur peculiaris affectio testatoris erga illam ecclesiam, in qua suum cor-

pus humari, et compendio hæreditatis ditari voluit : *Forosemp.*, 20 *april.* 1771, §5.

Si translatio Missarum voluntati testatoris adversatur, non potest hæc voluntas commutari, nisi urgens causa et evidens utilitas concurrat : *Firm., Trans. on. Mis.*, 3 *aug.* 1782, § 4.

Denegatur si ecclesia ære fundatoris constructa sit, et inibi fuerit tumulatum, et demandando Missas esse singulis diebus festis de præcepto celebrandas, peculiarem erga ecclesiam prædilectionem, populique commodum ostendit : *Ibid.*

Etsi ob sacrificii excellentiam nihil detrimenti piis fundatoribus obveniat, tamen quando certa ecclesia designata est, non permittitur ab una ad aliam ecclesiam translatio, ne testatoris voluntas subvertatur, neve illius ecclesiæ cultus minuatur : *Ibid.*, § 8.

Et hæc permitti non solet, nisi justa et rationabilis causa concurrat : *Ibid.*

Causa autem justa ea dicitur, quæ necessitatem suadet immutandæ testatoris voluntatis, quo casu non absoluta mutatio, sed interpretatio potius dicitur : *Ibid.*

Translationi est locus, si non adversetur voluntas testatoris, qui animæ suæ suffragium optavit, nihilque de suffragio detrahi, si Missæ in una potius vel altera ecclesia celebrentur : *Plac., Leg. pii*, 14 *sept.* 1782, §11.

Causæ ob quas Missarum onera fideles reliquunt ut plurimum sunt animæ propriæ suffragium, aut erga aliquem sanctum peculiaris devotio vel erga ecclesiam aliquam affectio : *Ibid.*, § 15.

Primo casu Missarum translatio facilius conceditur solet : *Ibid.*

Nam sacrificium, in quacumque ecclesia celebratum fuerit, eodem modo semper pro defunctis prodest : *Ibid.*

Et quando Missæ demandatæ fuerunt, vel pro affectione, aut pro decore alicujus ecclesiæ, vel testator peculiarem erga aliquem sanctum devotionem suam patefecit, tunc ne ecclesiæ cultus imminuatur, translatio non permittitur : *Ibid.*

Regulares in loco degentes indebitum augmentum eleemosynæ, indebitamque utensilium solutionem petentes, factis negant in se onus Missarum suscipere, et translationi aditum aperiunt, quemadmodum aperirent, si verbis reluctarentur : *Amer., Trans. Miss.*, 30 *jul.* 1785, § 7.

Quoties temporalis petita translatio Missarum in diebus ferialibus non officit populi commoditati, nec suffragia minuit testatori, in quæ duntaxat prospexisse ex testamento evincitur, postulationi est annuendum, quæ sine ullius injuria in tantam vergit pauperis capellani utilitatem : *Perus., Trans. on.*, 20 *aug.* 1785, § 5.

Pro translatione oneris Missarum plurimum deferendum est consensui illorum qui interesse habent : *Jan., Red. et Trans. Mis.*, 16 *dec.* 1786, § 6.

Si solum animæ suæ suorumque suffragium testator consideraverit, et alia in ecclesia sepultus fuit testator ; eodem modo suffragantur animæ sacra in uno aut altero loco celebrata : *Urb., Trans.*, 3 *febr.* 1787, § 6.

Ubi concurrit affectio fundatoris erga aliquam ecclesiam, permittenda non est Missarum translatio : *Æsin., Trans. Miss.*, 24 *mart.* 1787, § 3.

Et quum jam facta fuerit translatio ab ecclesia a fundatore prædilecta, hæc primæva fundatoris affectio officere non videtur : *Ibid.*, § 4.

Sed obesse potest contradictio illius, cujus jus ex illa prima translatione quæsitum, sine justa et publica causa auferri non deberet : *Ibid.*

Levissima videtur mutatio, qua sacri celebratio ad festum cujuslibet hebdomadæ diem a feria sexta traducitur : *Viterb., Trans. Miss.* 19 *maii* 1787, § 4.

Et ratio est, quia valde interest, defunctorum voluntatem meliori quo potest modo impleri : *Ibid.*

Expressa latet illius voluntas, quæ si merum animæ suffragium respexisset, procliviores in translationem esse deceret : *Ibid.*

Multi facienda est pro Missarum translationis impedimento tumulationis cadaveris testatoris circumstantia : *Ver., Trans. Miss.*, 30 *julii* 1768, § 12.

Quando testator certam ecclesiam præscripserit pro Missarum celebratione, difficilius translatio Missarum conceditur : *Fir., Trans. cap.*, 6 *mart.* 1779, § 5 ; *Luc., Dem. et Trans. oner. Miss.*, 28 *jul.* 1781, § 7 ; *Æsin., Demol.*, 26 *aug.* 1780, § 6.

Justa et rationabili urgente causa, locum esse translationi sacrum Tridentinum Concilium sanxit : *Ibid.*, § 6.

Doctores vero justam et rationabilem causam putant esse, nedum consensum præstitum ab iis quorum interest ne translatio fiat, nimirum ab exequutore testamentario, et capellano, ratione redimendi jurgia, et dissidia, et controversias adhuc vigentes : *Ibid.*, § 7.

Sed etiam consensum præstitum ab Episcopo : *Ibid.*

Ab ecclesia in qua tumulatus est testator difficilius permittitur translatio Missarum : *Nov.*, *Trans. et Red. Miss.*, 14 *dec.* 1793, § 3.

Et utilis censetur translatio, quando nullum affert damnum ecclesiæ, a qua fieri debet, et maximum commodum affert alteri ecclesiæ quæ Missis caret : *Ibid.*

Difficilius conceditur translatio Missarum ubi contemplata sit commoditas populi : *Perus., Tran. Miss.*, 7 *maii* 1791, § 3.

Si testator animæ suffragium in legato Missarum respexit, Missarum translatio faciljus concedi solet : *Aux., Tran. Miss.*, 15 *febr*, 1771, § 9.

Quia sacrificium, in quacumque ecclesia celebretur, defunctis eodem modo semper prodest : *Ibid.*

Secus vero, si Missæ demandatæ fuerint ex affectione, vel pro decore alicujus ecclesiæ, vel ob peculiarem erga sanctum devotionem, tunc ne testatorum menti fiat injuria, et ne cultus ecclesiæ quoquo modo imminuetur, translatio non permittitur : *Ibid.*

Ubi sollicitus non fuit testator de loco celebrationis, Missæ transferri permittuntur : *Plac., Com. vol. et Tran.*, 21 *jun.* 1794, § 8.

Idem enim est fundatori suffragium, sive in una, sive in altera ecclesia celebrentur Missæ : *Ibid.*, § 9.

Injustus dissensus capituli ecclesiæ a qua transferri debent Missæ, impedimento non est translationi : *Ibid.*

Et ei supplet S. Congr. Concilii : *Ibid.*

Quando impediatur regularibus Missarum celebratio in ecclesia a testatore designata licitum est ad propriam transferre earumdem celebrationem : *Tyb., Celeb. Mis.*, 10 *sept.* 1735, § 5.

Missarum translatio facile concedi potest, si non repugnet testamentariæ dispositioni, neque in illius vergat præjudicium : *Casal., Trans. Miss.*, 12 *jul.* 1771, § 3.

Et si periculum sit ne sacrum quotidianum deficiat, permittenda est translatio, ut testatoris voluntas exactius impleatur : *Ibid.*, § 4.

Translatio Missarum ab una ad aliam ecclesiam, omnibus utilissima, est concedenda : *Vic., Trans. oner. Miss.*, 1 *mart.* 1766, § 5.

Et exploratum est, quanti judicium Episcopi in hujusmodi rebus æstimandum sit : *Ibid.*, § 6.

Quando onera Missarum in unam ecclesiam relicta, ea non acceptante, sint transferenda in aliam ecclesiam : *Uxen., Cel. Mis.*, 16 *dec.* 1747, § 4.

Translatio facienda est, quando locum designatum est, uti gentilitium suorum hæredum, et sacra peragi ibi jussit testator non pro cultu altaris, vel ecclesiæ, sed contemplatione suffragii : *Flor., Tran. oner. Miss.*, 3 *jul.* 1762, § 3.

Quum sit impossibilis celebratio Missarum ad præscriptum fundatoris, locus est illarum translationi : *Rom., Cap.*, 23 *febr.* 1793, § 4.

Concedi solet Missarum tranlatio ob defectum sacerdotum : *Sutr., Cap.*, 18 *apr.* 1795, § 12.

Si ecclesia a testatore designata et conventus transferuntur de loco ad locum non ex voluntate, sed ex necessitate, non mutatur voluntas testatoris, si in nova ecclesia Missæ celebrentur, nec sit locus subrogationi, præsertim quum animæ suffragium, quod præcipue volitum censeri debet a disponente, æque habetur, sive Missæ in una ecclesia, sive in alia celebrentur : *Rom., Oner. Miss.*, 12 *jan.* 1732, § ult.

Translatio onerum Missarum necessario permittenda est, quando ecclesia sine culpa diruta omnino est, et restaurari amplius nequit : *Com., Trans. Mis.*, 15 *sept.* 1764, § 4.

Potestas vero est Ordinariis Missarum onera de una in aliam ecclesiam transferre, quando nescitur an ex veteri instituto, an ex contractu, vel legato in certa ecclesia celebrantur : *Ibid.*, § 6.

Præsertim consentiente rectore beneficii, et iis quorum interest : *Ibid.*

Vetita a jure est sacrorum translatio contra claram fundatoris legem : *Fav., Trans.*, 3 *aug.* 1771, § 3.

Et obtenta translatio est revocanda, prorsusque irritanda : *Ibid.*, § 4.

Sacra in certa ecclesia præscripta ad aliam diversam transferenda non sunt, tum ne fundatorum menti injuria fiat, tum ne cultus prædilectæ ecclesiæ quoquomodo imminuatur : *Ibid.*, § 7.

Translationes idcirco sacrorum ab una ad aliam ecclesiam contra voluntatem fundatorum, cum apertam commutationem præ se ferat, non aliter permitti solent, nisi justa et necessaria causa concurrat : *Ibid.*

Causa autem justa non ea est, quæ aliquam rationem secum ferat, sed quæ necessitatem suadet commutationis voluntatis, cujus in isto casu interpretatio potius dicitur, quam integra, et absoluta mutatio : *Ibid.*, § 8.

Facile transferri non debet Missarum celebratio a diebus festis ad feriales, si contraria sit fundatoris voluntas, quæ ex naturali æquitatæ servanda est : *Spol.*, 17 *sept.* 1791, § 5.

Præsertim ob dies festos, in quibus major est populi frequentia : *Ibid.*

Et est quærendum num concurrat justa causa, quæ voluntatis commutationem suadet : *Ibid.*

Ac celebratio Missæ ad certum altare diebus festis majorem eleemosynam exigere potest : *Ibid.*

Nulla adest translationis causa ex loco designato, ubi legatum commode impleri potest : *Com., Trans.*, 23 *nov.* 1765, § 6.

Ideoque illinc amoveri non debet : *Ibid.*

Maxime ab ecclesia, in qua testatoris cadaver conditum est : *Ibid.*

Hinc translationi Missarum impedimentum præstat voluntas testatoris celebrandi illas in ecclesia

in qua sepultus est : *Perus., Com. vol.*, 18 *dec.* 1790, § 6.

Item obest translationi Missarum devotio testatoris erga altare, ubi Missæ sunt celebrandæ : *Ibid.*

Denegatur translatio, ubi capellanus celebrare valet in designato loco, vel ecclesia : *Rom., Leg. Miss.*, 22 *aug.* 1795, § 5.

Sepulcrum testatricis, ejusque fratris et patrui in ecclesia impedimento est ne ab ea Missæ transferantur : *Ibid.*, § 8.

Sacra in certa ecclesia præscripta ad aliam diversam transferenda non sunt, tum ne fundatorum menti injuria fiat, tum ne cultus prædilectæ ecclesiæ quoquomodo imminuatur : *Com., Trans. cap.*, 30 *maii* 1772, § 9.

Nam translatio apertam commutationem voluntatis præfert, quæ non aliter est permittenda, nisi justa vel necessaria urgente causa : *Ibid.*, § 10.

Translationi Missarum præcipue impediunt erga designatam ecclesiam fundatoris affectio, circumstantiæ tumulati cadaveris, et commodi vicinorum : *Anim., Decr. et Trans. Mis.*, 16 *febr.* 1788, § 4.

Ad translationem Missarum necessaria causa videtur esse ecclesiæ demolitio quum in commutandis voluntatibus potissimum necessitas spectanda est : *Ibid.*

Et de modo faciendi translationem sententia Episcopi ante oculos haberi debet, quia liberam beneficiorum dirutis ecclesiis translationem Episcopis Concilium Tridentinum permittit : *Ib.*, § 5.

Si sepulti sint fundatores in ecclesia, ab ea impedire potest Missarum translatio : *Nul. Guas.*, 26 *nov.* 1791, § 6.

Translatio haud est concedenda, quando testator pro Missarum celebratione certam ecclesiam certumque altare præscripserit : *Anim. et Feretr.*, 12 *dec.* 1778, § 6 ; *Araus.*, 3 *jun.* 1780, § 5.

Translatio denegatur Missarum, si incommoda sit populo : *Fan., Red. Mis.*, 10 *maii* 1794, § 6.

Missarum omissio quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, § 1.

Mitra.

Præposito exempti capituli, cui competit usus baculi et mitræ, licet uti mitra auro ornata, dum synodo episcopali interest : *Crem., Synod.*, 8 *aug.* 1733, § 4.

Abbates minime exempti uti solum mitra simplici alba et plana debent : *Ibid.*

Mixta jurisdictio. Vide *Exemptio*, § 11.

Modus.

Modus a testatore præscriptus, quando impleta causa, habitoque effectu ab eodem exoptato, curari non debet : *Civit. Cast., Com. vol.*, 21 *nov.* 1772, § 6.

Dum quæritur an descriptus modus, vel forma, per aliud simile impleri valeat, communiter distinguunt doctores inter formam quam *substantialem* dicunt, et *effectualem* : *Ibid.*, § 10.

Si substantialis sit, nequit aliter, quam scriptum est impleri : *Ibid.*

Si vero effectualis, potest, dummodo idem sequatur effectus : *Ibid.*

Est substantialis, quando testator speciali ex causa illam elegit, vel precise, ac circumscriptis verbis illam servari jussit : *Ibid.*

Appellatur effectualis, quæ ideo a testatore apposita est, ut quomodocumque sequatur effectus quem voluit, non alienum videatur, si ad eumdem effectum assequendum quid simile subjiciatur : *Ibid.*

Quum nulla adjecta reperitur clausula irritans in casu quo aliter exequeretur voluntas testatoris, hinc modum in illa expressum minime pro forma inductum censetur : *Leod.*, 21 *nov.* 1772, § 7.

Modus est non conditio, quando imponitur onus post collatum emolumentum : *Casal.*, 28 *jan.* 1764, § 7.

Erectionis patet modus, non vero conditio, quia prius institutio hæredis, et emolumentum datum est, quam erectionis lex dicta : *Viter., Pror.*, 30 *aug.* 1766, § 17.

Nihil facit distinctio inter conditionem et modum, quando agitur de implenda voluntate : *Ibid.*, § 23.

Modus cum conditione confunditur, et æque caducitas incurritur : *Ibid.*

Summa est in jure distinctio inter conditionem et modum : *Ibid.*, § 30.

Conditio autem legatum suspendit, modus post acceptum legatum actionem præbet ei cujus interest, ut legatarius vel hæres impleat : *Ibid.*

Non facile est judicare, an modus, vel conditio sit ; nam modus quandoque apparet, quæ conditio est, et modus aliquando ad conditionem refertur : *Ibid.*

Aliquando post modum, non impleto opere apponitur conditio substitutionis in favorem alterius : *Ibid.*, § 31.

Neque ideo conditio adjecta modo dici debet dispositio ab initio conditionalis : *Ibid.*

Si testator præceperit, ut servus liber evadat, ita ut filiis suis rationes reddat ; conditio libertati non est injecta, sed modus ad implendam illius voluntatem : *Ibid.*, § 32.

Item, si tribus servis testator det libertatem sub conditione, ut suo monumento alternis mensibus lucernam accendant, et solemnia mortis peragant ;

libertas non est data sub conditione, quum illi assidue adesse monumento nequeunt : *Ibid.*, § 33.

Conditio concipitur : *Lego illi, si illam uxorem duxerit;* modus autem : *lego illi, ita ut illam uxorem ducat ;* nisi probetur aliam fuisse voluntatem : *Ibid.*

Multum scire interest an sit conditio, vel modus, quum sit magna differentia inter conditionem et modum : *Ibid.*

Conditio impletur, antequam capiatur legatum, vel donatio; modus autem impletur post perceptionem legati : *Ibid.*

Non existente conditione, legatum vel hæreditas non acquiritur. Non impleto modo, caducum legatum non est, sed actio ad modum implendum succurrit : *Ibid.*, § 35.

Conditio ut distinguatur a modo, tradi solet distinctio : aut testator aliquid dixit faciendum, antequam de emolumento sit loquutus, et tunc conditio apposita dicitur ; aut primum de emolumento, postea onus injunxit, et tunc dicitur modus : *Ibid.*, § 36.

Sed hæc distinctio non semper habet locum, quum voluntas sit quæ facit conditionem, vel modum, potius quam sermo : *Ibid.*, § 37.

Impossibilis conditio rejicitur, non vitiata facta institutione : *Ibid.*, § 44.

Monachus, Monachi. Vide *Regulares.*

Monasteria.

§ I.

Monasteria quoad clausuram.

Clausura inducta est ex jure ecclesiastico ; ideoque contraria consuetudine præscribi valet : *Feren., Vis. SS. LL.*, 15 *mart.* 1794, § 5.

Atque inducta est ad arcendas mulieres a cœnobiis virorum, et viros a monasteriis mulierum : *Ibid.*, § 3.

Non extenditur ad domos rusticos et hortos a cœnobiis disjunctos : *Ibid.*, § 4.

Ei vero subjiciuntur loca et horti qui intra septa monasterii continentur : *Ibid.*, § 6.

Ad Ordinarios locorum pertinet clausuram restituere; dissentientibus etiam superioribus regularibus, quibus non licet clausuram moderari, aut tollere : *Ibid.*, § 7.

Et id non obstante consuetudine : *Ibid.*, § 8.

Superiores tamen regulares statuere valent fines clausuræ : *Ibid.*, § 5.

Et damnanda non est consuetudo, ex qua non observantur omnino illius præcepta : *Ibid.*

Mulieres ingredientes clausuram incurrunt excommunicationem Summo Pontifici reservatam, et religiosi patientes earum ingressum privantur officio, et incurrunt suspensionem : *Ibid.*, § 3.

De monialium clausura mentio habetur etiam in sæculo IV : *Tusc.*, 16 *jan.* 1768, § 12.

Sed cum nulla lege generali moniales omnes ad clausuram obstringerentur, hinc Bonifacius VIII, Pont. Max., labente seculo XIII, eam omnibus monialibus indixit : *Ibid*

In monasteriis monialium etiam exemptis, et quæ regularibus subjecta sunt, Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis commissum est ut procurent clausuram sanctimonialium ; ubi violata fuisset, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari : *Aquil., Jurisd.*, 31 *jul.* 1723, § 2.

Gregorius XV in sua const., 18 *Bull.* tom. 4, jussit ut Episcopi adversus inobedientes et contradictores procederent per censuras ecclesiasticas, et alias pœnas ; nec non ut regulares delinquentes circa clausuram monialium, licet sibi subjectarum, puniri possent, et corrigi ab Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis : *Ibid.*

Alexander VII, in sua const. 153, *Bull.* tom. 6, superioribus regularibus, quibus incumbit cura et regimen monasteriorum sanctimonialium, prohibuit ingressum in ea, nisi ex causa visitationis localis ; et hoc semel in anno, et casu quo necessitas urgeat pluries eodem anno ingrediendi, statuit ut non ingrederentur, nisi cum præsentia Episcopi diœcesani, vel alterius personæ ecclesiasticæ ab eodem deputatæ : *Ibid.*

Gregorius XIII sanxit, quoad eos qui alterius licentia non indigent, sed sui auctoritate officii monasteria monialium ingrediuntur, non posse illos id facere, nisi in casibus necessariis, et cum comitatu paucorum, et quidem seniorum, et religiosorum : *Mazzar.*, 10 *maii* 1727, § 4.

Citatus Pontifex sanxit ut confessor sanctimonialium, tam ordinarius, quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii, nisi ad sacramentum Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis ministranda monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium nec unquam ingrediatur nisi cum socio, qui sit probatæ vitæ, et maturæ ætatis, semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessorem videre et ab ipso videri semper possit : *Ibid.*, § 5.

Quisvis autem confessarius ingredi potest ad ministranda Sacramenta principalibus anni solemnitatibus, confessionis et communionis, illis monialibus, quæ ita sunt infirmæ, ut neque per se, neque cum aliarum auxilio possint ad confessionarium, et fenestrellam accedere : *Ibid.*, § 5.

Et ingredi debet solus et excipiendus a duabus

monialibus senioribus, quæ illum recta via euntem ad valetudinariam, et simili modo exeuntem comitentur, et cum cautela quod, dum audit confessionem, cella ita sit aperta, ut duæ comitatrices, quæ super ejusdem cellæ janua remanere debent, confessarium et infirmam commode vident, sed non audire possunt : *Ibid.*

Potest etiam ingredi monasterium ad ministranda sacramenta Confessionis et Eucharistiæ, non solum quando urget morbi periculum, sed etiam in ipso initio morbi, et quoties ex regulæ suæ præscripto monialis vult confiteri, et ulterius quoties infirma dixerit, se sacramento Pœnitentiæ indigere, aut sacramenta recipere consuevit, dum erat sana : *In Adnot. secr.*, 5 *junii* 1727, §§ 3, 4 et 5.

Rustica regularium domus non est sub clausura, et patet fœminis ad recreationem : *Ferent.*, *Vis. SS. LL.*, 20 *febr.* 1796, § 2.

Locus, qui continuis muris est intra septa monasterii, continetur sub clausura : *Ibid.*, § 4.

Et centenaria etiam contraria observantia non attenditur : *Ibid.*

Dici tamen potest immunis a clausura, si ante constructionem muri circumdatus erat sepe : *Ibid.*, § 2.

Instar externi atrii, quod non subest clausuræ : *Ibid.*, § 3.

Atque in hac clausuræ materia deferendum est observantiæ : *Ibid.*

§ II.

Monasteria quoad numeri præfixionem.

Ubi non sufficiunt in monasteriis tam virorum quam mulierum reditus eorumdem, numerus familiæ reformari debet : *Rom.*, *Red. Mis.*, 18 *mart.* 1797, § 5.

§ III.

Monasteria quoad unionem.

Unio monasterii alio monasterio hisce verbis peracta : *Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo unimus, et adnectimus, et incorporamus*, unionem accessorie et subjective indicat : *Naul.*, *Visit.*, 2 *dec.* 1752, § 2.

Aliud est, quum duo beneficia, ecclesiæ, vel monasteria *invicem et simul* uniuntur ; aliud vero, cum unum alteri unitur : *Ibid.*

Primo casu utrumque æquali unione afficitur, et ideo utrumque æque principaliter uniri et connecti oportet : *Ibid.*

Altero casu, quo unitur alteri, non nisi accessorie et subjective uniri et connecti possit : *Ibid.*

Ubi enim beneficium, vel ecclesia alteri unitur, desinit esse corpus quod per se ipsum consistat, et ideo necesse est ut alterius, cui unitur, pars et membrum fiat, quod est unitum accessorie et subjective, quæ fuit *Angeli* jurisprudentia : *Ibid.*

Et ex subjectiva unione monasterium sicut factum fuit membrum alterius monasterii, ideo frui debet omnibus juribus privilegiis, et exemptionibus, quibus præstat principale corpus, cui unio facta fuit : *Ibid.*, § 3.

Ita ut si monasterium, cui fuit unitum, est exemptum omnino ab omni episcopali jurisdictione sive ordinaria, sive delegata, ita monasterium unitum, veluti pars, membrum, et accessorium illius, ne jure quidem delegato Episcopus visitare potest : *Ib*

Monasterium.

§ I.

Monasterium monialium quoad deputatos, et administratores.

S. Carolus Borromæus inter cætera disposuit, ut unumquodque monasterium monialium tres habeat protectores, unum ecclesiasticum, et alios laicos digniores atque ætate, prudentia, pietate et auctoritate præstantes, qui curæ, rectæque bonorum ac jurium monialium administrationi invigilent : *Med.*, 12 *maii* 1736, § 4.

Aut uno ex his deficiente, abbatissa monasterii tres vel plures in illius locum subrogandos Episcopo proponat, a quo juxta sui libitum aptior eligatur : *Ibid.*

Deputati monasterii, qui potius est ordinarii subdelegati primario ad custodiendam sanctimonialium clausuram, licet secundario curam gerat honorariam et consultatoriam in rebus monasterii temporalibus, electio spectat ad Episcopum : *Viter.*, *Jurisd. et Elec.*, 10 *maii* 1760, § 1.

Multoque magis, quando semper electum fuisse ab Episcopo probatur per tredecim grandævos testes sacerdotali charactere insignitos, qui deponunt de scientia propria ultra quadraginta annos, de auditu a majoribus de publica voce, et fama, et quod memoria non fuerit, nec sit in contrarium : *Ibid.*, § 2.

Nec immemorabilis enervatur ex testimoniis producendis a monialibus, quæ urbanam et civilem propensionem Episcopi in eligendis personis benevisis monialibus, earum precibus quandoque deferendo, trahere conantur ad sibi asserendum jus præelectionis : *Ibid.*

Nam, dum formalis monialium præelectio processisset, de illa constare deberet ex libris resolutionum capitularium monasterii : *Ibid.*

§ II.

Monasterium monialium quoad erectionem et fundationem.

Ad erigendum monialium monasterium, requiruntur assensus Episcopi, approbatio Sedis Apostolicæ, et assignatio redituum, qui sufficiant ad congruam conservationem duodecim saltem monialium : *Worm., Erect. monas. vel coll.*, 1 *sept.* 1731, § 4.

§ III.

Monasterium monialium quoad exemptionem et subjectionem.

Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 5, *de Reg. et Mon.*, commendat plurimum vigilantiam Episcopis super clausura monialium etiam exemptarum : *Viter., Jur. et Elect.*, 10 *maii* 1760, § 1.

Et ei datum est onus incumbendi rectæ administrationi monasteriorum monialium etiam regularibus subjectarum : *Ibid.*

Atque utramque facultatem Episcopus alteri subdelegare potest : *Ibid.*

Monasterii domestica et œconomica directio spectat ad monialium religiosam communitatem, non autem ad Episcopum : *Ascul., Juris.*, 12 *mart.* 1763, § 10.

Et a monialibus sunt eligendi officiales monasterii : *Ibid.*

Moniales nequeuunt sibi eligere protectorem, qui dandus est a Papa : *Ibid.*, § 11.

Quando moniales acceptant ecclesiam et domum ab abbate commendatario cum clausula, *sine tamen abbatialis parochiæ præjudicio*, renuntiasse exemptioni censentur : *Brict. seu Null. S. Ruph., Jur. par.*, 26 *nov.* 1767, § 4.

Nec est dubium, quin monasterium privilegium exemptionis amittere possit, vel ex non usu, vel ex facto eidem exemptioni contrario : *Ibid.*

Dum Episcopi moniales admiserunt, pontificalia exercuerunt sine ulla venia, confessarios dederunt, aliaque egerunt, quæ non ad qualitatem vicinioris, neque ad jurisdictionem delegatam referri possunt, monasterium non pertinet ad aliam jurisdictionem : ead. caus., 31 *maii* 1766, § 9.

Præsertim si alia addantur, quæ pro Episcopo concludunt, qui a sua jurisdictione deturbari nequiret, etsi monasterium intra fines abbatiæ continetur : *Ibid.*, § 10.

Et minime enuntiatur dictum monasterium in Pontificia constitutione, ubi enumerantur ecclesiæ ad abbatiam spectantes : *Ibid*, § 11.

§ IV.

Monasterium monialium quoad oblatas et puellarum receptionem.

Jus nominandi puellas ad recipiendas in monasterium competere potest societati vi conventionis initæ in limine monasterii fundatione, et vigore beneplaciti dictam conventionem approbantis : *Rom., Jur. nom. et accept. puel.*, 30 *jan.* 1762, § 4.

Et idem jus intelligendum est, salva acceptione libere per capitulum monialium facienda : *Ibid.*

Pro legitima puellarum receptione ad habitum requiritur de jure consensus abbatissæ et monialium : *Ibid.*, § 3.

Data non est monialibus facultas comprobandi qualitates puellarum a testatore præscriptas, sed super illis judicium est ferendum ab Ordinario : ead. caus., 14 *febr.* 1761, § 5.

Supplere superior potest consensum monialium, quæ injuste renuunt, ut puellæ præscriptis qualitatibus præditæ admittantur : ead. caus., 8 *aug.* 1761, § 3.

Et observantia faciendi scrutinium in aliquibus actibus non derogat legi fundationis, cujus efficacia perseverat ex actibus libere nominationis, ut plurimum sequutæ : *Ibid.*, § 5.

Puellæ nominatæ, quas ex lege fundationis tenentur moniales acceptare, non requiritur earum præventivum scrutinium, nec acceptatio ex illarum arbitrium pendet : ead. caus., 14 *febr.* 1761, § 4.

Convictrices, seu oblatæ, tenentur a parocho, in cujus parochiam monasterium seu conservatorium situm est, sacramenta recipere : *Set.*, 27 *april.* 1765, § 13.

Puella forensis, quæ paternum domicilium in civitate non habet, subjecta est parochiæ intra cujus limites monasterium situm est : *Brict. seu Null. S. Ruph., Jur. par.*, 26 *nov.* 1767, § 3.

Et juri parochiali subduntur educandæ, et nihil obstat asserta monasterii exemptio, quatenus revera de illa constet : *Ibid.*, § 3.

MONASTERIUM REGULARIUM. Vide *Regularium monasterium.*

MONETA MARCA. Vide *Marca moneta.*

Moniales.

§ I.

Moniales in genere.

Antiquissimus est monialium usus in Ecclesia : *Tusc.*, 16 *jan.* 1768, § 12.

Moniales fruuntur iisdem privilegiis, quibus regulares quibus subjectæ sunt : *Ulyp. Occid.*, 22 *nov.* 1721, § 6.

MONIALES QUOAD CONFESSARIUM. Vide *Confessarius*, § III.

§ II.

Moniales quoad contractus et ultimam voluntatem.

Abbatissa testari non potest, etiamsi nunquam induerit habitum monasterii ; narrat Gregorius XI, in decr. *de Testam.*: *Bon.*, 3 *jul.* 1784, § 8.

Nullæ sunt capellaniæ institutæ per actum ultimæ voluntatis a monialibus professis : *Vallis.*, 17 *aug.* 1793, § 9.

Imponere enim nequeunt moniales professæ Missarum onus super sortes, quarum sunt usufructuariæ : *Ibid.*

Donare tamen valent per actum inter vivos cum onere Missarum : *Ibid.*

Quæcumque vero fuerit dispositio, sustinetur post immemorabile implementum ob præsumptum beneplacitum Apostolicum : *Ibid.*, § 10.

Moniales etiam regularibus subjectæ, absque sui superioris et protectorum monasterii consensu et approbatione, nullos contractus inire possunt : *Med.*, 12 *maii* 1736, § 5.

§ III.

Moniales quoad dotem.

Monialis professa e religione egrediens, vel ad aliam transiens, dotem repetere nequit : *Civit. Cast.*, 3 *mart.* 1792, § 10.

Post solemnem professionem dotis dominium irrevocabiliter in monasterium transfertur : *Ibid.*

MONIALES QUOAD PROFESSIONEM RELIGIOSAM. Vide *Professio religiosa*.

§ IV.

Moniales quoad scrutinium.

In secreto scrutinio monialium, quælibet monialis proprium moderatur suffragium secundum conscientiam : *Rom., Jur. nom. et accep. puell.*, 30 *jan.* 1762, § 6.

§ V.

Moniales quoad translationem.

Moniales antiquum monasterium ob ruinam relinquentes, et in novum se conferentes, prætendere possunt easdem exemptiones ; quia non situs et materiale antiqui monasterii exemptum erat, sed corpus mysticum et communitas monialium, quæ sive in uno, vel in alio loco semper eadem est : *Hier., Exemp.*, 6 *dec.* 1760, § 4.

Præsertim vigore translationis monasterii formalis et communitatis religiosæ in novam clausuram. In eamdem enim translata jura quoque et qualitates omnes prioris monasterii fuisse præsumitur : *Ibid.*, § 5.

Quia videtur translatio facta ex justa causa nempe ruinæ monasterii : *Ibid.*

Et in discessu ab antiquo monasterio accessit tum facultas Episcopi et religiosi delegati provinciæ, tum S. Congreg. Episcoporum et Regularium in constructione novæ clausuræ, ita ut non dubitatur de valida privilegiorum translatione in novum monasterium : *Ibid.*

Limita non quando est contraria relatio Episcopi, negans exemptas unquam fuisse a jurisdictione ordinaria : *Ibid.*, § 6.

Maxime quando probatio exemptionis innixa est incertæ et dubiæ traditioni ineptæ ad probandam immemorabilem : *Ibid.*

Et decreta S. Congr. Concilii, quæ concedunt exemptiones sub clausula : *sine veri præjudicio*, nullum bonum jus constituunt : *Ibid.*

Ita ut re adhuc infecta, et non probata, monasterium subjectum jurisdictioni Ordinarii debet remanere : *Ibid.*

Mons.

§ I.

Mons frumentarius.

Quoad exactionem usurarum montium frumentarium servanda est bulla Leonis X : *Mont. Falis.*, *Mon. frum.*, 6 *oct.* 1703.

§ II.

Mons pietatis.

In constitutione Leonis X *Inter multiplices* edita in concilio V Lateranensi monti pietatis usurarum exactio pro stipendio ministrorum, aliisque sumptibus permittitur : *Perus.*, *Mont. piet.*, 11 *maii* 1793, § 5.

Eorum reprobantur opiniones, qui post conci-

lium Lateranense negant quod sacri montes pietatis aliquid moderatum ultra sortem recipiant pro necessariis impensis : *Casal.*, *Mon. piet.*, 12 *mar.* 1718, § 4.

In jure ultro permittitur, quod ex pignoribus usuræ exigantur ob manutentionem ministrorum, et montis, et superantes, si eæ sint in necessariam montis ejusdem dotem convertantur : *Benev.*, 8 *april.* 1786, § 7.

Ut ita mons ipse ditior effectus, absque ulla prorsus usura tandem aliquando mutuare egenis pecuniam possit : *Ibid.*

Id accidit in monte Ferrariensi, qui, cum dotem in sua fundatione non haberet, æs alienum contraxit : *Ibid.*

Et Clemens X per breve dicto monti permisit, ut exigerentur super pignoribus scuta 6 in singula centum, quorum quatuor essent pro usura æris alieni, reliqua duo pro ministrorum impensa, usque ad extinctionem dicti æris alieni : *Ibid.*

Mons pietatis est obnoxius tum debitorum decoctioni, tum pignorum peremptioni, tum etiam infidelitati ministrorum, quæ omnia majori fructuum accessione, sunt compensanda : *Perus.*, *Mon. piet.*, 20 *april.* 1771, § 4.

Ad præfiniendam usuræ, seu lucri quantitatem, quæ a jure præscripta non est, standum est locorum consuetudini : *Ibid.*, § 5.

Est antiquissima et celebris controversia, an montes pietatis licite possint aliquid lucri pro necessariis ministrorum expensis exigere? Definita fuit a concilio Lateranensi sub Leone X, anno 1515, celebrato, pro affirmativa : *Ibid.*, § 7.

Hinc Concilium Tridentinum, sess. 22, cap. 8, *de Refor.*, montes pietatis in loca pia recensuit, et Episcoporum visitationi subjecit : *Ibid.*

Facultas exigendi quoque quinque scuta pro centenario impertita est, si gravis urgeret causa necessitatis subventionis pauperum, et ratio lucri cessantis et damni emergentis id suadeat : *Ibid.*, § 10.

Hoc evenit monti pietatis Bononiæ, Mutinæ, Veronæ, et Ferrariæ, vigore Apostolici indulti : *Ibid.*

Montium loca. Vide *Loca*, § I.

Monumenta.

Monumenta publica potiora sunt testibus : *Ver.*, *Med. an.*, 29 *nov.* 1788, § 6.

Inter se partiri nequeunt canonici pretiosa monumenta inventa in fundo præbendæ canonicalis : *Præn.*, *Mon.*, 17 *dec.* 1796, §§ 6 et 8.

Pretiosa enim monumenta æquiparantur thesauro : *Ibid.*, § 6.

De hac non participant simplices usufructuarii sed debentur domino fundi, seu utili domino præbendæ canonicalis : *Ibid.*, §§ 6, 7, et 8.

Ad exemplum fundi dotalis, cui thesaurus accedit : *Ibid.*

Quamvis porro res pretiosæ inventæ in agro debeantur beneficiato, debentur tamen in utilitatem beneficii : *Ibid.*, § 9.

Mores. Vide *Clerici*, § X.

Mos.

Tamdiu servatus mos hoc secum fert, ut mutari non debeat : *Reg.*, 13 *jul.* 1765, § 7.

Morem non admittendi novum canonicum ad possessionem præbendæ, nisi prandium dedisset collegis, Gregorius IX, in cap. *Jacobus, de Simon.*, improbavit : *Leod.*, 18 *jul.* 1733, § 8.

Mozzetta.

Jus deferendi mozzettas nemo usurpare sine indulto Apostolico valet : *Nerit.*, *Plur.*, 7 *jan.* 1760, § 8.

Et pro deferenda mozzetta sufficit immemorabilis consuetudo, indulto deficiente : *Ibid.*

Illegitime deferunt portionarii assumptas mozzettas de consensu tantum Episcopi, qui non eis prodest : *Ibid.*

Mulier quoad matrimonium. Vide *Matrimonium*, *Sponsalia*.

Mulier quoad vitam religiosam. Vide *Moniales*.

Munera. Vide *Abbas*, § III ; *Archipresbyter*, § II ; *Episcopus*, § XVIII ; *Examinatores*, § III ; *Parochus*, § X.

Mulcta. Vide *Pœna*, § II.

Musica.

Musicæ nomine non cantus Gregorianus, sed figuratus, seu harmonicus, venit : *Forol.*, 29 *aug.* 1767, § 4.

De musicis et concentibus in ecclesiis habendis varia SS. Patrum et Doctorum est opinio : *Ibid.*, § 7.

Eorum aliqui illos improbarunt : *Ibid.*

Hinc contra musicalem cantum vehementer invehit S. Æreldus, abbas Rievallis : *Ibid.*, § 8.

Alii vero musicalem cantum laudarunt, et approbarunt : *Ibid.*, § 9.

Synodus Tridentina eas tantum musicas prohibet, quibus aliquid lascivi vel impuri miscetur : *Ibid.*, § 10.

Musica lasciva, quæ profana miscet et sacra, ab Ecclesia ex præscripto citato Trid. sess. 22, de-

cret. *de Observ. et evit. in celebr. Miss.*, est eliminanda : *Bonon., Com. vol.*, 5 *april.* 1788, § 6.

Non item musica *cum hujusmodi consonantiæ* (harmonicæ scilicet notæ) *auditum demulceant, devotionem provocent, et psallentium Deo animos torpere non sinant : Ibid.*

MUTATIO. Vide *Domicilium*, § VII.

MUTUUM. Vide *Contractus*. § XVI.

Narrativa.

Vera est narrativa quæ refert consuetam deputationem regularium ad nutum amovibilium ante sequutam parochiæ alienationem : *Aug., Par.*, 10 *maii* 1760, § 8.

Imo confirmatur, quia ea deputatio præsumitur data unione plenaria, et subjectiva, quæ reddit beneficium manuale : *Ibid.*

NATALIUM ILLEGITIMITAS. Vide *Matrimonium*, § X.

NECESSITAS. Vide *Sacramentum Baptismi*, § II.

NECESSITAS ALIENATIONIS. Vide *Alienatio*, § V.

Negativa.

Rite per testes negativa coarctata probatur : *Melev., Disp.*, 7 *febr.* 1789, § 8.

Negligentia.

Negligentia, vel acquiescentia antecessorum jus successoris non lædit : *Urb.*, 17 *jun.* 1769, § 8.

Prædecessorum negligentia ex remissione proprii juris officere successoribus non potest : *Reat., Jul.*, 28 *apr.* 1770, § 6.

Ex negligentia parochi nullum præjudicium irrogatur juribus ecclésiæ parochialis : *Nuc., Par. pasch. et Sol. decim.*, 23 *april.* 1774, § 4.

NEGOTIATORES. Vide *Clerici*, § VI.

Neonati.

Antiquitus neonati omnes ad civitatem ubi Episcopus residebat, suscipiendi baptismatis causa deferebantur : *Ferem., Matr. et Font. bapt.*, 18 *mart.* 1797, § 9.

Deinde, pro majori fidelium commodo, ad matricem cujusque loci ecclesiam, quæ una baptismalem habebat fontem : *Ibid.*

Hinc orta est distinctio inter ecclesias baptismales, et simplices parochiales : *Ibid.*

Et hanc distinctionem tutam, tectamque servare Tridentina Synodus decrevit : *Ibid.*

Neophyti.

Neophytus, id est recenter ad fidem conversus, ab ipsis catholicæ Ecclesiæ primordiis inter sanctuarii ministros minime cooptari potuit : *Adrien., Irr.*, 31 *maii* 1783, § 3.

Apostolus Paulus vetuit in Episcopum ordinari neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli : *Ibid.*

Et sacri canoni hanc dispositionem sequuti sunt : *Ibid.*

Sed in neophytis nulla adest irregularitas ad effectum suscipiendi ordines, si post conversionem optimum vitæ specimen ostenderint, et morum suavitate, ac virtutum meritis optimum de constanti in catholica religione perseverantia, et futuro Ecclesiæ servitio testimonium præbuerint : *Ibid.*, § 4.

Et revera non alia de causa concilium Nicænum I prohibet neophytos, seu novos baptizatos ad sacerdotium promoveri, nisi quia nempe multo tempore opus est ut novus baptizatus probetur antequam ad statum ecclesiasticum recipiatur : *Ibid.*

Ac hac ratione Alexander III scribens episcopo Tornacensi inter canonicos recipi jussit, qui ex judaismo ad catholicam fidem conversus erat : *Ibid.*

Consona est canonistarum opinio, qui tuentur, quod ad fidem conversi, si diu in catholica religione sint conversati, bonis moribus et ecclesiasticis disciplinis imbuti, a sacris ordinibus, præbendis, cæterisque Ecclesiæ dignitatibus non sint repellendi : *Ibid.*, § 5.

Et nonnulli putant irritas esse synodales constitutiones, in quibus ab ordinibus et beneficiis arcentur neophyti, et ab ipsis descendentes : *Ibid.*

Quantum temporis autem decurrere debeat, ut certum vitæ suæ testimonium neophyti præbeant, non una est doctorum sententia : *Ibid.*, § 7.

Alii putant annum unum satis esse ; alii biennium requirunt ; alii arbitrantur debere labi decennium : *Ibid.*

Denique nonnulli sustinent quod, cum nullum a jure tempus præfinitum sit, id relinquendum esse arbitrio Episcopi, cujus est judicare de virtute et firmitate eorum qui ad fidem conversi sunt, ut illis ecclesiastica ministeria tuto committi possint : *Ibid*

Nobiles, Nobilitas.

Nobilis dicitur, qui descendit a majoribus laurea, vel in jure, vel in philosophia condecoratis : *Cajac.*, *Præb. theol.*, 14 *jan.* 1764, § 3.

Nobilitas aliud revera non est, quam dignitas ex ascendentium sanguine promanans, et in descendentes transfusa : *Viter.*, *Subs. dot.*, 30 *jul.* 1774, § 4.

Et vera nobilitas censetur, et est, quæ non ab electione, sed a majorum splendore, eorumque virtute procedit : *Ibid.*

Nomen, Appellatio.

Jure civili nulli licebat eodem tempore plus quam unius ordinis nomen affectare ; et binæ pluresque militiæ interdicebantur : *Nep.*, 17 *jun.* 1786, § 1.

Nomine presbyterorum comprehenduntur etiam clerici : *Null. Lepr.*, *Cap.*, 12 *jun.* 1773, § 10.

Præsertim si onus celebrandi per se ipsum injunctum a testatore non fuerit : *Ibid.*

Appellatio indefinita beneficiorum diœcesis, vel in diœcesi existentium attingit etiam beneficia exempta . *Cels.*, *Exac. med. ann.*, 2 *dec.* 1741, § 5.

Discretiva appellatio a testatore clericorum et sacerdotum adhibita, diversam præ se fert intelligentiam, quia peculiarem sacerdotii legem imposuit, et præceptum generaliter indixit ex causa, quæ presbyteros actu respiceret : *Fir.*, *Cap.*, 20 *aug.* 1774, § 4.

Attinentium appellatione comprehenduntur quicumque conjuncti, sive agnati, sive cognati : *Cam.*, *Subs. dot.*, 18 *jul.* 1733, § 4.

Nominatio.

Nullo jure potest eadem nominatio reprobari, a qua jus omne desumpsit : *Fav.*, 20 *jun.* 1767, § 12.

Nominatio non est valida, quoties legi fundationis qualitatem sacerdotalem requirenti tempore præsentationis illa adversatur : *Com.*, *Benef.*, 13 *jul.* 1771, § 16.

Nominatio necessaria non est, quum unicus esset inter invitatos qualificatus : *Senog.*, *Can.*, 14 *maii* 1768, § 16.

Ob lapsum quadrimestre nominatio devoluta est : *Mont. Alt.*, *Can.*, 25 *april.* 1789, § 6.

Nulla est nominatio, ac irrita facta a patronis post lapsum decennii, et post terminum a testatoribus præscriptum : *Fan.*, *Cap.*, 26 *aug.* 1769, § 7.

Nominatio facta contra legem fundationis, et injuria ipsius, est omnino irritanda : *Firm.*, *Cap.*, 15 *sept.* 1770, § 5.

Si autem nominatio expleta est juxta fundationis legem undique valida est ac legitima : *Ibid.*, § 8.

Nominatio spernenda est, quæ nullitatis vitio infecta noscitur, cum ipsa careat jure nominandi, quod senioribus tantum masculis fuit in transactione reservatum : *Aret.*, *Disp.*, 20 *aug.* 1774, § 6.

Et hæc inepta est, nec jus tribuit impediendi dispensationem, cum ad hunc effectum requiratur jus certum, et actu quæsitum : *Ibid.*

Maxime dum adhuc currit quadrimestre, quia tunc ratio haberi non debet præjudicii eventualis tertio obventuri ex dispensatione, quæ passive vocato tribuatur : *Ibid.*

Nominatio inanis est, et prorsus resoluta, utpote quia purificata infra quadrimestre non fuit conditio reportandi dispensationem : *Aret.*, *Disp.*, 20 *aug.* 1774, § 13.

Nominatio subsidiaria acceptata in eventum non impetratæ alterius dispensationis ætatis, impedire nequit susceptæ conditionis implementum : *Par.*, *Disp.*, 7 *junii* 1760, § 3.

Nominatio obtenta ab eo cui testator nominationem adjudicavit, jus sibi fuit quæsitum ad exclusionem alterius, qui nec electus fuit, neque nominatus : *Rom.*, *Subs. dot.*, 16 *dec.* 1769, § 11.

Minor pars reprobare non potest, quidquid a majori parte fuit resolutum : *Com.*, 10 *maii* 1770, § 10.

Et semel facta nominatione, non amplius ab ea recedere, aut illam variare licet : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xviii ; *Canonicatus*, § vi ; *Capellania*, § viii ; *Concionator*, § iii ; *Subsidium dotale*, § viii.

Nota marginalis. Vide *Apostilla*.

Novalia. Vide *Bona*, § iii.

Novæ Erectionis canonici. Vide *Canonici*, § vi.

Novatio.

Novatio apertam exigens animi declarationem, facile non inducitur ex iis, quæ ad alium effectum gesta sunt : *Nov.*, 12 *dec.* 1761, § 5.

Novitius. Vide *Regulares*, § viii.

Nullitas. Vide *Acta*, § iii ; *Actus*, § v ; *Alienatio*, § v ; *Concursus*, § x ; *Contractus*, § ix ;

Electio, § v; *Emphyteusis*, § xii; *Examen*, § iv; *Gratia*, § v; *Indultum pontificium*, § iv; *Professio religiosa*, § x; *Sacramenta Baptismi*, § iii; *Confirmationis*, § ii; *Pœnitentiæ*; *Ordinis*, § xiv; *Sponsalia*, § v; *Testamentum*, § iv; *Transactio*, § v.

Nullius qualitatis. Vide *Abbas*, § iii; *Abbatia*.

Numerus. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § vii; *Legatum pium*, § xiii; *Missa*, § ii; *Monasteria*, § xi; *Presbyteri*, § iii.

Nuncupativum testamentum. Vide *Testamentum*, § iii.

Nuntius Apostolicus.

Nuntiis Apostolicis non licet exercere pontificalia absque Episcopi loci licentia : *Colon., Fune. pont. et Bened. abb.*, 13 *jun.* 1722, § 2.

Nuptiæ. Vide *Donatio*, § iii; *Matrimonium*.

Oblati. Vide *Regulares*, § viii.

Oblationes. Vide *Emphyteusis*, § ix.

Oblationes piæ.

Oblationes, quæ a populo Deo exhibentur, ad sacerdotes pertinent, non solum ut eas in suos usus convertant, verum etiam ut fideliter eas dispensent : *Carp., Obl. et præem.*, 15 *maii* 1717.

Oblationes, quæ fiunt ratione parochialitatis, quocumque in loco fiant, ecclesiæ parochiali acquiruntur : *Fav., Func.*, 17 *jul.* 1773, § 4.

Similiter acquiruntur ecclesiæ parochiali oblationes quæ fiunt ratione sepulturæ : *Ibid.*

Oblationes contemplatione imaginis factæ non parocho acquiruntur, sed ipsi imagini, seu ejus rectori : *Foros., Jur. par.*, 11 *april.* 1761, § 6.

Cæteræ oblationes, quæ dietim fiant in oratorio, ad illud spectant, sub ejus capellani, seu custodis administratione, excluso parocho : *Ibid.*

Et quum easdem oblationes non intuitu parochi, sed contemplatione sancti elargiantur fideles illius præsidium implorantes, ideo in utilitatem ejusdem oratorii sunt erogandæ : *Ibid.*

Oblationes, quæ in oratorio sito intra limites parochiæ fiunt, de jure ad parochum spectant : *Ibid.*, § 11.

Et quatenus fiunt contemplatione sancti, et destinatæ ad illius usum, saltem illarum administratio parocho debetur : *Ibid.*

Laici acquirere possunt jus colligendi oblationes, illasque juxta consuetudinem vel per se ipsos, vel una cum parocho loci administrare : *Terr., Confr.*, 14 *sept.* 1782, § 7.

Reliqua. Vide *Eleemosynæ*.

Obligatio.

§ I.

Obligatio in genere.

Obligatio ultra fines extendi non debet : *Alex., Red. Mis.*, 27 *nov.* 1790, § 11.

In dispari civitatis more, obligationes interpretandæ sunt de eo, quod minimum est : *Aux.*, 6 *dec.* 1760, § 4.

Obligatio est vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ : *Fan.*, 15 *sept.* 1792, § 3.

Præcipua autem solvendæ obligationis causa est error, qui consensum et voluntatem ab ea excludit : *Ibid.*

Obligatio juratoria a canonicis emissa vim habet tantum quoad præterita, non quoad futura : *Scep., Serv. chor.*, 30 *julii* 1796, § 36.

Oligatio quæ regulari professione contrahitur, non a lege oritur, sed ex libera voluntate pendet : *Val., Prof.*, 12 *junii* 1773, § 10.

Ideo si deficiat voluntas, ipsa quoque obligatio corruere debet : *Ibid.*

§ II.

Obligatio quoad extinctionem.

Obligatio conditionalis deficiente conditione resolvitur : *Fan., Sem.*, 18 *dec.* 1790, § 8.

In iis quæ juris humani sunt, cessare censetur obligatio servandi legem quæ sive physice, sive moraliter servari non potest : *Dissert. secr. sup. Matr.*, 1740, in fin. litt. D., § 29.

Obligatio adimplendi pium opus non solvitur, sed suspenditur, quousque debitor ad meliorem venerit fortunam : *Ferr., Red. Miss. et Abs.*, 29 *nov.* 1788, § 5.

Decet obligationem dissolvi, quando in rebus fit talis mutatio, quæ si adfuisset tempore promissionis, promissor non se obligasset : *Fav., Plur.*, 12 *jul.* 1760, § 5.

Distinctio communis est recepta, quod vel in obligatione deducta est ipsa annua quantitas, et tunc quælibet secuta fundi assignatio, nec limitat promissam præstationem, nec obligationem extinguit hæredum, integram perpetuo conservandi promissam quantitatem : *Nul. seu Farf., Can.*, 14 *febr.* 1768, § 9.

Vel in obligationem principaliter deducta fuit constitutio dotis, seu traditio fundi reddentis certos annuos fructus, ita ut isti nonnisi demonstrative fuerint enunciati, et tunc assignata semel dote, vel tradito fundo, enuntiatum annuum fructum traditionis tempore reddente, resoluta remanet quævis ulterior hæredum obligatio, nec ipsi tenentur ad enuntiatos annuos reditus perpetuo manutenere : *Ibid.*

Deficiente censu, vel fundo censito, deficit etiam emptorum obligatio ratione usurarum ac redituum suscepta, dummodo defectus absque illorum culpa evenerit : *Pisaur.*, 11 *jan.* 1744, § 6.

Quando onus stat taxative impositum super censu, quando census fructus diminuuntur, onus etiam ipsum minui debet : *Ibid.*

Obligatio solvendi non in specie, sed in quantitate emissa cum assignatione censuum non liberat sponsorem a promissa quantitate : cit. *Nul. seu Farf.*, § 4.

Sed ipse semper tenetur ad integram quantitatis promissæ præstationem, et ad deficientis ratæ partis supplementum : *Ibid.*

Imo ad reintegrandum de ea quantitate quæ usque nunc defecit promissæ summæ tenetur : *Ibid.*

§ III.

Obligatio, quando et quomodo inducatur.

Obligationem Missarum orator ipse fatetur, dum Missarum translationem postulat : *Senog., Trans. Mis.*, 17 *jan.* 1789, § 3.

Scheda, ex qua celebrationis Missarum obligatio resultat, tanquam a privato religioso conscripta satis non est ad inducendam conventus obligationem : *Æsin., Leg.*, 4 *apr.* 1789, § 3.

Ponderandum tamen quod veluti in articulo mortis exarata præsumptionem habet veritatis : *Ibid.*

Et obligatio Missarum in una parte vera, in altera etiam censetur : *Ibid.*

Opera pia inducta ex pietate confratrum tanquam facultativa et voluntaria obligationem non inducit : *Brictin., Red. on.*, 28 *nov.* 1789, § 4.

Onerum e contra multiplicitas, eorumque diuturnum implementum præcedenti potius tribuendum est obligationi : *Ibid.*

Obligatio, quæ non legitur in transactione expressa, vigore ejusdem non censetur inducta : *Nov.*, 14 *maii* 1768, § 10.

OBLIGATIONES. Vide *Hæres*, § IV.

OBREPTIO. Vide *Gratia*, § V ; *Indultum Pontificium*, § II.

Obscura.

In obscuris rebus minimum venit sequendum : *Null. Fer., Vis. SS. LL.*, 7 *apr.* 1781, § 7.

Propter quod in dubiis minus onus impositum intelligendum est : *Ibid.*

OBSEQUIA MATRIMONIALIA. Vide *Matrimonium*, § XIV.

Observantia.

§ I.

Observantia in genere.

Observantia maximam vim desumit, si in contradictorio judicio fuit probata : *Sign., Benef.*, 3 *aug.* 1771, § 5.

Ea est vis centenariæ observantiæ, ut præsumptionem inducat novi Pontificii rescripti præcedentis destructivi : *Ibid.*, § 7.

Observantia confirmat obligationem, ac validiorem eam reddit : *Alex., Red. Mis.*, 27 *nov.* 1790, § 12.

In conflictu duplicis observantiæ, ea semper attendenda est quæ consona est juris dispositioni : *Sen., Voc. in cap.*, 27 *febr.* 1768, § 6.

Observantia inutilis est, innixa abrogato privilegio : *Spir., Par.*, 18 *jul.* 1761, § 2.

Valde deferendum observantiæ est, cui decretum accessit sacræ visitationis : *Aquen., Red. oner.*, 29 *jan.* 1791, § 5.

Legitima non est observantia per contrarios actus interrupta : *Ibid.*, § 6.

Observantia exclusiva clericorum nihil relevat, nisi simul probetur, sacerdotum electiones ex actibus facultativis processisse, sed coacte ad excludendos clericos fuisse peractas : *Com.*, 10 *mart.* 1770, § 15.

Ex observantia longa tacitus consensus intercessisse præsumitur communitatis, quæ sciens factum priorum nunquam reclamavit : *Feren., Benef.*, 16 *jan.* 1762, § 5.

Observantia unius ecclesiæ non trahitur ad aliam : *Plac., Serv. chor.*, 19 *febr.* 1791, § 8.

Observantia testatoris mentem dubiam declarat : *Null. Fer., Visit. SS. LL.*, 19 *febr.*, 1791, § 2.

Sed ea in dubio fieri debet interpretatio, per quam fundatoris voluntas effectum sortiatur : *Ibid.*

Observantia nedum favet abbati quoad exercitium omnimodæ jurisdictionis quasi episcopalis ; sed etiam quoad nuncupationem : *Aquil., Jurisd.*, 21 *jun.* 1760, § 3.

Hinc licet abbatia ejusque territorium sint in diœcesi, et ab illa materialiter non separentur, attamen non defuit separatio territorii formalis, et secundum quid, quæ eosdem producit effectus : *Ibid.*

Observantia, et consuetudine posita, necesse non est alium titulum proferre : *Aquip.*, *Func.*, 18 *dec.* 1773, § 7.

§ II.

Observantia quando attendi nequeat.

Observantia contraria dispositioni juris abusus est, et corruptela : *Bonon.*, *Ex.*, 10 *jul.* 1790, § 6.

Observantia non attenditur contra legem fundationis, præsertim non comprobato concursu, et rejectione personæ qualificatæ : *Mont. Alt.*, *Can.*, 4 *dec.* 1762, § 4.

Et in collatione beneficiorum allegari non potest observantia in linea præscriptiva, quia regulæ cancellariæ, uti renovatæ in crastinum assumptionis cujuslibet Summi Pontificis, cum derogatione quibuscumque contrariis usibus, vel privilegiis, non subjacent præscriptioni : *Caser.*, *Cap. seu Benef.*, 22 *mart.* 1760, § 5.

§ III.

Observantia centenaria.

Observantia centenaria jus confirmat : *Arim.*, *Rep. eccl. cath.*, 19 *sept.* 1789, § 10.

Observantia centenaria qualitatem declarat legati : *Arim.*, *Leg.*, 27 *nov.* 1790, § 4.

Centenaria observantia pro jure, et lege in iis quæ non ex scripto descendunt, observari solet : *Eug.*, *Vis. SS. LL.*, 26 *apr.* 1788, § 3.

Centenaria consuetudo, quæ in actibus ecclesiæ præjudicium divinique cultus decrementum infert, plene integreque completa requiritur : *Aven.*, *Cap.*, 16 *sept.* 1780, § 7.

Maximæ auctoritatis est simplex centenaria observantia, quæ initium ducat a testamento, vel donatione, de quorum intelligentia agitur : *Civit. Pleb.*, *Subs. dot.*, 17 *jun.* 1797, § 8.

Ea est vis centenariæ observantiæ, ut illius vigore optimus quicumque titulus allegari possit, vel renuntiatio alicujus rei, vel conventio Apostolica auctoritate roborata, vel novum privilegium a Summo Pontifice impertitum : *Eug.*, *Juris.*, 7 *aug.* 1773, § 6.

Nemo vim ignorat centenariæ observantiæ : quisque enim scit, justum ex ea titulum et Apostolicum beneplacitum præsumi : *Rom.*, *Leg.*, 19 *jan.* 1788, § 3.

Non inducitur autem ex actibus negativis observantia, nisi interesse habentium scientia et patientia præcesserit : *Ibid.*

Observantia centenaria potens est tribuere plenam jurisdictionem quasi episcopalem cum territorio separato : *Caput.*, *Juris.*, 30 *jan.* 1762, §§ 12 et 14.

Ad eamdem vero acquirendam requiritur clarum Apostolicæ Sedis privilegium, cum dismembratione et separatione territorii : *Ibid.*, § 13.

Centenaria observantia a paucis actibus desumpta infringere non potest claram Tridentini Concilii legem, Apostolicasque constitutiones illam confirmantes : *Urb.*, 9 *sept.* 1786, § 4.

Quia decreta Concilii et apostolicæ constitutiones ad publicam utilitatem emanatæ debent executioni demandari, non obstante consuetudine et inobservantia centum annorum, et ultra : *Ibid.*

Ambigendum non est, quia centenaria observantia tum positive, tum negative considerata, tantam vim habeat, ut etiam ecclesiastica jura interpretari, atque Apostolici indulti, vel cujuscumque melioris tituli præsumptionem inducere queat : *Ibid.*, § 7.

Eam, quæ antecessit, et quæ sequuta est tanquam centenariæ metam non attingentem, et ab errore facti, tituloque vitioso profectam nullo in pretio adversus demonstratam rei veritatem haberi possunt : *Rom.*, 6 *maii* 1786, § 8.

Cum constet de titulo invalido, centenaria possessio prodesse non potest : *Ibid.*

Centenaria observantia est sequela tituli, illeque dedit principium eidem observantiæ, ac proinde ipsa disjungi nequit ab eodem titulo veluti effectus derivans a primæva sua causa : *Ibid.*

OBSERVANTIA QUOAD DECIMAS. Vide *Decimæ*, § III.

§ IV.

Observantia diuturna et longæva.

Sola quadragenaria tribuit titulum coloratum : *Eug.*, *Juris.*, 7 *aug.* 1793, § 7.

Diuturna observantia, et non interrupta, justum præsumit titulum celebrandi Missas : *Rom.*, 5 *martii* 1787, § 3.

Et satis est sola possibilitas oneris, ut biscentenariæ virtute præsumatur : *Ibid.*, § 4.

Error, a quo observantia originem sumpsit, quum verisimile non sit ut non conventum aut demandatum onus initio assumere quis voluerit : *Ibid.*

Et id sufficit, ut subsequuta observantia a pura origine processisse censeatur : *Ibid.*

Contraria observantia non obest, quando iniqua ac irrationabilis est, et quando urbanitas et conniventia antecessorum alteri præjudicare non potest : *Leod.*, 12 *maii* 1770.

Observantia per quadragenarium tempus protracta sufficit ad beneficii statum, et indolem immutandum : *Sign., Benef.*, 2 *aug.* 1771, § 5.

OBSERVANTIA FESTORUM DIERUM. Vide *Festorum dierum observantia.*

§ V.

Observantia immemorabilis.

Observantia a tempore immemorabili vim habet : *Vel., Res. et Serv. chor.*, 20 *mart.* 1790, § 6.

Vi antiquæ et immemorabilis observantiæ quodlibet apostolicum indultum præsumitur : *Fav., Func.*, 3 *april.* 1773, § 8.

Clausulæ *sublata* et *decreto irritante* omnem tollunt contrariam observantiam : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 20.

Contraria observantia, etiamsi admitti possit, eam probandam esse complete, et cum requisitis immemorabilis : *Ibid.*

Et unicus actus contrarius, et unica contradictio sufficit ad evertendam, et interrumpendam immemorabilem : *Ibid.*

§ VI.

Observantia, ex quibus inducatur.

Observantia exorta ex actibus facultativis nullum jus quæsitum parit, nulloque alii privantur : *Leod.*, 12 *maii* 1778, § 25.

Observantia ex tot actuum serie constituitur favens veteri exemptioni : *Neap., Exemp.*, 1 *sept.* 1736, § 7.

Ex contradictionibus non solum infirmatur, quin immo maxime confirmatur inconcussæ observantiæ efficacia, atque rerum judicatarum auctoritas : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 10.

§ VII.

Observantia interpretativa.

Immemorabilis observantia, et constans, optima est cujusque legis interpres : *Fav., Func.*, 17 *jul.* 1773, § 6.

Observantia optima legum et dispositionum est interpres : *Forosemp., Semp. dot.*, 8 *aug.* 1789, § 6.

Observantia apertam dispositionem confirmat, dubiam interpretatur : *Cæs., Subs. dot.*, 29 *nov.* 1788.

Centenaria observantia optima est constitutionum synodalium interpres : *Imol., Jur. conv. cap.*, 14 *maii* 1774, § 17.

Observantia est optima interpres suboscuræ voluntatis testatoris : *Null. Fer., Visit. SS. LL.*, 7 *april.* 1781, § 1.

Observantia in dubio transigentium mentem declarat : *Nov.*, 14 *maii* 1768, § 11.

Observantia declarat dubiam intelligentiam temporis a testatore præfiniti : *Fir., Leg.*, 19 *jan.* 1793, § 5.

In dubio ab observantia, quæ fundatoris voluntatem explicat, recedi non debet : *Comacl.*, 18 *sept.* 1773, § 5.

Longæva observantia 67 annorum dubiam interpretatur testatoris dispositionem : *Senog., Trans. Miss.*, 17 *jan.* 1789, § 5.

Res judicata, vel pacifica observantia satis est ad rem dubiam declarandam : *Nov.*, 14 *maii* 1768, § 8.

Observantia interpretativa non requirit continuationem, et actuum uniformitatem : *Fav., Coad.*, 22 *jan.* 1763, § 14.

Centenaria observantia dubiam declarat offerentium et fundatoris voluntatem : *Senog.*, 26 *april.* 1788, § 4.

Observantia quodlibet dubium, si adesset, super capellanorum libertate removet : *Firm., Cap.*, 20 *april.* 1773, § 10.

Ad inducendam observantiam interpretativam unicum tantum actum sufficit : *Ibid.*

Longæva observantia in linea saltem interpretativa voluntatis, una cum judicio Episcopi, plurimum facit ad commutandam testatoris voluntatem : *Reat., Abs.*, 24 *mar.* 1787, § 2.

Si observantia habuerit temporalem causam, hac cessata, injustus non videtur reditus ad antiquum statum : *Alb., Vac.*, 20 *maii* 1787, § 6.

OBSERVANTIA REGULARIS. Vide *Regulares*, § IX.

OBSERVANTIA QUOAD VOLUNTATEM TESTATORIS. Vide *Voluntas testatoris*, § III.

Obstetrices.

Obstetrices, tum in legibus Romanorum, tum in sacris canonibus, plurimi æstimari, cum earum judicio in multis deferatur, etiam in causis matrimoniorum, quæ omnium gravissimæ reputantur : *Carth., Ord.*, 26 *apr.* 1755, § 2.

Hinc obstetrices *medicæ* vocantur in jure Romano : *Ibid.*

Obventiones. Vide *Emolumenta*, *Parochus*, § IX.

Occisio. Vide *Homicidium*.

Odiosa conditio. Vide *Conditio*, § IV.

Œconomus, seu Administrator. Vide *Administrator*.

Œconomus.

§ I.

Œconomus curatus quoad congruam.

Nequit sine causa dismembrari fructus communis Missæ choralis pro congrua œconomi constituenda : *And.*, 11 *sept.* 1762, § 8.

Quia portio assignanda est œconomis amovibilibus instar salarii debiti famulis ratione servitii : *Ibid.*

Et detrahenda est ex emolumentis parochialibus, nec potest valorem ipsius parochialis excedere : *Ibid.*

§ II.

Œconomus curatus quoad deputationem et electionem.

Vacante ecclesia parochiali ad Episcopum spectat œconomum nominare : *Urb.*, 9 *sept.* 1786, § 3.

Sanctio Concilii Tridentini, sess. 24, cap. 18, *de Refor.*, deputationem œconomi vacantis parœciæ episcopis committit, sed eas non comprehendit parœcias quæ sunt capitulo unitæ, tum ob intrinsecam rationem, qua eæ nunquam vacare censentur, manente semper rectore habituali, etsi deficiat minister qui curam exerceat, tum quia de hujusmodi parœciis non loquitur Concilium : *Ibid.*, § 6.

Clarius idipsum colligitur ex verbis Tridentini, per quæ illa œconomi deputatio allegata est conditioni *si opus fuerit* ; opus autem œconomo esse nequeat extante cura habituali penes capitulum, quod alium interinum ministrum potest habere : *Ibid.*

Et ex toto capitis prædicti contextu liquet, in illis ipsis parœciis œconomi deputationem præscribi, in quibus postea vel indictio concursus, vel præsentatio a patronis sancitur, adeoque traduci eam legem ad parochiam non potest, in qua certum est nullam fieri præsentationem, nullum indici concursum, ut etiam ex jure est in parochialibus dignitati actu unitis : *Ibid.*

Insuper non is est eorum verborum *si opus fuerit*, sensus, ut positum sit in arbitrio Episcopi ad hanc temporalis ministri designationem procedere, vel abstinere : *Ibid.*, § 8.

Hæc intelligentia male congruit cum maxima Concilii sollicitudine, ut Episcopus habita notitia statim parochianorum necessitatibus occurreret : *Ibid.*

Sed id unum voluit prudentiæ judicioque Episcopi Concilium relinquere, ut nimirum inter plura ministrorum genera, quod vellet, eligeret vicarium, œconomum, mercenarium ministrum, etc. : *Ibid.*

Hinc verba illa *si opus fuerit*, ita important arbitrium, id est referuntur ad nudum modum in hac parte providendi nempe vel per vicarium, vel per mercenarium ministrum, non autem ad omnimodum neglectum : *Ibid.*

Et nulla ab hac episcopali in his circumstantiis providentia excipi parochialem ecclesiam sive per se stantem, sive alteri unitam, et per ministros exercitam præcedentia immediate verba dicti capitis demonstrat : *Ibid.*, § 9.

Neque eo quod cum infra descendat idem concilium, loc. cit., ad indicandam in parochialibus formam concursus placuerit ab hac lege exemptas esse parochiales capitulis cathedralium, vel collegiatarum, aut dignitati unitas, inferre, licet exemptas easdem quoque esse a designatione œconomi statim per episcopum in casu vacationis facienda : *Ibid.*, § 10.

An prior illa exemptio a summo jure descendat, vel potius a recepto usu per auctoritatem Summi Pontificis, a S. Congrg. Concilii approbato, dubitatur : *Ibid.*

Illud certum est nunquam invenire potuisse posteriorem exemptionem a deputatione scilicet temporalis œconomi, donec novus rector eligatur : *Ibid.*

Usque ad concilii Tridentini tempora incorrectæ manserunt ampliores sex mensium induciæ ad beneficia vacantia providenda ab Alex. III. in conc. Lat. concessæ ; proindeque Patres Tridentini diurnæ vacationis incommoda præcaventes, omnemque in Episcopo fiduciam collocantes voluerunt, ut, vacante parœcia quæcumque illa esset, statim Episcopus per designationem œconomi viduæ parœciæ consuleret : *Ibid.*, § 11.

Et id « non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscumque universitatibus etiam ad certam summam, et aliis impedimentis quibuscumque », ut ait idem Concilium : *Ibid.*, § 12.

Perque addito præsertim decreto *irritanti* et clausula *sublata*, quibus stipata est const. pontificia Concilium Tridentinum confirmans, omnis infracta est consuetudo etiam centenaria : *Ibid.*, § 13.

Et conciliaris sanctio de temporali œconomo, quæ pro universali bono æternaque animarum salute

edita est, non patitur ut illi per centenariam et immemorabilem præscriptionem derogetur : *Ibid.*, § 14.

Et ratio in ipsis conciliaris hujus capitis procœmialibus verbis apparet : *Expedit maxime animarum saluti a dignis atque idoneis parochis gubernari : Ibid.*

In hujusmodi generis legibus necessarius est expressus Summi Pontificis assensus, probataque scientia, nec tacitus et præsumptus sufficit ab observantia utcumque centum, aut biscentum, vel plurium annorum desumptus : *Ibid.*

Deputatio œconomi curati in vacationibus ecclesiarum parochialium ad solum Episcopum pertinere conforme est decreto Concilii Tridentini, et declarationibus S.C.Concilii : *Gug., Jur.*, 7 *aug.* 1773, § 18.

Lim.: œconomi deputatio haud spectat ad Episcopum, qui nullam in ecclesia vacante habet spiritualem aut temporalem jurisdictionem, nullumque jus visitandi, corrigendi, et gubernandi personas, vel ecclesias, quæ ab episcopo avulsæ censeri debent, sed ad protectorem, quoties huic tantum absoluta instituendi facultas competit : *Ead. caus.*, 13 *mar.* 1773, § 7.

Si œconomorum auxilio archipresbyter ecclesiæ cathedralis opus sit pro aliis ecclesiis, ab eodem archipresbytero, aut a capitulo non vero ab Episcopo sunt eligendi : *Andr.*, 11 *sept.* 1762, § 7.

Solum Episcopo competit jus approbandi eosdem œconomos ad curam animarum : *Ibid.*

Nullus œconomus curatus est eligendus, nisi de gremio capituli : *Pisan.*, 11 *jan.* 1772, § 15.

In ecclesia collegiata vacante prima dignitate, quæ curam animarum adnexam habet, deputandus est ab Episcopo idoneus canonicus ipsius ecclesiæ in œconomum curatum : *Ibid.*, § 30.

§ III.

Œconomus curatus quoad jura.

Œconomus curatus nonnisi eas peragere debet functiones, quæ animarum curam attingunt, nunquam tamen quæ dignitatis et canonicorum officium respiciunt : *Pisan.*, 11 *jan.* 1772, § 17.

Offerentes. Vide *Contractus*, § v.

Officia.

§ I.

Officia.

Officia charitatis summis laudibus merita extolluntur, sed non minor sacrorum custodia et commendatio : *Alb., Com. oner. Mis.*, 25 *jan.* 1772, § 10.

§ II.

Officia divina.

Exploratum est, celebrari officia divina in ecclesia a testatoribus designata debent : *Ancon., Trans. Mis.*, 7 *febr.* 1789, § 6.

Nisi aliter præsumpta illorum voluntas vel necessaria causa suadet : *Ibid.*

Officia funebria in ecclesiis regularium ab eorum ministris, excluso prorsus parocho, absolvenda sunt : *Bric. seu Null. Ruph., Jur. par.*, 26 *nov.* 1768, § 6.

Officia divina, ubi fundatores mandarunt, celebranda sunt : *Bug., Trans. oner.*, 29 *aug.* 1709, § 6.

Potissimum, si in designata ecclesia tumulata sint eorum cadavera, vel contemplata commoditas populi fuerit : *Ibid.*

Officiales.

Ex juris censura officiales ad annum tantum duraturi electi ad alium annum recte confirmari in officio possunt : *Viter., Jur. elig.*, 4 *april.* 1767, § 8.

Item est servandum in officio sanctesium maxime, quia minus leve est, non utile, imo onerosum : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § viii; *Sodalitium*, § vi.

Officium.

§ I.

Officium in genere.

Qui sunt in possessione officii, ea omnia quæ ad illud pertinent, ea innata sua potestate explere valent : *Cerv.*, 17 *april.* 1790, § 7.

Officium a dignitate et personatu secernitur : *Lar., Præc.*, 21 *jul.* 1742, § 6.

Et ratio est, quia dignitas aliquam cum jurisdictione præeminentiam habet conjunctam, personatus sola præeminentia absque juridictione fruitur, officium vero absque præcedentia, et jurisdictione in mera ecclesiasticarum rerum administratione consistit : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Abbas*, § iii; *Archipresbyter*, § ii; *Episcopus*, § xviii; *Examinatores*, § iii; *Parochus*, § x.

§ II.

Officium divinum quoad commutationem.

Commutatio officii in aliam leviorem orationem, usque dum beneficiatus ad ætatem 24 annorum pervenerit, concedi potest : *Gerun.*, 14 *dec.* 1771, § 7,

§ III.

Officium divinum quoad recitationem.

Prioribus seculis Ecclesiæ recitabatur matutinum sub media nocte : *Abul., Serv. chor.*, 23 *jan.* 1790, § 4.

At defervescente fidelium charitate, auctaque infirmitate humanæ naturæ, prisca illa disciplina remissa fuit, et matutini recitatio ad auroram translata est : *Ibid.*

Illudque novissime inductum, ut expleri etiam post vesperas et completorium præcedentis diei valeat : *Ibid.*

Rigida veterum temperata disciplina, matutini recitatio a media nocte ad aurotam translata est : *Fir., Serv. chor.*, 19 *jun.* 1790, § 4.

Facileque immutari hujusmodi institutio in cathedralibus et collegiatis ecclesiis non debet : *Ibid.*

Ubi tamen justa et rationabilis concurrat causa, opportunior ex auctoritate S. Congr. Concilii variatio fieri potest : *Ibid.*

Causæ variandi horam matutini recitationis a media nocte, et faciendi post completorium præcedentis diei esse possunt, nempe aeris inclementia, bonum populi exemplum, universalis aliarum ecclesiarum provinciæ observantia, et Episcopi votum : *Abul., Serv. chor.*, 23 *jan.* 1790, § 5.

Maxime quando nulla est consuetudo, vel statutum, quæ illam prohibeat : *Ibid.*

Et quia commodius prima quam media nocte accessurus erat populus ad audiendum matutinum : *Ibid.*

Hæc variatio horæ recitationis matutini a media nocte faciendi post completorium præcedentis diei pro hyemali tantum tempore concedi solet : *Ibid.*

Absurda non est matutini recitatio præcedenti festorum vespere : *Fir., Serv. ch.*, 19 *jun.* 1790, § 4.

Quia quoad recitationem divini officii aliasque celebritates ecclesiasticas ab eo incipit dies : *Ibid.*

Horæ nonæ nomen exigit, ut recitatio illius fiat post sextam, ante meridiem : *Abul.* cit., § 6.

Quia traditionis est, quod hora nona Dominus noster Jesus Christus in redemptionem humani generis spiritum emisit : *Ibid.*

Vesperæ recitari, exceptis dominicis, post matutinam concionem in cathedralibus et collegiatis solent : *Ibid.*, § 7.

Completorium præcedere solis occasum debet : *Ibid.*

Et ad illud tempus referenda sunt hæc verba, *Te lucis ante terminum*, in memoriam sepulturæ Christi, quæ ea hora accidit : *Ibid.*

Officii divini nomine Missæ sacrificium satis intelligitur : *Null. Fer., Visit. SS. LL.*, 7 *april.* 1781, § 5.

In celebratione divinorum officiorum normam accipere a cathedralibus ecclesiis inferiores ecclesiæ debent : *Baj., Præm.*, 19 *april.* 1760, § 4.

Nomine divini officii etiam Missa intelligitur : *Null. Trium Fon., Mis. conv.*, 14 *mart.* 1772, § 5.

Quapropter cum in ecclesiis metropolitanis, cathedralibus et collegiatis, divinum officium quotidie persolvi debeat, Missa etiam conventualis quotidie celebrari debet : *Ibid.*

Excipiuntur ab applicatione quotidiana Missæ conventualis ecclesiæ quæ vere collegiatæ non sunt : *Ibid.*, § 7.

Antiquissimus in ecclesia est usus horas canonicas recitandi : *Gerun.*, 14 *dec.* 1771, § 12.

Idque prioribus Ecclesiæ sæculis non majoribus tantum, sed minoribus etiam clericis fuisse præscriptum, quia constituti in minoribus ordinibus alicui ecclesiæ erant adscripti : *Ibid.*

Certa res est beneficiatos ratione beneficii teneri ad divini officii recitationem : *Ibid.*

Horæ recitationis divini officii præscribendæ sunt habito respectu ad locum et ecclesiæ commodum : *Cing., Chor.*, 15 *febr.* 1772, § 4.

Quoad tempus recitationis divini officii diversa fuit antiqua Ecclesiæ disciplina ab ea quæ modo observatur : *Ibid.*, § 5.

Quoad locum, matutinum in choro ecclesiæ quovis anni tempore celebretur : *Ibid.*, § 6.

Limita, si tamen vehementia frigora sint, vel aliæ justæ causæ intercedant, de licentia Episcopi in sacristia, vel honesto alio ecclesiæ loco dici possit : *Ibid.*

Quotidie in ecclesia collegiata insigni recitandum est divinum officium in choro, exceptis vacationibus conciliaribus : *Alb.*, 26 *mart.* 1791, § 2.

Onus recitandi officium divinum residentialibus inest aliisque ecclesiasticis beneficiis : *Per.*, 29 *aug.* 1789, § 2.

Recitandum est divinum officium congruis horis *Segov.*, 25 *jan.* 1794, § 2.

Eo magis si accedat observantia ; *Ibid.*

Ex veteri disciplina Ecclesiæ recitandum erat matutinum sub media nocte : *Par.*, 10 *maii* 1794, § 5.

Progressu vero temporis permissa fuit illius recitatio sub auroram, ac tandem post vesperas et completorium præcedentis diei : *Ibid.*

Dies enim, quoad divina officia, a præcedentibus incipit vesperis : *Ibid.*

Vetus tamen servanda est disciplina in cathedralibus et collegiatis ecclesiis : *Ibid.*

Completorium celebratur in memoriam sepulturæ Christi, idemque præcedere occasum solis debet : *Segov.*, 25 *jan.* 1774, § 2.

Justis de causis permittitur horarum mutatio ; ex frigiditate præsertim ecclesiæ : *Par.*, 10 *maii* 1794, § 6.

Hiemali præsertim tempore, quod accipitur a die prima novembris ad primam maii : *Ibid.*

Per dimissionem beneficii, ad quam paratus quis est, deficit titulus, ex quo officium divinum recitari debet : *Coll.*, 9 *aug.* 1738, § 3.

Distinguunt doctores inter impedimenta quæ ad horas recitandas canonicas a culpa proveniunt, quæque prævisa forsan fuerunt antequam beneficium acceptaretur, et impedimenta quæ neque culpabilem culpam habent, neque prævisa sunt : *Ibid.*, § 4.

Ac justum ex posterioribus, non item ex prioribus excusationem commutationis desumunt : *Ibid.*

Cum clerici ne minoribus quidem ordinibus initiarentur, quin statim adscriberentur alicui ecclesiæ, cui deservirent, ejusque stipendiis alerentur, idcirco omnes clerici censebantur beneficiati ; æquum proinde erat, ut divinis officiis in ecclesia celebrandis adessent, et orando pias fundatorum voluntates adimplerent : *Ful.*, *Visit. SS. LL.*, 3 *aug.* 1782, § 5.

Per plura sæcula viguit hæc disciplina, et tanta erat clericorum diligentia, ut qui ecclesiis justa de causa interesse non possent, horas canonicas privatim recitarent : *Ibid.*, § 6.

Deinde clerici fuerunt promoti ad ordines, absque eo quod ulli ecclesiæ adscripti fuerint, et sensim ab officio ecclesiæ sese retraxerunt : *Ibid.*

Hinc synodus Coloniensis anno 1280 mandavit, nullum clericum horas canonicas ulla unquam die dicere prætermittat, maxime qui est in sacris ordinibus, et beneficiis constitutus : *Ibid.*

Et hinc putant doctores, quod reliqui minores clerici beneficio destituti occasionem nacti fuerint statuendi exemptionem a recitandis horis canonicis : *Ibid.*

Ac concilia deinceps celebrata, cum de horis canonicis disserunt, solos beneficiatos, vel in sacris constitutos ad illas teneri præsumunt : *Ibid.*, § 7.

Imo concilium Lateranense V, sess. 9, celebrata anno 1514, beneficiatos omnes qui post sex menses ab adepta beneficii possessione canonicas horas non persolverint, perceptos ex beneficio fructus restituere jubet : *Ibid.*

S. Pius V, litteris Apostolicis *Ex proximo* 20 sept. 1571, pœnam contra beneficiatos divinum officium recitare prætermittentes indictam a concilio prædicto Lateranensi confirmavit : *Ibid.*

Imo modum executionis præfinivit, ut qui uno, vel pluribus diebus omnes horas, aut earum partem recitare omitteret, fructus beneficii iis diebus, et parti omissæ perderet : *Ibid.*

Monuitque omnes beneficii possessores, quod si primis sex mensibus absque legitimo impedimento officium non recitassent grave peccatum committerent : *Ibid.*

Quærunt doctores, an teneantur horas canonicas quotidie recitare, qui tenui reditus beneficium possideat : *Ibid.*, § 9.

Nonnulli tuentur negativam sententiam, alii sustinent aliquando in anno ad recitandas horas canonicas obstrictum esse : *Ibid.*

Non desunt alii qui sustinent nullimode teneri, si beneficio aliqua adnexa sint onera : *Ibid.*

Fagnanus affirmat, quod beneficii tenuitas non eximit beneficiatum a recitatione divini officii, quemadmodum non excusatur a residentia, eo quod reditus beneficii ad propriæ vitæ conservationem non sufficiant, cum arctior sit obligatio recitandi officium, quam residendi : *Ibid.*

In cap. *Presbyter I, de Celebratione Miss.*, disponitur : « Septies in die laudem dixi tibi, qui septe« narius numerus a nobis impletur ; si matutini, « primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, et com« pletorii tempore nostræ servitutis officia persol« vamus » : *Fer.*, *Serv. chor.*, 3 *aug.* 1782, § 6.

In clementina 1 eod. tit. statuitur, ut in cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis horis debitis psallatur, in aliis vero convenienter et debite celebretur divinum diurnum et nocturnum officium : *Ibid.*

Clerici cathedralium et collegiatarum ecclesiarum servitio addicti tenentur quotidie in choro divinum officium psallere : *Ter. et Set.*, *Serv. choro et Mis. conv.*, 14 *sept.* 1782, § 10.

Nomine autem divini officii comprehenditur etiam Missa conventualis : *Ibid.*

§ IV.

Officium divinum festi Annuntiationis B. M. Virginis.

Officium festi Annuntiationis B. M. V. in hebdomada majori evenientis transfertur in feriam se-

cundam post dominicam in Albis : *Imol.*, *Jur. par.*, 20 *dec.* 1760, § 3.

OLEUM SANCTUM : Vide *Sacramentum Olei sancti*.

Onus.

§ I.

Onus, onera in genere.

Absurdum est ut quis onus sentiat, commodum vero ad alium pertineat : *Vit.*, *Jur. elig.*, 4 *apr.* 1767, § 10.

Præsertim si de dolo vel culpa illorum ab alio eligendorum teneantur : *Ibid.*

Onus impositum *rebus sic stantibus*, mutato notabiliter rerum statu, corruit : *Rom seu Port.*, *Cap.*, 16 *jan.* 1768, § 14.

Onus ubi par est, ibi etiam par esse debet emolumentum : *Anag.*, *Ind.*, 7 *jun.* 1777, § 5.

In vendendo valor legati pro solutione onerum non imminuitur, et apud Ecclesiam eadem onera manent : *Mon. Alt.*, 1 *febr.* 1766, § 8.

Onus providendi *de omnibus necessariis ecclesiis, etc,*, expressam voluntatem omnia necessaria comprehendere, nihilque excludere ; hinc de omnibus necessariis subministratio decernenda est : *Viter.*, *Leg.*, 8 *aug.* 1767, § 9.

§ II.

Onus quoad commutationem.

Oneris commutatio nunquam denegari, quoties justa adsit commutationis causa, et permutandum onus facilius impleri juxta sanctionem Concilii Tridentini sess. 25, cap. 4, *de Refor.* possit ; *Pamp.*, 19 *aug.* 1775, § 7.

§ III.

Onus, onera, quoad implementum, vel deletionem.

Illa onera sunt præservanda quibus ex verisimili testatoris mente magis censetur innixa illius voluntas : *Rom.*, *Red. Leg.*, 14 *maii* 1774, § 6.

Onera si a contractu correspectivo proveniant, adamussim impleri debent, etiamsi redituum quantitati non respondeant : *Firm.*, 20 *april.* 1771, § 7.

Nova onera superaddenda non sunt, quoties perspecta sunt illa quæ ex fundatione impleri debent : *Terr. et Set.*, *Serv. chor. et Mis. conv.*, 14 *sept.* 1782, § 7.

Onus impositum in fundatione ad unguem servandum est, nec augeri debet : *Ibid.*, § ult.

Cum oneri implendo quantitas designata impar deprehenditur, ac de eo minuendo vel augenda pecunia legata agitur, communis distinctio est, num quantitas *taxative* relicta sit, et tunc onus minuitur : *Viglev.*, *Ben.*, 23 *jan.* 1773, § 5.

An vero *demonstrative*, et tunc onus non minuitur, sed hæres de suo supplet : *Ibid.*

Et onus taxative relictum dicitur, quando legatum incipit ab assignatione fundi, vel quantitatis, et deinde onus sequitur : *Ibid.*, § 6.

Contra, demonstrative relictum dicitur, quando incipit ab onere, atque assignatio fundi vel quantitas adjungitur : *Ibid.*

Verum hoc argumentum ex ordine scripturæ desumptum penitus cessat, si contraria voluntas testatoris ex tota scriptura, aliisque conjecturis appareat : *Ibid.*

Onera singulis injuncta per alios implere non possunt : *Leod.*, 12 *maii* 1770, § 19.

Adigi non potest ad satisfactionem oneris, quod in fundatione injunctum non fuit : *Alex.*, *Mis. conv.*, 18 *dec.* 1773, § 4.

Quum in hæreditate deficiat fundus capellaniæ, locus est abolitioni oneris : *Asc.*, *Cap.*, 27 *febr.* 1790, § 4.

Si onera collatum emolumentum excedant, deleri onus quod relictum excedit, placuit legibus : *Alex.*, 26 *nov.* 1785, § 9.

Contra vero, retinendum servandumque onus visum est doctoribus : *Ibid.*

Sed conciliantur placita legum et doctores, nempe priori locum esse sanctioni, quando disponens sola adjectione oneris contentus progressus ultra non est, nec vetuit expresse hæredem, donatarium, legatarium quidpiam petere ex causa superexcedentis oneris impositi ; secundæ vero hac explicita accedente prohibitione : *Ibid.*

Onus respuere ille immerito videtur, quod ejus semel decessoribus sibique placuit : *Bon.*, *Red. serv. chor.*, 16 *jan.* 1787, § 4.

Novum imponi non potest onus in erectione non expressum : *Urb.*, 15 *sept.* 1787, § 4.

Justa inter emolumentum et onus esse debet proportio : *Ibid.*, § 5.

Onus celebrandi Missam distinctum est ab onere applicandi : *Ibid.*

§ IV.

Onus, onera, quoad probationem.

Licet adsit centenaria inobservantia legum fundationum et decretorum sacræ visitationis, tamen

onus impositum non extinguitur : *Rom., Cap.*, 30 *jul.* 1768, § 6.

Lex enunciata in posterioris visitationis decreto, quum innititur hoc opinioni quod præcepta fundationum et decreta præterita visitationis executioni mandata non extitissent, quod quidem concludenti probatione demonstrandum fuisset : *Ibid.*

Hinc non est habenda pro legitima consuetudine, sed pro abusu, et corruptela ; quæ, utpote fundatorum voluntati et visitationum decretis contraria, esset corrigenda : *Ibid.*, § 7.

Onus impositum primo vocato tanquam personalissimum ad successores in activo patronatu repetitum non censetur : *Aux., Disp.*, 5 *jul.* 1777, § 7.

Fundatio illa se habet per modum quasi contractus ultro citroque obligatorii seu donationis sub modo, quem cum Episcopus admiserit, eo provisus dum institueretur, non recusavit, non potest modo onus detrectare : *Pont. Cur., Cap. super red. Mis.*, 29 *jul.* 1786, § 9.

§ V.

Onus, onera, quoad qualitatem.

Communiter receptum est, onus taxative relictum censetur, quando legatum incipit ab assignatione fundi vel quantitatis, et deinde subsequitur onus : *Calceat., Red.*, 16 *jun.* 1770, § 8.

Demonstrative vero quando incipit ab onere, atque assignatio fundi vel quantitatis adjungitur : *Ibid.*

Hoc tamen argumentum ex ordine scripturæ desumptum cessare dicitur, si voluntas testatoris ex tota scriptura diversa appareat : *Ibid.*

De oneribus temporalibus, et extraordinariis nulla habenda est ratio pro firmando statu redituum et expensarum : *Nep., Test. eccl.*, 30 *maii* 1772, § 8.

§ VI.

Onus, onera, quoad reductionem.

Est reducendum onus legati pii ad æquitatem : *Mont. Pol., Cap.*, 5 *ap.* 1794, § 8.

Justam præsumpta voluntas fundatoris præbet causam reductionis : *Taur., Red.*, 26 *apr.* 1791, § 3.

Redituum deficientia justam præbet causam onerum reductioni : *Nov.*, 11 *jun.* 1774, § 6.

Imminutis reditibus sunt onera ad æquitatem reducenda : *Nov., Red.*, 19 *jun.* 1793, § 6.

Ad æquandum onus cum emolumento, concedi debet reductio : *Plac., Red. Mis.*, 9 *sept.* 1797, § 5.

Et potius eleemosynæ quam Missæ sunt reducendæ : *Lun. Sarz., Red. Mis.*, 21 *jan.* 1797, § 5.

Ubi par non est oneribus emolumentum, concedi solet illorum reductio : *Anim., Red. Mis.*, 18 *jun.* 1696, § 5 ; *et Cass., Red. Mis.*, 17 *dec.* 1796, § 10 ; *Lun. Sarz., Red. Mis.*, 21 *jan.* 1797, § 4.

Et quando contemplata pia opera primario sunt reduci potius Missæ quam illa debent : *Ibid.*, § 6.

Omnium onerum reductio proportione servata facienda est : *Aquen., Red.*, 27 *nov.* 1772, § 4.

Reductio onerum justa est ad earumdem sortium vires : *Port., Red. on.*, 27 *aug.* 1796, § 7.

Non facile frustrari debet voluntas testatoris per reductionem onerum : *Nul. Subl., Red. oner.*, 15 *maii* 1790, § 2.

At ob imminutum ex incognito fidei commisso fundum, locus est reductioni onerum : *Ibid.*, § 3.

Et potius alia reduci solent onera quam Missæ : *Ibid.*, § 4.

Non est dubium quin onera sint reducenda, si reditus hæreditatis iis ferendis non sint pares : *Bon., Red.*, 7 *jul.* 1770, § 10.

Ubi urget necessitas reductionis ac justitia, ponderandum est, quænam ex injunctis oneribus expediat ut reducantur et numquid potius alia legata, quam sacrorum celebratio in animæ testatoris suffragium præscripta, sint minuenda : *Ibid.*, § 13.

Vel potius singula pro modo suæ quantitatis sint reducenda : *Ibid.*

Bonis hæreditariis deperditis, onerum reductio denegari nequit ea ratione, ne scilicet hæres impensas pro onerum implemento de proprio subire teneatur : *Rom., Red. leg.*, 14 *maii* 1774, § 7.

Dum urget suspensionis aut imminutionis necessitas, ex præsumpta testatoris voluntate, alia potius onera quam Missarum celebratio suspendi, aut imminui debet : *Ibid.*, § 8.

Reductionem merentur onera quibus non respondet emolumentum : *Spol., Red. Mis.*, 18 *jul.* 1795, § 3.

Potissima est Missarum causa, occasione reductionis onerum : *Ibid.*, § 4.

Et si in testamento aliud onus pium primum tenet locum, Missæ potius sunt reducendæ : *Ibid.*

Quum nullius culpa imminuti sint reditus, et adeo tenues sunt ut nequaquam oneribus respondeant, justa reductionis onerum et Missarum causa reputari solet inculpata redituum imminutio : *Vigle.*, 14 *mart.* 1789, § 5.

Nihil magis æquitati obvenit quam, diminuta

re e qua aliquid est præstandum, onus ipsum minuatur : *Macer.*, 27 *jun.* 1744, § 5.

Si, mutato rerum statu, ad iniquitatem testatoris dispositio vergit, ad æquitatem judicis officio est reducenda : *Ibid.*

Nam si onere suo teneretur legatarius ad supplendum imposita onera, absurdum hoc omnino esset ac a testatoris voluntate alienum : *Ibid.*

Habenda etiam est ratio in reductione onerum quoad onera personalia, quibus respondere emolumentum debet : *Civit. Cast.*, *Red. on.*, 17 *apr.* 1790, § 4.

Majus, quod ex his obvenit suffragium præ omnibus testator voluisse censetur : *Ibid.*

Et ubi contrarium ex illius verbis ejusque dispositione colligitur, tunc fit potius Missarum reductio : *Ibid.*

Servitium leve chori impedimento est, ne illud potius quam Missæ præ omnibus in erectione canonicatus præscriptæ, reducatur : *Fulg.*, *Red.*, 24 *mar.* 1792, § 7.

Quum longe impares sint tot tantisque oneribus Missarum aliorumque piorum operum ferendis, locus est eorumdem reductioni pro modo superextantium redituum : *Calc.*, *Red.*, 16 *jun.* 1770, § 3.

Quando onus est per contractum injunctum integre est implendum, nullique reductioni locus est et si quantitas impar evaserit operis injuncti implemento : *Ibid.*, § 6.

Nisi tamen contractus manifestam iniquitatem secum ferat, ita ut ad æquitatem redigi debeat : *Ibid.*

Si onus non ex contractu, sed ex ultima voluntate promanat, tunc est locus inspectioni num quantitas taxative relicta sit, et tunc onus minuitur : *Ibid.*

Secus vero si demonstrative legata sit, quia hoc altero casu onus nunquam minuitur, sed hæres ex aliis bonis supplere compellitur : *Ibid.*

Dote capellaniæ quantitativa taxative legata, sequitur onerum reductio, si non sufficiat : *Syrac.*, *Red. Missa*, 27 *april* 1676, § 8.

Si bona taxative assignata in parte perierint, vel eorum reditus imminuantur, tunc onus proportione servata est minuendum, nec hæres cogi potest ad supplendum quod deest : *Inter.*, 17 *aug.* 1776, § 7.

Secus vero si bona fuerint demonstrative assignata : *Ibid.*

Si aliquod legatum pium et Missarum onera, et alia pia opera complectatur, et ob redituum imminutionem aliqua reductio sit facienda, eo in casu Missarum numerus est præferendus, et alia prorsus onera reduci debent : *Arim.*, *Red.*, 13 *mart.* 1784, § 8 ; *Æsin*, 7 *jul.* 1787, § 1.

Et hæc regula semper est retinenda in reductione piorum onerum : *Nep.*, *Red. on.*, 3 *jul.* 1734, § 6 ; *Fav.*, *Red. Mis. seu Rein.*, 27 *aug.* 1763, § 11 ; *Aquen.*, *Red. oner.*, 29 *jan.* 1791, § 7 ; *Taur.*, *Red. Mis.*, 3 *mar.* 1793, § 4 ; *Valli*, 17 *aug.* 1795, § 13 ; *Port.*, *Red. oner.*, 11 *april* 1795, § 9 ; *Compost.*, *Red.*, 20 *jan.* 1781, § 6 ; *Feretr.*, *Red. oner.*, 12 *maii* 1781, § 10.

Et hæc regula est juxta praxim S. Congreg. Concilii : *Syrac.*, *Red. Mis.*, 4 *april* 1772, § 3.

Quod tunc locus foret Missarum imminutioni, integris manentibus reliquis piis operibus, quoties fundator certum fundum pro celebratione Missarum et certum ad alia opera designasset, et fundus Missarum imminutionem subiisset : cit *Arim.*, *ibid.*

Onera reducuntur, si piæ testatricis impar iis ferendis comperiatur hæreditas : *Viter.*, *Red. et Susp. oner.*, 2 *dec.* 1786, § 6.

Præcipua reductionis causa est imminutio redituum : *Civit. Cast.*, *Red. oner.*, 17 *april.* 1790, § 4.

Maxime si taxative constitutus sit pii operis fundus, ejusque fructus absque possessoris culpa decreverint : *Ibid.*

Quamvis deficientibus reditibus, vel amissis sortibus, sit locus reductioni onerum, nihilominus hæc generalis regula limitationem patitur, quando legatum demonstrative fuerit relictum, vel quando onera per contractum fuerint accepta : *Arim.*, *Red.*, 13 *mar.* 1773, § 9.

Imminutis reditibus pro satisfactione onerum destinatis, eadem quoque onera imminui debent, præsertim si legatum taxative fuerit conceptum, secus vero si demonstrative relictum deprehenditur : *Alb.*, *Cap.*, 12 *martii* 1774, § 4.

Et pro illius satisfactione universa hæreditaria fuerunt hypothecæ subjecta, cum in isto casu, neque alicujus specialis fundi assignatio ab hæredibus facta attendatur : *Ibid.*

Prius reduci debent alia onera quam Missæ nisi aliunde constet testatorem alia potius pia opera impleri quam Missas celebrari optasse ; *Maj.*, *Red.*, 28 *jul.* 1770 § 7.

Aut etiam si fundus pro Missarum celebratione relictus integer atque intactus permanserit ; alii vero pro certis piis operibus destinati jacturam passi sunt : *Ibid.*

Potius reduci servitium chori quam Missæ debet : *Sars.*, 25 *april.* 1789, § 5 ; *Nov.*, *Red. oner.*, 17 *sept.* 1791, § 6 ; *Urb.*, *Red. Mis.*, 16 *jul.* 1791, § 4 ; *Viter.*, *Red. Miss.*, 21 *julii* 1792, § 2 ; *Comacl.*, *Red. Miss.*, 13 *jun.* 1795, § 7 ; *Parm.*, *Red. Miss.*, 1 *feb.* 1797, §§ 19 et 20.

In casu tamen, quod prima fundatoris voluntas

pro chorali fuit servitio, justa est causa Missarum reductionis, quas secundo præscripsit loco : *Nov.* cit., § 6 ; *Feretr.*, *Red. oner.*, 16 *maii* 1795, § 5.

Ob inculpatam redituum imminutionem reducta sæpe sunt onera : *Sars.*, *Red.*, 25 *jun.* 1791, § 3.

Reducenda sunt omnia onera proportione servata, quando fructus sunt imminuti citra culpam legatarii : *Urb.*, 12 *dec.* 1761, § 10.

Reductioni onerum non est locus, quando imminutio ex facto et culpa legatarii evenerit : *Asc.*, *Red. Mis.*, 18 *sept.* 1773, § 7.

Etsi onus a testatore injunctum per contractum acceptum sit, etiamsi imminuti reditus fuerint, reductio denegari solet : *Ibid.*

Communior est distinctio inter onus per contractum, et onus per ultimam voluntatem injunctum : *Med.*, 23 *nov.* 1765, § 10 ; *Camer. seu Fabr.*, *Leg.*, 16 *dec.* 1769, § 7.

Primo casu, onus implendum est integrum, et si quantitas impar ad onus injunctum evaserit : *Ibid.*

Nisi tamen contractus manifestam secum ferat iniquitatem, ita ut ad æquitatem redigi debeat : *Ibid.*

Secundo casu, tunc alteri sit locus distinctioni : *Ibid.*, § 11.

Aut quantitas taxative relicta est, et tunc onus minuitur : *Ibid.*

Aut vero demonstrative, et tunc onus non minuitur, sed hæres de suo supplet : *Ibid.*

Communiter taxative relictum recipitur, quando legatum incipit ab assignatione fundi, vel quantitatis, et deinde onus sequitur : *Ibid.*, § 12.

Demonstrative quando incipit ab onere, atque assignatio fundi, vel quantitatis adjungitur : *Ibid.*, § 13.

Sed hoc argumentum ex ordinis scripturæ desumptum penitus cessat, si contraria voluntas testatoris ex tota scriptura appareat : *Ead. Cam.*, § 10.

Quum onus ex contractu susceptum sit, locus esse non potest reductioni : *Faven.*, *Red. Miss.*, 2 *sept.* 1747, § 2.

Onera per contractum suscepta aliquando reducuntur, si contractus licet initio justus, procedente tempore injustitiam nimiam sapiat ; tunc enim pro indemnitate loci pii ad æquitatem reducitur : *Fir.*, 20 *april.* 1771, § 8.

Onus per contractum susceptum, implendum est integrum, utcumque quantitas impar ad onus implendum evaserit : *Alb.*, *Red. Miss.*, 4 *april.* 1778, § 7.

Nisi tamen contractus manifestam iniquitatem secum ferat, ita ut ad æquitatem redigi debeat : *Ibid.*

§ VII.

Onus, onera, cui spectant.

Nihil magis æquitati et justitiæ convenit, quam ut onera ferentes æqualiter lucra recipiant : *Imol.*, *Distr.*, 13 *martii* 1773, § 8.

Æquum non est, ut onus hæreditati inhærens subire debeat qui nihil commodi retrahit ab eadem hæreditate : *Ver.*, *Trans. Mis.*, 30 *jul.* 1765, § 4.

Onus assumendi sacerdotium extraneis impositum ad descendentes testatoris trahi non potest, quando præsertim ipsos in separata oratione prætulerit : *Firm.*, *Cap.*, 20 *aug.* 1774, § 8.

Facultas tantum celebrandi per alium, quatenus per ætatem ipse non valeret, præceptum assumendi ordinem presbyteratus non præ se ferat : *Ibid.*, § 9

Reliqua quoad onus, onera in genere. Vide *Abbas*, § iv ; *Administrator*, § v ; *Archipresbyter*, § iv ; *Beneficia ecclesiastica*, § xx ; *Beneficiati*, § vi ; *Canonici*, § vii ; *Capellanus*, § vii ; *Capitulum ecclesiasticum*, § ix ; *Episcopus*, § xiv ; *Examinatores*, § iii ; *Hæres*, § iv ; *Mansionarius*, § iii ; *Parochus*, § x ; *Patronus*, § v ; *Pensionarius*, *Portionarius*, § ii ; *Præpositus*, § iii ; *Presbyteri*, § iv ; *Rector*, § iii ; *Regulares*, § x ; *Sodalitium*, § vii ; *Vicarius curatus*, § v.

Onus, Onera Missarum. Vide *Capellanus*, §§ ii, iii ; *Missa*.

Opera pia. Vide *Consensus*, § iii ; *Fundationes*, *Legatum pium*.

Opinio.

Innocentius XI damnavit propositionem asserentem, illicitum non esse in materia Sacramentorum sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravi damni : *Hildes.*, 16 *sept.* 1769, § 27.

Oppigneratio.

Oppigneratio id unum efficit, ut urbs ea possideatur conditione ut illa ne alienetur, sed ut prior domino restituatur cum ex pacto ante inito illam redimendi tradita fuerit : *Dissert. sup. Matr.*, 1740 in fin. litt. I, discep. 3, num. 21.

Optio. Vide *Canonici*, § viii.

Oratio. Vide *Concio*.

Orator. Vide *Concionator*.

Oratorium.

§ I.

Oratorium, quomodo probetur an publicum vel privatum sit.

Oratorium auctoritate privata erectum, non dicitur locus sacer, nec religiosus : *Gross.*, 16 *maii* 1778, § 5.

Quamvis accedente indulto Pontificio erectum fuerit cum restrictione pro quibusdam personis : *Ibid.*

Oratorium e diverso publicum censetur, ubi ex Pontificia auctoritate vel antistitis, etiam tacito assensu, comperiatur divino cultui destinatum : *Ibid.*

Adeoque profanationi subjectum remanere non potest : *Ibid.*

Tacitus assensus ex conjecturis arguitur : *Ibid.*

Una conjectura est, si publico usui destinatum sit ; altera, si ejus janua in publicam respiciat viam, nec in privatas ædes aditum habeat ; vel in locis ecclesiasticis ædificatum fuerit : *Ibid.*

Ingressus in privatas domus privatum non reddit oratorium, quoties publicum simul habeat ostium : *Ibid.*

Alias nonnullæ ecclesiæ etiam parochiales censerentur privatæ : *Ibid.*

Publicum etiam reddunt signa, nempe campanæ in turri elevatæ : *Ibid.*

Itidem celebratio Missæ inibi expleta, recurrente festivitate titularis : *Ibid.*

Oratorium publicum est, quum adhæreat publicæ viæ, illius ostium locum publicum spectat, omnibus pateat, et annexam habeat etiam turrim campanarum : *Comach.*, 17 *jun.* 1769, § 3.

Licet erectionis illius delitescat instrumentum, tamen abunde resultare potest tum ex prædictis indiciis publici oratorii : *Ibid.*, § 4.

Tunc ex silentio plurium Episcoporum, in quorum diœcesi situm est : *Ibid.*

Tum demum ex sæpius facta ab Episcopis ejusdem oratorii visitatione, cui privata oratoria nullo modo subsunt : *Ibid.*

Nullum est discrimen inter publicum et privatum oratorium, nisi quod in isto sit vetita, in illo vero permissa in solemnioribus diebus celebratio : *Ibid.*, § 5.

Præcipuum discrimen inter oratorium privatum et publicum, ut primum sit absque Episcopi auctoritate erectum ad orandum tantum, secundum vero Episcopo auctorizante ad publicum cultum destinatum : *Nitr.*, 12 *febr.* 1735, § 11.

§ II.

Oratorium privatum seu domesticum.

Quia oratoria privata a Sede Apostolica conceduntur ex causa infirmitatis, et quoad personas infirmas, quæ e domo exire non possunt, absonum esset dies solemniores excipere : *Disc. secr.*, 16 *dec.* 1724, § 2.

Passim admissum est, ut in privatis oratoriis, excepta prima die utriusque Paschatis Missæ celebrentur in duabus immediate festivitatibus tam Paschatis, Resurrectionis, quam in aliis Paschatis Pentecostes : *Ibid.*, § 8.

Die Nativitatis Domini tres Missæ ab infirmo audiri in oratorio privato non possunt, sed tantum unica Missa in eo oratorio dicta die est celebranda : *Ibid.*, § 11.

In terminis indulti Pontificii, in quo unam Missam pro unaquaque die celebrari posse præscribitur, doctores firmiter asserunt unam Missam, et non duas aut plures, in oratorio privato celebrari posse : *Ibid.*, § 15.

Extra ecclesiam, et in oratoriis in privatis domibus existentibus Missæ celebrari non debent : *Rub.*, 10 *mart.* 1731, § 4.

Sed quoties ecclesia seu oratorium est publicum habetque januam in via, ita ut accessus cuique pateat, nec desunt alia necessaria requisita, non comprehenditur sub hac prohibitione : *Ibid.*

Antiqui canones aliæque ecclesiasticæ constitutiones disponunt, quod non valet in ecclesiis et oratoriis publicis, sacrosanctum Missæ sacrificium celebrari, nisi illa fuerint Episcopi auctoritate consecrata vel benedicta, aut saltem visitata et recognita opportuna ad Missarum celebrationem : *Ibid.* § ult.

Oratorium privatum etiam legitima auctoritate constitutum non est locus natura sua idoneus pro decenti administratione Sacramentorum : *Tolet.*, *Visit.*, 29 *aug.* 1761, § 9.

Quia seclusa necessitate, sacramenta præsertim Eucharistiæ, et Pœnitentiæ, administranda sunt in ecclesia, non autem in privatis oratoriis, vel domibus : *Ibid.*

Quod procedit etiam quoad oratoria et domus regularium exemptorum, et extra tempus paschale : *Ibid.*

Imo nequeunt regulares sacramentum pœnitentiæ laicis administrare sine licentia Episcopi, non obstante quocumque privilegio, vel consuetudine, quibus derogatum fuit a sacro Concilio Tridentino : *Ibid.*

Possunt tamen regulares de licentia sui prælati

administrare sacramentum Pœnitentiæ suis religiosis et familiaribus : *Ibid.*, § 4.

Quod intellige de familiaribus addictis servitio monasterii et degentibus intra illius septa, sub obedientia superioris regularis : *Ibid.*, § 9.

Nam tribus hisce requisitis non accedentibus, laici non gaudent exemptione regularium : *Ibid.*

Oratorium privatum non subjacet Ordinarii visitationi : *Ibid.*, § 6.

Quod intellige ad effectum exigendi procurationem : cum de cætero possit Episcopus ad illud accedere ad effectum recognoscendi illius statum et decentiam : *Ibid.*, § 10.

Oratorium privatum ad sacrum peragendum per Pontificium breve impetrari potest ex alterutrorum conjugum postulantium nobilitate : *Fan.*, *Orat.*, 14 *mart.* 1746, § 2.

Observa quod ad tale privilegium obtinendum sufficit simplex et mera sanguinis nobilitas, non opus est equestri aut generosa, illaque etiam quæ principis beneficio datur, satis est, cum de nobilitate non disquiratur ut assequi possit honor, et dignitas, et non agatur de re in qua alteri possit iniqua conditio inferri : *Ibid.*, § 1.

In oratoriis privatis, præter comprehensos in Pontificio indulto cæteri sacro intervenientes ecclesiastico præcepto non satisfaciunt : *Cros.*, 16 *maii* 1778, § 9.

E contra, in oratoriis publicis, in locis firmiter Deo dicatis, in capellis hospitalium Missæ audiendæ onus impleri nemo inficiatur : *Ibid.*

Ordinarius cognoscere debet, an oratorium decenti loco sit extructum, et sacris supellectilibus sufficienter ornatum : *Trid.*, *Jur. visit.*, 23 *jan.* 1773, § 3.

Et juxta juris dispositionem Ordinariis in actu tantum erectionis licitum est hæc privata oratoria in granciis monachorum sita visitare : *Ibid.*

Secluso contemptu parochi, in qualibet ecclesia, modo non sit capella, vel oratorium privatum, satisfieri potest præcepto audiendi Missam diebus festis juxta consuetudinem in toto christiano orbe receptam : *Squill.*, *Celeb. Miss. et Func. conv.*, 28 *febr.* 1761, § 2.

§ III.

Oratorium publicum quoad constructionem.

Oratorium publicum tendit ad cultum, estque opus pium et religiosum, sed ita tamen est ejusdem erectio permittenda ut caveantur spiritualia damna, quæ ex illis in populum derivant, qui audiendo sacrum diebus festis in illo, caret verbo Dei, caret catechismo, ignorat vigilias et festivitates de præcepto, et denunciationibus matrimonialibus non interest, ita ut aliquando impedimenta matrimonialia non releventur : *Luc.*, *Cap.*, 9 *febr.* 1726, § 4.

Constructione oratorii observandum est, ne alteri ecclesiæ, præsertim parochiali præjudicium inferatur, cum non semper pro constructione oratorii requiratur necessitas, sed solum utilitas sufficit : *Sarsin.*, *Erec. orat.*, 19 *dec.* 1772, § 3.

Quin imo nec parocho licet oratorii constructioni resistere, nec ejus consensus requiritur, dummodo jura illius illæsa remaneant : *Ibid.*

Constructioni oratorii obsistere de juris vigore non potest parochus, quando ejus jura intacta permanent, quod si contradicat, consensus suppleri debet : § 6.

Despiciendum est præjudicium parochis obventurum ex imminutione concursus, et eleemosynarum : *Ibid.*, § 8.

Oratorium, aut ecclesia, Episcopi auctoritate, parocho licet dissentiente, intra limites ejus parœciæ construi potest, dummodo jura parochialia in ipsius erectione præserventur, ac illæsa remaneant : *Priv.*, *Ædif. eccl. et Jur. Par.*, 24 *sept.* 1735, § 3.

Licet in erectione oratorii publici, aut capellæ parocho præserventur jura parochialia ; non locum sibi vindicat, ubi monialium ecclesiæ, aut monasterium, quæ a parochi jurisdictione sunt exempta, erigantur : *Melev.*, *Leg.*, 7 *maii* 1735, § 6.

§ IV.

Oratorium publicum quoad destructionem.

Destruendum non est oratorium publicum, si facile reparari possit : *Cæsen.*, *Demol. orat.*, 24 *jan.* 1795, § 5.

§ V.

Oratorium publicum quoad functiones sacras.

Functiones sacræ, quæ aguntur in capellis seu oratoriis, quamvis non parochiales spectant ad parochum : *Cas.*, 30 *maii* 1767, § 8.

Hujus generis sunt administratio sacramenti Pœnitentiæ, retentio sedium ad excipiendas confessiones : item dicendum de expositione 40 horarum cum populi benedictione : item de funebri officio super cadaveribus peragendo : *Ibid.*

Præsertim ubi capellæ sive oratoria perpetuum non habent rectorem : *Ibid.*

Ad licentia Episcopi, ut aliquæ ex his sacris functionibus agi possint ab iis qui parochi non

sunt, nonnisi moderate ac rationabili urgentique causa, non vero ad libitum Episcopi est concedenda : *Ibid.*, § 8.

Sacræ functiones, quarum celebratio prohiberi nequit in capella seu oratorio, ad jura parochialia non pertinet, uti sacramenti Pœnitentiæ et Sanctissimæ Eucharistiæ administratio : *Cass.*, 30 *maii* 1767, § 16.

Celebratio Missæ lectæ, sive cum cantu, nullo habito respectu ad Missam parochialem : expositio 40 horarum cum benedictione super populum : *Ibid.*, § 17.

Funebre officium super cadaveribus, quum jus hoc ad tumulantem ecclesiam sive regularium, sive sacerdotum secularium pertineat, quoties parochiali non subjicitur : *Ibid.*

Quum ex dispositione juris communis liberum sit in quibusque anni festivitatibus Missam in publico oratorio celebrare, non licet Episcopo hujus facultatis exercitium coercere, cum ipse nec prætextu removendi abusum quidquam possit contra jus commune decernere : *Com.*, 17 *jul.* 1769, § 6.

Præsertim si necessaria sit ex experientia Missa in eodem oratorio celebranda, quando præter unicam Missam parochialem, nonnulli carerent sacrificio, in quibus circumstantiis aliquid de rigore juris etiam est remittendum : *Ibid.*, § 7.

Functiones sacræ peragendæ in oratorio sodalitii debent esse conformes consuetudini, et praxi ab immemorabili tempore servatæ, sed etiam qualitati ipsius oratorii, si sit filiale ecclesiæ parochialis, et in solo præposituræ constitutum : *Firm.*, 17 *dec.* 1768, § 4.

In publico oratorio plures permittuntur Missæ : *Dert.*, 18 *jul.* 1789, § 5.

§ VI.

Oratorium publicum quoad visitationem et subjectionem.

Ab Episcopo visitari nequeunt oratoria existentia in monachorum granciis, quæ sunt exemptæ ab Ordinarii jurisdictione : *Tol.*, *Vis.*, 29 *aug.* 1761, § 6.

Domus vero regularium, in quibus non aluntur sex religiosi, subjacent jurisdictioni Ordinarii vigore constitutionis *Instaurandæ* san. mem. Innocentii X : *Ibid.*

Quod tamen locum habet in Italia solum et insulis adjacentibus : *Ibid.*

Et religiosi de licentia sui superioris degentes in granciis sub regulari observantia, pro servitio monasterii, gaudent privilegiis sui ordinis, et non subsunt jurisdictioni Episcopi : *Ibid.*

Potest tamen Episcopus monere abbatem ut religiosum revocet ad monasterium, et supplere abbatis negligentiam : *Ibid.*

At religiosus degens in rurali domo monasterii sine regulari observantia, non gaudet exemptione sui ordinis : *Ibid.*, § 10.

Et ab eo potest Episcopus requirere licentiam ejus superioris permanendi extra claustra : *Ibid.*

Oratorio relicto in loco antiquæ cathedralis ecclesiæ debetur honor et reverentia in memoriam pristinæ dignitatis : *Foros.*, *Jur. par.*, 11 *apr.* 1761, § 2.

Hinc subjici oportet immediate jurisdictioni Episcopi, quum ipse sit ecclesiæ cathedralis sponsus, et ad eum spectet cum concilio capituli regimen, et administratio omnium illius jurium : *Ibid.*, § 3.

Et ejusdem oratorii cura danda est Episcopo, ad quem spectat providere illius conservationi et incremento : *Ibid.*, § 3.

Ita est requirere nec etiam debeat consilium, vel consensum capituli : *Ibid.*

Oratoria publica sub dominio et potestate patronorum sunt, nec subjacent synodalibus constitutionibus : *Plac.*, *Fest.*, 24 *mart.* 1764, § 9.

Oratorium non est declarandum subjectum parocho, intra cujus parochiæ limites existit, contradicente capitulo ecclesiæ cathedralis illius patrono : *Foros.*, *Jur. par.*, 11 *april.* 1761, § 8.

Sed oratorium parochiali jurisdictioni subjectum est, intra cujus fines situm est : *Ibid.*, § 9.

ORDINANDORUM QUALITATES. Vide *Sacramentum Ordinis*, § XI.

ORDINANDUS. Vide *Sacramentum Ordinis.*

ORDINARIA JURISDICTIO. Vide *Episcopus*, § XI ; *Exemptio*, § II.

ORDINARIUS. Vide *Abbas*, *Episcopus.*

ORDINATIO. Vide *Sacramentum Ordinis.*

ORDINATIONIS TITULUM. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXXII ; *Capellania*, § XIV ; *Sacramentum Ordinis*, § X.

ORDINATUS. Vide *Sacramentum Ordinis.*

ORDINES REGULARES. Vide *Regulares.*

ORDINIS SACRI. Vide *Beneficiati*, § IX ; *Canonici*, § XII ; *Capitulum ecclesiasticum*, § XI ; *Episcopus*, § VI ; *Sacramentum Ordinis.*

ORDINES SACRI QUOAD ÆTATEM. Vide *Sacramentum Ordinis*, § II.

ORDINUM COLLATIO. Vide *Abbas*, § II ; *Sacramentum Ordinis*, § IV.

ORDO MILITARIS. Vide *Religio Militaris.*

ORDO SACER. Vide *Matrimonium*, § XLVIII ; *Sacramentum Ordinis.*

ORDO SCRIPTURÆ. Vide *Scriptura.*

Organum.

Organum dici potest pars ecclesiæ fabricæ, cujus, deficientibus ecclesiæ reditibus, principaliter onus rectori incumbit : *Fabr.*, *Leg.*, 14 *mart.* 1795, § 3.

Organi pulsatio tunc solum ad lucrandas distributiones corporali præsentiæ æquipollere, cum nullum stipendium percipiatur : *Terr.*, 28 *april.* 1770, § 2.

Origo. Vide *Distributiones quotidianæ*, § iv; *Domicilium*, § vii.

Oris Aperitio. Vide *Aperitio oris*.

Orphani.

Orphani dicuntur qui patre careant : *Alat.*, *Dot.*, 3 *febr.* 1776, § 8.

Alii sentiunt esse orphanos, qui utroque carent parente : *Ibid.*

Omnes tamen conveniunt, ut in ultimis voluntatibus, piisque legatis orphani accipiendi sunt, etiam ii et eæ, qui, vel quæ tantum patre destituuntur : *Ibid.*; *Rom.*, 12 *maii* 1759, § 3.

Et etiam illi, vel illæ, quæ parentes habent inutiles, quales sunt parentes paupertate extrema laborantes, qui filias dotare non possunt : *Ibid.*

Pactum.

Pacta sunt servanda : *Rom. seu Aut.*, *Sub. dot.*, 8 *febr.* 1794, § 5.

Pacta, seu conventiones vel promissiones, inter contrahentes conventa religiose servari debent : *Null. Subl.*, *Ben. Ap.*, 16 *jun.* 1781, § 6.

Nefas est a pactis expressaque conventione resilire : *Tridentin.*, *Appl. Miss.*, 26 *aug.* 1769, § 12.

Pactum læsivum libertatis, nec efficere posset irrevocabile quod a libera pendet disponentis voluntate : *Sign.*, 20 *sept.* 1788, § 4.

Pactum expressum et voluntarium ultro citroque obligatorium est, quod servari omnino necesse est : *Tran.*, *Tax.*, 2 *martii* 1765, § 7.

Pactum adjectum in instrumento emphyteusis exequi debet : *Firm.*, *Emph.*, 17 *dec.* 1796, § 7.

Non est in alterius partis arbitrium pactum implere per æquipollens cum ad implementum quisque teneatur ea præcisa forma quam contrahentes statuerunt : *Nov.*, 14 *maii* 1768, § 7.

Pactum reversivum *tertia generatione finita*, et caducitatis pœna in casu alienationis, et non solutionis canonis, conveniunt potius emphyteusi, quam appodiationi : *Fulg.*, 29 *aug.* 1789, § 5.

Pactum, ut clericus provisus de beneficio teneatur dimittere capellaniam, est licitum et servandum : *Cæsen.*, *Cap.*, 13 *jan.* 1753, § 2.

Ex quo pacto jus quærit, ut clericus teneatur dimittere capellaniam, si de beneficio provisus fuerit : *Ibid.*, § 3.

Nec Summo Pontifici licet pacta et conventiones sua auctoritate tollere : *Urb.*, *Red. oner.*, 14 *mart.* 1744, § 10.

Papa. Vide *Pontifex Romanus*.

Parentes.

Appellatione parentum non solum veniunt omnes descendentes per lineam masculinam in infinitum, sed etiam per fœmininam : *Rom.*, *Subs. dot.*, 11 *jan.* 1772, §§ 10 et 11.

Parentum sub plurali numero vocatio, tam patrem, quam matrem clare indicat : *Rom.*, *Distr. dot.*, 11 *jan.* 1772, § 4.

Parentes in matrimonio. Vide *Matrimonium*, § ix.

Parochia. Vide *Ecclesia parochialis*, *Episcopus*, § xv.

Parochia quoad concursum. Vide *Concursus*.

Parochia pauper. Vide *Ecclesia parochialis*.

Parochialia jura. Vide *Jura*, § i; *Parochus*, § viii.

Parochialis ecclesia. Vide *Ecclesia parochialis*, *Episcopus*, § xv.

Parochialis Missa. Vide *Missa*, § xii.

Parochiani.

Parochianorum divisio nequit fieri per Episcopum pendente recursu ad superiores : *Firm.*, 13 *jun.* 1795, § 7.

Eoque minus absque citatione interesse habentium : *Ibid.*

Valde deferendum est inveteratæ consuetudini in actibus parochialibus : *Ibid.*, § 9.

Et contrarium decretum visitatoris Apostolici usu non receptum attendi non debet : *Ibid.*, § 10.

Parochiani, quum nullum collegium, vel legitimam universitatem constituant, jus proinde eisdem non est eligendi syndacos, procuratores, aliosque officiales : *Viter.*, *Jur. elig.*, 4 *april.* 1767, § 4.

Æquum est, ut quibus communia sunt parochianorum emolumenta, et honores, communia quoque sint onera : *Nucer.*, *Præc. Pasch. et Sol. dec.*, 23 *april.* 1774. § 5.

Et illi qui recensendi sunt inter parochianos tam pro bonis antea possessis, quam pro aliis postea acquisitis, tenentur ad præstationem ad quam omnes tenentur : *Ibid.*

Canonici, presbyteri, clericique cathedralis, in aliena parochia degentes, non hujus sed cathedralis, in qua sacra peragunt et spiritualibus reficiuntur, dicuntur parochiani : *Andr.*, 20 *dec.* 1766, § 12.

Si quis ex aliena parochia habitans in ambitu cathedralis ægrotetur, vel moriatur non electa sepultura, est parochianus ecclesiæ cathedralis tum propter habitationem, tum ob cathedralis prærogativam ; nam ipsa et matrix, et communis omnium habetur : *Ibid.*, § 13.

Parochiani omnes, eorumque communitas præsertim obligata ad parochialis ecclesiæ reparationem compelli debet, sepulcra in eadem parochiali ecclesia extruere, eaque confecta conservare et expurgare : *Tusc.*, *Rep. eccl.*, 1 *mart.* 1738, § 2.

Ac insuper parochialem ecclesiam de sacra supellectili congruenter provideri : *Ibid.*

Parochiani, deficientibus reditibus ecclesiæ, ac canonicorum inopia accedente, tenentur ad expensas in reparationem ecclesiæ cathedralis erogandas contribuere ; *Null. seu Nonan.*, *Reæd. eccl. par.*, 16 *maii* 1778, § 3.

Qui si egestate laborent, ad matrices et viciniores ecclesias tunc est recurrendum : *Ibid.*

Synodus Tridentina quarto loco obligat parochianos ad reparandam ecclesiam post ipsum parochum, patronos, et alios qui ex ecclesia eadem fructus percipiunt : *Sarsin.*, 10 *jul.* 1790, § 4.

Et parochianorum nomen a Tridentino adhibitum extendi ad exteros possidentes in parochia, ut in solutione decimarum, debet : *Ibid.*

Nec non ejusdem Tridentini dispositio comprehendit parochialem domum, quæ est ecclesiæ pars, et æque ad eam reparandam illos obligat, qui ipsam reficere ecclesiam tenentur : *Ibid.*, § 5.

Parochorum collegium. Vide *Collegium*, § 1.

Parochorum congregatio.

Ultra montes et præcipue in Gallia, Anglia et Germania, receptissima erant capitula seu congregationes parochorum, quæ semel vel bis in anno, aut singulis mensibus, habebantur coram archidiaconis vel decanis ruralibus : *Trev.*, *Jurisd.*, 2 *april.* 1729, § 5.

Parochus acatholicus. Vide *Matrimonium*, § xxix.

Parochus.

§ I.

Parochus quoad administrationem sacramentorum.

Jus administrandi sacramenta canonicis et beneficiatis ecclesiæ cathedralis infirmis et habitantibus in alienis parochiis spectat ad parochum domicilii, seu habitationis, non vero ad parochum cathedralis : *Eug.*, *Jur. par.*, 14 *mart.* 1729, § 9.

Privativum munus est parochi sacramentorum administratio, et non admittere ad eam justis de causis : *Andr.*, 20 *dec.* 1767, § 20.

Parochus alterius parœciæ parochianis sacramenta ministrare non potest : *Faven.*, 30 *aug.* 1777, § 9.

Parocho vetitum est ne sacramenta ministrare parochianis alterius parœciæ præsumat : *Cerv.*, 16 *mart.* 1782, § 6.

Parochus, tanquam Episcopi vicarius ac coadjutor, confert Baptismum : *Cæsen.*, *Font. bapt.*, 15 *jan.* 1780, § 4.

Imo ipse, et non alienus, illud conferre in propria parœcia, ut suas agnoscat oves, debet : *Ibid.*

Propter quod hujus sacramenti ministratio inter parochialia jura nunc recensetur : *Ibid.*

Consonum est Concilio Tridentino sess. 24, cap. 13, ut presbyteris clericis adscriptis ecclesiæ collegiatæ, et habitantibus in districtu cathedralis in casu infirmitatis ab eadem cathedrali sacramenta ministrentur : *And.*, 29 *aug.* 1767, § 23.

Quoad administrationem quorumdam Sacramentorum, sepulturam, aliave parochialia jura alienigenæ ex consuetudine, vel alio nomine possunt parocho ecclesiæ matricis subesse : *Spol.*, *Jur. eccl. matr.*, 1 *dec.* 1736, § 3.

Ad parochum pertinet infirmis famulis, et inservientibus monialibus sacramenta administrare : *Novar.*, 5 *jul.* 1727, § 4 ; et in *Ulix. Occ.*, 22 *nov.* 1721, § 2.

Nulla habita consideratione quod famuli præfati sint tertiarii, quum in claustro non vivant, et propterea remanent subjecti parocho tam quoad sacramenta quam quoad funera : *Ibid.*

Parochus assistens matrimonio absque denuntiationibus triennem suspensionem ab officio incurrit : *Aux.*, *Par.*, 18 *mart.* 1797, § 24.

Valide absolvit in articulo mortis complicem peccati ; licet illicite, et excommunicationem incurrat : *Ibid.*, § 19.

Nisi vocatus administrandum complici sacramentum pœnitentiæ recusasset, deindeque ob alio-

rum sacerdotum defectum ministraverit : *Ib.*, § 21.

Administrare tenetur extremam unctionem phrenetico, prævia absolutione a censuris, quibus eum scit ante phrenesim innodatum : *Ibid.*, § 12.

Non item ei qui immediate ante phrenesim publicum commisisse peccatum, de quo nullum dedisset signum pœnitentiæ : *Ibid.*, § 13.

Extrema unctio primario remittit peccata venialia : *Ibid.*, § 15.

Et per accidens mortalia, in casu quo peccata memoria exciderunt, et propter privationem usus rationis incapax est confessionis, et antea tantum habuit attritionem : *Ibid.*, § 16.

§ II.

Parochus amovibilis.

Parochus quilibet tanquam sponsus conjungitur cum sua ecclesia : *Fulg.*, *Fan.*, 28 *aug.* 1773, § 27.

Hinc repugnat, quod sponsus a sua sponsa post mortem sejungi debeat, etiamsi parochus defunctus extra suam parochiam vixerit, et obierit : *Ibid.*

Si ecclesia est non simpliciter sed pleno jure subjecta monasterio, cura animarum exerceri potest etiam per sacerdotem conductitium, absque eo quod opus sit rectore perpetuo : *Jan.*, *Trans. par.*, 29 *jan.* 1724, § 7.

Multoque magis quum Concilium Tridentinum, sess. 7, cap. 7, *de Refor.*, non præscribat absolute vicarios perpetuos dicens : *Ut per idoneos vicarios etiam perpetuos ;* ex quibus verbis arguunt doctores, posse hasce curas exerceri etiam per sacerdotes ad nutum amovibiles : *Ibid.*, § 8.

Parochus etiam amovibilis habet administrationem bonorum ecclesiæ : *Fan.*, *Exeq. dec. S. visit.*, 30 *maii* 1761, § 2.

Nec repugnat si vigore consensus ab Episcopo in fundatione præstiti non parochi, sed patroni laici administrationem bonorum ecclesiæ habeant : *Ibid.*, § 4.

Et S. Concilium solum prohibet patronis laicis, vel administrationem beneficiorum, vel usurpationem bonorum ecclesiæ in propriam utilitatem : non autem eorumdem bonorum administrationem pro commodo ecclesiæ ipsius, quæ licita etiam laicis supponitur in sess. 22, cap. 9, et expresse licita declaratur in sess. 24, cap. 3, si ea competat ex institutione vel fundatione : *Ibid.*

§ III.

Parochus quoad celebrationem et applicationem Missæ pro populo

Præcepto divino mandatum est omnibus quibus cura animarum commissa est, oves agnoscere, et pro his sacrificium offerre : ex Tridentino Concilio, sess. 23, cap. 1, *de Refor.* : *Port.*, *App. Mis. pro pop.*, 19 *julii* 1766, § 15 ; *Neoc.*, *Mis. pro pop.*, 16 *junii* 17d0 § 9.

Parochus de jure divino tenetur Missam pro populo applicare : *Calag.*, *App. Mis. pro pop.*, 12 *dec.* 1767, § 8.

Hinc quilibet parochus, sive pingues sive tenues habeat reditus, ad applicationem tenetur, quia non ratione conservationis, seu congruæ, sed ratione officii sacrificium pro populo offerre debet : *Ibid.*

Et hac de causa querelæ parochorum, qui ob eamdem causam tenuitatis redituum aliqualem moderationem efflagitarunt, rejectæ sunt : *Ibid.*, § 9.

Concilium Emeritense seculo VII celebratum parochis indixit, ut singulis ecclesiis Missam celebrarent et pro singulis quibusque ecclesiis (id est fidelium cœtibus) illam applicarent : *Luc.*, *App. Mis. pro pop.*, 26 *febr.* 1774, § 9.

Benedictus XIV, 19 aug. 1744, in littera encyclica *Cum semper oblata*, declaravit, quod diebus festis, quibus populus Missæ interesse debet et servilibus operibus vacare, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare et applicare teneantur : *Tiras.*, *Vis. SS. LL.*, 20 *apr.* 1772, § 10.

Parochi aliique animarum curam exercentes ad Missæ applicationem pro populo tenentur : *Assis.*, *Cong.*, 9 *sept.* 1786, § 8 ; *Brugn.*, *Miss. conv. et pro pop.*, 23 *apr.* 1796, § 8 ; *Fesul.*, *Mis. par.*, 16 *jun.* 1770, § 7 ; *Senog.*, 20 *mart.* 1790, § 4 ; *Calag.*, *Mis. pro pop.*, 13 *mart.* 1773, § 6 ; *Eginat.*, *Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 7 ; *Fund.*, *Ap. Mis.*, 12 *sept.* 1721, § 3 ; *Ostien.*, 29 *jan.* 1724, § 7 ; *Cast. Alb.*, *Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 7.

Et quidem ratione officii, non ratione redituum ; ita ut fructuum tenuitas non eos redimit ab hujusmodi applicationis onere : *Ibid.*

Quia tenuis congrua nil detrahit parochiali qualitati, neque redituum causa : cit. *Eginat.*

Ac quilibet parochus absque ulla eleemosyna Missam pro populo applicare tenetur : *Nep.*, *Rest. eccl.*, 30 *maii* 1772, § 8.

Sed ob congruam admodum tenuem reductio applicationis Missæ pro populo ad dies festos solemniores conceditur : cit. *Brug.*, § 7.

Ex onere in genere applicandi Missam pro suis ovibus sacrificium, exorta est controversia quoad dies, et Benedictus XIV definivit, ut qui animarum curam exercent, sive pingues, sive tenues habeant reditus, sacrificium Missæ pro populo celebrent, et applicent in dominicis aliisque per annum festis diebus de præcepto : cit. *Fesul.* ; *Ibid.*

Inter Missam parochialem substitutus, vel alius

sacerdos Dei Evangelium explicare diebus festis non potest, quia hoc munus est parochi : *Amer.*, *Visit. SS. LL.*, 10 *febr.* 1781, §§ 2 et 3.

Parochus per statutum eximi nequit ab applicatione per se ipsum facienda Missæ pro populo : *Castr. Alb.*, *Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 9.

Parochus applicare debet singulis diebus festis Missam pro populo, eique christianam doctrinam instituere : *Ascul.*, 14 *mart.* 1795, § 3.

Si parochi decimas et honores sibi vindicant jure parochialitatis, eodem etiam jure Missam applicare tenentur, quamvis decimæ pro Missarum eleemosyna minime sufficerent : *Nov.*, 14 *maii* 1768, § 9.

Onus Missæ pro populo parochis tantum curam animam habentibus injunctum est : *Urb.*, 17 *jun.* 1769, § 4.

Ad illud obstringi ideo non potest collegium mansionariorum, quod nullam curam animarum obtinet : *Ibid.*

Omnes singuli, quo curam animarum exercent non solum parochi, aut vicarii sæculares, sed etiam parochi aut vicarii regulares applicare Missam parochialem pro populo tenentur : *Urb.*, 17 *jun.* 1769, § 9.

Pluries parochorum querelæ postulantium reductionem Missarum ex causa redituum rejectæ fuerunt, cum onus hujusmodi sit ratione officii, non ratione conservationis : *Calag.*, *Mis. pro pop.*, 13 *mart.* 1773, § 6.

Et quoad dies, quibus parochi Missam pro populo celebrare debeant, invaluit distinctio, ut qui pinguioribus reditibus fruerentur singulis diebus, qui tenuem præbendam possident, diebus tantum festis ad applicationem tenerentur : *Ibid.*, § 7.

Parochorum amovibilitas, ab applicatione Missarum pro populo eos non excusat, quatenus veri censentur parochi : *Æginat.*, *Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 8.

Curam animarum quum non habeant beneficiati, eis duntaxat fuit impositum onus psallendi in choro, et celebrandi Missam conventualem, non pro populo, sed *ad populum*, neque ex jure onera in fundatione non expressa addenda sunt : *Castr. Alb.*, *Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 7.

Unusquisque rector curæ animarum, sive pingues sive tenues habeat reditus, sacrificium Missæ pro populo celebrare et applicare debeat in dominicis et aliis per annum festis diebus de præcepto : *Fesul.*, *Mis. par.*, 15 *dec.* 1770, § 1.

Quoad celebrationem ac applicationem Missæ pro populo parochis impositum, consuetudo contraria non est attendenda post constitutionem : *Cum semper oblatas* Bened. XIV. Pont. Max. : *Neocas.*, *Mis. pro pop.*, 13 *jul.* 1771, § 5.

Præcepto divino mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro illis sacrificium offerre : quæ verba postrema non solam Missæ celebrationem, nec solam applicationem fructus generalissimi, sed medii fructus applicationem important, et sic specialem ejus pro populo applicationem : *Ostien.*, 29 *jan.* 1724, § 7.

Nonnulli putant parochos die Nativitatis Domini teneri tres Missas celebrare propter populi utilitatem et devotionem : *Ibid.*, § 13.

Et alii tenent, quod secluso scandalo, aut contemptu, parochi præfata die non teneantur ad tres Missas celebrandas : *Ibid.*

Exponit Benedictus XIV quod alias parochus pinguibus reditibus dotatus quotidie pro populo celebrare, et applicare tenebatur : *Calag.*, *Ap. Mis. pro pop.*, 12 *dec.* 1767, § 11.

Qui vero ulterioribus hujusmodi reditibus non gaudent, festis tantum diebus idipsum præstare tenentur : *Ibid.*

Hinc decernit satis esse, ut ii qui curam animarum exercent, sacrificium Missæ pro populo celebrent, atque applicent in dominicis, festisque diebus : *Ibid.*

Sed fuit dubitatum an dicta Bened. XIV encyclica, ad Italiæ Episcopos data, locum habeat etiam pro ecclesiis extra Italiam : *Ibid.*, § 12.

Qua de causa videtur expendere rationem, qua motus Summus Pontifex dictam epistolam dederit : ut nempe varietas diversarum opinionum scriptorum averteretur : *Ibid.*

Ecclesiastica disciplina atque præceptum de unius sacrificii actione a quolibet presbytero eadem die excepit parochum duabus prælatum plebibus, qui tenetur duas, in unaquaque scilicet parochia, Missas celebrare, ne alterutrius ecclesiæ populus die festo sacro audiendo excludatur : *Urb.*, 15 *mart.* 1777, § 6.

Parochus unicum duntaxat pro suo grege applicare tenetur sacrum diebus dominicis et festis ; et id etiam post aliarum parochialium unionem : *Lam.*, *Mis. pro pop.*, 30 *jul.* 1796, § 3.

Non obstante re judicata, et statuto, quibus centenaria adversetur observantia : *Ibid.*

Nisi plurium Missarum applicatio originem ducat ex ipsa parœciarum unione : *Ibid*, § 4.

Ubi enim de claro constat titulo, contraria observantia censetur potius abusus, et crimen : *Ibid.*

Et mala cogniti tituli fides impedit præscriptionem : *Ibid.*

Parochus Missam pro populo potest anticipare, vel in sequenti feria celebrare, casu occurrente Missæ habendæ præsente cadavere, vel ob aliam urgentem causam : *Fesul.*, *Mis. par.*, 16 *jun.* 1770, § 12.

Parochi qui fere ex eleemosynis quas a fidelibus pro Missarum celebratione recipiunt vivere coguntur, possunt diebus festis eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso applicare : *Fesul.*, *Mis. par.*, 16 *jun.* 1770, § 8.

Sed debent tot Missas infra hebdomadam pro populo applicare, quot in diebus festis pro peculiari benefactore obtulerint : *Ibid.*

Parochus præcisive in casu extremæ necessitatis potest eleemosynam accipere iis diebus quibus tenetur Missam pro populo celebrare : *Ovet.*, *Mis. pro pop.*, 22 *jan.* 1774, § 10.

Neque audiendus est Sylvius, qui aliter sensit ante notissimam Bened. XIV constitutionem : *Ibid.*

Si alio modo provideri nequit ; Episcopi erit de sua mensa, si commodo potest, consulere parochorum necessitatibus, et sacerdoti Missam diebus festis celebraturo eleemosynam suppeditare : *in Vot. secr*, 20 *aug.* 1768, § 23.

Locus est abolitioni oneris applicationis Missæ pro populo qualibet feria secunda, quia parochus illam applicat omnibus diebus festis et illius oneris ignoratur origo : *Firm.*, *Del. oner.*, 7 *jun.* 1777, § 4.

Missarum applicatio pro populo, utpote a voluntate, et ab actu interno celebrantis dependens, probatur ex ejusdem parochi juramento : *Hort.*, *Stip. et Lib. a mol.*, 17 *aug.* 1776, § 3.

Obligatio celebrationis. et applicationis diversæ sunt, et stipendium parocho debetur non præcise ut sacrum celebret ad intentionem populi, sed potius ratione sui pastoralis officii : *Ibid.*, § 4.

Idcirco parocho debetur stipendium, quamvis non applicasset pro populo Missam : *Ibid.*

Ab onere applicationis non eximuntur rectores parochialis ecclesiæ, quæ incertos habet reditus : *Ovet.*, *Mis. pro pop.*, 22 *jan.* 1774, § 4.

Etiamsi reditus parochiæ adeo tenues sint, ut ne ad congruam quidem rectoris sufficiant : *Ibid.*

Et ratio est, quia non juxta quantitatem redituum, sed ratione officii tenentur parochi Missam pro populo applicare : *Ibid.*

Parochisque egentibus provisum fuit, ut possint diebus festis applicare pro benefactoribus, translata, ad aliam diem infra hebdomadam applicatione pro populo : *Ibid.*

§ IV.

Parochus quoad coadjutores.

Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 4. *de Reform.*, disponit, ut Episcopi cogant rectores parochiarum, in quibus unus sufficere nequit ad sibi adjungendos tot sacerdotes quot sunt necessarii ad curam animarum exercendam : *Tuscul.*, 8 *jul.* 1765, § 9 ; *Rom. seu Port.*, *Cap.*, 16 *jan.* 1768, § 30 ; *Ripan.*, *Ben.*, 17 *jun.* 1775, § 7 ; *Milet.*, *Erec. cap.*, 22 *mar.* 1760, § 3.

Hæc dispositio conciliaris locum habet, quando populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sacramentis ecclesiasticis administrandis sufficere : ead. *Ripana*, § 8.

Ad parochum spectat assumere coadjutores, illosque removere : *And.*, 23 *apr.* 1763, § 6.

Quum sacerdotes coadjutores in parochia sint auxilium, et parochi vices supplent, congruum est, ut tanquam rectoris ministri secundum ejus voluntatem *seligantur : And.*, 20 *dec.* 1766, § 6.

Si parochus adversa valetudine afficiatur, potest etiam absque Episcopi licentia, temporalem coadjutorem sibi adjungere : *Policas.*, 29 *febr.* 1744, § 8.

Pervetusta adversatur observantia, ex qua coadjutores parochi dici possent beneficiati, interpretatione quadam fundationis beneficiorum in ecclesiis, quibus adnexa est animarum cura : *Cast. Alb.*, *Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 7.

Causa manente distantiæ parochi, opus non est instituere perpetuas coadjutorias, quum valeat parochus occurrere temporales adjutores hyberno tempore assumendo : *Vic.*, *Par. de Luss.*, 23 *aug.* 1760, § 4.

Ad novæ erectionem coadjutoriæ deveniendum non est, si numerus parochianorum non sit talis, ut rector cum uno coadjutore in administratione sacramentorum non possit supplere : *Ibid.*, § 3.

Deputatio coadjutoris sibi locum vindicat, quando populus ita numerosus est, ut unus rector non potest sufficere in ecclesiasticis sacramentis ministrandis ; secus autem, quando propter loci distantiam, vel audiendi difficultatem, fideles sine magno incommodo adsacramenta percipienda et divina officia audienda, ad parochiam venire non possunt : *Aq.*, *Dism.*, 13 *jul.* 1720, § 5.

Idque propriis parochorum sumptibus faciendum voluit Bonifacius VIII Pont. Max. : *Rom. seu Port.*, *Cap.*, 16 *jul.* 1768, § 30.

Coadjutore indiget parochus inhabilis, et dissita habens loca parochiæ : *Asc.*, 22 *jan.* 1763, § 3.

Et quatenus parochus renuat coadjutorem eligere, potest illum deputare Episcopus : *Ibid.*

Nec retardatur coadjutoris datio per appellationes vel inhibitiones : *Ibid.*

Tenetur Episcopus cogere parochum, ut, ratione necessitatis et populi affluentiæ, sibi adjungat opportunos coadjutores : *Civit. Cast.*, 25 *sept.* 1762, § 7.

Et quoties parochiales reditus satis non sunt parocho coadjutori, coadjutoris salarium ab Episcopo, et in subsidium a parochianis supplendum est : *Ibid.*

Atque in erectione collegiatæ translata cura animarum in canonicos, dicendum est unum esse parochum, nempe archipresbyterum et canonicos coadjutores : *Ibid.*, § 8.

Coadjutor est adjungendus parocho, non quem ipse malit, sed quem Episcopus elegit : *Asc.*, 24 *jul.* 1762, § 2.

Limita : Quando eligitur ille non ratione populi multitudinis, sed ratione senectutis vel propriæ culpæ : *Ibid.*

Quando agitur de constituendo coadjutore parocho inhabili, Episcopus exequi potest sua decreta, non obstante quacumque appellatione : *Ibid.*, § 5.

Episcopi possunt, quacumque appellatione et exemptione remota, deputare coadjutores seu vicarios pro tempore, parochis illiteratis et imperitis, et iis coadjutoribus, seu vicariis partem fructuum pro sufficienti victu assignare : *Leg., Visit. SS. LL.*, 15 *dec.* 1725, § 5.

Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 4, *de Refor.*, permittit Episcopo ut parochi coadjutores de congrua provideat, vel assignet portio competens ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus : *Null. Guas.*, 21 *jul.* 1788, § 5.

Imo si necesse fuerit populum ea subministrare, quæ ad vitam illorum sustentandam sufficiant, compellere potest : *Ibid.*

De jure est, ut qui decimas percipit, de suo presbyteros curæ alat : *Vic., Par. de Luss.*, 30 *aug.* 1766, § 9.

At deficiente necessitate, novi presbyteri non sunt adjungendi : *Ibid.*, § 13.

Onus præstandi salarium coadjutoribus in ipsum parochum refunditur, ob curam habitualem ei competentem : ead. caus., 23 *aug.* 1760, § 7.

Imo parochus speciali contractu obligatur coadjutores suis expensis conducere ; et quatenus parochi congrua non sufficiat, supplendum est ab ipso populo : *Ibid.*

Et ille qui precipit decimas non jure parochiali sed jure feudi, minime tenetur ad salarium coadjutoris, quod a solo parocho præstandum est : *Ibid.*, § 8.

Tertia pars fructuum parochi coadjutori adsignanda est ex ipsius parochi reditibus juxta Rotam : *Fer., Coadj.*, 8 *febr.* 1744, § 4.

De bonis ecclesiæ prius est providendum coadjutori qui inservit quam parocho inhabili : *Asc.*, 24 *jul.* 1762, § 5.

Ad ipsum parochum spectat ministros sibi necessarios ad curam animarum assumere : *Ibid.*, § 8.

Quando tamen est in culpa circa exercitium curæ, coadjutor est ei dandus ab Episcopo ; intellige tamen in parocho illiterato, inhabili aut criminoso : *Ibid.*

Coadjutores in curam animarum non facultative, sed necessario residere debent in ædibus parochialibus : *Faven., Coad.*, 22 *jan.* 1763, § 7.

Assumi debent coadjutores in cura animarum pro modo affluentiæ populi, non autem illorum residentia in omnibus angulis parochiæ facienda est ab illis : *Const.*, 30 *maii* 1761, § 8.

Et attenditur specialis consuetudo, qua coadjutores resideant apud matricem, non autem in ecclesiis filialibus etiam dissitis itinere unius horæ : *Ibid.*

Posita in eadem ecclesia parochiali præexistentia alterius rectoris, capellani superadditi nequeunt censeri parochi, sed simplices coadjutores parochi seu præpositi : *Rip., Jur. par.*, 20 *nov.* 1762, § 7.

Hinc nihil valet exceptio illorum provisionis per concursum, cum hic haberi possit etiam pro beneficiis non curatis : *Ibid.*

Et capellani prædicti debent exercere curam animarum cumulative, et dependenter ab eodem præposito, et ad ejus nutum : *Ibid.*

Ac de eorum assistentia matrimoniis ineundis præstanda, præsumendum est eam peragere de licentia præpositi : *Ibid.*, § 8.

Librorumque parochialium retentio, ac participatio emolumentorum de jure ad solum parochum spectat : *Ibid.*

Repugnat in jure apud plures in solidum residere curam per modum collegii, a quo formalis persona rectoris seu parochi repræsentatur : *Ibid.*, § 9.

§ V.

Parochi quoad congruam.

Exploratum est de congruæ quantitate parochi, eam fuisse concilii mentem, ut decenter parochorum conservationi consultum remaneret, et reditus subeundis oneribus pares haberentur : *Sars., Oner.*, 30 *jul.* 1774, § 12.

De hac parochorum seu etiam vicariorum sufficienti congrua solliciti quam maxime Romani Pontifices fuerunt : *Ibid.*, § 17.

Tridentina Synodus, sess. 24, cap. 13, *de Reform.*, prohibet ne pensionibus graventur parochiales ecclesiæ, cujus reditus summam ducatorum centum non attingant, sed nulla certa prædefinita

est regula quoad quantitatem congruæ parocho assignandæ : *Sars.*, *Oner.*, 30 *jul.* 1774, § 12.

Et proinde in hujusmodi controversia totum pendet ab arbitrio judicis : *Ibid.*

Congruaque juxta circumstantias, etiam in majori summa, et præsertim juxta consuetudinem ab eo taxari debet : *Ibid.*

Congrua pro rectore a Concilio præfinita intacta in ea summa tunc solum præservari debet, quando agitur de gravando parocho pensionibus, non vero quando res sit de ecclesiæ reparatione : *Nep.*, *Rest. eccl.*, 30 *maii* 1772, § 9.

Et in præfinienda congrua sunt perpendendæ circumstantiæ loci, beneficii, onerum, et personæ rectoris : *Ibid.*

Ac præsertim habenda est ratio pretii alimentorum : *Ibid.*

Parochus si sit bonis patrimonialibus ditatus, hoc in casu animadversione indignus censetur : *Ibid.*, § 10.

Urgente novæ parochiæ necessitate, verus institui debet parochus : *Asculana*, *Erect. paroch.*, 19 *dec.* 1795, § 6.

Eique assignari arbitrio Episcopi competens portio redituum matricis : *Ibid.*, § 7.

Novis erectis parochiis vigore Concilii Tridentini, sess. 21, cap. 4, præficiendi sacerdotis portio assignari debet arbitrio Episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem spectantibus, vel populum ad eam subministrandam compellere : *Tusc.*, 8 *jun.* 1765, § 9.

Parochus necessaria vitæ consequi debet a dominis feudorum : *Hort.*, *Stip. et Lib. a mol.*, 29 *jul.* 1775, § 6.

In Const. *Ad exequendum* S. Pii V statuitur ut congrua non sit major centum, nec minor quinquaginta scutorum : *Rav.*, *Patr. sacri*, 19 *jul.* 1783, § 9.

Inter onera parochi ad congruam examinandam additur onus Missæ pro populo in scutis 8 : *Brict.*, *Cong.*, 26 *nov.* 1785, § 14.

Et videndum est, quanti valeant depositiones generales, et absque discrimine emissæ, et si ulla, aut quæ ex emolumentis imputari in congruam debeant, juxta ea quæ Doctores considerant : *Ibid.*, § 15.

Ad congruam parochi juxta Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 13, *de Reform.*, cum unione beneficiorum, vel decimarum, aut primitiarum assignatione aut symbolis, et collectis parochianorum, et commodiori alio modo provideri debet : *Perus.*, *Union.*, 17 *jun.* 1786, § 2.

Et in citato Concilio summa ad quam congrua parochialis efferri debet, non præfinitur : ea colligitur ex aliis verbis, quibus dicitur, ut si parochialis ecclesiæ reditus non excedat ducata 100, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum gravari debent : *Ibid.*, § 3.

Idem colligitur ex ea quæ in favorem vicariorum perpetuorum statuit S. Pius V const. *Ad Exequendum*, 1 *nov.* 1567 : *Ibid.*

Præ oculis haberi debent, antequam de insufficientia parochialis congruæ feratur judicium, circumstantiæ nempe loci, onerum, numerum animarum, et consuetudines regionis : *Ibid.*, § 6.

Congrua est coercenda intra limites moderatæ tantum, honestæque conservationis : *Nep.*, *Rest. eccl.*, 31 *aug.* 1771, § 9.

Habita etiam ratione onerum, loci, et personæ rectoris : *Ibid.*

Et congrua tenuis sufficit, si parochus per pauca habeat onera et exiguos sumptus, ac patrimonialibus bonis ditatus sit : *Ibid.*

Congrua parochi est ducatorum centum deductis oneribus : *Albingaten.*, *Red. Mis.*, 24 *nov.* 1792, § 3 ; *Bonon.*, 12 *maii* 1792, § 2.

Sed minor esse potest ex fundatione et institutione ipsius parochiæ : *Ibid.*

In hanc autem non imputantur emolumenta funerum, oblationum et eleemosynarum : *Ead. Bon.* ; *Ibid.*

Fructus ecclesiæ parochialis adeo non imminui debent, quin non remaneant centum pro rectore : *Nov.*, 2 *dec.* 1761, § 6.

Et centum ducata rectori est præstanda pro congrua ab illo qui omnes fructus parochialis ecclesiæ exigit : *Ibid.*

Quum in omnibus fere parochiis diœcesis desit congrua in quantitate ducatorum 100, comprobatur consuetudo inferioris congruæ dictæ summæ : *Sarsin.*, *Oner.*, 30 *jul.* 1774, § 13.

Quoties congrua fuit semel a judice, seu superiore assignata, nefas est illius incrementum efflagitare : *Ibid.*

Saltem nisi parochus doceat, parochiæ reditus fuisse imminutos : *Ibid.*

In dubio autem potius aucti, quam imminuti præsumuntur : *Ibid.*

Parocho seu rectori ecclesiæ, cui incumbit animarum cura, congrua omnino debetur : *Ibid.*, § 2.

Hanc vero congruam augeri ab Episcopo oportet, quoties impar comperiatur, etiam per subductionem decimæ patrono assignatæ, et præsertim per onerum imminutionem : *Ibid.*

Sufficiens congrua censetur, quæ ad summam ducatorum centum pertingit, vel saltem minor non sit ducatis 50 : *Ibid.*

Et congrua debetur parocho in remunerationem laborum : *Ibid.*

Atque est privilegiata, et pro illius consecutione præfertur parochus iis omnibus in quorum favorem fructus sunt reservati : *Ibid.*

Facultas tributa Episcopis imponendis super beneficiis taxam in favorem seminarii, intelligenda est deducta congrua parochorum conservatione : *Ibid.*, § 5.

Sufficit pro congrua rectoris ecclesiæ parochialis una cum incertis ducat. 60 annua, inspecto regionis potissimum more : *Venus.*, 27 *jun.* 1763, § 6.

Locus est augmento congruæ parochi, quando minor est scut. 50 : *Reat.*, *Aug. cong.*, 4 *jun.* 1763, § 3.

Et in statuenda congrua ratio de oneribus curæ imminentibus habenda est : *Ibid.*

Quia in congruam imputari non debent emolumenta incerta, et oblationes quæ fiunt pro Missis celebrandis : *Ibid.*

Et nihil officit acquiescentia antecessorum, cum evidenter de congruæ insufficientia constet : *Ibid.*,

Ideo pro congrua sufficiunt 50 scuta monetæ regionis, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis : *Ibid.*, § 4.

Veris parochis, seu vicariis perpetuis in titulum habentibus curam animarum non alia debetur congrua quam scut annorum 50 : *Carp.*, 15 *sept.* 1781, § 7.

Non item de simplicibus curatis ad nutum amovibilibus, et canonica institutione carentibus, quibus non congrua debetur, sed simplex salarium seu stipendium, quod operæ laborique respondeat : *Ibid.*

Impar est congrua rectori curato in scut. 40 assignata : *Baln. et Urb.*, 7 *jan.* 1777, § 7.

Et a Concilio Tridentino, sess. 7, cap. 7, *de Reform.*, et a const. *Ad exequendum* S. Pii V præscribitur congrua non major annuorum scut. 100, et non minor scut. 50, et id, non arbitrio patroni, sed arbitrio solius Episcopi, remittitur : *Ibid.*

In qua summa computari debent juxta Pianam constitutionem incerta emolumenta, et aliæ obventiones communiter percipi solitæ : *Ibid.*, § 8.

Si deductis oneribus superest pro parocho summa scut. 15, circiter, hæc impar est pro congrua illius conservatione : *Fir.*, *Del. oner.*, 7 *jun.* 1777, § 3.

In congruam conferri etiam debet incerta stolæ et altaris : *Brict.*, 18 *aug.* 1787, § 2.

In congruam imputantur incerta emolumenta, quæ moralem habent certitudinem, non autem eventualia, quæ a sacramentorum administratione obveniunt, quæque dependent a labore personali, ut sunt eleemosynæ altaris, et funerum : *Ibid.*

Emolumenta funerum, et altaris, cum hæc eventualia sint et incerta, non debet in partem congruæ computari : *Brict.*, *Cong.*, 14 *dec.* 1782, § 5.

Consensus tacitus ex acceptione beneficii desumptus non obest, quominus uberior congrua constituatur, si congruæ jam assignatæ tenuitas probetur : *Ibid.*

Si reditus parochiæ adeo exigui sint, ut debitis nequeunt oneribus satisfacere, curare debent Episcopi per unionem beneficiorum, non tamen regularium, ut parochiæ necessitati consuletur : *Ibid.*, § 11.

Et si id fieri non possit, curent, ut primitiarum vel decimarum assignatione aut per parochianorum symbola, ac collectas, aut qua commodiori videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro parochiæ necessitati decenter sufficiat : *Ibid.*

Parochi congruam non minuunt stipendia Missarum : *Fer.*, *App.*, 27 *aug.* 1796, § 9.

In casu tenuitatis redituum non aliud competit parocho, quam adeundi Ordinarium, ut populum ad supplendum quod deficit cogat : *Sars.*, *Oner.*, 30 *jul.* 1774, § 15.

Defectus sufficientis congruæ parochialis nunquam de jure præsumitur, sed perspicuis probationibus foret a parocho demonstrandus : *Nep.*, *Rest. eccl.*, 30 *maii* 1772, § 4.

Congrua pro parocho novæ parœciæ est ex reditibus matricis detrahenda, nec minor esse debeat sc. 50 : *Eug. Dism.*, 31 *jul.* 1790, § 9.

Ubi reditibus non abundat matrix, detrahi ex illis non debet novi parochi congrua : *Ibid.*

Rector ecclesiæ, qui curam animarum habet, qui duplam partem accipit distributionum quotidianarum, si reditus quos ipse percipit satis non sint ad hoc onus subeundum, teneri pro portione redituum canonicos ceterosque omnes qui beneficia habent in eadem ecclesia, contribuere : *Null. seu Subl.*, *Rep. eccl.*, 11 *jul.* 1750, § 3.

Si alii potuerit parochus ex parochiæ bonis ac reditibus, si pro alimentis æs alienum non contraxerit, cessat damnum, ac actio congruæ : *Spol. Congr.*, 23 *nov.* 1765, § 6.

Jure cautum est, ut quoties tot parocho reditus non suppetant, ex quibus capellano stipendium præstare possit, communitas hujusmodi stipendium conferre teneatur : *Rom. seu Port.*, *Cap.*, 16 *jan.* 1768, § 31.

Communitas monita judicialiter, pro eo tempore dare parocho congruam, quo defuit, tenetur : *Spol.*, *Congr.*, 23 *nov.* 1765, § 11.

Parochus usumfructum bonorum parochialium habet, quæ suis sumptibus dolere debet ; *Ibid.*

Sin autem ob culpam communitatis fructus percipere non possit, communitas tenetur ad congruam eidem præstandam : *Ibid.*, § 12.

Et tenetur eidem omnia damna propria culpa bonis parochialibus illata resarcire : *Ibid.*

Cessat autem actio congruæ, si ex bonis parochiæ alimenta sufficientia habuit : *Ibid.*, § 6.

In congrua nulla ratio habenda est de onere temporali, atque extraordinario : *Nep.*, *Rest. eccl.*, 28 *aug.* 1773, § 7.

Et congrua pro parocho constituenda est in annuis scut. 100, ex Trid., sess. 24, cap. 13, *de Reform.* : *Ibid.*

Atque hujusmodi conciliaris dispositio locum tantummodo habet, quando agitur de imponenda pensione alicui parochiali beneficio : *Ibid.*

De cætero præfiniendam tantummodo dicit congruam, quæ honestæ parochi conservationi sufficiat : *Ibid.*

Et dum agitur de restauratione ecclesiæ computari in partem congruæ emolumenta incerta debeant : *Ibid.*

Nec habenda est ratio oneris erga pauperes et peregrinos, cum onus reparationis ecclesiæ præferri debeat : *Ibid.*

§ VI.

Parochus quoad decimas.

Decimæ debentur parocho ratione administrationis sacramentorum : *Reat.*, *Dism. et Jur. dec.*, 31 *maii* 1783, § 12.

PAROCHUS DOMICILII. Vide *Matrimonium*, § XXX.

§ VII.

Parochus quoad funera eorumque quartam.

Parochi civitatis Mantuanæ, contendentibus canonicis cathedralis, non amiserunt jus administrandi sacramenta canonicis et aliis ejusdem cathedralis presbyteris non commorantibus in canonica, sed ad libitum per civitatem habitantibus, nec non jus percipiendi emolumenta, et eorum cadavera tumulandi : *In Disc. secr.*, 23 *aug.* 1723, § 10.

Quarta funeris, quæ a regularibus persolvenda est parochialibus ecclesiis, reducta est ad medietatem : *Pisan.*, 15 *maii* 1728, § 8.

Exemptio a quarta funeris parocho debita repugnat dispositioni sacrorum canonum, aliarumque constitutionum expresse derogantium cuicumque consuetudini etiam immemorabili : *Fabr.*, *Quar. fun.*, 10 *mart.* 1731, § 3.

Quoties oratorio vel ecclesiæ confraternitatis generaliter concessum est jus sepeliendi, tunc sive sodales, sive alii non sodales in ea ecclesia tumulentur, parocho non debetur nisi quarta funeris ex omnibus ceris, et intorticiis, quæ occasione funeris ecclesiæ tumulanti obveniunt : *Senog.*, *Jur. sep.*, 20 *dec.* 1738, § 7.

Et si jus sepeliendi concessum fuerit societati quoad cadavera sodalium duntaxat, eo casu, si cadaver alicujus non sodalis, prævia legitima licentia, ibi sepeliatur, non quarta funerea solum, sed omnia intorticia et emolumenta funeris ad parochum pertinere dicuntur : *Ibid.*, § 8.

Parochis deberi quartam funeream defunctorum, qui in ecclesiis quorumcumque regularium tumulantur, sancitur a Bened. XIII in sua constitutione : *Crem.*, *Quar. fun.*, 12 *dec.* 1733, § 1.

Et si consuetudines legitime probatæ, conventiones, concordiæ, vel statuta faveant parochis, ut illis pinguiorem dictæ quartæ portionem assignetur, tamen servandæ sunt : *Ibid.*

Juxta antiquissimam consuetudinem in urbe vigentem canonica portio consistit in medietate totius ceræ funeris, etiam illius ceræ quæ in altaribus accenditur : *Nar.*, *Jur. par.*, 8 *jun.* 1771, § 11.

Canonica portio debetur parocho etiam de opertorio feretri, quod culcitram vocant : *Troj.*, *Fun.*, 29 *aug.* 1733, § 3.

Parochus causa majoris itineris majus stipendium ab hæredibus defuncti petere et exigere nequit : *Aux. seu Recin.*, *Fun.*, 8 *julii* 1752, § 2.

Quia nullum ob translationem cadaverum vectigal solvitur : *Ibid.*

§ VIII.

Parochus quoad jurisdictionem, potestatem et jura parochialia.

Nulli licet jura parochiæ pervertere : *Pis.*, 18 *maii* 1765, § 12.

Parochus in jure fundatam habet intentionem super ecclesias omnes suæ parœciæ ad privative in illis jura sua exercenda : *Fer.*, 9 *jul.* 1796, § 5.

Per suppressionem alterius parochi ad unam superstitem parochiam jurium exercitium spectat : *Tybur.*, *Par.*, 16 *jun.* 1792, § 9.

Parochus dignior ceteris omnibus in sua parochia est ac sui gregis dux, et custos præcipuus : *Plac.*, *Fest.*, 24 *mar.* 1764, § 4.

Parochis perpetuis electis prævio concursu, competit omnis jurisdictio parochialis, licet ad capitulum cura habitualis spectaret : *Foros.*, *Jur. par.*, 11 *apr.* 1761, § 10.

Parochus de sua ecclesia agit, quæ sua integra

est, et in qua nulli prorsus obnoxiam potestatem habet : *Barch., Prot.*, 13 *jul.* 1765, § 8.

In ea nedum parochiales, sed quæcumque aliæ sacræ functiones ad se unice pertinent : *Ibid.*

Parochus fundatam habet intentionem pro exercitio omnium parochialium functionum in sua parochia : *Brict. seu Nul., S. Ruph., Jur. par.*, 26 *nov.* 1767, § 3.

Sive functiones hujusmodi agantur in parochiali, sive in alia ecclesia intra ambitum parochiæ sita, nisi obstet Apostolicum privilegium : *Ibid.*

Sub parochi nomine non is accipitur qui munus exercet vicarii perpetui, quique tantum habet curam actualem, sed ad hunc effectum loco parochi eum habendum esse qui habet curam habitualem : *Vic., Par. de Luss.*, 12 *jan.* 1760, § 4.

Quum progressu temporis parochia libere consueverit provideri per Datariam, vel per Ordinarium prævio concursu, leve argumentum est totalis curæ actualis et habitualis parocho competentis : *Ibid.*, § 6.

Prædecessores parochi nullum juri ecclesiæ, ut successoribus præjudicium inferre possunt : *Sars., Oner.*, 30 *jul.* 1774, § 7.

Hinc nullum hodiernus parochus ex proprio facto, aut sibi aut ecclesiæ, multoque minus ecclesiastico ordini damnum infert : *Ibid.*

Jus pro exercitio parochialis jurisdictionis intra fines parœciæ parocho assistit : *Bon., Exemp.*, 10 *jul.* 1790, § 3.

Is unus in Paschate Resurrectionis, et in articulo mortis administrare valet sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, cæterosque parochiales actus in ipsis etiam regularium tertiariis explere : *Ibid.*

Nec quisquam ab ejus jurisdictione, nisi ex privilegio aut consuetudine, eximitur : *Ibid.*

Ad parochiale officium pertinent : Missæ scilicet pro populo, et præsente cadavere ; SS. Viatici delatio ; assistentia matrimoniis aliisque : *Senog.*, 12 *jun.* 1789, § 15.

Jus indicendi publicas supplicationes parochiale est : *Ibid.*, § 17.

Sed exerceri nequit in collegiata ecclesia absque consilio capituli : *Ibid.*

Idque a majori ad minus exemplo confirmant Episcopi, qui in dirigendis supplicationibus requirere etiam debet consensum capituli : *Ibid.*

Parochus innititur dispositioni juris, qua inspecta, delationem Venerabilis, et benedictionem ad se pertinere debere : *Fulg.*, 4 *maii* 1726, § 4.

Sodales cujusdam societatis contendunt, delationem Venerabilis, et benedictionem super populo non esse de juribus mere parochialibus, juxta decreta generalia congregationis Sac. Rituum : *Ibid.*, § 6.

Nullus potest animarum gubernationem suscipere, neque in eas functiones, quæ ad id pertinent, se immittere, nisi eum idoneum esse prius ab Episcopo exploratum, indicatumque fuerit : *Cing., Cur. anim.*, 19 *jul.* 1732, § 7.

Parochus tum in ecclesia parochiali, tum etiam in toto parœciæ districtu jus habet privativum quæritandi eleemosynas, easque sicut et oblationes administrandi, et in usus solitos erogandi : *Pamp., Jur. quær.*, 15 *apr.* 1741, § 2.

Parochus potest ceteris omnibus prohibere, ut in sua ecclesia parochiali vel illius districtu eleemosynas quæritent : *Ibid.*, § 3.

Et bene inhibet quominus id faciant religiosi, signate Minores Observantes, quibus prohibetur quæstuatio eleemosynæ pecuniariæ, et etiam retentio capsulæ in eorum ecclesiis sub quocumque colore : *Ibid.*

Parochus resistere non potest novæ ecclesiæ ædificationi : *Dert., Erect. eccl.*, 30 *maii* 1778, § 4.

Nequidem præsidio amissionis oblationum, quia, ut voluntariæ, nec inter parochialia jura recensitæ, aptæ non sunt ad implendam constructionem ecclesiæ : *Ibid.*

Magis si ejus jura præservata sint : *Ibid.*

Quum agatur de jure eligendi ad universos parochianos spectante, parochus nullo speciali titulo, sed tantum ut parochianus sanctesium electioni intervenire, æqualem idcirco vocem omnibus competere ei debet : *Viter., Jur. elig.*, 4 *april.* 1767, § 12.

Nec repugnat ut parochus, licet caput sit parochianorum, unicam tantum vocem instar aliorum habeat : *Ibid.*

Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 1, dedit potestatem parochis etiam indiscriminatim communem delegandi quosvis sacerdotes ad conjungendum in matrimonium, et alia ministranda sacramenta : *Andr.*, 29 *aug.* 1767, § 36.

Potest parochus independenter ab Episcopo, et absque hujus licentia alium sacerdotem delegare : *Andr.*, 18 *aug.* 1770, § 16.

Fundatam parochus habet jurisdictionem in parochialibus juribus ; ab eaque immunia non sunt xenodochia, nisi ex speciali privilegio et observantia : *Rav.*, 13 *jun.* 1789, § 5.

Et Episcopus imminuere nequit absque necessitate parochialem jurisdictionem : *Ibid.*

Sacramentorum administratio ad parochialem pertinet jurisdictionem, quæ ab episcopali dependat : *Ibid.*

Hinc ordinaria Episcopi auctoritate restringi potest : *Ibid.*

In favorem præsertim xenodochii, in quo proprii

sunt sacerdotes, qui intra illius septa vices gerunt parochi, et distinctam quodammodo parochiam administrant : *Ibid.*

Præsertim si accedit parochi declaratio in illorum sacerdotum favorem : *Ibid.*

Parochis committi debet exaratio notulæ sacerdotum, qui sint precaturi ante Sanctissimum Sacramentum, quando in eorum ecclesiis peragitur expositio : *Colon.*, 14 *febr.* 1767, § 5.

Parochus in oratorio intra limites parœciæ existente fundatam habet suam intentionem ex dispositione juris pro exercitio jurium parochialium : *Foros., Jur. par.*, 9 *febr.* 1760, § 8.

Quapropter ad illum pertinet Missas canere, et populo cum Venerabili benedicere, quia licet hæ non sint functiones parochiales, attamen peragi debent a digniore : *Ibid.*

Et fortius illi licitum est processiones in oratorium ducere tempore Rogationum, cum id liceat etiam in ecclesiis regularium jure servitutis post consuetudinem legitime præscriptam : *Ibid.*

Limita : id procedere non debet quoad ecclesias, quæ peculiari alicujus custodiæ commendatæ sunt, quemadmodum in ecclesia societatum se immiscere, ac potestatem usurpare parochus nequit : *Ibid.*, § 9.

Minusque jus aliquod tribuendum est parocho, ubi constaret oratorium, vel non esse intra limites parochiæ, vel spectare aliquod beneficium, quia tunc ad titularem ejusdem uti rectorem pertinere deberet libera illius administratio cum dependentia a solo Episcopo : *Ibid.*

Parochus absolutam habet auctoritatem in publicis oratoriis, ea tantum ratione quod parochiæ solo et ambitu consistant : *Baln., Jur. par.*, 23 *nov.* 1771, § 7.

Parochus nequit sese ingerere in administratione sodalitatum : *Melev., Ben. Ap.*, 15 *dec.* 1764, § 12.

Intellige de sodalitiis habentibus proprium ecclesiasticum rectorem ; secus vero in aliis legitimo ecclesiastico rectore destitutis : *Ibid.*

Vel ubi indultis pactis, conventionibus, aut consuetudinibus aliter non sit conventum : *Ibid.*, § 13.

Inter parochialia jura candelarum benedictio et distributio in die Purificationis B. M. Virginis recensentur : *Senog.*, 13 *jun.* 1789, § 21.

Hinc in parochum refundere debet sumptus : *Ibid.*

Benedictio domorum in hebdomada sancta fieri debet a proprio parocho : *Fir.*, 13 *jun.* 1795, § 6.

Quilibet cui animarum cura commissa est oves suas pascere et sacrificium offerre pro illis debet : *Egin., Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1789, § 4.

Hæc requiruntur ut verus quis dicatur parochus : quod potestatem nempe habeat fori pœnitentialis, quod certam suo nomine administret parochiam, quodque de necessitate ministret, ab eoque parochiani necessario recipiant sacramenta : *Ibid.*

Cuique parocho jus est exercendi jura parochialia in quibuscumque ecclesiis intra limites suæ parochiæ existentibus : *Firm.*, 18 *jul.* 1772, § 8.

Dum agitur de emigratis familiis, illud unus parochus in aliena exercet parochia quod alter in sua, nec facile immutandum quod temporis vetustate confirmatum est : *S. Sever. seu Sept., Visit. SS. LL.*, 28 *nov.* 1789, § 6.

Parochus non potest munia parochialia exercere in aliena parochia : *Pisau.*, 11 *jan.* 1772, § 3.

Iis præsertim renuentibus, ad quos spectat usus ecclesiæ in qua alienus parochus functiones parochiales agere prætendit : *Ibid.*

Et si loquatur in synodalibus constitutionibus de parochialibus ecclesiis, earumque rectoribus, trahi non potest ad ecclesiam collegiatam licet curatam, nec ad personam prioris, quæ prima ejusdem collegiatæ totiusque capituli dignitas est : *Ibid.*, § 4.

Missæ celebratio cum simplici cantu sine diacono et subdiacono non est de juribus parochialibus : *Plac., Fest.*, 24 *mart.* 1764, § 13; *Null. seu Ter., Miss. solemn.*, 9 *julii* 1735, § 4.

Parochus non valet privativum affectare jus circa celebrationem solemnis Missæ et benedictionem populo cum Venerabili in oratorio publico impertiendam, quia non sunt functiones parochiales : *Foros., Jur. par.*, 11 *april.* 1761, § 5.

Neque potest ad oratorium processiones Rogationum ducere pro suo libito, quum ad Episcopum illarum ordinatio spectat : *Ibid.*

Parochi ex jure canonico explere debent funus in eorum subditos, et omnia consequi emolumenta : *Rav., Fun.*, 17 *mart.* 1781, §§ 3 et 7.

Etiam privative ad alias ecclesias, quæ jacent intra fines propriæ parœciæ : *Ibid.*, § 3.

Nisi eæ gaudeant jure tumulandi cadavera ex privilegio parœciæ : *Ibid.*, § 4.

Parochialia jura et quarta funeris semper præservantur propriis parochis in concessione privilegii, seu juris tumulandi cadavera in favore alicujus ecclesiæ : *Ibid.*, § 8.

Parochus domicilii potest funus explere in suos subditos : *Aven., Jur. par.*, 19 *sept.* 1778, § 4.

Et ei licet benedictionem facere, antequam ab illius domo corpus levetur : *Ibid.*, § 8.

Ac etiam intonare antiphonam *Si iniquitates* : *Ibid.*, § 9.

Sed non tenetur parochus funus eorum qui non sunt eidem subjecti explere, etiamsi beneficiati sint et canonici : *Ibid.*, § 4.

Parochus nequit exercere sua jura super defuncto, cujus pater tempore illius mortis domicilium alibi transtulerat : *Macer., Jur. par.*, 14 *mart.* 1778, § 8.

Ad parochum spectat funeribus interesse illorumque ordinem disponere : *And.*, 21 *apr.* 1763, § 6.

Exigere quartam funeris aliaque emolumenta parochialia, celebrare pro populo, libros parochiales et sigillum retinere, et expensas subire pro curæ administratione necessarias : *Ibid.*

Bonum jus parocho quoad funus resultat ex cap. 10, *de Sept.*, et cap. 1, eod. tit., in 6 ; in clem. 2, eod. tit.; Concil. Trid., cap. 13, sess. 24, et cap. 13, sess. 25, *de Reform.* : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 19.

Et quidem cum exclusione ecclesiæ cathedralis nominatim quoad jus tumulandi : *Ibid.*

Functiones parochiales ad solum parochum pertinent : *Aven., Jur. par.*, 1 *mart.* 1766, § 9.

Inter has præcipuas est aspersio cadaveris antequam de domo elevetur, et præcentio antiphonæ *Si iniquitates* : *Ibid.*

Et id habet locum licet capitulum metropolitanæ adsit, ex cujus præsentia parochorum jura non imminuuntur : *Ibid.*

Postquam cadaver ad ecclesiam cathedralem delatum est, nullum jus parocho competit faciendi officium, vel alias funebres functiones super eo peragendi : *Fav., Fun.*, 3 *apr.* 1775, § 7.

Solus parochus jus habet interveniendi ad funera, et dum cura habitualis residet penes capitulum, vel collegium, ille duntaxat a funeribus excludi nequit, qui actualem curam pro collegio exercet : *Null. seu Subl., Fun.*, 25 *apr.* 1761, § 2.

Parochus potest ingredi ecclesias regularium cum stola et cruce, cum actus hujusmodi nullam præ se ferant jurisdictionem : *Senog., Præe.*, 27 *mart.* 1784, § 2.

Etiam occasione funerum, dummodo nullum officium super cadavere peragat : *Ibid.*, § 3.

Licet aliquæ functiones non recenseantur inter jura parochialia, tamen pertinet ad functiones parochiales : *Sutr. seu Nep., Par.*, 20 *jan.* 1787, § 9.

Ritus omnes, benedictiones et functiones quæ referuntur in Rituali, spectant ad rectores, seu ad eos qui curam animarum habent : *Burgi S. Dom., Visit. SS. LL.*, 26 *apr.* 1788, § 2.

Administratio prædii empti ex pecuniis ecclesiæ relictis exerceri a communitate illius ecclesiæ patronæ non debet, sed parocho tribuenda est, qui uti rector ecclesiæ de jure habet intentionem fundatam pro consecutione omnium spiritualium obventionum, quæ illi offeruntur : *Fan., Ex. decr. S. visit.*, 30 *maii* 1761, § 2.

Nequaquam obstat ejusdem parochi amovibilitas, quæ illi non adimit bonorum ecclesiæ administrationem : *Ibid.*

Quum præsertim amotio parochi fieri non possit, inconsulto Episcopo : *Ibid.*

Parochi non possunt in comitatu funerum ingredi ecclesias regularium cum stola et cruce erecta ; sed terminare debent preces comitatus ante januam ecclesiæ, ibidem dare ultimum vale : *Lun. Sarz., Fun.*, 16 *dec.* 1730, § 2.

Diversum est respectu capituli ecclesiæ cathedralis, quod ratione suæ prærogativæ potest ingredi ecclesias regularium cum cruce erecta : sed nullum funus peragere debet circa cadaver : *Ibid.*, § 3.

Id quod procedit de capitulo cathedralis, non procedit quoad capitulum collegiatæ : *Ibid.*, § 5.

Parochus solus esse debet in tota in exercitio functionum parochialium, absque eo quod quisquam alius in illis se ingerat, nisi de ipsius parochi licentia : *Aug.*, 7 *april.* 1731, § 5.

In iis vero quæ jura parochialia non respiciunt, sed pertinent ad functiones mere sacerdotales, nullum jus habet parochus, nec ejus requiritur consensus, licet ecclesiæ intra limites parochiæ sint erectæ : *Ibid.*, § 6.

Quænam sint jura parochialia, aut sacerdotalia, vide penes Monacell., part. 2, tit. 13, form. 1 : *Ibid.*, § 7.

Parochi duo unicam regere ecclesiam valent : *Sutr , Mis. pro pop.*, 16 *jul.* 1791, § 2.

Distincti censentur, ubi separatum habent gregem, et utrique applicare tenentur Missam pro populo : *Ibid.*

Distinctionis argumenta sunt, separata id est altaria SS. Sacramenti, fontes baptismales, repositoria olei sancti, et similia : *Ibid.*, § 3.

Singuli parochi distinctos libros parochiales retinere debent : *Ibid.*

§ IX.

Parochus quoad obventiones, emolumenta et fructus.

Parocho, qui parochialium redituum possessionem nactus est, fructus omnes atque obventiones ecclesiæ divisæ hactenus perceptæ debentur, cum fructus possessionem sequantur : *App., Dism.*, 25 *jan.* 1744, § 11.

Emolumenta parochialia dantur personæ quæ ipsam curam animarum exercet : *Urb.*, 10 *maii* 1766, § 4.

Parochus habet juris assistentiam pro omnibus oblationibus, quæ fiunt in ejus parochia, atque deberi oblationes, recollectas in capella sita extra

ecclesiam parochialem, dummodo sit intra parochiæ limites : *Ferr., Confr.*, 14 *sept.* 1782, § 6.

Et S. Congr. Rituum resolvit anno 1703 non posse parochum se immiscere in administratione oblationum et eleemosynarum in ecclesiis confraternitatum recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere : *Ibid.*, § 7.

Ex Tridentino debent Episcopi curare, ut ecclesiæ parochiales, quarum fructus sunt exigui, redigantur per unionem beneficiorum, decimarum assignationem, quæ decenter necessitati parochiæ sufficiant : *Sars., Oner.*, 30 *jul.* 1774, § 6.

Et si centum annuum valorem non excedant ecclesiæ parochiales, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur : *Ibid.*

Pingues reditus tunc dicitur parochus habere, quando ex iis posset juxta suam qualitatem commode se sustentare, licet præter honestatam conservationem parum aut nihil superflui superest : *Calag.*, *App. Miss. pro pop.*, 12 *dec.* 1767, § 10.

Tenues vero, quum non posset sufficienter et honeste se sustentare : *Ibid.*

Circa autem majorem aut minorem redituum quantitatem ad sufficientem conservationem necessariam non levis orta est dubietas : *Ibid.*, § 11.

Sed hæc sublata fuit a Bened. XIV, qui decernit ut reditus pingues minime dicendi sint, quibus gravia onera sunt adnexa : *Ibid.*

Inter parochi fructus de jure sunt recensendi omnes census, omnes bonorum rusticorum reditus, compendium animalium, omniaque emolumenta parochialia incerta : *Camer.*, *Rest.*, 17 *dec.* 1768, § 5.

Ac a statu activo perperam eleemosyna Missarum pro populo detrahitur : *Ibid.*

Parochus extra propriam ecclesiam nihil ratione majoris dignitatis, vel consuetudinis præter communem taxam prætendere potest : *Cæsen.*, 19 *jan.* 1765, § 32.

Ambigui juris non est parocho deberi oblationes omnes et obventiones, quæ fiant ecclesiæ aut capellis sitis intra fines ecclesiæ et parochiæ : *Rom.*, *Leg.*, 24 *aug.* 1754.

Soli parocho, non autem simplici coadjutori, congruant emolumenta stolæ, quæ parochialem denotant jurisdictionem : *Coss.*, *Dism.*, 22 *jul.* 1741, § 4.

Emolumenta baptismorum, in quibus parentes ampliore largitate erga parochum uti solent, ab Episcopo reservanda in erectione parochiæ in favorem cathedralis non sunt contra Conc. Trid., sess. 24, cap. 13, *de Refor.* : *Terr.*, *Dism. et Erect. par.*, 30 *jul.* 1785, § 32.

Parochus in exercitio curæ animarum detentus tanquam præsens haberi debet : *Macerat.*, 23 *febr.* 1771, § 8.

Non est præsumenda tenuitas redituum parochialium, nisi a parocho indubiis, perspicuisque monumentis probetur : *Nep.*, *Res. eccl.*, 31 *aug.* 1771, § 8.

Scientia tenuitatis redituum parochi detrimento ei esse nequit, ne congruam ferat : *Polic.*, 29 *febr.* 1744, § 4.

Parochus accipiendo duplicem portionem ex stipendio sacrorum taxato, vel a testatoribus, vel ab Episcopis illicitum quæstum omnino facit : *Bojan.*, 17 *sept.* 1757, § 2.

Et ideo gravibus pœnis vetitum decreto S. Congreg. Concilii edito auctoritate summi pont. Urbani VIII : *Ibid.*

Prohibitum est parochis pinguius emolumentum ad hæredibus defunctorum exigere, quando cadavera tumulanda sunt in ecclesiis extra parochiam existentibus : *Senog.*, *Fun.*, 11 *april.* 1739, § 2.

§ X.

Parochus quoad officium et onera in genere.

Doctores, spirituale conjugium asserentes inter parochum et ecclesiam, non loquuntur de stricto et indissolubili conjugio, cum eamdem loquendi formam inhibeant quoad canonicos et beneficiarios : *Ful.*, *Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 17.

Parochus seu rector ecclesiæ tam cathedralis quam parochialis tenetur per se ipsum explicare Dei evangelium inter Missam parochialem diebus festis : *Amer.*, *Visit. SS. LL.*, 10 *febr.* 1781, §§ 2 et 3.

Etamsi ista celebretur vel per suum substitutum vel per alium sacerdotem : *Ibid.*

Ratio ea est, quia instar Episcopi verbo et exemplo parochianis præesse, ac per se ipsum pascere gregem suum : *Ibid.*, § 3.

A quo munere proprio nec per Episcopum liberari potest, etiamsi vitæ periculum eidem imminet : *Ibid.*

Immo, si renuat, cogi potest ad implendum munus per se ipsum excepto casu legitimi impedimenti : *Ibid.*, §§ 3 et 4.

Parochus debet suas oves agnoscere, pro his sacrificium offerre; et Verbi prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, ac omnium pauperum curam paternam gerere : *Pis.*, 19 *april.* 1766, § 13.

Concil. Trid., sess. 24, cap. 7, *de Reform.*, parochis præcepit, ut dominicis aliisque diebus festis pios habeant sermones ad populum, quem in

parochiali ecclesia hac de re convenire mandavit : *Lun. Sarz., Celebr. Mis., 4 apr.* 1772, § 11.

Synodus Tridentina mandat, ut omnes quibus commissa est animarum cura, oves suas agnoscant, sacrificium pro iis offerant, prædicent verbum Dei, sacramenta administrant, ac pascant exemplo, et ad cetera munia pastoralia incumbant : *Calag. et Cal., Resid.*, 16 *jan.* 1740 ; *Tybur., Ind.*, 7 *sept.* 1737, § 2.

Et hoc implere nequeunt illi qui more mercenariorum gregem suam deserunt : *Ibid.*

Evangelii Dei explicatio munus est parochi, qui per se ipsum tantum tenetur implere : *Amer., Vis. SS. LL.*, 10 *febr.* 1781, §§ 3, 4.

Nec suppleri potest per explicationem sacræ Scripturæ, quæ fit a canonico theologo post vesperas : *Ibid.*, § 6.

Onus parochorum est diebus saltem dominicis, et festis solemnibus, docendi plebes sibi commissas ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et annuntiare cum brevitate et facilitate sermonis vitia quæ declinare, et virtutes quas sectari oporteat : *Ferr., Doct. christianæ*, 21 *jul.* 1742, § 7.

Parochis præcipue injungitur a Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 4 et 7, *de Reform.*, onus edocendi pueros rudimenta fidei, vim, et usum sacramentorum explicandi : *Fulg.*, 3 *jul.* 1784, § 22.

Parochus congrue provisus vel parochialem domum ære suo construere, vel in parœcia conducere tenetur : *Firm.*, 24 *maii* 1788, § 5.

Munus parochiale parochis inhærens æquitati maxime consonum est, ut ipsi per se ipsos, et non per alios onus Missæ statuta die celebrare, et subire teneantur : *Nov.*, 14 *maii* 1768, § 6.

Eo magis, si proveniat vigore transactionis, quia sublato personali onere ex eodem nihil utilitatis reportasset altera pars, quod est contra transactionis indolem et naturam : *Ibid.*

Jure divino mandatum est animarum pastoribus, salutaribus præceptis oves suas instruere, et pro his Sacrificium offerre : *Ovet., Mis. pro pop.*, 22 *jan.* 1774, § 2.

Ex quo, intelligitur, non solum eis injuncta est celebratio Missæ, sed etiam applicatio : *Ibid.*

Et satis est ut applicent in dominicis aliisque festis diebus : *Ibid.*, § 3.

Curatus hebdomadarius sanctum Evangelium, verbumque Dei in Missa populo annuntiare debet : *Neap., Jur. par.*, 6 *mart.* 1700.

Omnes qui parochiales ecclesias quocumque modo obtinent, debent diebus saltem dominicis, et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro suo et earum ingenio pascere salutaribus verbis denuntiando vitia quæ declinare, et virtutes quas sectari oporteat : *Cam.*, 26 *jan.* 1726, § 6.

Parochi per nominationem alterius ad examen simplex instituuntur : *Sutr., Mis. pro pop.*, 16 *jul.* 1791, § 5.

Parochus potest cogi ad novum examen, quia ejus scientia minui potest die procedente, et ingravescente ætate : *Sed.*, 29 *jul.* 1775, § 9.

Quilibet parochus, qui aliquo legitimo non sit impedimento detentus, nec in parochialibus exercitiis occupatus, teneri per se ipsum animarum curam exercere, et potissimum morientibus parochianis assistere : *Rip.*, 20 *jan.* 1776, § 6.

Quum reditus parochiæ impares sint ære alieno dissolvendo, parochus vexari nequit de restauratione parochialis domus, ac de ecclesia, sacrario, et turri sacra, et similibus : *Macer.*, 24 *mart.* 1787, § 3.

Quia tenuissimi parœciæ reditus sunt dictis expensis inæquales : *Ibid.*, § 4.

Parochus, qui vix habet reditus sufficientes pro congrua, non tenetur ad reædificationis ecclesiæ parochialis expensas : *Spir., Reæd. eccl.*, 30 *maii* 1761, § 3.

Quando desunt parochi, et societates, ac nulli sunt fabricæ reditus, et parochiani sunt pauperes, beneficiati munus est tum restaurandi ecclesiam, tunc cuncta ea parandi quæ divinum cultum respiciunt, et servitio ecclesiæ opportuna sunt : *Spol., Restaur. eccl. par. et SS. supp.*, 19 *febr.* 1780, §§ 4 et 5.

Prout tenetur ipse beneficiatus conferre et renovare sacra supellectilia : *Ibid.*

Eoque recusante, sub sequestro detineri possunt fructus præbendæ, seu beneficii : *Ibid.*

Nulla eidem relicta congrua, si non resident, servitium ecclesiæ non præstet, et pauper non sit, quia fructus alterius præbendæ percipit : *Ibid.*

Parochus eodem jure quo tenetur ad ecclesiæ reparationem, tenetur ad domus parochialis instaurationem : *Camen., Rest.*, 17 *dec.* 1768, § 7.

Parochus non tenetur in functionibus ecclesiasticis invitare sacerdotes parochianos prælative ad exteros : *Cæsen.*, 19 *jan.* 1765, § 33.

Omnes parochi ratione parochialitatis tenentur ad solutionem cathedratici erga Episcopum in signum subjectionis : *Mis., Aquip. cath.*, 20 *dec.* 1766, § 6.

Idque innovatum est in concilio Romano : *Ibid.*

§ XI.

Parochus quoad matrimonia.

Non solum Episcopis, sed parochis tributa est a sacro Concilio Trid., sess. 24, cap. 1, facultas

aliis sacerdotibus mandandi potestatem conjungendi in matrimonium, et conferendi baptismum in quavis civitatis ecclesia sibi magis benevisa : *And.*, 20 *dec.* 1766, § 22.

Non vero vicario curato ecclesiæ coadjutricis unicæ parochialis civitatis : *Ibid.*

Parochus idcirco tradit valide licentiam celebrandi matrimonium coram quocumque sacerdote non solum extra fines propriæ parochiæ, sed etiam extra diœcesim : *Neap. seu Put., Matr.*, 13 *jul.* 1734, § 14.

Parochus assistens matrimonio absque denunciationibus triennem incurrit suspensionem ob officio : *Anc., par.*, 18 *mart.* 1797, § 24.

Reliqua. Vide *Matrimonium* §§ xxvii, xxviii, xxix, xxx.

§ XII.

Parochus quoad præcedentiam.

Parochus in sua ecclesia omnes et etiam canonicos præcedere debet : *Macer.*, 23 *febr.* 1771, § 6.

§ XIII.

Parochus proprius seu domicilii.

Parochus carceris ubi aliquis, custodiæ tantum causa, non pœnæ, sive perpetuæ, sive temporalis, detinetur, non dicitur proprius : *Reat., Null. matr.*, 11 *dec.* 1756, § 2.

Reliqua. Vide *Matrimonium*, § xxx.

§ XIV.

Parochus quoad remotionem et privationem.

Parochus imperitus ab exercitio curæ animarum est removendus : *Sed.*, 29 *jul.* 1775, § 8.

Parochus inhoneste vivens privandus est ecclesia parochiali : *Bur. S. Domn., Par.*, 4 *maii* 1737, § 3.

Concubinatus quicumque non recensetur inter causas graves, quæ requiruntur ad removendum perpetuo parochum a sua parochia : *S. Sever.*, 4 *apr.* 1778, § 6.

Focnicatio quæcumque non enumeratur inter graves causas quæ concurrere debent ad privandum perpetuo parochum propria parochia : *Ibid.*

Ad privationem parochi constare debet de inhonesta consuetudine obdurato corde protracta : *Crac., Par.*, 10 *febr.* 1770, § 8.

Parochus si in munere suo imbuendi pueros præceptis rudimentisque christianæ legis deficiat, ab exercitio curæ suspendi potest, vel eligi ab Episcopo sacerdos idoneus qui impensis parochi pueros doceat, non autem cogi ut divinis parcat : *Lipar., Null. susp.*, 11 *maii* 1748, § 1.

Privatio parochi concludentem probationem causæ requirit : *Per., Rem. vic. cur.*, 26 *sept.* 1795, § 4.

Et parochus injuste privatus redintegrari ad possessionem parochiæ debet : *Ibid.*, § 5.

Eique præstari, quod interest, privatum non fuisse parochiæ : *Ibid.*

Si decretum contra privationis est justum, locum non habet redintegratio ; neque refectio damnorum, et interesse : *Ibid.*

Procedi non potest contra aliquem ad pœnam privationis, quæ non infligitur, nisi univocæ afferantur et concludentes delictorum probationes : *Crac., Par.*, 10 *feb.* 1770, § 8.

Nullomodo ad privationis pœnam procedi potest, etiamsi crimina legitime probarentur, cum privationis locus esse nequeat, nisi in casibus a jure expressis : *Ibid.*, § 9.

Quum agatur non de privando, sed de repellendo parochum, sufficit diffamatio, nec requiruntur probationes concludentes, sed leviores : *Imol., Par.*, 28 *mart.* 1722, § ult.

Parochus, quum renuit se subjicere novo examini, potest ab Episcopo suspendi ab officio et exercitio curæ : *Caput.*, 2 *april.* 1729, § ult.

In eo conveniunt doctores, neminem post adeptam beneficii possessionem ex sola parochianorum aversatione removeri posse, nisi ea justa et legitima causa, hoc est pravis illius moribus fuerit innixa : *Jan.*, 10 *sept.* 1735, § 5 ; *Reat., Par.*, 3 *sept.* 1740, § 4.

Sed ad summum, si populi offensiones et rixæ in populo inde evenerint, et graviora ita in posterum timeantur, ut parochus nequeat amplius animarum saluti eo in loco proficere, debet removeri, priori dimisso beneficio : *Ibid.*

Attamen si qui sint populo invisi, nullamque, vel saltem nondum pacificam parochialis beneficii possessionem obtinuerint, provide factum videtur, si animarum cura iis minime committatur, ne ex ipsorum odio gravia forte incommoda generentur : ead. *Reat., ibid.*

Adeo ut sufficiens judicetur impedimentum quominus alicui parochialis conferatur ecclesia, indignatio, ac malevolentia populi, etiamsi minus justa et irrationabilis dignoscatur : *Ibid.*

Ex dispositione Tridentina immutato veteri jure, liberum est Episcopis, vel gradatim contra non residentem procedere, suo sequestro ponendo scilicet, et subtrahendo fructus, inde privationem infligendo, vel statim aut lapso tempore præstituto, immediate ad privationem parochiæ procedere : *Tuder., Par. sup. priv.*, 9 *febr.* 1754, § 3.

Neque cogendus est Episcopus ad matrimonium sacrum constituendum parocho parochiæ privato, vel conferendum beneficium ecclesiasticum, quando constat ipsum sua culpa, et voluntario facto non residendi causam dedisse privationi parochiæ, et consequenter amissioni sui beneficii, ad cujus titulum ad sacerdotium fuit promotus : *Ibid.*

Parochus removeri nequit, nec a cura animarum dejici, nisi per citationem monitus sit : *S. Sever.*, 4 *apr.* 1778, § 5.

Diffamatio ejusdem procedens ex ore calumniantium apte non dicitur ad illum removendum : *Ibid.*, § 9.

Ac si remotus seu dejectus, tunc spoliatus dicatur, adeoque reintegrandus ad suam ecclesiam venit, remoto œconomo interea delecto : *Ibid.*

Ut ejus remotio sustineatur, requiritur gravis causa, et satis urgens : *Ibid.*, § 6.

Incontinentia, vel inhonesta conversatio, vel etiam fornicatio, et concubinatus non recensentur inter causas graves : *Ibid.*

Sed ter moneri oportet ; itemque parte fructuum privari debet : *Ibid.*, § 8.

Nisi hæc omnia a jure canonico recensita serventur, irrita efficitur perpetua parochi remotio : *Ibid.*

Sin autem parochus, et monitus, et fructibus privatus in sua malitia turpiter et scandalose perseverat, illico removendus : *Ibid.*, § 15.

Omitti non debet ad legitimam privationem parochiæ trina monitio : *Per., Rem. vic. cur.*, 26 *sept.* 1795, § 2.

Trinam canonicam monitionem requiri ad removendum parochum apud suum gregem diffamatum negatur, sed illico amovendus est, ne ex diffamatione pastoris totum ovile corrumpatur : *Crac., Par.*, 10 *febr.* 1770, § 11.

Parochus amovibilis non potest inconsulto Episcopo amoveri : *Fam., Exeq. decr. S. Visit.*, 30 *maii* 1761, § 2.

Limita : si contrarium cavetur in lege fundationis ecclesiæ : *Ibid.*, § 4.

Quo casu a patrono laico fit amotio parochia vicario nomine Episcopi : *Ibid.*

§ XV.

Parochus quoad renuntiationem.

Qui animarum curam gerit, tametsi omnino irreprehensibilis et innocens foret, cogendus est adhuc ab ecclesiæ regimine se abdicare, alioque congruo beneficio in prioris vicem commutato contentum esse, si aliter bono pacis, et spirituali ovium suarum periculo consuli nequaquam possit : *Eyst., Perm. par.*, 21 *jul.* 1742, § 8.

§ XVI.

Parochus quoad residentiam et absentiam.

Lex residentiæ parochi non est rigide adeo ac veluti materialiter accipienda in ambitu suæ parochiæ, ut non sufficiat ex probabilibus causis ab ea ita parum abesse, ut nihil inde animarum cura detrimentum patiatur : *Tyb., Res.*, 29 *jul.* 1786, § 2.

Sacri canones, et Concilium Tridentinum, dum residendi legem omnibus animarum pastoribus vel indixere, vel a juris divini principiis derivatam commendarunt, non ad materialem, sed ad utilem, operosamque residentiam attenderunt : *Ibid.*, § 5.

Arctam et præcisam esse legem parochis indictam sua in parœcia residendi ex ipsis agnoscitur verbis Concil. Trid., sess. 23, cap. 1, *de Reform.* : *Ibid.*, § 6.

Et vigilantissimus Tridentini canonum executor S. Carolus Borromæus, licet permiserit in casu absolutæ necessitatis parocho domum extra parœciæ septa inhabitare, tamen pro regula statuit, ut si quis parochus etiam urbanus intra fines suæ parochiæ domicilium non habeat, domum conducat : *Ibid.*

Et Fagnanus docet sanctam esse quoad parochos residentiæ legem : *Ibid.*

Insuper parochus, licet intra septa suæ parochiæ ecclesiam haberet filialem, et opportunitatem ministrandi in ea, et ex ea sacramenta, non tamen ille potest prope hanc ecclesiam habitare, seque exemptum censere a duriori lege residendi in domo parochiali : *Ibid.*, § 8.

Et observantia quod attinet, præterquam ea in jure, non prodest : *Ibid.*, § 9.

Ex Tridentino omnibus mandatum est, quibus cura animarum data est, residere, et pro animabus commissis Sacrificium offerre : *Port., Visit. SS. LL.*, 18 *jul.* 1778, § 13.

Parochus residere tenetur apud suam ecclesiam : *Const., Jur. et Exem.*, 18 *dec.* 1762, § 2.

Parochus a residentia abesse potest, quando christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens ecclesiæ vel reipublicæ utilitas exigant : *Port., Vis. SS. LL.*, 18 *jul.* 1778, § 9.

Et ob ægritudinem Ordinarius ei licentiam potest concedere, assignata congruæ portione ex reditibus parochiæ idoneo vicario, qui interea Sacramentorum administrationi, et animarum curæ laudabiliter incumbat : *Ibid.*

Aeris intemperies non excusat parochus a residentia : *Calar.*, 8 *maii* 1762, § 2.

Licet non deficiant plures doctores, qui putant

aeris inclementia parochus excusare a residentia : *Ibid.*, § 4.

Si intra anni indulti a residentia spatium inimicitiæ nequiverint sedari, ac verisimils sit eas diutius protrahi posse, ne parochum perpetuo a sua ecclesia abesse contingat, neve spirituali animarum saluti, absque proprio pastore, grave aliquod obveniat detrimentum, modis omnibus iste licet innocens est inducendus ut parochialem libere resignet, aut eam cum alia permutet : *Tybur.*, *Ind.*, 7 *sept.* 1757, § 4.

Parocho cuilibet licitum est residentiam deserere, ut patrocinio litis sibi motæ invigilet : *Major.*, *Resid.*, 20 *dec.* 1738, § 2.

Et dissidia et inimicitiæ contractæ illi præstant justam causam ad residentiam non revertendi : *Ibid.*

Sed parocho prohibitum est causa litis a residentia abesse, nisi eadem lis mota fuerit super juribus parochiæ ; ita ut defensio in utilitatem ejusdem parochiæ ex natura rei, vel ex persona propria parochi cessura sit : *Ibid.*, § 3.

Parochus illiteratus, cui fuit coadjutor datus, tenetur residere, ne melioris sit conditionis parochi litterati : *Dub.*, *Jub.*, 24 *sept.* 1718, § 10.

Si parochialis ecclesia est unita præposituræ, vel alteri dignitati, residentia fieri debet apud præposituram tanquam dignitatem, sique sunt duæ ecclesiæ parochiales invicem unitæ, residendum est in magis digna ; sique una fuerit extra, et altera intra urbem, residendum est in ea quæ est intra : *Aquil.*, 2 *jun.* 1731, § 6.

Rectores animarum abesse a parochiali statione non debent ultra biduum sine licentia Episcopi, vel ejus vicarii generalis : et inobedientes mulctandi sunt ab Episcopis subtractione fructuum parochialium juxta tempus absentiæ : *Lar.*, *Decr. syn.*, 26 *januarii* 1732, § 11.

Qui parochialem habet ecclesiam, non per vicarium, sed per se ipsum illi deservire debet ; si autem dignitati, vel præbendæ parochialis ecclesia sit annexa, tunc qui talem obtinet præbendam, vel dignitatem, quum in majori deservire debeat, in ipsa parochiali ecclesia idoneum et perpetuum habere debet vicarium : *Aquil.*, 19 *jul.* 1732, § 3.

Quum ambæ ecclesiæ sint pares, ac parem residendi necessitatem imponant, prævaleat tamen, ac potior est illa quæ intra civitatem existit, præsertim si collegialitatis honore aucta, et dignitate archipresbyteratus insignita est. In hac itaque est potius residendum, quam in altera : *Ibid.*, § 4.

Doctores omnes conveniunt non posse itaque parochum parochiali sua ecclesia aufugere, plebemque sibi commissam relinquere, si contra ipsum, quam contra eamdem plebem gravis oborta sit inimicitia, et persecutio, ita ut omnibus commune impendat vitæ discrimen, nec alii reperiantur, qui toto possint gregi assistere, ejusque spirituali saluti invigilare : *Tybur.*, *Ind.*, 7 *sept.* 1737, § 2.

Æque tamen communiter receptum est, graves inimicitias a solo parocho cum barone loci, aut cum ipsomet populo absque sua culpa, et post adeptam parochialis ecclesiæ possessionem, contractas, justam ei præstare causam a residentia abscedendi, constituto vicario : qui ab Ordinario approbatus ea meliori, qua fieri potest, ratione spirituali animarum saluti occurrat : *Ibid.*

§ XVII.

Parochus quoad vitam et honestatem :

Parochi præsertim exemplo debent esse fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, atque attendere debent sibi, et doctrinæ, instantes in istis, ut, et se ipsos salvos faciant, et eos, qui se audiunt : *Assis.*, *Par.*, 27 *nov.* 1772, § 13.

Et juxta sacrorum canonum communem dispositionem, nonnisi præstantiores et digniores ad curam animarum sunt assumendi : *Ibid.*

De parochis scandalose viventibus S. Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 6, *de Refor.*, mandat Episcopis, quod eos, qui turpiter et scandalose vivunt, postquam præmoniti fuerint, coerceant, et castigent : *Cam. seu Fabr.*, 8 *maii* 1784, § 12.

Si adhuc sunt incorrigibiles, beneficiis juxta sacros canones privari possunt appellatione quacumque remota : *Ibid.*

PARTICIPANTES. Vide *Presbyteri*.

PARTICIPATIO. Vide *Presbyteri*.

Partus.

Legitimus et vitalis censetur partus nedum editus sexto, sed etiam quinto mense : *Nov.*, 2 *febr.* 1720.

PASCHALE PRÆCEPTUM. Vide *Præceptum paschale*.

PASSIVA VOCATIO. Vide *Juspatronatus*, § II.

Pastor, Pastores.

Dionysius papa I proprios cuique gregi constituit pastores : *Fer.*, *Matr. et Fon. bap.*, 18 *mart.* 1797, § 9.

Christus Dominus est pastor bonus, qui dat animam suam pro ovibus suis ; mercenarius videns lupum fugit, quum non sint oves propriæ : *Bric.*, *Trans. et Perm.*, 24 *jan.* 1767, § 12.

Plurium pastorum super indiviso grege aucto

ritatem et gubernium semper Ecclesia ægre et invita quodammodo toleravit : *Sutr. seu Nep., Par.*, 20 *jan.* 1787, § 5.

In Africano concilio, anno 418, expensus fuit casus, cum a Donatistis ad Ecclesiæ sinum rediret aliquis Episcopus in ea diœcesi in qua alius jam catholicus Episcopus fuerat subrogatus : *Ibid.*

Ita temperarunt Africani patres Ecclesiæ disciplinæ rigorem, quem Nicæna synodus invexerat, ex quo inspecto ejurantibus hæresim Episcopis presbyterorum honor duntaxat servabatur, noluerunt que hunc ut supra redeuntem Episcopum, sine honore, et jurisdictione esse in primæva sua diœcesi ; sed pari honore, et jurisdictione cum Episcopo subrogato : *Ibid.*

Sed ita, ut alia loca ad illum, alia ad alium pertineant, ita ut ille dividat, qui amplius temporis in episcopatu habet et minor eligat : *Ibid.*

Eamdemque rectorum super unico grege pluralitatem improbavit Tridentina Synodus sess. 24, cap. 13, *de Refor.*: *Ibid.*

Patentes litteræ. Vide *Litteræ*, § III.

Pater.

Pater dives tenetur alere filium fratris inopem : *Neap. seu Cons., Com. vol.*, 20 *mart.* 1734, § 8.

Pater illegitimus est contradictor validitatis matrimonii filii, ejusque voluntas non attenditur : *Taur., Matr.*, 26 *jun.* 1770, § 6.

Patri incumbit onus alimentorum et expensarum filiorum : *Benev., Matr.*, 20 *sept.* 1760, § 14.

Patrimonialia bona. Vide *Bona*, § IV.

Patrimonium clericorum.

Concil. Trid. præcipit ut in seligendis Ecclesiæ ministris non solum perspecta sit illorum pietas et scientia, sed insuper ipsorum decori consuluit voluitque ut congruum patrimonium haberent, ne in dedecus ordinis mendicare aut vile aliquod ministerium exercere cogantur : *Tusc.*, 5 *apr.* 1783, § 11.

Nulla ipso jure est quæcumque alienatio de bonis patrimonii sacri, inscio Episcopo facta, quamvis ordinatus de ecclesiastico beneficio fuerit provisus : *Ibid.*

Imo in Tusculana synodo anni 1753, disponitur, ut ordinandus juramento polliceatur se nunquam alienaturum, seu permutaturum patrimonium nisi subrogetur beneficium ecclesiasticum sufficiens : *Ibid.*, § 15.

Synodus Ariminensis statuit ut clericus cooptetur inter subdiaconos, si habeat vel beneficium vel patrimonium, quod demptis oneribus reddat 36 scut. annua : *Arim., Red.*, 13 *mart.* 1784, § 9.

Compertissimum est clericum non spoliari propter emissam retrocessionem, si Episcopi auctoritas desit, sed vigere ut antea patrimonium : *Asc., Cap.*, 2 *dec.* 1786, § 6.

Et si fuerit constitutum cum clausula : *Donec et quousque provisus fuerit de beneficio ecclesiastico æquivalente ;* et beneficium revera obtinuerit : *Ibid.*

Hoc tenet Rotæ Tribunal, quod amplexa distinctione inter voluntarias et necessarias patrimonii distractiones explicat dispositionem Concilii Tridentini in sess. 21, cap. 2, *de Refor.* : *Ibid.*, § 7.

Et concludit temporarias esse retrocessiones hujusmodi absque Episcopi auctoritate confectas, nec sacri patrimonii titulum extingui, sed ad tempus fructuum perceptionem suspendi, ita ut, amisso beneficio, pristina fructuum perceptio statim reviviscat : *Ibid.*

Patrimonii ecclesiastici titulus penes ignotus fuit in veteri Ecclesiæ disciplina juxta quam nemo ad sacros ordines promoveri poterat, nisi certæ ecclesiæ fuisset adscriptus, in qua et sacras functiones perageret, et ex ejus reditibus alimenta perciperet : *Monop., Don.*, 18 *nov.* 1768, § 14.

Incepit patrimonii titulus ex quadam apostolica dispensatione probari in concilio Lateranensi sub Alexandro III celebrato : *Ibid.*

Idem confirmavit Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 2, *de Refor.* : *Ibid.*

Patrimonium certum esse debet, in re scilicet immobili ac frugifera constitutum, nullo ære alieno gravatum, proindeque constitui nequit super obligatione personali solvendi clerico totum id quod pro congrua illius conservatione sufficiat : *Ibid.*, § 15.

Potest tamen assignari in censu perpetuo, vitalitio et officio vocabili : *Ibid.*

Ille qui titulo participationis ecclesiæ ad sacros ordines promotus fuit, sequitur ut reditibus illius, uti patrimonio sacro non possit privari : *Cap., Part.*, 5 *dec.* 1750, § 4.

Patrimonium debita ratione constitutum sine Episcopi licentia alienari prohibetur : *Alex., Susp.*, 31 *aug.* 1771, § 18.

Patrimonium subrogatur in locum beneficii, et ejus sapit naturam : *Sabin.*, 26 *aug.* 1791, § 3.

Patrimonium sacrum potest sub ea conditione constitui, ut clericus ad ejus titulum sacris initiatus teneatur illud dimittere, statim ac beneficium aliquod ecclesiasticum assequatur, vel aliunde subsidia ad congruam vitæ conservationem idonea obtineat : *Null. Ter. Pon., Cap.*, 28 *febr.* 1739, § 3.

Adveniente autem enuntiata conditione, patrimonium ad eum qui illud ita assignavit revertitur : *Ibid.*

Ad effectum constituendi sufficiens patrimonium in beneficio residentiali, non attenditur taxa loci originis, sed loci beneficii : *Rom. seu Sip.*, 23 *jul.* 1718, § 2.

Non admittitur supplementum ex bonis patrimonialibus, nisi ab Episcopo originis, ita ut, accedente utilitate et necessitate Ecclesiæ, ipse solus admittere valeat, ut pro adæquatione patrimonii sacri fiat unio bonorum patrimonialium cum beneficio : *Ibid.*, § 3.

Licet quis non possit ad sacrum ordinem promoveri ad titulum coadjutoriæ etiam cum futura successione, id tamen fallit, quando interim coadjutori assignata fuit congrua portio, et ille, qui sic ordinatur dicitur ordinari ad titulum pensionis ; *Elb., Dub.*, 2 *aug.* 1721, § 5.

Et titulus pensionis ecclesiasticæ est titulus sufficiens, ut quis possit sacros ordines recipere : *Ibid.*, § 6.

Pro ordinatione familiaris Episcopi sufficit, si Episcopus illi non beneficium, sed pensionem conferat : *Ibid.*, § 7.

Sed oportet ut familiaris triennale apud Episcopum servitium expleat, tam si beneficium quam si pensionem illi conferat Episcopus : *Ibid.*, § 11.

Episcopus qui ignorans qualitatem beneficii et reputans illud esse tutum et sufficiens ad ejus titulum aliquem ordinavit, non tenetur ex justitia contribuere pro conservatione ordinati, si beneficium illud fuerit ab alio subsequenter evictum : *Neap.*, *Cong.*, 28 *febr.* 1722, § 11.

Exoptabile est ut sacerdotes vivere possint independenter ab eleemosyna Missarum : *Disc. secr.*, § 11, 8 *aug.* 1722.

Non est ad sacros ordines promovendus aliquis licet idoneus, nisi constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere : *Ibid.*, § 4.

Constitutio patrimonii sacri præcedere debet nedum sacerdotium, sed etiam reliquos sacros ordines : *Spol.*, *Assig. patr.*, 14 *maii* 1763, § 5.

Nullo jure vetita est patrimonii assignatio pro minoribus ordinibus : *Ibid.*

Et testator, qui presbyteros dilexit in sua familia, verisimile est voluisse etiam præventivam patrimonii assignationem, in favorem clericorum de eadem familia, ut commodius vacare possent litterarum studiis, et se idoneos reddere sacris ordinibus : *Ibid.*, § 6.

Patrimonium semper in re stabili constituitur ac permanere debet ; hinc invalida est quæcumque distractio rei stabilis in patrimonium assignatæ, etiam reservato in favorem donantis usufructu vel annua responsione : *Monop., Don.*, 18 *nov.* 1769, § 6.

Patrimonii titulus, ac legis prohibitio de illius alienatione non cessat, nisi de expressa Episcopi licentia beneficiorum loco patrimonii subrogatum fuerit : *Ibid.*

In assignando titulo patrimonii onera Missæ ex reditibus beneficii, seu capellaniæ detrahi non debeant : *Alex., Susp.*, 31 *aug.* 1771, § 9.

Patrimonii constitutio ideo est demandata, ne promotus mendicare cogatur : *Ibid.*

Licet certa pro omnibus non sit taxa patrimonii sacri, sed ex consuetudine regionum vel synodali dimetiatur lege : *Firm., Red. Miss.*, 21 *jun.* 1794, § 3.

Talis tamen esse debet ut ad conservationem sufficiat ordinandi : *Ibid.*

An in casu constitutionis patrimonii sacri detrahenda sint onera Missarum ? hæc quæstio ex judicio S. Congr. Concilii remittenda est arbitrio Episcopi, qui juxta rerum locorumque circumstantias statuat, quidquid magis expedire judicaverit : *Fulg., Alt.*, 23 *jan.* 1773, § 7.

Patrimonium clericorum consistere debet in bonis stabilibus : *Alex., Susp.*, 11 *jan.* 1772, § 6.

Et sacri canones avi obligationem rejiciunt : *Ibid.*

Nequit constitui ex bonis quæ sita sunt extra diœcesim, quia jurisdictionem suam Episcopus in aliena diœcesi non exerceret : *Laur., Patr. sacr.*, 6 *dec.* 1749, § 1.

A valore beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur, detrahenda sunt onera extrinseca, pro quibus implendis opus est, ut beneficiatus aliquid impendat, et sic diminutionem patiatur de reditibus beneficii : *Disc. secr.* § 3, 8 *aug.* 1722.

Detrahenda non sunt onera intrinseca, quæ beneficiatus potest per se ipsum implere, dummodo onera illa exercitio clericali, et decori characteris congrua sint et proportionata, et pro ejus conservatione proficiant : *Ibid.*, § 2.

Cum hujusmodi sint onera missarum, sequitur quod a valore beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur, non sint detrahenda onera Missarum, sive beneficiatus teneatur celebrare per se ipsum, sive possit celebrare per alium, dum potens celebrare per alium celebrat per se ipsum : *Ibid.*

Patrimonium, ad cujus titulum aliquis est ordinatus potest de licentia Episcopi permutari cum aliis bonis liberis non minoris reditus aut valoris, sed Episcopus debet declarare bona ex permutatione acquisita esse subrogata in locum prioris patrimonii, ita ut deinceps alienari nequeant, nisi servata

forma a Concilio Tridentino præscripta : *Lanc.*, 9 *febr.* 1726, § ult.

Cum reservatione ususfructus liberum est devenire ad alienationem proprietatis patrimonii ecclesiastici absque Episcopi licentia : *Monop.*, *Don.*, 18 *nov.* 1769, § 8.

Patronus.

§ I.

Patronus in genere.

Quod major patronorum pars constituit dissentiente licet minore, validum est : *Firm. Emph.*, 21 *jul.* 1792, § 5.

Imo major patronorum pars trahit ad se minorem : *Ibid.*, § 6.

Ut quis patronus dicatur, eam ecclesiæ constituere debet dotem quæ non tantum fabricæ et supellectili ecclesiæ satis sit, sed quæ canonicis, ministris aliisque qui ecclesiæ inserviant, alere apta sit, secus benefactor dicendus est : *Savon.*, 8 *febr.* 1744, § 5.

Amplia, eodem nomine vocari qui aliquid tribuit, vel donat ecclesiæ illæ jam perfectæ et dotatæ, etiamsi contributio et donatio larga sit : *Ibid.*

§ II.

Patronus quoad alimenta.

Patrono et descendenti inopi ex canonica benignitate succurrendum est : *Null. S. Mich. de Clus.*, 2 *dec.* 1775, § 8 ; *Taur.*, 2 *mar.* 1776, § 9 ; *Caput.*, 13 *jul.* 1776, § 10 ; *Ascul., Disp.*, 30 *maii* 1786, § 3.

Per sacros canones conceditur patrono egeno alimenta ex reditibus piis percipienda : *Null. seu Far., Sub. dot.*, 2 *dec.* 1786, § 8.

Ac non solum pro se, sed etiam pro uxore, liberis ac familia : *Ibid.*

Neque pro testatoris tantum consanguineis jus hoc scriptum est, sed pro extraneis quoque patronis : *Ibid.*

Indubium est patrono pauperi alimenta ab ecclesia esse subministranda : *Burg.*, 16 *dec.* 1786, § 5.

Hæc autem alimenta non solum patrono pauperi, sed ejus quoque uxori et filiis præstanda sunt : *Ibid.*

Nec requiritur paupertas extrema, sed satis est relativa : *Ibid.*

Viam semper concessioni in titulum administrationis beneficii in favorem pauperis patroni stravit canonica æquitas, quæ patrono egenti alimentorum præstationem reservavit : *Aq.*, *Cap.*, 20 *jan.* 1787, § 4.

Et quanquam olim disceptatum fuerit an sociis a fundatore descendentibus tributum hoc beneficium esset, merito tamen placuit sanctionem canonis *quicumque*, licet de solis descendentibus loquentem in sensu demonstrativo accipere, et canonicam indulgentiam ad omnes patronos etiam extraneos a fundatore extendere : *Ibid.*

Et sicut jus præsentandi patronis omnibus etiam extraneis indubie competit, et processionis honor omnibus sine controversia patronis non invidetur, pari passu eodemque contextu jus alimentorum conceditur : *Ibid.*

Hinc Sacra Rota, discusso plenissime articulo, æquitatem *Canonis quicumque* de omnibus patronis etiam extraneis intelligendam esse definivit : *Ibid.*

Pro patrono inope scripta est canonica æquitas, sed trahi posse videtur ad hæredem fundatoris, qui ei assimilatur, ut alimenta scilicet, ex fructibus beneficii aut pii operis consequatur : *Forol.*, *Red. Miss.*, 7 *jul.* 1787, § 4.

Eo ipso quo ecclesia pauper non tenetur alter patronum pauperem, ita e converso, nec etiam patronus pauper adigi potest ut ecclesiam restauret, vel reædificet : *Cam.*, *Rest. eccl.*, 18 *sept.* 1779, § 2.

Patronus pauper jus habet adversus ecclesiam ad alimenta : *Firm.*, *Jurisp. sup. ex. lit.*, 18 *aug.* 1792, § 3.

Dubium est, an vero ad sumptus etiam privatæ litis : *Ibid.*, § 4.

A sumptibus quidem passivæ litis ad magis privilegiata alimenta inferri potest, non item contra : *Ibid.*

Patrono inopi descendenti a testatore succurrendum est ex reditibus beneficii : *Com.*, 11 *jul.* 1764, § 2.

Idque ex præsumpta mente fundatorum, qui suos filios vel nepotes egestate laboraturos, non prævideret, neque ut laborarent, permitterent : *Ibid.*

Et canonica æquitate alendus est pauper patronus ex fructibus beneficii, durante paupertate : *Coll.*, 9 *aug.* 1788, § 2.

Patrono indigenti congrua aliqua portio ex annuis reditibus beneficii præstanda est, quia is suæ consulat inopiæ : *Crac.*, *Un.*, 5 *dec.* 1739, § 2.

Patrono pauperi ex superfluis fructibus beneficii debentur alimenta : *Mont. Reg.*, *Cap.*, 7 *sept.* 1793, § 4.

Diuturna beneficiorum vacatio, et spiritualium fructuum perceptio per patronum laicum, dispositioni juris adversantur : *Ibid.*

Patronis etiam extraneis debita sunt alimenta : *Com.*, 6 *maii* 1719, § 6.

§ III.

Patronus quoad jus nominandi, præsentandi et tempus illud exercendi.

Jus nominandi corroboratur ex approbatione Apostolica, et ex observantia pacifica biscentum annorum, de cujus efficacia dubitari nequit, etiamsi ageretur de electione prælati regularis patrono vetita : *Rom.*, *Jur. nom. et acc. puel.*, 14 *febr.* 1761, § 4.

Patronus non cogitur ad expectandum, ut nominatus habilis fieret, sed liberum est devenire ad nominationem alterius subsidiarie vocati, atque etiam extranei, qui statim ecclesiæ inserviret : *Aret.*, *Disp.*, 20 *aug.* 1774, § 10.

Patroni qui pares habent voces, diversas nominare nequeunt personas : *Forol.*, *Cap.*, 25 *jun.* 1791, § 3.

Et præferri debet pauper : *Ibid.*, § 4.

Liberum est patrono extraneum nominare ad exclusionem clerici passivam suam nominationem proferre negligentis : *Reat.*, *Cap.*, 14 *maii* 1774, § 3.

Et dictus clericus jure passivæ vocationis potest adire antistitem, et absque ulla patroni nominatione beneficii institutionem efflagitare : *Ibid.*

Auferre nequeunt patroni jus ex nominatione quæsitum nominato ad beneficium : *Viter.*, *Ben.*, 18 *nov.* 1797, § 5.

Nominare patronus valet ad subsidia dotalia proprias filias, si requisitis polleant fundationis : *Luc.*, *Subs. dot.*, 27 *aug.* 1791, § 3.

Ac etiam mereri posset illorum cumulum, ubi relicta sint pauperibus incertis quibus nulla fit injuria : *Ibid.*

Præcedentia nominationis per sortem data æqualitatem ex lege turni requisitam inter patronos servat : *Fav.*, *Com. vol. et Appel.*, 18 *aug.* 1792, § 7.

Patronus etiamsi posset fundationis leges contemnere, et excluso idoneo, inhabilem præferre, numquam tamen potest fundatoris voluntatem pessumdare, neque alteri expresse vocato prejudicium inferre : *Perus. Cap.*, 14 *maii* 1774, § 4.

Patronis nullo jure, et posita nulla testatoris lege vetitum est, eosdem habere cumulativam plurium nominationem ; immo hæc a sacris canonibus, tanquam Ecclesiæ utilis, laudatur et approbatur : *Fan.*, *Cap.*, 26 *aug.* 1769, § 3.

Retractare valet patronus simplicem nominationem : *Recin.*, *Par.*, 12 *jul.* 1794, §7.

Facile admittenda non est beneficii devolutio in pœnam negligentis patroni : *Asc.*, *Benef.*, 17 *aug.* 1793, § 3.

Favendum potius patrono, quam impetratori beneficii est : *Ibid.*

Spes obtinendæ prorogationis impedit cursum termini ad nominandum beneficiatum ; dummodo honesta sit illius petitio : *Ibid.*, § 5.

Prorogatio facultatis nominandi, veluti relativa ad preces initium ducit a tempore in precibus expresso ; ne reddatur illusoria : *Ibid.*, § 4.

Prorogatio concessa post expiratum nominationis terminum inutilis est absque restitutione in integrum : *Ibid.*, § 6.

Nemo de genere vocatorum habet jus quæsitum ratione suæ actualis capacitatis, sed in facultate patroni præsentare etiam incapacem, dummodo ante institutionem fiat capax naturaliter, sive per dispensationem : *Trid.*, *Cap.*, 29 *aug.* 1761, § 7.

Hinc licitum est idoneos postponere, et inhabilem de genere vocatorum præsentare ad beneficium sub conditione obtinendi dispensationem : *Ibid.*

Patronus potest præsentare ad beneficium, ad quod sunt vocati clerici, vel qui intra annum clericatum assumere possit, posthabito clerico vel presbytero idoneo, laicum præsentare, qui ante institutionem fiat habilis jure ordinario, vel per dispensationem : *Faven.*, *Ben.*, 3 *julii* 1762, § 5.

Patronus laicus ad differentiam patronorum ecclesiasticorum non obstringitur digniores et magis idoneos ad aliquam dignitatem consequendam præsentare : *Olom.*, *Par.*, 6 *maii* 1741, § 3.

Pendente recursu ad superiorem, vel lite, tempus ad præsentandum non currit : *Mont. Alt.*, *Canon.*, 25 *apr.* 1789, § 6.

Puerulus qui passivam habet vocationem jam, ab ejus patre et patrono præsentatus, certum jus ad capellaniam quæsivit : *Firm.*, *Cap.*, 25 *apr.* 1789, § 5.

Ponderandum est, num concedenda sit prædicto administrationis gratia, quæ illud jus læderet ; seu permitti potius debeat præsentatio, institutio : *Ibid.*

Ad validitatem præsentationis non sufficit, quem tanquam patronum haberi, et in quasi possessione præsentandi reperiri, nisi de titulo ac jure docuerit : *Tol.*, *Can.*, 16 *dec.* 1769, § 16.

Et conciliaris dispositio procedit, quando controversia sit super libertate beneficii, non vero quando inter plures præsentandos quæstio oriatur super pertinentia patronatus, nam in hoc casu concilium nihil innovavit, et controversiæ definitio a juris dispositione pendet : *Ibid.*, § 17.

Collatio ex jure est nulla, quum anteverterit patronorum præsentationem : *Med. seu Nov.*, 16 *sept.* 1767, § 5.

Nec sustinetur ex jure devolutio, nisi doceatur casum devolutionis extitisse : *Ibid.*

Et nisi etiam probetur, patronos inexcusabili negligentia omisisse intra præstitutum tempus præsentationem : *Ibid.*

Præsentatio facta sub expressa conditione reportandi Apostolicam dispensationem efficit ut præsentatio suspensa remaneat usque ad tempus obtentæ dispensationis, et subsequens dispensatio ad tempus ipsum præsentationis retrotrahatur : *Senog., Can.*, 14 *maii* 1768, § 5.

Præsentatio præsbyteri idonei, non de alio verificari potest, nisi de eo, qui actuali sacerdotis dignitate præfulgeat : *Com.*, 10 *mar.* 1770, § 7.

Quum quis vix ultimi possessoris sequuto obitu protestationem emiserit, tale jus sibi quæsitum putat, ut nulla amplius indigeret patroni præsentatione : *Per., Cap.*, 14 *maii* 1774, § 3.

Præsentatio nulla non impedit secundum aliquos devolutionem ad Papam : *Mont. Alt., Can.*, 25 *april.* 1789, § 6.

Præsentatio inhabilis ad beneficium irrita ipso jure judicari debet : *Æsin., Cap.*, 20 *jun.* 1767, § 6.

Quum nihil ex actis curiæ Episcopus attulerit, sed omnia ex vaga fama, et suspicione dixit, quæ non sufficiunt, ut præsentatus a patrono laico rejiciatur : *Asc., Par.*, 15 *dec.* 1764, § 5.

Præsentatus a patrono laico suum jus, nisi per triplex examen reprobatus, nunquam amittit : *Ibid.*, § 8.

Præsentatus a patrono laico ab examinatoribus deputatis examinari, et non nisi idoneus repertus fuerit, admitti debet : *Ibid.*, 9.

Et licet Episcopo præsentatum a patronis, si idoneus non fuerit, repellere : *Ibid.*

Nullum patronis ex lapsu temporis ad præsentandum infertur præjudicium, si diligentias adhibuerint ut clericum invenirent, qui beneficium acceptaret : *Mant.*, 24 *febr.* 1720, § 5.

Devolutio supponit culpam et negligentiam inexcusabilem patroni, et pro regula datur, quod unumquodque non improbabile impedimentum præservat jura patroni a devolutione ad superiorem : *Ibid.*

Doctores docent, nullum regibus currere tempus ad præsentandum, quia semper supponitur eos esse probabili detentos impedimento : *Ibid.*, § 6.

Indubii juris est in patronatum etiam laicorum, si patronus sinit legitima ad præsentandum labi tempora beneficii collationem ad Sedem Apostolicam devolvi : *Asc.*, 6 *maii* 1786, § 10.

Et finito termino absque eo quod vel novus impetraretur, vel ad actum præsentationis patronus deveniret, vires resumit inducta a jure ad Sedem Apostolicam devolutio, nullamque merentur censuram litteræ Apostolicæ ab aliquo impetratæ : *Ibid.*, § 11.

Patronus se ipsum præsentare ad beneficia prohibetur : *Nep.*, 17 *jun.* 1785, § 3.

Jus nominandi patrono cadit post lapsum quadrimestre : *Baln.*, 8 *jul.* 1775, § 10.

Quando agatur de jurepatronatus laicali, licitum est patrono variare ante institutionem : *Asc., Par.*, 30 *jul.* 1763, § 4.

Patrono datur facultas intra quadrimestre, variandi ab electione jam facta : *Urb., Can.*, 10 *jan.* 1778, § 5.

Nec eam impedit appellatio a jam nominato interposita : *Ibid.*

Negligentium patronorum voces, aliis accrescere patronis : *Firm.*, 18 *jun.* 1790, § 9.

§ IV.

Patronus quoad jura et potestatem.

Patronis non est de jure permissum se immiscere in administratione bonorum ecclesiæ patronatæ : *Alip., Red. rat.*, 3 *dec.* 1718, § 4.

Patrono prohibetur onera in fundatione non expressa superaddere : *Mac., Resig. ben.*, 8 *aug.* 1778, § 6.

Nulla gratia nullave ordinatio, quæ super capellania, beneficio vel legato pio fieri contingat sine consensu et approbatione patroni, alicujus momenti est : *Rom. seu Præn., Leg.*, 6 *jul.* 1737, § 3.

In jure patronatus hæreditario quilibet ejus possessor censendus est jure primi fundatoris in præjudicium suorum hæredum : *Fan. Perm.*, 20 *jul.* 1786, § 6.

Patronus committens Missarum celebrationem non potest sibi retinere partem eleemosynæ, quam celebranti dandam præscripserat testator : *Civit. Cast., Elee. Miss.*, 29 *april.* 1780, § 5, seq.

Recte possunt patroni donationis titulo patronatum in alium transferre : *Padeb., Ap.*, 21 *nov.* 1772, § 9.

Et dissensus Episcopi injustus non tam spernendus quam moderandus, et supplendus est a superiore : *Ibid.*

Patronus qui simul sit administrator impedire valet quominus alienatio fiat fundi administrati eo dissentiente : *Anc., Vend.*, 21 *apr.* 1792, § 3.

Alienare nequit patronus fundum capellaniæ, aut pii legati, in quo dominium non habet : *Asc.*, 5 *jun.* 1790, § 4.

Nec facile ei tribuitur hujusmodi facultas ex paupertate, cui succurri solet ex fructibus : *Ibid.*

Reintegrari debet patronus de meliorationibus factis in fundo capellaniæ : *Ibid.*

Patronus immutare nequit qualitates beneficii nisi augeat dotem, et consensus accedat Episcopi : *Senog., Can.*, 11 *maii* 1793, § 9.

Dissensu patroni, quum sit irrationabilis, pro commutatione voluntatis spernendus est, eique anteferenda diœcesis utilitas, atque necessitas : *Pad., App.*, 21 *nov.* 1772, § 4.

Patroni valent in perpetuum capellaniam manualem commutare, neque eorum factum hæredes valent impugnare : *Fan., Cap.*, 7 *maii* 1791, § 8.

Patroni nullam habent potestatem super bonis ecclesiæ, solumque valent se opponere ne illa dissipentur aut sine causa distrahantur : *Pist. seu Pr., Emp.*, 21 *nov.* 1761, § 6.

Non potest patronus derogare de legibus certis a fundatore constitutis in aliorum favorem : *Nep., Cap.*, 23 *mar.* 1765, § 3.

Illud variare non potest, quod jus primo nominato auferat : *Ibid.*, § 4.

Multoque magis dum patronus variat re non integra, et præsentatus Pontificem adivit : *Ibid.*, § 5.

Patronus vero laicus potest variare in præsentatione : *Ibid.*, § 8.

Videndum an intelligitur de variatione, quam dicunt *cumulativam*, nempe de adjungendo alium, firma priori nominatione manente : *Ibid.*

Id videtur inductum pro ecclesiæ bono, ut inter plures dignior possit eligi : *Ibid.*

Si agatur de functionibus quæ peragi possunt in altari absque ulla ecclesiæ servitute, ut est Missarum celebratio sine cantu, tunc capellæ patronus illas explere non prohibetur : *Forol.*, 21 *aug.* 1784, § 8.

Secus tamen si agatur de functionibus publicis, qui in tota ecclesia servitutem inducunt ; eo enim casu requiritur consensus rectoris ecclesiæ : *Ibid.*

Beneficii erigendi fructus patronus non facit suos : *Viter., Erect. cap. et App. fruc.*, 28 *maii* 1796, § 6.

Quando bona sunt capellano relicta, patroni honorificum duntaxat habent jus, nec quidquam ex reditibus capellaniæ percipere valent : *Rip., Bap.*, 16 *apr.* 1791, § 5.

Si patroni negligant deputare capellanum etiam laicalis capellaniæ, provisio ejusdem devolvitur ad Episcopum : *Ibid.*, § 8.

Et patronis laicis quadrimestre datum ad nominandum locum non habet in capellaniis laicalibus : *Ibid.*

Et alii a jure nominandi in eo tantum casu cadere possunt, si constituti fuerint in mora : *Ibid.*

Propria auctoritate nunquam licet patronis perpetuæ capellaniæ bona stabilia pro libito alienare : *Asc., Cap.*, 2 *dec.* 1786, § 8.

Quanquam laicalis sit capellania non beneficium ecclesiasticum, non censetur tamen laicalis respectu materiæ, quæ est ecclesiastica : *Ibid.*

Præsertim si patroni non sint fundatoris hæredes, sed hæres fuit pium opus, scilicet ipsa capellania : *Ibid.*

Ex juris dispositione prohibentur patronis retinere in eorum capellis sedilia et scamna, quæ impedimento sint divinis : *Alatr.*, 7 *jul.* 1787, § 3.

Patronis in sequelam jurispatronatus debetur retentis nedum clavium ecclesiæ, sed etiam clavium SS. reliquiarum, imaginum, oblationum et eleemosynarum quæ ipsis imaginibus fiunt : *Forol.*, 28 *jul.* 1787, § 3.

Canonicæ non vetant leges ne unam vel plures SS. reliquiarum claves patroni laici retineant : *Ibid.*

Accedit, dum est de consuetudine retinendi SS. reliquiarum claves jus a patronis laicis : *Ibid.*, § 4.

Maxime si de reliquiis agatur patroni civitatis : *Ibid.*

Nec obstet si expressa adversatur S. Congr. Episcoporum et Regularium lex in qua sancitur quod claves reliquiarum non debent remanere apud seculares : *Ibid.*, § 6.

Quia una huic legi est limitatio, si laici ex consuetudine claves retinerent per modum simplicis custodiæ et assistentiæ : *Ibid.*

§ V.

Patronus quoad onera.

Verus et legitimus patronus, utpote filius, et hæres nominantis ejus factum servare tenetur : *Firm. Cap.*, 23 *april.* 1735, § 5.

Patronus administrator reddere tenetur rationes interesse habentibus et Episcopo : *Pont. Cur., Jur. et Adn.*, 23 *nov.* 1793, § 2.

Ecclesiarum conservatio patrono incumbit : *Nusc.*, 14 *apr.* 1764, § 5.

Patronus reparare ecclesiam deficiente ejus reditu tenetur : *Civit. Cast.*, 16 *aug.* 1794, § 3.

Patronus etiamsi nullos ex ecclesia fructus percipiat, tenetur succurrere ecclesiam pro ejus reparatione, quoties eadem ecclesia propter suam inopiam per se ipsam suis expensis reparari non possit : *Cam., Rest. eccl.*, 30 *jan.* 1779, § 7.

Patroni, qui reditus congrui pro dote beneficiorum assignaverunt, compelli nequeunt ad repa-

randam ecclesiam in qua jurepatronatus beneficia conferunt ; bene vero hoc spectat ad rectorem, eosdemque qui ea beneficia obtinent : *Null. seu Salm., Rep. eccl.*, 11 *jul.* 1750, § 3.

Patronatus ecclesiæ differt a patronatus beneficiorum in ecclesia : *Ibid.*

Onus reparandi et ornandi altare, veluti adnexum juripatronatus, de jure est patroni : *Null. Farf., Susp. Miss.*, 14 *jan.* 1792, § 2.

Nempe patroni et alii qui fructus aliquos ex ecclesiis dirutis provenientes percipiunt : *Ibid.*, § 3.

Et concurrere debent in expensam reparationis, quando fabricæ reditus deficiunt : *Ibid.*

Nam æquum non est ut reparationis onus in unum refundatur patronum, qui nullum ex beneficio percipit fructum : *Ibid.*

Nonnulli doctores contrarium sentiunt, quando nulla ab initio per fundatorem constituta fuit dos pro manutentione fabricæ : *Ibid.*

Quum loco fructuum sint jurispatronatus honorificentia et jus ad alimenta ex reditibus beneficii in casu inopiæ : *Ibid.*

Patronus, si capella reparatione vel nova indigeat constructione, tenetur omnes expensas subire, quæ pro hujusmodi constructione vel reparatione necessariæ forent : *Bal.*, 29 *nov.* 1783, § 10.

Patronus ab initio fundationis tenetur conferre dotem, quæ pro omnibus capellæ indigentiis sufficiat, et sic etiam pro reparatione et fabrica : *Ibid.*

Et si ab initio dos non fuerit sufficiens onus habet suis sumptibus reparandi, et reædificandi, cum hæc obligatio patronatui sic infixa : *Ibid.*

Et patronatus prædicta onera subire debet, etiamsi non habeat jus præsentandi, sed tantum jura honorifica : *Ibid.*, § 11.

Et S. Congr. Episc. et Reg. definivit, patronis capellarum et altarium, quæ essent inortata vel reparatione indigerent, præfiniendum esse terminum ad faciendas restaurationes, et si post tertiam monitionem id præstare detrectent, sit in facultate Ordinarii vel superiorum ecclesiarum dictas capellas aut altaria destruere, vel aliis concedere : *Ibid.*, § 12.

Si autem ecclesia propter nimiam vetustatem reparatione vel nova reædificatione indigeat, vel magis ampla fieri vult, patronus cogi nequit ad expensas subeundas : *Ibid.*, § 13.

Unanimis est doctorum sententia patronum teneri ad omnia altaris, capellæ aut ecclesiæ, onera subeunda : *Null. S. Ard., Cap.*, 30 *maii* 1772, § 7.

Et ratio est, quia æquum est, ut qui commodum sentit juris honorifici, onerum quoque incommodum sentiat : *Ibid.*

Inter onera recensetur illud restaurandi altare seu capellam, vel ecclesiam, ac etiam a fundamentis extruendi, si aut collapsa fuerint, aut ruinam minentur, et sufficienter dotandi atque de omnibus necessariis ad divinum cultum sacraque peragenda providendi : *Ibid.*

Hinc altaria, quæ ornamentis et dote carent, possunt ab Episcopo destrui vel aliis etiam concedi, si post tertiam monitionem et termini præfinitionem, patroni id præstare negligant aut recusent : *Ibid.*, § 8.

Et id procedit etiamsi in fundatione sufficiens dos fuerit a patrono constituta, et deinde decursu temporis imminuta, aut penitus perierit : *Ibid.*

Sed ab hac regula generali receditur, ubi adsit contraria consuetudo, et tunc inhærendum est consuetudini, et cogenda est ecclesia ad altaris manutentionem : *Ibid.*, § 9.

Et altera limitatio regulæ est, si patronus ab initio dotem ita conspicuam assignaverit, ut ea conservationi capellani, et capellæ manutentioni sufficeret : *Ibid.*, § 10.

In illo casu, nisi contraria urgeat consuetudo, aut certa, aut distincta redituum portio fuerit pro capella designata, adigi capellanus poterit ad illius manutentionem : *Ibid.*

Ratio est quia beneficiatus et capellanus æquiparantur usufructuario : *Ibid.*

Usufructuarius vero ad bonorum conservationem tenetur : *Ibid.*

Patronus unice tenetur ad ecclesiæ dotationem ex lege fundationis ob dotem nondum præstitam : *Fan., Exeq. decr. sacr. visit.*, 22 *nov.* 1760, § 2.

Taxativa qualitas sorti assignatæ in fundum capellaniæ eximit patronum ab eo supplendo : *Nov., Red.*, 19 *jun.* 1783, § 6.

Patronus adigi debet ad fructuum restitutionem a die vacationis beneficii, utpote quia illos injuste, et mala fide perceperit : *Reat., Cap.*, 14 *maii* 1774, § 5.

Pauper.

Pauper dicitur quisquis non habet competitorem magis pauperem : *Jan., Cap.*, 30 *jan.* 1762, § 4.

Pauperi parochiæ succurrendum est : *Mont. Fal., Red. Mis.*, 17 *sept.* 1791, § 6.

Et succurrendum est vigore Trid., sess. 21, cap. 5, sess. 24, cap. 13, *de Refor.* : *Senog.*, 20 *mart.* 1790, § 3.

Ad succurrendum unius parochiæ inopiam permittitur illius unio alteri viciniori parœciæ : *S. Sev. seu Sept., Vis. SS. LL.*, 10 *jul.* 1790, § 10.

Quum testator pauperes nominaverit hæredes, ii, tanquam magis dilecti melioris conditionis esse debeant, ceterisque præferri mereantur : *Lun. Sar., Red. Mis.*, 28 *jan.* 1765, § 4.

Æquitati consentaneum est, ut in partitione legatorum atque eleemosynarum quæ pauperibus distribui debent, primario respectus habeatur ad eos qui testatori sanguine conjuncti sunt : *Urb. seu Arim.*, 11 *jun.* 1774, § 5.

Imo consanguinei pauperes exteris quibusque pauperibus sunt præferendi : *Ibid.*

Nulli sunt pauperiores carceratis, qui etiam mendicandi libertate carent : *Bon., Aper. or.*, 14 *maii* 1763, § 2.

Paupertas.

Abunde constat de paupertate, quoties nulla penitus bona possidentur : *Velit., Subs. dot.*, 30 *jul.* 1774, § 5.

Ubi agitur de paupertate probanda ad certum et determinatum effectum, pauper dicitur, cujus bona non sufficiunt pro illo effectu : *Luc., Sub. dot.*, 27 *aug.* 1791, § 3; *Rom. seu Sav., Subs. dot.*, 26 *apr.* 1788, § 5.

Ad excludendam paupertatem opponi non potest existentia paternorum bonorum, si ea distracta sint et exiguum quod superest patrimonium a debitis absorbeatur, si non necessitas naturæ, sed congruentiæ, et honestatis spectari debeat : *Rom., Subs. dot.*, 16 *dec.* 1769, § 6.

Paupertas requisita pro dote assequenda, sufficit ut sit relative ad proprium statum : *Nar., Subs. dot.*, 21 *aug.* 1762, § 4.

Paupertatem relativam inducunt angustiæ nobilis familiæ : *Ap., Red. Mis.*, 15 *dec.* 1792, § 4.

Paupertas prodest consanguineis pro reductione Missarum : *Seg., Red. Mis.*, 26 *mart.* 1791, § 7.

Privata causa paupertatis, quæ testatorem a pio opere non retraxit, satis non est ad derogandam ejus voluntatem : *Fav., Com. vol.*, 4 *apr.* 1789, § 5.

Egestati puellarum, quæ degunt extra conservatorium, occurrendum est ex relictis piis, cura et vigilantia parochorum ac demum ex quarta parte reddituum episcopatus et oblationum fidelium : *Asc., Com. vol.*, 20 *jan.* 1776, § 16.

Æquitati est accommodatum, ut testatori proximior, rei familiaris angustia qua premitur, adjumento ex ipsius hæreditate sumatur : *Parm.* 23 *mart.* 1765, § 10.

Est pauper qui, supra sexagesimum annum agens, inopia laborat, cui præsumitur de jure testatorem ipsum in his rerum circumstantiis dari largitionem voluisse : *Ibid.*

Pecunia.

Pecunia destinata in causam studiorum assignanda est seminario : *Vic., Ass.*, 20 *nov.* 1762, § 6.

Pecunia subsidiaria soluta a communitate ob defectum reddituum capellæ, ex ejusdem reditibus est restituenda : *Camer.*, 16 *maii* 1767, § 12.

Pecunia jure repetitur a capellæ reditibus, quum in ejusdem levamen commodumque soluta fuit : *Ibid.*, § 6.

Alienum est a canonicæ disciplinæ institutis, quod pecunia quam solvunt capitulares in possessione præbendæ, in privatum singulorum canonicorum commodum ea cedat, sed omnino in usus pios, nimirum pro fabrica ecclesiæ, et pro sacra suppellectili, converti debet : *Leod.*, 18 *jul.* 1733, § 9.

Et speciatim de certa nummorum summa ab unoquoque canonico solvenda pro cappa, sive pluviali, juxta plurium ecclesiarum statuta : *Ibid.*

Pensio. Vide *Emphyteusis*, § III.

Pensio.

§ I.

Pensio ecclesiastica quando amittatur vel extinguatur.

Ad hoc ut inducatur pensionis ecclesiasticæ extinctio, trina monitio est necessaria : *Rom., Ind.*, 16 *nov.* 1720, § 9.

Dubitandum non est, quod si probetur quod pensio fuerit exacta ante litterarum Apostolicarum expeditionem, ea annulletur : *Rom., Exp. lit. Ap.*, 31 *mart.* 1721, § 4.

Pensio ecclesiastica vacat ipso jure per contractum matrimonii, absque ulla præcedenti monitione : *Reg., Pen.*, 19 *sept.* 1722, § 6.

Extinctio pensionis ipso jure accidit in contractu matrimoniali, utpote qui actum irrevocabilem involvit, non obstante nullitate matrimonii, dummodo nullitas non proveniat ex defectu consensus ; et multo minus non obstante non consummatione matrimonii : *Ibid.*

§ II.

Pensio ecclesiastica quoad capacitatem eam assequendi et retinendi.

Card. de Luca tenet quod officium equitis levis armaturæ ad simplicem custodiam corporis pontificii destinati non obstet retentioni pensionis eccle-

siasticæ : *Rom. Ind.*, 16 *nov.* 1720, § 4, *et ead.*, 6 *dec.* 1721, § 3.

Rocca tamen, et S. Rota affirmant, inter militiam et clericatum adesse incompatibilitatem, et sic inter militiam et pensionem ecclesiasticam : *Ibid.*

Officium capitis regionis Urbis Romæ non est incompatibile cum clericatu, nec cum pensionibus ecclesiasticis, ex quo dictum officium versatur circa custodiam civitatis, nec est institutum ad bellandum : *Ibid.*, § 6.

Concilium Tridentinum, cap. 17, sess. 24, *de Reform.*, in quo de beneficiorum pluritate decernitur, sibi locum non vindicat in pensionibus ; ita ut Ordinarius valeat conferre beneficium habenti jam in pensionibus ecclesiasticis congruam conservationem : *Bitect.*, 22 *nov.* 1721, § 5.

Indultum retinendi pensionem in statu conjugali non prodest illi qui impetravit post contractum matrimonium, et sic post extinctam ipso jure pensionem : neque locus est sanatoriæ, seu gratiæ *perinde valere*, quum dispensatio retinendi pensionem in statu inhabili non concedatur post sequutam pensionis extinctionem, quia hoc esset novam pensionem et novum gravamen ex integro imponere : *Ibid.*, § 7.

Sine consensu titularis non est locus sanatoriæ seu cuique alteri gratiæ revalidatione pensionis, nisi Summus Pontifex motu proprio et derogando regulæ de præstando consensu et quodammodo de plenitudine potestatis procedat : *Ibid.*

Clericum, qui seculari militiæ nomen dedit, tacite renuntiasse militiæ Christi præsumitur : *Anag., Pens.*, 5 *sept.* 1778, § 3.

Imo incapax est retinendi beneficia vel pensiones sibi reservatas tanquam incompatibiles cum militia seculari : *Ibid.*

Et hoc procedit, etsi arma vel sæva non exerceat, aut se non immisceat enormitatibus : *Ibid.*

Limitatur, opus tamen est ut clericus animum habuerit Ecclesiam derelinquendi : *Ibid.*, § 4.

Hinc nisi fuerit prius monitus, beneficio vel pensione privari non potest : *Ibid.*

Et ille non est miles, qui citra propositum et intentionem suam miles effectus est : *Ibid.*, § 5.

Et voluntas tacita et præsumpta non attendenda, quando de contraria voluntate, vel expressa, vel majores præsumptiones habente, constet : *Ibid.*

§ III.

Pensio ecclesiastica quoad reservationem et augmentum.

Doctores distinguunt, quod aut reservatio pensionis est posterior subsidio et excusato, et pensio est ab eo exempta et immunis, aut dicta reservatio est anterior, et pensionarius tenetur ad illius contributionem : *Clar., Pen.*, 12 *mart.* 1729, § 4.

Amplia, quod hæc distinctio procedit etiamsi exemptio esset amplissima ab omni onere tam imposito, quam imponendo juxta hodiernum stylum ; quum in posteriori concessione seu prorogatione subsidii et excusati solet antecedentibus exemptionibus derogari cum clausula *quorum tenere, etc.*, quæ habet vim specificæ derogationis : *Ibid.*, § 5.

Pensionis onere, seu reservationis fructuum, gravari nequeunt parochiales ecclesiæ, nisi excedat summam ducatorum centum : *Asc., Par.*, 24 *nov.* 1781, § 11.

Pensio ex aucto scutorum aureorum valore sumit augmentum : *Verc., Red.*, 28 *jul.* 1770.

Pensionarius quoad onera.

Pensionarius tenetur ad solvendam pro seminario taxam, nisi speciali Sedis Apostolicæ privilegio exemptus fuerit : *Velit., Tax. sem.*, 16 *mart.* 1771, § 11.

Sufficit ut ab aliis pensionariis taxa pro seminario fuerit soluta, quo casu nemo eximitur, nisi peculiarem exemptionis titulum probaverit : *Ibid.*, § 5.

Et observantia dum de solutione pensionis agitur, non incipit, nisi a tempore, quo illa fuit petita : *Ibid.*

Pensiones impositas super fructibus et reditibus beneficiorum, subire debent pensionarii pro rata parte onerum respectu eorumdem beneficiorum, sive pensionarii exteri sint, sive diœcesani, sive oneroso, sive gratuito titulo pensiones obtinuerint : *Ibid.*, § 4.

Peritus.

Fides præstanda est peritis judicialibus, licet referant in contumaciam colligantis : *Bal., Eccl. cath.*, 18 *dec.* 1790, § 5.

Et illi peritis extrajudicialibus sunt præferendi : *Ibid.*, § 6.

Nulla habenda est ratio de peritis qui extrajudiciales sunt, et numero pauciores, et de mendacio convincuntur : *Fav.*, 20 *jun.* 1767, § 8.

Permutatio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xxi ; *Bona ecclesiastica*, § ix.

Perpetua beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xix.

Perpetua vicaria. Vide *Vicaria perpetua*.

Personæ ecclesiasticæ. Vide *Clerici*.

Personalis jurisdictio. Vide *Exemptio*, § ii.

PERTINENTIA. Vide *Administratio*, § II ; *Decimæ*, §§ IV et V ; *Distributiones quotidianæ*, § III ; *Electio*, § II ; *Fructus*, § IV ; *Juspatronatus*, §§ IX et XII ; *Legatum pium*, § XXII ; *Onus, onera*, § VII.

PIA CAUSA. Vide *Causa pia*.

PIA OPERA. Vide *Fundationes*, *Legatum pium*.

PIÆ DISPOSITIONES. Vide *Episcopus*, § VIII.

PIÆ MAGISTRÆ. Vide *Magistræ piæ*.

PIÆ OBLATIONES. Vide *Oblationes piæ*.

PIANA CONSTITUTIO. Vide *Census*, § IV.

PIUM LEGATUM. Vide *Legatum pium*.

PIETATIS MONS. Vide *Mons*, § II.

Placitum.

Qui semel placuit amplius displicere non potest : *Civit. Cast., Punc.*, 16 *maii* 1795, § 8.

PLURALITAS BENEFICIORUM. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § VIII.

PLURALITAS BENEFICIORUM QUOAD DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § XIX.

Pœna.

§ I.

Pœna in genere.

Pœna infligenda est ei qui deliquit, et in contumaciam perseverat : *Imol., Sep. thor. sup. seq.*, 16 *febr.* 1788, § 3.

Pœna solvenda est, ubi justa non fuit inobedientiæ ratio : *Cer.*, 24 *maii* 1788, § 11.

Ab ea vero absolvi debet inobediens, si comminata fuit sine justa causa : *Ibid.*

Privationis pœna sine dolo et sine ulla prorsus culpa unquam incurritur : *Viter., Pror.*, 30 *aug.* 1766, § 15.

Qui munus suum implet, nulla pœna mulctatur : *Macer.*, 20 *dec.* 1766, § 5.

Requiritur ad pœnam, ut quis dolo ac scienter fecerit, non ignoranter vel justa ductus credulitate : *Salut.*, 8 *jun.* 1765, § 14.

Pœna statuta pro delicto certo non incurritur pro delicto dubio : *Hydr., Jer.*, 11 *jun.* 1774, § 9.

Pœnæ moliendæ sunt, quam exacerbandæ : *Fir., Disp. ab irr.*, 7 *april.* 1781, § 10.

Tam ex jure civili quam canonico immunis est a pœna, qui ob necessitatem sui defensionis et cum moderatione inculpatæ tutelæ aggressorem occiderit : *Taur., Irr.*, 14 *mar.* 1772, § 3.

Parochi cæterique beneficiorum rectores a suis ecclesiis, vel beneficiis absentes, per fructuum subtractionem, aut per eorumdem beneficiorum privationem, vel denique per ecclesiasticas censuras ad residendum compelli debent, non autem possunt una simul dictæ pœnæ adversus eos adhiberi : *Cons., Priv. et Cens.*, 17 *nov.* 1736, § 6.

Viro vel mulieri post sponsalia inita ad conjugium properanti pendente judicio, nec expectata judicis sententia, imponitur competens pœnitentia, et infra pœnitentiæ tempus carnale commercium ei interdicitur : *Vit., Matr.*, 23 *nov.* 1776, § ult.

Nulla ex jure canonico pœna indicta est contra ordinatum cum tituli patrimonii insufficientia, sed tantummodo contra ordinantem : *Alex., Supp.*, 31 *aug.* 1771, § 7.

Et hæc semper est Sac. Congr. Concilii sententia, dummodo tamen ordinatus dolo fictoque titulo ordinantem non deceperit : *Ibid.*

Alex. III Summus Pontifex non eum duntaxat qui rectorem aut clericum alicujus ecclesiæ per se, vel per alium interfecit, aut mutilat, omnibus juribus et beneficiis quæ in illa ecclesia obtinebat, ipso facto privavit ; verum etiam sancivit, ne eadem jura et beneficia ad illius posteros pervenirent, eosque ad quartam usque generationem ordines suscipere, et in monasteriis, quorum ingressum liberum reliquit, dignitates et prælaturas consequi prohibuit : *Sulm., Disp.*, 18 *dec.* 1734, § 3.

Tempore Summi Pontificis Pauli V decretum fuit ut regulares delinquentes nunquam afficerentur pœna triremium, nisi talia commisissent crimina, quæ dicto supplicio essent in perpetuum vindicanda, quo casu ad triremes in perpetuum damnarentur : *Ibid.*

§ II.

Pœna seu mulcta.

Pœna pecuniaria contumacibus infligenda pluries, et etiam major, pro diversitate laicorum fuit approbata : *Saler., Edict.*, 27 *sept.* 1732, § 3.

Mulcta a capitulis ecclesiarum infligenda canonicis aut beneficiatis leviter in suo munere delinquentibus non gravis esse debet, sed moderata : *Colon., Jur. mulct.*, 15 *dec.* 1736, § 3.

Pœna punctaturæ sola est pœna ordinaria ad compellendos ad interveniendum choro illos qui hoc habent onus : *Terr.*, 28 *april.* 1770, § 6.

Mulcta, quatenus licita judicetur, cedere non debet in particulare commodum eorum qui illam imponunt, sed ad tolerandam avaritiæ suspicionem, vel in communem utilitatem, vel in ecclesiæ beneficium ereganda foret : *Oriol., Decr.*, 5 *jun.* 1734, § 8.

In nonnullis olim casibus judices ecclesiastici applicare mulctas sibi poterant : *Civit. Cast. et Hor.*, 20 *apr.* 1793, § 3.

Ex dispositione vero sacri Concilii Tridentini applicandæ sunt locis piis, vel fabricæ ecclesiæ : *Ibid*

Neque aliter eas applicare valet Episcopus absque beneplacito Sac. Congreg. Concilii : *Ibid.*, § 6.

Erogari nequeunt mulctæ in sacras supellectiles, quas, in defectum peculiaris reditus, et ob inopiam capituli, parare tenetur Episcopus : *Ibid.*, § 3.

Applicari tamen valet Episcopo indigenti : *Ibid.*, § 4.

Qui nempe ex reditibus episcopatus vivere nequit, et sufficientem non habet conservationem : *Ibid.*

Et pauper dicitur Episcopus, qui congruam non habet scutorum 1000 : *Ibid.*, § 5.

Ei vero applicandæ non sunt ad indefinitum tempus, et ad indefinitam summam : *Ibid.*

Applicari etiam valent in levamen indigentis Episcopi pro manutentione sacrorum utensilium : *Ibid.*, § 5.

PŒNA ECCLESIASTICA. Vide *Censuræ*.

PŒNA ECCLESIASTICA QUOAD ABSOLUTIONEM. Vide *Absolutio*, § IV.

PŒNÆ INHABILITATIS. Vide *Matrimonium*, § XV.

PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM. Vide *Sacramentum Pœnitentiæ*.

PŒNITENTIARIÆ PRÆBENDÆ. Vide *Canonicatus*, § VII.

Pœnitentiaria Sacra.

Sacra Pœnitentiaria solet absolutionem impertiri illi qui rectorem aut clericum alicujus ecclesiæ per se, vel per alium interfecit, aut mutilavit, aliqua adjecta conditione : *Salm.*, *Disp.*, 18 *dec.* 1734, § 4.

PŒNITENTIARIUS CANONICUS. Vide *Canonicus*, § VI.

Pontifex Romanus.

Papa est omnium ordinum regularium pater et dominus, ita ut absque ulla difficultate vocalium et religionis consensum, magna et justa accedente causa, supplere potest : *Sicul.*, 18 *nov.* 1719, § 11.

Superiore tamen religionis rationabiliter repugnante, congruum esse non videtur quod Summus Pontifex ejus suppleat consensum : *Ead.*, 16 *dec.* 1719, § 2.

Summus Pontifex filios illegitimos ubique terrarum legitimare potest, quoad omnes spirituales effectus : *Prag.*, *Matr.*, 13 *jul.* 1720.

Et potest legem ecclesiasticam irritare, et revocare, non tantum quoad imposterum sequuturos effectus, ne incurrantur, sed etiam quoad effectus antea productos : *Ibid.*, § 2.

Summum Pontificem posse simplici sacerdoti committere facultatem conferendi sacramentum Confirmationis in aliquibus locis, colligitur ex lib 3. *Epist.* 26. S. Gregorii papæ, ex concilio Florentino : *Americ.*, 13 *jan.* 1722, §§ 2, 3, et 4.

In provincia Brasiliæ, ubi deficiunt Episcopi, sacerdoti sæculari concessa fuit facultas a Gregorio XIII sacramentum Confirmationis administrare : *Ibid.*, § 5.

Statim ac Summus Pontifex aliquid statuit Tridentino contrarium, eidem derogasse dicitur, etsi expressam ejusdem non faciat mentionem : *Adnot. secr.*, 1 *sept.* 1725, § 11.

Aliquando Papa potest sine culpa unire, a fortiori potest unire intercedente aliqua rationabili causa, quamvis in jure non scripta juxta theoricam abbatis : *Colon.*, 24 *maii* 1727, § 11.

Nulla potest oriri difficultas, ut Summus Pontifex valeat monachis et monialibus facultatem mutandi dispositionem in tyrocinio factam tribuere : *Tolet.*, 7 *maii* 1718, § 2.

Romanus Pontifex consulendus est in rebus dubiis, cui omnis veneratio debetur : *Dissert. sup. Matr.*, 1740. in fin, lit. I, discept. 3, num. 22.

Lædere solet Summus Pontifex jus tertii, nisi deliberate, et ex publica causa : *Nuc., Com. vol. et Trans.*, 13 *mar.* 1794, § 7.

Pontifex derogare valet juripatronatus, citra tamen necessitatem et justam causam, hac potestate uti non solet : *Mac.*, *Resig. ben.*, 8 *aug.* 1778, § 9.

Præsertim quando agitur de admittendis resignationibus beneficiorum laicalium, inconsultis patronis : *Ibid.*

Pontifici datum est derogare cuicumque juripatronatus, et etiam legato pio Missarum : *Asc.*, 6 *mar.* 1779, § 6.

Hac tamen potestate uti non solet citra necessitatem, et justam causam ; et accedente patronorum assensu : *Ibid.*

Piæ fidelium dispositiones a suprema pendent Pontificis auctoritate, libereque ab eo moderari valent : *Cæs., Subs. dot.*, 29 *nov.* 1788, § 7.

Nunquam solet Summus Pontifex qualitatibus et conditionibus adjectis in fundatione, utendo sua suprema potestate, contra ire : *Null. Guast.*, *Can.*, 31 *maii* 1794, § 4.

Approbatio et confirmatio concordiæ, vel contractus, vel alienationis jurium, et bonorum Ecclesiæ, quæ excedant valorem cap. *Terrulas*, pertinent ad majora jura, et prærogativas Pontificiæ jurisdictionis, proindeque speciali indiget expressione ac delegatione, nec sub generali licet præ-

gnanti concessione plerumque continetur : *Plac.*, 9 *aug.* 1771, § 9.

Summi Pontificis manus abbreviatæ non sunt : *Crac. et Gnes.*, 21 *jun.* 1786, § 9.

De potestate Summi Pontificis dispensandi super impedimento publicæ honestatis dubitare non licet, quoniam illud neque ex naturali, neque ex divino jure descendit : *Acher.*, *Disp.*, 16 *jun.* 1770, § 14.

Summo Pontifici liberum est supremum arbitrium omne tollendi impedimentum, quo matrimonii contractus positivo canonum jure prohibetur : *Cad.*, *Disp.*, 12 *jun.* 1762, § 2.

Quisquis a Summo Pontifice sacris ordinibus decoratus, clericos alios ab inferioribus Episcopis ordinatos antecellere debet : *Basil.*, 7 *apr.* 1742, § 5.

Quæ vel a conciliis generalibus, vel a Summo Pontifice constituta fuerint, necessario sequitur, ut nonnisi ex ejusdem Summi Pontificis dispensatione tolli possint, vel abrogari : *Const.*, *Disp.*, 23 *apr.* 1768, § 14.

Pontificalia. Vide *Episcopus*, § x.

Pontificis Romani bulla. Vide *Bulla Pontificis Romani*.

Pontificium indultum. Vide *Indultum Pontificium*.

Populus.

Quando crescente fide religionis populus multiplicabatur, Episcopo ejus diœcesis suo jure accrescebat, in cujus confinis erat, nisi, et multiplicatus populus, et locus ipse novum Episcopum constituendum mereretur : *Guas.*, *Prov. med.*, 19 *jul.* 1766, § 18.

Populus tenetur ad audiendum verbum Dei : *Neap.*, *Dub. aud. conc.*, 4 *jun.* 1707.

Ad parochialem propriam monendus est populus adire saltem dominicis diebus et majoribus festis : *Squil.*, *Cel. Mis. et Func. conv.*, 28 *febr.* 1761, § 1.

Quæ tamen monitio consilium, et non præceptum innuit : *Ibid.*, § 2.

Populus et communitas deficientibus reditibus parochiæ tenetur parochialem ecclesiam propriis sumptibus reficere : *Tusc.*, *Rep. eccl.*, 14 *dec.* 1737, § 2.

Populi incrementum est causa sufficiens ad cogendum parochum, seu parochialis ecclesiæ rectorem, et sanctione Tridentina adjungendos sacerdotes sibi coadjuvantes in cura animarum : *Terr. et Priv.*, 17 *mar.* 1781, § 5.

Portio canonica. Vide *Episcopus*, § xviii.

Portionarius.

§ I.

Portionarius quoad jura et vocem in capitulo.

Jus ferendi suffragium in capitulis, portionariis non competere firmat Glossa : *Ner.*, *Plur.*, 7 *jun.* 1760, § 9.

Sed si illud jus datum est eis in decreto Episcopi capitularibus consentientibus, adstipulante longa etiam consuetudine, recedendum est ab opinione Glossæ : *Ibid.*

Et limita, solum in œconomicis suffragium portionariis concessum est : *Ibid.*

Suffragia sunt computanda in capitulis collective; ut tantam vocem habeant dignitates et canonici simul, quantam ipsi portionarii : *Ibid.*

Præsertim ad evitandum absurdum exurgens ex præponderatione numeri canonicorum : *Ibid.*

In actibus capitularibus suffragia sunt computanda singillatim : *Ibid.*

Quia collegium, licet compositum ex membris diversi ordinis, unam habet vocem computandam a majoritate suffragiorum : *Ibid.*

Portionarii, licet admittantur ad participationem massæ capitularis, jus tamen vocis in capitulo non habent : *Sen.*, *Voc. in cap.*, 27 *febr.* 1768, § 11.

§ II.

Portionarius quoad onera.

Si solis portionariis vigore consuetudinis incumbat onus subeundi munus diaconi et subdiaconi, consuetudo attendenda est : *Nerit.*, *Plur.*, 7 *jun.* 1760, § 5.

Nec cæremonialis dispositio trahenda est ad canonicos alio onere adjuvandi archipresbyterum in cura animarum gravatos : *Ibid.*

Et portionarii tenentur assistere cum pluvialibus in sacris functionibus, quæ fiant diebus festis primæ classis, et quatuor in festis secundæ classis, tum vigore consuetudinis, si adsit, et vigore Cæremonialis Episcoporum, lib. 2, cap. 3, § 16 : *Ibid.*

Onus quoque est portionariorum assistere ad legile cum uno canonico concentore, et in eo aptare libros : *Ibid.*

Illisque incumbere onus recitandi lectiones primi et secundi nocturni, responsoria et antiphonas : *Ibid.*

Junior portionarius tenetur ministrare in divinis, quando deficiunt clerici in ecclesia : *Ibid.*, § 6.

Et a portionariis occupandus est stallus absen-

tium in altera chori parte, ut æqualis hinc inde reddatur divinorum concentus juxta longævam observantiam, quæ congruit portionariorum officio supplendi absentium onera : *Ibid.*

Sed absentium vices supplendæ sunt ab aliis ejusdem ordinis, ne ordines confundantur : *Ibid.*

Portionarii in functionibus extra chorum assistere debent in sedilibus distinctis, ne confundantur cum canonicis : *Ibid.*, § 7.

Sed limitatur, si aliqua existant sedilia distincta, et si nulla, et quatenus adigendi essent in sedilibus distinctis assistere, illa conficienda sunt expensis massæ communis, et in ceteris servetur consuetudo : *Ibid.*

Ac epistolæ cantum diebus ferialibus peragendum est a portionario in plano presbyterii : *Ibid.*

Positiones.

Positiones de jure canonico admitti debent clausæ : *Leopol., Matr.*, 20 *jun.* 1724, § ult.

Positiones abnegatæ habent omne veritatis fundamentum : *Præmis, Null. matr.*, 28 *jul.* 1778, § 11.

Et respondente non convicto de mendacio, standum est positionibus abnegatis : *Ibid.*

Possessio.

Possessio immemorabilis, vel saltem centenaria quoad jurisdictionem hospitalis ecclesiastici in favorem Episcopi consona est Tridentini Concilii sanctionibus ac juris communis dispositionibus : *Civit. Cast., Hosp.*, 13 *febr.* 1773, § 2.

Possessio triennalis beneficii inducit præsumptionem tituli : *Amalp.*, 17 *jan.* 1761, § 9.

Regula tamen de triennali requirit titulum coloratum ; et quod possessum fuerit vigore tituli : *Ibid.*

Sed mandatum de providendo non tribuit titulum, nisi sequatur provisio : *Ibid.*

Nec regula de triennali locum habet quoad incompatibilium retentionem vetitam a Concilio : *Ibid.*

Concessa possessio, et manutentio cuicumque servanda est, quæ in quacumque judicii parte sibi esse indulgendam peti potest : *Aquil., Dis.*, 25 *jan.* 1744, § 2.

Removeri non potest aliquis ab antiquissima et plusquam centenaria possessione ; *Aquip., Func.*, 18 *dec.* 1773, § 5.

Possessio undique nulla, et fraudulenta est, et exorta sub falsa narratione, quod esset passive vocatus, ac proinde penitus est spernenda, ac rejicienda : *Nul. Lepr., Cap.*, 13 *jul.* 1771, § 6.

Vacillat possessio capta post duos tantum menses ab interposita appellatione, quam prosequi intra biennium licebat : *Terr. seu Priv., Cap.*, 18 *jul.* 1789, § 5.

Attentata possessio ad vitandum circulum vitiosum servanda est : *Ibid.*

Capellaniæ possessio capta non citato possessore est circumscribenda : *Civit. Cast., Cap.*, 22 *nov.* 1794, § 6.

Centenaria possessio fundatoris capellaniæ non confirmat titulum nullum : *Arim.*, 21 *jun.* 1794, § 4.

Possessio triennalis, quamvis pacifica, nisi sit titulo suffulta, non valet esse præsidio jam nominato ad futuras capellanias vacaturas, secus si decennalis sit : *Rom., Cap.*, 15 *jan.* 1780, § 8.

Possessio spoliativa nulla ac attentata censeri debetur ob impedimentum appellationis ad Sedem Apostolicam interpositæ : *Crac., Par.*, 10 *febr.* 1770, § 10.

Possessio capta pendente appellatione illicita est, atque a jure reprobata : *Ver., Arch.*, 20 *jan.* 1770, § 7.

Imo magis reddit enormia attentata : *Ibid.*

Præsertim quia in litteris Apostolicis expresse adjecta fuit litis præservatio, *tam in partibus, quam in curia : Ibid.*

Quæ clausula apta de per se est ad impediendam litterarum Apostolicarum executionem, quousque lis non fuisset absoluta : *Ibid.*

Pro manutentione possessionis facit, quando cœpit ille possessionem fretus litteris Apostolicis, quas, licet canonico antiquiori directas, haud immerito eo absente is qui post eum sedebat exequutus est : *Asc.*, 6 *maii* 1786, § 9.

Simplex bonorum detentio, et precaria fructuum perceptio impropria, non vera est possessio : *Ascul., Cap.*, 2 *dec.* 1786, § 5.

Reliqua. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xxii ; *Juspatronatus*, § vii.

Potentia. Vide *Consuetudo*, § ii.

Potestas in genere. Vide *Abbas*, § iii ; *Administrator*, § iv ; *Archidiaconus*, § ii ; *Archipresbyter*, § ii ; *Canonici*, § iv ; *Capellanus*, § vi ; *Capitulum ecclesiasticum*, § iv ; *Confessarius*, § iv ; *Episcopus*, § xviii ; *Hæres*, § iii ; *Parochus*, § viii ; *Rector*, § ii ; *Regulares*, § vii ; *Sodalitium*, § v ; *Vicarius capitularis*, § ii ; *Vicarius curatus*, § iii.

Potestas absolvendi a censuris. Vide *Episcopus*, § xvi.

Potestas dispensandi ab irregularitate. Vide *Episcopus*, § xvi.

Potestativa conditio. Vide *Conditio*, § v.

Præbenda. Vide *Beneficia ecclesiatica*, *Canonicatus*.

Præbenda pœnitentiaria. Vide *Canonicus*, § vii.

Præbenda theologalis. Vide *Canonicatus*, § viii.

Præbendati. Vide *Beneficiati*, *Canonici*, *etc.*

Præcedentia.

Quum ecclesia antiquior cæteris sit cum quibus lis agitur, decet ut illos præcedat : *Fer.*, *Præc.*, 23 *apr.* 1768, § 5.

Hæc antiquioritas, deficiente fundationis seu erectionis instrumento, probatur etiam per æquipollens, seu ex aliis conjecturis, adminiculis et documentis collegiatæ præexistentiam indicantibus : *Ibid.*

Et admittitur hæc probatio, etiamsi contentio sit de præcedentia cum alia collegiata, quæ de sua fundatione, et erectione doceret per Bullam Pontificiam, quæ tamen posterior esse comperiretur : *Ibid.*

In ea ecclesia in qua præbendæ sunt distinctæ, spectandum est pro præcedentia tempus admissionis in collegium non vero tempus quo susceptus fuit ordo in qualibet præbenda requisitus : *Rom.*, *Præc.*, 23 *nov.* 1754, § 3.

Præcedentia datur presbyteris secularibus supra regulares, sive incedant collegialiter, ut capitulum claustrale, sive singulariter, uti capellani conductitii : *Bonon.*, 22 *maii* 1762, § 8.

Et non sunt ad funera uti capellani conductitii regulares vocandi ex aliquo peculiari titulo de præcedentia certantes, nisi post absolutam præcedentiæ controversiam : *Ibid.*

Jus præcedentiæ non est proprie adnexum titulo beneficii, nec pertinet ad illius intrinseca et naturalia, sed ab officio potius atque exercitio provenit, ac refertur ad extrinseca et accidentalia : *Rom.*, *Præc.*, 23 *nov.* 1754, § 5.

Et canonicus, licet posterior, si sit actu tamen sacerdos, præcedere debet illum qui sacerdos non est : *Ibid.*, § 6.

Ac verior et receptior est sententia quæ vult, ut etiam in casu quo præbendæ in distinctos ordines separatæ sunt, ad effectum præcedentiæ spectandum sit non tempus admissionis, sed tempus quo quis ordinem præbendæ adnexum suscepit : *Ibid.*

Dum intervenit capitulum ecclesiæ cathedralis in comitatu cadaverum, illius beneficiatis et parochis præcedentia super alios parochos defuncti competit : *Nar.*, *Jur. par.*, 8 *jun.* 1771, § 6.

Etiam substitutis et vicariis ejusdem cathedralis : *Ibid.*

Secus si agatur vel de aspergendo cadavere, antequam e domo elevetur, vel de inchoanda antiphona *Si iniquitates* : *Ibid.*, § 7.

Præcedentia quoad incessum disjungi nequit a præcedentia quoad vocationem adscriptis ecclesiæ collegiatæ tributam in litteris Apostolicis : *Imol.*, *Jur. par.*, 20 *dec.* 1760, § 8.

Præcedentia in funeribus, vel in aliis functionibus ecclesiasticis debetur inter regulares religiosis, qui clerum constituunt ipsius ecclesiæ parochialis et matricis, cui etiamsi regulari præcedentia debetur : *Bon.*, 31 *jul.* 1762, § 5.

Quando presbyteri seculares certæ ecclesiæ non sint adscripti : *Ibid.*

Et licet sint adscripti ecclesiæ parochiali, vel alteri ecclesiæ, et non corpus tamen sive collegium efformant : *Ibid.*

Quia ecclesiæ regulares, licet sint collegiatæ præcedentiam cedunt ecclesiis secularibus : *Ibid.*

Limita : quando collegium regularium, licet minus dignum in ordine hierarchico, præcedit presbyteros seculares dignioris ordinis singulariter incedentes, quemadmodum magistratus laicus præcedit singulos canonicos : *Ibid.*

Et decreta localia non adversantur, tanquam provisionalia, et diversum casum respicientia : *Ibid.*

Præcedentia debetur presbyteris ecclesiæ parochialis supra cæteros præsbyteros in funeribus : *Bon.*, 26 *mart.* 1763, § 8.

Non tamen si ecclesia parochialis sit regularis, præcedentia debetur regularibus, quos præcedunt seculares intra eumdem ordinem : *Ibid.*, § 9.

Et præcedunt præsbyteri seculares absolute quando regulares incedunt in forma capituli claustralis : *Ibid.*, § 10.

Prior tamen, seu præpositus ecclesiæ matricis etiam regularis præcedit supra clerum secularem : *Ibid.*, § 8.

Non tamen si superior sit tantummodo regularium, et non totius cleri secularis : *Ibid.*, § 11.

Reliqua. Vide *Canonici*, § ix ; *Parochus*, § xii ; *Præpositus*, § ii.

Præceptum paschale.

Privilegium et consuetudo, ut duabus vicibus infra annum die nimirum Paschatis Resurrectionis, Sanctissimæ Nativitatis, a magistratu sumatur sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ in cathedrali civitatis, non eximat a proprii parochi jurisdictione tempore paschali : *Fav.*, 30 *aug.* 1777, § 3.

Præsertim quia privilegia omnia et consuetudines abrogavit Innoc. XI, die 5 febr. 1682 : *Ibid.*, § 6.

Hinc magistratus petitioni non reiterandi com-

munionem in respectivis ecclesiis parochialibus resistere videtur text. in cap. *Omnis*, 12, *de Pœnit. et Remiss.* : *Ibid.*, § 8.

Resistit etiam Synodus Tridentina, sess. 24, cap. 13, *de Reform.*, in quo expresse mandatur ut Christifideles a solo proprio parocho sacramenta suscipiant : *Ibid.*, § 9.

Non desunt doctores asserentes cathedralem ecclesiam esse parochialem totius civitatis universalem, propriumque sacerdotem, de quo loquitur cit. cap. *Omnis* pro satisfaciendo præcepto paschali, etiam absque licentia parochi : *Ibid.*, § 10.

Tamen communis sententia est, id procedere in casu ubi nulla in civitate vel terra facta fuerit parochiarum separatio : *Ibid.*

Sed stante separatione parochiani alibi sese conferre non debent pro præcepti paschalis implemento, nisi de ipsius proprii parochi licentia : *Ibid.*

Recurrente singulis annis paschali tempore, tenentur omnes parochiani propriam parochiam adire, ibique manu pastoris sui Santissimum Christi Corpus sumere, ut ita propriam recognoscant matrem, nec ad ullam aliam ecclesiam divertere possint : *Cerv.*, 16 *mart.* 1782, § 5.

Etiamsi nonnulli ex canonistis asserant cathedralem ecclesiam esse parochiam totius civitatis universalem, ita ut quilibet adire possit cathedralem pro præcepti paschalis satisfactione etiam absque proprii parochi licentia : *Ibid.*, § 7.

Communis tamen sententia est, id locum habere in ipsamet civitate, non autem a contermina terra, vel oppido, vel villa ad cathedralem, et ubi nulla in civitate, vel terra, vel oppido, facta fuerit parochiarum divisio : *Ibid.*

Si autem villa habeat suam parochiam, cujus parochus munia parochialia exercuit, ac parochiæ incolæ ex ipsius manibus sumpserunt pro præcepti paschalis implemento sacram synaxim, ita et non aliter fieri, et observari debetur : *Ibid.*

Fideles in ecclesia filiali nequeunt sine parochi licentia præceptum paschale implere : *Mon. Alt., Rem. cap. et Jur. par.*, 22 *maii* 1762, § 6.

De ecclesia in qua præceptum paschale implere tenentur fideles, plures adsunt synodales diœcesum constitutiones : *Nuc.*, *Præp. pas. et Sol. dec.*, 23 *apr.* 1774, § 9.

Et in propria parochia impleri debetur : *Ibid. et* § 10.

Verum ad implendum illud non tenentur fideles in ipsa Dominicæ Resurrectionis die Sacramentum sumere, sed sufficit ut ad Eucharisticam mensam accedant, vel in majori hebdomada, vel infra octavam Paschæ : *Ibid.*

Quum sit cathedralis unica ecclesia parochialis totius civitatis, aliæ coadjutrices, omnes præcepto ibi satisfacere possunt : *Ard.*, 20 *dec.* 1766, § 21.

Itinerum longitudo, et populi incommodum satis non est ut ille obligatione solvetur semel saltem in anno parochiam propriam adeundi, ut præceptum impleat : *Neap., Dec.*, 29 *febr.* 1744, § 8.

Omnes fideles tenentur tempore paschali sacram Synaxim sumere in ea parochiali ecclesia intra cujus fines domicilium habent : *Nuc., Præc. pasch. et Sol. dec.*, 23 *apr.* 1734, § 3.

Et illi qui ratione domicilii ad parochum loci pertinent, tenentur ab eodem Eucharistiam in Paschate recipere : *Ibid.*

Paschale præceptum in ecclesia parochiali qui non implent, quive parochum domos lustrantem non recipiunt, pœnis can. *Omnis utriusque, de Pœn. et remiss.*, subjecti sunt : *Jan.*, 22 *mart.* 1749, § 1.

Qui habet duas domos in diversa parochia, in quibus alternative habitat, in ea parochia sacrum Cibum paschale suscipere debet, in qua per notabile tempus circa Pascha moratur : *Pisaur.*, 18 *maii* 1765, § 15.

Si vero æquali tempore, et alternis diebus moratur, in ea suscipiat in qua pernoctare consuevit : *Ibid.*

Famuli extra septa clausuræ habitantes et monialibus inservientes tenentur satisfacere præcepto paschali in ecclesia parochiali ; ad parochum pertinent iisdem infirmis sacramenta administrare, et eorum cadavera sunt in parochiali sepelienda, nisi ab eis alibi electa sepultura fuerit : *Ulyxip. Occid.*, 22 *nov.* 1721, § 2 ; *in Nov.*, 5 *jul.* 1727, § 4.

Schedulæ repertæ sunt ad probandum implementum præcepti paschalis : *Crem., Laud. et Nul. cens.*, 6 *dec.* 1749, § 1.

PRÆDICATIO. Vide *Concio.*

PRÆDICATOR. Vide *Concionator.*

PRÆDILECTIO. Vide *Testator*, § II.

PRÆDIUM. Vide *Bona.*

Præeminentia.

In præeminentialibus controversiis servanda est longæva consuetudo, licet esset juri communi contraria : *Eug., Jur. par.*, 22 *maii* 1762, § 13.

In præeminentiæ quæstionibus receptum est, eum, ceteris paribus, honore potiorem esse, que prior adeptus fuerit dignitatem : *Basil.*, 7 *april.* 1742, § 4.

Præeminentia in stallo chori desumitur a die re-

ceptionis in collegium et captæ possessionis : *Tyras*., *Ord.*, 30 *maii* 1778, § 14.

Præeminentia in collegiis competit secundum majorem antiquitatem cooptationis in ipsum collegium : *Rom.*, *Dec. cap. Lat.*, 22 *nov.* 1732, § 7.

Is qui officium aliquod vel beneficium a majori et digniori consequitur præ cæteris est honorandus : *Basil.*, 7 *apr.* 1742, § 5.

Reliqua. Vide *Canonici*, § x ; *Ecclesia in genere*, § vi ; *Ecclesia cathedralis*, § ii ; *Ecclesia collegiata*, § ii.

Præjudicium.

Nobilis vir, qui ultro legatum pandit, nec pejerare censetur in præjudicium animæ : *Rav.*, *Leg.*, 25 *apr.* 1787, § 8.

Non licet ab eo quod semel placuit in unius oratoris præjudicium resilire : *Rom.*, *Sub. dot.*, 21 *nov.* 1772, § 6.

Nullum præjudicium ex iis quæ a prædefuncto gesta sunt, successoribus inferri potest : *Pis.*, 11 *jan.* 1772, § 7.

Ex facto unius canonici nullum præjudicium aliorum juribus inferri potest : *Leod.*, *Ind.*, 12 *mart.* 1774, § 8

Capellanus nullo modo potuit facto suo patronis præjudicium inferre : *Rom. seu Port.*, *Cap.*, 16 *jan.* 1758, § 15.

Et certum est, procuratorem nullum mandanti præjudicium posse inferre : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Actus*, § iv.

Prælatio.

Ex canonica indulgentia conjuncti sanguine fundatorum præferendi sunt quibuscumque extraneis : *Ver.*, 19 *jul.* 1766, § 7.

Prælatio ad sequendum beneficium illi debetur qui præditus sit majoribus qualitatibus : *Cæsen.*, *Ben.*, 20 *aug.* 1768, §§ 4 et 6.

Eoque magis, si in præsentatione supplicantis præveniat : magis magis si sit ætate senior : *Ibid.*, § 5.

Et denique si sit pauper ac necessitate coactus alendi patrem egenum et septuagenarium, matrem senem et sororem innuptam, quod ad rem maxime urget : *Ibid.*

Nec ad prælationem præsentatio a sodalibus facta nulla, quia expleta contra legem fundationis obest : *Ibid.*, § 6.

Quia non pollet præsentatus prærogativa affinitatis cum fundatrice : *Ibid.*

Tum quia juspatronatus societati relictum ecclesiasticum censeri debet : *Ibid.*

Et quia beneficium, quod vacavit in mense augusti, reservationibus Apostolicis est obnoxium : *Ibid.*

Quum electio facta fuerit in favorem illius ab illis, quibus jus eligendi a donatore collatum fuerat ; illi prælatio debita tantum est : *Civ. Pleb.*, *Leg. stud.*, 16 *jan.* 1768, § 5.

Et post sequutam semel electionem quæsitumque electo jus prælationis, non amplius electoribus licet obesse electo : *Ibid.*

Ipsumque sequuta electione excludi nequaquam potest, nisi probetur irrationabile magistratus judicium : *Ibid.*, § 6.

Et merito etiam præferendum est non solum virtute tantum præsumptæ majoris affectionis donatoris, qui intuitu proximorum donationem fecit : *Ibid.*

Sed multo magis ob explicitam ipsius donantis dispositionem : *Ibid.*

Maxime, quia agitur de vocatione directa, quæ non indigebat magistratus electione : *Ibid.*

Ipsumque idcirco habere immediatam a donante vocationem, et ob id esse præferendum cernitur : *Ibid.*

Prælatio debetur consanguineis licet octavo vel alio gradu remotioribus, quia affectio testatoris sive expressa, sive etiam tacita ad quemcumque remotissimum gradum extenditur in concursu præsertim extraneorum : *Rom. seu Sab.*, *Subs. dot.*, 20 *dec.* 1766, § 7.

Et conjunctæ privandæ non sunt, ut puellis incertis consulatur, quibus nullum jus quæsitum est : *Ibid.*, § 8.

Præsertim quando consanguineæ juxta sui statum pauperes sunt : *Ibid.*

Prælatio in paritate vocum danda est ei qui majoribus pollet meritis, et prærogativis : *Com.*, *Cap.*, 17 *jun.* 1769, § 4.

Prælatio in paritate vocum debetur consanguineo fundatoris, excluso extraneo in collatione beneficiorum, et in ejus favorem signanda est supplicatio : *Fan.*, *Cap.*, 3 *mart.* 1759, § 2.

Quando agitur de exequendis piis dispositionibus et de submínistrandis alimentis hæredi paupertate laboranti, huic danda est prælatio : *Spol.*, *Red.*, 8 *jun.* 1771, § 6.

Maxime ob præsumptam testatoris voluntatem, qui fidei commissum instituendo propagationem omnem sobolis et assignationis conservationem primario optavit ; ex quo fit, jus nullum ita esse privilegiatum, ut alimentis hæredi fideicommissario tribuendis cedere debeat : *Ibid.*

Illi competit prælatio ad capellaniam, qui est des-

cendens ex familia a testatore prædilecta, et expresse vocata : *Arim.*, *Cap.*, 26 *febr.* 1774, § 4.

Nec obest defectus qualitatis sacerdotalis, quia res est de capellania mere laicali et collativa, quia etiam testator nullibi præscripsit ut capellanus per ipsum Missas celebraret : *Ibid.*

Quum testator suis descendentibus prælationem tribuerit, magis prospicere voluit istorum commodo, quam aliorum, qui extranei omnino sunt : *Velit.*, *Subs. dot.*, 30 *jul.* 1774, § 7.

Ex bonis avitis prius subveniendum est nepoti pauperi, quam extraneis, juxta ordinatam charitatem, et testatoris præsumptam mentem, et juris dispositionem : *Rom.*, 12 *jun.* 1762, § 8.

Æquitas suadet, ut sibi pauperi, et aliunde non proviso, prælatio detur in concursu sacerdotis jam sufficienter de bonis Ecclesiæ provisi : *Urb.*, *Can.*, 13 *jul.* 1771, § 6.

In concursu remotior qualificatus est præferendus excluso proximiore minus idoneo ad beneficium, cui testator eligi proximiorem, sed idoneum mandavit : *Æs.*, *Cap.*, 20 *jun.* 1767, § 6.

In prælatione nihil prodest conjunctio sanguinis, si puellæ descendentes a testatore non sint, sed ex transverso conjunctæ per triplex medium fœminarum, et in decimo gradu in quo penitus desinit naturalis charitas, vel expressa fœminarum dotandarum vocatio : *Rom. seu Sab.*, *Subs. dot.*, 20 *dec.* 1766, § 12.

Missæ et anniversaria ceteris piis operibus sunt præferenda : *Asc.*; *in Cap. cel. Mis.*, 9 *febr.* 1737, § 3.

Qui idoneus non est, ac præscriptis qualitatibus non pollet, nullam vocationem, nullam prælationem jactare potest : *Ver.*, *Arch.*, 30 *jan.* 1768, § 9.

Nec ad præscriptam idoneitatem supplendam suffragatur Apostolica dispensatio, quæ ex præsumpta fundatorum voluntate tanquam extraordinarium remedium, nunquam in damnum secundo loco vocatorum est concedenda : *Ibid.*, § 10.

Doctores affirmant, conductorem nec jure conductionis, nec jure meliorationum, beneficio prælationis pro eodem pretio, quod alius obtulit potiri : *Urb.*, *Emp.*, 6 *maii* 1785, § 7.

Excipiuntur conductores fiscales, qui ad relocandum, novo deficiente conductore, compelli possunt : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xxiii ; *Concursus*, § viii ; *Emphyteusis*, § x ; *Legatum pium*, § xiv ; *Subsidium*, *datale* § ix.

Prælatura.

Prælatitium relictum in favorem ejus qui velit esse prælatus, requirit solum propositum assumendi prælaturam : *Spol.*, *Assig. patr.*, 14 *maii* 1763, § 5.

Prælatus.

§ I.

Prælatus.

Summa scutorum 1500 in annuo reditu pro alendo Romanæ Curiæ prælato ex constitutione Alexandrina 88, § 5, *Bull.* tom. 6, est necessaria : *In Disc. secr.*, 23 *aug.* 1727, § 13.

§ II.

Prælatus inferior.

Triplex magis usita a juris auctoribus distingui solet prælatorum Episcopo inferiorum species : *Neap.*, 21 *jul.* 1752, § 9.

Prior videlicet eorum qui præter exemptionem, quam mere passivam vocant, aliqua etiam pollent jurisdictione, non quidem plenaria et universa in clerum et populum, sed vel in certis duntaxat causis, vel in personas quasdam intra alicujus collegii, monasterii, alteriusque hujus generis loci septa degentes, ut præsertim sunt regulares : *Ibid.*

Altera eorum est qui exemptionis jure gaudent, et præterea certum aliquem clerum et populum ordinariæ ipsorum jurisdictioni habent subjectum : *Ibid.*

Postrema ceteris præstantior eos complectitur, qui ordinariam Episcoporum instar jurisdictionem exercent in clerum ac populum atque in loco e diœcesi Episcopi prorsus distincto ac separato : *Ibid.*

Et hujus tertii generis adeo territorii separatio et jurisdictionis episcopalis concessio in clerum et populum exigitur, ut quantumvis privilegium amplissimum prælato tribuatur, non sufficit, nisi ex privilegio tenore manifeste appareat, territorium a diœcesi Episcopi prorsus avulsum, et sub illius prælati spirituali regimine, et potestate una cum clero et populo subjectum fuisse : *Ibid.*, § 10.

Et prælati classis inferioris quoad jus conferendi ordines, visitandi ecclesias, et personas, approbandi confessarios et concionatoret, diœcesano subsunt Episcopo : *Ibid.*, § 11.

Item ad Episcopum spectat indulgentias et jubilæa, necnon monitoria sub excommunicationis pœna pro rebus deperditis, atque occultis revelandis, aliaque hujus generis publicare : *Ibid.*

Prælatorum inferiorum triplex est divisio. Prima, et regularibus communis, est eorum qui cum Ecclesia et clero immediate subsunt Romano Pontifici : *Cap.*, 14 *mar.* 1767, § 11.

Secunda eorum qui habent jurisdictionem activam in clerum unius vel plurium locorum cum exemptione passiva ab Episcopi jurisdictione, exceptis quæ ad ordinem et legem diœcesanam spectant : *Ibid.*

Tertia eorum qui habent ordinariam et quasi episcopalem jurisdictionem in clerum et populum unius vel plurium locorum, qui a diœcesi Episcopi sunt penitus separati et avulsi, et proprium territorium constituunt : *Ibid.*

Triplex est prælatorum inferiorum distinctio : illi vero qui dicuntur semi-Episcopi exercent omnia fere quæ pertinent ad potestatem ordinis, quo ipsi carent : *Disc. secr.*, 23 *aug.* 1727, § 22.

Prælatus inferior nunquam approbare potest confessarios pro excipiendis confessionibus, sive presbyterorum et clericorum suæ ecclesiæ inservientium, sive aliorum : *Ibid.*, § 15.

Prælati regulares audire possunt confessiones suorum subditorum regularium et alios suos regulares approbare pro excipiendis confessionibus suorum regularium ; ita ut Concilium Tridentinum, cap. 15, sess. 25, *de Reform.*, nullum facit verbum de regularibus, sed de secularibus tantum : *Ibid.*, § 15.

Prælati inferiores secundæ speciei nequeunt acquirere vigore consuetudinis facultatem publicandi indulgentias in loco exempto suæ jurisdictioni non subjecto : *Aquil., Jurisd.*, 18 *jul.* 1761, § 8.

Inferior prælatus non potest acquirere territorium separatum et jurisdictionem ordinariam, et quasi episcopalem in clerum et populum cum ipsius Episcopi exclusione, sed in aliquo speciali loco per quadragenarium præscriptionem una cum titulo colorato potest : *Guas., Prov. med.*, 19 *jul.* 1766, § 26.

Sed pro dicta acquisitione requiritur aut clarum et undequaque subsistens Apostolicum privilegium, aut consuetudo immemorabilis cum suis omnibus requisitis rite probata, per quam Apostolicum privilegium de jure præsumi valeat : *Ibid.*

Idem declaravit Benedictus XIV in const. *Inter multa* 14 april. 1747 : *Ibid.*, § 27.

Privilegium debet exhiberi authenticum ac summa diligentia inspici : *Ibid.*

Et deficiente scriptura, immemorabilis consuetudo debet esse cum omnibus requisitis circumstantiis juridice probata, ad omnes actus extensa : *Ibid.*, § 33.

An sufficiant monumenta a solo abbatis notario extracta, non monitis Episcopis quorum intererat, dubium est : *Ibid.*, § 34.

Licet prælatus inferior, qui ex Apostolico privilegio jus habet congregandi synodum, potiri quoque dicatur jure instituendi concursum, ut pote ad synodi convocationem consectario, atque ab ea prorsus dependente : *Null. seu Mess., Jur con. syn.*, 14 *jun.* 1738, § 12.

Prælatus inferior convocare nequit synodum, nisi præter territorium separatum cum omnimoda ordinaria, seu quasi episcopali jurisdictione afferat Apostolicum indultum, in quo sibi id juris explicite tribuatur, et synodum consueverit convocare : *Ibid.*

Prælati inferiores indulgentias impertiri, vel publicare non possunt absque expresso sedis Apostolicæ indulto : *Cap.*, 14 *mar.* 1767, § 13.

Nec præsumant concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei prædicandi onus acceperint, benedictionem elargiri : *Ibid.*

Prælati Episcopo inferiores pontificalibus insignibus uti non debent extra ecclesias sibi subjectas : *Crem., Syn.*, 8 *aug.* 1733, § 9.

Non obstante contraria consuetudine et privilegio : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Abbas, Archipresbyter, Præpositus, Regulares.*

§ III.

Prælatus referendarius.

Prælato referendario accidenti ad ecclesiam civitatis danda est aqua benedicta per contactum aspersorii ab aliquo ministro superpelliceo inducto : *Torr. et Let.*, 21 *aug.* 1784, § 14.

Præmium.

Ex regula correlativorum obtinet, quod labori præmium comparetur : *Set., Char. et Miss. conv.*, 10 *dec.* 1785, § 15.

Præpositura dignitas ecclesiastica.

Præpositura uti vera dignitas obnoxia est ipso jure oneri residentiæ : *Ver., Resid.*, 23 *jun.* 1764, § 5.

Tria sunt necessaria ad præposituræ consecutionem, scientia nimirum, boni mores ac præsertim sacerdotalis character, quas qualitates actu fundator requisivit, dum præposito onus injunxit per semetipsum celebrandi : *Alex., Præp.*, 31 *aug.* 1771, § 21.

Præpositura est habitu sacerdotalis, non actu, hinc non requiritur, ut præsentatus sit actu sacerdos, sed sufficit ut infra annum possit ad sacerdotium promoveri : *Alex.*, *Præp.*, 31 *aug.* 1771, § 12.

Præpositus.

§ I.

Præpositus quoad distributiones.

Præposito absenti absque legitimo titulo et nullo substituto ex capituli gremio ab eo destinato denegantur distributiones quotidianæ repartiendæ ex Concil. Trid. inter præsentes : *Nov.*, *Distr. et Fruct.*, 11 *jan.* 1777, § 8

Et absente per lapsum septemdecim mensium privatur medietate fructuum ipsius præbendæ : *Ibid.*, § 9.

Quando nulla causa justa legitima, vel indultum Apostolicum seu venia Episcopi, uti sancivit Trid., sess. 24, cap. 12, *de Refor.*, intercedit, quibuscumque capitularibus non obstantibus statutis et consuetudinibus : *Ead. caus.*, 5 *jul.* cit. an., § 6.

Præpositus qui dum canonici vagantur maximos labores fert, iniquum est, ut in ejus retributione distributionibus quotidianis privetur : *Mac.*, 20 *dec.* 1766, § 6.

§ II.

Præpositus quoad jura et præcedentiam et capituli convocationem.

Super cæteros capituli eminet præpositus, eique subjicitur præfectus etiam chori, qui, si deficiet in munere, corrigi valet, directeque ab ipso præposito demandari possunt, quæ ad rectum pertinent rationem chori : *Fir.*, *Præem.*, 17 *sept.* 1796, § 8.

Ad præpositum etiam spectat jus convocandi capitulum ; eo vero renuente vel absente, ad seniorem canonicum : *Ibid.*, § 9.

Dummodo injuste renuat vel absit a loco residentiæ : *Ibid.*

Præsens enim in civitate abesse non dicitur ab ecclesia : *Ibid.*

Privativum quoque habet jus proponendi negotia in capitulo : *Ibid.*, § 10.

Post eum vero licet etiam canonicis proponere : *Ibid.*

Ejus tamen est privativa colligendi suffragia : *Ibid.*

Prior et præpositus ecclesiæ matricis habet super cæteros præcedentiam : *Bonon.*, 26 *mar.* 1763, § 8.

Non tamen si sit superior religiosorum et non totius cleri : *Ibid.*, § 11.

Nullum jus præposito tribuitur, ne in una eademque ecclesia juris sanctiones diffomiter inter easdem dignitates ex arbitrio discrepent : *Imol.*, *Jur. conv. cap.*, 14 *maii* 1774, § 6.

Uni præposito tanquam digniori, jus competit absente Episcopo convocandi capitulum : *Imol.*, *Jur. conv. cap.*, 14 *maii* 1774, § 2.

Et ratio est quia convocatio capituli est actus jurisdictionis, seu præeminentiæ, quæ nullatenus competere potest inferioribus, seu membris in concursu superioris, sive capitis : *Ibid.*

Et quum constitutiones loquantur de camerari pro capituli convocatione, nihil officit juribus ejusdem præpositi, qui ob suam præcellentem dignitatem major est, et superior, nec unquam excludi potest : *Ibid.*, § 4.

Præsertim quia in prædictis constitutionibus prærogativa convocandi capitulum, et subscribendi schedulam indictionis expresse tribuitur præposito, subsidiarie autem camerario : *Ibid.*

Quia contradictio tam patens ab iisdem constitutionibus est omnino avertenda : *Ibid.*

Quum nonnullæ schedulæ convocatoriæ manu camerarii signatæ inventæ sint, præsumptio ex jure et constitutionibus oritur, eas subsidiarie tantum, et absente præposito fuisse a camerario subscriptas : *Ibid.*, § 8.

Convocationes capituli ab aliis, præsertim a camerario factæ, referendæ sunt ad actus mere facultativos, nisi duo copulative probentur, nempe præposito fuisse interdictum quominus capitulum convocaret, ipsumque prohibitioni per tempus præscriptioni aptum acquievisse : *Ibid.*

Jus recognoscendi scrutinia convenit præposito cum a juris dispositione tribuatur digniori et præsidi : *Ibid.*, § 9.

§ III.

Præpositus quoad onera.

Præpositus qui unus est parochus et pingues habet reditus ad assumendum vicarium curatum cogendus est : *Urb.*, 30 *aug.* 1788, § 6.

§ IV.

Præpositus quoad residentiam et absentiam

Absens a residentia absque legitimo titulo præpositus alterum eligere tenetur, qui vices ejus sup-

pleat, impleatque onera, ad quæ absens obstringitur; aliter assequeretur fructus et distributiones, et canonici onera præpositi absentis subire gratis cogerentur : *Nov., Distr. et Fruct.*, 11 *jan.* 1777, § 7.

Præscriptio.

Res sanctæ juxta civiles leges præscribi nequeunt : *In vot. secr.*, 20 *aug.* 1768, § 25.

Et absonum est asserere fuisse per præscriptionem aliquid obtentum, vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiæ, quarum observantiam Sac. Concil. Trid. in Missarum celebratione sacerdotibus omnibus præcepit : *Ibid.*

Quæstio inter doctores agitatur, an in beneficiis et capellaniis dari possit onerum præscriptio : *Rom., Cap.*, 30 *jul.* 1768, § 19.

Negativam sententiam pluribus in locis amplexa videtur S. Congr. Concilii : *Ibid.*

Titulum ad præscriptionem dominii sufficere communis est, et pervulgata doctrina, quemadmodum de colorato tradunt omnes, ac dumtaxat etiam existimato : *Disp. sup. matr.*, 1740, in fin. § 8. *num.* 11.

Inductam præscriptionem oneris excludere quadragenaria præscriptio sufficit : *Terr. seu Priv., Mis. conv.*, 19 *sept.* 1772, § 4.

Præscriptio allegari nequit nec sine titulo saltem præsumpto, nec nisi post lapsum 40 annorum nunquam interruptum : *Firm., Cap.*, 20 *aug.* 1774, § 5.

Sufficiens bona fides inducitur in præscribente ex generali facultate ab habente potestate concedendi id quod præscribitur : *Aquil., Juris.*, 18 *jul.* 1761, § 7.

Prælatus inferior territorium separatum et jurisdictionem ordinariam, et quasi episcopalem in clerum, et populum, ad ipsius Episcopi exclusionem, in aliquo speciali loco acquirere per quadragenariam præscriptionem una cum titulo colorato non potest : *Rel., Caus. Herb.*, 28 *aug.* 1723, § 8.

Sed requiritur omnino aut clarum et undequaque subsistens Apostolicum privilegium, aut consuetudo immemorabilis cum suis omnibus requisitis rite probata, per quam Apostolicum privilegium præsumi valeat : *Ibid.*

A singulis vero casuum et factorum circumstantiis dependet internoscere, an admisso vero Apostolico privilegio de sui naturâ apto ad separationem territorii, et concessionem jurisdictionis ordinariæ, quasi episcopalis in clerum et populum cum exclusione Episcopi in aliquo determinato loco sed aliquam rationabilem dubietatem, aut disputationem admittente, subsequens uniformis quadragenaria, aut per aliud legitimum tempus continuata observantia favens prælato inferiori in qualibet actuum specie ordinariæ quasi episcopalis jurisdictionis deservire valeat, pro dicti Apostolici privilegii interpretatione : *Ibid.*

Jus eligendi concionatores, etiam in cathedrali præscribi potest, salva tamen facultate Episcopi concionandi per se ipsum, vel eligendi concionatorem, quatenus ei præstet eleemosynam : *Præn., Jur. conc.*, 23 *apr.* 1763, § 7.

Parique ratione præscribi potest jus passivæ electionis etiam per vices a religiosis in loco existentibus : *Ibid.*

Ad hanc præscriptionem inducendam requiritur, ultra tempus etiam contradictio cum acquiescientia: *Ibid.*, § 8.

Jus eligendi concionatores præscribi potest per quadragenariam consuetudinem : *Civit. Cast.*, 17 *dec.* 1763, § 8.

In cathedrali vero non sufficit etiam immemorabilis : *Ibid.*, § 9.

Actus vel ex informibus testibus, vel illegalibus monumentis eliciti, aut nulla immemorabili, vel saltem quadragenaria consuetudine, cum titulo muniti, vel ab altera parte ignorati, legitimam præscriptionem non inducunt : *Cap.*, 14 *mar.* 1767, § 8.

Imo ex actibus contrariis exercitis omnis excluditur præscriptio : *Ibid.*, 10.

Quando res est de præscribenda jurisdictione quoad unum actum particularem, satis est præscriptio quadragenaria cum titulo colorato : *Aq., Jurisd.*, 18 *jul.* 1761, § 4.

Præscriptiva consuetudo. Vide *Consuetudo*, § vii.

Præsentatio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xviii, *Canonicatus*, § vi; *Capellania*, § viii, *Juspatronatus*, vii.

Præsentia parochi in matrimonio. Vide *Matrimonium* §§ xxvii, xxviii, xxix, xxx.

Præsentia testium in matrimonio. Vide *Matrimonium*, § xxxi.

Præstatio. Vide *Alimenta*, §§ iii, iv, v; *Decimæ*, §§ iv, v; *Eleemosynæ*, § iii; *Legatum pium* § xxi.

Præsumptio.

Præsumptio quælibet facultatis ex multiplicatis actibus et ex immemorabili consuetudine rejicitur : *Eug., Juris.*, 7 *aug.* 1773, § 17.

Solis judicialibus peritis non iis qui electi a partibus sunt, legis præsumptio assistit : *Fan., Perm.*, 29 *jul.* 1786, § 6.

Præsumptio justitiæ legitima allegari ad tuendam sententiam potest : *Brach.*, 7 *jun.* 1788, § 3.

Generalis illa præsumptio, quod nemo in generali sermone comprehendat id quod in specie esset noliturus, in jure fundata est, et in ratione naturali : *Diss. secr. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. F, § 7.

Et ratio est, quia illa præsumptio fundatur in defectu voluntatis, quæ præsumitur ex incogitantia talium circumstantiarum : *Ibid.*

Constitutio Urbani VIII substulit præsumptionem pro beneplacito Apostolico, quæ de jure communi derivabat ex lapsu triginta aut sexaginta annorum, et præservavit tantummodo centenariam : *Crem., Coll.*, 7 *sept.* 1720, § 3 ; *Melet.*, 13 *sept.* 1721, § 5.

Et satis est, ut centenaria elapsa sit ante motam litem : *Ibid.*

Cujuscumque temporis intervallum tanti non est ut præsumamus id gestum, quod revera gestum minime fuisse demonstrat instrumentum ipsum : *Ferr.*, 15 *sept.* 1787, § 10.

Prava consuetudo. Vide *Consuetudo*, § IX.

Preces.

Dominicalis orationis et angelicæ salutationis recitatio præferri quidem non debet sacrificiis : *Fan., Er.*, 9 *aug.* 1788, § 8.

Preces signandæ sunt in favorem qualificati et passive vocati : *Æsin.*, 20 *junii* 1767, § 8.

Preces primariæ imperiales. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXIV.

Presbyter simplex.

Sacerdotis nomen simplici etiam clerico convenit qui potentiam habet ad sacerdotium : *Per., Cap.*, 15 *dec.* 1787, § 3.

Appellatur tamen sacerdos actu, si ipsum respicit præsentationis, institutionis vel collationis actum, si dixerit nempe fundator : *eligatur, præsentetur*, vel *instituatur sacerdos* : *Ibid.*

Nec facile ab hac regula in dispositione hominis disceditur : *Ibid.*

Qui bene callet hujusmodi vocabuli *sacerdotis* significationes, et distinctiones, non nisi *de actu* sacerdote cogitasse censetur : *Ibid.*, § 4.

Plurimi observantiam ad arguendam qualitatem *actu* sacerdotalem nonnulli doctores faciunt : *Ibid.*

Convenit quidem nomen sacerdotis simplici etiam clerico in minoribus ordinibus constituto : *Ferr., Cap.*, 7 *jun.* 1788, § 4.

Sed si sacerdos capellanus cujus est onus celebrandi, appellatur, de sacerdote saltem intelligitur habitu : *Ibid.*, § 4.

Ad differentiam casus, qui ipsum respiciat præsentationis, institutionis, vel collationis actum, nam tunc de sacerdote etiam accipitur actu : *Ibid.*

Nomine presbyteri venit etiam clericus prima tonsura initiatus, quando agitur de piis relictis, in quibus presbyterorum vocatio magis vim habet excludendi laicos quam vocandi taxative sacerdotes : *Spol., Ass. patr.*, 14 *maii* 1763, § 14.

Vel quando agitur de vocatione non ad beneficium ecclesiasticum, sed ad pium legatum, in quo eo minus optata præsumitur actualis qualitas sacerdotalis : *Ibid.*

Quoties vocationi presbyterorum sive ad beneficium, sive ad pium legatum adjectum non sit onus celebrandi Missas per se ipsum : *Ibid.*

Sub vocabulo sacerdotis indiscriminatim tam presbyteri quam inferiores clerici comprehenduntur, et communiter ad distinguendos clericos a laicis usurpatur : *Anim., Cap.*, 26 *febr.* 1774, § 6.

Sacerdos si post consecrationem inceptam recordetur, se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium, et sumere Sacramentum : *Juven., Susp. irr.*, 3 *dec.* 1735, § 10.

Si sacerdos meminerit, se peccatum aliquod commisisse, vel excommunicationi cuicumque subjacere, ante consecrationem, Missam inceptam deserere debet, nisi grave scandalum timeretur : *Ibid.*

Presbyteri seculares, nonnisi vocati, interesse possunt publicis processionibus : *Bon.*, 3 *jul.* 1762, § 6.

Et nullum habent locum in ceteris functionibus vel processionibus, quæ fiunt a religiosis in propria ecclesia et in ecclesiis societatum, ne cœtus diversi instituti simul confundantur : *Ibid.*

Sacerdotes simplices cogi non possunt, ut ad pompas sive professiones publicas intersint : *Null. Mont. Cas.*, 10 *nov.* 1757, § 4.

Tenentur clerici et sacerdotes omnes canonicam obedientiam Episcopo præstare osculo manus, sed in actu visitationis, non vero ut possit Episcopus ad id evocare clericos et sacerdotes e suis sedibus, eosque ad accedendum ubi sit compellere : *Ibid.*

Nomen presbyteri, quo usus est testator relative ad personas quibus esset deferenda hæreditas, solum sacerdotes actu comprehendit, non etiam clericos prima tonsura, vel minoribus ordinibus initiatos : *Spol., Ass. patr.*, 4 *maii* 1763, § 7.

Quum a sacerdotibus Missarum tempore sancta Mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptam nequeat consecrationis

expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel presbytero alteri, consecrationem complere : *Juven., Susp. et Irr.*, 3 *dec.* 1735, § 3.

Limita : et hoc procedit tamen respectu sacerdotis Sacrificium dimittentis post cœptam vel expletam consecrationem, secus vero ante illam putatur : *Ibid.*, § 6.

Nequit sacerdos in ecclesia parochiali, atque juris patronatus parochi officium sibi vindicare : *Urb., Cens.*, 28 *mar.* 1744, § 7.

Ad funera prælative sunt vocandi presbyteri ecclesiæ parochialis, quoties ab hæredibus alii sacerdotes invitantur præter parochum : *Bon.*, 26 *mar.* 1763, § 4.

In casu necessitatis tantum adjuvandi parochum in cura animarum parochiæ presbyteri onus habent : *Urb.*, 30 *aug.* 1788, § 5.

Habitualem habentes animarum curam non indigent approbatione Episcopi et parochi venia ad excipiendas parochianorum confessiones : *Ibid.*

Presbyteri ecclesiæ cathedralis sunt cooperatores et ministri in servitio ecclesiæ, et curæ animarum famulative ad destinationem Episcopi juxta primævum institutum Ecclesiæ : *And.*, 23 *april.* 1763, § 8.

Quilibet sacerdos etiam non approbatus potest absolvere a quolibet peccato et censuris in articulo mortis : *Discr., secr.*, 23 *aug.* 1727, § 16.

Disputatur inter doctores an id competat sacerdoti jure divino, vel jure humano, et an non approbatus possit uti dicta facultate absente, vel etiam præsente alio sacerdote approbato : *Ibid.*

Presbyteri.

§ I.

Presbyteri quoad admissionem ad participationem.

Capitulum seu clerus cujuslibet receptitiæ ecclesiæ tenetur ad participationem Missæ communis admittere presbyteros, qui ex parentibus civibus procreati ibi retinent domicilium ceterisque pollent qualitatibus ad id ex statuto aut consuetudine ecclesiæ necessariis, ut, si detrectet ejusmodi presbyteros ad participationem admittere, iidem pro admissis habeantur, atque a die denegatæ admissionis fructus omnes, quotidianas distributiones, ac alia quæcumque emolumenta lucrentur : *Cap., Part.*, 21 *nov.* 1739, § 2.

Admitti debent ad participationem ecclesiæ filii ex parentibus civibus procreati, licet hi nati in eodem loco non sint : *Juven., Ad. ad cons.*, 17 *aug.* 1737, § 3.

Presbyteri pollentes qualitatibus ab Ecclesiæ statuto præscriptis habentur pro admissis ad participationem, tametsi fuerint a capitularibus, ceterisque presbyteris participantibus rejecti : *Ibid.*

Ad participationem fructuum et reddituum ecclesiæ receptitiæ non admittuntur nisi qui civicam habeant qualitatem, et qui gratuitum sive longius, sive brevius juxta particulares cujusque ecclesiæ consuetudines, vel constitutiones, servitium præstiterint : *Rub.*, 27 *jan.* 1748, § 1.

Promoti ad sacerdotium pro necessitate ecclesiæ receptitiæ, ut assequantur admissionem ad participationem, tenentur servitia solum explere in ordine presbyterali, ut satisfaciant necessitati pro qua ordinati fuerint : *Nul. Can., Part.*, 25 *jan.* 1763, § 9.

§ II.

Presbyteri participantes quoad fructus et distributiones.

Quum presbyter cetera participantium munia explere nequeat ob cleri contradictionem, jacturam obventionum subire non debet, quemadmodum si non obsit injustum quodvis impedimentum ad lucrandos tum fructus præbendarum, tum etiam quotidianas distributiones : *Ost., Adm. ad part.*, 18 *maii* 1743, § 14.

Sacerdotes qui ob opem ferendam parocho de reditibus parochialibus tantum participant, eorumdem partis amissione plectendi sunt, si deficiant : *Polic.*, 29 *febr.* 1744, § 3.

Compendium funerum atque anniversariorum ii tantum luerari possunt, qui præsentes sunt, ne iis exceptis qui ob ætatem longumque servitium veniam impetrarunt : *Nap., Jur. part.*, 13 *febr.* 1745, § 2.

Et qui eas absque prædictis requisitis immemorabili licet tempore perceptas, exegerit, ad eas restituendas cogendus est : *Ibid.*, § 3.

Taxa annua pro quolidet ecclesiæ receptitiæ sacerdote, esse debet in scutis 50 : *Im., Cong.*, 22 *jun.* 1720.

§ III.

Presbyteri participantes quoad numerum.

Non est in ecclesiis major numerus constituendus quam qui juxta ejusdem ecclesiæ facultates possit convenienter sustentari : *Triv., Stat.*, 16 *maii* 1733, § 5.

Id plurium conciliorum decreta sanxerunt : nec non concilium provinciale Beneventanum Benedicti XIII, ann. 1729, idem constituit : *Ibid.*

Numerus presbyterorum participantium aliorumque ministrorum, auctis receptitiarum ecclesiarum reditibus, ipsius juris ministerio crescere oportet: *S. Sev.*, 27 *sept.* 1728, § 7.

In jure receptum est presbyterorum participantium numerum ab initio præfinitum sine capituli, aut eorumdem presbyterorum participantium voto, et consensu augeri nequaquam posse, tametsi reditus canonicatuum, seu massæ communis notabiliter excreverint: *Ibid.*, § 4.

§ IV.

Presbyteri participantes quoad onera.

Juxta universalem consuetudinem Italiæ, et præcipue regni Neapolitani, ecclesiæ receptitiæ regulariter constituunt quamdam speciem capituli seu congregationis per imaginem ecclesiæ collegiatæ, in quibus clerici et præsbyteri participantes, licet nullum dicantur habere beneficium residentiale, sunt tamen addicti servitio ecclesiæ et chori: *Urg., Par.*, 14 *jan.* 1730, §.

Presbyteri participantes non possunt compelli ad onus servitii chori, tametsi ecclesiæ servitio in ordinum susceptione adscripti sint: *Cap.*, 18 *jun.* 1735, § 8.

Ecclesiæ receptitiæ constituunt quamdam speciem capituli, et clerici et presbyteri participantes onus habent servitii ecclesiæ et chori: *Cap.*, 7 *april.* 1731, § 6.

Excusantur a residentia in choro qui absunt ex legitima causa comprehensa in cap unico *de Cler. non resid.*, in 6, et accedente consensu Ordinarii, ita ut percipere etiam possunt fructus et distributiones: *Ibid.*, § 7.

Inter causas legitimas recensetur, quando quis residere ob metum principis temporalis loci non potest: *Ibid.*, § ult.

Primariæ preces imperiales. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xxiv.

Primates.

Urbes atque loca multis ante adventum Christi temporibus statuta sunt, in quibus primates præsidebant pro majoribus negotiis: *Guast., Prov. med.*, 19 *jul.* 1766, § 15.

In ipsis urbibus post adventum Christi Apostoli et eorum successores patriarchas et primates posuerunt pro negotiis Episcoporum, salva tamen auctoritate Apostolica: *Ibid.*

In illis civitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi legis doctores erant, D. Petrus poni primates Episcoporum, vel patriarchas præcepit: *Ibid.*, § 16.

In illis in quibus minores erant doctores archiepiscopi primates institui voluit: *Ibid.*

In reliquis civitatibus singulos Episcopos constituit: *Ibid.*

Provinciæ multo ante Christi adventum tempore divisæ sunt, postea ab Apostolis divisio ipsa renovata est: *Ibid.*, § 17.

Ubi olim primates legis sæculi, et prima judiciaria potestas quoad subjectas, singulas civitates erant, postea patriarchæ, vel primates ecclesiasticæ jurisdictionis constituti sunt: *Ibid.*

Primitiæ.

Primitiæ debitæ ex primis fructibus, qui percipiuntur, promanat a jure divino, estque debitum voluntarium: *Pamp.Barb., Prim.*, 7 *apr.* 1731, § 3.

In Rota admissa fuit obligatio solvendi primitias præsertim in diœcesi Pampilonensi: *Ibid.*, § 4.

Præsumpta autem consuetudine, ac lege synodali, primitiarum debitum non voluntarium, sed obligatorium considerari debet juxta opinionem theologorum et canonistarum: *Ibid.*, § 5.

Antiquitus qui plurimum solvebant in causam primitiarum, quadragesimam partem sacerdotibus tribuebant; qui vero minimum, sexagesimam. Sed standum esse consuetudini putat Barbosa: *Ibid.*

Regulares non habentes privilegium exemptivum a primitiis tenentur ad eas præstandas: *Ibid.*, § ult.

Primogenialia bona. Vide *Bona*, § v.

Primogenitura.

Primogenitura ascendentalis tenetur ad alimenta subsidiaria in favorem vocati in defectum lineæ primogenialis: *Rom.*, 12 *jun.* 1762, § 4.

Ac etiam ad dotes illius filiarum: *Ibid.*

Princeps.

Princeps sola concessione possessionis transfert dominium: *Basil.*, 7 *april.* 1742, § 4.

Supremum principem, dum gratiam concessit: alterius jura lædere, aliique præjudicium inferre voluisse est minime præsumendum: *Rom., Sub. dot.*, 18 *nov.* 1769, § 10.

Prior.

Prior nequit vocem in capitularibus negotiis obtinere, cum nihil in massam distributionum quotidianarum contribuat; et consuetudo contraria, tanquam ex errore derivata, nullius est roboris: *Pisc., Voc. in cap.*, 8 *febr.* 1738, § 5.

Vetitum est priori ecclesiæ parochialis die sabbati

majoris hebdomadæ campanam pulsare, antequam a campana ecclesiæ collegiatæ ejusdem loci sonitus detur: *S. Min.*, 13 *febr.* 1745, § 2.

PRIOR MAGNUS. Vide *Religio militaris*, § IV.

Prioratus.

Prioratus dicitur laicalis, si aliquando clericus conjugatus ad eumdem admissus fuit: *Foro Livien.*, 15 *dec.* 1764.

PRIVATI ORATORII INDULTUM. Vide *Indultum*, § V.

PRIVATIO. Vide *Administrator*, § VII; *Beneficia ecclesiastica*, § XXV; *Canonicatus*, § IX; *Capellania*, § X; *Parochus*, § XIV; *Privilegium*, § II.

Privativa.

Privativa, quæ absque prohibitione et acquiescentia non inducitur, aliter probari nequit: *Anc., Trans. Mis.*, 7 *febr.* 1789, § 9.

Et ex uno etiam contrario actu excluditur: *Ibid.*

Privativa, quæ tangit uti singulos, non uti universos, et in iis quæ singulis competunt, unus etiam est legitimus contradictor: *Reat.*, 5 *april.* 1788, § 9.

PRIVATUM ORATORIUM. Vide *Oratorium*, § II.

PRIVILEGIA. Vide *Decimæ*, § VII; *Relugares*, § XI.

Privilegia particularia.

Privilegium a jure est pro beneficiatis inductum, ut dantes operam studio fructus beneficii, ac si residerent, integre percipiant: *Math., Part.*, 9 *jul.* 1735, § 4.

Privilegia clericalia quæ respiciunt superioritatem, commodum et favorem Episcopi vel ecclesiæ, vel decorem ipsius ordinis clericalis, firma semper perseverant: *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 14.

Secus vero, quæ respiciunt commodum privatum ipsius clerici in præjudicium tertii: *Ibid.*

Privilegiis militaribus, quæ ratione officii competunt priori viro, potiri non videtur potuisse mulier, quæ ejus conjux fuerat: *Neap., Matr.*, 29 *aug.* 1733, § 3.

Privilegium ordini Cisterciensi tributum est, ut de laboribus quos propriis manibus aut sumptibus excolit, nulli decimas solvere tenebatur: *Cons., Dec.*, 16 *dec.* 1769, § 14.

Necesse est ut ecclesia erecta fuerit in solo Lateranensi ante renovationem privilegiorum basilicæ Lateranensis a Xisto V factam, quod requiritur pro asserendo exemptionis privilegio: *Mac., Cath.*, 8 *maii* 1734, § 7.

Minusque doceri ut solum, in quo sita est ecclesia, ante ejus erectionem pertinuerit ad ecclesiam Lateranensem, quod pariter ad exemptionis privilegium requiritur: *Ibid.*

Sed etiam probata exemptione, nullius est momenti probatio in hypothesi, quod situatio in solo Lateranensi non tribuit exemptionem a cathedratico: *Ibid.*

Privilegia.

§ I.

Privilegium, privilegia in genere.

Non exorbitare a jure canonico privilegium prorogationis indulti, quando agitur de favore ecclesiarum: *Leod., Pror. ind.*, 19 *jan.* 1765, § 7.

Frustra Apostolicum privilegium obtinetur ab illo in re quam suo jure facere potest: *Eug., Can.*, 7 *jul.* 1770, § 15.

Privilegium ex constanti per nulla temporum intervalla interrupto usu, impugnari ullo modo non potest: *Guast., Prov. med.*, 19 *jul.* 1766, § 2.

Litteræ Pontificiæ, licet ad priora privilegia respexerint, continent tamen certam dispositionem, quæ suis viribus ipsa se consistit, licet de posterioribus privilegiis non doceatur: *Ibid.*, § 7.

Privilegia confirmata cum clausula: *Quatenus decretis Concilii Tridentini non adversentur*, exemptionem tribuere non possunt parochiæ: *Pal., Juris vis.*, 4 *jun.* 1763, § 4.

Privilegia ante conciliaria non suffragantur pro exercitio curæ animarum sine approbatione Episcopi: *Ibid.*, § 6.

Privilegia et consuetudines contraria Concilio Tridentino, et præjudicialia Episcopis, abrogata fuerunt a Benedicto XIV: *Ibid.*, § 4.

§ II.

Privilegium, privilegia, quoad confirmationem, derogationem vel privationem.

Privilegiis, gratiis et immunitatibus Summi Pontifices ornarunt ordines sancti Basilii et Casinensis, et confirmarunt: *Hisp., Ord.*, 12 *mart.* 1774, § 2.

Gravissima gratia requiritur, cur privari debeat aliquis pontificio privilegio, quod *decet esse mansurum*: *Pap., Diss. un. et Prov.*, 3 *mar.* 1787, § 6.

Privilegium alienandi bona ecclesiæ absque ulla licentia a posterioribus bullis Summorum Pontificum, quibus confirmata est dispositio extrav. *Am-*

bitiosæ, fuit abrogatum : *Tud., Cen.*, 2 *jun.* 1742, § 6.

Privilegia, quæcumque sint, privatorum conventionibus nequeunt derogare : *Const., Decim.*, 16 *dec.* 1769, § 9.

Omnia privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, *mare magnum* Pius IV annullavit, et ad terminos Concilii Tridentini redegit : *Hild.*, 16 *sept.* 1769, § 24.

Concilium Tridentinum sustulit antecedentia privilegia, non futura : *Adn. secr.*, 1 *sept.* 1725, § 10, et 16 *mart.* 1726, § 7.

Privilegiis specialibus non censetur derogatum per legem generalem : *Spir., Par.*, 18 *jul.* 1761, § 6.

Maxime si agatur de regularibus, quibus a pluribus Summis Pontificibus datum est ut eorum privilegia non possint revocari, nisi integro inserto illorum tenore, vel, ut usus obtinuit, nisi specialis et individua fiat illorum mentio : *Ibid.*

Privilegia ob causam concessa non resolvuntur per cessationem causæ negativæ, sed requiritur ad hunc effectum cessatio causæ contrariæ, et perpetuo : *Ibid.*, § 7.

Privilegium tumulandi cadavera non solum a Sancta Sede conceditur, sed etiam ab Episcopis et ab habentibus jura episcopalia : *Rav., Fun.*, 17 *mar.* 1781, § 5.

Dummodo subsit aliqua justa causa pietatis, vel congruentiæ, cuicumque ecclesiæ tribuitur : *Ibid.*

Spreto præjudicio parochi intra cujus fines sita est privilegiata ecclesia, quia idem parochus satis consultus remanet per præservationem jurium parochialium et quartæ funeris : *Ibid.*, § 8.

Quod privilegium cessat statim ac prædicta ecclesia suppressa est : *Ibid.*, § seq.

Vigente dicto privilegio, debetur parocho tantum quarta funeris ex omnibus cereis et intorticiis : *Ibid.*, § 9.

Illo cessante, insimul cum quarta funeris etiam emolumenta omnia competunt parocho ; quia ad eumdem spectat persolvere exequias super cadaver : *Ibid.*, § 10.

§ III.

Privilegium, privilegia, quoad interpretationem et commutationem.

Privilegium *præter legem* benigne interpretari debet, secus vero privilegium *contra legem* : *Arb.*, 26 *jan.* 1771, § 11.

Privilegiis Mendicantium gaudent religiosi hospitalarii S. Joannis de Deo : *Tran., Tax.*, 17 *dec.* 1763, § 3.

Privilegium.

§ I.

Privilegium Cruciatæ.

Privilegium *Cruciatæ* secundum aliquos est favorabile, secundum alios odiosum : *Sant., Dub. sup. bul.* Cruc., 17 *jun.* 1797, § 3.

Juxta benigniorem sententiam, celebrari valent quotidie, et omni tempore, plures Missæ in oratorio privato privilegiati : *Ibid.*

Potissimum, quia in bulla *Cruciatæ* permittitur, quod magis est, celebratio tempore interdicti : *Ibid.*

Supponit tamen *Cruciatæ* indultum oratorii privati : *Ibid.*, § 6.

Juxta rigidiorem vero et veriorem sententiam, unicum quotidie in oratorio privilegiati fieri potest sacrum : *Ibid.*

Et ob facultatem celebrandi etiam tempore interdicti supervacaneum non est privilegium : *Ibid.*, § 7.

Sunt etiam qui ex privilegio *Cruciatæ*, satisfieri affirmant præcepto Ecclesiæ audiendo Missam diebus festis in quolibet oratorio privato : *Ibid.*, § 8.

Contrarium verius : *Ibid.*

§ II.

Privilegium fori.

Illi qui se conventui S. Francisci terræ S. Archangeli offerunt gaudent privilegio fori, si absque fraude, id est, non animo effugendi secularis judicis punitionem, se obtulerint ; sed si fraus subsit, eos punire potest judex laicus pœna confiscationis bonorum et alia pecuniaria pœna, sed non corporali ; debet tamen judex ecclesiasticus, quoties delicti qualitas id exposcat, tradere tales in fraudem oblatos seculari judici corporaliter puniendos : *Angl.*, 15 *jan.* 1724, § 4.

Probatio, probationes.

Speculativam probationem confessio propria constituit : *Firm., Comp.*, 21 *apr.* 1787, § 4.

Prætensum contra aliquem creditum ex privato desumptum defuncti liberculo, quem ad proprium commodum scribens habebat, nullam facit probationem : *Ibid.*

Despicienda est quælibet cujusque prætensio, quæ concludentissimis probationibus destituta comperiatur : *Spol. seu Null. Fer., Juris.*, 16 *jun.* 1770, § 7.

In probationum conflictu, ac præcipue in re dubia, habenda ratio est earum quæ urgent pro exclusione debiti : *Tran., Irr.*, 26 *mart.* 1768, § 6.

Deficientibus fundationibus, commentaria familiæ plenam operis pii constituunt probationem : *Spol., Red. Mis.*, 11 *febr.* 1797, § 5.

Melior probatio haberi non potest quam quæ desumitur ex observantia, quæ in re dubia præcipue spectanda est : *Foro Sempr.*, 20 *april.* 1771, § 3.

Mentis sanæ probationes inducit frequentia sacramentorum, et probant lucida intervalla : *Cord., Null. matr.*, 26 *febr.* 1763, § 11.

Ex publico civitatis æstimio plena constituitur probatio de familiæ patrimonio : *Aret., Disp.*, 20 *aug.* 1774, § 12.

Mandata procuræ sufficientem constituunt probationem, quoties deest inventarium, et agitur de antiquo quod conjecturis etiam probari potest : *Spol., Red.*, 8 *jul.* 1771, § 4.

Ea quæ eruta fuerunt ex protocolo pergamena charta colligato, licet pleraque subscriptione careant, satis sunt ad rem antiquissimam probandam, donec oppositum demonstretur : *Sabin., Part.*, 13 *jul.* 1771, § 7.

Triginta et ultra testes parochiani, ex omni cœtu atque ordine decerpti, plenissimam probationem communis opinionis constituunt : *Cæs., Matr.*, 10 *mart.* 1770, § 4.

Et alii testes posthabendi prædictis numero pluribus, ex quibus communis opinio coalescere debet : *Ibid.*

Nam quod notum est aliquibus, non potest ex hoc exclusam remanere publicam et communem opinionem, quæ semper comprobatur, quoties major pars aliquid existimando conveniat : *Ibid.*, § 8.

Ita procedit, etiamsi non solum ille qui tanquam parochus se gerit, sed etiam contrahentes scirent eum revera parochum non esse, dummodo tamen veluti parochus communi opinioni haberetur : *Ibid.*

Leviores probationes sufficiunt, cum non agatur de validitate matrimonii, ut compellantur contrahentes ad servandam communis vitæ consuetudinem, sed de matrimonio per obitum viri jam dissoluto, ad effectum tantum, vel legitimandi prolem, vel vindicandi contrahentium honorem : *Cæsar., Matr.*, 10 *mart.* 1770, § 11.

Probationes compilatæ in curia episcopali, sine deputatione defensoris matrimonii, nullam merentur fidem : *Corp., Disp.*, 20 *sept.* 1760, § 8.

Ad impediendum matrimonium contrahendum leviores satis sunt probationes, etiam quæ ex unico teste educantur : *Æsin., Matr.*, 22 *jul.* 1758, § 1.

Videndum est cujus naturæ sint detractionum probationes, quales in eversionem præsertim legati pii requiruntur, undique scilicet concludentissimæ : *Jan., Leg.*, 24 *nov.* 1787, § 4.

Urgentiores requiruntur impedimenti probationes, quando agitur de matrimonio contracto, ad differentiam casus in quo ageretur de matrimonio contrahendo, quum copula sit difficilis probationis : *Rav., Matr.*, 23 *aug.* 1723, § 9.

Et non solum præsumptiones et testium depositiones conjungi debent, sed ulterius non videntur rejiciendi testes, licet aliquæ paterentur exceptiones ; ad probandam quippe consanguinitatem, aut aliquod publicum impedimentum, testes debent esse omni exceptione majores ; at secus se res habet, quando agitur de probando impedimento principium habente clandestinum : *Ibid.*

Utriusque conjugis nobilitas ac morum probitas omnis collusionis et fraudis suspicionis probationem in affirmatione jurata excludit : *Albin., Nul. matr.*, 30 *jan.* 1768, § 4.

Certa et indubia item redditur jurata conjugum assertio ex unisona depositione octo testium loco septimæ manus examinatorum : *Ibid.*, § 5.

Et ex judicio peritorum, qui, prævia corporis viri inspectione, et medelarum, et pharmacorum usu, de perpetua et desperata imbecillitate, nulla sive naturæ, sive artis, ope juvanda : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Adulterium, Consuetudo*, § x ; *Ecclesia cathedralis*, § iii ; *Ecclesia collegiata*, § vi ; *Ecclesia matrix*, § ii ; *Ecclesia parochialis*, § v ; *Juspatronatus*, § ix ; *Legatum pium*, § xv ; *Matrimonium*, § xvi ; *Metus*, § ii ; *Onus, onera*, § iv ; *Oratorium*, § i ; *Quarta funerum*, § ii ; *Sacramentum Baptismi*, § iii ; *Simonia, Sponsalia*, § iii ; *Testamentum*, § iv ; *Testes*, § v.

Processio.

Circa processiones incertas et extraordinarias servari debet norma, quæ in processionibus ordinariis et fixis servanda præscribitur : *Theat.*, 27 *febr.* 1734, § 3.

Ad processiones intervenire debent omnes exempti tam clerici seculares quam regulares, exceptis iis qui in strictiori clausura perpetuo vivunt : *Const., Jurisd.*, 31 *mart.* 1770, § 24.

Gregorius X, Pont. Max., statuit faciendam esse publicam processionem tempore Sedis vacantis, ad divinam opem implorandam in alterius Summi Pontificis electione : *Neap.*, 21 *jul.* 1742, § 5.

Compelli juris remediis debet collegium parochorum interesse processioni haberi solitæ in festo S. Marci, cujus interventum negligi ab eis nequit: *Fav., Præem. et Fun.*, 7 *jun.* 1760, § 9.

Omnes convenire debere sancta Synodus statuit, sess. 25, cap. 13, *de Regul.*, ad publicas processiones, sublatis quibuscumque exemptionibus : *Neap., Proc.*, 28 *nov.* 1733, § 6.

Hæc sanctio non censetur comprehendere eos quibus exemptio ab Ordinarii jurisdictione competat ex vi pacti appositi in fundatione, ac potissimum facta non ex bonis ecclesiasticis, sed ex bonis (ut supponitur) laicis ; cujus quidem generis fundationi non intelligitur derogatum, nisi de ea speciatim facta fuerit mentio in revocatione privilegiorum : *Ibid.*

Qualecumque privilegium exemptionis, licet quoad alios effectus fortasse attendendum, non tamen suffragatur pro evitando accessu ad generales processiones, nisi doceatur de privilegio post Concilium Tridentinum impetrato, quo tribuatur peculiaris exemptio circa hujusmodi processiones : *Ibid.*, § 9.

Sacrum Tridentinum Concilium, sess. 25, cap. ult., decrevit servanda esse omnia in superioribus contenta, non obstantibus quibuscumque regularium privilegiis etiam in fundatione obtentis : *Ibid.*, § 11.

In Concilio Tridentino, sess. 25, cap. 13, *de Reg.*, cautum est ut omnes clerici tam seculares quam regulares ad publicas processiones vocati accedere compellantur : *Spol., Proc.*, 25 *sept.* 1734, § 3.

Inter publicas processiones præcipua est quæ fit in die solemnitatis Corporis Christi, pariterque recensenda altera in festo Trinitatis vel patroni loci ex antiqua consuetudine fieri solita : *Ibid.*

Sub memorato Tridentino decreto non comprehenduntur clerici extra civitatem vel oppidum degentes cum propria plebe : *Ibid.*, § 4.

Multoque magis, accedentibus itineris longitudine ac viarum asperitate, cum sola distantia quingentorum passuum a mœnibus oppidi vel civitatis sufficiens reputetur, ne clerici rurales, licet curam animarum non habentes, non teneantur accedere ad publicas processiones in ea fieri solitas : *Ibid.*

Et Episcopus compellere nequit regulares etiam ultra milliare a civitate distantes, ut intersint processionibus : *Ibid.*, § 5.

Regulares cogi nequeunt ad interveniendum processionibus nisi publicis : *Alb., Proces. et Null. int.*, 14 *jul.* 1750, § 1.

Et publica processio illa dicitur, quæ in honorem Dei et publicam utilitatem directa est : *Ibid.*

Inter insolitas vero et extraordinarias processionnes, sicuti connumeratur illa quæ, honoris causa et reverentiæ, occasione primi ingressus Episcopi et visitationis, fieri solet : *Ibid.*

Ideo talis honor et reverentia præstari debent hac ratione a subjectis, non vero ab exemptis, quales sunt regulares : *Ibid.*

Loci etiam distantia in causa legitima esse potest, ob quam regulares non solum ab his insolitis et extraordinariis, sed etiam a publicis atque universalibus processionibus excusentur : *Ibid.*, § 2.

Et monitio et intimatio nomine Episcopi facta debet esse legitima, et personalis, ne regulares a processionibus excusentur : *Ibid.*

Processiones, quæ fiunt inter octavam Sanctissimi Corporis Christi, inter functiones vere parochiales censentur : *Brac., Proc.*, 13 *jul.* 1765, § 9.

In ea Sacramentum deferendum est ab eo qui in ecclesia, ex qua supplicatio procedit, Missam celebravit : *Ibid.*, § 10.

A parocho in ducenda supplicatione sunt illi admittendi qui parochiale jus non lædunt : *Ibid.*, § 11.

Videndum est, an const. Gregorii XIII *Cum interdum* loquatur de aliis processionibus, quæ ab aliis fiunt intra octavam Sanctissimi Corporis Christi, salva semper parochiali : *Ibid.*, § 23.

Quæ processiones, quæ fiunt infra octavam Sanctissimi Corporis Christi, ad jura parochialia non pertinent : *Ibid.*, § 5.

Processiones per territorium parochiæ duci non licet, nisi ex parochi consensu, et erecta cruce parochiali : *Cass.*, 30 *maii* 1767 ; *Andr.*, 20 *dec.* 1766, § 19.

Processio, diebus Sanctissimi Corporis Christi, S. Marci et Rogationum, una fit in ecclesia majori, quæ est intelligenda de majori ecclesia in eodem loco, terra, oppido, aut suburbiis, ita ut unus sit populus ; secus in locis, terris, oppidisve distinctis, et separatis, quorum diversus est populus : *Asc., Proc.*, 3 *febr.* 1753, § 1.

Et clerici et sacerdotes accedere his diebus ad pompas cogi nequeunt, si sint in distantia locorum ; ac Tridentinum decretum pertinet ad eos qui lares habent in alio loco, terra, oppido, villa : *Ibid.*, § 2.

PROCESSIO FUNEBRIS. Vide *Cadaver*, § II.

Processus.

Processum efformatum a superiore conventus super nullitate professionis alicujus sui religiosi, non servata forma constitutionum Benedicti XIV, nullum esse probatur : *Pisauren., Null. prof.*, 28 *april.* 1781, § 6.

Inter alia præcepit idem Pontifex, eligendum esse professionis defensorem, cujus præsentia et scientia incipiantur integreque conficiantur processus : *Ibid.*

Intellige vero id procedere, quando interrogatoria danda veniunt ab instante pro nullitate professionis, vel quando agitur de testibus ab eo exhibitis; demum, si agatur de nullitate vi metuque per testes probando elicita : *Ibid.* et seq.

Secus si res sit de nullitate ex defectu ætatis : *Ibid.*

Processus nullitatis professionis nulliter est efformatus, quando causæ nullitatis professionis deductæ non fuerint coram Ordinario, et coram superiore regulari : *Chiov., Rest. in int.*, 19 *sept.* 1778, § 5.

Processus constitutus coram Ordinario super nullitate matrimonii nullus est, si deputatus defensor matrimonii, et producta interrogatoria pro examinandis testibus non fuerint : *Cord., Null. matr.*, 26 *febr.* 1763, § 11.

PROCURATIO. Vide *Episcopus*, § XX.

PROCURÆ MANDATUM. Vide *Mandatum procuræ*.

PROCURATOR. Vide *Matrimonium*, § XVII.

Procuratores.

Procuratoribus confraternitatum aliorumque collegiorum liberum non est de illorum bonis pro libito disponere : *Nelit., Perm.*, 9 *jul.* 1774, § 3.

Maxime cum res sit de permutatione, quæ species est alienationis : *Ibid.*

Proindeque ad legitime permutandum, quemadmodum ad valide alienandum, omnes requiruntur solemnitates a jure præscriptæ, scilicet discussio causæ, consensus majoris partis, et S. Sedis approbatio : *Ibid.*

Certum est procuratorem nullum mandanti inferre posse præjudicium : *Rom. seu Port., Cap.*, 16 *jun.* 1768, § 15.

Pro-Datarius

Pro-datarius ipsam Papæ personam rapræsentat in his quæ gratiosa respiciunt : *Senog., Can.*, 14 *maii* 1768, § 10.

PROFANATIO. Vide *Ecclesia in genere*, § V.

Professio fidei.

Vetustissima est Ecclesiæ disciplina, ut obtinentes ecclesiasticas dignitates catholicam fidem, quam profitebantur, constanter retenturos jurisjurandi religione interposita promitterent : *Tiras., Vis. SS. LL.*, 20 *apr.* 1782, § 3.

Hunc morem laudabilem innovavit S. Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 12, *de Refor.*, præcipiendo ut provisi de beneficiis curam animarum habentibus intra duos menses a die adeptæ possessionis in manibus ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram ejus vicario generali, publicam emitterent fidei professionem : *Ibid.*, § 4.

Item præcipiendo ut provisi de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, dictam professionem emitterent, non solum coram Episcopo, sed etiam in capitulo : *Ibid.*

An beneficium cum animarum cura, vel præbendam in cathedrali obtinentes muneri suo satisfaciant, si per procuratorem fidei professionem emittant, nonnulli dubitarunt : alii affirmativam, alii negativam tenent sententiam : *Ibid.*, § 5.

Hanc S. Concilii legem observare etiam tenetur, qui in adeptione parochiæ, vel canonicatus cathedralis, fidei professionem fecit, et postea, veteri dimisso beneficio, aliam similem præbendam assequutus est : *Ibid.*, § 6.

Imo etiam ab eo emittenda est professio fidei qui denuo adipiscitur ecclesiam parochialem, dignitatem, vel canonicatum cathedralis, quem antea dimiserat : *Ibid.*

Et obtinentes dignitates ecclesiasticas fidei professionem facere debent ante consecrationis tempus : *Ibid.*, § 8.

Omnesque provisi de beneficiis curatis, dignitatibus, canonicatibusque in ecclesiis metropolitanis, vel cathedralibus, qui intra præfinitum duorum mensium spatium a die adeptæ possessionis publicam fidei professionem non fecerint, fructus non faciunt suos, nec illis professio suffragatur : *Ibid.*, § 11.

Et hæc pœna intelligitur de fructibus beneficii tantum, non autem de distributionibus quotidianis : *Ibid.*

Atque dicta pœna locum habet quoad fructus qui post lapsum duorum mensium beneficiato debentur : fructus elapsi primo bimestri comprehendi non debent : *Ibid.*, § 12.

Nec ab amissione fructuum qui post bimestre elapsi sunt, fidei professio posterius emissa beneficiatos excusat : *Ibid.*, § 13.

Hæc, etsi prosit ad acquirendos fructus temporis futuri, neutiquam tamen ipsis suffragatur ad lucrandos sive recuperandos fructus temporis præteriti, sive elapsos post bimestre usque ad tempus emissæ professionis : *Ibid.*

Nec Episcopus potest condonare fructus beneficii amissos ob non peractam professionem fidei : *Ibid.*

Omnes obstricti ad hanc professionem, si eam

statuto tempore emittere negligant, vel minus recte expleant, coguntur ad Sac. Congreg. Concilii recurrere pro facultate eamdem fidei professionem etiam elapso tempore emittendi, vel minus rite ac invalide peractam renovandi : *Ibid.*

Imo impertitur recurrentibus facultas prædicta, et condonatio fructuum, si bona fide fuerint percepti, sub onere tamen aliquid pauperibus elargiendi : *Ibid.*

Saluberrima regula est de emittenda a beneficiatis fidei professione, quæ aut suam originem ab Hispanorum antistitum pietate habet, aut ab iisdem solemniore decreto fuit consecrata : *Dub. sup. prof. fid. in reg. Hisp.*, 8 *apr.* 1786, § 2.

Et S. Pius IV, const. *Injunctum nobis*, universalis legis vim autoritatemque addidit : *Ibid.*

Sede episcopali vacante, loco Episcopi, aut vicarii generalis, adhibendus est vicarius capitularis, nec satis est coram solo capitulo professionem emittere : *Ibid.*

Et ratio est, quia, licet capitulum succedat in jurisdictionem Episcopi, voluit tamen Tridentinum eamdem jurisdictionem exerceri per vicarium capitularem : *Ibid.*

Hæc fidei professio renovanda est quoties novam parochi, canonici, dignitates, etc., assequuntur parochiam, dignitatem, canonicatum, etc. : *Ibid.*, § 3.

Et ratio est, quia ille qui fuit canonicus, et postea canonicatum dimisit præstito juramento, iterum jurare tenetur : *Ibid.*

Imo si parochus, canonicus, dignitas, etc., ad eam redeat quam dimisit parœciam, dignitatem, aut canonicatum, etc., a lege renovandæ professionis eamdem ob causam non eximitur : *Ibid.*

Licet Concilium Tridentinum legem, modum, et tempus emittendæ fidei professionem invexit, contrarias non obliteravit consuetudines : *Ibid.*

Tamen Pius IV, in const. *Benedictus Deus*, qua Concilii decreta approbavit, eas apposuit salutares clausulas, per quas contrariæ consuetudini patere amplius non potest accessus : *Ibid.*

In graviori conciliari sanctione de parochiis etiam patronatus ecclesiastici per concursum conferendis, dubitatum olim fuit an quidpiam contra hanc legem potest immemorabilis observantia, cui pedisequa esse solet Apostolici privilegii præsumptio : *Ibid.*

Sac. Rota momentosam censuit, et attendendam immemorabilem observantiam : *Ibid.*

At postea de suo sensu diffidit, jussitque, ut super viribus dictæ immemorabilis duo Romanæ jurisprudentiæ lumina, Prosper Lambertinus et Pitonius, scriberent pro veritate, id quod utrique præstitere : *Ibid.*

Contra immemorabilem consuetudinem respónderunt dicti duo consultores, sed defuit occasio de quæstione amplius agendi in S. Rota, quia ob collitigantis obitum ulteriorem non habuit ea causa progressum : *Ibid.*

Sed extra dictum Tribunal de hac ipsa re quærere oportuit, et præsertim nullas hasce consuetudines exserere vices posse contra conciliarem legem a Pio IV confirmatam : *Ibid.*, § 5.

Et hinc consuetudo ut provisi a Dataria de canonicatibus, aut parœciis, fidei professionem non emitterent, licet constans sit, tamen nihili facienda, cum Tridentino Concilio apertissime repugnet : *Ibid.*

Licet, post decretum quo professio fidei præcipitur, aliud decretum non sequatur abrogans quæcumque in contrarium proferri possent, id tamen cautum satis fuit per Pium IV in dicta const. *Benedictus Deus* : *Ibid.*

Illa quidem abrogat omnia quæ Tridentinæ Synodo contraria esse videantur, ideoque singula ejusdem Concilii capita complectitur, et nullius efficit momenti consuetudines quæ leges aliquas in iisdem capitibus præscriptas violent : *Ibid.*

Et sine ullius præsidio consuetudinis coram altero vicario generali, qui proprie est vicarius generalis, et capitulo professio emitti potest : *Ibid.*, § 6.

Si dictus ille vicarius vere et proprie generalis non sit, jam ejus præsentia nullum adjicere robur consuetudini potest contra formam a Tridentino invectam, et præcise servandam : *Ibid.*

Neminem latet haud posse Ordinarium auctoritate sua a restituendis fructibus absolvere eos qui professionem fidei, tempore et modo a Tridentina lege præstituto, non emiserunt : *Ibid.*, § 7.

Sed æque omnes norunt S. Apostolicæ Sedis hac in re indulgentiam quoties malitia absit, concurratque bona fides : *Ibid.*

Gregorius XIII semper hosce fructus condonavit ; nec aliter hæc S. Congr. se gessit : *Ibid.*

Publica orthodoxæ fidei professio intra duos menses a die captæ possessionis coram Episcopo, seu ejus officiali, et in capitulo coram canonicis legitime congregatis, per se ipsos fieri debet ab iis qui dignitates aut canonicatus in cathedralibus præsertim seu metropolitanis ecclesiis fuerunt assecuti : *Capuana, Prof. fid.*, 6 *dec.* 1738, § 3.

Inde ampliata fuit ad quoscumque beneficiatos hæc conciliaris lex : *Ibid.*

Professionis fidei indultum faciendæ coram card. vicario Urbis, vel in manibus Datarii, si in Curia reperiantur, aut coram alio Episcopo in cujus diœcesi manent, consuevit elargiri cum clausula :

Dummodo, cessante impedimento, ad suam se conferant residentiam, ibique eamdem fidei professionem coram Ordinario, et in capitulo, iterum emittant : *Ibid.*, § 5.

Beneficiatus non tenetur ad iterandam fidei professionem, licet nonnulli contrarium putant : *Ussel.*, *Seques.*, 1 *sept.* 1759, § 2.

Sed excusatur in beneficiato bona fides, qui simul ac audivit esse reiterandam, postulavit a Sacra Pœnitentiaria absolutionem, et ab Episcopo, ut ad iteratam fidei professionem admitteretur ; quæ iteratio ab eo deneganda non est : *Ibid.*

Professio religiosa.

§ I.

Professio religiosa in genere.

Professio regularis, uti species contractus, liberum consensum requirit utriusque contrahentis : puellæ scilicet profitentis, et capituli monialium acceptantis : *Rom.*, *Jur. nom. et accep. puell.*, 28 *febr.* 1761, § 1.

Et licet efficaciam de jure habeat promissio facta a deputato monasterii acceptandi puellas *absque ulla exceptione* juxta legem testatoris : *Ibid.*, § 2.

Attamen limitationem patitur hæc promissio et declarationem ab observantia subsequuta : *Ibid.*

Vere non censentur professæ, quæ clausuram non servant : *Civit. Castell.*, 3 *mart.* 1792, § 5.

Per solemnem religionis professionem matrimonii rati et non consummati dissolvitur vinculum : *Chien.*, *Matr.*, 15 *dec.* 1792, § 5.

Hujusmodi tamen professio fieri juxta canones debet, dum agitur de matrimonio : *Ibid.*

Extra enim claustra impleri nequit per annum probatio ad solemnem professionem præscripta a Concilio Tridentino : *Ibid.*

Ingressus tamen in monasterium est de accidentalibus monachatus : *Ibid.*

Adscribi enim quis potest alicui monasterio per concessionem habitus ab habente potestatem : *Ibid.*

Et votum in ejus manibus emissum evadit solemne : *Ibid.*

Neque enim novum est ut valeat professio solemniter emissa in domo privata coram habente potestatem adscribendi religioni per Sedem Apostolicam approbatæ : *Ibid.*

§ II.

Professio religiosa quoad admissionem.

Tenent aliqui quod professio sit contractus qui mutuum consensum ita requirit, ut novitius se religioni tradat, et religio se obliget perpetuo professum retinere, eaque posteriori obligatione deficiente, nec prior quidem possit subsistere : *Ord. Capp.*, 25 *sept.* 1728, § 7.

Plures et non ignobiles doctores vero tenent, quod vis et natura professionis consistit in immutabilitate, et perpetuo statu quem profitetur novitius, non vero in obligatione illum retinendi, et quod hæc obligatio sit extrinseca, et legitima solemnitas, quæ abesse potest, licet perfecta : *Ibid.*, § 8.

Pontius probat professionem esse speciem quamdam donationis, qua novitius se tradit ac donat religioni, et in qua utriusque partis consensus intervenit, novitii quidem qui se perpetuo tradit religioni, religionis vero quæ donationem acceptat : *Ibid.*

Si in acceptatione professionis defecerit consensus majoris partis religiosorum tunc in conventu degentium, irritatur professio : *Calarit.*, *Null. prof.*, 18 *dec.* 1728, § 1.

Religiosa professio involvit contractum correspectivum, et ultro citroque obligatorium, ita ut deficiente consensu ex parte religionis, professio debet esse nulla et irrita etiam ex parte professi : *Prov. Rom. Capp.*, *Null. prof.*, 8 *jul.* 1724, §§ 7, 8.

Sicuti religiosa professio involvit contractum correspectivum, et ultro citroque obligatorium, ita, deficiente consensu ex parte religionis, cui infirmitas non innotuit, professio ipsa, ut aiunt, claudicare videatur ; nulla quoque respectu religiosi censenda est : *Januen.*, *Rest. in int.*, 4 *jul.* 1739, § 3.

Professio religiosa eorum qui tempore suæ receptionis vel morbo aliquo laborabant, vel alio nomine inhabiles erant ad profitendum, nunquam ratihabita censeatur, ita quidem ut taliter professi neque restitution[illegible] integrum adversus lapsum quinquennii indigean. *Ibid.*

Limit., si adfuerit consensus tacitus, quando enuntiatus morbus superiori fuit manifestus, vel facile potuerit innotescere, quod satis est ad excludendam professionis invaliditatem : *Ibid.*, § 4.

Ante professionem monialium necesse est ut exploretur puellæ voluntas, requiratur a superiore aut monialibus consensus, educatur puella e monasterio, ac sacramento Confirmationis muniatur : *Valentin.*, *Profess.*, 12 *junii* 1773, § 4.

§ III.

Professio religiosa ante legitimam ætatem emissa.

Synodus Tridentina, sess. 25, cap. 15, *de Regul. et Monial.*, statuit ætatem 16 annorum exple-

tam tam in viris quam in mulieribus ad profitendum; aliter nullam declarat : *Cam. seu Fabr., Null. prof.*, 30 *jan.* 1768, § 10.

Licet illud caput Concilii statuat non posse fieri professionem in quacumque religione tam virorum quam mulierum ante completum decimum sextum annum, et nisi sit elapsus annus tirocinii, hinc tamen non infertur sublatam fuisse a Tridentino tacitam professionem, sed eam sic esse modificatam ut non valeat nisi completo anno decimo sexto quoad ætatem, et completo anno uno quoad tirocinium : *Cam., Renunc.*, 12 *julii* 1721, § 1.

Juxta opinionem canonistarum magis communem, sufficit ad validitatem professionis ætas præscripta a S. Concilio Tridentino, quamvis deficeret major ætas requisita a constitutione religionis, quoties ista non est munita decreto irritante : *Calar., Null. prof.*, 18 *dec.* 1728, § 5.

Constitutiones ordinis requirentes ætatem viginti annorum in recipiendis laicis non debent intelligi de receptione impropria, quando scilicet laici ex decreto definitorii recipiuntur ad monasterium, vel ad habitum regularem, sed de receptione propria et vera, quæ fit per professionem : *Consen.*, 30 *april.* 1720, § 5.

Qui in ætate annorum 14, mensium 4, et dierum 12, professionem emisit regularem, nulliter professus est : *Spol., Null. prof.*, 13 *sept.* 1777, § 5.

Synodus Tridentina enim tam viris quam mulieribus professionem emittentibus statuit ætatem non minorem annorum 16 completorum : *Ibid.*

Et licet nulla professio fuerit ex defectu ætatis profitentis, attamen audiendus non est ille qui sciens falsitatem fidei Baptismatis exhibitæ dolose se gesserit, ideoque, in pœnam fraudis quam patravit, tenetur in eadem religione permanere : *Ibid.*, § 6.

Fortius si post completam ætatem in religione permansit, religiosum habitum gestavit, et omnia adimplevit et exercuit quæ veris professis conveniunt, ex quibus infertur tacite professionem ratihabuisse, et convalidasse : *Ibid.*, § 7.

Vel tacite renovasse, se validam reddidisse in die quo juxta institutum religionis a quolibet religioso tacite renovatur professio : *Ibid.*

Quoad querimonias et reclamationes adversus professionem intra quinquennium factas, ii actus omnes tacitam ratihabitionem professionis indicantes inefficaces esse videntur ad eam inducendam, nisi gesti probentur cum scientia nullitatis, et cum animo ut professio de invalida fiat valida : *Ibid.*, § 8.

Rursus permanentia in religione cum gestatione habitus et observantia regulæ religionis in aliqua haberi non deberet consideratione, si adsint assiduæ querimoniæ, quæ tollunt præsumptionem elicitam a silentio : *Ibid.*, § 9.

Et si concurrat egestas qua sustinere non valet litem : *Ibid.*

Regula juris est non posse ratihaberi professionem, quæ ab initio propter defectum ætatis a proficiente de jure non subsistebat : *Ibid.*, § 10.

Altera, quod, cum defectus ætatis expressam professionem destruit, multo magis tacitam irritat excluditque : *Ibid.*

Ratihabitio quippe sanare potest defectum liberi consensus, non autem quod ex conciliari lege nullum et invalidum est : *Ibid.*

Fortius quia renovari non potest actu interno, sed solemniter et actu externo cum consensu religionis in manibus superioris : *Ibid.*, § 11.

Præsertim, si superior sciens et approbans nullitatem professionis professum jam semel a religione dimiserit : *Ibid.*

Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 19, *de Regul. et Mon.*, statuit quod quicumque regularis prætendat se ante legitimam ætatem professionem fecisse, non audiatur, nisi infra quinquennium tantum a die professionis : *Theat., Rest. in int.*, 23 *nov.* 1782, § 9.

Ante Concilii Tridentini tempora licebat annum decimum sextum in religiosæ professionis nuncupatione antevertere : *Ampur., Null. prof.*, 20 *jan.* 1787, § 3.

Omissis iis Ecclesiæ seculis in quibus effusa erant patriæ potestatis jura in filiis religioni offerendis, etiam postea solus minoris ætatis excessus ad monasticam professionem sufficiebat : *Ibid.*

Verum Tridentini Patres, cap. 15, sess. 25, *de Regul.*, humanæ fragilitatis et tepescentis in dies christianæ charitatis miserati, annum 16 completum esse voluerunt antequam regularis professio emitteretur : *Ibid.*

Et antea facta est nulla et nullam inducit obligationem : *Ibid.*

Professio religiosa, ante decimum sextum annum emissa, ex conciliari lege nulla et irrita illico efficitur : *Pisaur., Null. prof.*, 28 *april.* 1781, §§ 4 et 8.

Propter quod nullam inducit obligationem, imo licitum est taliter professo ad seculum redire : *Ibid.*

Professionis defensor eligi debet, ut valide conficiat processus super nullitate professionis : *Ibid.*, § 6.

Dummodo nullitas non promaneat ex defectu ætatis : *Ibid.* et seq.

In nulla religione fieri professio potest ante decimum sextum annum expletum, ita ut professio antea facta nulla est, nec ullam inducit obligationem : *Tolet. seu Matr., Null. prof.*, 13 *aug.*

1718, § ult.; *Sagon., Null. prof.*, 4 *febr.* 1719; *Vienn., Null. prof.*, 25 *jan.* 1721, § 2; *Larin., Rest. in int.*, 11 *jan.* 1727; *Gratian., Rest. in int.*, 24 *novemb.* 1770, § 16; *Camen. et Fabr., Null. prof.*, 30 *jan.* 1768, § 3; *Gratian., Rest. in int.*, 23 *febr.* 1771, § 2; *Ulyssipp. Occid., Rest in integr.*, 13 *junii* 1733, § 3.

Sed quando expressa supervenit ratihabitio cum positiva scientia in illo qui ratam habet professionem nullam ratione ætatis, in hoc rerum statu, data validitate ratihabitionis, professio ullo modo impugnari nequit : *Ibid.*

Deficientibus adhuc quatuor mensibus et diebus octo ad ætatem 16 annorum complendam, penitus nulla ac irrita est professio religiosa : *Gratian., Rest. in int.*, 24 *nov.* 1770, § 7.

Et frustra opponi potest tacita professio, cum ea sit hujus nullitatis indolis, ut non aliter sanari valeat, nisi, data certa scientia nullitatis, expressa fiat professionis ratihabitio : *Ibid.*

Satis est ad professionis validitatem novitios exegisse sextum decimum ætatis annum ; ubi tamen desit grandior ætas, quæ in aliqua religiosa familia requiritur, non solet irrita reddi professio, nisi hac ipsa nullitatis pœna fuerit in constitutionibus ordinis a Sede Apostolica approbatis expresse decreta: *Crem. seu Veron., Rest. in int.*, 19 *sept.* 1733, § 6.

S. C. Episcop. et Regul. vetuit puellas religioso habitu induere, nisi annum decimum quintum complevissent : *Valen., Prof.*, 12 *junii* 1773, § 4.

Quum inverisimile esset ut ignorata sit ætas, et fidei error, in pœnam commissæ fraudis et doli querela nullitatis repellitur : *Com. seu Fabr., Null. prof.*, 30 *jan.* 1768, § 7.

§ IV.

Professio religiosa quoad beneficium restitutionis in integrum.

Rigore disciplinæ immutato, inductum fuit remedium restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii : *Thean., Rest. in int.*, 23 *nov.* 1782, § 10.

Et hoc remedium in jure vocatur extraordinarium ; idcirco inferiores judices facultate carent illud concedendi, solum Romano Pontifici reservatum est : *Ibid.*

Antiquitus restitutionem in integrum impertiri consuetum fuit, inspecta probabili ratione causarum, quæ ad professionis nullitatem probandam requirebantur : *Ibid.*, § 11.

Inde positum fuit in more, ut causa restitutionis in integrum non minus accurate et rigide examinari debeat, ac si dubium propositum fuisset super ipsa professionis validitate et nullitate : *Ibid*

Datur restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii statuti a Tridentino Concilii ad nullitatis querelam promovendam : *Med., Rest. in int.*, 22 *maii* 1762.

Ut eis consulerent qui religiosam professionem, vel ætatis imbecillitate, vel metu emisissent, prudenter quinquennium Tridentini Patres ad proponendam illius nullitatem indulserunt : *Brach., Rest. in int.*, 20 *sept.* 1788, § 4.

Ne diutius vero cum maxima christianæ reipublicæ perturbatione incertus esset ipsorum status, pari prudentia decreverunt audiendas amplius, eo elapso, non esse nullitatis querelas : *Ibid.*

Conciliaris hæc dispositio procedit, ubi contrariam professi non declaverint voluntatem : *Ibid.*

Extrajudiciales etiam conquestiones justam præbent restitutionis in integrum causam : *Ibid.*

Sac. Concilium Tridentinum solum intra quinquennium proponi nullitatem professionis, sed censetur sibi locum vindicare, ubi etiam præsides ordinis velint jure suo uti ad ejiciendum religiosum quinquennio jam elapso ; quo casu peti prius a Sede Apostolica restitutio in integrum, deindeque cognosci causa coram Ordinario et superiore cœnobii debet : *Neap., Rest. in int.*, 1 *dec.* 1731, § 4.

In integrum restitutio non datur, ex quo accedit ratihabitio cum positiva scientia, in ratam habente professionem, fuisse nullam ratione ætatis : *Sagon., Null. prof.*, 13 *april.* 1720.

Deneganda non est restitutio in integrum ob elapsum quinquennium ad reclamandum præfinitum juxta morem Sac. Congr. Concilii probatum a Bened. XIV, quando de consensu dubitari potest religiosæ professionis : *Gratian., Rest. in int.*, 24 *nov.* 1770, § 2.

Necessarium est impetranti a Sancta Sede restitutionem in integrum post elapsum quinquennium a die professionis, non obstante quacumque consuetudine quæ in contrarium vigeret, quod idem quinquennium ita continuo decurrat ab ipsa emissæ professionis die, ut perperam ad impediendum illius initium vel complementum allegetur perseverantia causæ metus et impotentia reclamandi : *Sicul., Rest. in int. et Null. prof.*, 24 *sept.* 1740, § 9.

Professio eorum qui morbo aliquo suæ receptionis tempore erant affecti, vel alio pacto ad profitendum inhabiles, nunquam ratihabitione convalidatur, adeoque beneficio restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii non indigere : *Ver., Rest. in int.*, 27 *julii* 1737, § 2.

§ V.

Professio religiosa quoad consensum profitentis et recipientis.

Irrita est professio absque profitentis consensu emissa : *Valent.*, *Prof.*, 12 *junii* 1773, § 10.

Ex defectu interni consensus cessat obligatio, et irrita est professio : *Medial.*, *Profes.*, 29 *aug.* 1772, § 12.

Nulla est professio religiosa ob defectum consensus, licet deessent vis et metus : *Med.*, *Rest. in int.*, 22 *maii* 1762, § 6.

Ordines, recepti in opinione quod non obstarent promovendæ querelæ nullitatis, atque juramentum assertorium pro recipiendis eisdem emissum non confirmant nullam professionem : *Ibid.*

Et lapsus temporis cum gestatione habitus inefficax est ob continuas querimonias, quæ tollunt præsumptionem elicitam ex diuturno silentio : *Ibid.*

Atque in dubio standum est pro nullitate professionis allegata ex defectu consensus : *Ibid.*

Professio religiosa facta sine interiori consensu seu voluntate profitentis, etiam vi metuque non impellentibus, est nulla, nec profitentem ad servanda vota obstringi, quia ubi deest obligandi voluntas, deficit etiam obligatio : *Thean.*, *Rest. in int.*, 23 *nov.* 1782, § 12.

Et id militat tam in foro interno quam in foro externo, nec defectus consensus suppletur ab Ecclesia : *Ibid.*

Hæc sententia non adversatur text. in cap. *Quod interrogasti*, dist. 27, et cap. *Vidua*, *de Regul.* ; *Ibid.*, § 13.

Nam in primo casu agebatur de vidua per hypocrisim professa, et propterea, licet matrimonium contraxisset, coacta a Pontifice fuit ad redeundum in monasterium, non tamen ex vi voti et consensus ab Ecclesia suppleti, sed in pœnam sui reatus, quia per fraudem et dolum profiteri ausa fuerit : *Ibid.*

In altero vero casu, sanctimonialis illa quæ velum assumpserat cum animo deponendi, ut ipsa asserebat, non potuit id concludenter probare : *Ibid.*

Certum est quod reclamantes adversus professionem nullam ex defectu consensus interni tenentur in dubiis probationibus id ipsum demonstrare, eorumque de interiori dissensu testimonium, licet juramento confirmatum, nullimode sufficere, cum nimis indignum sit ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, proprio valeat testimonio infirmare : *Ibid.*, § 14.

Quia vero ad probationes quæ requiruntur ad evincendum in foro externo defectum interioris consensus, conveniunt doctores quod non admittitur probatio defectus consensus nulli causæ alligata, etiamsi simulatio probetur ; *Ibid.*

Ut quando simulatio alicui causæ alligata est, tunc de ipsâ causa inquiri debet, num ea honesta sit aut inhonesta : *Ibid.*

Si enim sit inhonesta, tunc rejici debet ; si autem sit honesta, admittitur ad probandum defectum interioris consensus, qui probatur exterioribus signis, et præsumptionibus, dummodo tamen probationes univocæ sint, graves, et ex omni parte completæ : *Ibid.*

In professione religiosa, deficiente consensu, de illius nullitate dubitari non potest : *Gratian.*, *Rest. in integ.*, 24 *nov.* 1770, § 2.

Ad interioris consensus defectum demonstrandum, adeo graves et solidæ requiruntur probationes, ut omnem dubitationem excludant, ne fides Deo data immani execratione violetur : *Med.*, *Prof.*, 29 *aug.* 1772, § 14.

Inobservantia regularis instituti tempore tirocinii habet omnem vim ad evincendum defectum consensus interni : *Ibid.*, § 2.

Et præsumi non potest repentina voluntatis mutatio in eo qui paulo ante adversum animum tot contrariis actibus demonstraverat : *Ibid.*, § 7.

Imo si post professionem perseveraverit propositus egrediendi e religione, illudque patefecerit, tum quando recusavit sacros ordines suscipere : *Ibid.*

Tum etiam quando nondum elapso a professione quinquennio reclamavit : *Ibid.*

Illi tantum actus observari atque attendi debent, qui præcisum professionis tempus, ac momentum respiciunt, non vero antecedentes, aut subsequentes, cum humana voluntas repentinæ subsit mutationi : *Ibid.*, § 16.

Ita ut ob præsumptam voluntatis mutationem neque attendatur protestatio ante professionem emissa, si professionem inter et protestationem aliquod temporis intervallum intercesserit : *Ibid.*

Etiamsi protestatio immediate ante professionem emittatur, quia in isto casu attenditur factum quod protestationi adversatur : *Ibid.*

§ VI.

Professio religiosa contra peculiares ordinum constitutiones emissa.

Est evulgatum juris principium, ut scilicet professio religiosa contra legem in peculiaribus constitutionibus alicujus ordinis præscriptam non soleat irrita declarari, nisi hæc ipsa nullitatis pœna fuerit in eisdem constitutionibus a Sede Apostolica specifice approbatis adjecta : *Caps.*, *Rest. in int.*, 6 *julii* 1737, § 4 ; *Pisan.*, *Rest. in int.*, 10 *jan.*

1739, § 4; *Veron., Rest. in int.*, 23 *apr.* 1735, § 5; *Parm., Matrim.*, 3 *sept.* 1740, § 5; *Gratian., Rest. in int.*, 28 *sept.* 1743.

Adeo ut, si constitutiones istæ non reperiantur a Sancta Sede specifice confirmatæ, atque decreto professionem explicite irritante communitæ, id solum operari dicantur ut liberum sit superiori regulari ad avertendum ipsius religionis incommodum contra professum, qui morbum reticuit, procedere, eumque in pœnam commissi delicti a religione expellere : *Ibid.*

Sicuti professio religiosa involvit contractum correspectivum, ultro citroque obligatorium, ita, deficiente consensu ex parte religionis, ne ipsa, ut aiunt, claudicare videatur, etiam respectu religiosi professi irrita censenda sit : *Caprit., Rest. in int.*, 6 *jul.* 1737, § 3.

Constitutiones ordinis quoties confirmatæ non sunt in forma specifica, dubitari potest an queant invalidare professionem juxta formam conciliaris dispositionis alioquin factam : *Bonon., Rest. in int.*, 3 *jul.* 1734, § 4.

Regula communis est, quod, inspecto jure communi, ægritudo corporis professionem non vitiet : *Ord. Capp.*, 11 *sept.* 1728, § 5.

Neque statuta specialia illam irritare censentur, nisi disertis verbis expressum id fuerit : *Ibid.*

Non sunt vero contraria, quod professio quidem viribus subsistat, et quod possit religio, detecta ægritudine, professum dimittere : *Ibid.*

Professio illius qui aliquo gravissimo morbo laborat, nullitatis vitio communiter redarguitur : *Prov. Rom. Cap., Null. prof.*, 31 *jul.* 1723.

Non præsumitur consensus religionis in eo qui epileptico morbo laborabat, dum erat in sæculo, et, consensu deficiente, non est dubitandum de professionis nullitate ; *Ibid*

In constitutionibus ordinis Cappuccinorum non adest decretum irritans professionem illius qui aliquo gravissimo morbo laborat, illudque reticuerit ; et simplex interdictum sine decreto irritante non efficit nullam professionem : *Prov. Rom. Cap., Null. prof.*, 31 *jul.* 1723, § ult.

Valida proinde illius qui vitium reticuerit esse potest professio, et superior illum in pœnam peccati ob reticentiam defectus commissi a religione expellere et habitu privare potest ; *Ibid.*

Nulla censetur esse professio quam Minor S. Francisci de Paula, qui incurabilem morbum profitendo reticuit, emisit : *Ancon., Null. prof.*, 19 *maii* 1708.

Ex morbo luis celticæ ab infantia passo, utpote perpetuo et incurabili, irritam reddi religiosam professionem arbitratur : *Messanen. seu Melevitana, Rest. in int.*, 2 *junii* 1742, § 8.

Ea nullo unquam temporis intervallo potest convalescere, quum eadem semper causa irritans perseveret : *Ibid.*

Ut admittatur mulier ad solemnem professionem, etsi imbecillis sit corporis et affecta gravibus et diuturnis infirmitatibus, necessarium est ut præcesserit sive Apostolicæ Sedis, sive Ordinarii, licentia, ut valide dici posset constitutionibus ordinum derogatum : *Jan., Rest. int.*, 30 *jan.* 1740, § 4.

Recepta juris est regula, juxta quam professio, tametsi contra explicitam constitutionum ordinis legem emissa, non debet pronuntiari invalida, nisi lex ipsa pœnam nullitatis expresse indixerit : *Ibid.*, § 5.

Si constitutio excludens morbo laborantem est simpliciter prohibitiva, nullum habens admixtum decretum irritans, professio est valida, licet illicita ; quoties vero dictum decretum irritans continet, et expresse infirmat professionem factam a morbosis eorum morbum occultantibus, professio non tenet : *Cons.*, 30 *april.* 1729, § 7.

Deficiente protestatione seu interrogatione, professio facta ab infectis valida esse putatur ab uno auctore : *Ibid.*, et ult.

Quæstio sit an constitutionum ordinis ea sit vis, quæ professionem irritam reddat, nec solum inde promanet in religionem facultas dimittendi religiosum qui morbum celavit, sed etiam religiosus ipse constitutionibus uti possit ad professionem suam impugnandam, quando religio eum, licet ægrum, tolerare et retinere non recusat : *Leod., Rest. in int.*, 1 *sept.* 1731, § 12.

§ VII.

Professio religiosa quoad emissionem et ratihabitionem.

Certum est, professionem ab initio irritam ex nova professi voluntate et ratihabitione ita convalidari, ut restitutio in integrum adversus illam denegetur : *Neap., Rest. in int.*, 28 *april.* 1736, § 8.

Post Concilium Tridentinum raro ratihabitio professionis contingere potest : *Gratian., Rest. in int.*, 23 *febr.* 1771, § 3.

Multoque minus induci potuit in puella, quæ, etsi minis, verberibus, carcere diu defatigata, monasticam vitam amplecti coacta fuerit, nihilominus contra suam professionem reclamare nunquam cessavit : *Ibid.*

Professionis ratihabitio ex pacifica desumitur perseverantia in religione : *Brachar., Rest. in int.*, 20 *sept.* 1788, § 9.

Hæc excluditur vero ex conquestionibus : *Ibid.*, § 10.

Et his accedentibus, gestatio religiosi habitus et implementum officiorum monasterii tribuenda sunt necessaria obedientiæ, et nihili facienda : *Ibid.*

Ut ratihabita dici possit invalida professio, opus est ut nullitatis scientia interveniat : *Hisp., Null. prof.*, 19 *dec.* 1744, § 2.

Si invaliditas professionis fuerit incognita, tunc exercitium actuum ex quibus arguitur tacita professio adscribi debet ignorationi nullitatis professionis, nec illi actus tacitam professionem inducunt : *Neap., Rest. in int.*, 4 *dec.* 1734, § 9.

Deficiente scientia nullitatis professionis nunquam ex silentio et habitu, vel monasticis officiis tacita, vel præsumpta professio induci potest : *Cam. seu Fabr., Null. prof.*, 30 *jan.* 1768, § 5.

Non datur tacita professio, seu ratihabitio, quoties occurrit justa et probabilis ignorantia nullitatis suæ præcedentis professionis : *Vien., Null. prof.*, 25 *jan.* 1721, § 4.

Curandum non est de renovatione votorum ad tacitam inducendam professionem, quum illa esset cæremonia devotionem redolens, et pietatem, sed quæ non impedit quin de nullitate professionis dici possit : *Ibid.*, § 5.

Doctores nonnulli ultra annum tirocinii, et præter ætatem ad minus annorum sedecim pro tacita professione exposcunt etiam annalem ulteriorem gestationem habitus ; nullam admittentes inter novitios et professos distinctionem : alii autem hanc excludunt, tacitamque contendunt inductam professionem statim ac elapsus est annus novitiatus, et completa est ætas annorum sedecim : *Cam., Rénunt.*, 12 *julii* 1721.

In ordine Fratrum Prædicatorum, quum indistinctus sit habitus novitiorum ab habitu professorum, non solum sibi vindicat locum tacita professio, sed etiam inducta censetur tacita in ipso temporis momento, in quo absoluto tirocinii anno, novitius annum complet ætatis suæ decimum sextum : *Ibid.*, § 2.

In professione mulierum, ad differentiam professionis virorum, jus exposcit scripturam a profitente subscriptam, aut saltem signatam : *Ibid.*, § 5.

Urbanus VIII novam legem fecit, in qua voluit ut religiosi illi qui ad habitum regularem canonice admissi, annum probationis fecerant in monasteriis ad id non designatis et professionem subinde emiserant, admitterentur ad novam professionem, servatis aliis servandis, emittendam, sed absque novo probationis anno : *Leod., Prof.*, 2 *aug.* 1721, § 2.

Ad occurrendum autem motibus qui in religione suscitari poterant occasione receptionis novitiorum, et professionis in conventibus non designatis emissæ, idem Pontifex declaravit, ut allegantes nullitatem professionis ex causa mox recensita, non possent audiri elapso quinquennio, et reclamantes infra quinquennium, tam ipsi quam superiores, jura sua coram S. C. deducere tenerentur, et ea inconsulta exeuntes, punirentur ut apostatæ, et superiores illos ejicientes a divinis suspensionem incurrerent : *Ibid.*

Accedente probabili ætatis ignorantia et consequenter ignorantia nullitatis professionis, non potest ex actibus subsequenter gestis induci tacita professio, vel antecedentis professionis ratihabitio : *Vienn., Null. prof.*, 13 *sept.* 1721, § 2 ; *in Neap., Rest. in int.*, 10 *april.* 1723, § 5 ; *Larin., Rest. in int.*, 11 *jan.* 1727, § 2.

Simplex autem allegatio ignorantiæ ætatis, et sic nullitatis professionis, non excludit tacitam professionem, seu ratihabitionem ex actibus subsecutis derivantem, nisi ignorantia circumstantiis, conjecturis, validisque adminiculis munita sit : *Ibid.* ; *Larin., Rest. in int.*, 11 *jan.* 1727, § 2.

Totus itaque punctus consistit in examinando, an ignorantia veræ ætatis, tam tempore professionis, quam tempore subsequenti usque ad reclamationem sit necne verisimilis : *Neap., Rest. in int.*, 10 *april.* 1723, § ult.

Susceptio sacrorum ordinum, utpote separata a professione minus operatur, quam gestatio habitus professorum, aut suffragii præstatio ; ab accedentibus querimoniis etiam extrajudicialibus non valet argumentum a susceptione sacrorum ordinum ad ratihabitionem professionis : *Polycas.*, 17 *aug.* 1726, § 1.

Susceptio sacrorum ordinum non ratam facit professionem, quando durat causa metus propter quem professio emissa est : *Ibid.*

Ex subsequenti et plusquam annali delatione habitus, ac exercitio actuum professis competentium, et fortius ex susceptione sacrorum ordinum ad titulum religiosæ paupertatis inducta et ratihabita censetur professio religiosa : *Nucer. seu Fulg., Prof.*, 2 *julii* 1729, § 6.

Tacita exurgit professio, quæ ex sola gestatione habitus per annum inducitur : *Cam. seu Fabr., Null. prof.*, 30 *jan.* 1768, § 8.

Ad ratihabitionem professionis, vel novam tacitam inducendam professionem nullitatis scientia non requiritur : *Ibid.*

Ex diuturna habitus delatione necnon acquiescentia, silentio, ac munerum exercitio abunde evincitur tacita professio, seu jam emissæ ratihabitio : *Gratian., Rest. in int.*, 24 *nov.* 1770, § 10.

Satis non esse videntur ad inducendam tacitam professionem diuturni actus religioso instituto consentanei, cum eorum exercitium adscribi possit ignorationi nullitatis professionis : *Ulyssip. Occid.*, *Rest. in int.*, 13 *junii* 1733, § 3.

Satis sunt ad tacitam excludendam professionis ratihabitionem, quæ ex quinquennii lapsu desumitur, extrajudiciales etiam conquestiones : *Brach.*, *Rest. in int.*, 20 *sept.* 1788, § 4.

Qui, ingresso monasterio ut monachus efficiatur, suscepit habitum religionis, et per totum annum in monasterio permanserit, professionem tacitam fecit : *Nuc.*, *Rest. in int.*, 26 *martii* 1768, § 17.

Ætatis accedente probabili ignorantia, et consequenter ignorantia nullitatis professionis, nulla induci potest ex actibus subsequenter gestis tacita professio, vel antecedentis professionis ratihabitio : *Cam. seu Fabr.*, *Null. prof.*, 30 *jan.* 1768, § 12.

Dummodo tamen ignorantia ætatis, et sic nullitatis professionis sit verisimilis, et non inducatur ex solo dicto professi, sed munita sit circumstantiis, conjecturis, et aliis adminiculis : *Ibid.*

Nulla concipi potest ex quibusvis actis professio tacita, ubi eam excludunt explicitæ contrariæ animi significationes : *Lucerin.*, *Rest. in int.*, 26 *mart.* 1768, § 5.

Præsertim, quia exercita officia meri fuerunt laboris, et servitii, non jurisdictionis : *Ibid.*

Ordinum autem susceptio non regularibus privative sed clericis etiam convenit, proindeque ex illa nullum tacitæ professionis argumentum induci potest : *Ibid.*

Ratihabitio inducitur a subsequenti plusquam annali delatione habitus, ab exercitio actuum professis competentium, et fortius a susceptione SS. Ordinum ad titulum religiosæ paupertatis successive secuta, quæ circumstantiæ aptæ sunt pro inducenda tacita professione : *Fuc. seu Fulg.*, *Prof.*, 8 *maii* 1734, § 8.

Protestationes pluries factæ, quamvis extrajudiciales, suffragantur ad excludendum consensum a ratihabitione subsequuta : *Ibid.*, § 10.

Professio religiosa eorum qui morbo aliquo suæ receptionis tempore laborabant, vel alio pacto erant ad profitendum inhabiles, nunquam rata habita censetur, ita quidem ut taliter professos neque restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii indigere : *Capit.*, *Rest. in int.*, 6 *julii* 1737, § 3.

In jure canonico cautum est, ut ille qui ingressus est monasterium ante ann. 14, et habitum assumpsit religionis, et totum subsequentem annum in monasterio permanserit, tacitam professionem fecerit, vel si fecerit professionem, ratam habuit : *Gratian.*, *Rest. in int.*, 24 *nov.* 1770, § 18.

Tot annorum silentio est inducta præcedentis professionis ratihabitio, vel nova tacita professio : *Neap.*, *Rest. in int.*, 17 *sept.* 1768, § 13.

Et ad inducendam dictam ratihabitionem non est opus scientia nullitatis professionis : *Ibid.*

Lapsum longi temporis, gestaque munera, et officia, non convalidat professionem irritam, quando non sunt exercita anima ratihabendi illam : *Tolet.*, *Null. prof.*, 21 *aug.* 1762, § 8.

Ceterum, munera et officia solis professis convenientia inducunt novam professionem tacitam, vel prioris ratihabitionem : *Ibid.*, § 9.

Professionis ratihabitio inducitur, si emissæ non fuerint protestationes, quæ, durante etiam causa metus, præmitti debent, quando id tuto fieri possit coram probis viris : *Neap.*, *Rest. in int.*, 30 *mart.* 1737, § 4.

Tacita professio, vel ratihabitio non admittitur, ubi agitur de nullitate ob non expletum tempus in constitutionibus Apostolicis cum decreto irritante præfinitum : *Neap.*, *Rest. in int.*, 17 *sept.* 1768, § 7.

Præsertim, si non deficiant conquestiones, et querelæ, precesque pro nullitate oblatæ vel superioribus Ordinis, vel S. Congr. Episc. et Regul., ex quibus omnibus dissensus continuatio deprehenditur : *Ibid.*

Ordines quos suscepit aliquis in religione, præmissa protestatione ut post dimissum habitum vivere posset ex eleemosynis Missarum, vel lapsum quinquennii frequentissimis protestationibus interruptum conferunt ad excludendam tacitam ratihabitionem, cum tollatur præsumptio elicita ex diuturno silentio : *Lucien.*, *Rest. in int.*, 20 *sept.* 1760, § 10.

Præsertim accedente egestate, et difficultate congregandi testes religiosos in variis provinciis degentes : *Ibid.*

Quum firmum esset non esse audiendas querelas super professionis nullitate intra quinquennium, colligitur efficacia quinquennalis silentii, ut professionis invalide emissæ ratihabitio inferatur : *Ampur.*, *Null. prof.*, 20 *jan.* 1787, § 4.

Quod si professus intra idem quinquennium non æquivoca dederit renuentis animi argumenta, etiam sine judiciali forma et apparatu, enervis tunc est quinquennii lapsus tanquam si præsumptiones cessent et conjecturæ, quando ipsa animi certitudo apparet : *Ibid.*, § 5.

Et delatio habitus religiosi, exercita officia ordinis, susceptio ordinum sacrorum, licet ad titulum religiosæ paupertatis, stare haud videntur sine implicita semel emissæ professionis omologatione : *Ibid.*, § 6.

Sed ii actus, et alii hujus generis, nonnisi præ-

sumptam atque interpretativam professionis ratihabitionem præ se ferunt ; quodque tacitam voluntatem cedere expressæ necesse est, præsumptionem veritati, sequitur plane ineptos eosdem in his circumstantiis esse ad inducendem irritæ professionis confirmationem : *Ibid.*

Concilium Tridentinum tacitam professionem, tam sæpe a canonico jure laudatam, nequaquam sustulisse videtur : *Ibid.*, § 7.

Quum ex facto adsint argumenta contrariæ voluntatis, non solum vitio nullitatis infecta erit professio expressa, sed aditus quoque tacitæ professioni aperiri haud potuisset : *Ibid.*, § 9.

§ VIII.

Professio religiosa quoad tirocinium et annum probationis.

Tirocinium probationisque annum ita integrum et continuum a quocumque novitio persolvendum est, ut si iste degat extra claustra absque superioris licentia, rursus inchoandum sit tirocinium per integrum anni tempus, alioquin professio subsequuta viribus careret : *Gratian., Rest. in int.*, 28 *sept.* 1743, § 5.

Hoc quoque num dicendum sit de novitio, qui, accedente superioris licentia, divertit e monasterio, atque alibi moram trahit, discordes sunt doctorum sententiæ : *Ibid.*

Quoad decreta Clem. VIII, Pont. Max., ad receptionem et institutionem novitiorum spectantia, quum plura in iis statuantur a novitiis haud alibi peragenda quam intra monasterii claustra, dubitandi occasionem præbuerunt, an solum contineant præceptum, vel potius novam induxerint formam, qua non servata nullo in numero habendus sit probationis annus : *Ibid.*, § 6.

Pro negativa facit Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 15, primo quod professio ejus qui post susceptum habitum non steterit in probatione per annum non valet : *Pampil. rel. die cit.*, § 2.

Secundo, quod cessante causa cessat effectus : *Ibid.*

Hinc causa faciendi probationem, est probatio, quia tirocinium probat rigorem regulæ, et monasterium probat mores novitii, an conveniant ei : *Ibid.*

Tertio, quod illa verba, cap. 1, *de Regul.*, in 6, quod si per totum sequentem annum in monasterio permanserit, significant novitium debere per unum annum, adeo quidem quod, si aliqua parte anni manserit foris, interrumpitur annus probationis, et non conjungantur illæ partes interruptæ, sed debet incipere ex integro a principio posterioris partis : *Ibid.*

Etiamsi per solos tres dies foris maneret : *Ibid.*

Valet professio si novitius post susceptum habitum per totum annum partim maneat intra monasterium, partim extra illud, sub obedientia superioris : *Ibid.*, § 3.

Et ratio est, quia superioris licentia justa de causa data, et faciens ejus præcepta et mandata, sufficere videtur ad implendum annum suæ probationis tirocinii : *Ibid.*

Item quia nullo jure cavetur, ut novitius debeat manere semper et continuo totum annum intra monasterium, et quod patrum sanctionibus non est statutum, superstitiosa inventione non est præsumendum : *Ibid.*

Item, quod religiosus manens extra monasterium sub obedientia superioris, et cum ejus licentia, videtur residere intra illud : *Ibid.*

Aliter sequeretur quod omnes novitii non complerent annos tirocinii, si intra annum exeunt cum superioris licentia : *Ibid.*

Necnon errant reges et principes, qui sunt generales religionum militarium, qui frequenter post datum habitum suis militibus novitiis ad defendenda aliquot oppida munita mittunt : *Ibid.*

Hinc consuetudo optima legum interpres, probat quod annus tirocinii extra monasterium de licentia superioris justa de causa agi et compleri potest : *Ibid.*

Novitius, si statim post susceptum habitum inciperet ægrotare, et maneret æger quatuor, sex, et decem menses intra monasterium sub obedientia, potest in fine anni profiteri secundum mentem omnium doctorum : *Ibid.*

Tempus tirocinii attendi debet juxta constitutiones Apostolicas clausula : *Sublata*, et decreto irritantimunitas, absque eo quod in capitulis generalibus fuerit dispositum : *Neap., Rest. in int.*, 17 *sept.* 1768, § 8.

Et suspicio quælibet non existentiæ dispensationis P. generalis excluditur ex aliis rationibus, licet non fuerit in archivo provinciali inventa : *Ibid.* § 9.

Statutum est in jure, solemnem et expressam professionem, quæ ante expletum novitiatus annum emittatur, invalidam esse, et nullam inducit obligationem : *Pragen., Prof.*, 4 *julii* 1739, § 8.

Ita multo minus tacita possit ex quibusvis actibus induci professio, si integer, ut in casu, non præcesserit probationis annus : *Ibid.*

Annus tirocinii ad validitatem professionis debet esse completus, et continuus : *Cord., Null. prof.*, 19 *sept.* 1761, § 3.

Annus probationis a Tridentino præfinitus con-

tinuus esse debet, et de momento in momentum progredi : *Mediolanensis, Prof.*, 29 *aug.* 1772, § 10.

Et annus tirocinii compleri debet cum intentione faciendæ probationis et animo experiendi religionem, ac in statu actualis obedientiæ : *Ibid.*

Ac religio magis deseritur per deliberatam voluntatem mutandi propositum quam per materialem habitus dimissionem : *Ibid.*, § 11.

Quando per se non stetisset, quominus habitum dimitteret, et ad domum suam reverteretur, idcirco habendus est ac si habitum revera dimisisset, et a novitiatu fuisset egressus : *Ibid.*

Initium prorogationis desumendum est a die, qua finem habuit annus probationis a Concilio Tridentino præfinitus : *Ibid.*, § 12.

Tempus prorogatum ejusdem est indolis ac naturæ cum primo tempore, et importat continuationem anni probationis : *Ibid.*, § 13.

Præsertim quando prorogatio concessa fuit ob levitatem et inconstantiam novitii : *Ibid.*

Probationis tempus non interrumpitur, nisi, dimisso habitu, novitiatus e religione egrediatur, animo illam deserendi : *Ibid.*, § 18.

Et inducta dici non potest interruptio, etiamsi novitius exire velit, et secularibus vestibus induatur, nisi e monasterio simul egrediatur, cum ante egressum pœnitere possit, et religionis habitum resumere : *Ibid.*

Quamvis professionis tempus ad sex menses fuisset prorogatum, nihilominus irrita dici non potest professio ante dictum tempus emissa, cum sufficiat completum fuisse annum probationis præfinitum a Concilio Tridentino : *Ibid.*, § 20.

Quando in constitutionibus ordinis ab Apostolica Sede confirmatis adjectum non legatur decretum irritans professionem emissam antequam prorogationis terminus compleatur : *Ibid.*

Si novitius non exivit e monasterio, sed animo fugendi aliquantisper intra claustra latitasset, non propterea annus probationis interruptus censetur : *Ibid.*, § 24.

Communior videtur canonistarum esse sententia, ut novitiatus infirmitate, qua novitius laborare contingat, non dicitur adeo interruptus, ut professio subinde emissa judicetur invalida : *Jan.*, *Rest. in int.*, 30 *jan.* 1740, § 5.

Annus probationis, si majori ex parte intermissus, non potest dici completus, et absolutus, uti requiritur ad professionis validitatem : *Jan.*, *Rest. in int.*, 30 *jan.* 1740, § 6.

Professio religiosa, licet in articulo mortis, tirocinio non præmisso, facta, adhuc censenda est valida non solum quoad participationem suffragiorum, ac indulgentiarum, verum etiam ad quoscumque alios juris effectus : *Canar.*, *Fruc.*, 22 *aug.* 1739, § 5.

Si quis durante novitiatu fugit e conventu, fuga hæc, licet ad modicum tempus, irritam reddit professionem, ex quo annus tirocinii debet esse continuus : *Firm.*, *Null. prof.*, 8 *febr.* 1727, § 4.

Ille qui e novitiatu nocturno tempore aufugit, interrumpit probationis annum contra sanctionem S. Concilii Tridentini, cap. 15, sess. 25, *de Regul.* : *Neap.*, *Rest. in int.*, 28 *april.* 1736, § 6.

Professio religiosa censetur invalida, si, durante probationis anno, religiosus discesserit, aut aufugerit e conventu : *Avenion.*, *Rest. in int.*, 5 *jun.* 1779, § 3.

Palamque edixerit amicis, se vi metuque habitum religiosum induisse : *Ibid.*

Quo circa, ex interrupto tirocinii anno professio censetur invalida : *Ibid.*, § 4.

Ex dimissione habitus religiosi, et indumento secularium vestium adversus non arguitur animus deserendi religionem : *Ibid.*

Verum, ut interruptus vere dici possit annus probationis plurima intercedant oportet, nimirum dimissio habitus, egressus e conventu, et deliberatus animus deserendi religionem : *Ibid.*, § 6.

Alterutro ex hisce extremis deficiente, annus probationis non videtur interruptus : *Ibid.*

Magis, si intra annum, religiosus ad conventum rediret : *Ibid.*

Professio dicitur invalida, sive ob gravem metum, vel non adhuc completo integro anno probationis, emissa illa fuit : *Ibid.*, § 8.

Metus tamen, in hoc casu, esse debet gravis, et cadens in constantem virum : *Ibid.*

Annus probationis non interrumpitur per solum egressum e conventu, dimisso habitu religioso, sed requiritur etiam animus deliberatus religionem deserendi : *Ibid.*

Professio religiosa irritatur, si subsequatur ad annum novitiatus expleti cum intermedia fuga a monasterio, cum dimissione habitus, et animo non redeundi : *Penn.*, *Rest. in int.*, 23 *sept.* 1741, § 3.

Religiosus qui, probationis anno nondum expleto, claustra deseruit animo etiam deserendi monasterium, vitamque religiosam, debet ex integro probationis annum inchoare licet sacras vestes non dimiserit, ea ratione quod isthac fuga et contraria voluntate interceptus fuerit continuus ille probationis annus a Tridentino præscriptus : *S. Marc.*, *Rest. in int.*, 12 *febr.* 1746, § 2.

Procedit, licet interruptio modici temporis sit, cum probationis annus currat de momento in momentum, ita ut nisi integer sit et completus, pro-

fessio nulla est, si vel monumentum deficiat : *Ibid.*

Quoad annum probationis, quoad illius integritatem sine ulla interruptione, haud permittunt conquestiones etsi extrajudiciales quinquennium excurrere quoad nullitatem a Clementinis decretis introductam : *Ampur., Null. prof.*, 20 *jan.* 1787, § 12.

Ut egressus e conventu novitiatum interrumpat, tria requiri docent doctores, nempe dimissionem habitus, egressum e monasterio, et deliberatum animum religionem deserendi, unoque ex his deficiente probationis annum non intercipi tradunt : *Ibid.*, § 13.

Ceterum egressus e conventu cum licentia superioris sive valetudinis causa, sive ad animi oblectamentum, sive honesta aliqua de causa, non interrumpit novitiatum : *Ibid.*

§ IX.

Professio religiosa simulata.

De ficta et simulata professione agit Nicolaus pontifex, qui interrogatus respondit, quod fœmina, quæ post mariti obitum, voluit monialem esse, et postea ad nuptias rediit, simulavit professionem : *Nuc., Rest. in int.*, 26 *mart.* 1768, § 16.

Religiosus, qui simulato animo professionem emisit, illius vinculo minime obstringatur : *Ast., Rest. in int.*, 28 *febr.* 1739, § 4.

Et tradunt communiter canonistæ, ut nequeat ille e religione egredi, et pristinam obtinere libertatem, nisi assertam fictionem et simulationem probationibus undequaque urgentibus ostendat, eamque etiam doceat ex justa et honesta causa processisse : *Ibid.*

Et simplex metus reverentialis justam aliquando causam præbere queat simulandi professionem : *Ibid.*

Juste autem potest a religioso simulari professio, ne adducatur in discrimen pereundi famæ : *Ibid.*

Defectus intentionis illius qui ficte, simulateque, et absque ulla intentione vota emisisset, irritam reddit professionem : *Gratian., Rest. in int.*, 24 *nov.* 1770, § 5.

Præsertim, si ex actibus iteratisque expostulationibus evincitur, nullo interiori consensu, sed ore tantum, ficte, simulateque ad aram fuisse illum traductum : *Ibid.*, § 6.

Ex quo omnis tacitæ professionis præsumptio penitus excluditur : *Ibid.*

Nihil officit, quod læto, hilarique vultu professionem quis emiserit, cum ita se gerere debuerit, ut actum simularet, ideoque ineptum, id est, ad internum consensum eruendum : *Med., Prof.*, 29 *aug.* 1772, § 9.

Et nihil obest, quod simulatio probetur *non positive, et absolute*, sed *illative*, quia, cum res sit de probando animo, mente, atque interiori sensu, qui sub oculis minime cadit, necessario ex conjecturis, ex indiciis, ac præsumptionibus colligi debet : *Ibid.*

§ X.

Professio religiosa quoad valitatem, vel nullitatem in genere.

Super nullitate professionis procedendum est prout de jure, servatis servandis : *Nol., Null. prof.*, 23 *apr.* 1763, § 2.

Juxta recentiorem stylum non minus accurate ac severe examinatur dubium restitutionis in integrum, quam si dubium propositum esset super ipsa validitate aut nullitate professionis : *Nol., Null. prof.*, 23 *apr.* 1763, § 3.

Interrogatoria dari pro parte illius qui adversus professionem religiosam agit, præcepit Bened. XIV, Pont. Max., sub pœna insanabilis nullitatis : *Cord., Null. prof.*, 19 *sept.* 1761, § 6.

Monachus, aut alius religiosam vitam profitens, quoties de suæ professionis nullitate velit probare, illam accurate proponere debet apud superiorem ecclesiasticum et regularem, juxta præscriptum Sac. Concilii Tridentini : *Rom., Null. prof.*, 12 *febr.* 1735, § 1.

Professus, nullam declarari cupiens professionem ante tempus præscriptum emissam, superiorem localem in conjudicem adhibere debet : *Assis., Prof.*, 28 *nov.* 1705.

Valida est professio emissa de conjugis consensu, licet hic remaneat in sæculo, et sic nec professionem regularem emittat, si sit juvenis, nec emittat votum simplex castitatis, si sit senex : *Ulyssip. Orien.*, 22 *nov.* 1727, § 9.

Nulla est ea religionis professio, quæ in conventu ad id designato expleta non fuit : *Bisunt., Rest. in int.*, 12 *febr.* 1718, § 3; *Firm., Null. prof.*, 8 *febr.* 1727, § 2.

Professiones quæ non fiunt in conventibus designatis sunt nullæ : *Jan., Rest. in int.*, 26 *jun.* 1700, § 3; *Leod., Prof.*, 2 *aug.* 1721, §§ 1 et 2.

Non potest allegari nullitas professionis ex capite quod emissa sit in conventu ad id non designato, postquam quinquennium elapsum est : *Firm., Null. prof.*, 8 *febr.* 1727, § 3.

Nullæ sunt professiones illæ in quibus licentia in scriptis Sacræ Congregationis super statu regularium requisita non fuit : cit. *Jan., ibid.*

Nullæ pariter et invalidæ declarantur professiones, quæ fiunt a novitiis congregationis scholarum piarum absque litteris testimonialibus sui Ordinarii : *Ibid.*

Simoniace in monasterium receptus damnari debet ad serviendum Domino in alio monasterio in habitu monastico ; hoc utique fit quia professio ab eodem emissa propter vitium simoniæ nullitate laborare videtur : *Cord.*, 4 *aug.* 1725, § 2.

Sed communis theologorum sententia stat pro validitate professionis per simoniam emissæ : *Ibid.*, § 5.

Irrita est sententia nullitatis professionis promulgata a vicario capitulari in executionem Pontificii brevis super restitutione in integrum directi vicario generali : *Bracaren, Rest. in int. sup. circ.*, 20 *apr.* 1793, § 8.

Maxime, si præsentatum ei non fuerit breve ; et non servaverit ille formam delegationis : *Ibid.*, § 7.

Valida tamen est, ubi delegatus non fuit vicarius generalis ratione personæ, sed officii : *Ibid.*, § 8.

Licet ex generali juris regula nulla sit sententia ob defectum citationis : *Ibid.*, 6.

Regula tamen hæc fallit in sententia nullitatis professionis edita in sequelam restitutionis in integrum : *Ibid.*, § 9.

Post concessam enim restitutionem in integrum, ulterior processus remanet quodammodo cæremonialis : *Ibid.*

Et ideo deficit necessitas citandi interesse habentes, qui declarationem jam cognitæ nullitatis professionis impedire nequeunt : *Ibid.*

Nec requiritur rei cognitio, quæ citationem exigit partis : *Ibid.*, § 10.

Sententia nulla super jam concessa restitutione in integrum non vitiat alteram super nullitate professionis : *Ibid.*, § 11.

Post irretractabilem executionem sententiæ super nullitate professionis, concedenda est ejus sanatio a positivo nullitatis jure : *Ibid.*, § 12.

§ XI.

Professio religiosa quoad vim et metum.

Nonnulli doctores sentiunt professionem nullam esse ex metu elicitam, quod professio debet esse libera et voluntaria, quodque voluntatis libertatem vitiat inficitque timor, seu metus cadens in constantem virum, quamvis causa metus sive timoris, quæ vera et justa sit, a proprio facto et a propria culpa processerit : *Leop.*, *Null. prof.*, 9 *sept.* 1571, § 7.

Idemque in specie matrimonii, quod irritat metus idem, ex quo irritatur professio : *Ibid.*

Alii contrariam tenent sententiam, quod, ubi formido versatur circa pœnam a lege indictam, seu a publica justitia infligendam ob patratum crimen, eo in casu talis metus ab intrinseco potius quam ab extrinseco proficisci reputatur : *Ibid.*, § 8.

Idcirco si quis, urgente intrinseco metu supplicii, puta, mortis, infamiæ, gravissimæ jacturæ bonorum, et similium, ob commissum crimen sibi debitorum, religionem ex sua voluntate profitetur ad evitandum malum pœnæ sibi juste imminentis, valide dicitur professus, etiamsi alioquin professurus non fuisset : *Ibid.*, § 9.

Nam tunc homo impellitur a se ipso, et profitetur religionem ad evadendum periculum corporis, fortunæ vel famæ : *Ibid.*, § 10.

Ad probandum metum, qui non ita facile probari potest, admittuntur etiam testes singulares, necnon amicorum et domesticorum depositiones, ac etiam ejusdem principalis juratum testimonium : *Thean.*, *Rest. in int.*, 23 *nov.* 1782, § 3.

Præsertim, quando adminiculantur a publica voce et fama, quæ inter moniales percrebuerat, et a parentum violenta natura, eorumque pervicaci sollicitudine ut ipsa monialis fieret : *Ibid.*

Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 19, *de Reg. et Mon.*, statuit quod quicumque regularis prætendat se per vim et metum ingressum esse religionem, non audiatur, nisi infra quinquennium tantum a die professionis : *Ibid.*, § 9.

Et si infra quinquennium non reclamaverit, eo elapso, non audiatur, tametsi allegaret vim et metum semper durasse : *Ibid.*

Ad regularis professionis validitatem requiritur voluntas libera, et nulla est per vim et metum emissa ; et licet voluntas sit, ad valide tamen profitendum non sufficit, quia libera et spontanea non est : *Ibid.*, § 15.

Limit : sed non quælibet coactio, sed metus gravis, et cadens in constantem virum professionis actum nullum reddit : *Ibid.*

Arbitrio tamen judicis decernendum relinquitur an metus gravis vel levis sit : *Ibid.*

Facilius tamen ob sexus imbecillitatem in fœmina præsumitur intercessisse quam in masculo : *Ibid.*

Oportet, ut metus gravis et cadens in constantem virum dicatur, quod ullo modo minanti resistere, aut vitare malum esset revera in se grave *Ibid.*, § ult.

Certum est quod metus, licet cadens in constantem virum, et licet proveniat ab extrinseco et a causis liberis, non irritat professionem, nisi constet quod fuerit incussus ad effectum illam extorquendi : *Vird.*, *Rest. in int.*, 20 *febr.* 1720, § 3.

Si pater naturalem filiam instituerit hæ-

redem, ut monialis fieret, sin minus, ut habeat viginti quatuor aureos, et hæreditas ad monasterium pertineret; professio, hoc intuitu emissa, non dicitur propter vim et metum emissa : *Rom.*, *Null. prof.*, 16 *mar.* 1720.

Metus quem quis habuit, sive illi ipse causam dederit, sive non dederit, dummodo tamen cadat in constantem virum, vitiat professionem, quæ debet esse libera : *Cord.*, 17 *aug.* 1726, § ult.

Valet illatio metus matrimonii carnalis ad matrimonium spirituale : *Ibid.*

Professio debet esse libera et voluntaria, et voluntatis libertatem vitiat atque inficit timor cadens in constantem virum ; tametsi causa timoris sit vera, justa, et proprio facto aut culpa promanans : *Cord.*, *Null. prof.*, 28 *jul.* 1731, § 8.

Metus qui irritat matrimonium, irritat etiam professionem religiosam : *Ibid.*

Ubi vero formido versatur circa pœnam, sive a lege impositam, sive a publica justitia infligendam ob patratum crimen, talis metus ab intrinseco potius quam ab extrinseco proficisci censetur : *Ibid.*, § 9.

Amplectens statum religiosum, urgente metu supplicii ob commissum crimen sibi debiti, eligere videtur eumdem statum religiosum tanquam medium ad evitandum malum pœnæ juste sibi imminentis ; idque medium eligit sciens et prudens, nec ab externa coactione adductus, sed ex proprio judicio, sibi ipsi persuadens ita commodis expedire suis, et ex hoc judicio voluntatem suam determinans ad amplectendum regulare institutum, quamvis alioquin id facturus minime fuisset : *Ibid.*

Sic quoque valida est professio emissa ab eo qui procul erat a metu impendentis mortis, vel ob morbum, vel ob incendium, vel ob naufragium : *Ibid.*, § 10.

Metus pœnæ ob delictum subeundæ ab altero non abs se incussus non repugnat validitati professionis, si alter solum proponat veram et justam timendi causam simulque monstret viam ad evadendum periculum pœnæ commisso crimini debitæ ; ita enim potius auferri quam inferri videtur metus, cui causam dabat crimen : *Ibid.*, § ult.

At difficultate vacare non videtur casus, in quo talem metum juste quidem incutiens, eo tamen mutatur præcise ad finem extorquendi ab alio professionem : *Ibid.*

Professio religiosa per vim et metum emissa nullam in professione inducit obligationem : *Gratian.*, *Rest. in int.*, 23 *febr.* 1771, § 8.

Sed certæ requiruntur evidentesque probationes nullitatis professionis, quæ nullum dubitandi locum relinquant, ne fides Deo data immani execratione violetur : *Ibid.*

Et probationes hujusmodi percutere debent præcisam emissæ professionis tempus, ut certo deprehendi valeat animus a professione ipsomet tempore alienus : *Ibid.*

Ac in terminis matrimonii, quod regulari professioni assimilatur : *Ibid.*

Inverisimile est puellam uni tantum personæ suam repugnantiam patefecisse, cum unicuique personæ eam pandere debuisset, et præsertim Episcopo, qui illius voluntatem explorare debuit, antequam illam ad professionem admitteret : *Ibid.*, § 9.

Rejiciuntur depositiones patris et sororis, ratione peculiaris affectionis, præcipue quia nemo asserit reclusionem in mansiunculas processisse ut ad profitendum cogeretur, quemadmodum necessarium esset ad irritandam professionem : *Ibid.*, § 12.

Conquestiones post professionem non valent, cum procedere possunt ex animi inconstantia, quæ professionem non irritat : *Ibid.*, § 13.

Si repugnantia nullo modo de tempore professionis probetur, quæ præterea a permanentia gestisque monasterii officii ratihabita postea censeri deberet : *Ibid.*, § 13.

Ad validitatem professionis, requiritur libera et spontanea voluntas : *Nuc.*, *Rest. in int.*, 28 *mart.* 1768, § 14; *Gratian.*, *Rest. in int.*, 24 *nov.* 1770, § 13.

Nihilque magis liberæ voluntati adversatur quam metus gravis cadens in constantem virum, qui efficit ut professus per timorem dicat sibi placere quod odit : *Ibid.* ; et *Grat.*, *ibid.*

Ambigi ideo nequit professionem ex metu gravi cadenti in constantem virum emissam penitus nullam ac irritam esse : *Ibid.* ; et *Grat. ibid.* ; *Chiov.*, *Rest. in int.*, 24 *jan.* 1778, § 3 ; *Mediolan.*, *Rest. in int.*, 22 *maii* 1762, § 9 ; *Mediol.*, *Prof.*, 29 *aug.* 1772, § 21.

Vis et metus illatus a vitrico professionem religiosam irritat : *Lyc.*, *Rest. in int.*, 20 *sept.* 1760, § 9.

Sed metus non vanus, sed gravis et cadens in constantem virum, quæ inducitur ob sævissima verbera et ob minas ejectionis e domo : *Ibid.*

Præsertim si accedit ejusdem dissensus ex toto rei gestæ contextu, et ex protestationibus perpetuo factis et repetitis immediate, tum ante, tum post emissam professionem, quibus detegitur animi simulatio : *Ibid.*

Metus enim in constantem virum cadens sunt sevitiæ junctæ cum metu reverentiali a parentibus filio illatæ : *Chiov.*, *Rest. in int.*, 24 *jan.* 1778, § 4.

Metus hic perdurare dicitur, usque quo vitam agunt parentes : *Ibid.*

Ejus tamen invaliditas proclamari nequit ab eo, qui extra religionis claustra moram trahit, neve habitum religionis actu inducit : *Ibid* , § 5.

Ad eam irritandam requiruntur probationes perfectæ : *Ibid.*, § 6.

Testes super illato metu examinati, inaudito et inconsulto defensore professionis, non attenduntur : *Ibid.*, § 5.

Examini subjici debent religiosi, ut animus professi rite recteque argui possit : *Ibid.*, § 7.

Et metus et vis probanda est toto probationis anno, et in actu professionis, non autem tempore ingressus : *Ibid.*, § 6.

Quia voluntas, quæ prius erat meticulosa, immutari potuit tempore professionis : *Ibid.*

Non sufficit metus vanus et levis : *Med.*, *Rest. in int.*, 22 *maii* 1762, § 9.

Et clariores probationes sunt afferendæ, cum non præsumatur illatus in urbe ubi non desunt legitimæ potestates quæ vim inferre prohibuissent : *Ibid.*

Ac suasiones, quas referunt testes, etiamsi essent importunæ, non sufficiunt ad nullitatem professionis : *Ibid.*, § 10.

Atque nihil prosunt circumstantiæ antecedentes, concomitantes et subsequentes, uti adminicula nullius ponderis, deficiente probatione metus, qui solus irritare valet professionem sine consensu interno ficte et simulate emissam : *Ibid.*

Dissensus probatio excluditur per juramentum assertorium validitatis professionis præstitum occasione ordinationis : *Ibid* , § 11.

Et tacitæ ratihabitionis indicia dantur per ordinum receptionem titulo religionis, per absolutionem studiorum, per baccalaurei gradus consecutionem, et per diuturnam habitus delationem, cujus præsumptio non eliditur ex conquestionibus extrajudicialibus : *Ibid.*

Communis opinio est, solum metum reverentialem per se gravem non esse, nisi alia concurrant, scilicet imperii coactio, minæ, duræ tractationes et hujus generis alia : *Med.*, *Prof.*, 29 *aug.* 1772, § 21.

Constat de nullitate professionis ex metu in constantem virum cadentem, quia solus metus reverentialis erga patrem cum minis conjunctus sufficit : *Lucer.*, *Rest. in int.*, 26 *mart.* 1768, § 4.

Multoque magis si eædem minæ ad actum insuper productæ fuerint : *Ibid.*

Vel quia eadem professio absque animo et voluntate profitendi emissa, ut, tum ante, tum post constanter declaraverat, nulla prorsus et invalida est : *Ibid.*

A metu reverentiali, præsertim si filia cogitet quidquam mali ex indignatione patris alioquin indolis iracundæ sibi imminere, professio inficitur : *Jan.*, *Rest. in int.*, 30 *jan.* 1740, § 8.

In jure communiter receptum est quod, licet metus ab intrinseco, sive, ut aiunt, a causa naturali et necessaria incussus, nimirum ratione mali alicujus temporalis aut spiritualis, invalidam professionem non reddat : *Ibid.*, § 10.

Secus, ubi metus ipse non fuerit per se ac sponte conceptus ab eo qui religiosam professionem emisit, sed eidem dolose ab alio incussus, proposita scilicet minus vera et justa causa timendi, aut ea plus æque applicata in finem extorquendi professionem : *Ibid.*

Necessarium non est probare vim et metum, sed satis est defuisse animum profitendi ex aliqua honesta causa : *Med.*, *Prof.*, 29 *aug.* 1772, § 4.

Promissiones, blanditiæ, metus, aliæque artes, cum procederent a matre violentæ indolis et imperantis naturæ, cui reverentia debetur, præ se ferunt quoddam violentiæ genus ad extorquendum potius a viro etiam constanti quam ad impetrandum consensum : *Ibid.*, § 5.

Coacta voluntas, desumpta ex dicto ipsius religiosi, non debet audiri, cum in causa propria deponat, et depositio testis tanquam unici et singularis spernenda est : *Neap.*, *Rest. in int.*, 17 *sept.* 1768, § 12.

Solus metus reverentialis non sufficit ad professionem invalidandam ; requiritur metus gravis cadens in virum constantem : *Ibid.*

Si verberum minæ gravem ingerunt metum, multo sane graviorem metum intercessise dici debet, si minæ ad actum fuerint perductæ : *Crat.*, *Rest. in int* , 23 *febr.* 1771, § 4.

Et quidquid puellæ inter angustias in monasterio egerit, in illius præjudicium retorqueri non potest, maxime quia cum consanguineis, cum amicis et cum monialibus conqueri non desistit : *Ibid.*, § 7.

Castigationes exhibitæ non ad extorquendam professionem directæ, sed ad mulierem avertendam ab imparibus nuptiis, non irritant professionem : *Tolet.*, *Null. prof.*, 21 *aug.* 1762, § 9.

In dubio metus ac fidei dubiæ eorum qui de illo testantur, judicandum est in favorem professionis : *Ibid.*

Nihil interest utrum metus a patre vel a patruo fuerit illatus ut actum irritum faciat : *Med.*, *Null. prof.*, 30 *jan.* 1745, § 1.

Nihili est faciendus mesus a patre illato, qui ducentis milliaribus a filio distabat : *Ibid.*

Puella aliena ab instituto religioso censetur, quæ a prima ætate, et dum tirocinium agebat, de contrahendo matrimonio cogitavit, quæque, tam ante quam in ipso professionis actu, et post professionem, assiduis clamoribus et declamationibus

a monastico statu abhorruit : *Valen.*, *Prof.*, 12 *jun.* 1773, § 6.

Si mulier, nedum averso invitoque animo, sed simulate etiam ficteque professionem emiserit, id satis comprobatur ex judiciario ejusdem mulieris constituto, quod plurium testium depositioni aliisque argumentis conjunctum sufficit : *Januen.*, *Rest. in int.*, 30 *jan.* 1740, § 11.

In causam vero justam et honestam simulandi professionem profertur metus indignationis paternæ : *Ibid.*

Metus tantummodo mortis vel minæ gravium malorum, quæ virum etiam constantem terreant, aptæ sunt ad irritandam professionem : *Med.*, *Prof.*, 29 *aug.* 1772, § 17.

Non tamen suasiones et preces, licet importunæ : *Ibid.*

Denegatio vestium et pecuniarum restitutionis, ut remaneret coacte in religione, ne nudus ab ea exire et mendicare cogeretur, sufficit ad professionis nullitatem, additis pqæsertim importunis superiorum precibus, et metu erga ipsos reverentiali : *Neap.*, *Rest. in int.*, 17 *sept.* 1768, § 6.

Aversio et metus est interna affectio quæ animo inhæret, quæque nonnisi indiciis et argumentis probari potest : *Valent.*, *Prof.*, 12 *jun.* 1773, § 3.

Metus gravis dicitur, quo filius ob paternas minas, et reverentiam quæ patri debetur, afficiatur : *Neap.*, *Rest. in int.*, 23 *nov.* 1743, § 1.

Professio cum aversione a statu religioso patefacta lacrymis, obtestationibus et luctu elicita, irrita est etiam post lapsum quinquennii, a quo conceditur restitutio in intregrum : *Valen.*, *Prof.*, 12 *jun.* 1772, § 2.

Quia quælibet obligatio vi metuque extorta nulla est : *Ibid.*

Multoque minus subsistere potest religiosa professio, pro cujus validitate mutuus religionem inter et professum concensus, ac libera voluntas requiritur : *Ibid.*

Excluditur defectus intentionis profitendi, quum nulla pateat emissa protestatio ; ita ut inter hanc et illam nulla interposita fuerit temporis distantia : *Lucer.*, *Rest. in int.*, 26 *mart.* 1768, § 6.

Et spernendæ sunt ceteræ protestationes ante et post professionem editæ, dum est expresse facta professio ex libera voluntate ; quia ex posteriori professione censetur recessisse a prioribus protestationibus : illæ autem posteriores deteriorem facere non potuerunt professionem jam recte semel completam : *Ibid.*

Ambigi non potest, vel de emissæ professionis ratihabitione, vel de nova tacita professione, quæ per solam gestationem habitus per annum et diem inducitur : *Ibid.*, § 9.

Alieno animo ad profitendum probato, ad explorationem voluntatis puellæ devenire debet juxta Concil. Tridentinum, sess. 25, cap. 17, *de Reg.* : *Brach.*, *Rest. in int.*, 20 *sept.* 1788, § 2.

Repugnantia statui religioso et professionis simulatio erui nedum, ex continua animi desolatione, sed etiam ex perturbatione in actu professionis ab uno teste affimata, et magis ex omissione verbi *serio* in scheda pridie professionem scripta, quum nemo obligetur ex voto sine deliberatione seria emisso : *Pass.*, *Null. prof.*, 18 *jul.* 1761, § 10.

Et demum ex pluries arrepta fuga e monasterio, et ex subsequuta renuentia observandi regulam et suscipiendi ordines : *Ibid.*

Ac quatenus dubia videatur simulatio, locus est juramento suppletorio : *Ibid.*, § 11.

Vel indulgenda est dispensatio a vinculis religionis ad evitanda scandala : *Ibid.*

Metus tamen non directus ad extorquendam professionem nihil relevat ad hunc effectum : *Ibid.*

Quo casu, nec etiam simulatio prodest : *Ibid.*

Sed simulator in pœnam suæ fraudis cogitur manere in religione : *Ibid.*

Rigida puellæ custodia et minæ priusquam monasterium ingrederetur, initia videri possent meticulosæ professionis : *Brach.*, *Rest. in int.*, 20 *sept.* 1788, § 5.

Maxime si suspiria ac lacrymæ cadant, ex quibus coactam desumant voluntatem : *Ibid.*

Item si religiosum habitum ingresso monasterio initio respuit puella, ac sæpe deinde, eo assumpto, futuram professionem reprobavit, quod profitentis metum probat : *Ibid.*

Et si passa sit minas ad pervigilium professionis ; quum voluntas instanti mutare non posset, ac libere profiteri contra præsumptionem juris : *Ibid.*

Doctoresque satis censent reverentialem metum pro nullitate professionis in imbecillem puellam, quum ita a natura constituti sint filii, imbecillis præsertim sexus, ut patris imperio resistere nequeant : *Ibid.*, § 7.

Non desunt, qui importunas etiam sufficere autumant suasiones et preces : *Ibid.*

Et rationem adducunt, quia in eo qui jubere potest, preces naturam assumunt imperii, vimque habent necessitatis : *Ibid.*

Durare videtur, vivente patre a quo procedit, metus, qui lapsum impedit quinquennii : *Ibid.*, § 8.

Ac justa post longissimum etiam tempus reputari solet reclamandi causa : *Ibid.*

Metus pro nullitate professionis requiritur, qui factorum experientia necessitatem inducat : *Ibid.*, § 9.

Sufficit ad irritandam professionem suspicio damni : *Ibid.*, § 10.

Ex testibus, qui deponunt de metu, rejiciendus est frater illius de cujus nullitate agitur professionis ; et alii deponentes de auditu nullam fidem merentur : *Lyc., Rest. in int.*, 20 *sept.* 1760, § 11.

Et querelæ ac expostulationes solæ non sufficiunt, quia non constituunt, sed coadjuvant metus probationem : *Ibid.*

Metus ad irritandam professionem requiritur gravis et cadens in constantem virum et directe illatum ad extorquendum consensum : *Ibid.*

Et gravem metum intulisse non videtur vitricus, qui potius agit ut se eximeret ab onere alendi privignos, et non constet minas exequi consuevisse : *Ibid.*

Ac matris suasiones etiam importunæ possunt impellere, sed non cogere : *Ibid.*

Simulatio non probatur ex protestationibus, quæ ægreferentiam, non dissensum ostendunt, et eliduntur contrario facto professionis solemniter emissæ : *Ibid.*, § 12.

Imo probata non relevat ob defectum causæ honestæ, quæ cessat, secluso metu : *Ibid.*

Etiam ob successivam ratihabitionem per decennalem permanentiam in regulari observantia, et per emensum religionis studiorum cursum, cum susceptione sacrorum ordinum titulo monasticæ paupertatis : *Ibid.*

Et adversus illam nulla est recipienda excusatio, ne compendium quis consequatur ex fraude qua se gessit erga religionem et Ecclesiam : *Ibid.*

PROHIBITIO ALIENATIONIS. Vide *Alienationis prohibitio*.

PROLIS LEGITIMITAS. Vide *Matrimonium*, § X.

Promissio.

Jurata promissio legum servandarum in acceptione beneficii præter illas fundationis facit, ut successoribus tantum libertas sit res impugnandi, non ei qui eas servandas juravit : *Embr., Jur. can.*, 19 *jan.* 1765, § 22.

Promissio solutionis, *non solo per un decennio ma anche più di esso* duratura, habet vim obligationis, quæ tantum extenditur ad breve tempus ultra decennium : *Amer.*, 26 *aug.* 1769, § 7.

Et cum præstatio promissa impleta fuerit ab anno 1741 usque ad annum 1763 abunde ideo obligationi satisfactum est : *Ibid.*

Fides canonici data in acceptione canonicatus de servandis iniquis legibus, ne tunc a canonicatu rejiceretur, inanis reputatur : *Embr., Jur. can.*, 19 *jan.* 1765, § 12.

PROMOVENDUS. Vide *Sacramentum Ordinis*, § XI.

PROMULGATIO. Vide *Concilium Tridentinum*, § I.

Pro-parochus.

Pro-parochus adempta est potestas assistendi matrimoniis contra præscriptam formam, ita ut irritum sit matrimonium coram ipsis contractum : *Bosan., Visit. SS. LL.*, 19 *sept.* 1789, § 5.

Hac tamen distinctione aut conditione, sub qua concedi debet licentia, adjecta est per viam modi, et matrimonium est duntaxat illicitum ; aut pro essentiali forma sine qua non, et est quoque invalidum : *Ibid.*

Etiam invalidum est matrimonium pro forma subtracta iisdem amplissima, qua vulgo concedi solet matrimoniis assistendi potestas : *Ibid.*

PROPRIUS PAROCHUS. Vide *Matrimonium*, § XXX ; *Parochus*, § XI.

PROROGATIO. Vide *Gratia*, § IV ; *Indultum Pontificium*, § III.

Protestatio.

Protestatio tanquam facto contraria non attenditur : *Horat.*, 29 *jul.* 1775, § 9.

Protestationes quæ fiunt ante electionem, operantur ut electio maneat in pendulo. Si enim convincuntur justæ, cassatur electio : *Call., Subs. dot.*, 15 *dec.* 1787, § 7.

Protestatio vocalium sperni non potest in electione : *Leod., Visit.*, 22 *jan.* 1763, § 9.

PROTONOTARIORUM APOSTOLICORUM COLLEGIUM. Vide *Collegium*, § II.

Pro-vicarius.

Pro-vicarius generalis non indiget speciali delegatione pro eligendo digniore in concursu, cum ea facultas veniat sub generali mandato : *Fir., Par.*, 4 *jul.* 1763, § 3.

Pro-vicarius nullum habet jus erigendi beneficia ac capellanias ecclesiasticas, absque expressa et speciali facultate : *Cam., Cap.*, 19 *sept.* 1772, § 5.

PROVISIO. Vide *Ecclesia parochialis*, § I.

PROVOCATIO. Vide *Concursus*, § III.

PUBLICA HONESTAS, QUOAD IMPEDIMENTUM, Vide *Matrimonium*, § XLV ; QUOAD DISPENSATIONEM, Vide *Dispensatio*, § XVII.

Publicatio.

Publicatio excommunicationum, litterarum monitorialium ac denuntiationum, fieri debet in ec-

clesia cathedrali ob præsumptum ad eam majorem populi concursum : *Andr.*, 20 *dec.* 1766, § 23.

Publicum.

Publicum secundum jura illud dicitur quod publico usui destinatur : *Grossetana*, 16 *maii* 1778, § 5.

Publicum oratorium. Vide *Oratorium*, §§ III, IV, V, VI.

Puella.

Quod adhuc innupta esset puella, satis comprobatur quia idoneum virum non invenerit : *Civ. Cast., Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 8.

Puellæ assensus reddit validum matrimonium, etiamsi non interveniat assensus parentum : *Præmislien., Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 12.

Puellarum receptio. Vide *Monasterium*, § IV.

Puer.

Puer doli capax est, si est proximus pubertati : *Trid., Jur.*, 13 *mart.* 1784, § 6.

Proximus autem pubertati dicitur cum ætas magis propinquat ad pubertatem quam ad infantiam, idque contingere in masculo quando habet decimum annum cum dimidio : *Ibid.*

Pueritia est pars altera infantiæ, quia rationis et intellectus perfectio deficit : *Brug., Irr.*, 8 *apr.* 1786, § 12.

Et quanquam rationis magis particeps sit pubertati proximus, quam infantiæ, simpliciter tamen loquendo, uterque consilium fragile habet : *Ibid.*

Hinc Gregorius IX, ætatis hujusmodi infirmitate cognita, furta, mendacia et perjuria non esse in puero punienda ut in majoribus testatur : *Ibid.*, § 13.

Alex. III puerum a pœna immunem esse decrevit, qui cum aliis sagittans alterum puerum interemerat : *Ibid.*

Purgatio attentatorum. Vide *Attentata*.

Purgatorium.

Improbabilis et Ecclesæ sensui repugnans est nonnullorum theologorum opinio, quod animæ non detineantur in purgatorio ultra decem annos, vel, ut alii dicunt, ultra metam centum annorum : *Bon.*, 3 *dec.* 1718, § 4.

Putativum matrimonium. Vide *Matrimonium*, § XVIII.

Quæsitum jus. Vide *Jus*, § V.

Qualificatus.

Qualificatus ex lege fundationis beneficii habet jus quæsitum ad beneficium ex oppositione jam facta in Dataria : *Fav., Ben.*, 3 *jul.* 1762, § 4.

Nominatione patronorum non indiget, qualificatus ex lege fundationis, quoties alii æque qualificati non concurrant : *Urb., Can.*, 26 *mart.* 1763, § 6.

Qualitas in genere.

Qualitates requisitas a testatore una cum vocatione passiva habens, non indiget patroni nominatione : *Æsin., Cap.*, 23 *mart.* 1765, § 9.

Et præferri debet quibuscumque aliis præscriptas qualitates non habentibus ; etsi ille gradu remotior sit, et alii sint proximiores : *Ibid.*, § 10.

Limit. : si qualitas præscripta sit unice in extraneis, non vero in consanguineis : *Ibid.*, § 12.

Et habetur clarissimum argumentum *ex ipsa discretiva* voluntatis testatoris : *Ibid.*

In concursu parochialium non attenditur qualitas municipalis : *Aquin., Par.*, 19 *jan.* 1765, § 5.

Aptiorem indiscriminatim eligendum esse firmatur ; præcipue pro cura animarum : *Ibid.*

Civis est præferendus, speciatim dum de sui populi cura agitur : *Ibid.*, § 6.

Acceptissimus omnibus, una voce ab omnibus postulatus, utilior futurus quam invisus atque exterus : *Ibid.*, § 7.

Synodus Tridentina præcipit, peracto examine, renuntiari idoneos, et ex his Episcopus eum eligat quem ceteris magis idoneum judicaverit ad vacantem ecclesiam gubernandam : *Ibid.*, § 10.

Qualitas originis, in primo instrumento expressa, repetita censetur etiam in posteriori, quoties in isto nihil fuit ex priori fundatione innovatum : *Æsin., Cap.*, 20 *jun.* 1767, § 8.

Qualitas præsumitur laicalis non ecclesiastica, donec diversimode demonstretur : *Urb.*, 19 *aug.* 1775, § 9.

Qualitas optata a testatore necessario spectanda est : *Jan., Cap.*, 15 *sept.* 1764, § 7.

Unde superveniens inepta est ad jus quæsitum de tempore vacationis tollendum : *Ibid.*

Qualitas scholastici requisita ad nominationem actu requiritur, nec sufficit de præterito : *Jan., Cap.*, 30 *jan.* 1762, § 5.

Qualitatem solam scholastici opus est probare pro assequenda capellania scholasticis debita, non etiam conditiones pro eadem qualitate adipiscenda requisitas : *Ibid.*, § 4.

Qualitas originis nunquam venit, nec ex dominio, nec ex allectione vel privilegio : *Rom. seu Tud.*, 28 *jan.* 1769, § 11.

Si dicitur ex gr. *talis de Perusio*, intelligi debet, juxta communem usum loquendi, qualitas originis et domicilii : *Ibid.*, § 12.

Si in fundatione nulla præsentationis mentio habeatur, non obest quod electionis tempore sacerdotali qualitate careat, ideoque sufficit si ea qualitas superveniat re integra, hoc est ante institutionem : *Com., Ben.*, 13 *jul.* 1771, § 9.

Res est explorata, beneficii seu capellaniæ qualitatem neque a patronis, neque ab Episcopis posse immutari, nec ulla onera iis superaddi quæ in fundatione expressa non fuerint : *Rom., Cap.*, 30 *jul.* 1768, § 15.

Et Concilium Tridentinum expresse voluit, ut qualitates beneficiorum ex erectione, seu fundatione, vel constitutionibus aliis derivantes non derogentur : *Ibid.*, § 17.

Qualitas capellani actu non præscripta sufficit ut ea comprobetur tempore, vel vacationis, vel præsentationis : *Pap., Disp.*, 16 *sept.* 1780, § 8.

Qualitas nobilitatis, quoad aliquos requisita, non est de omnibus intelligenda : *Rom. seu Tud.*, 28 *jan.* 1769, § 14.

Qualitas civica vel domiciliaria non amittitur per ortum accidentalem in aliquo loco : *Ibid.*, § 13.

Non declarata plene a testatore voluntate, quia morte præoccupato, exequutori ejusdem declaratio commissa fuerat, quo in casu Ordinarius mutare potest fundationis qualitates, salvo jure præsentandi : *Rom. seu Por., Cap.*, 16 *jan.* 1768, § 21.

Multo magis id potuit S. C. Concilii, quæ plenissima pollet auctoritate, maxime quia, quum non læderetur patronorum jus, imo augeretur cultus divinus, ut nulla servitus beneficio imponatur, sed illius servetur libertas, ex intervallo etiam adjici potest : *Ibid.*

Censura juris canonici interdicit tam patronis quam Episcopis beneficiorum seu capellaniarum qualitates a fundatoribus in testamento adjectas immutare, multoque minus ea de perpetuis in manualia, et ad nutum amovibilia variare : *Cat., Disp.*, 11 *jan.* 1778, § 7.

Qualitati sacerdotali ad assequendam capellaniam non obest onus capellano injuncto, quum fundator, non sollicitus de persona, solum requisivit sacrificii celebrationem, quæ per alium impleri potest, atque optavit chori servitium, cui clericus potest satisfacere : *Æsin., Cap.*, 20 *jun.* 1767, § 12.

Præsertim, si demandata capellaniæ erectio sacerdotalem capellani qualitatem non præ se ferat : *Ibid.*

Imo, si ex observantia, præsertim ultimo statu confirmata, sacerdotalis capellani qualitas excluditur : *Ibid.*

Qualitas originis non est quæranda in consanguineis et affinibus, quum fundator capellaniæ eam injunxerit post vocatos extraneos : *Ibid.*, § 13.

Hinc, hac discretiva adjectione, ostendit fundator se in istis, non in illis, eam voluisse : *Ibid.*

Inspecta potissimum personarum diversitate, quæ diversam dispositionem suadet : *Ibid.*

Maxime, ubi agitur inter proximiorem et extraneum, dum affectionis ratio quæ in illis comprobatur cessare facit præsumptam repetitionem oneris extraneis immediate adhærentis : *Ibid.*

QUALITAS NULLIUS DIŒCESIS. Vide *Abbas*, § V ; *Abbatia.*

RELIQUA QUOAD QUALITATEM. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXX ; *Canonicatus*, § XII ; *Capellania*, §§ XI, XII, XIII ; *Ecclesia in genere*, § VIII ; *Juspatronatus*, §§ III, X ; *Legatum pium*, § XVI ; *Mansionaria*, *Onus*, *Onera*, § V.

QUALITATES ORDINANDORUM. Vide *Sacramentum Ordinis*, § XI.

QUANTITAS. Vide *Alimenta*, § V ; *Subsidium dotale*, § X.

QUARTA DECIMARUM. Vide *Episcopus*, § XXI.

Quarta funerum.

§ I.

Quarta funerum quoad exemptionem.

Regulares Ordines a præstatione quartæ funerum immunes sunt : *Melp. seu Rap., Quar. fun.*, 26 *april.* 1749, § 1.

Contrarium deducitur ex constitutione Bened. XIII Pont. Max. : *Ibid.*

Immunitatem vero quæ ex contractu venit a dicta constitutione non fuisse sublatam probatur, dum nullum de ea verbum habuit constitutio, et tamen necesse esset ut de ea immunitate verba fecisset : *Ibid.*

Nec putandum est Summum Pontificem jus alicui quæsitum, non ex gratia, sed stipulatione, contractu et conventione, sine qua regulares ad conventum illum non venissent, tolere voluisse : *Ib.*

Procedit multo magis si pacta immunitatis respectiva sint ad jus clero datum, crucem scilicet ferendi, etc., quod vetari potuisset a Patribus; una enim in funeris elatione ferenda est crux ecclesiæ tumulantis : *Ibid.*

Bened. XIII sua constitutione *Romanus Pontifex* reduxit omnia privilegia exemptiva a solutione quartæ funerum ad viam juris, atque si opus esset revocavit ac abrogavit : *Brict. seu Nul. S. Rup., Jur. par.*, 26 *nov.* 1768, § 14.

Et quoad juvenes qui in seminariis et collegiis degunt, debetur parocho domicilii, quatenus domicilii habeant in loco, sin minus parocho illius ecclesiæ in cujus ditione seminarium seu collegium situm reperitur : *Ibid.*, § 15.

Ratione matricitatis valida defenditur consuetudo exemptionis a solutione quartæ ecclesiæ cathedralis : *Fav., Præm., et Fun.*, 11 *april* 1761, § 9.

Sed probandum est cathedralem fuisse unicum totius civitatis parochiam, et vere et proprie matricem, ut ex consuetudine præsumi valeat reservatio prætensæ exemptionis in divisione parochiarum : *Ibid.*, § 10.

Patres Societatis Jesu, utpote veri religiosi mendicantes, gaudent exemptione a solutione quartæ funerum, quoties defuncti sibi in vita elegerint sepulturam in ecclesiis eorumdem : *Calag., Fun.*, 27 *maii* 1702, § 2.

Patres ordinis S. Francisci ex amplissimis plurium Pontificum privilegiis exemptione gaudent a præstatione quartæ funerum : *Tud., Fun.*, 4 *jul.* 1716.

Eadem exemptione gaudent etiam Patres Tertii Ordinis, iis a S. Pio V communicata : *Ibid.*

Fratres Minimi exempti fuerunt a præstanda quarta funerum, quousque prodiit constitutio Bened. XIII : *Ord. Min., Quar. fun.*, 14 *mart.* 1733, § 5.

Et hujusmodi exemptio trahit originem a fundatione, quamvis non habeatur mentio specialis, sed deducitur ex concessa exemptione *ab omni jurisdictione, subjectione et superioritate matrum ecclesiarum* ; hinc non est comprehensa sub generali evocatione privilegiorum : *Ibid.*, § 6.

Episcopus non potest derogare decreto generalis concilii Viennensis in clem. *Dudum., de Sepult.*, super quarta funerum : *Ibid.*, § 7.

Constitutio Bened. XIII sustulit exemptionem a quocumque privilegio manantem, quamvis in eodem privilegio fuisset derogatum dictæ clementinæ *Dudum* ac decreto Concilii Trid. : *Ibid.*, § 9.

Immunitas concessa Patribus de Observantia de non præstanda quarta funerum sublata fuit const. pontificis Bened. XIII : *Fir., Fun.*, 18 *jul.* 1744, § 3.

Funerum nomine venit quidquid cadaveris causa erogatum est, antequam sepeliretur : *Ibid.*, § 4.

Quarta emolumentorum pars parocho debetur eorum quæ ad ecclesiam, in qua defunctus fuerit evectus, eveniunt, sive ante, sive post ejusdem tumulationem, idque et ad trigesimum usque diem vel quousque dicti defuncti memoria habeatur : *Ibid.*, § 5.

Idque fortius procedit, si consuetudo ejusmodi centenarium tempus excedat : *Ibid.*, § 6.

Quartæ funerum exemptionem habent Carmelitæ a Nicolao V, et cum expressa derogatione ad clementinam *Dudum, de Sepult.*, eis donatam : *Ast., Jur., par.*, 29 *jan.* 1718, § 4.

Minores Reformati Ordinis S. Francisci a solutione quartæ funerum exempti reperiuntur : *Spol., Quar. fun.*, 23 *jul.* 1718, § 2.

Funerum nomine comprehenduntur ea quæ obveniunt occasione funeris, sive ante cadaver reconditum terræ, sive post, et ex his canonica portio debetur : *Tud., Fun.*, 13 *aug.* 1718, § 3.

Religio Franciscana a solutione quartæ funerum est exempta : *Spol., Quar. fun.*, 19 *nov.* 1718.

§ II.

Quarta funerum quoad probationem.

Communis distinctio est : aut agitur de præscribenda quantitate quartæ funerum, ut vel quarta parte major sit, vel infra dimidiam, et tunc præscribitur spatio 10 annorum : *Aven., Jur. par.*, 1 *mar.* 1766, § 20.

Aut agitur de præscribenda portione canonica infra quartam, vel ut nihil solvatur, et hoc casu requiritur consuetudo 40 annorum cum titulo vel immemorabili : *Ibid.*

Rota Romana vero censuit, quoties agitur de jure quartæ funerum inter cathedralem et parochos particulares, sufficere quadragenariam ut statuatur exemptio cathedralis a solutione quartæ : *Ibid.*, § 27.

Nec est de jure necessarius solemnis centenariæ concursus : *Ibid.*

Et ratio est, quia respectu cathedralis subingreditur juridica præsumptio, quod talis quadragenaria possessio processerit, vel ex præambulo titulo et jure matricitatis, vel ex quo ita conventum fuerit in primordiali parochiarum divisione et erectione : *Ibid.*

Quadragenaria sufficit ad non solutionem quartæ funerum : *Ibid.*, § 10.

Præsertim dum agitur de metropolitana, unica omnium matre : *Ibid.*

Necessarium non est, ut consuetudo in judicio firmetur, quum non agatur de novo jure acquirendo, sed de veteri extinguendo : *Ibid.*

§ III.

Quarta funerum a quibus, de quibus solvi debent.

In jure communis est, ut portio emolumentorum debeat ecclesiæ parochiali persolvi ex funere suæ parochiæ incolæ, quando iste procul ab ea moriatur et alibi sepeliatur : *Rom., Quar. fun.*, 13 *apr.* 1737, § 2.

Si autem contingat quemquam extra urbem ex quacumque causa, non immutato tamen domicilio urbis, morte occumbere, et sepeliri, ecclesiæ parochiali urbis, intra cujus limites domicilium seu habitationem retinebat, canonica portio non ab hærede sed ab ecclesia tumulante, quatenus ibi funus factum fuerit ; jura vero sepulturæ ab hærede solvantur : *Ibid.*, § 3.

Si vero funus non fuerit factum in loco in quo decessit, integrum dictæ ecclesiæ parochiali urbis debetur : *Ibid.*

Ubi statuta et consuetudines pinguiorem quartam emolumentorum portionem parochis tribuunt, in locis ubi vigent servanda sunt : *Ibid.*, § 5.

Ecclesiæ parochiali præstandam esse quartam funerum ab ecclesia tumulante, inhærendo veterum canonum sanctioni, præscribit S. Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 13, *de Refor.* : *Fav., Præc. et Fun.*, 7 *jun.* 1760, § 7.

Et cuique ecclesiæ ad exemptionem hanc acquirendam quadragenaria præscriptio sufficit : *Ibid.*, § 8.

Multo magis prosit in favorem cathedralis immemorabilis consuetudo, pluribus testibus cum solitis requisitis negativam solutionis insinuantibus comprobantem : *Ibid.*

Imo adstipulante præsumpto jure matricitatis vel superioritatis, conventionis initæ in divisione parochiarum, adminiculato ab existentia unici fontis baptismalis in cathedrali, qua semper immunis reputata fuit ab illius præstatione : *Ibid.*

Nec obstat constitutio Bened. XIII incip. *Romanus Pontifex*, dum illa immemorabilis derogat quoad regulares de exemptione certantes jure dativo privilegiorum : *Ibid.*

In jure cautum est, ut si defunctorum cadavera in alia quam in parochiali ecclesia tumulentur, huic quarta tantum reservetur : *Baln., Jur. par.*, 23 *nov.* 1771, § 3.

Et hæc quarta funerum debetur parochis in quarta parte quorumcumque emolumentorum funeris : *Ap., Quar. fun.*, 14 *febr.* 1761, § 4.

Et privilegia et consuetudines contrariæ novissime sublatæ fuerunt in constitutione VI post Concil. Romanum impressa : *Ibid.*, § 2.

Præservantur tamen conventiones initæ in limine fundationis conventuum regularium : *Ibid.*

Et consuetudo juris percipiendi medietatem omnium emolumentorum loco quartæ juxta optionem ipsis tributam a Bened. XIV const. *Prætiosus* servanda est : *Ibid.*, § 5.

Sed hujusmodi consuetudo legitime probanda est ; et ad hunc effectum demandatur examen formale testium : *Ibid.*, § 6.

Quarta canonica funerum debetur parocho de parochiæ incolis qui in alia ecclesia sepulti sunt : *Viter., Em. fun.*, 28 *jan.* 1764, § 2.

Eademque ad dimidiam tantummodo ex consuetudine, si adsit protrahi potest : *Ibid.*

Et si quid ultra percipit, restituere debet : *Ibid.*

Quare in materia funeris consuetudo summopere attendenda est ; et non requiritur immemorabilis, sed sufficit quadragenaria ex const. Bened. XIII : *Ibid.*, § 3.

Vetita tamen est quælibet consuetudo per quam contra synodales leges canonica portio aucta sit : *Ibid.*, § 9.

Quarta canonica non debetur parocho ex sepulcris factis in ecclesiis confratrum : *Ibid.*, § 5.

Intellige si ecclesiæ confratrum jus sepeliendi expressa Ordinarii auctoritate acquisiverint : *Ibid.*, § 6.

Idque procedit, etiamsi ecclesia sodalitii sit filialis parochiæ : *Ibid.*, § 3.

Et ecclesia confratrum sit a parocho concessa sodalibus : *Ibid.*

Dummodo tamen in concessione aliter conventum non sit : *Ibid.*

Atque concessa ecclesia sodalium non sit ex bonis ecclesiæ parochialis dotata : *Ibid.*

Bened. XIII, const. *Rom. Pont.*, præcepit traditionem quartæ erga parochum defuncti in aliena parochia tumulati : *And.*, 20 *dec.* 1766, § 17.

Quarta funeris semper debita fuit parocho, quoties funus in aliena ecclesia peragitur : *Brict. seu Nul. S. Ruph., Jur. par.*, 26 *nov.* 1768, § 5.

Nec obstat contraria consuetudo aliarum ecclesiarum, quæ, quatenus probetur, ab una ad aliam ecclesiam trahi nequit : *Ibid.*

Quarta funeris debetur semper parocho domicilii, quamvis in ecclesia cathedrali sepelitur : *Aven., Jur. par.*, 1 *mart.* 1766, § 15.

Exceptio est regulæ, si ecclesia cathedralis expresse ab initio jus non solvendi præservavit ; vel si exemptionem non solvendi legitima præscriptione acquisivit : *Ibid.*, § 16.

Tradi debet parochis defuncti quarta pars omnium intortitiorum et candelarum, quæ in ecclesia circa cadaver, vel etiam in altaribus, in die funeris accenduntur : *Nar., Jur. par.*, 8 *jun.* 1771, § 9.

Præservatis consuetudinibus, conventionibus vel statutis, quæ parochis magis favent : *Ibidem*, § 10.

Quarta funeris parocho debetur ab ecclesia tumulante duntaxat de intortitiis, candelis aliisque funeris emolumentis eidem ecclesiæ obvenientibus, non autem ex illis quæ defunctorum hæredibus post absolutum funus restituuntur : *Far., Quar. fun.*, 18 *jun.* 1735, § 3.

Limit. : verum, ubi adest consuetudo exigendi etiam ex omnibus intortitiis, et signate ex illis quæ defunctorum hæredibus post absolutum funus restituuntur, uti pia et laudabilis est servanda : *Ibid.*, § 5.

Ex omnibus intortitiis et candelis, quibus defunctorum cadavera in itinere ad ecclesiam tumulantem associantur, necnon ex iis quæ in eadem ecclesia circa cadavera, vel etiam in altaribus, die funeris accenduntur, portio canonica ecclesiis parochialibus præstanda est : *Rom., Quar. fun.*, 13 *apr.* 1737, § 6.

Quarta funeris ex omnibus cereis et intortitiis debetur proprio parocho ab iis ecclesiis quæ privilegio seu jure tumulandi cadavera fruuntur : *Rav., Fun.*, 17 *mart.* 1787, §§ 8 et 9.

Ob præservationem tam ejusdem quam jurium parochialium factam in prædicti privilegii concessione : *Ibid.*

Cetera autem emolumenta tunc solum debentur, si deficiat prædictum privilegium : *Ibid.*, § 10.

Quia ad eumdem parochum spectat persolvere exequias super cadaver : *Ibid.*

Quarta funeris, vel recipienda est a parocho juxta consuetudinem, vel intra terminum præfigendum parochus declarare debet num velit quartam partem omnium funerum, computatis iis quæ ipse percipiat : *Ass., Quar. fun.*, 22 *jan.* 1763, § 6.

Sub nomine ceræ funeris comprehenditur nedum cera delata cum funere, sed etiam illa quæ datur contemplatione funeris, ut accendantur in altaribus vel circa feretrum, tam in officio funebri, quam ante vel post : *Ibid.*, § 7.

Quarta funeris debetur non ratione tumulationis, sed ratione administrationis sacramentorum : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 29.

Hinc ea pertinet ad parochum domicilii ; etiamsi subditus alienæ parochiæ in ecclesia cathedrali tumuletur ; imo etiamsi sit canonicus, vel beneficiatus ejusdem cathedralis : *Ibid.*

Emolumenta funerea in quarta parte a sola ecclesia tumulante præstanda sunt, non autem ab hæredibus, qui præter consuetum funus prægravari non debent : *Reat., Jur. tum.*, 10 *mart.* 1770. § 6.

Capitulum, quod curam animarum habet, ejusque onera omnia ferre in sua parochia, ideoque sibi debita est quarta funeris : *Aven., Jur. par.*, 1 *mart.* 1766, § 3.

Etiamsi parochiæ incolæ in cathedrali ac metropolitana tumulentur : *Ibid.*

Præscriptio autem objici non potest, tum quando juri adversatur, tum quando non probatur, ut probari deberet, et contrarius usus in judicio firmatus, tum quando semper fuerit contradicta : *Ibid.*, § 6.

Et pro se juris sanctionem habet, quæ favet parochiæ, etiam de canonicis vel beneficiatis qui in sua parochia ecclesia tumulentur : *Ibid.*, § 7.

Quarta funeris vigore Concilii Trident., sess. 25, cap. 13, debetur cathedralibus aut parochialibus ecclesiis, quæ ante 40 annorum solita persolvi fuit, et postea nulla ratio habeatur de privilegiis ac exemptionibus : *Brict. seu Null. S. Ruph., Jur. par.*, 26 *nov.* 1768, § 13.

A regularibus in quorum ecclesia tumulatum fuit cadaver, non aliud debetur nisi quarta funeris ecclesiæ parochiali defuncti : *Fulg., Fun.*, 29 *jul.* 1752, § 1.

Quarta funeris solvenda est a regularibus in quarta parte omnium candelarum, exceptis iis quæ ad manus deferuntur : *Eug., Jur. par.*, 22 *maii* 1762, § 2.

Datur optio parocho sequendi consuetudinem, vel consequendi quartam partem, collatis suis portionibus ceræ, instar quartæ legitimæ debitæ matri : *Ibid.*, § 5.

Quarta funeris debet a Patribus Cappuccinis præstari : *Lun. Sarz., Quar. fun.*, 18 *maii* 1737, § 4.

Quarta funeris nullo modo competit abbatiali ecclesiæ, tum ob regularium et præsertim Patrum S. Augustini privilegia, cap. unic., *de Relig. Dom.*, in 6 : *Brictinorien. seu Null. S. Ruphili, Jur. par.*, 26 *nov.* 1768, § 7.

Tum etiam quia dictæ ecclesiæ vicarius sacramenta non administrat puellis in monasterio degentibus, cujus administrationis ratione quarta funerum unice competeret : *Ibid.*

Tum quia jus tumulandi dictas puellas non parochiali, sed proprie earumdem monialium ecclesiæ convenit : *Ibid.*

Accedente præsertim peculiari ecclesiæ consuetudine, et solemni lege synodi diœcesanæ : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Parochus*, § VII.

QUARTA, SEU PORTIO CANONICA. Vide *Episcopus*, § XVII.

QUOTIDIANÆ DISTRIBUTIONES. Vide *Distributiones quotidianæ*.

Raptores.

Raptores ex Tridentino, sess. 24, cap. 6, *de Refor. matr.*, sunt infames et ipso jure excommunicati, dignitatumque incapaces : *Præmislien.*, *Null. matr.*, 18 *jul.* 1778, § 9.

Si clerici sint, a proprio gradu dejiciuntur : *Ibid.*

Tenentur puellam raptam decenter dotare arbitrio judicis, sive eam in uxorem duxerint, necne : *Ibid*

Voluntaria fuga puellæ, etiam insciis parentibus, excludit raptum : *Ibid.*, § 10.

Preces et suasiones, nisi inapertissimam violentiam redoleant, nusquam irritare valent matrimonium : *Ibid.*

Exclusa violentia, de raptu agi nequit : *Ibid.*

Raptores mulierum, quæ in raptum tantummodo, non in matrimonium consenserunt, comprehenduntur quoad pœnam et matrimonii prohibitionem sub decreto Concil. Trid. : *Omol.*, *Matr.*, 14 *mart.* 1772, § 33.

RAPTUS. Vide *Matrimonium*, § XLVI.

RATIHABITIO. Vide *Professio religiosa*, § VII ; *Sacramentum Ordinis*, § XII ; *Sponsalia*, § IV.

Ratio.

Ratio major habenda est factis quam verbis : *Fav.*, 20 *jun.* 1767, § 12.

Ubi eadem militat ratio, idem ferendum est judicium : *Apr.*, 19 *maii* 1787, § 7.

Ubi eadem militat ratio, eadem militare debet dispositio : *Sant.*, 14 *jan.* 1792, § 2 ; *Sav.*, *Red. Mis.*, 13 *jun.* 1795, § 2.

Eadem facultas quoad omnes, quando eadem concurrat ratio conjunctionis sanguinis : *Firm.*, *Cap.*, 12 *mart.* 1774, § 7.

RATIONABILIS CONSUETUDO. Vide *Consuetudo*, § XI.

RATIONUM REDDITIO. Vide *Administrator*, § VI ; *Redditio rationum*.

RATUM ET NON CONSUMMATUM MATRIMONIUM. Vide *Matrimonium*, § XIX.

QUOAD DISPENSATIONEM. Vide *Dispensatio*, § XVI.

REÆDIFICATIO. Vide *Ecclesia parochialis*, § IV.

RECEPTIO. Vide *Concilium Tridentinum*, § II ; *Monasterium*, § IV ; *Sodalium*, § VIII.

RECEPTITIA ECCLESIA. Vide *Ecclesia receptitia*.

RECITATIO. Vide *Officium divinum*, § III.

RECTOR SEU ADMINISTRATOR. Vide *Administrator*.

RECTOR BENEFICII. Vide *Beneficiatus*.

RECTOR CAPELLANIÆ. Vide *Capellanus*.

Rector.

§ I.

Rector quoad electionem.

Jus eligendi rectorem ecclesiæ disjunctæ ac separatæ pertinet ad rectorem ecclesiæ matris, cujus redituum portione nova fuit erecta parochia : *Ferrarien.*, *Conf. conc.*, 29 *maii* 1745, § fin.

§ II.

Rector quoad jura et potestatem.

Rector ruralis ecclesiæ sacrum diebus festis agere in sua ecclesia ante parochialem ob longam inter utrasque ecclesias distantiam, et sacrum evangelium agresti populo, prævia Episcopi licentia, explicare, vigilias festosque dies denuntiare, et explanare religionis christianæ rudimenta licet : *Amerin.*, *Func.*, 3 *dec.* 1757.

Præferenda non est privata rectoris utilitas publicæ ecclesiæ necessitati atque utilitati, jubente Tridentino ut populi ac ecclesiæ illius necessitati consulere debeat : *Thel.*, 25 *jan.* 1744, § fin.

Facultas deputandi capellanos aliosque ministros ecclesiæ, veluti quæ adnumeretur inter præcipua administrationis jura, ad rectorem ipsius ecclesiæ pertinet : *Hierac.*, 16 *mart.* 1743, § 10.

Sicuti pariter administratio oblationum propria est rectoris ecclesiæ in qua illæ fiunt, excluso etiam parocho : *Ibid.*, § 11.

Quod definivit S. C. Episc. et Reg. et Sacrum Tribunal Rotæ : *Ibid.*

Jurisdictionales quorumcumque rectorum actus unum vel alterum respiciunt curionatum, et particulari nituntur consuetudini, quæ jus universale non constituit : *Egitanien.*, *Visit. SS. LL.*, 27 *jun.* 1768, § 7.

§ II.

Rector quoad onera.

Rector fructus ecclesiæ, demptis congruis alimentis pro sua conservatione necessariis, erogare tenetur in ecclesiæ decus et divini cultus incrementum : *Senog.*, 5 *sept.* 1778, § 4.

Fortius, quando bona acquisita sunt ex reditibus ecclesiæ : *Ibid.*

Adeoque convertere tenetur reditus in restaurationem bonorum et ecclesiæ : *Ibid.*, § 5.

Proprius deficientibus ecclesiæ reditibus manutentio fabricæ incumbit rectori ex juris dispositione : *Senog.*, 13 *jun.* 1789, § 3.

Rector parochiæ. Vide *Archipresbyter, Parochus, Præpositus.*

Rectores. Vide *Episcopus*, § xv.

Redditio rationum.

Ad legitimam redditionem rationum requiritur *libros* scilicet *legitime, et secundum consuetudinem peritiæ confectos edere, calculum ponere, reliqua solvere, moram purgare* : *Tud., Redd. rat.*, 21 *apr.* 1787, § 7.

Aliud est exhibere computa, sine quibus rationum redditio fieri nequit, aliud vero ipsas rationes reddere, ad quem effectum ostensio calculorum est solummodo quid materiale : *Ibid.*, § 8.

Semel ac per exhibitionem libri administrationis ratio reddita est, non amplius est reddenda : *Nar.*, 23 *jan.* 1790, § 7.

Sed sufficienter absque reali reliquatus solutione ratio reddita non censetur : *Ibid.*

Juri consonum est, ut rata habeatur redditio rationum, quæ legitime semel expleta, non probato ejus errore, firma esse debet, non iteranda : *Colon.*, 14 *febr.* 1767, § 23.

Ad rationes reddendas adigi ille non potest de censibus extinctis, qui sortes a debitoribus non accepit : *Alex., Susp.*, 31 *aug.* 1771, § 10.

Episcopus promotus exigere debet ab officialibus et administratoribus a capitulo deputatis, etiamsi sint ex eodem capitulo, rationem administrationum; et potest eos punire, si in administratione deliquerint, etiamsi iidem absolutionem aut liberationem a capitulo reportassent : *Ibid.*

Episcopus non potest exigere rationes administrationis ab executoribus testamentariis, atque administratoribus hospitalis, quando in ipso limine fundationis Episcopus expresse excludatur : *Lipar., Exem. hosp.*, 9 *maii* 1750.

Sodales, qui extra sodalitium in districtu parœciæ eleemosynam quæritant pro pauperibus, tenentur de ea bene administrata rationes parocho reddere : *Jan., Jur. par.*, 27 *april.* 1748, § 1.

Nec possunt eam cogere, nisi prius impetrata venia : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Administrator*, § vi.

Redintegratio.

Duo ad redintegrationem requiruntur, antiqua nempe possessio, et injusta dejectio : *Tusc.*, 16 *jan.* 1768, § 3.

Denegari non potest redintegratio post aditam hæreditatem cum beneficio legis et inventarii, redditasque de bonis omnibus hæreditariis rationes : *Rom., Red. leg.*, 14 *maii* 1774, § 4.

Canonici redintegrare debent ecclesiam de reditibus fabricæ, quos in alios usus converterunt : *Ascul.*, 21 *jul.* 1788, § 8.

Populus qui ædificavit domum parochialem, quæ ædificatio ad ecclesiam matricem spectabat, in primis debet redintegrari ad possessionem decimarum : *Spir., Reæd. eccl.*, 30 *maii* 1761, § 6.

Sequela rescissionis contractus est redintegratio loci sui in bona in permutationem tradita, ac respective vendita, iis redditis quæ ab eodem accepta sunt : *Terr. et Let.*, 23 *jan.* 1790, § 12.

Et integri debentur fructus loco pio, tum ex frugifera illorum qualitate, tum ratione dominii nunquam ab eo avulsi : *Ibid.*

Imo damnorum refectio, quæ juxta regulam juris reparare debet qui causam dedit : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Matrimonium*, § xx.

Reditus. Vide *Archidiaconus*, § iii ; *Beneficiatus*, § iv ; *Canonici*, § iii ; *Capellanus*, § v ; *Capitulum ecclesiasticum*, § v ; *Census*, § iii ; *Emphyteusis*, § v ; *Episcopus*, § xxii ; *Legatum pium*, § ix ; *Parochus*, § ix ; *Presbyteri*, § ii.

Reductio. Vide *Anniversariorum, Reductio, Canonicatus*, § x ; *Capellania*, § ix ; *Legatum pium*, § xviii ; *Missa*, § xiii ; *Onus, Onera*, § vi.

Refectio. Vide *Damna.*

Referendarius prælatus. Vide *Prælatus*, § iii.

Regimen. Vide *Seminarium*, § iv.

Regressus. Vide *Regulares*, § v.

Regulares.

§ I.

Regulares quoad bona renuntiata.

Religioso ad episcopatum promoto competit regressus ad bona renuntiata, quoad usum : quoad

vero proprietatem, ea Ecclesiæ, vel cui de jure acquiruntur : *Firm.*, *Ren.*, 17 *jul.* 1723, § ult.

§ II.

Regulares quoad capacitatem assequendi beneficia.

Benedicti XIII decretum proponit in concilio Romano editum, quo omnibus regularium superioribus inhibuit, ne onera Missarum susciperent sine generalis vel provincialis scripta licentia, sub pœna privationis officiorum vocisque activæ ac passivæ : *Pont. Cur.*, *Cap. sup. red. Miss.*, 29 *jul.* 1786, § 5.

Imo generales et provinciales monuit de ipsorum non præstando assensu, nisi antea constiterit tot sacerdotes in ecclesia et monasterio adesse quot nova et antiqua onera implere possint : *Ibid.*

Itemque nisi reditus pro Missis perpetuis assignandi respondeant eleemosynis perpetuæ taxandæ juxta mentem cujusque civitatis diœcesis vel provinciæ : *Ibid.*

Opus est licentia superiorum ut perpetuum Missarum onus religiosi assumant : *Æsin. Leg.*, 4 *apr.* 1789, § 5.

Ad assequendas ecclesias parochiales eorum perpetuitas et qualitas secularis minime reddunt capaces regulares, quorum instituto repugnat collatio in titulum perpetuum : *Aug.*, *Par.*, 10 *maii* 1760, § 4.

Et facultas precario obtenta et ad tempus limitata, innuat magis defectum nativæ potestatis præsentandi regulares ad nutum amovibiles : *Ibid.*, § 5.

Franciscanis Patribus vetitum est annuos perpetuos reditus assequi, licet sacrorum nomine illis relinquantur : *Uxen.*, *Cele. Mis.*, 16 *dec.* 1745, § 3.

Sed assequi non possunt legata annua, uti debita civili actione, ex testamento, sed possunt per modum eleemosynæ et stipendii celebrationis sacrorum : *Ibid.*

Et Rotæ Sacrum Tribunal hoc suffragium sustulit, uti et aliud, quod non ipsi Patres in judicio sint, sed eorum syndicus Apostolicus uti unus de populo : *Ibid.*

Patres Cappuccini sunt incapaces habendi jus nominandi vel præsentandi : *Comacl.*, *Cap.*, 17 *jun.* 1769, § 2.

Cappuccini, licet incapaces sint exequendi ea quæ commixtionem continent cum rebus mundanis, incapaces tamen non sunt ea exercendi quæ in mera pietate consistant absque ulla rerum mundanarum commixtione : *Ibid.*, § 5.

Cappuccini incapaces sunt exercendi officium executorum ultimarum voluntatum : *Ibid.*, § 7.

Ideo incapaces juris nominandi ad capellanias, aliaque similia jura acquirenda et exercenda : *Ibid.*

Patres Cappuccini, Minores strictioris Observantiæ ordinis S. Francisci aliique regulares, qui bona in communi possidere prohibentur, possunt quidem manuales Missarum eleemosynas percipere, et legata decorem suarum ecclesiarum et certum divini cultus usum respicientia consequi, secundum decretum congreg. Urbani VIII specialiter deputatæ : *Cass.*, 18 *dec.* 1734, § 6.

At quia iidem Patres nullam possunt securitatem habere pro eorum victu, sed debent prorsus ab incerto pendere : *Ibid.*, § 7.

Propterea incapaces sunt etiam legatorum quæ eis, adjecto onere celebrationis Missarum, relinquantur : *Ibid.*

Fratres Minores de Observantia, ob eorum evangelicam paupertatem, legata perpetua pro sacris agendis ac perpetuas eleemosynas continuo repudiarunt : *Foss.*, 22 *mart.* 1766, § 14.

Qua de causa Summi Pontifices, ne legata perirent, beneficia ecclesiastica erexerunt : *Ibid.*, § 15.

Præsertim hoc accidit in regno Neapolitano, ubi Urbanus VIII ex legatis et eleemosynis perpetuis plurium conventuum duo beneficia ecclesiastica erexit, injuncto Missarum numero : *Ibid.*

Inde vigore decreti Sac. Congreg. Rev. Fabricæ Sancti Petri possunt dicti Fratres recipere dicta legata annua per modum eleemosynæ, non autem per eos exigenda : *Ibid.*, § 16.

Nec alias nisi juxta formam prædicti decreti habere possunt legata, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ : *Ibid.*

Idem confirmavit Urbanus VIII ad sedendas animorum perturbationes in fratribus, eosque ad reditus legatorum per modum eleemosynæ admisit : *Ibid.*, § 17.

Hinc factum est ut judicis officio nunc hæredes qui onus legatorum habent, ea per modum eleemosynæ a fratribus accipienda, præstare cogendi sint : *Ibid.*, § 18.

§ III.

Regulares quoad capitulares resolutiones.

Quum quatuor tantum interrogati sint religiosi nec omnes vocati capitulares, hinc a majori et saniori capituli parte edita non censetur resolutio : *Benev.*, 5 *apr.* 1789, § 6.

§ IV.

Regulares quoad conversos.

Præter peculiares constitutiones, etiam inspecto communi jure interdictum est religiosis laicis, sive

conversis, ad sacros ordines ascendere : *Med.*, 17 *febr.* 1742, § 3.

Et id optima ratione factum est, ut, juxta præceptum Apostoli I *Corinth.*, cap. 7, unusquisque permaneat in sua vocatione in qua vocatus est : *Ibid.*

Laici conversi excludendi non sunt a munere capellani conductitii in funeribus, quoties non resistat hæredum voluntas : *Bon.*, 26 *mart.* 1763, § 5.

§ V.

Regulares quoad ejectionem et regressum in religionem.

Religiosi vere incorrigibiles ejici possunt, et tales censendi sunt omnes in quibus incurrunt requisita de jure communi necessaria ad effectum constituendi aliquem incorrigibilem : *Dub. Regul. ad trir. damn.*, 24 *mar.* 1725, § 2.

Sed non potest aliquis qualificari tanquam incorrigibilis ad effectum ejectionis, nisi in sua pertinacia perseverasset post carcerationem annalem in religione in jejunio et pœnitentia : *Ibid.*

Fugitivi et ejecti e monasteriis sunt a superioribus singulis annis requirendi, ut ad pœnitentiam et claustra redeant : *Ibid.*

Et hoc etiam in illis observatur, qui, juris ordine servato, expulsi fuerint a religione; hos proinde religio recipere tenetur, quoties adest spes evidens emendationis comprobata litteris testimonialibus Ordinariorum : *Ibid.*

Quandiu ejecti permanent extra religionem, statutum est ut incedere debeant in habitu clericali, et subesse subjectioni et jurisdictioni Ordinarii loci, et ut, si fuerint initiati sacris ordinibus, suspensi remaneant ab eorum exercitio, sublata Ordinariis facultate relaxandi aut moderandi prædictam suspensionem : *Ibid.*

Donatus, in *Praxi. rer. regul.*, tom. 1., tract. 8., *de Ejec.*, quæst. 23., et tract. 9, *de Galeot. Reg.*, quæst. 16 et 17, tenet ut religiosi ad triremes damnati, expleta pœna, possint in religionem redire, et ut religio teneatur eosdem recipere, sicut uxoratus egressus e carcere, ac peracto exilio, ad suam spectat uxorem, ita regularis, finito triremium tempore, ad suam attinet religionem, cum qua per publicam professionem matrimonium contraxit : *Ibid.*, § 4.

Licet nonnullis indecentissimum videatur ut religiosi infamis punitionis genere mulctati iterum habitu religioso induantur, attamen eos religio recipere tenetur, et eos recipiendo non intelligit recipere incorruptum a triremibus, sed recipere flagellatum, ita ut factus sit delinquentium terror, et admittere cum ea differentia quam meretur qualitas personæ effectæ infamis, et a culpa, et a pœna : *Ibid.*

Apud Minores reformatos extare dicitur constitutio, quæ nullum expulsum et ad triremes damnatum amplius ad ordinem admitti statuit ; et sic redeuntes a triremibus, expleta pœna, remaneant in seculo liberi : *Ibid.*, § ult.

Licet ejecti, si dederint signa pœnitentiæ, non possint a religione arceri, nonnulli tamen sentiunt id non procedere quoties aliter statuatur in constitutionibus Ordinis : *Ibid.*

E religione quis ejici debet a superiore regulari una cum Ordinario : *Burg.*, 13 *apr.* 1720, § 9.

§ VI.

Regulares quoad judicem conservatorem.

Innocentius IV statuit conservatores a manifestis injuriis et violentiis defendere posse, nec posse suam extendere potestatem ad alia quæ judicialem indaginem exposcunt : *Jan.*, *Jurisd.*, 20 *febr.* 1723 § 2.

Bonifacius VIII decrevit conservatores per annum ab officio suspensos esse, si de aliis quam de manifestis injuriis et violentiis scienter se intromiserint, seu manus apposuerint in aliis quæ judicialem exigunt indaginem : *Ibid.*, § 3.

Sac. Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 6, *de Reform.*, sanxit causarum criminalium et mixtarum cognitionem ad Ordinarium, et non ad conservatorem pertinere, et civilium cognitionem ad conservatorem spectare, si ille qui habet litteras conservatorias sit reus, secus autem si sit actor : *Ibid.*, § 4.

Clemens VIII in sua const. 3, *Bull.* tom. 3, revocavit omnes conservatorias concessas contra formam supra relatæ constitutionis Bonifacii VIII : *Ibid.*, § 5.

Gregorius XV in sua constit. 9, tom. 3, Bonifacianam renovavit constitutionem, iterumque sanxit conservatores nullam habere jurisdictionem in causis in quibus regulares et alii actores fuerint, sed in iis tantum in quibus rei extiterint : *Ibid.*, § 6.

Regulares habentes conservatorem, si rei sint, conveniri non possunt in causis civilibus requirentibus judicialem discussionem, et indaginem coram eodem conservatore, sed conveniendi sunt coram Ordinario : *Ibid.*, § 7.

Conservatores non possunt exigere tribunal, nec proprios assumere ministros, excepto solo notario : *Ibid.*

Judex conservator commendæ Hierosolymitanæ civitatis Auximanæ non potest cognoscere causas criminales aut mixtas, nec civiles, quæ judicialem indaginem requirunt, sed eos solum in quibus agitur de manifestis injuriis aut violentiis ; nec potest erigere tribunal pro cognitione dictarum causarum, et eum non posse deputare officiales et ministros, sed solum notarium : *Ibid.*

Litteræ conservatoriæ a S. Pio V fratribus Societatis Jesu concessæ, et a Gregorio XIII in forma *rationi congrua* expeditæ, redactæ fuerunt ad terminos constitutionis Gregorii XV : *Ibid.*, § ult.

Judices conservatores regularium, extra civitates seu diœceses in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœcesis eorumdem trahere non possunt : *Fulg., Jur.*, 1 *jul.* 1741, § 5.

Antea concessum fuerat iisdem conservatoribus, ut ultra tres dietas a confinibus diœcesis, in qua fuerint constituti, possent jus dicere : *Ibid.*

Sed ad plurima avertenda incommoda exorta ex ampla conservatorum facultate procedendi extra diœcesim, eisdem conservatoribus Gregorii XV vetuit ne extra civitates seu diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant : *Ibid.*

Tandem communiter receptum est, non posse a regularibus judicem conservatorem deputari cum facultate jus dicendi ultra fines diœcesis, in qua is fuerit constitutus, etiam per unicam dietam, adeo ut deputatio atque facultas quæcumque contra hanc legem data nequeat sustineri : *Ibid.*, § 6.

§ VII.

Regulares quoad jura et potestatem.

Regulares assumere nequeunt perpetua Missarum onera sine generalis vel provincialis consensu et licentia, vigore decretorum generalium S. C. Concilii : *Rom.*, 16 *maii* 1789, § 6.

Ea igitur a contrario sensu accipere valent cum licentia et consensu : *Ibid.*

Et verba decretorum hujusmodi generalium directa sunt religiosis, qui simplices reputantur legatarii, nec perpetuum onus præter propriam vitam religioni imponunt : *Ibid.*, § 7.

Sed expresse ad dub. 16 in declarationem Innocentianæ const. *Nuper*, respondit S. C. Concilii *comprehendi etiam privatos sacerdotes : Ibid.*

Regularibus non licet sine causa ab eorum ecclesia rejicere sacerdotem celebrantem : *Rom., Cap.*, 25 *nov.* 1793, § 1.

Superiores regulares non possunt super nullitate professionis, nec habito, nec requisito Ordinarii loci judicio, sententiam pronuntiare, quum dispositioni Sac. Concil. Trident. repugnet : *Sicul., Rest. in int. et Null. prof.*, 24 *sept.* 1740, § 8.

Regulares ecclesiæ parochialis prohibere nequeunt quominus presbyteri intersint functionibus, quæ non fiunt ex instituto regulari : *Bon.*, 26 *mart.* 1763, § 14.

Regulares, prævia resolutione capitulari, non possunt syndico facultatem alienandi sylvam tribuere : *Ben.*, 4 *april.* 1789, § 7.

Et ratio est quia illorum bonorum dominium pertinet ad Sanctam Sedem : *Ibid.*

Regulares ecclesiæ parochialis jus non habent prælativæ vocationis ad funera : *Bon.*, 26 *mart.* 1763, § 6.

Et quando ex voluntate hæredum invitantur uti capellani conductitii, laici cum ipsis immisceri non possunt : *Ibid.*, § 7.

Ac præcedentia debetur presbyteris et clericis sæcularibus inter eumdem ordinem : *Ibid.*, § 9.

Si tamen regulares interveniunt uti capitulum claustrale absolute præcedit clerus sæcularis : *Ibid.*

Regulares signate profitentes institutum Sancti Antonii Viennensis non possunt quæstuare, quoties non habeant in diœcesi hospitale cum actuali hospitalitate, et præterea licentiam ab Ordinario in hunc finem obtentam : *Spol., Jur. quæst.*, 9 *sept.* 1741, § 3.

Bulla S. Pii V, quæ regularibus religiosis indulsit ut in partibus Novarum Indiarum officio parochorum fungi valerent, non suffragatur nisi in locis ubi est defectus parochorum : *Mex.*, 4 *jul.* 1722, § 3.

Breve suspensivum Urbani VIII non fuit extensum ad judices, ac proinde non derogavit bullæ Gregorii XV, quæ in praxi et usu recepta in regnis Hispaniarum : *Ibid.*, § 6.

Regulares ordinis minoris S. Francisci privilegia habent sacramenta suis famulis et familiaribus administrandi, eosque in suis cœmeteriis sepeliendi : *Ulix. Occ.*, 22 *nov.* 1721, § 6.

Etiam ante Concilium Tridentinum, regularium exemptio in eo quod attinet ad curam animarum jam fuerat de medio sublata : *Lyc., Visit. et Cens.*, 23 *jun.* 1725, § 5.

Fratribus Minoribus non solum minime licet fungi officio executorum ultimarum voluntatum, sed nec etiam exercere munus sibi a testatore commissum eligendi pauperes, quibus subsidia ab eo relicta tribuantur : *Pap., Subs. dot.*, 18 *aug.* 1731, § 10.

Eorum vero institutis minime repugnat, quod actum charitatis expleant, investigando quinam sint magis digni, quibus detur pium subsidium juxta mentem testatoris, eosque eligendo, vel no-

minando, quum ab his longe absit ratio prohibitionis, sitque potius limitatio : *Ibid.*, § 11.

Et in specie electionis pauperum puellarum a testatore commissæ guardiano Cappuccinorum pro obtinendis subsidiis dotalibus, sententiam eamdem tuetur Card. de Luca : *Ibid.*

Fratribus Prædicatoribus et Minoribus ex Bened. XI et Clem. V constitutionibus prohibetur absolvere a casibus Episcopo reservatis : *Colon.*, 16 *nov.* 1720, § 2.

Quemadmodum a casibus Episcopo reservatis regulares absolvere non possunt, ita nec possunt a censuris Episcopo pariter reservatis absolvere : *Ibid.*, § 3.

Regulares tam intra quam extra Italiam degentes in decreto Sacræ Episcoporum et Regularium Congregationis auctoritate Clem. VIII edito, in quo eosdem facultate a casibus reservatis absolvendi nequaquam potiri sancitur, comprehendi dicuntur : *Ibid.*, § 4.

Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate : *Ibid.*

Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo absolvere possunt a casibus qui sunt Episcopo reservati : *Ibid.*

Regulares processiones extra ambitum ecclesiæ facere possunt, quamvis parochus contradicat et consentire recuset, dummodo Episcopi licentia accedat : *Crem., Proc.*, 12 *jan.* 1726, § 2.

Quando agitur de processionibus quæ juxta solitum fiunt in aliqua anni solemnitate, et quæ juxta morem per alienas parochias duci consueverunt, regulares petere debent ab Episcopo licentiam, et si ea denegetur, recurrere debent ad S. C. quæ rescribere consuevit Episcopo ut licentiam concedat : *Ibid.*

§ VIII.

Regulares quoad novitios oblatos.

Urbanus VIII justis de causis regulares absolvit a novitiorum approbatione, quæ ad tramites decretorum Clementis VIII fieri debebat a congregatione reformationis Apostolicæ, vel ab Ordinariis : *Leod., Prof.*, 2 *aug.* 1721, § 2.

Dispensatio biennii tirocinii, de qua nullum extat monumentum, opponi nequit contra nullitatem professionis : *Neap., Rest. in int.*, 17 *sept.* 1768, § 15.

Et vigore statutorum religionis tenentur ad quatuor annos probationis : *Ibid.*, § 16.

Oblati, si habeant alia omnia requisita, sed actuali servitio religionis non vacent, jurisdictio super eis pertinet ad Episcopum, sed cumulative cum superioribus regularibus : *Angl.*, 15 *jun.* 1724, § ult.

§ IX.

Regulares quoad observantiam regularem.

Monachi stare non debent soli, sed morari debent in majori conventu vel cum aliquibus fratribus : *Tol., Vis. orat.*, 16 *jan.* 1762, § 3.

Præterea degentes extra monasterium, si deliquerint, sui ordinis privilegio non juvantur quominus ab Episcopo, jure delegato, visitari, puniri, corrigi valeant : *Ibid.*, § 4.

Et qui repertus fuerit sine mandato sui superioris in scriptis obtento, ab Ordinario locorum tanquam desertor sui instituti punitur : *Ibid.*

Ad quem effectum Ordinarii locorum diligenter debent requirere licentias superiorum, seu litteras obedientiæ, ab omnibus personis regulari habitu indutis vagantibus in sua diœcesi : *Ibid.*

Imo degentes in granciis monasterii pro servitio religionis subjecti sunt jurisdictioni Episcopi, nisi ibidem morentur de licentia superioris, et vivant sub regulari observantia : *Ibid.*, § 5.

Et qui se exemptum asserit, tenetur suæ exemptionis documenta edere coram Ordinario : *Ibid.*

Sub regulari autem observantia non vivunt monachi cum sociis, cum quibus vitam possint ducere regularem : *Ibid.*, § 6.

Granciæ namque, sive domus rurales, quæ ab uno aut altero religioso inhabitantur, pro cura bonorum, aut causa recreationis, minime gaudent privilegiis et exemptionibus monasterii, ad quod pertinent : *Ibid.*

Secus granciæ improprie seu membra monasterii, scilicet parvi conventus plurium religiosorum regulariter viventium : *Ibid.*

Regulares, qui morantur extra monasterium, neque semper neque omnino exempti sunt a jurisdictione Ordinarii : *Tol., Vis. Or.*, 16 *jan.* 1762, § 2.

Potest tamen Episcopus superiores regulares compellere, monitione præmissa, ut monachos solitarios ad claustra revocent, vel cum eis alios associent cum quibus vitam possint ducere regularem : *Ibid.*

§ X.

Regulares quoad onera.

Regulares interesse debent supplicationibus Corporis Christi et Rogationum, aliisque publicis, non

obstante consuetudine, privilegio et præscriptione : *Sutr.*, 6 *dec.* 1794, § 4.

Conciliaris vero dispositio, veluti correctoria in id libertatis, non extenditur ad supplicationes quæ statis sunt diebus anni : *Ibid.*

Neque ad supplicationes quæ ex correspectivo celebrandæ sunt pacto : *Ibid.*

Tibicines, in conciliaribus supplicationibus, præcedere non debent crucem regularium, sed alteram cleri secularis : *Ibid.*, § 5.

Præcentio antiphonæ et cantus orationis in ecclesia regularium, occasione supplicationum, digniori competit : *Ibid.*, § 6.

Dignius est prælato regulari capitulum cathedralis, ratione habitualis jurisdictionis episcopalis : *Ibid.*

Non item capitulum collegiatæ, cui nulla est jurisdictio : *Ibid.*

Regulares lumen accendere debent accedentes, occasione supplicationum, ad ecclesiam collegiatam, cum ingredi debeant, ut adorent Crucem : *Ibid.*, § 7.

Regulares, ad associanda cadavera vocati, debent prius accedere et convenire ad ecclesiam parochialem defuncti, ubi congregatur clerus; non obstante contraria consuetudine, etiam immemorabili : *Amer.*, *Ass. fun.*, 7 *jul.* 1781, § 2.

Quandoque permittitur ut regulares conveniant in tertia ecclesia : *Ibid.*, § 3.

Regulares cogi nequeunt ad exeundum a propriis ecclesiis ad effectum associandi cadavera in eisdem sepelienda, sed sufficit quod illa expectent in janua : *Eug.*, *Jur. par.*, 22 *maii* 1762, § 11.

Regulares admittere tenentur, et possunt compelli ad permittendam in eorum ecclesia celebrationem, nisi justam afferant causam recusationis : *Rom.*, *Cap.*, 23 *febr.* 1793, § 3.

Mendicantibus ordinibus tunc tantum onus inest solvendi taxam seminarii, quando iis unita fuerunt secularia beneficia, quæ pridem taxæ onus ferebant : *Milet.*, 8 *maii* 1745, § 2.

Regulares non tenentur inviti acceptare fundationes capellaniarum pro secularibus presbyteris in eorum ecclesiis : *Firm.*, *Erect. cap.*, 22 *jan.* 1763, § 2.

Limita : in capellis patronalibus : *Ibid.*

§ XI.

Regulares quoad privilegia.

Ex constitutionibus Summorum Pontificum, non solum a parochorum subjectione, sed etiam ab Episcoporum jurisdictione regulares eximuntur : *Aquip.*, *Funct.*, 18 *dec.* 1773, § 13.

Nec hujusmodi exemptio auferri potest per contrariam observantiam : *Ibid.*

Regularibus concessum fuit, ut absque parochi licentia omnibus Christifidelibus Sacram Eucharistiam per se ipsos, vel per alios sacerdotes administrare possent in propriis ecclesiis, vigore privilegiorum a Summis Pontificibus concessorum : *Suess.*, *Jur. par.*, 3 *dec.* 1735, § 3.

Sed in his privilegiis expresse cautum legitur, ut regulares nequeant populo SS. Eucharistiæ sacramentum die Paschatis administrare : *Ibid.*, § 4.

Et nonnulli putant quod non possunt ipso die Resurrectionis dominicæ saltem administrare Eucharistiam iis qui præcepto annuæ Communionis vel in sua parochia jam satisfecerint, vel illud postea sint impleturi, ita ut a regularibus devotionis tantum causa Eucharistiam petant : *Ibid.*

Sed alii doctores affirmativam tenent sententiam uti probabiliorem : *Ibid.*

Ordini Præmonstratensi Bened. XIV privilegium indulsit, ut ejus regulares absque dispensatione Apostolica consequi et ad vitam retinere possent quascumque parochiales ecclesias sibi canonice collatas, etiam seculares, illarumque perpetuas vicarias clericis, seu presbyteris secularibus conferri et assignari solitas : *Ang.*, *Par.*, 10 *maii* 1760, § 1.

Fratribus Minimis, dum viveret institutor ordinis S. Francisci de Paula, archiepiscopus Consentinus, plura contulit privilegia ad fovendam et amplificandam congregationem recens fundatam : *Ord. Min.*, *Quar. fun.*, 14 *mart.* 1733, § 3.

Quæ privilegia Xistus IV, Pont. Max., Apostolica auctoritate confirmavit : *Ibid.*, § 5.

Imo ampliavit, necnon eisdem privilegiis potiri voluit quascumque ecclesias et cœnobia ejusdem ordinis ubicumque posita : *Ibid.*

Uberius omnia indulta antea concessa approbavit, aliaque etiam addidit, anno 1506, Julius II : *Ibid.*, § 5.

Regulares ordinum mendicantium habent privilegium a Leone X concessum, quod in eorum ecclesiis satisfiat præcepto audiendi Missam : *Squill.*, *Celeb. Miss. et Func. conv.*, 28 *febr.* 1761, § 5.

Quod privilegium non fuit revocatum a Gregorio XIII : *Ibid.*

Regularibus prohibitum non est Missas celebrare aliasque peragendas functiones cum sonitu campanarum ante Missam parochialem : *Ibid.*, § 4.

Quod prohibere eis non potest ab Episcopo : *Ibid.*

Solumque prohibetur campanarum sonitus ad matutinum, ad horas et ad Missam, antequam pulsetur campana majoris ecclesiæ in die sabbati sancti : *Ibid.*

REGULARES QUOAD PROFESSIONEM RELIGIOSAM. Vide *Professio religiosa.*

§ XII.

Regulares quoad syndicum.

Capuccini actionem non habent sistendi in judicio etiam per interpositam personam syndici : *Aler., Leg.*, 21 *jun.* 1760, § 4.

Syndicus regularium est veluti procurator Sedis Apostolicæ : *Ren.*, 4 *april* 1789, § 8.

Et ea omnia in utilitatem Fratrum distrahere valet, quæ licite ab ipsis retineri non possunt ; et vendere stabilia, et pretium in eorum utilitatem convertere : *Ibid.*

§ XIII.

Regulares quoad testamentum.

Regulares nullam de bonis quomodolibet requisitis facere possunt dispositionem quia post emissam professionem propria voluntate privantur, et omnia arbitrio submittunt superioris : *Bon.*, 3 *jul.* 1784, § 9.

Eorumque dispositiones, licet sint factæ ad pias causas, et de ejusdem superioris licentia, irritæ sunt : *Ibid.*

Consueverunt Pontifices ex juxta causa concedere regularibus facultatem testandi, cum superioris consensu, et de modica quantitate : *Ibid.*

§ XIV.

Regulares quoad vota in genere.

Vota si quis emiserit in ordine non approbato a Sancta Sede, nequit ex illis adstringi, etiamsi approbatum ordinem credidisset : *Lisb.*, 28 *aug.* 1745, § 3.

Ideo deseri quando placuerit poterit ordo, nec qui desuerit apostasiæ crimine reus censendus erit: *Ibid.*

§ XV.

Regulares quoad votum paupertatis.

Religiosus ad episcopatum promotus, juxta receptiorem, sententiam remanet obstrictus voto paupertatis, et proprium habere non potest : *Fir., Ben.*, 17 *jul.* 1723, § 5.

Paternam hæreditatem sibi vindicare potest tanquam hæres, sed sibi vindicare potest quoad usum, non autem quoad proprietatem et dominium quum hæc ad suam ecclesiam deferri debeat : *Ibid.*, §§ 5 et 6.

Amplia hoc procedere etiam in canonico regulari ad ecclesiam cathedralem assumpto, et in religioso de beneficio regulari proviso : *Ibid.*, § 6.

Gregorius XIII, in sua const. 43, res et bona regularium extra conventus etiam cum licentia superiorum degentium comprehensa esse voluit sub nomine spoliorum, et ea Cameræ Apostolicæ applicavit : *Ibid.*, § 7.

Hinc factum est, quod ea quæ dicta fuerunt de acquisitione proprietatis in favorem ecclesiæ, inspecto jure novissimo, et in locis, in quibus jus spolii sibi vindicat locum, intelligenda sunt de acquisitione in favorem cameræ : *Ibid.*

Gregoriana constitutio procedit in his quæ acquiruntur a regulari tempore quo vivit extra claustra, sive ex causa testatæ, sive intestatæ successionis : *Ibid.*, § 8.

Votum paupertatis servandum est ab ejecto, ita ut nullus ejectus verum dominium acquiri possit, libero tamen bonorum usu atque administratione permissis : *Ord. Capp.*, 11 *sept.* 1728, § 19.

Prohibitum est sub obtestatione divini judicii a sacris canonibus, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat : *Bon.*, 3 *jul.* 1784, § 4.

Sed si quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti resignet : *Ibid.*

Si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa, monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam : *Ibid.*

Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur : *Ibid.*

Id se fecisse narrat B. Gregorius in *Dialogo : Ibid.*

Hinc, si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed abbati, vel priori, vel cellario assignetur : *Ibid.*

Sacros canones hujusmodi Concilium Tridentinum confirmavit et, innovavit, sess. 25, cap. 2, *de Regul.* : *Ibid.*

Jussit ut nemini regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, possidere vel tenere : *Ibid.*

Et adjunxit ut regulares statim tradant superiori, conventuique incorporet : *Ibid.*

Denique ille, qui quidquam tenere deprehensus fuerit, biennio voce activa et passiva privetur, et puniatur juxta constitutiones ordinis : *Ibid.*

Clem. VIII const. *Quoad prosperam*, 25 julii 1599, dictam Concilii legem renovavit, et absque

ulla fraude et dolo omnino fieri præcepit : *Ibid.*, § 8.

Et voluit ut nulla dispensatio vel licentia regulares excusare possit, ut in pœnam Concilii incurrent ipso facto : *Ibid.*

Hinc singuli abusus invecti, ut eluderetur dispositio Concilii quoad regularium proprietatem, penitus sublati sunt post dictam constitutionem : *Ibid.*, § 7.

Et in ea Concilii decretum explicatur atque declaratur : *Ibid.*

Regularibus non solum vetanda sunt quodlibet mercimonium ac lucrosus quæstus in venditione medicaminum, sed expedire etiam, ut quælibet eis adimatur occasio ac prætextus, quo quæstui operam dare possint ex illorum venditione : *Barb.*, 4 *jun.* 1768, § 3.

§ XVI.

Regulares quoad votum perseverantiæ.

Liberum et arbitrarium est professis perseverantiæ votum emittere, nec ad illud emittendum ullo modo cogi valent a superioribus : *Rom.*, *Vot. pers.*, 25 *sept.* 1700.

Quemadmodum etiam liber et arbitrarius est recessus professorum, nullo eidem inflicta pœna, sed demandatur duntaxat superioribus ut, præviis diligentiis et bonis monitis, eos, qui e congregatione egressi sunt, ad reditum perducant : *Ibid.*

Doctores antiqui dicunt, religiosos ad triremes damnatos teneri etiam tempore pœnæ ad observantiam votorum religionis, quantum tamen patitur eorum status infelix : *Dub. Regul., etc.*, 25 *mart.* 1725, § 4.

§ XVII.

Regulares in specie.

Patres Cappuccini juxta Pauli V bullam sunt vere fratres minores S. Francisci ejusque filii ; et eorum constitutiones sunt regulæ S. Francisci consentaneæ : *Fan., Sep. et Quar. fun.*, 13 *aug.* 1718, § 3.

REGULARIA BENEFICIA. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXVIII.

REGULARIS CANONICUS. Vide *Canonicus*, § VII.

Regularium monasterium.

§ I.

Regularium monasterium quoad exemptionem.

Privilegium exemptionis solum habet locum in monasteriis quæ a religiosis ejusdem ordinis regantur et ipsis regularibus sunt subjecta ; secus ubi, ut in casu, monasterium regitur a sacerdotibus secularibus : *Brict. seu Null. S. Ruph., Jur. par.*, 26 *nov.* 1768, § 4.

Nihil est curandum de materiali situatione monasterii quoad exemptionem, sed formali tantummodo insistendum : *Ibid.*, § 9.

Nec attendenda est bulla concessionis soli dicti monasterii, quando hæc est fidei nimium dubiæ, nec proinde in pretio habenda, nisi exhibeatur authographum : *Ibid.*

Et argumentum desumptum ex stemmate, quæ censeri debetur appositum ad demonstrandum dominium soli in emphyteusim monasterio concessi, spernendum est, nec trahitur ad spiritualem jurisdictionem : *Ibid.*, § 10.

Monasterium congregationis Montis Virginis, situm intra diœcesis S. Angeli Lombardorum limites, haud potiri qualitate nullius, definivit S. Rota : *Caputaquen., Jurisd.*, 30 *jan.* 1762, § 3.

Tamen Alex. IV, Sum. Pont., illud monasterium cum suis locis subjecit sanctæ Romanæ Ecclesiæ : *Ibid.*, § 5.

Urbanus IV tribuit usum pontificalium abbati Montis Virginis cum facultate conferendi ordines minores, concedendi indulgentias quadraginta dierum, benedicendi sacras suppellectiles, et cognoscendi causas matrimoniales inter vassallos : *Ibid.*, § 5.

Inde confirmavit privilegia ab Alex. IV concessa ; et alia privilegia indulsit : *Ibid.* et 7.

Cœlestinus V abbatem et monachos monasterii Virginis absolvit a petita per episcopum Avellinum præstatione annui census unius libræ ceræ : *Ibid.*, § 8.

Et exemptiones ac privilegia per Sedem Apostolicam concessa confirmavit : *Ibid.*

Item Clem. VIII, Clem. XII, qui inter prærogativas illam recensit exercendi jurisdictionem quasi episcopalem in suis locis, ac habendi territorium separatum, ac administrandi sacramentum Confirmationis suis subditis : *Ibid.*

Territorium separatum proprie dari potest, non in singulis prædiis, sed in locis quæ habent territorium cum populo : *Ibid.*, § 9.

Quare monasterium Montis Virginis, quod habet territorium cum populo, fuit vere nullius declaratum : *Ibid.*

Eademque qualitate nullius potiri declarantur alia loca territorium habentia, quæ ad dictum monasterium Montis Virginis spectent : *Ibid.*

Alia vero loca quæ, de potestate dicti monasterii egressa, in illius postea dominium redierunt, permanent sub jurisdictione Episcopi diœcesani, quia abbates neglexerunt reassumere pristinam jurisdi-

ctionem, et passi sunt eam præscribi ab Episcopo : *Ibid.*, § 10.

Non inde tamen inferri potest ad perceptionem privilegiorum quoad alia loca, in quibus Episcopi jurisdictionem non præscripserunt : *Ibid.*

Nam privilegia prædicta reputantur esse in viridi observantia, quoad omnia loca habentia territorium cum populo : *Ibid.*

Castrum, injuria temporis, vel alio modo peremptum, et non destructum auctoritate superioris, retinet omnia privilegia ob potentiam reversionis populi : *Ibid.*, § 11.

Sed spes reversionis cessat post longum annorum spatium : *Ibid.*, § 15.

§ II.

Regularium monasterium quoad fundationem.

Gregorius XV et Innoc. XII prohibuerunt quamcumque fundationem conventus vel monasterii, quoties domus regularis de sufficientibus reditibus non sit provisa pro supellectilibus sacris et profanis, ac etiam pro manutentione duodecim religiosorum : *Alat., Fund. coll.*, 11 *jun.* 1729, § 9.

Prohibentur novæ conventus fundationes, quoties reditus non sufficiant pro alendis duodecim religiosis : *Panor.*, 27 *aug.* 1763, § 4.

§ III.

Regularium monasterium quoad suppressionem.

Supprimi atque extingui decrevit Innocentius X omnes conventus, in quibus, ob parvum numerum religiosorum, regularis disciplina servari non potest : *Const., Jurisd.*, 31 *mart.* 1770, § 18.

Tot retineri debent religiosi, quot ferunt monasteriorum vires, vel consuetæ eleemosynæ : *Fer., Red. oner.*, 26 *nov.* 1796, § 8.

REGULARIUM TERTIARIÆ. Vide *Tertiariæ regularium.*

REINTEGRATIO. Vide *Redintegratio.*

REITERATIO. Vide *Sacramentum Baptismi*, § III.

Relatio, Relationes.

Relationes, quæ non innituntur testibus formaliter examinati, sed innituntur quidem testibus, vel extrajudicialibus, vel de auditu, vel de publica fama et voce, nequaquam attenduntur : *Viter.*, 23 *nov.*. 1776, § 7.

Præsertim in materia matrimonii : *Ibid.*

Relationi vicarii generalis plurimum deferri debet : *Aret., Disp.*, 20 *aug.* 1774, § 12.

Religio militaris.

§ I.

Religio militaris ordinis Hierosolymitani quoad beneficia.

Equites Hierosolymitani sunt incapaces beneficiorum secularium : *Melev.*, 18 *dec.* 1762, § 8.

Aliquando tamen, ex dispensatione Apostolica, obtinent beneficia secularia in administratione : *Ibid.*

Constitutio Sixtina loquitur cum dictione *respective*, id est de beneficiis secularibus quoad clericos, de regularibus quoad milites : *Ibid.*

Beneficia tamen acquisita in statu clericali non vacant per assumptionem habitus regularis ante emissam professionem : *Ibid.*

Crux aurea non est habitus religionis Hierosolymitanorum : *Ibid.*, § 10.

Est tamen habitus novitiorum, qui, illam deferendo, gaudent privilegio canonis et fori : *Ibid.*

Et acquirunt inter milites antiquitatem : *Ibid.*

Ac possunt retinere beneficia ecclesiastica : *Ibid.*

Cingulus militaris non est de essentia habitus, sed est ornamentum militum : *Ibid.*, § 12.

Verba : *Militiæ quam professi sunt*, constitutionis Sixtinæ, intelliguntur non de iis qui professionem emiserunt, sed de iis qui statum militarem profitentur : *Ibid.*, §§ 10 et 13.

Novitiatus per annum expletur, etiam in militia Hierosolymitana : *Ibid.*, § 14.

§ II.

Religio militaris ordinis Hierosolymitani quoad equites et capellanos.

Milites Hierosolymitani sunt veri et proprii religiosi, juxta receptam in Curia sententiam : *Salam.*, 6 *mart.* 1723, § 5; et *Mel.*, 18 *dec.* 1762, §§ 6 et 11.

Illa quæ respiciunt curam animarum, in qua principaliter consistit jurisdictio episcopalis, expleri nequeunt a vicario bajulivatus religionis Hierosolymitanæ, nisi hic potiretur territorio separato : *Caput.*, 12 *julii* 1760, § 5.

Junctis præsertim enuntiativis in litteris Apostolicis expressis, quod eadem loca sint *nullius diœcesis : Ibid.*

Diuturna possessio non interrupta nec perturbata dici potest quoad ordinandos clericos ad titulos capellaniarum commendæ vicariorum, quando præsertim pluribus confirmata est Episcoporum actibus et præsertim a nuntio Apostolico Hispaniarum : *Aur., Ord.*, 20 *mart.* 1745, § 3.

Capellano curato ordinis Hierosolymitani licet sacramenta administrare degentibus intra septa commendæ pro illius servitio : *Const., Jur. par. et Exemp.*, 25 *sept.* 1762, § 4.

Quia illi plena gaudent exemptione a potestate ordinaria : *Ibid.*

§ III.

Religio militaris ordinis Hierosolymitani quoad familiares

Ad tribuendam exemptionem ministris vel officialibus inservientibus S. religioni Hierosolymitanæ, ejusque ecclesiis vel locis, necessariæ conjunctim sunt tres conditiones, videlicet quod quis actu inserviat, resideat intra septa commendæ vel conventus, et sub obedientia superioris ejusdem ordinis : *Gad. seu Hisp., Dub. orb.*, 8 *mart.* 1723, § 10.

Additur, ut etiam professionem emiserint, et demum ut prædictas qualitates coram Ordinario comprobaverint : *Cap., Juris.*, 19 *nov.* 1735, § 3.

Conservator privilegiorum, qui est presbyter sæcularis habitans extra commendæ domum, subjicit Ordinario in causis propriis, tam civilibus, quam criminalibus : *Ibid.*

Familiares degentes intra septa commendæ pro illius servitio, gaudent exemptione a potestate ordinaria : *Const., Jur. par. et Exemp.*, 25 *sept.* 1762, § 4.

Familiares militum Hierosolymitanorum, ut gaudeant exemptione a parocho, debent esse addicti servitio commendæ, morari intra septa, vel sub obedientia superioris regularis : *Ibid.*, § 4.

§ IV.

Religio militaris ordinis Hierosolymitani quoad magnos priores, bajulivos et commendatores.

Prior religionis Hierosolymitanæ, stante rescripto Pontificio, quo rejecit preces super qualitate nullius, et territorio separato, allegare non valet in oppido sibi subjecto jurisdictionem quasi episcopalem cum territorio separato et qualitate nullius : *Vulturar., Jurisd.*, 19 *nov.* 1729, § 9.

Sed solum prætendere potest, quod sit primæ vel secundæ speciei prælatorum inferiorum, quantum nempe se extendunt ipsorum monasteriorum, conventuum, aut ecclesiarum ambitus, cum jurisdictione in personas sibi subjectas : *Ibid.*

Prior Hierosolymitanæ religionis non potest litteras dimissoriales pro ordinibus suscipiendis tradere clericis qui professi non sunt, licet ecclesiis hujusce religionis inserviant : *Gadic. seu Hisp., Dub. ord.*, 8 *mart.* 1732, § 9.

Magno priori castellæ et legionis competit jurisdictio ordinaria in ecclesias, monasteria, hospitalia aliaque loca regularia prioratus, necnon in equites, familiares, clericos, inservientes et alios intra septa monasteriorum existentes : *Ibid.*, § 11.

S. Pius V, in const. 136, non excludit priores Hierosolymitanos a cumulativo jure visitandi, quod ipsis competebat : *Vult., Jurisd.*, 19 *nov.* 1729, § 16.

Quum ex testibus antiquissimis, instrumentis, publicis monumentis, sacris Episcoporum visitationibus, ac solemnibus eorumdem confessionibus omnimoda jurisdictio, tum temporalis, tum spiritualis, in clerum et populum ab immemorabili tempore exercitam perpetuo fuisse a bajulivis ordinis Hierosolymitani pro tempore probaretur, ea proinde non est illis auferenda : *Cap.*, 14 *mart.* 1767, § 3.

Vigore hujus jurisdictionis ordinariæ in clerum et populum, exercentis jus est retinendi vicarium, et tribunal cum familia armata et carcere : *Ibid.*

Erigendi in quibuslibet ecclesiis beneficia ecclesiastica, jurapatronatus reservandi et transferendi : *Ibid.*

Dandi facultatem concionandi et benedictionem impartiendi : *Ibid.*

Concedendi licentiam exponendi Sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum : *Ibid.*

Omnes ecclesias visitandi : *Ibid.*

Jus sibi est exequendi omnes Apostolicas litteras alteri quam Episcopo directas : *Ibid.*, § 5.

Licentiam clericis discedentibus dare : *Ibid.*

Concedendi licentiam celebrandi matrimonia : *Ibid.*

Examinandi ordinandorum requisita, faciendi publicationes, relaxandi edicta, ac recipiendi probationes ac testes super comprobatione tituli, vel patrimonii : *Ibid.*

Quascumque personas absolvendi a juramento ad effectum agendi seu excipiendi in judicio : *Ibid.*

Ab administratoribus et procuratoribus locorum piorum exigendi rationes : *Ibid.*

Quum per rem judicatam a Sacr. Congr. Concilii firmatum esset Episcopo competere in aliquo loco ordinariam jurisdictionem, bajulivus proinde nec territorium separatum nec jurisdictionem episcopalem in eodem loco potest habere : *Ibid.*, § 7.

Nec eodem jus est retinendi vicarium et tribunal cum familia armata et carcere : *Ibid.*

Nec beneficia erigendi, nec jurapatronatus reservandi vel transferendi : *Ibid.*

Nec indulgentias promulgandi : *Ibid.*

Nec concedendi licentiam concionatoribus iisdemque benedictionem impertiendi : *Ibid.*

Nec licentiam exponendi SS. Sacramentum : *Ibid.*

Nec non subjective unitas ecclesias visitandi : *Ibid.*

Et bajulivum non posse litteras Apostolicas executioni demandare : *Ibid.*, § 8.

Nec licentiam clericis a dicto loco discedentibus dare : *Ibid.*

Nec examinare ordinandorum requisita, recipere probationes ac testes super comprobatione tituli ac patrimonii : *Ibid.*

Nec relaxare edicta, nec a juramento absolvere : *Ibid.*

Nec redditiones rationum ab administratoribus et procuratoribus locorum piorum exigere : *Ibid.*

Commendatarius dimittere solet capellanum curam animarum gerentem, et ab Episcopo prævio examine adprobatum, et alterum in ejus locum subrogare : *Civit. Pleb., Jur. rem. cur.*, 19 *jul.* 1732, §§ 2, 3 et 4.

Sed non est in libera voluntate ac potestate commendatarii removere ab officio capellanum exercitio curæ fungentem, sed necessariam esse cognitionem causæ ab Episcopo approbandæ : *Ibid.*

§ V.

Religio militaris ordinis Crucesignatorum.

Crucesignati dicebantur, qui habebant pro militari texera signum Crucis ex purpureo panne compactum, quod in dextera scapula cæteris vestibus superimponebatur : *Gien., Ord.*, 23 *apr.* 1774, § 2.

Et qui sub militari vexillo in expeditione bellica contra Saracenos pro vindicanda loca Palestinæ de Terra sancta nuncupata, profecti sunt, crucesignati appellabantur, ipsaque expeditio nomen cruciatæ accepit : *Ibid.*, § 3.

Pluribus etiam privilegiis a Summis Pontificibus donati fuerunt : *Ibid.*

Atque inter cætera privilegio oratorii privati : *Ibid.*, § 4.

Non tamen licet commissariis licentias concedere celebrandi in oratoriis privati : *Ibid.*, § 5.

Multoque minus competit crucesignatis facultas celebrandi in privatis oratoriis, inconsulto Summo Pontifice et commissariis : *Ibid.*

Sed nonnulli doctores affirmant in privatis oratoriis ratione bullæ *Cruciatæ* alia plura permitti, quam quæ in consueto indulto concedi consueverint : *Ibid.*, § 7.

Alii contendunt bullam *Cruciatæ*, si verba in vero sensu intelligantur, nihil omnino suffragari, sive ad Missarum pluralitatem, sive ad festa communiter excepta, sive ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ extra propria oratoria, sive demum ad personas quæ privilegii participes fiant : *Ibid.*, § 8.

Religiosa professio. Vide *Professio religiosa.*

Religiosus, religiosi. Vide *Regularis*, *Regulares.*

Remissio. Vide *Hæreditas*, § v.

Remotio. Vide *Administrator*, § vii ; *Beneficiati*, § vii ; *Parochus*, § xiv ; *Vicarius capitularis*, § iii ; *Vicarius curatus*, § vi.

Renovatio. Vide *Emphyteusis*, § xi.

Renovatio consensus. Vide *Matrimonium*, § v.

Renuntiatio.

Renuntiatio aperta nullitate laborat emissa absque solemnitatibus, nec juris communis, nec juris municipalis : *Luc., Subs. dot.*, 17 *jun.* 1769, § 6.

Quoties renuntiatarius oblatam renuntiationem respuerit, et evanuerit etiam correspectivitas sub qua renuntiatio facta fuit, hinc renuntiatio etiam evanuisse et resoluta videtur : *S. Sever.*, 5 *sept.* 1778, § 6.

Reliqua. Vide *Juspatronatus*, § xi ; *Legatum pium*, § xix ; *Parochus*, § xv ; *Regulares*, § i.

Reparatio. Vide *Bona ecclesiastica*, § x ; *Ecclesia in genere*, § iv ; *Ecclesia cathedralis*, § i.

Repetitio.

Si in ea opinione mulier sit ut credat se pro dote obligatam, quidquid dotis nomine dederit, non repetit ; sublata enim falsa opinione, relinquitur pietatis causa ex qua solutum repeti non potest : *Rom., Susp. on. et Rein. elee. Miss.*, 7 *maii* 1718, § ult.

De onere Missarum impleto præter reditus annuos, locum repetitioni ejus quod præter dictos reditus erogatum fuit, quia in hoc casu non agitur de conditione indebiti, sed de redintegratione expensarum : *Plac.*, 21 *nov.* 1778, § 4.

Limitatur hæc regula ea de causa, quod pro causa pia aliquid solvens, quamvis erronee, repeti non potest solutum : *Ibid.*, § 7.

Quia pietatis causa impendisse videtur : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Legatum pium*, § xx.

Reprobatio. Vide *Consuetudo*, § xi.

Repudiatio. Vide *Hæreditas*, § v.

Repudium. Vide *Matrimonium*, § vii.

Rescissio. Vide *Contractus*, § vi; *Transactio*, § iv.

Rescriptum.

Rescripti verba non præ se ferunt expeditionem brevis, in quibus per viam conditionis suspensa solum legitur concessæ indulgentiæ virtus, donec cetera impleta rescripta fuissent : *Nep.*, 8 *jul.* 1786, § 7.

Et per viam modi præcipit Summus Pontifex, occasione qua gratiam confirmavit, ut litteræ Apostolicæ expedirentur : *Ibid.*

Implendo hunc modum, si nullam dederit certam diem rescriptum, multo minus subaudiri illud a juris dispositione debet : *Ibid.*, § 8.

Sed limitatur ad ea rescripta quorum usui statim locus est, itemque ab ea quæ in damnum vergunt non unius, vel alterius personæ, sed universorum, puta, castri, civitatis, universitatis, etc.: *Ibid.*

Cum rescriptum impressam haberet conditionem satisfactionis præcedentium decretorum, nonnisi a die impletæ hujusmodi satisfactionis currere, imo nec incipere ulla præscriptio poterat : *Ibid.*, § 9.

Rescriptum in exemplum duci non potest, quando est munitum clausula, *in casu de quo agitur : Rom., Jur. nom. et accep. puell.*, 8 *aug.* 1761, § 5.

Res ecclesiasticæ. Vide *Bona ecclesiastica*.

Reservatio.

Reservatio facultatis variandi in fundatione importat prorogationem perfectionis fundationis, et conditionem suspensivam actus usque ad novam declarationem : *Gerunden.*, 14 *dec.* 1771, § 10.

Si reservatio in fundatione facta non fuerit, tunc doctores existimant permitti posse, de consensu tamen Episcopi, ut adjiciantur conditiones quæ non sint contrariæ juri : *Ibid.*, § 11.

Reservationis fructuum onere gravari nequeunt parochiales ecclesiæ, nisi excedant summam ducatorum 100 : *Asc., Par.*, 24 *nov.* 1781, § 11.

Etiamsi a resignante obtentus fuerit titularis consensus, quia talis reservatio vergit in damnum tam parochi, quam ecclesiæ et populi: *Ibid.*

Reliqua. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § iii; *Canonicatus*, § xi ; *Pensio ecclesiastica*, § iii.

Reservationes Apostolicæ.

Reservatio efficit ut beneficia in mensibus reservatis a Summo Pontifice conferantur, ac non excludit formam electionis a fundatore præscriptam, nec derogat fundationis legibus : *Imol., Distr.*, 13 *martii* 1773, § 21.

Reservationes Apostolicæ excluduntur ex temporis coercitione, quæ impedit quominus vacationis notitia ad S. Sedem deferatur, et id ipsum de longiori unius temporis mense procedit : *Eug., Can.*, 7 *julii* 1770, § 6.

Et ob eam rationem, quod Summus Pontifex coercitionem temporis ad conferendum non patitur, nec reservationes Apostolicæ ullis possunt temporis limitibus circumscribi : *Ibid.*

Et quando fundator elegerit capituli industriam pro præsentatione ad canonicatum, argumentum est exclusionis Apostolicarum reservationum : *Ibid.*, § 8.

Possunt reservationes Apostolicæ a dispositione testamenti excludi : *Eug., Can.*, 7 *jul.* 1770, § 5.

Etiamsi ageretur de beneficio jurispatronatus ecclesiastico obnoxio : *Ibid.*

Exclusa censeri non potest reservatio Apostolica, cum qua incompatibilia non sunt quæ a testatore præscripta fuerunt : *Ibid.*, § 15.

Residentia.

Residentia *præcisa* diversa est ab alia *causativa : Taur.*, 15 *april.* 1780, § 8.

Non servata residentia *præcisa* a fundatore mandata, sit locus amissioni tituli ac privationi : *Ibid.*

Causativa vero excludit quamlibet incompatibilitatem, ad effectum recipiendi emolumentum assignatum beneficiato residenti : *Ibid.*

Nomine *personalis residentiæ* venit illa *præcisa*, quæ munus ab habente exerceri debet : *Leod., Benef.*, 1 *febr.* 1766, § 11.

Et eos ordines omnino requiri, sine quibus officia a se ipsis impleri nequeunt : *Ibid.*

Communis distinctio de residentia *præcisa* et *causativa* est : *Lucen.*, 1 *febr.* 1766, § 13; *Aux., Ind.*, 4 *jun.* 1768, § 1.

Præcisa requiritur certe in beneficiis vel capellaniis quæ servitium chori habent in cathedrali vel ecclesia collegiata : *Ibid.*

Aut annexum onus assistendi divinis officiis in ecclesia parochiali, et parochum adjuvandi : *Ibid.*

Vel pœna amissionis contra non residentes injuncta sit : *Ibid.*, § 14.

Vel si onera *per se ipsum* implenda mandentur : *Ibid.*, § 15.

Quod eo casu obtinet, etiamsi pœna privationis injuncta non fuerit : *Ibid.*

Residentiæ onus est, juxta communem doctorum sententiam, intelligenda causativa, si correspondens

sit assignationi fructuum : *Alex.*, 19 *sept.* 1767, § 5.

Inter legitimas non residendi causas, justa et rationabilis est corporis necessitas : *Verc.*, *Serv. ch.*, 5 *jun.* 1790, § 3.

Ideoque a choro et residentia excusantur, qui hæc efficere nequeunt sine gravi suæ salutis detrimento : *Ibid.*

Plurimi S. Concil. Trid. non solum præsulum, parochorum, sed et canonicorum personalem residentiam fecit : *Scepusien.*, *Miss. conv.*, 30 *jul.* 1796, § 26.

Canonici, dignitates cathedralium ecclesiarum seu collegiatarum, quam ceteri omnes beneficiati, residentiæ onere obstricti, nisi impetrata Episcopi venia, e loco ubi canonicatum, dignitatem, vel beneficium obtinent, abesse nequeunt : *Castr.*, *On. serv. ch.*, 13 *apr.* 1737, § 4.

Omnes parochialibus, primitialibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis quibuscumque præfecti tenentur ad residentiam personalem in sua ecclesia vel diœcesi : *Tyb.*, *Ind.*, 7 *sept.* 1737, § 2.

Et abesse possunt nisi cum christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas id postulat ac exigit : *Ibid.*

Ac pœnæ sunt adversus Episcopos aliosque prælatos superiores, nulla suffragante legitima causa, a suis ecclesiis absentes in hæc verba innovatæ : *Ibid.*

Aeris intemperies juxtam præbet causam non residendi : *Cing.*, *Serv. ch.*, 15 *febr.* 1772, § 3.

Causa non residendi legitima est adversa valetudo : *Cam.*, 21 *jun.* 1766, § 4.

Licet testator perpetuum servitium jusserit, et absentiam prohibuerit : *Ibid.*

Multo magis si ipse testator expresse excepit *le mancanze che possono nascere da cause legitime, come d' infermità, e simili* : *Ibid.*

Qui cathedralis stipendiis haud militant, nullosque ex ea fructus percipiunt, ad residentiam cogi non possunt : *Ful.*, 21 *nov.* 1767, § 10.

Et, juxta Trid. Concil. dispositionem, abesse debent pauciores eo numero qui sibi sufficiens visus fuerit ad tuendum cultum divinum, et ecclesiæ dignitatem : *Ibid.*

A choro et residentia excusantur, qui hæc efficere nequeunt sine gravi suæ salutis detrimento, et potissimum ob intemperiem aeris : *Casertana*, *Ind. abess.*, 16 *dec.* 1797, § 6.

In jure cautum est, ut quisquis ex legitima justaque causa abesse possit, quamvis ad residentiam et ecclesiæ servitium jurejurando se obstrinxerit : *Prænes.*, *Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 7.

Tempus in studiis impensum extra locum residentiæ computandum non est in diminutionem servitii ecclesiæ præstandi, nisi afferatur privilegium laureæ doctoralis, servatis servandis obtentum a publica universitate, cujus tantum doctoratus, seu licentiaturæ pro ecclesiasticis muneribus sunt attendendæ : *Math.*, *Par.*, 9 *julii* 1735, § 2.

Residentia in limine fundationis præscribitur etiam pro simplici capellania : *Aux.*, 17 *jan.* 1761, § 10.

Residendi præceptum a fundatore simplicis beneficii injunctum, nulla adjecta causa vel pœna, tanquam nudum potest impune sperni : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Abbas*, § VI ; *Beneficiati*, § VIII ; *Canonici*, § XI ; *Capellanus*, § VIII ; *Clerici*, § VII ; *Episcopus*, § XXIII ; *Parochus*, § XVI ; *Præpositus*, § IV.

Residentia quoad indultum abessendi. Vide *Dispensatio*, § IV.

Residentialia beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXIX.

Resignatio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXVI.

Resignatarius.

Resignatarius tenetur solvere jura receptionis, si a resignante persoluta non fuerint : *Leod.*, 17 *jul.* 1773, § 3.

Res judicata.

Nil sanctius est re judicata : *Fan.*, *Cap.*, 21 *jun.* 1794, § 2.

Rei judicatæ tanta vis est ac pondus ut jus inter partes immutabile constituat : *Rom. seu Por.*, *Cap.*, 16 *jan.* 1768, § 18.

Res judicata a S. Cong. Concilii statum facit quoad omnes eodem jure venientes : *Vel.*, *Tax. sem.*, 16 *mart.* 1771, § 6.

Quod solemni re judicata definitum est, non patitur ut sopita jam negotia in contentionem iterum adducantur : *And.*, 20 *dec.* 1766, § 14.

Res judicata nec ipsius principis admittit rescripta, ut Constantinus Augustus respondit Proculo : *Rom. seu Port.*, *Cap.*, 16 *jan.* 1768, § 18.

Idem etiam comprobetur de rescriptis S. Congr. Concilii a partibus acceptatis, et in judicatum transactis : *Ibid.*

Nemo potest adversus rem judicatam insurgere, qui non doceat de jure petendi illius moderationem : *Ibid.*, § 19.

Nequit res judicata simplici decreto retractari, ac nulla habita causæ cognitione : *Neap.*, *Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 9.

Resolutio. Vide *Contractus*, § vi.

Resolutiones. Vide *Sodalitium*, § ix.

Resolutiones capitulares. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § x.

Resolutiones s. congr. concilii. Vide *Decretum*, § ii.

Restauratio. Vide *Ecclesia parochialis*, § iv.

Restitutio.

Absque dubitatione procedit, eum ad restitutionem teneri qui pro spirituali re, veluti dispensatio est, temporale quid accepit : *Dub. sup. ex. dis. matr.*, 16 *dec.* 1786, § 9.

Sed quæstio est cur et quomodo restitutio facienda sit : *Ibid.*

Et doctorum sententiis collectis, opinatur Fagnanus, eos melius sentire qui putarunt, aut Ecclesiæ, aut pauperibus, faciendam esse restitutionem : *Ibid.*

Sed accurate perquirendum existimatur de eo cui debet restitutio fieri, et ubi diligentiis adhibitis tutum nequit haberi judicium : *Ibid.*

Hinc concluditur, aut Episcopi arbitrium in confessione petitum, aut demum confessarii sui consilium esse exequendum : *Ibid.*

Ita cum de damno illato agatur per simoniacam parœciæ consecutionem : *Ibid.*

Quoad modum restituendi ea præcavendum, in quantum fieri potest, ne qui peccaverunt inde commodum consequantur : *Ibid.*, § 10.

Hinc ecclesiæ quæ læsa est restitutio est facienda, et nisi ecclesiæ, distribuendum pauperibus : *Ibid.*

Et optima ratio est ne danti restituatur, quia peccati tum dantes tum accipientes rei sunt : *Ibid.*

Sed si absque malitia, imo bona fide solutio facta est judici exequutori, restitutio debetur dantibus innocuis : *Ibid.*

Cum vero si magna intercedat difficultas perquirendi et habendi tot restitutionis creditores; ideo, eo quo licet modo restitutio fiat, seligendi pauperes videntur : *Ibid.*

His non obstantibus, executores dispensationis de acceptis ad restitutionem non tenentur : *Ibid.*, § 11.

Et ratio est, quia in Apostolicis litteris contravenienti pœna tantum excommunicationis imponitur, nec verbum ullum profertur de restitutione, minusque dominii translationem fieri impedit : *Ibid.*

Omnia quæ juste soluta et exacta sunt nulli restitutioni obnoxia sunt : *Bar.*, 14 *mart.* 1767, § 10.

Nihil est restituendum quando propriis pecuniis aliquid fuisse comparatum probari potest : *Tusc.*, 16 *maii* 1767, § 9.

A restitutione ejus quod in alium usum erogatum est, excusat impotentia : *Laur.*, 18 *dec.* 1790, § 9.

Semper reddi debet quod illicite exactum est : *Ibid.*, § 9.

Inspecta nullitate contractus, restituendum est ab emptore quidquid ultra solutum pretium ex pensionibus percepit : *Laur., Null. con.*, 30 *aug.* 1788, § 5.

Non solum restituendum est quidquid indebite et injuste contra canonum ac synodorum sanctiones exactum est a vicario generali ac secretario visitationis pastoralis, sed insuper hos teneri ad duplicem restitutionem : *Valen.*, 12 *dec.* 1767, § 5.

Bona fides excusat a restitutione fructuum, quos quis ex illicito contractu percepit : *Laur., Null. con.*, 30 *aug.* 1788, § 9.

Spoliato succurrendum est paratissimo canonico remedio restitutionis : *Bon.*, 27 *apr.* 1765, § 6.

Reliqua. Vide *Cadaver*, § iii; *Decimæ*, § ii; *Fructus*, § i; *Subsidium dotale*, § xi.

Restitutio in integrum.

Hæc est vis restitutionis in integrum, ut reintegratus ad unum actum censeatur quoque ad ceteros actus ab eo dependentes et accessorios æque reintegratus; etiamsi de his nulla expressa mentio facta fuerit : *Anag.*, 20 *aug.* 1768, § 5.

Familiaria sunt exempla restitutionis in integrum adversus inconsulto aditam hæreditatem, quam benigne elargitus est etiam majori imperator Adrianus : *Alex.*, 26 *nov.* 1785, § 10.

Et prætores ex justa causa passim dabant ex generali edicti clausula, *si qua mihi justa causa* : *Ibid.*

Ea quæ veniunt contra proprium factum non jure postulatur, ut in integrum restituantur : *Calar., Contr.*, 14 *mart.* 1750, § 5.

Legitima est suspensio impensæ, ut dispuncto ære alieno census, et ecclesia restitui debeat in integrum : *Cam., Rep. eccl.*, 26 *mart.* 1744, § 4.

Reliqua. Vide *Professio religiosa*, § iv.

Retentio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § v; *Fons baptismalis*, § iii; *Legatum pium*, § vi; *Sacramentum Eucharistiæ*, § iii.

Retentio beneficii quoad indultum. Vide *Dispensatio*, § v.

Retrotractio. Vide *Contractus*, § vii.

Reversio. Vide *Subsidium dotale*, § xi.

Revocatio. Vide *Donatio*, § ii ; *Privilegium*, § ii; *Testamentum*, § v.

Ritus. Vide *Anniversarium*, § iii ; *Missa*, § xiv.

Rocchettus.

Rocchettus nullo modo competit simplicibus sacerdotibus, sed tantum canonicis, aliisque speciale Apostolicum privilegium habentibus : *Imol.*, 20 *jan.* 1770, § 15.

ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS. Vide *Cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ.*

ROMANI CLERI STATUTUM. Vide *Statutum Romani Cleri.*

ROMANI PONTIFICIS BULLA. Vide *Bulla Romani Pontificis.*

ROMANUM CONCILIUM. Vide *Concilium Romanum.*

ROMANUS PONTIFEX. Vide *Pontifex Romanus.*

RUBRICÆ. Vide *Missa*, § XIV.

SACELLUM. Vide *Capella, Oratorium.*

SACERDOS, SACERDOTES. Vide *Presbyter, Presbyteri.*

SACERDOTALIA BENEFICIA. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXVII.

SACERDOTALIS CAPELLANIA. Vide *Capellania*, § XIII.

SACRA CONGREGATIO CONCILII TRIDENTINI. Vide *Congregatio*, § II.

SACRA LOCA. Vide *Loca*, § II.

SACRA PŒNITENTIARIA. Vide *Pœnitentia sacra.*

SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII DECRETUM. Vide *Decretum*, § II.

Sacræ imagines.

Sacræ imagines collocatæ etiam in ecclesia jurispatronatus ex causa justa decentioris cultus sunt transferendæ una cum Missarum oneribus : *Rav.*, 8 *julii* 1775, § 9.

SACRÆ VISITATIONIS DECRETUM. Vide *Decretum*, § III.

Sacramentum Baptismi.

§ I.

Sacramentum Baptismi quoad collationem.

Baptismatis collatio antiquitus a solo Episcopo fiebat in cathedralibus tantum : *Cæs., Jur. bapt.*, 15 *jan.* 1780, § 4 ; *Neap., Decr.*, 29 *febr.* 1744, § 13.

Nunc ministratur tale sacramentum in parochialibus ecclesiis discretis a cathedralibus a propriis parochis, tanquam Episcoporum coadjutoris : *Ibid.*

Soli primum Episcopi Baptismum conferebant in ecclesiis cathedralibus : *Æsina, Jur. bap.*, 15 *julii* 1797, § 1.

Sed, aucto fidelium numero, constituti fuerunt in aliis parochialibus fontes baptismales, et tanquam vicarii et coadjutores Episcopi sacramentum illud administrare cœperunt earum rectores : *Ibid.*

Consuetudine induci potest in favorem matricis cumulativum jus baptizandi : *Ibid.*, § 3.

Non resistente S. Concilio Tridentino, quod hujusmodi consuetudines non substulit : *Ibid.*, § 4.

Quum Apostoli baptizaverint quinque hominum millia, verisimilius videtur id vel aspersione vel effusione egisse : *Const.*, 8 *julii* 1769, § 14.

Quæ intentio in collatione baptismi requiratur, non omnes theologi conveniunt. Nonnulli sufficere existimant indifferentiam voluntatis, cujusmodi esset in homine infideli dormiente, qui de Baptismo christianorum nihil unquam audivisset, validumque pronunciarunt Baptismum ab eo susceptum qui nec abnuens nec assentiens baptizaretur : *Const.*, 20 *jan.* 1770, § 4.

Alii, imo plerique theologi asserunt, non suscepisse Baptismi characterem hominem infidelem, qui absque sui consensu fuerit baptizatus : *Ibid.*

Quamvis regula sit, ut a proprio solum parocho (excepto necessitatis casu) sacramentum Baptismi debeat cuique ministrari, non tamen improbatur legitime præscripta consuetudo, per quam alicui ecclesiæ quæsitum fuerit jus abluendi piaculari a qua infantes, etiam alteri parochiali ecclesiæ subjectos : *Fabr., Fon. bap. seu Jur. bap.*, 24 *maii* 1732, § ult.

Nemo alienos baptizare valet subditos, nisi de licentia parochorum, sub cujus cura existunt : *Æsina, Jur. bap.*, 15 *julii* 1797, § 6.

Idque etiamsi de parocho agatur ecclesiæ matricis, cathedralis et metropolitanæ, qui Baptismum illis conferre præsumat : *Ibid.*

Et contraria spernenda est consuetudo veluti contraria juris dispositioni, necnon eadem ratione synodales constitutiones : *Ibid.*

Hoc tamen procedit ubi antiquum in aliena parochia existit lavacrum : *Ibid.*, § 7.

Non item si nullum, vel recens constructum : *Ibid.*

Si una tantum vel altera aquæ gutta corpus aspergatur, etsi probabile sit Baptismum fuisse collatum, nonnulli tamen non immerito dubitant : *Const.*, 20 *jun.* 1770, § 8.

Si vero capilli tantum, quamvis juxta varias doctorum opiniones aliqui pro validitate, alii vero pro nullitate senserint, nihilominus dubia saltem nec satis tuta dijudicanda erit Baptismi collatio : *Ibid.*, § 9.

Ac tandem ablutio hujusmodi, nisi aliquid obstet, fieri debet in capite, in quo omnes vigent hominis sensus : *Ibid.*

Mulier ex utroque parente catholico nata, et inter catholicos fideliter conversata atque educata, neque sub conditione inauguranda est Baptismo, tametsi nullum de collato Baptismate testimonium proferat, nec in parochialibus libris reperiatur descripta : *Tarv., Bapt.*, 28 *apr.* 1736, § 5.

Præsertim vero, quia Baptismus non debet sub conditione iterari, nisi quando probabilis de eo subsit dubitatio : *Ibid.*

Sed nonnulli theologi et canonistæ putant, illam mulierem, ut spirituali saluti illius consulatur, sub conditione esse baptizandam : *Ibid.*, §§ 6 et 7.

S. Congr. S. Officii die 12 sept. 1645, decrevit Chienses in statu usurario permanentes baptizari non posse ; dummodo non sint compulsi auctoritate judicis ad proprias pecunias mutuandas, ac accipiant etiam recepto pignore præter sortem principalem tum ratione oneris, quod subire coguntur, tum ratione curæ in custodia pignorum, lucri quoque cessantis, et damni emergentis : *Benev.*, 8 *apr.* 1786, § 11.

§ II.

Sacramentum Baptismi quoad necessitatem.

Sine Baptismo alia sacramenta recipi non possunt : *Null. Rom.*, 2 *mar.* 1765, § 6.

Nam Baptisma est primum omnium sacramentorum, et vitæ spiritualis janua : *Ibid.*

Et nihil prodest aliquod recipere illi qui potentiam receptivam non habet, quæ per Baptismum acquiritur : *Ibid.*, § 7.

§ III.

Sacramentum Baptismi quoad probationem, validitatem, nullitatem et iterationem.

Parvuli et infantes sunt baptizandi, quando certa non afferuntur documenta de eorum Baptismo : *Urb.*, 18 *dec.* 1723, §§ 2 et 3.

Doctores distinguunt inter eos de quibus omnimodo ignoratur an fuerint baptizati, nec ullam habent pro Baptismo conjecturam, et inter alios qui collati Baptismatis conjecturam habent, puta, schedulam collo vel alteri corporis parti appensam, in qua scriptum sit eos esse baptizandos, et dicunt Baptismum in primo casu esse absolute conferendum, et in secundo esse sub conditione ministrandum : *Ibid.*, § 4.

Alii, e contra, censent puerum inter catholicos natum, licet expositum, censendum esse baptizatum, nec esse sub conditione rebaptizandum, nisi forte concurrerent aliquæ circumstantiæ, quæ suspicionem ingererent, puta si in loco erant infideles, aut anabaptistæ, qui filios suos non baptizant : *Ibid.*, § 5.

Alii putant hoc non subsistere, quia mulieres, etiam catholicæ, ad scelus tegendum, partum occulte effundunt, parum sollicitæ de spirituali salute infantis ; sed sustinent non esse locum Baptismo, quamvis sub conditione, si infans reperiatur cum schedula teste Baptismi : *Ibid.*

At alii tuentur debere esse locum Baptismo sub conditione, etiamsi penes infantes schedula reperiatur de Baptismo recepto, cum ut plurimum ignoretur a quo illa scripta sit, et per consequens ejus vigore nunquam constare dici possit de Baptismo recepto : *Ibid.*

In archiepiscopatu Hispalensi et diœcesi Cordubensi in more positum est, quod nempe sub conditione conferunt Baptismum etiam iis qui memoratam schedulam deferunt collo appensam, et in usu est etiam in magno hospitali expositorum Toletanæ civitatis : *Ibid.*, § ult.

Baptismus iterari non potest : *Null. Non.*, 2 *mar.* 1765, § 8.

At si nulla extant indicia Baptismatis collati, necesse est ut baptizentur, ne manifeste pereant : *Ibid.*, § 9.

Item, si nec in scriptis, nec in testibus certa ratio habeatur, utrum baptizati sint, baptizandi sunt, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat : *Ibid.*, § 10.

Iteratum non monstratur, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum : *Ibid.*

Infantes e regione christianorum bello captos vel emptos, licet præsumatur fuisse baptizatos in ætate infantili, magis placuit eos debere baptizari, quod nesciunt an in infantia fuerint baptizati, nec ulli inveniuntur qui Baptismum affirment : *Ibid.*, § 11.

De quibus dubium an baptizati fuerint, baptizantur his verbis ; *Non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo* : *Ibid.*, § 12.

Et hac formula prudenter uti debet, ubi, re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatum : *Ibid.*

De illo qui natus de christianis parentibus, et inter christianos est fideliter conversatus, præsumptio Baptismatis habetur pro certitudine, donec contrarium evidentissimis argumentis probetur : *Ibid.*, § 13.

Item qui natus et educatus pluribus annis inter christianos et a parentibus christianis, nisi clare constet eum non fuisse baptizatum : *Ibid.*

Validus est Baptismus sive totum corpus, sive pars aliqua tantum abluatur : *Cons.*, 8 *jul.* 1769, § 4.

Ratus est Baptismus, si una vel altera aquæ gutta, quæ diffluere possit, corpus aspergat : *Ibid.*, § 15.

Sed de hoc nonnulli doctores dubitant : *Ibid.*

Ex depositionibus deprehendi debet, num capilli tantum, aut vestes aspersæ fuerint, seu potius corporis pars aliqua, aut caput : *Ibid.*, § 16.

In collatione Baptismi, voluntas baptizandi requiritur et intentio suscipiendi Baptismum : *Ibid.*, § 17.

Et hæc voluntas perpetua et præcisa esse debeat, nec ei recte collatum diceretur Baptismum, qui dubius esset vel indifferens, hoc est, neque volens, neque nolens, quia is non haberet intentionem recipiendi Baptismum : *Ibid.*, § 18.

Non est tamen consensus actualis requirendus, sed sufficit aliquando præcessisse et moraliter adhuc perseverare, juxta communem theologorum sententiam : *Ibid.*

Baptismus flaminis et sanguinis vicem supplent Baptismi fluminis, quia unum est sacramentum : *Brix.*, *Dub. bapt. et matr.*, 27 *aug.* 1796, § 19.

Ad validam collationem Baptismi requiruntur : materia, seu aqua naturalis ; forma, seu pronuntiatio verborum, quæ in ea adhibuit Dominus Noster Jesus Christus, et minister cum intentione faciendi quod facit Ecclesia : *Ibid.*, § 4.

Ad eam probandam unicus sufficit testis ; dummodo tamen non sit paganus vel judæus : *Ibid.*, § 5.

In concursu vero testium præferri debet qui validam negat collationem Baptismi : *Ibid.*, § 6.

Et in rudi teste præsumitur ignorantia juris : *Ibid.*, § 7.

Majorem tamen meretur fidem liber parochialis : *Ibid.*, § 6.

Baptizari nequit infans ita in materno utero clausus, ut nulla ejus corporis pars perfundi queat aqua : *Ibid.*, § 8.

Hæreticorum enim est propositio, validum esse Baptismum per ablutionem corporis materni : *Ibid.*

Negant quidem nonnulli baptizari infantem, cujus corpusculum, licet nulla ex parte in lucem editum, per instrumentum tamen aliquod ablui valet aquæ ; alii vero affirmant : *Ibid.*, §§ 9 et seq.

Et in hoc dubio iterandus est Baptismus sub conditione, cum infans in lucem venerit : *Ibid.*, §§ 12 et seq.

Regula juris est sacramentum Baptismi reiterari non posse, et, si reiteretur, nullum esse irritumque : *Vent.*, *Cog. sp.*, 8 *jun.* 1782, § 4.

Si Baptismus in ecclesiis collatus haberi non possit pro vero et legitimo Baptismate, accipiendus esse videtur pro catechismo, sive pro adhibitis cæremoniis consuetis : *Ibid.*, § 5.

Nec obstat cap. 2 *de Cogn. spir.*, in 6, quod ait catechismum præcedere Baptismum : *Ibid.*

Nam hoc procedit, recto ordine servato, sed per accidens et occasione data necessitatis catechismus Baptismum subsequitur : *Ibid.*

Quinimo quidpiam nec refert si longo tempore ex necessitate post Baptismum catechismus accedat : *Ibid.*

Baptismus imprimit characterem, ut Confirmatio et Ordo : *Sutr.*, *Bav.*, 12 *jul.* 1794, § 3.

In dubio validæ collationis, iterari debet sub conditione : *Ibid.*

Si absque prudenti tamen iteratur dubio, dans et accipiens evadunt irregulares : *Ibid.*

Nulla est collatio Baptismi per aspersionem corporis materni : *Ibid.*, § 10.

Baptismus collatus per apertum ostium in utero matris, secundum aliquos theologos et canonistas, est nullus ; secundum alios, est validus : *Ibid.*, §§ 5, 7.

At ex hoc ipso opinionum conflictu dubia redditur validitas Baptismi in utero matris, et fit locus illius iterationi sub conditione : *Ibid.*, § 9.

Et iteratum non intelligitur, quod ambigitur esse factum : *Ibid.*

Puer, si periculum evaserit, sub conditione denuo baptizari debet : *Ibid.*, § 10.

Baptismi forma conditionata, quæ prius mente tantummodo concipiebatur, ab octavo usque sæculo expresse usurpari cœpit : *Const.*, 8 *jul.* 1769, § 7.

Hanc disciplinam multis jam locis receptam Alexander III, sæculo XII, non solum approbavit, sed ubique etiam servari mandavit : *Ibid.*

Verum ut hujusmodi forma conditionata adhiberi tuto possit, non sufficit dubitatio quævis de Baptismi antea collati validitate, sed concurrat oportet dubitatio prudens atque probabilis : *Ibid.*, § 8.

Ac tunc solum forma conditionata adhiberi potest, cum, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, aut certe non apparet, infantem vel alium, qui Baptismo offertur, baptizatum esse ; *Ibid.*

Reprobatur consuetudo baptizandi sub conditione

ob merum scrupulum, ob quam non tam dubitabant, quam imprudenter suspicabantur, num rite fuissent baptizati : *Ibid.*, § 9.

Et sacri canones satis probatam habent hujusce sacramenti collationem per unicum testem, præcipue si de facto proprio testetur, hoc est, si affirmet illud a se fuisse administratum, nec quidquam sit quod ejus dicti fidem imminuat : *Ibid.*, § 10.

Nec locum sibi vindicat regula, quod nulla est causa quæ unius testimonio terminetur in alterius præjudicium : *Ibid.*, § 11.

Secus vero, ubi de nullius agitur præjudicio, puta, utrum aliquis sit baptizatus, an ecclesia sit consecrata, quia in his unius testimonium attenditur : *Ibid.*

Imo S. Congr. S. Officii declaravit, Baptismum probari unico teste : *Ibid.*

Baptismus non est conferendus iis quibus nullo certo documento appareat eos jam hoc sacramentum suscepisse : *Rip.*, 12 *dec.* 1733, § 3.

Nam censendus est sacris expiatus aquis ille qui ex parentibus christianis natus est, et inter eos educatus, etiamsi nullum de collato Baptismate testimonium proferatur, nec in parochialibus libris reperiatur descriptus : *Ibid.*

Et hæc præsumptio pro certitudine est habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur : *Ibid.*

Quando dubitatur an quis fuerit baptizatus, Baptismus ei est conferendus sub conditione : *Ibid.*

Unius testimonium, quod in præjudicialibus non attenditur sufficienter probat collationem Baptismi : *Brix.*, *Bap.*, 11 *febr.* 1797, § 5.

Baptismi collatio reiterata sub conditione non causat juxta nonnullos doctores irregularitatem : *Firm.*, *Disp. ab irr.*, 7 *apr.* 1781, §§ 9 et 10.

Contraria vero sententia probabilior videtur : maxime, si deficiat probabile dubium prioris Baptismi : *Ibid.*, § 11.

Nulla tamen dissensio extat in reiterato Baptismo absolute : *Ibid.*, § 10.

Hujus irregularitatis pœna est prohibitio ascensus ad majores ordines : *Ibid.*

Ex Baptismi reiteratione nulla prorsus oritur cognatio spiritualis inter patrinum et rebaptizatam ejusque parentes : *Vent.*, *Cogn. sp.*, 8 *jun.* 1782, § 4.

Per catechismum ea cognatio spiritualis contrahitur, quæ matrimonium impedit : *Ibid.*, § 7.

Quæ per catechismum spiritualis cognatio contrahitur imperfecta dicitur, ad differentiam alterius spiritualis cognationis, quæ per verum et proprium Baptismum contrahitur, quæque dicitur perfecta, et non solum matrimonium impedit contrahendum, sed etiam contractum dirimit : *Ibid.*, § 8.

Sacramentum Confirmationis.

§ I.

Sacramentum Confirmationis quoad collationem.

De intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione id natura participat : *Segovien.*, 23 *april.* 1774, § 6.

Patres ideo et theologi illius excellentiam plurimum commendarunt, quia uberiorem animæ gratiam conferre agnoverunt : *Ibid.*, § 7.

Fideles per Confirmationem Spiritum sanctum recipiunt, et signaculo dominico consumentur : *Ibid.*

Sacramentum Confirmationis vocatur perfectio : *Ibid.*

Per hoc sacramentum gratia cumulatior perficitur, et fidei acceptæ in Baptismo robur præstatur : *Ibid.*

Pro certo habendum est sacramentum Confirmationis non esse necessarium ad æternam salutem : *Ibid.*, § 8.

Nam aliqua sacramenta requiruntur, ut salvi esse possimus, alia vero ita sunt necessaria, ut etiam sine ipsis, ad gloriam pervenire valeamus : *Ibid.*

Sacramentum Confirmationis non est denegandum ex justa causa, et quando adest periculum mortis : *Ibid.*

Disciplinæ mutationem in administratione sacramenti Confirmationis, justis de causis in Latinam Ecclesiam invectam, nunquam amplexa est Ecclesia Orientalis : *Ead.*, 12 *mar.* 1774, § 6.

Et retinet illa Ecclesia morem administrandi statim post Baptismum Confirmationis sacramentum : *Ibid.*

Atque consuetudo hujusmodi suis idoneis causis atque rationibus minime destituitur : *Ibid.*

Reprobandi sunt illi qui abhorrent a Baptismo ritu latino collato, ex hoc potissimum quod seorsim a Confirmatione administratur : *Ibid.*

Ex synodorum decretis, quibus hodierna firmatur disciplina Ecclesiæ Latinæ, liquide apparet pueris ante legitimum ætatis annum licite Confirmationem posse administrari : *Ibid.*, § 7.

Et ante eam ætatem vetitum ne fieret id, nisi justa de causa, nisi summa esset necessitas : *Ibid.*

Atque hac ratione Pontificale Romanum, quod infantibus ab Episcopo administrari posse sacramentum Confirmationis pro certo supponit, conciliatur cum Concilii Tridentini catechismo : *Ibid.*, § 8.

Quia secundus prohibet ne regulariter conferatur pueris ante septennium, Pontificale supponit quod in aliquo extraordinario casu, justaque urgente causa, possit idem conferri : *Ibid.*

Hinc deneganda Confirmatio non est pueris ante septennium, si tali morbo laborent ut decessuri prævideantur : *Ibid.*, § 9.

Jure meritoque pueris morituris sacramentum Confirmationis confertur : *Ibid.*, § 10.

Et illis est necessaria ad augendam gratiam, et jus ad acquirenda gratiæ auxilia, quibus roborentur ad sustinendam pugnam in casu quo ex morbo convalescant : *Ibid.*

Ac præter vitæ discrimen aliæ non desunt causæ justæ, ob quas Confirmatio pueris ante usum rationis sancte et licite administrari valeat juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam : *Ibid.*, §§ 11 et 12.

Nulla olim ætas ad suscipiendum Confirmationis sacramentum præfinita fuit, sed ætas quælibet sicut Baptismo, ita Confirmationi idonea habita fuit : *Ibid.*, § 2.

Et diu multumque in Ecclesia permansit usus confirmandi pueros ; et hic mos passim obtinuit seculo etiam XII et XIII : *Ibid.*, § 3.

Hujusmodi tamen disciplina seculo XIII desinente, et XIV ineunte, cœpit immutari in Germania, Galliis et Italia : *Ibid.*, § 4.

Et catechismus Concilii Tridentini decernit : ut non expediat administrare hoc sacramentum, antequam pueri rationis usum habuerint, hinc si 12 annus expectandus non videatur, usque ad 7, certe hoc sacramentum differre maxime convenit : *Ibid.*

Et hodiernæ consuetudinis plures afferunt theologi rationes, primo scilicet ut evitetur periculum iterationis hujus sacramenti : *Ibid.*, § 5.

Secundo, quia hoc sacramentum sit quasi ultima consummatio sacramenti Baptismi : *Ibid.*

Tertio, quia cum necessitas non urgeret, quærenda est major reverentia sacramenti, quæ servatur quando propria devotione et fide suscipitur : *Ibid.*

Quarto, quia confirmatio instituta est pro fide pugnandum, ad quod pugnæ genus eos qui usu rationis carent aptos non esse judicatur : *Ibid.*

Licet Ecclesia Latina, decori ac venerationi sacramenti prospiciens, priscam consuetudinem confirmandi pueros statim post Baptismum immutandam decreverit, nihilominus non absolute atque expresse prohibuit, quominus pueri ante rationis usum confirmarentur, quando ex necessitate et propter vitæ discrimen id expedire visum fuerit : *Ead.*, 23 *apr.* 1774, §§ 1 et 2.

Benedictus XIV, dum Bononiensem ecclesiam regebat, morem hunc confirmandi pueros morituros servavit, quamvis quoad alios præscripserit, neminem confirmaturum, qui septennium non excessisset : *Ibid.*, § 3.

Et ante ipsum id præscriptum quoque fuerat in concilio provinciali Beneventano VI, sub Ugone II, a Guidardio archiepiscopo, habitum anno 1374 : *Ibid.*

Et revera morituris semper subvenire curavit Ecclesia, ita quidem ut, si quis infidelis infirmitate languens, baptizari, et chrismate injungi optaverit, illico sit accurrendum : *Ibid.*, § 4.

Præcisius S. Carolus Borromœus, dum salutaribus adhortationibus ac præceptis debitam tanto sacramento venerationem, sanctamque ad illud suscipiendum dispositionem insinuavit, de ægrotis sermonem habuit, quos absque Confirmatione decedere non permisit : *Ibid.*

Et ratio est, ut pueri confirmati majorem gloriam decedentes consequantur : *Ibid.*, § 5.

Est constans et perpetuus Ecclesiæ usus et praxis, sacramentum Confirmationis ordinum collationi præmittendum esse : *Ord. S. Bas. Mag.*, 8 *apr.* 1775, § 3.

Hoc sacramentum institutum est a Christo Domino, ut fideles a S. Baptismo spiritualiter regenerati, gratia perfectionis, consummationis seu augmenti spiritualis corroborentur : *Ibid.*

Maxime convenit, ut illud jam susceptum sit ab iis qui in sortem Domini vocati ad ordines sunt promovendi : *Ibid.*

Hæc perpetua Ecclesiæ disciplina roborata fuit a decreto Sac. Concilii Trid. sess. 23, cap. 4, *de Reform.* : *Ibid.*, § 4.

Nonnulli putant nullam pœnam suspensionis incurrere, quamvis mortaliter peccent illi qui non præmissa Confirmatione ordines suscipiunt : *Ibid.*, § 5.

Alii censent quod nequidem ullum veniale crimen contrahant : *Ibid.*

Hinc hi omnes tuentur nullam suspensionem, neque irregularitatem hac de causa incurri et contrahi : *Ibid.*, § 6.

Contra alii putant irregulares esse sacro Chrismate nondum injunctos, ob prohibitionem iis a Sac. Concilio Trident. indictam sess. 23, cap. 4, *de Reform.* : *Ibid.*, § 7.

Alienus Episcopus conferens sacramentum Confirmationis, debet ab Episcopo diœcesano provideri de iis omnibus, quæ ad iter peragendum et ad victum necessaria sunt : *Fer.*, *Visit. SS. LL.*, 16 *mart.* 1782, § 7.

Episcopi debent sedulo invigilare ut hujusmodi sacramentum tempore visitationis conferant : *Ibid.*, § 10.

Ordinarius minister sacramenti Confirmationis est solus Episcopus : *Amer., Visit. SS. LL.*, 24 *jan.* 1733, § 3.

Et Sac. Concil. Trident. adjecit vocem *Ordinarium*, ut intelligeretur posse Summum Pontificem committere etiam simplici sacerdoti facultatem conferendi sacram Confirmationem : *Ibid.*

Communisque est sententia, ut extraordinarius hujus sacramenti minister fieri a Summo Pontifice valeat etiam sacerdos, qui careat episcopalis ordinis potestate : *Ibid.*, § 4.

Omnes conveniunt, ut ad hujusmodi extraordinariam facultatem simplici sacerdoti concedendam requiratur causa gravis atque urgens : *Ibid.*, § 5.

Multa sunt exempla, ut collatio hujus sacramenti commissa sit simplici sacerdoti a Romanis Pontificibus : *Amer., Vis. SS. LL.*, 24 *jun.* 1733, §§ 6 et 7.

Fratribus Minoribus Franciscanæ familiæ potestatem administrandi sacramentum Confirmationis in regionibus orientalibus et septentrionalibus, ubi desint Antistites, concesserunt Joann. XXII, Nicolaus IV, aliique Pontifices : *Ibid.*, § 8.

Hoc indultum concessum fuit aliquibus Patribus Societatis Jesu in Brasilicis provinciis, ob Episcoporum penuriam : *Ibid.*

Clemens XI, anno 1721, concessit facultatem P. custodi Terræ sanctæ, ut Confirmationis sacramentum posset administrare : *Ibid.*, § 9.

Simplicibus sacerdotibus in provinciis, ubi deerant Episcopi, sacramentum Confirmationis administrandi facultatem Summi Pontifices sæpe tribuerunt : *Amer.*, 13 *junii* 1722, §§ 2, 3 et 4.

Quum Christus Dominus voluerit, solum Episcopum esse ordinarium hujus sacramenti ministrum, hinc infertur non esse alium extraordinarium ministrum sine magna et urgenti causa introducendum : *Ibid.*, § 6.

Cardinalis archipresbyter basilicæ Sancti Petri potest uti facultate data ab Urbano VIII administrandi Confirmationis sacramentum in Basilica Vaticana, et in civitate Leonina, sed quoad personas tantum canonicorum, beneficiatorum, clericorum et ministrorum inservientium ecclesiæ S. Petri, et non quoad alios quoscumque : *in disc. secr.*, 23 *aug.* 1727, § 12.

Chrismatis collatio sufficit ad probandam matricitatem impropriam alicujus ecclesiæ : *Senog., Præsem.*, 12 *dec.* 1778, § 11.

§ II.

Sacramentum Confirmationis quoad validitatem, et nullitatem.

Quoties dubitatio de Confirmatione haberetur, et nec in scriptis, nec in testibus constet utrum aliquis sit confirmatus, confirmetur, ne talis dubitatio ruina fidelibus sit : *Null. Nonan.*, 2 *mar.* 1765, § 10.

Iteratum non monstretur, quod non certis indiciis ostenditur peractum : *Ibid.*

Sacramentum Eucharistiæ.

§ I.

Sacramentum Eucharistiæ quoad administrationem.

Prioribus Ecclesiæ sæculis, fideles omnes summa cum devotione atque obsequio ad Eucharisticam Mensam quotidie accedebant : *Nuc., Præc. pasc. et Sol. dec.*, 23 *apr.* 1774, § 8.

Verum deferbuit postea christianorum pietas, et consuetudo etiam quotidianæ communionis sensim imminui cœpit : *Ibid.*

Hinc sæculo VIII statutum fuit, ut tribus anni diebus, scilicet Paschatis, Pentecostes et Natalis Domini, omnes Christifideles Eucharistiam sumerent : *Ibid.*

Hæc tamen disciplina Ecclesiæ immutata deinde fuit in concilio Lateranensi IV sub Innocentio III anno 1215 celebrato, ut sumeretur saltem in Paschate : *Ibid.*

Eucharistiæ perceptio, juxta communem theologorum sententiam, prodest animabus purgatorii, quum sacra communio rite et recte peracta sit opus bonum omnium bonorum operum præstantissimum, et fideles in præsenti vita degentes possint pro defunctis per bona opera eis applicata satisfacere : *Jan.*, 3 *febr.* 1723, § ult.

Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ, dempta necessitate, non in privatis capellis, sed in publicis ecclesiis duntaxat licet administrare : *Gross.*, 16 *maii* 1778, § 7.

§ II.

Sacramentum Eucharistiæ quoad associationem et delationem.

Numerus intortitiorum in comitatu Sanctissimæ Eucharistiæ ad infirmos, tam occasione viatici, quam in aliis solemnioribus delationibus constitutus per concilia provincialia et diœcesana fuit, ut pluribus quam fieri posset uterentur; aliis denique placuit ut non minor duodecim esset; rectissime tandem per doctores consultum fuit, ut ex consuetudine singulorum locorum constituendus esset numerus luminum ritusque delationis : *Rom., Supp. Int.*, 18 *sept.* 1751, § 3.

§ III.

Sacramentum Eucharistiæ, quoad expositionem, asservationem et facultatem illud retinendi.

Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, prævia Episcopi licentia, non requisito parochi concursu publicæ fidelium venerationi exponi potest in oratoriis seu ecclesiis confratrum : *Priv.*, *Ædif. eccl. et Jur. par.*, 24 *sept.* 1735, § 4.

Expositio 40 horarum in oratoriis etiam privatis, contradicente parocho, fieri potest de Episcopi licentia : *Cass.*, 30 *maii* 1767, § 27.

Antiquissimus est mos haud diu sacram servandi Eucharistiam in Ecclesia Orientali et Occidentali ; reliquiæ vero communionis post Missæ celebrationem pueris jejunis ad id specialiter advocatis in templo distribuebantur : *Granat.*, 6 *maii* 1775, § 13.

Eadem disciplina in Occidente, et præsertim in Galliis sæculo sexto, servata fuit : *Ibid.*, § 14.

Hodierna etiam disciplina morem citatum firmavit : *Ibid.*

Hinc theologi et liturgici in eo conveniunt, Eucharistiam singulis hebdomadis, vel ad summum intra quindecim dies renovari debere : *Ibid.*

Ritus Græcorum rejectus a Sede Apostolica ob hanc causam, cum in feria quinta majoris hebdomadæ consecrarent illi panes ut per integrum annum asservarentur ad reficiendos lætali morbo laborantes : *Ibid.*, § 15.

Hunc ritum interdixit Summus Pontifex Innocentius IV in epistola ad episcopum Tusculanum ; pariter pontifex Clemens VIII, in const. 107, *Bull.*, 9, tom. 8, part. 2, ac proscripsit Benedictus XIV, const. *Etsi pastoralis*, § 6, d. *Bull.* : *Ibid.*

De asservatis particulis, si immutatio talis esset ut simplicem respiceret qualitatem, tunc sub ipsis non desineret esse Corpus Christi : *Ibid.*, § 16.

Si tangat earumdem substantiam, tunc certe in his fragmentis desiisset esse Corpus Christi : *Ibid.*

In secundo casu, latriæ cultu venerari illa fragmenta non debentur : *Ibid.*, § 17.

In primo casu timeri potest alterius corruptionis, et ne Sacramentum irreverentiæ et fideles materiali idololatriæ exponantur, hoc in casu easdem particulas cum reverentia sumendas esse censetur : *Ibid.*

In ecclesia domus S. Crucis ordinis Fratrum Prædicatorum de Observantia nuncupat. Jaurinensis diœcesis in regno Hungariæ, conservatur hostia Sanguine prodigioso conspersa, quæ evidentissima miracula facit : *Ibid.*, § 18.

In ecclesia quæ erat Patrum Societatis Jesu Complutensis civitatis asservantur 24 hostiæ conservatæ, et ab anno 1597 mirabiliter incorruptæ : *Ibid.*, § 19.

Quoad asservationem Eucharistiæ in ecclesia interiori monialium, animadvertitur primo, ne frequentibus recognitionibus violetur lex clausuræ : *Ibid.*, § 10.

Alterum, quod in sac. Concilio, cap. 10, sess. 25, *de Regul. et Monial.*, expresse cavetur ut Eucharistia intra septa monasteriorum non retineatur : *Ibid.*, § 21.

Episcopi indulgere possunt, ut in aliquibus ecclesiis non parochialibus asservari possit SS. Eucharistiæ sacramentum, sine tamen præjudicio jurium rectorum ecclesiarum parochialium : *Arim.*, *Jur. par.*, 18 *apr.* 1722, § 3.

Clavis custodiæ SS. Sacramenti non potest monialibus committi, sed esse debet penes sacerdotem, ad quem spectat cura illud administrandi : *Jan.*, 3 *febr.* 1725, § 4.

Episcopus nequit concedere licentiam servandi SS. Eucharistiam in ecclesia non parochiali : *Ascul.*, 14 *mart.* 1795, § 3.

Servari enim debet SS. Sacramentum in ecclesia parochiali quamvis paupere : *Ibid.*

SS. Eucharistiæ sacramentum in ecclesiis parochialibus sine beneplacito Apostolico retineri non potest : *Cass.*, 30 *maii* 1767, § 11.

Indubii juris est SS. Eucharistiæ sacramentum asservari et retineri non posse in ecclesiis confraternitatum absque speciali indulto Sedis Apostolicæ : *Fav.*, *Funct.*, 3 *apr.* 1773, § 15.

Indultum retinendi in oratorio sodalitii SS. Eucharistiæ sacramentum Summus Pontifex tantum potest elargiri : *Firm.*, 17 *dec.* 1768, §§ 5 et 12.

Nec nisi ex justa et rationabili causa concedi solet : *Ibid.*

Sacramentum Pœnitentiæ

Quoad administrationem, validitatem et nullitatem.

Inter propositiones ab Innocentio XI damnatas, est ea, quod absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis D. N. Jesu Christi : *Grav.*, 10 *junii* 1724, § 7.

Si quis alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam a proprio parocho petere et obtinere debet, quum aliter ipsum non possit absolvere vel ligare : *Ratisb.*, 24 *mart.* 1725, § 4.

Nonnulli putant, quod quis absque proprii parochi licentia potest tempore paschali alieno sacerdoti

confiteri, exceptis tantum illis diœcesibus, in quibus Episcopi non curant nec curarunt observantiam cap. *Utriusque sexus, de Pœnit. et Remiss.* : *Ibid.*, § 5.

Præscripta in hoc capite impleta dicuntur, statim ac quis confitetur sacerdoti approbato pro audiendis confessionibus in diœcesi : *Ibid.*

Si qui religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerunt, constitutioni præfatæ *Omnes utriusque sexus*, quoad confessiones duntaxat, satisfacere : *Ibid.*, § 6.

Sacerdotes seculares ab Ordinario ad audiendas confessiones per diœcesim approbati possunt omnino diœcesanorum confessiones audire absque ulla parochorum licentia, et ii qui sic confessi fuerint nisi aliud extiterit, sunt legitime absoluti : *Ibid.*, § 7.

Si autem in approbatione Episcopi adesset limitatio excludens tempus Quadragesimæ vel alia æquipollens, ut, puta, *salvo jure parochorum*, tunc sic approbatus confessiones excipere non potest tempore paschali, sine parochi licentia : *Ibid.*

Licentia a parocho danda excipiendi confessiones, dari non potest sacerdotibus simpliciter approbatis ab Episcopo quoad idoneitatem, sed approbatis ab eodem et quoad jurisdictionem, et sic expressam facultatem habentibus excipiendi confessiones : *Ibid.*, § 8.

Omnes et singuli fideles adstringuntur ad explendam confessionem semel in anno, et, licet nullum certum tempus annuæ confessionis præcepto aliquo Ecclesiæ præfixum sit, confessio tamen sacramentalis, ratione communionis paschalis, in Paschate implenda est : *Adnot. secr.*, 5 *jul.* 1727.

Præceptum sacramentalis confessionis tenetur explere quicumque conscius peccati mortalis vult accedere ad sacramentum Eucharistiæ : *Ibid.*, § 2.

Eodem præcepto devinctus est ille cui periculum mortis imminet : *Ibid.*

Episcopi et ceteri superiores monasteriorum sanctimonialium attendere diligenter debent ut, in constitutionibus earum, admoneantur sanctimoniales ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, et sacrosanctam Eucharistiam suscipiant : *Ibid.*

Id quod juxta communem doctorum opinionem in consilium resolvitur : *Ibid.*

Docent aliqui, communem errorem absque titulo satis non esse pro validitate absolutionis : *Discur. secr.*, 23 *aug.* 1727, § 17.

Alii vero docent, confessiones et absolutiones hujusmodi esse invalidas, et licet confessi possint dici absoluti coram Deo, quia Mater Ecclesia supplet, eos tamen, errore detecto, teneri confessiones reiterare : *Ibid.*

Alii denique tenent indistincte, absolutionem esse validam ex solo communi errore, etiam absque titulo, et eo fortius accedente aliquo titulo putativo : *Ibid.*

Adeo conjunctum est in ministerio Pœnitentiæ sacerdotium, ut sine isto sacramentum administrari non valeat, uti universa Patrum tenuit auctoritas, Ecclesia docuit, et novissime Concilium Tridentinum : *Casal.*, 12 *dec.* 1767, § 15.

Urbanus VIII quodlibet privilegium administrandi sacramentum Pœnitentiæ abrogavit, nisi Episcopi facultas intercederet : *Hildsim.*, 16 *sept.* 1769, § 11.

Etiam in casu quo ageretur de absolutione levium culparum aut lætalium, quæ alias per confessionem fuerint expiatæ : *Ibid.*

Fas est sacerdoti cum jurisdictione solum probabili sacramentum Pœnitentiæ administrare, et peccata rite confitentibus remittere ; eo quod Ecclesia, ne sacramentum fructu privetur suo, certam et indubitam sacerdoti probabiliter operanti conferat jurisdictionem : *Disser. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. I, discep. 1, n. 48.

Valde Deo accepta, valdeque proficua est animabus sacramenti Pœnitentiæ administratio, cui dierum festorum mane incumbere velle profitentur : *Fir., Serv. chor.*, 19 *jun.* 1790, § 4.

Et ipsis quandoque præferri meretur Missis : *Ibid.*

Absolutio in sacramento Pœnitentiæ non est nudum duntaxat ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi quod sint remissa peccata, ut novatores existimarunt, sed actus est judicialis, quo a sacerdote, velut a judice, sententia pronuntiatur : *Hildes.*, 16 *sept.* 1769, § 9.

Hinc nullius momenti absolutio ea est, quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem : *Ibid.*

Sacramentum Olei sancti.

Juxta antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, sacra Olea sunt conficienda ab Episcopo feria V in Cœna Domini : *Aquil.*, 3 *febr.* 1725.

In Pontificali Romano præscribitur ut pro confectione sacrorum Oleorum feria V in Cœna Domini, præter Episcopi ministros, duodecim presbyteri, septem diaconi, septem subdiaconi, acolithi, et alii necessarii assistant, vestibus albi coloris suo ordini congruentibus indulti : in casu autem necessitatis, quando videlicet agitur de Episcopis parvum clerum habentibus, quique in partibus infidelium existunt, a Sede Apostolica permittitur ut dicta feria V in Cœna Domici sacra Olea conficiant, sed cum minori numero assistentium : *Ibid.*

Oleum sanctum tradendum est sine aliqua exactione : *Cons., Jur. par. et Exemp.*, 18 *dec.* 1762, § 5.

Sacramentum Ordinis.

§ I.

Sacramentum Ordinis in genere.

Ex Scriptura, Traditione, Patrum unanimi consensu, dubitari nequit sacram ordinationem, quæ verbis signisque exterioribus perficitur, gratiam conferre, et esse vere unum ex septem sacramentis : *Camer.*, *Disp.*, 18 *nov.* 1769, § 11.

Prima tonsura, secundum aliquos, non est ordo; secundum alios, imprimit characterem : *Rav.*, *Cap.*, 14 *mart.* 1795, § 3.

In tonsura requiritur ætas annorum 14 ad ecclesiasticum obtinendum beneficium : *Ibid.*, § 4.

Magna est quæstio inter theologos et canonistas, num tonsura sit ordo, habeatque distinctum et proprium ministerium : *Fabr. et Cam.*, *Ord.*, 19 *aug.* 1787, § 8.

Id ipsum asseri potest quoad minorem ordinem ostiariatus, dum hodie minores ordines a laicis etiam exercentur : *Ibid.*

At canonicæ leges de exercitio loquuntur ordinum in genere, ut contracta per illud censeatur irregularitas, ac per consequens de exercitio etiam ordinum minorum : *Ibid.*, § 9.

Subdiaconatus olim inter minores ordines recensebatur, et nonnisi quam seculo XI inter sacros ordines cœpit numerari : *Camer.*, *Disp.*, 18 *nov.* 1769, § 12.

Et hanc disciplinam confirmavit Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 2, *de Refor.* : *Ibid.*

§ II.

Sacramentum Ordinis quoad ætatem.

Ex veteribus Ecclesiæ monumentis patet, quod ad majores ordines ii tantum assumebantur qui provectæ ætatis erant : *Malac.*, *Irr.*, 15 *jan.* 1785, § 4.

Siricius papa præscribit clerico, ut usque ad 30 ætatis annum acolythus et subdiaconus esse debebit, postque ad diaconi gradum, et, elapsis quinque annis, ad presbyteratum ascendat : *Ibid.*

Zosimus papa jubet, ut ad subdiaconatum non perveniat, nisi quis constitutus in anno 20 fuerit, ad diaconatum 30, ad presbyteratum 35 : *Ibid.*

Concilium Carthaginense III vetuit, ne ullus ad diaconatum promoveretur ante annum 25 : *Ibid.*

Synodus Neocæsariensis ætatem pro presbyteris 30 annorum definivit : *Ibid.*

Et ratio potissima fuit, quia Christus in ea ætate fuit baptizatus, cœpitque Evangelicæ prædicationis verbum promulgare : *Ibid.*

Viguit hæc disciplina etiam in Occidente : *Ibid.*, § 5.

Synodus Agathensis voluit diaconos esse in ætate annorum viginti quinque, presbyteros 30 : *Ibid.*

Concilium Arelatense III, statuit legitimam ætatem ad diaconatum 25, ad presbyteratum triginta : *Ibid.*

Hoc confirmavit concilium Toletanum IV : *Ibid.*

Id noscitur servatum esse posterioribus Ecclesiæ seculis, et solum urgente necessitate permissum fuit presbyteros ante dictam ætatem ordinare : *Ibid.*

In concilio Toletano, anno 1056, constituta est ætas annorum 30 pro presbyteris, 25 pro diaconis, nisi singularis et spectata pietas Episcopum clerumque compelleret breviori ætate illos promovere : *Ibid.*

Concilium Rotomagense, anno 1074, jussit ordinari subdiaconos annorum 20, diaconos 25, presbyteros 30, aut ad summum 25, sed urgente necessitate : *Ibid.*

Post hæc tempora varii irrepserunt abusus quoad ordinandorum ætatem : *Ibid.*, § 6.

Eos Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 12, *de Refor.*, compescuit, et statuit ad subdiaconatus ordinem ætatem 22, ad diaconatum 23, ad presbyteratum 25 : *Ibid.*

Ut autem ætas præfinita pro suscipiendis ordinibus omnino servaretur, suspensionis pœna indicta est contra promotos ante tempus : *Ibid.*, § 7.

Hæc pœna de jure veteri non ipso facto incurrebant sic promoti, sed a die latæ sententiæ : *Ibid.*

Modo, vigore constitutionis Pii II *Cum ex sacrorum*, 13 novem. 1460, incurrunt ipso jure : *Ibid.*

Dubium est, num qui bona fide ordines ante legitimam ætatem susceperint, possint illos exercere, absque eo quod in irregularitatem incidant : *Ibid.*, § 8.

Omnes doctores conveniunt, quod irregulares evadunt, si fraude et dolo ante statutam ætatem ordines susceperint, et in iisdem ordinibus ministraverint : *Ibid.*

Pro consecutione sacrorum ordinum necessaria est ætas, et certa scientia : *Jan.*, *Cap.*, 30 *jan.* 1762, § 5.

Voluit S. C. Tridentinum, sess. 23, cap. 12, ut ad subdiaconatum nullus promoveatur ante vigesimum secundum annum, ad diaconatum ante vigesimum tertium, ad presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis : *Anag.*, 20 *aug.* 1768, § 9.

Qui bona fide ordines suscepit, etsi ad legitimam ætatem adhuc non pervenerit, exercere tamen potest, dum in legitima ætate est : *Salut.*, 8 *jun.* 1765, § 16.

Nullum delictum habet, qui ante legitimam ætatem promotus ad presbyteratum absque dolo est : *Ibid.*, § 8.

Pœna promoti ante legitimam ætatem jure veteri erat suspensio, sed non ipso facto : *Ibid.*, § 13.

Tum ex sacris canonibus, tum ex constanti Ecclesiæ disciplina, ætas sufficit 7 annorum ad obtinendam primam tonsuram, et tres primos ordines minores : *Alex.*, *Præp.*, 31 *aug.* 1771, § 5.

Pro onere imposito fidei rudimenta et litteras pueros docendi, ætas ad sacerdotium requiritur : *Firm.*, *Cap.*, 12 *mar.* 1774, § 9.

Ex Concilio Trid., sess. 23, cap. 12, *de Refor.*, abrogata fuerunt omnia privilegia, ita ut regulares non possunt in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinari, privilegiis quibuscumque exclusis : *Brix.*, 28 *nov.* 1733, § 3.

Et privilegiorum confirmatio generatim facta a Gregorio XIV, et itidem communicatio ab Urbano VIII tributa, non videtur referenda ad privilegium jam abrogatum sublatumque de medio, nisi de eo peculiaris facta fuisset mentio, quæ vim novæ concessionis posset habere : *Ibid.*

Nulli regulares, ope veterum privilegiorum, possunt ante ætatem a Tridentino Synodo præstitutam ad sacros ordines promoveri : *Ibid.*

§ III.

Sacramentum Ordinis quoad exercitium.

Exercitium ordinum susceptorum necessario præmittendum est ante ascensum ad reliquos ordines : *Mindon. seu Ovet.*, *Ord.*, 4 *jun.* 1763, § 5.

§ IV.

Sacramentum Ordinis quoad intentionem collatoris.

Si Episcopus ante ordinationem fuerit protestatus se non habere intentionem conferendi ordines iis qui se furtim intruserint ordinationi, irrita est ordinatio ejus qui sic deinde se intulerit, quum ex defectu intentionis ministri characterem ordinatus non recipiat : *Perus.*, *Ord.*, 21 *jun.* 1732, § 3.

Si autem non fuerit præmissa hujusmodi protestatio de defectu intentionis, sed solum comminatio excommunicationis, non videtur de valore ordinationis dubitandum : *Ibid.*, § 4.

Furtive ordinatus iterum ordinari non debet; sed, posteaquam fuerit sublata censura quam contraxit, suscepti ordinis functiones exercere permittitur : *Ibid.*

Etiamsi Episcopus edixisset se nolle ordines conferri non examinatis, non approbatis, aut non vocatis, multorum sententia est ordinem nihilhominus valide esse collatum, quia scilicet generali intentioni de non ordinandis furtim accedentibus prævalet subsequens particularis intentio conferendi tali homini qui sibi præsens sit, eumque reipsa suscipiat : *Ibid.*, § 5

Nonnulli admonent explorandum, si fieri valeat, esse ab Episcopo quanam mente fuerit, dum ordines contulit : *Ibid.*, § 6.

Alii docent, iterandam sub conditione esse ordinationem, ubi relinquatur locus dubitandi de illius valore : *Ibid.*, § 7.

Quamvis autem præmissa fuisset nomine Episcopi generalis protestatio excludens intentionem conferendi ordinis iis qui conciliaribus requisitis essent destituti, si tamen Episcopus per suas litteras significaverit se in ipso ordinationis actu habuisse eam intentionem, quam Ecclesia postulat, quæ convenit Episcopo in hujusmodi functione, ordinatio valida censetur : *Ibid.*, § 8.

Contrahunt præterea irregularitatem, quando Episcopus sub excommunicationis pœna antea prohibuerat ne quis furtim ad ordines suscipiendos accederet : *Ibid.*, § 11.

Episcopi comminari solent excommunicationem furtive accedentibus tanquam ipso facto subeundam : *Ibid.*, § 12.

Seclusa autem culpa et fraude, cessat quoque pœna furtivæ ordinationis : *Ibid.*, § ult.

Frequens est inter doctores quæstio, an irrita est ordinatio eorum qui furtim sese intruserint ordinationi, quando Episcopus ante illam protestatus est, se non habere intentionem iis sese ita intrudentibus ordines conferendi : *Ugen.*, *Ord.*, 3 *aug.* 1743, § 5.

Aliqui putant, eos sic ordinatos non recipere characterem ex defectu intentionis ministri : *Ibid.*

Alii vero contrariam tenent sententiam, quia generali intentioni, quam habebat, prævaleat subse-

quens particularis intentio conferendi ordinem tali homini, qui coram ipso in eum finem se sistit : *Ibid.*

Ex his tamen nonnulli monent eumdem Episcopum, si fieri queat, explorandum esse qua mente fuerit dum ordines contulit, sique posthac non levis adhuc supersit occasio dubitandi de valore ordinationis, eam inquiunt sub conditione iterandam : *Ibid.*

Distinguunt aliqui : advertendum est num Episcopi protestatio fuerit generalis in quoscumque furtim sese intrudentes edita, ac per fiscalem promulgata, hanc enim dicunt ad terrorem potius quam ad alium finem censeri debere factam; secus vero, si ea fuerit in peculiarem aliquam personam ab ipsomet præsule directa, tunc enim gravius de collatorum ordinum validitate ambigendum fore opinantur : *Ibid.*

Ex contraria absoluta voluntate in ordinando oritur impedimentum ne imprimatur character : *Melev., Subdiac.*, 26 *nov.* 1791, § 2.

Ad id præter materiam et formam requiritur ordinandi et ordinandis intentio ; hac deficiente, valida non est ordinatio : *Ibid.*

Citra defectum intentionis attenditur juramentum ordinati : *Ibid.*

Nemo enim pejerare censetur in præjudicium animæ : *Ibid.*

Et sufficit intentio habitualis ad validitatem ordinis : *Ibid.*

Aliqua vero ex coactione causativa remanet voluntas in ordinando, satisque ad validitatem ordinis est : *Ibid.*, § 2.

Plura in id sunt antiqua exempla : *Ibid.*

Ordo nulliter collatus iterari debet; quia ex valida ordinatione tantum imprimitur character : *Ibid.*, § 4.

Et in dubio iterandus est sub conditione : *Ibid.*

Validi sunt ordines per saltum accepti ; ordinatus per saltum incidit in suspensionem : *Ibid.*, § 5.

Per exercitium vero ordinis fit irregularis : *Ibid.*

§ V.

Sacramentum Ordinis quoad interstitia.

Intervallum quod interjacere debet inter dationem unius et alterius ordinis *interstitia* appellatur : *Anag.*, 20 *aug.* 1768, § 8.

Et summo jure ab Ecclesia statutum illud fuit, tum ut ita ordinandus, quæ sunt gradus accepti discat, antequam alterius curam suscipiat, ne præpostero ordine prius sit magister quam discipulus : *Ibid.*

Tum ut in minoribus officiis bonum de se testimonium ferat, et nonnisi moribus et bonæ vitæ meritis refulgens, veniat tandem ad sacerdotium : *Ibid.*

Hodie ex præscripto S. Concilii Tridentini spatium saltem unius anni ab uno ad alterum ordinem sacrum intercedere debet : *Ibid.*, § 9.

Interstitia inter quoslibet sacros ordines sunt servanda vigore Concilii Tridentini, sess. 23, cap. 13 : *Ibid.*, § 6.

Minores ordines conferendi sunt post temporum interstitia ; non est aliquis promovendus ad sacros ordines, nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum promoti ad subdiaconatum non debent ascendere ad diaconatum, nisi post annum, et diacono non est conferendus presbyteratus, nisi in diaconatu per annum permanserit : *Adnot. secr.*, 21 *febr.* 1728.

Si non servantur interstitia, peccatum committitur tam ab ordinante quam ab ordinato, sed quum nulla a Tridentino imponatur pœna, concors est doctorum opinio quod ii in foro exteriori nullam pœnam incurrant : *Ibid.*, § 2.

S. Concilium Tridentinum Episcopis facultatem commisit ut, accedentibus necessitate aut utilitate Ecclesiæ, possint ab interstitiis dispensare : *Ibid.*

Communis est doctorum opinio, ut omnium ordinum collatio eadem die eidem personæ facienda non sit prohibita, uti consuetudo invaluit, quæ a Concilio Tridentino sublata fuit, vel quando, seclusa consuetudine, aliqua concurrit legitima causa fundamentum præbens Episcopo dispensandi : *Ibid.*

Tam secularibus quam regularibus est prohibita duorum majorum ordinum collatio : *Ibid.*, § 6.

Episcopus, conferens duos ordines sacros eadem die, remanet suspensus ab collatione eorum ordinum quot sic contulit, et recipiens duos sacros ordines eadem die remanet suspensus ab executione ordinis posterius suscepti : *Ibid.* et §§ 9 et 10.

Prohibitum est Episcopo duos ordines majores eadem die eidem personæ conferri, sed prohibitum non est, accedente necessitate aut utilitate Ecclesiæ, minores et subdiaconatum conferre : *Ibid.*, § 8.

Intervalla temporum servanda etiam sunt inter ordines minores et subdiaconatum, relicto tantum Episcopis jure dispensandi super interstitiis : *Ibid.*, § 13.

Alii oppositæ adhærent sententiæ, et idcirco volunt, stante consuetudine, minores ordines et subdiaconatum licite conferri posse iisdem personis, una eademque die : *Ibid.*, § 14.

§ VI.

Sacramentum Ordinis quoad litteras dimissoriales, seu domicilium et subjectionem sui Ordinarii.

Putant nonnulli licitum esse variationem, quod

quis clericalem tonsuram et quatuor minores ordines suscipere possit ab uno Antistite, et ei postea liceat pro subdiaconatu suscipiendo adire Episcopum alium, posito etiam quod hic quoque sit ejus Ordinarius ; nonnulli vero contrariam tuentur sententiam : *Pisaur. Clus.*, *Dub. ord.*, 26 *jan.* 1732, § 9.

Conciliantur tamen dissidentes doctorum opiniones, ut scilicet variatio bona fide facta liceat ; secus vero, si in fraudem : *Ibid.*, § 11.

Nullius clericus potest, inconsulto Episcopo, locum suum deserere, et Fagnanus putat verba *inconsulto Episcopo* significare sine consensu Episcopi : *Larin.*, *Decr. syn.*, 26 *jan.* 1732, § 8.

Ordines conferre et dimissorias concedere pertinet ad Episcopos, non autem ad parochos inferiores, ut constat ex Tridentino, sess. 14, cap. 2, *de Reform.* : *Messan.*, *Ordin.*, 22 *aug.* 1739, § 2.

Dimissoriarum concessio reservatur Episcopis intra quorum diœcesim fines abbatiæ sitæ sunt, non obstante quod eædem fruantur territorio separato : *Null. seu Brict. et Polic.*, 3 *dec.* 1718.

Litteræ dimissoriæ dari nequeunt a prælato inferiori habente jurisdictionem etiam ordinariam in loco vere nullius, nisi doceatur de Apostolico privilegio post Concil. Trid. impetrato : *Gadic. seu Hisp.*, *Dub. ord.*, 8 *mart.* 1732, § 11 ; *Valv. et Sulm.*, *Dub. ord.*, 22 *mart.* 1732, § 8.

Quibus pœnis obnoxii fiant, qui ordinibus conferendis vel suscipiendis, aut in concedendis dimissoriis normam per ecclesiasticas leges præscriptam non servaverint, habetur in S. Concilio Tridentino, et in const. Innoc. XII *Speculatores* : *Ibid.*, § ult.

Proprius Episcopus ad effectum ordinationis est ille de cujus diœcese est is oriundus, qui ad ordines promoveri desiderat, seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum, vel domicilium in eadem, licet alibi natus fuerit, habet : *Elbor.*, *Dub.*, 2 *aug.* 1721.

Hinc, juxta receptiorem doctorum opinionem, satis est quodcumque beneficium, licet tenue et tenuissimum, quum et hoc veniat appellatione beneficii : *Ibid.*, § 9.

Proprius Episcopus ad eumdem effectum non dicitur ille in cujus diœcesi ordinandus habet pensionem, quum pensio sive detur in stipendium, sive detur in titulum, nunquam veniat appellatione beneficii : *Ibid.*, § 9.

Ad collectionem ordinum attenditur domicilium ordinandi si fuerit diuturnum, et declaret ordinandus animum illud continuandi : *Ancon. seu Cam.*, *Ord.*, 14 *mart.* 1795, § 3.

Absque enim tali declaratione mora domicilium non constituit : *Ibid.*, § 4.

Interdictum variandi ordinantem procedit in sacris tantum ordinibus : *Ibid.*, § 6.

Quando nativitas fuit vel eventualis, vel occasionalis, nimirum itineris causa, officii, legationis, mercaturæ, vel temporariæ moræ ejus patris, in his casibus non fortuita et occasionalis nativitas, sed vera et naturalis patris origo est spectanda : *Alatr. seu Ver.*, *Ord.*, 18 *mart.* 1747, § 1.

Clerici, qui semel uni Episcopo sese addixerunt, nequeunt ab altero Episcopo ceteris ordinibus honestari : *Burg. S. Donn. seu Crem.*, *Ord.*, 1 *aug.* 1750, § 3.

Sede vacante, capitulum intra annum a die vacationis concedit dimissorias arctatis : *Albor.*, *Dub.*, 2 *aug.* 1721, § 15.

Pœna promoti absque dimissoriis jure veteri erat suspensio, sed non ipso facto : *Salut.*, *Irreg.*, 8 *jun.* 1765, § 13.

Filius non ab Episcopo paterni domicilii, sed ab Episcopo domicilii proprii est ordinibus initiandus : *Bon. seu Ferr.*, *Ord.*, 14 *nov.* 1773, § 6.

Non excipitur vacatio sedis episcopalis in bulla Bened. XIV, quæ incip. *Impositi Nobis*, ut regulares pro ordinum susceptione adeant Episcopum quem maluerint ; tunc anceps hæret, num, regularibus ad ipsum in simili casu accedentibus, licite ordines conferre possit : *Tiras.*, *Vis. SS. LL.*, 11 *maii* 1782, § 1.

Doctorum non una est sententia de hac re : nonnulli favent regularibus, et referunt decretum S. C. probatum a S. M. Clem. VIII, casum, si sedes episcopalis vacet, comprehendi præter duos alios, si Episcopus in diœcesi absit, vel non sit habiturus ordinationes : *Ibid.*, § 2.

Alii doctores observant in præfato decreto duos casus primo exprimi, alterum sedis vacantis penitus omitti : *Ibid.*, § 3.

Imo aiunt Summum Pontificem districte vetasse, ne præter duos alios ibi expressos casus ordinentur regulares extra diœceses proprii domicilii, nisi privilegium post Concilium Tridentinum concessum habetur : *Ibid.*, § 4.

Et ex constit. Bened. XIV *Impositi Nobis* constat quinquies diversis temporibus, et a totidem diversis Pontificibus data opera, quæstionem discussam esse, et casum sedis vacantis reticuisse ; hinc ex reticentia dijudicatur, casum prædictum non fuisse prætermissum, sed præcise exclusum : *Ibid.*, § 5.

Ex Pontificum constitutionibus infertur, ut regulares adigerentur proprium adire Episcopum pro ordinum collatione, nec ab alieno promoveri possent, nisi cum aliquali illius consensu : *Ibid.*, §§ 6 et 8.

S. M. Leo X, in const. *Dum inter mentis ar-*

cana, 1 mart. 1518, decrevit regulares ad ordines libere per Ordinarios admitti, et nullatenus in eorum ecclesiis, seu domibus, aut aliis eorum locis ab alio quam a diœcesano Episcopo vel ejus vicario super hoc cum debita reverentia requisito, et absque rationabili causa contradicente, vel eo a diœcesi absente, ad dictos ordines promoveri debeant : *Ibid.*, § 9.

Sancta Synodus Tridentina, sess. 23, c. 8, statuit ut unusquisque a proprio Episcopo ordinetur : *Ibid.*

S. Pius V, in litteris Apostolicis 16 maii 1567, declaravit dictam dispositionem Concilii Tridentini in regularibus locum non habere : *Ibid.*

Regulares, post Gregorii XIII constitutionem 1 mart. 1573, *In tanta rerum*, ab illo Episcopo ordinari debent in cujus diœcesi cœnobium situm est, vel ab ipso scriptas litteras obtinere, quibus ab aliis Episcopis rite ad ordines promoveri possent : *Ibid.*, § 10.

Innocentius XIII decrevit, in promovendis ad ordines regularibus servandum esse decretum Clem. VIII præcipientis posse superiores regulares suis subditis regularibus litteras dimissoriales concedere ad Episcopum diœcesanum, eoque absente vel impediente, ad quemcumque alium Episcopum : solumque ab hac lege excepit regulares facultate præditos suscipiendi ordines a quocumque Episcopo, si hujusmodi privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, licet Clementino decreto posteriora non sint, et dummodo directa fuissent concessa : *Ibid.*, § 13.

Insuper dictus Pontifex Innoc. XIII, in const. *Apostolici ministerii*, 13 maii 1723, mandari executioni præcepit quæ ad regularium promotionem ad ordines statuta sunt, approbante Clemente VIII : *Ibid.*, § 14.

Id ipsum decrevit Benedictus XIII in concilio Rom. an 1725, ac Benedictus XIV in litteris Apostolis quæ incip. *Impositi Nobis* : *Ibid.*

In hac const. voluit litteras dimissoriales superiorum regularium nullius esse roboris, nisi illis adjunctum sit authenticum testimonium vicarii generalis, vel cancellarii, aut secretarii Episcopi diœcesani, ex qua constet, vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse : *Ibid.*, § 15.

Item quod Antistes, ordines conferens regulari viro in sua diœcesi domicilium non habenti absque adjuncto præfato testimonio, incidat ipso facto in pœnas canonicas : *Ibid.*

Et in præfatis constitutionibus reticetur semper vacatio sedis episcopalis : *Ibid.*, § ult.

Et card. Petra et Riganti volunt tamen comprehendi casum sedis vacantis in citatis decretis : *Ibid.*

Regulares quicumque ordines ab alio suscipere non possunt Episcopo quam ab eo in cujus diœcesi degunt, præterquam si iste abfuerit, vel ordinationes non esset habiturus, certis tamen etiam circa id adjectis conditionibus : *Brix.*, 18 *nov.* 1733.

§ VII.

Sacramentum Ordinis quoad litteras testimoniales

Clericus legitime a proprio Episcopo ordinatus non potest ad alios ordines promoveri ab alio Episcopo, ratione tituli cujuscumque, nisi reportaverit litteras testimoniales proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii : *Pient. seu Ilcin.*, *Ord.*, 18 *jul.* 1733, § 16 ; *Mess.*, *Ord.* 22 *aug.* 1739, § 4.

Alia est particularis formula, qua concipi ab Episcopis solent litteræ testimoniales pro ascensione ad sacros Ordines : *Ibid.*, § 18.

Ad ordines promovendus per Episcopum beneficii, testimonialibus indiget proprii Ordinarii : *Febr.*, *Ord.*, 21 *apr.* 1792, § 4.

Quibus injuste denegatis, datur recursus ad S. Congr., et per hanc committitur ordinatio, nedum Episcopo beneficii, sed viciniori etiam aut metropolitano : *Ibid.*

Non enim Ordinario integrum est ordinationem protrahere aut impedire, in præjudicium etiam juris Episcopi beneficii : *Ibid.*, § 6.

Ad diaconatum et presbyteratum jus habet qui jam subdiaconus est : *Ibid.*

In omni casu obtinere debent litteræ testimoniales ab Episcopo originis, etiamsi quis inde discesserit in tali ætate, in qua nullum canonicum impedimentum contrahere poterit, vel alioquin sit certus de moribus ordinandi : *Pient. seu Ilc.*, 8 *aug.* 1733, § 6.

Sacrum Concilium Tridentinum discriminatim, habitoque peculiari respectu, tam ad ordines minores, quam ad singulos majores, exigit peculiare testimonium de morum conditione et vitæ instituto iis gradibus consentaneo : *Ibid.*, § 7.

Hanc necessitatem cognovit etiam S. Carolus Borromæus in concilio IV provinciali : *Ibid.*, § 9.

Consuetudo apud Episcopos viget, nimirum ut litteræ testimoniales quibus clericus uti intendat, ad suscipiendos ab alio Episcopo ulteriores ordines, id peculiariter declarent, et singula recensent ad hunc effectum opportuna : *Ibid.*, § 11.

Formula hoc modo composita, et in Hispanis regnis servata est : *Ibid.*

Eademque quoque veluti usitata in episcopatibus Italiæ est : *Ibid.*

In concilio Romano cautum est, ut concedi non debent hujusmodi testimoniales litteræ a Romano Pontifice, nisi prævio examine habiles ad ordinem approbari ordinandi meruerint : *Ibid.*

Ex formula litterarum testimonialium quæ in urbe Roma expediuntur a cardinali vicario, habetur quod ille super natalibus, ætate, vita et moribus, et ad ordinem expressum Ordinario ordinandi remittuntur : *Ibid.*, § 12.

Et revera in ipsa ordinatione ex ritu Pontificalis Romani, Episcopo interrogante, archidiaconus, aut ejus officio fungens, dignos esse promovendos respondit *quantum humana fragilitas nosse sinit*, relate ad ordinem conferendum : *Ibid.*, § 13.

Atque litteræ testimoniales differunt a dimissorialibus, quod illæ non impertiuntur facultatem promovendi, quia supponitur facienda ordinatio ab Episcopo non indigente traditione hujus facultatis, solumque continet testimonium quod clericus promovendus sit dignus cui tales ordines conferantur : *Ibid.*, § 14.

Si quis in eo loco, in quo ex accidenti natus est, tanto temporis spatio moram traxerit ut potuerit ibidem aliquo canonico impedimento irretiri, tunc ab Ordinario illius loci obtinet litteras testimoniales : *Asc. seu Mont. Alt., Ord.*, 7 *febr.* 1733, § 10.

Constitutio Innoc XII præscribit ut Episcopi ordinantes in litteris testimonialibus exprimere debeant annuos beneficii ordinandi reditus : *Arim., Ordin.*, 10 *jan.* 1705, § 3.

Litteræ testimoniales ab Ordinario datæ absque mentione ætatis natalium et morum ordinandi, imo et cum expressa declaratione inefficaciæ ad effectum promotionis, proficiunt ad obtinenda beneficia simplicia, non autem ut clericus ad sacros ordines possit promoveri : *Burg. S. Domn. seu Crem., Ord.*, 1 *aug.* 1750, § 3.

Dubium non est ut qui ascendit ad sacros ordines cum falsis testimonialibus in suspensionem incidat : *Ceph., Susp. et Irr.*, 24 *mart.* 1787, § 3.

Imo ad ordinatos cum falsis testimonialibus eæ quoque trahendæ sunt graviores pœnæ, quæ de ordinatis cum falsis dimissorialibus statuit Urbanus VIII in const. *Secretis* : *Ibid.*

§ VIII.

Sacramentum Ordinis quoad materiam.

Materia essentialis presbyteratus, secundum aliquos, est traditio calicis cum vino et patenæ cum hostia : *Sant., Dub. ord.*, 28 *maii* 1796, § 2.

Et tunc sacerdos accipit characterem, cum ipsi ab Episcopo vasa cum vino et hostia tangenda porriguntur : *Ibid.*

Prioribus Ecclesiæ seculis conferebantur sacri ordines per solam manuum impositionem absque ulla instrumenti traditione : *Ibid.*, § 3.

Et ita observatur ab Ecclesia Græca, ejusque observantiam probant Summi Pontifices : *Ibid.*, § 4.

In Ecclesia vero Latina adæquata presbyteratus materia essentialiter consistit in impositione manuum et traditione instrumentorum : *Ibid.*, § 5.

Quamvis enim Dominus Noster Jesus Christus non determinavit in specie materiam et formam sacri Ordinis, Ecclesiæ tamen dedit suæ facultatem eas statuendi : *Ibid.*

Potestas conficiendi sacram Eucharistiam confertur per traditionem instrumentorum, altera absolvendi a peccatis per impositionem manuum : *Ibid.*, § 6.

Sunt qui validitati sacramenti Ordinis sufficere nequire censent moralem contactum instrumentorum ; et sunt qui nec moralem requirunt : *Ibid.*, § 8.

Aliter docent divus Thomas aliique doctores, et Pontificale etiam Romanum in rubrica *de Episc. consecr.* : *Ibid.*, § 9.

Mediatus instrumentorum contactus satis est ad validitatem ordinis : *Ibid.*, § 10.

Ideoque tactus unius calicis, cui superimposita est patena, sufficit ad validitatem presbyteratus : *Ibid.*, § 11.

Haud tamen sufficit tactus unius patenæ, quæ non est instrumentum necessarium ad consecrationem ut calix : *Ibid.*, § 12.

Et ubi rite tacta non sint instrumenta, iteranda est tota ordinatio per illorum traditionem et impositionem manuum : *Ibid.*, §§ 13 et 15.

Quidam ordinatus fuit per porrectionem patenæ sine hostia : *Ibid.*, § 15.

In casu quo initiandus sacerdotio ad alia distractus non accessit ad Episcopum porrigentem patenam cum hostia, et calicem cum vino, valide non fuit ordinatus : *Ibid.*

§ IX.

Sacramentum Ordinis quoad ordinatos furtive, vel per saltum acceptum.

Contempta sæpe ac inobservata fuit in antiqua Ecclesia inter majores sacrosque ordines regula illa ac graduum dispositio : *Flor., Ord.*, 5 *dec.* 1744, § 3.

Minores ordines antiquitus non semper majoribus præmittebantur, nec ille dicebatur per saltum pro-

motus, qui illis omissis ad majores promoveatur : *Ibid.*, § 4.

Nam et tantum ratione minores ordines conferebantur, ut in illis exerceretur clericus, nec si omisisset per saltum promotus dicebatur : *Ibid.*

Nec qua ratiene quove tempore jus hoc præsens invaluerit haud satis constat : *Ibid.*

Præsens autem disciplina per saltum promotos illos vocat, qui, vel uno ex minoribus relicto, majores susceperit : *Ibid.*

Qui in minoribus ordinibus, qui characterem imprimunt, non susceptis ministraverit, irregularis dici nequit : *Ibid.*, § 5.

Ministrans in ordinibus male susceptis, nec impetrata dispensatione, novum impedimentum, notamque irregularitatis incurrit : *Ibid*, § 6.

Intellige tamen si in ministerio dolus, malitia et contemptus processerit : *Ibid.*

Secus, si per errorem fuerit promotus, bonaque fide et inculpabili ignorantia : *Ibid.*

Prioribus Ecclesiæ sæculis tam apud Græcos, quam apud Latinos, minorum ordinum collatio quandoque fuit prætermissa : *Vis.*, *Disp. ab irr.*, 11 *sept.* 1784, § 16.

Exemplum est S. Hilarii, Pictaviensis episcopi, qui B. Martino, postea episcopo Turonensi, exorcistatum contulit, et postea, prætermissis aliis inferioribus ordinibus, diaconum ordinavit : *Ibid.*

D. Thomas asserit in primitiva Ecclesia aliquos ordinatos fuisse presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperint : *Ibid.*

Sed nullus presbyter fuit ordinatus, nisi prius in ordine diaconatus constitutus fuisset : *Ibid.*

Nec quispiam ad episcopatum assumebatur, nisi prius esset presbyter : *Ibid.*

Constans disciplina in Ecclesia invaluit, ut omnes ad sacerdotium gradatim ascenderent, præmissis tum minoribus, tum majoribus ordinibus : *Ibid.*, § 17.

Nam ordinum gradus tanquam tirocinium constituti sunt, ne quisquam temere, præpropere et per saltum ad presbyteratum ascendat : *Ibid.*

Qui ignoranter per saltum de subdiacono fit presbyter, post pœnitentiam in diaconum ordinatur, et postea potest secum in sacerdotio dispensari : *Ibid.*, § ult.

§ X.

Sacramentum Ordinis quoad ordinandum cum titulo vel sine titulo ordinationis.

Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 2, *de Refor.*, ne ministri sanctuarii cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere cogerentur, voluit aliquem non promoveri absque beneficio ecclesiastico, patrimonio vel pensione, quod satis sit ad vitam sustentandam : *Inter.*, 11 *jan.* 1783, § 6.

Plerique opinantur Missarum onera esse detrahenda, quando liberum est beneficiato illis, vel per se, vel per alium, satisfacere; secus vero, quando Missæ personalem celebrationem requirunt : *Ibid.*, § 7.

Alii contra arbitrantur in neutro casu Missarum eleemosynam esse detrahendam, quia eleemosyna, quæ datur sacerdoti pro Missæ celebratione, sit quasi stipendium suæ conservationis : *Ibid.*, § 8.

Sed Episcopus, absque periculo obviandi juri communi et S. Concilio Tridentino, potest præfinire quantitatem proventuum, qui sunt sufficientes ad alimoniam clerico subministrandam, et an sit in his proventibus numeranda vel detrahenda eleemosyna Missarum : *Ibid.*, § 10.

Sess. 21, cap. 2, *de Ref.*, statuit ut nullus ad sacros ordines promoveatur, nisi beneficium ecclesiasticum obtineat : *Tusc.*, 5 *april.* 1783, § 11.

Jussit præterea, ut patrimonium vel pensionem obtinentes ordinari non possint, nisi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum : *Ibid.*

Clerici, qui vel absque sufficienti patrimonio, vel sine ullo prorsus, aut ementito titulo ordines suscipiunt, ab exercitio ordinum suspensi remanent : *Vis.*, *Disp. ab irr.*, 11 *sept.* 1784, § 10.

Imo, si in ordinibus ministraverint, irregulares evadunt : *Ibid.*

Dubitatum fuit olim, an verba Concilii Tridentini, sess. 21, cap. 2, *de Refor.* : *Antiquorum canonum pœnas super his innovando*, præ se ferant innovationem supradicti cap. *Neminem*, et cap. *Sanctorum*, dist. 70, quibus suspensionis pœna indicta est promotis ad sacros ordines cum titulo fictitio : *Ibid.*

Et concluditur, quod per Concilium innovatæ tantummodo fuerunt pœnæ contentæ in cap. *Cum secundum, de Præbendis* : *Ibid.*

Concilium Tridentinum distinguit, sess. 21, cap. 2, de promovendo ob beneficium et de promovendo ob patrimonium : *Amalph.*, *Ord.*, 13 *jul.* 1765, § 13.

Ad beneficium clericus secularis est idoneus, dummodo constet quod beneficium sibi ad victum honeste sufficiat, et pacifice possideatur : *Ibid.*

Ad patrimonium illi assumendi sunt, quos Episcopus judicaverit necessarios, dummodo patrimonium, vel pensio eis ad vitam sustentandam satis sint : *Ibid.*

Titulus mensæ communis parum differt ab eo quem nemo ignorat usitatum quoad omnes regu-

lares, quippe solet appellari titulus religionis paupertatis; subiit enim vicem tituli professio emissa in aliqua religiosa familia, quæ in eam adscriptos alere debet: *Paris., Ind.*, 8 *aug.* 1733, § 4.

Sed S. Pius V declaravit in const. 75, tom. 2 *Bull.*, non posse ad hujusmodi titulum ordinari eos, sive religiosos, sive more regularium in communi viventes, qui nunquam seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, et e claustro exire vel dimitti, et ad seculum redire possunt: *Ibid.*, § 5.

Ordinatio presbyterorum sine titulo, sub alicujus obligatione subministrandi ordinato necessaria alimenta in casu indigentiæ, quandoque permissa fuit ob sacerdotum penuriam: *Val.*, 17 *jan.* 1761, § 7.

Exempla hujusmodi indultarum dispensationum probant stylum et praxim illas facile concedendi: *Ibid.*, § 9.

Consuetudo viget in Germania ordinandi presbyteros titulo mensæ: *Ibid.*, § 7.

Facile quoque per Sedem Apostolicam dispensatur super titulo ordinationis: *Ibid.*, § 6.

Exempla ordinationum sunt, ut per breve concessa fuerunt presbyteros ordinandi titulo *servitii Ecclesiæ*; seu promovendi ad sacros ordines titulo *litteraturæ* doctores in jure canonico, et in sacra theologia, ac sacerdotium adipiscendi titulo missionis: *Ibid.*

Ac titulo *sufficientiæ* conferre sacros ordines etiam presbyteratus, viginti quatuor ex magis idoneis oppositoribus ad curata, indultum fuit archiepiscopo Valentino ob parœciarum copiam et necessitatem: *Ibid.*, § 3.

Ordinanti imminet de jure obligatio alendi ordinatos sine titulo, donec isti aliunde provideantur: *Ibid.*, § 10.

Quæ obligatio afficit etiam ordinantis successores: *Ibid.*

Sine sufficienti titulo ordinatus, non est suspensus, neque ministrando fit irregularis; sed ordinans tenetur sic ordinato alimenta subministrare, donec illē beneficium ecclesiasticum aut titulum consequatur: *Sanc. Cruc. de la Sier. in Ind. Occ.*, 8 *jul.* 1719; et in *Burg.*, 13 *april.* 1720, § 6.

Secus autem est quoad ordinatum sine titulo, qui Episcopum ordinantem decepit, ostendendo se habere titulum congruum, quando non habebat, quum hic remaneat suspensus: *Ibid.*

§ XI.

Sacramentum Ordinis quoad qualitates ordinandorum.

Ordinari nemo debet, nisi qui ecclesiæ aut loco pio, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, adscribitur: *Ugent. seu Hydr., Ord.*, 23 *jul.* 1718, § 6.

Sanxit Concilium Tridentinum, ut nullus ordinetur qui illi ecclesiæ aut loco pio, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus: *Viter., Jur. tum.*, 10 *maii* 1766; *Caput., Adm. ad cons.*, 1 *julii* 1741, § 4.

Tridentinum Concilium nihil magis commendat in ordinandis, quam vitæ probitatem: *Alex., Præp.*, 31 *aug.* 1771, § 28.

Quoad mores nihil aliud in promovendis ad minores ordines requiritur, quam bonum a parocho et magistro scholæ testimonium: *Ibid.*, § 10.

Scientia requisita est ad accipiendam primam tonsuram a sacris canonibus et a synodis peculiaribus: *Ibid.*, § 19.

Necesse est, ut initientur prima tonsura, ut legere et scribere sciant: *Ibid.*, § 26.

Qui ordinandi sunt in minoribus ordinibus debent intelligere linguam latinam et spes ostendat eos dignos majoribus ordinibus: *Ibid.*

Et assumendi sunt ad presbyteratum illi qui idonei sunt ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et ad sacramenta administranda: *Ibid.*

Ad tonsuram suscipiendam, sufficit quod fidei rudimenta legere et scribere non ignorent: *Ibid.*, § 8.

Et ad majores ordines non requiritur scientia quæ ab homine etiam provectæ ætatis acquiri non possit: *Ibid.*

Ad tonsuram obtinendam, requiritur ut promovendus sciat rudimenta fidei, et saltem legere et scribere lingua vulgari et materna: *Priv., Ord.*, 17 *maii* 1749, § 2.

Qui uxorem habet, receptum est communiter ut, si ambo conjuges ea ætate sint quæ suspicionem non excludat, non admittatur, nisi uterque regularem statum in claustris profiteatur: *Const.*, 10 *maii* 1766, § 10.

Quemadmodum neque vir senex admittitur, qui uxorem florenti ætate relinquat, nisi ea religionem ingrediatur: *Ibid.*, § 12.

Jure canonum inspecto, aliquis occulto crimine irretitus a suo Episcopo obtinere non poterat ut ad superiores ordines promoveretur: *Angol.*, 4 *febr.* 1786, § 5.

Et Alex. III statuit ut Episcopus congruam illi pœnitentiam imponat suadeatque ne curet ad superiora ascendere: *Ibid.*

Si tamen, peracta pœnitentia ejusdem occulti criminis, suasionibus Episcopi non acquiescens ascendere omnino vellet, eum non debet aliqua ratione prohibere: *Ibid.*

Canonum autem lenitatem Concilium Tridentinum correxit, sess. 14, cap. 1, *de Refor.*, quod nulla contra ipsius prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo suffragatur : *Ibid.*

Ad sacerdotium obtinendum, non eminens aut mediocris, sed sufficiens requiritur scientia, quæ in notitia sacrarum Scripturarum consistit : *Prænes.*, *Can.*, 16 *jun.* 1787, § 4.

Ille admittitur qui habet uxorem, si ambo conjuges senes sint, licet mulier non ingrediatur religionem, dummodo ea tamen votum perpetuæ continentiæ emittat : *Const.*, 10 *maii* 1766, § 13.

Speciale solummodo esset, si quis, vivente adhuc uxore, ad episcopatum ordinari deberet ; tunc etiam vetula uxor religionem deberet profiteri : *Ibid.*, § 14.

SACRAMENTUM ORDINIS QUOAD POTESTATEM CONFERENDI. Vide *Abbas*, § II.

§ XII.

Sacramentum Ordinis quoad ratihabitionem.

Silentium plurium annorum probat accepti ordinis ratihabitionem : *Biter.*, *Ord. subd.*, 21 *aug.* 1760, § 6.

Limita : sed silentium et acquiescentia non inducunt consensum ordinati, quousque durat causa metus, ex quo ordinem accepit : *Ibid.*

Ad excludendam tacitam ratihabitionem docere debet se, mortuo patre, a quo asseritur incussus metus, illico reclamasse, nec satis constare videtur quod nunquam in suscepto ordine ministraverit, seu aliquod subinde ecclesiasticum beneficium non fuerit assecutus, ex ejusdem actibus tacita ratihabitio inducitur : *Const.*, 22 *maii* 1734, § 7.

Cum voluntatem suam a statu ecclesiastico semper alienam aliquis patefecerit, nulla ex unico actu induci potuit ordinis ratihabitio, quæ nunquam inducitur, quando de contraria voluntate constiterit : *Camer.*, *Disp.*, 18 *nov.* 1769, § 5.

Subdiaconus si ministraverit in ordine, ex hoc unico actu ratihabitio inducitur ; *Ibid.*, § 9.

§ XIII.

Sacramentum Ordinis quoad tempus et locum.

Juxta veterem Ecclesiæ morem, nullum certum tempus præfinitum erat in quo sacrorum ordinum collationes fieri deberent, sed quolibet die dominico celebrari poterant : *Tiras.*, *Visit. SS. LL.*, 20 *april.* 1782, § 2.

Hæc disciplina vigebat tempore S. Leonis M. seculo V, ut colligitur ex cap. *Quod a Patribus*, 4, dist. 75 : *Ibid.*

Thomassinus sustinet brevi illo temporis spatio, quod inter S. Leonis et S. Gelasii pontificatum intercessit, sacrorum ordinum collationes jejuniis Quatuor Temporum addictas fuisse : *Ibid.*, § 3.

Hoc Gelasius definivit, et in concilio Claromontano habito sub Urbano II, anno 1095, cap. 24, idem habetur : *Ibid.*

Hanc disciplinam omnibus modis servari voluerunt posteriores Pontifices Alexander III, Urbanus II, Innocentius III : *Ibid.*, § 4.

Licet dicatur ordinationes sacrorum ordinum habendæ sint in hebdomadis Quatuor Temporum, non inde sequitur ut in quolibet die, in quo ipsis hebdomadis jejunium indictum est, illæ fieri possint, sed tantum die sabbati sancti sacros ordines conferre licere : *Ibid.*, § 5.

Hic laudabilis mos Ecclesiæ nulla contraria consuetudine inverti potest : *Ibid.*, § 6.

Alexander III in cap. *Sane, de Tempor. ordinat.*, sanxit ut ordinati extra jejunia Quatuor Temporum non deberent permitti in susceptis ordinibus ministrare, et ordinantes privarentur auctoritate ordinandi : *Ibid.*

Concilium Trid., sess. 23, cap. 8, *de Refor.*, præcepit ut ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus in ecclesia cathedrali, vocatis præsentibusque ad id ecclesiæ canonicis, publice celebrentur : *Ibid.*

Si per consuetudinem induci non potest ut ordines majores conferantur extra tempus a jure præfinitum, attamen ex Summi Pontificis privilegio, vel dispensatione, tuto aliquis potest extra dictum tempus ordinari : *Ibid.*, § 7.

Hujusmodi privilegia quibusdam regularibus concessa sunt, quæ in suo robore persistere voluit Bened. XIII : *Ibid.*

Et hæc privilegia, justa ac rationabili causa accedente, aliis etiam qui regulares non sunt conceduntur : *Ibid.*

Et quoties datur potestas suscipiendi ordines extra tempora, de more apponitur conditio, ut ordinationes fiant festis diebus : *Ibid.*

Atque hæc indulta nunquam conceduntur pro diebus festis continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio, arbitrio Episcopi definiendo : *Ibid.*

Diversæ sunt opiniones doctorum de diebus festis, in quibus majores ex Apostolico indulto extra tempora conferri liceret : *Ibid.*, § 8.

Nonnulli asserunt, festos dies pro collatione sacrorum ordinum esse, nedum illos in quibus sub præcepto est abstinendum ab operibus servilibus, sed etiam alios qui sub ritu duplici ab Ecclesia celebrantur : *Ibid.*

Alii affirmant festis duntaxat diebus, qui a po-

pulo de præcepto servantur, ordinum majorum collationes fieri licere : *Ibid.*

S. C. Concilii hanc sententiam secuta est : *Ibid.*

Dubitatur num, inter festos de præcepto qui a populo coluntur, adnumerandi sint dies festi in quibus, impleta obligatione audiendi sacrum, servilibus operibus ex Apostolico indulto vacare licet, ut iis diebus possint Episcopi sacros ordines conferre habentibus dispensationem illos extra tempora accipiendi : *Ibid.*

Ordinationes sacrorum ordinum, statutis in jure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, publice celebrari debent, vocatis ad id ecclesiæ canonicis : *Gien., Celeb. ord.*, 25 *januar.* 1727, § 3.

Sin autem in alio diœcesis loco celebrantur, celebrari semper debent in ecclesia, quantum fieri poterit, digniori, et præsente clero ejusdem loci : *Ibid.*

Conferri potest tonsura die profesto, uti ex Pontificali Romano desumitur : *Fabr. et Camer., Ord.*, 19 *aug.* 1797, § 6.

Non item ostiariatus ; nam cum reliquis minoribus conferri omnino debet diebus dominicis et festis : *Ibid.*

Nulla ob collatos minores ordines die profesto inflicta legitur a jure canonico censura, vel alia pœna : *Ibid.*, § 7.

Pœna promoti extra tempora a jure veteri statuta suspensio erat, sed non ipso facto ; *Salut., Irreg.*, 8 *jun.* 1765, § 13.

Prima tonsura conferri potest ante diem sabbati Quatuor Temporum, et post prandium : *Portal.*, 16 *mart.* 1720, § 2.

Imo clericus fieri potest etiam extra Missarum solemnia quocumque die, hora et loco : *Ibid.*

Determinatum tempus datum si fuerit ad sacros ordines suscipiendos, eo elapso, prorogari nequit : *Firm., Cap.*, 17 *junii* 1797, § 6.

Maxime si præfinitum est per modum conditionis : *Ibid.*

Declarationes, vel facta vetustiora, non sunt attendenda, cum ea tantum in pretio habeantur quæ præcisum ordinationis tempus percutiunt : *Camer., Disp.*, 18 *nov.* 1769, § 7.

§ XIV.

Sacramentum Ordinis quoad validitatem et nullitatem in genere.

Si agatur de vi seu coactione præcisa et absoluta, qua homini vi detento et reluctanti manus violenter injectæ sint, ut sacro subdiaconatus ordine initietur, quo casu, sicuti in invito sacrum ordinem suscipiente prorsusque repugnante nulla fuit voluntas, sic ordinis collatio est invalida, nec character in eo imprimitur, nec tenetur ad observandam continentiæ legem : *Posn.*, 20 *april* 1782, § 3.

Si vero agatur de vi et coactione conditionali et causativa, ut in illo est qui ad effugiendum periculum, vel cruciatum, vel mortem, consentit se ordinari, tunc character imprimitur : *Ibid.*

Nam voluntas indirecta et coacta, voluntas tamen est : *Ibid.*

Per coactionem absolutam non imprimitur character sacri ordinis : *Biteren., Ord. subd.*, 21 *aug.* 1790, § 3.

Per coactionem causativam ex metu atque sævitiis illum non impedit : *Ibid.*

Valide confert ordines conversis abbas, licet ex const. Clem. VIII prohibentur : *Cong. Cist.*, 28 *nov.* 1789, § 7.

Certa enim prohibitioni adjecta est pœna, quæ non irritat actum : *Ibid.*

Ignorantia nullitatis ordinis in eo qui jam a quadriennio theologiæ operam dedit, nec præsumitur, nec attenditur : *Cam., Disp.*, 18 *nov.* 1769, § 9.

§ XV.

Sacramentum Ordinis quoad vim et metum.

Nulla est collatio ordinis deficiente accipientis intentione, et sufficit habitualis intentionis defectus ; *Val., Ord. subd.*, 30 *maii* 1794, § 3.

Præcedens ordinati contestata denuntiatio removet consensum a sequenti ordinationis actu : *Ibid.*

Post plures vero dies ab ea emissa, mutata censetur voluntas per contrarium accepti ordinis actum : *Ibid.*, § 8.

Serio enim exercita accipientis actio validum reddit ordinem : *Ibid.*, § 7.

Ad exemplum Baptismi, et velamenti sanctimonialium : *Ibid.*

Coactio absoluta impressionem impedit characteris ; non item causativa, quæ non irritat ordinem : *Ibid.*, § 4.

Instigationes et minæ parentum coactionem inducunt causativam : *Ibid.*, § 5.

Et assumptus censetur ordo per terrorem et metum : *Ibid.*

Metus esse debet cadens in constantem virum, ac ad effectum cogendi invitum ad Ordinem, de præciso ordinationis tempore ; *Ibid.*, § 7.

Metum quidem probant antecedentes conquestiones ordinati : *Ibid.*

Sed non præsumitur metus absentium a loco ordinationis : *Ibid.*, § 8.

Ob coactionem causativam necessaria olim videbatur dispensatio a voto continentiæ : *Ibid.*, § 4.

Contraria deinde recepta est sententia, eam nempe coactionem non obligare ad continentiam : *Ibid.*

Sæpe tamen actum in praxi in dispensatione est, et justa reputata causa dispensandi a voto continentiæ coactio causativa : *Ibid.*, § 6.

In favorem præsertim juvenis, in quo timetur de incontinentia : *Ibid.*

Ordo dicitur vi et coactione præcisa susceptus, quando homini vi detento et reluctanti manus impositæ sunt : *Osn., Dis.*, 15 *dec.* 1764, § 15.

Et hoc casu cum nulla in homine voluntas censeatur, sed aperta recusatio, ideo omnis actus et ordinis collatio est nulla : *Ibid.*

Omnis character valide non imprimitur nescienti et ignoranti : *Ibid.*, § 15.

Sed valide infantibus confertur, etsi illicite et illegitime : *Ibid.*

Quare si majores facti in eo statu permaneant, ordines non sunt iterandi : *Ibid.*

Ordo metu susceptus ut nullus dicatur, oportet ut metus cadat in constantem virum, procedat scilicet ab homine terribili, et solito minas exequi, ut non aliter malum comminatum vitari potuerit : *Ib.*, § 11.

Limita in patre, qui non requiritur ut solitus fuerit minas exequi ; sed sufficiunt solæ minæ, imo sola parentum indignatio : *Ibid.*, § 6.

Ut autem rectum feratur judicium circa ordinem metu susceptum, inspiciendum est tempus tonsuræ, minorum ordinum, subdiaconatus, et ætas in qua de tempore subdiaconatus erat constitutus : *Ibid.*, § 13.

Sacer subdiaconatus, qui vi coactiva et absoluta collatus est, nullum imprimit characterem : *Grat.*, 3 *jul.* 1762, § 6.

Secus in ordine collato per vim et metum, qui imprimit characterem, sed non obligat ad votum continentiæ, a quo saltem concedenda est dispensatio : *Ibid.*

Quia votum continentiæ non est de substantia ordinis subdiaconatus, sed illi fuit per Ecclesiam adnexum : *Ibid.*

Quæstio non levis est exorta, an suscipiens ordinem subdiaconatus per coactionem absolutam non precisam, sed conditionatam et causativam, recipiat characterem, ita ut teneatur ad votum continentiæ eidem ordini adnexum : *Cam., Disp.*, 18 *nov.* 1769, § 13.

Tutiorem amplexa est sententiam Rota, quæ censuit in hisce circumstantiis efflagitandam esse a Sum. Pontifice dispensationem : *Ibid.*

§ XVI.

Sacramentum Ordinis quoad votum continentiæ.

Continentiæ votum est ordini subdiaconali ex statuto Ecclesiæ adnexum ; liberam idcirco voluntatem exposcit, qua cessante non est obligatorium : *Monas.*, 5 *dec.* 1722, et 20 *nov.* 1723.

Controversia acerrima inter antiquos canonistas fuit, an susceptio sacri ordinis per coactionem non absolutam, quæ est quando quis vi et manibus violenter attractis tenetur, sed per conditionalem seu causativam, ad effugiendos scilicet cruciatus vel mortem, sicut imprimat characterem, ita obliget ordinatum ad votum continentiæ : *Nam., Disp.*, 19 *nov.* 1729, § 5 ; *Posn.*, 20 *april.* 1782, § 4 ; *Bit., Ord. sub.*, 21 *aug.* 1790, § 3.

Romana Rota, examinato desuper funditus articulo, illum indecisum reliquit, consuluitque ordinatum ut dispensationem peteret a Papa, quum hujusmodi coactio seu metus conditionalis justam præbeat causam dispensandi : *Ibid.*

In secunda vero propositione, amplectendo originariam opinionem Joannis Glossatoris in cap. *Ubi ista*, in verb. *honorem*, dist. 14, resolvit taliter ordinatum non teneri ad votum continentiæ : *Ibid.*

Quam opinionem sequuti postea sunt communiter recentiores theologi et canonistæ : *Ibid.*

Coactio tamen seu metus iste debet esse gravis et cadens in constantem virum, nec sufficit levis et vanus : *Ibid.*, § 6.

Purgatur iste metus, ac tacita ratihabita dicitur susceptio ordinis, si coacte ordinatus post cessatam causam metus sponte ministraverit in ordine, et sufficit semel ministrasse : *Ibid.*, § 7.

SACRAMENTORUM ADMINISTRATIO. Vide *Parochus*, § I.

SACRAMENTORUM REITERATIO. Vide *Sacramentum Baptismi*, § III.

SACRARUM CÆREMONIARUM MAGISTER. Vide *Magister*, § II.

SACRI CANONES. Vide *Canones sacri*.

SACRI CANONES. Vide *Beneficiati*, § IX ; *Canonici*, § XII ; *Capitulum ecclesiasticum*, § XI ; *Episcopus*, § VI ; *Sacramentum Ordinis*.

SACRIFICIUM MISSÆ. Vide *Missæ sacrificium*, *Missa*.

SALTUS QUOAD ORDINES. Vide *Sacramentum Ordinis*, § IX.

Sanatio.

Sanatio unius suffragii non indulgetur, nisi accedat patronorum consensus : *Urb., Can.*, 10 *jan.* 1778, § 6.

Neve ejus sanationi locus est, si aliter canonice electus deprehendatur : *Ibid.*, § 15.

Dum petitur sanatio cujuscumque obreptionis, sine dolo et fraude commissæ, judicio Episcopi semper est deferendum : *Jan., Red. et Trans. Miss.*, 16 *dec.* 1786, § 7.

RELIQUA. Vide *Contractus*, § VIII.

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS. Vide *Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

SANCTI PETRI FABRICA. Vide *Fabrica sancti Petri.*

SANGUINIS JURA. Vide *Jura*, § II.

SATISDATIO. Vide *Administrator*, § I.

SCAMNA. Vide *Sedilia.*

SCHEDULA. Vide *Testamentum*, § III.

Schola, Scholastici.

Nihil est quod magis conferat ad reipublicæ felicitatem, quam quod puerilis ætas ad omnem in scholis informetur sapientiam : *Nul. S. Laur. in Camp., Com. vol.*, 20 *aug.* 1785, § 5.

Et ex scholis respublica potest sperare optimos rectores et administros, ac jure sibi polliceri : *Ibid.*

Ac propter scholarum defectum incidit in infortunium cœtus ecclesiasticus, et cum eo totus populus : *Ibid.*, § 6.

Nam doctrina sine vita, clericum contemptibilem reddit, et vita sine doctrina inutilem facit : *Ibid.*

Hodie vir patriæ suæ amantissimus utique putandus est, qui scholis erigendis in tanto patriæ squalore et amaritudine utraque manu assentitur : *Ibid.*, § 10.

Concilium Tridentinum novit necessariam admodum esse adolescentium institutionem, proindeque seminariorum cum scholis erectionem enixe præcepit, sess. 23, cap. 18, *de Refor.* : *Ibid.*, § 11.

Scholastici, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum præbendarum et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis gaudere debent : *Urb., Exemp.*, 19 *sept.* 1772, § 2.

Scriptura, Scripturæ.

Notissima est dispositio Concilii Romani, tit. 12, cap. 6, præcipientis ut ab unaquaque ecclesia caute et diligenter asserventur scripturæ et monumenta ad illam pertinentia : *Ferr., Confr.*, 14 *sept.* 1782, § 14.

Scripturæ et libri rationum servari debent apud capitula cathedralium : *Asc.*, 21 *jun.* 1788, § 14.

Is servare debet scripturas et libros, cui reddita est ratio, eique exhibitionis onus incumbit, si iterum erroris causa dispungi debet : *Ibid.*

Qui alienas scripturas lacerant, sive privatas, sive publicas, rei sunt falsitatis et falsi : *Ibid.*, § 15.

Scripturas asservandas in cancellaria episcopali enumerat concil. Rom. in *App. ad Tit.* 13 cap. 3 : *Sutr.*, 23 *jan.* 1773, § 8.

Nempe scripturas ordinationum vel collationum ordinum, scripturas collationum aut institutionum beneficiorum, renuntiationum, aut permutationum, ceterasque beneficiales scripturas : *Ibid.*

Licet testator litteras ignorans scripturam cruce signaverit, ac notario consignaverit, non excluditur tamen suppositio falsæ scripturæ, nec satis probatur illius identitas vel voluntatis certitudo : *Anag., Erect. cap.*, 11 *febr.* 1770, § 11.

Ordo scripturæ non impedit casum juris et voluntatis : *Fan., Subr.*, 18 *dec.* 1773, § 17.

Scriptura privata probat contra hæredem scribentis, non item contra tertium : *Spol., Red. Miss.*, 11 *febr.* 1797, § 5.

Scriptura privata deficientem supplet fundationem pii operis : *Ibid.*

Vera in una parte, talis etiam censetur in altera : *Ibid.*

Scriptura sacra.

Docentes Scripturam sacram, dum publice in scholis erudiunt, et juvenes, qui ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum præbendarum et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis plene gaudent et fruuntur : *Fulg.*, 3 *jul.* 1784, § 9.

Scripturæ sacræ explicatio, quæ fit a canonico theologo post vesperas, supplere nequit Evangelii Dei explicationem a parocho tantum faciendam inter Missam parochialem : *Am.*, *Visit. SS. LL.*, 10 *febr.* 1781, § 6.

SCRUTATORES. Vide *Electio*, § VI.

SCRUTINIUM. Vide *Moniales*, § IV.

SECRETUM SEU CONSCIENTIÆ MATRIMONIUM. Vide *Matrimonium*, § XXI.

SECULARIA BENEFICIA. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXVIII.

SECULARIS MILITIA. Vide *Clerici*, § V.

Sede vacante.

Statim ac ad aliquam civitatem certa defertur notitia de obitu Summi Pontificis, solemnes a clero et populo exequiæ pro eo celebrari, et usquequo certa deveniat notitia de successoris ele-

ctione, clerus et populus fundere debent preces ad Dominum, ut ipse qui concordiam facit in sublimibus, efficiat eligentium cordium in eligendo concordiam : *Neap.*, 30 *sept.* 1724.

Periculum subire potest ecclesiastica disciplina divinusque cultus, si per omne tempus, quo vacua est sedes episcopalis, nullus existeret qui cathedralem ecclesiam, et capitulum visitare possit, et qui recti regiminis rationem exigat præscribere : *Ger.*, *Jurisd.*, 13 *jun.* 1733, § 17.

Et id verisimiliter alienum est a mente Tridentini Synodi : *Ibid.*

Sedilia, Scamna.

Sedilia jus retinendi vel removendi in ecclesiis a laicis acquiri nequit : *Leopol.*, 19 *jan.* 1765, § 5.

Et decor et commodum ecclesiæ cathedralis ad remotionem sufficit : *Ibid.*, § 6.

Removere scamnum patronorum in capella positum, vel illis inauditis vel invitis impedimentum apponere interdictum est cuilibet, sed Episcopo aut ecclesiæ rectori concessum ; hoc videri debet in solo necessitatis casu : *Alatr.*, 9 *apr.* 1785, § 9.

Seminarium.

§ I.

Seminarium quoad alumnos.

Admitti debent ad seminarium solum pueri qui ad minimum 12 annos nati sint, ac legere et scribere competenter noverint : *Vic.*, *Assig.*, 20 *nov.* 1762, § 7.

Seminarium non deficit per temporalem dimissionem alumnorum : *Fer.*, *Ben.*, 16 *jan.* 1762, § 10.

§ II.

Seminarium quoad erectionem et fundationem.

Erectio seminarii plurimum a Concilio Tridentino, sess. 23, cap. 18, *de Refor.*, commendatur ac eidem bona applicantur : *Amer.*, *Appl.*, 7 *sept.* 1776, § 3.

Quæ applicatio fieri debet consilio quatuor deputatorum, duorum scilicet de capitulo, et duorum de clero, ratæ partis redituum mensæ episcopalis, capituli et beneficiorum : *Ibid.*

Et dicto consilio adhibito, ab Episcopo fit applicatio, si concurrat egestas et inopia seminarii : *Ibid.*

Seminarium erigi debet in loco in quo alumni commodius et majori Dei cultu possunt in ecclesiasticis disciplinis institui : *Null. Farf.*, *Sem.*, 9 *aug.* 1777, § 8.

Et per suspensionem temporalem alumnorum factam in loco in quo fuit erectum, minime defecit : nec adhuc deficit : *Ibid.*, § 10.

Concilium Tridentinum maxima cura et optimis institutis prospexit erectioni seminariorum, cavitque sedulo, ne illorum manutentioni quidquam deesset : *Vel.*, *Tax. sem.*, 16 *mart.* 1771, § 9.

Et duplicem modum statuit ad necessarios reditus comparandos, unionem scilicet beneficiorum simplicium, et certam super omnibus aliis beneficiis contributionem : *Ibid.*

Seminarii erectio plurimum a Concilio commendatur : *Rag.*, 1 *sept.* 1762, § 9.

Seminarii episcopalis erectionem et conservationem non solum Tridentinum commendavit, sed etiam præcepit ut in eo pietate et doctrina informentur juvenes, qui Ecclesiæ Dei sint profuturi : *Nuc.*, *Appr.*, 13 *febr.* 1773, § 4.

Aperitio seminarii ob amplitudinem diœcesis indulgenda est juxta dispositionem Concilii Trident., sess. 23, cap. 18, *de Reform.* : *Priv.*, *Ap. or.*, 16 *mart.* 1771, § 5.

Ex præscripto Tridentini Concilii, obligatio erigendi seminarium afficit singulas cathedrales : *Ibid.*, § 9.

Et verbum illud *singulæ*, quo utitur Concilium, distributive refert dispositionem decreti ad unamquamque ecclesiam, ita ut tot esse debeant seminaria quot sunt cathedrales : *Ibid.*

In qualibet enim diœcesi Tridentinum Concilium præscribit erectionem seminarii episcopalis, in quo Dei ministri ad animarum salutem ac religionis incrementum instituantur : *Pinhelen.*, *Erect. sem.*, 15 *jan.* 1791, § 4.

Et pro hac erectione primum Episcopus contribuere debet ex sui mensæ et capituli fructibus, inde omnes beneficiati : *Ibid.*

Hinc contribuere debent seminario omnia beneficia : *Ibid.*

Si Episcopus duabus civitatibus præest, in utraque erigi debet seminarium ; et si reditus non sufficiant, conduci debent magistri : *Priv.*, *Ap. or.*, 16 *mart.* 1771, § 10.

Seminaria erigi debent prope cathedralem ecclesiam, et, licet detur Episcopo facultas illud constituendi in loco sibi magis beneviso, id tamen intelligendum est ut procedat, vel quando prope cathedralem ecclesiam locus aptus non reperitur, vel saltem in loco sito in eadem civitate in qua est ecclesia cathedralis : *Melev.*, *Sem.*, 9 *jan.* 1725, § 2.

Seminarii erectioni suppletur per institutionem scholæ : *Tran.*, *Tax.*, 14 *maii* 1763, § 14.

§ III.

Seminarium quoad institutionem.

Publicis academiis per Concilium Tridentinum sunt seminaria suffecta : *Fav., Com. vol. et Ap.*, 18 *aug.* 1792, § 6.

Eaque institutioni clericorum aptiora sunt : *Ibid.*

In iis, ex Concilio Lateranensi V, ac Tridentino, recipiendi sunt clerici in puerili ætate, seu annorum 12 : *Ibid.*

Adolescentium namque ætas, nisi recte instituatur, prona est ad mundi voluptates sequendas : *Ibid.*

Seminarii deputati in diœcesana regulariter eliguntur synodo, in quo totus congregatur clerus : *Tud.*, 15 *sept.* 1792.

Jus autem illos eligendi est penes clerum secularem et regularem, qui taxam solvit seminario : *Ibid.*

Si deputatus jam electus imprudentis sit naturæ, juste removetur ab officio : *Ibid.*, § 3.

Ac hujusmodi remotionis non desunt exempla : *Ibid.*

Quibus semel commissa est seminarii administratio, eorum perpetuum est munus ; dummodo tamen legitima non occurrat remotionis causa : *Ibid.*, § 4.

Certum est collegia clericorum, quæ primum monasteria dicebantur sub Episcoporum cura, vetustissima in Ecclesia esse : *Viter., Tax. sem.*, 19 *apr.* 1766, § 11.

Hisce collegiis alio nomine, sed simili instituto successerunt scholæ, quas Episcopi pro suo clero habebant, tanquam ex seminariis, unde *seminarii* vox facta : *Ibid.*, § 12.

Sed post seculum XI, cessante necessitate ex commoditate studiorum ob varias academias et scholas publicas, sensim hæc omnia evanuerunt : *Ibid.*

Concilium Tridentinum inter præcipuas instaurandæ disciplinæ curas, hanc collegiorum necessitatem cognovit : *Ibid.*, § 13.

Et ut adolescentium, qui Ecclesiæ aliquando inservirent, a teneris annis ad pietatem et religionem ætas informaretur, hæc collegia erigenda edixit : *Ibid.*

Quantum religioni proficua sit clericorum institutio in seminariis, nemo est qui ignoret : *Fan., Semin.*, 18 *dec.* 1790, § 5.

Et maxime de eo sollicitum fuit Concilium Tridentinum ; certaque ad illorum conservationem et incrementum præscripsit S. Synodus media : *Ibid.*

Sed ubi deficiunt, consulendum est ex superfluis secularium confraternitatum aliarumque piarum, licet immunium, institutionum reditibus : *Ibid.*

Seminarii opus a Concilio Tridentino saluberrimum reputatur, et commendatur Episcopo : *Lycen., Union.*, 14 *jun.* 1710.

Magni cultus divini incrementum affert pauperum clericorum seminarii institutio : *Alatr., Visit. SS. LL.*, 10 *jun.* 1790, § 4.

§ IV.

Seminarium quoad regimen.

A Benedicto XIV, const. *Ad militantis* an. 1742, adempta est omnis vis quibuscumque appellationibus, reclamationibus et inhibitionibus interpositis generaliter a mandatis et provisionibus, quæ quoquomodo respiciunt curam, directionem et administrationem seminarii : *Tybur., Alt.*, 24 *nov.* 1759, § 4.

Regimen seminarii spectat ad Episcopum de consilio duorum de capitulo, totidemque de clero : *Pinc., Erec. sem.*, 15 *jan.* 1781, § 6.

§ V.

Seminarium quoad taxam.

Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 18, *de Reform.*, necessariam dotem pro seminariis sustentandis statuit : *Viter., Tax. sem.*, 19 *apr.* 1766, § 14.

Quod voluit ut Episcopi de consilio duorum de capitulo, totidem de clero, civitatis ex quibuscumque reditibus ecclesiasticis portionem aliquam detrahant, et seminario applicent : *Ibid.*

De quantitate contributionis magis præcise edixit Bened. XIII const. *Creditæ nobis*, ut non esset minor scut. 3, neque major scut. 5 pro quolibet centenario et anno : *Ibid.*, § 16.

Valde sollicitum fuit sac. Concilium Tridentinum de episcopalibus seminariis, et statuit sess. 23, cap. 18, *de Reform.*, episcopales, abbatiales et capitulares mensas, beneficia et loca pia ad illorum erectionem et conservationem teneri : *Arim., Susp. oner.*, 20 *dec.* 1788, § 10.

Hinc exigere valent Episcopi taxam ad instaurandas eorum domos : *Ibid.*

Taxa pro seminario confici debet ad formam traditam a Concilio Tridentino, sess. cit., et a Benedicto XIII in const. cit. : *Tran., Tax. sem.*, 26 *nov.* 1768, § 2.

Et juxta dictam constitutionem est taxa redacta ad tria pro quolibet centenario : *Ibid.*, § 8.

Atque secundum dictas dispositiones subjiciuntur taxæ pro seminario, non solum bona in districtu civitatis existentia, sed etiam reliqua ad ipsam pertinentia : *Ibid.*, § 9.

Quia unicum remedium pro seminario retinendo quod venit ex aperta lege dicti Concilii, et const. Bened. XIII, est taxa : *Viter.*, *Tax. sem.*, 19 *apr.* 1766, § 7.

Hæc doctrina non indiget ut exornetur, notissima est et ubique receptissima : *Ibid.*

Taxa in favorem seminarii, sive contributum imponi valet super omnibus beneficiis et monasteriis diœcesis : *Tran.*, *Tax.*, 14 *maii* 1763, § 1.

Ab ea tamen eximuntur Mendicantes : etiam pro beneficiis unitis et pro reditibus excedentibus eorum manutentionem : *Ibid.*, §§ 2 et 5.

Cum non prohibeantur Mendicantes possidere bona in communi; nec Concilium Tridentinum, nec Romanum dictæ taxæ onus extendit ad Mendicantes : *Ibid.*, § 4.

Mendicantium autem nomine veniunt Fratres Ordinis Prædicatorum, Conventuales, Eremitæ S. Augustini et Carmelitæ, necnon Fratres Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis, atque religiosi Societatis Jesu : hospitalarii vero S. Joannis de Deo gaudent privilegio Mendicantium : *Ibid.*, §§ 2, 6, 8.

Inefficax tamen est ad effectum exemptionis participatio privilegiorum : *Ibid.*, § 8.

Sunt insuper exempti a contributione taxæ pro seminario regulares habentes privilegium expressum sub titulo vere oneroso : *Ibid.*, § 3.

Ac propterea eximuntur Patres Cœlestini, qui sunt de undecim congregationibus prædictis : *Ibid.*, § 10.

Collegia quoque, in quibus seminaria discentium vel docentium ad commune Ecclesiæ bonum promovendum actu habentur, exempta sunt a taxa : *Ibid.*, § 6.

Intellige tamen de collegiis secularium non de collegio regularium, in quibus, dempto salario lectorum, taxa debetur pro reliquis fratribus : *Ibid.*, § 7.

Hospitalia mere laicalia pariter eximuntur a taxa, non autem ea quæ dantur in titulum vel commendam : *Ibid.*, § 8.

Legata pia cum onere Missarum eximuntur etiam a taxa pro seminario : *Ibid.*, § 7.

Dummodo non sint in reditu capituli : *Ibid.*, § 16.

Sicuti etiam eximuntur distributiones, quando in eis non consistunt omnes reditus; quo casu eximeretur solum tertia pars : *Ibid.*, §§ 15 et 16.

Moniales vero exemptæ non sunt a taxa seminarii, nisi adeo pauperes sint ut non contribuant decimis papalibus : *Ibid.*, §§ 10 et 11.

Contribuunt quoque taxæ pro seminario beneficia omnia, etiamsi sint jurispatronatus : *Ibid.*, § 17.

Licet beneficia, quorum reditus non excedunt annuos septem florenos auri, non contribuant decimis papalibus, nisi unus plura possideat beneficia, quorum reditus simul uniti excedant dictam summam : *Ibid.*

Et pro contributione taxæ seminarii attenditur titulus beneficii, et non situatio bonorum : *Ibid.*, § 6.

Confectio taxæ ab auctoritate legitima peracta, et absque deputato cleri, et in qua liberantur a contributione mensa episcopalis, capitulum et clerus, contra expressum jus est : *Tran.*, *Tax.*, 3 *mart.* 1765, § 9.

Legata cum onere Missarum contributioni subjici nequeunt : *Ibid.*, § 11.

Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 18, disponit ut Episcopi cum consilio duorum de capitulo et duorum de clero civitatis ex fructibus integris mensæ episcopalis, capituli et omnium beneficiorum aliquam portionem detrahent, et seminario applicabunt : *Ibid.*, § 13.

Beneficiorum fructus pro seminarii manutentione taxantur ad tria pro quolibet centenario, et si necessitas urgeat, augentur usque ad summam scut. quinque pro quolibet centenario : *Ferr. seu Set.*, *Tax.*, 17 *jun.* 1752, § 2.

Pro ejusmodi taxa tenentur etiam pensionarii, contra quos potest titularis agere : *Ibid.*, § 3.

Inter reditus beneficii seu abbatiæ computantur bona alibi existentia : *Ibid.*

Regulares exempti sunt ab hujusmodi taxa pro iis tantum beneficiis et fructibus quorum ratione ipsis Sedes Apostolica ex causa vere onerosa exemptio indulsit; secus, si reditus monachis et regularibus pro congrua portione adsignati sunt : *Ibid.*, § 4.

Taxa pro seminario respondere debet summæ scutorum trium pro quolibet centenario, et, urgente necessitate, augetur ad rationem scut. quinque : *Tar.*, *Contr.*, 18 *mart.* 1747, § 2.

In jure adnotandum est, ut, sicuti religiosi ordinum mendicantium, itidemque ii quibus eorum privilegia communicata fuerunt, oneri taxæ pro seminario non subjiciuntur : *Set.*, *Tax. sem.*, 24 *sept.* 1735, § 4.

Beneficiati ad taxæ solutionem adigi debent etiam per censuras ecclesiasticas, et alia juris remedia, invocato quoque, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus privilegiis, consuetudine

immemorabili, et quavis appellatione, quæ executionem impediat : *Inter.*, *Tax. sem.*, 11 *maii* 1720, § 3.

Beneficia, monasteria, hospitalia et alii quicumque loci pii licet exempti, juxta sacr. Conc. Trid., sess. 23, cap. 18, *de Refor.*, subduntur taxæ seminarii : *Vel.*, *Tax. sem.*, 24 *apr.* 1723, § 3.

Ab eodem sacro Concilio eximuntur seminaria discentium vel docentium, ad commune Ecclesiæ bonum promovendum ; quæ verba dicunt, respicere collegia secularia, non regularia : *Ibid.*, § 7.

Mendicantes sunt ab hac contributione exempti : sed horum exemptio non prodest pro beneficiis quæ Mendicantibus unita sunt, licet in eorum monasteriis habeantur lectiones grammaticæ, et casuum conscientiæ : *Ibid.*, § 4.

Urbanus VIII decrevit ut si aliqua ex beneficiis unita subinde fuissent alicui capitulo, capitulum a die unionis teneretur solvere taxam seminario Romano : *Ibid.*, § 5.

Contributioni pro seminario subjiciuntur etiam abbatiæ et prioratus cujuscumque ordinis etiam regularis, et excipiuntur monasteria Mendicantium, Fratres S. Joannis Hierosolymitani, sed Fratres Mendicantes ex reditibus beneficiatorum monateriis annexorum contribuere tenentur seminario : *Major.*, 10 *mart.* 1727, § 4.

S. Concilium Tridentinum videtur comprehendere capellanias laicales in taxa seminarii : *Senog.*, *Tax. sem.*, 6 *dec.* 1794, § 3.

Multo magis constitutio *Creditæ Nobis* Benedicti XIII : *Ibid.*

Reditus enim capellaniarum laicalium, ob adnexa Missarum onera, dici valent ecclesiastici : *Ibid.*

Verius tamen laicales capellaniæ, veluti consimiles simplici legato Missarum, immunes sunt a taxa seminarii : *Ibid.*, § 4.

Parochi ceterique beneficiati ex suorum beneficiorum reditibus tenentur taxam seminario contribuere : *Mil.*, *Tax. sem.*, 6 *dec.* 1738, § 3.

Et taxa seminarii non debet esse minor tribus scutis pro centenario, nec major scutis quinque : *Ibid.*, § 6.

Seminario indigenti augendi sunt reditus : *S. Sever. seu Sept.*, *Sem.*, 12 *mart.* 1796, § 7.

Ex fructibus nempe episcopalis, capituli, abbatiarum aliisque ecclesiasticis reditibus : *Ibid.*

Non tamen ex reditibus locorum piorum laicalium, ut sunt sodalitia et montes frumentarii, nisi alia deficiant media : *Ibid.*

Beneficii titulus attenditur pro contributione taxæ seminarii, non vero locus existentiæ bonorum : *Tran*, *Tax.*, 14 *maii* 1761, § 7.

Nemo ex beneficiatis contribuere pro taxa tenetur, nisi ex reditibus qui ex congrua sui manutentione supersunt : *Aux.*, *Moder. tax.*, 18 *sept.* 1773, § 7.

In favorem taxæ nequeunt taxari legata pia Missarum, neque uniri reditus in alios usus convertendi ex voluntate testatoris : *Fer.*, *Ben.*, 16 *jan.* 1762, § 9.

Ad taxam seminarii titulus, non bona, spectandus est, et ubi titulus, ibi solvendum est : *Surr.*, *Tax.*, 21 *nov.* 1750, § 2.

Ad Episcopum solum spectat de taxæ seminarii congruitate inquirere : *Vel.*, *Tax. sem.*, 16 *mart.* 1771, § 6.

Nemo est exemptus a solutione taxæ seminarii, etiamsi fuerit familiaris pontificis, nisi in privilegio fiat expressa derogatio dispositionis Concilii Trid. : *Rom.*, *Tax. sem.*, 24 *jul.* 1784, § 2.

Idque fortius observatur post editam const. Benedicti XIII *Creditæ Nobis*, in qua ad solutionem hujusmodi taxæ adiguntur etiam familiares pontificis : *Ibid.*

Lim. : hæc autem constitutio edita est per organum S. Congr. Concilii, et illam postmodum derogavit Clem. XIII, quando suis familiaribus privilegia concessit : *Ibid.*, § 4.

Nam, demandata erectione seminarii a Concilio Trid., in quo clerici ecclesiasticis disciplinis instituerentur, modus est etiam pærfinitus quo tam necessaria ac proficua institutio suam haberet firmitatem : *Ibid.*, § 6.

Et ideo, sess. 23, cap. 18, *de Refor.*, mandatur ob fabricam, mercedem præceptorum, ministrorum, et alendam juventutem, ut ex reditibus mensæ episcopalis, capitulorum, ac beneficiorum, omniumque locorum piorum certa portio detraheretur seminario applicanda : *Ibid.*

Ad formam Concilii seminarium erexit in Urbe Pius IV, et taxam præfinivit, quæ a clero foret solvenda pro illius manutentione ; confirmavitque Urbanus VIII : *Ibid.*

Bened. XIII const. *Creditæ Nobis* omnes etiam privilegiatos adegit ad solutionem taxæ seminarii : *Ibid.*, § 9.

Juxta dictam constitutionem emanavit etiam instructio a S. Congr. Concilii, qua omnes pariter privilegiatos ad solutionem prædictam teneri decernitur : *Ibid.*

Clemens XIV concedendo plurima privilegia familiaribus pontificiis, exemit ab oneribus etiam institutionis seminarii ecclesiastici : *Ibid*, § 11.

Senectus.

Physici volunt ut ætas senilis post mediam et constantem a juventute, in an. 50, incipiat : *Barch.*, 28 *sept.* 1765, § 22.

Senectus enim, ait Cicero, hoc habet præclarum munus, si quidem id aufert quod est etiam in adolescentia vitiosissimum : *Ibid.*, § 21.

S. Hieronymus : Senectus, ait, ab impudentissimis liberat voluptatibus, libidinis frangit impetus : *Ibid.*

Secundum juristas ætas senilis in fœmina 60 annos requirit ; in viris ætas 70 annorum, nempe Davidis senis, necessaria existimatur : *Ibid.*, § 23.

Verum senectus proprie non annorum numero computatur ; persæpe in vegetioribus tarde senectus est : *Ibid.*, § 24.

Unde a valetudine, a viribus, ab arctæ vitæ consuetudine æstimanda res est, et prudenti judicis arbitrio relinquitur, secundum juristas : *Ibid.*

Senilis ætas. Vide *Ætas*, § II.

Senior canonicus. Vide *Canonicus*, § VIII.

Sententia.

Ad sententiam tuendam legitima est præsumptio justitiæ : *Brach.*, 7 *jun.* 1788, § 3.

Vel justa saltem dici potest pro parte, quum sententia pro parte utili sustineatur : *Ibid.*

Sententia nulla est ob neglectam citationem : *Brach., Rest. in int.*, 20 *apr.* 1793, § 6.

Sententia declaratoria nulla est ex defectu citationis, quæ præcedere debebat : *Imol., Ben.*, 23 *apr.* 1768, § 12.

Ita ut sententia nulla ex defectu citationis, ne per commissionem quidem, vel alio modo, sanari potest : *Ibid.*

Sententiæ prolatæ absque ulla citatione rei procuratoris et promotoris fiscalis aperta est nullitas : *Neap. seu Boj.*, 12 *dec.* 1767, § 11.

Imo injusta etiam undique ea est, quum ex 11 fiscalibus testibus sex fœminæ essent, eæque pravæ famæ, lenocinium exercentes, nulla fide dignæ : *Ibid.*, § 12.

Insuper si earumdem depositiones falsæ sint, contradictoriæ, inverisimiles et suggestivo modo extortæ : *Ibid.*

Ex ceteris vero quinque testibus si duo sint impuberes, penitus spernendi in criminalibus : *Ibid.*, § 13.

Sententia in causa omnino simili seu in eadem quæstione adversus unum contradictorem legitimum emanata statum facit contra omnes æquale jus habentes, perinde ac si citati omnes auditique fuissent : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 10.

Accedente rationabili causa non parendi, quantumvis colorata, vetitum a jure est ad sententiam declaratoriam devenire : *Im., Ben.*, 23 *apr.* 1768, § 3.

Præsertim si non evenerit recusatio, sed judicio S. Congr. Concilii submissio facta : *Ibid.*

Sententia lata a judice, ac in auctoritatem rei judicatæ transacta, a quavis obligatione et onere solvit : *Reg.*, 31 *mart.* 1770, § 3.

Nullius roboris est sententia ab extero tribunali lata, nisi transportatis actis : *Brix., Can.*, 18 *sept.* 1790, § 6.

Sententia lata contra formam transactionis, et absque nova citatione personali post transactionem necessaria, nulla est : *Fav., Coadj.*, 22 *jan.* 1763, § 9.

Sententia irrita et nulla est, quando lata est a judice laico super re ecclesiastica : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 23.

Et quando edita est a vice-gubernatore quem gubernator delegatus non poterat subdelegare : *Ibid.*

Item non officit contumacialis sententia, quando hæc nullam sententiam confirmavit : *Ibid.*

Separatio. Vide *Bona ecclesiastica*, § III.

Separatio thori. Vide *Matrimonium*, § XXII.

Sepeliendi jus. Vide *Ecclesia in genere*, § III.

Sepultura.

§ I.

Sepultura quoad constructionem.

Textus in leg. *Si quis sepulcrum*, ff. *de Relig. et sump. fun.*, locum habet in ecclesia, seu sepulcro jam constructo, non autem in construendo, cujusmodi de tempore intentati retractus, ecclesia et oratorium nondum erant ædificata : *Rom., Conc.*, 19 *jun.* 1706, § 4.

In jure adnotatur quod unicuique, præsertim fundatori seu benefactori ecclesiæ, et signate piis laicorum societatibus, ex justa et legitima causa, et salvis juribus parochialibus, potest Episcopus tribuere facultatem extruendi sepulcra pro suis confratribus in propriis ecclesiis aut oratoriis : *Nusc., Sep.*, 19 *nov.* 1735, § 4.

§ II.

Sepultura quoad electionem.

Sacri canones jus eligendi sepulturam unicuique generatim concesserunt : *Viter., Jur. tum.*, 10 *maii* 1766, § 15.

Non electa tamen sepultura, statuerunt cuicumque ecclesiæ præferendam esse eam in qua sepulcrum majorum esset : *Ibid.*, § 16.

Qui, habens in civitate domicilium, decedat in villa, ubi recreationis causa moratur, non electa sepultura, humatur in parochiali ecclesia domicilii,

vel in ea potius in qua majorum ipsius ab antiquo sepulcrum extitit : *Ibid.*, § 17.

Apud antiquos, de communi voto apud suos majores sepulcrum habendi mos fuit : *Ibid.*, § 34.

Apud pristinæ legis patriarchas, solemne hoc erat ut apponeretur apud patres suos : *Ibid.*, § 35.

Jacob moriens præcepit filiis ut cum patribus suis sepeliretur : *Ibid.*

Ipse Joseph moriens adjuravit fratres ut asportarentur ossa sua cum illis : *Ibid.*

Tobias dixit filio ut suum corpus sepeliat, et cum suo ponet illud uxoris in uno sepulcro : *Vit., Jur. tum.*, 10 *maii* 1766, § 36.

Imo pro maledicto apud ipsos habebatur in sepulcro majorum non condi : *Ibid.*

Electio spontanea sepulturæ permissa est omnibus Christifidelibus absque ullo discrimine sexus, gradus et conditionis, tam in propria parochiali ecclesia quam extra illam ; secus autem, si facta sit aliorum quibuslibet suasionibus : *Alex., Fun.*, 13 *jul.* 1743, § 6.

Adde etiam sustineri dictam electionem non solum pro aliquo, ut dici solet, in individuo, sed etiam pro tota familia factam ; ita ut in familiari sepulcro sepeliendi sunt omnes ejusdem familiæ, qui aliud non elegerint sepulcrum, soluta tamen parocho canonica portione : *Ibid.*

Permissum est cuique in benevisa ecclesia sepulturam eligere, et in casu electionis alterius ecclesiæ unice parocho quartam funerum deberi : *Fav., Funct.*, 3 *apr.* 1773, § 6.

Quum agatur de electione sepulturæ tacita, vel præsumpta, parochiali nativum jus habenti prævalet ex canonum lege sepulcrum familiæ : *Viter., Jur. tum.*, 10 *maii* 1766, § 27.

Præsumptio est enim unumquemque ad veterem totius familiæ voluntatem se conformasse : *Ibid.*

Et hoc adeo verum est ut priscum familiæ et ascendentium sepulcrum ipsi novo paterno sepulcro sit præferendum : *Ibid.*

Hinc sepulcro familiæ præfertur sepulcrum proprium officii et simul collegiatæ societatis ecclesiasticæ : *Ibid.*, § 28.

Voluntati familiæ prævalet voluntas quæ propria morientis legitime existimatur : *Ibid.*

Et ratio adducitur, quod non in familia, sed in societate sponte et proprio libito ingreditur, et ejus leges libere adoptantur : *Ibid.*

Electio sepulcri ad suggestionem clericorum, sive regularium, sive secularium, facta in ipsorum ecclesia, nequaquam sustinetur : *Alex., Fun.*, 13 *jul.* 1743, § 9.

Idque procedit, quanquam simplices suasiones intercesserint : *Ibid.*

Sodales possunt in eorumdem confraternitatum ecclesiis, seu oratoriis sepulturam sibi eligere, si in eis sepulcrum pro confratribus legitime constructum fuerit, ibique ipsorum cadavera, soluta parocho quarta funerum, sunt tumulanda : *Nus., Sep.*, 19 *nov.* 1735, § 5.

Licet patri eligere pro filiis impuberibus sepulturam, si id habeat loci consuetudo : *Aq., Jur. elig. sep.*, 19 *aug.* 1752, § 1.

Ampliatur, ut pater possit pro filiis impuberibus eligere sepulcrum in quacumque ecclesia etiam regularium : *Ibid.*, § 2.

Quod liceat patri pro filio pubertatem non ingresso sepulcrum eligere, conveniunt omnes doctores, et consentanea sunt Sacrarum Urbis Congreg. decreta, necnon statutum cleri Romani : *Reat., Jur. tum.*, 10 *mart.* 1770, § 2.

Hinc infertur, innixam juri deprehendi libertatem deferendi ad sepulcra gentilitia filiorum cadavera in infantili ætate decedentium : *Ibid.*

Pater potest eligere sepulturam pro filio impubere extra propriam parochiam, si tamen id ferat loci consuetudo : *Alex., Fun.*, 13 *jul.* 1743, § 8.

Quæ autem consuetudo requiratur, concors non est doctorum sententia : aliqui quadragenariam exigunt, alii decennalem sufficere : *Ibid.*

Et hæc facultas non competit patri post obitum filii : *Ibid.*

Electio sepulturæ in ecclesia monialium non legitima, atque irrita fuit, quod non licet in monialium ecclesiis eligere sepulcrum, neque etiam a puellis, quæ in monasterio educantur : *Brut. seu Nul. S. Ruf., Jur. par.*, 31 *maii* 1766, § 2.

Cum in parochiali ecclesia omnino sint tumulandæ, etiamsi a capellano monasterii Sacramenta receperint : *Ibid.*

Fideles, ne sui hæredes gravioribus impensis onerentur, retrahuntur ab electione sepulcri in ecclesia regularium : *Hor., Fun.*, 3 *apr.* 1745, § 5.

Eligi olim sepulcrum non poterat, nisi in ecclesiis parochialibus earumque cœmeteriis : *Viln., Sep.*, 15 *dec.* 1792, § 5.

Libera tamen hodie est cuique, etiam fœminæ, sepulcri electio, dummodo in legitima sit ætate, et a jure non prohibeatur : *Ibid.*

Atque eligi valet in regularium etiam ecclesiis : *Ibid.*

Uxor, decedens nulla sibi electa sepultura, debet in viri sepulcro tumulari : *Ibid.* et § 14.

Quos enim copulavit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum : *Ibid.*, § 5.

An vero idem ferendum sit judicium de viro, si præcederet uxor, num scilicet cum uxore et in sepulcro ab ea electo sit tumulandus, una non est doctorum opinio, atque intelligentia textus in can. *Ebron.* : *Ibid.*

In citato tamen canone sermo est de præexistentia unius conjugis sepulcri : *Ibid.*, § 6.

Ideoque conjugii ratio fert, ut in eo superstes conjux *cum compleverit tempus suum* collocetur : *Ibid.*

Exhumandum est cadaver alibi tumulatum, ac restituendum una cum oblationibus, ubi legitime electa fuit sepultura : *Ibid.*, § 3.

Sepulturæ electionem suggerere in propria ecclesia prohibetur a synodo diœcesana : *Civit. Cast., Fun.*, 20 *nov.* 1762, § 1.

Ad quem effectum, prohibetur omnibus, præter parochum, interrogare infirmum super electione sepulturæ : *Ibid* , § 5.

Et parochus etiam potest solus in genere, non autem in specie, interrogare infirmum super sepulcri electione : *Ibid.*

De jure tamen sub pœna excommunicationis prohibetur solum religiosis et secularibus clericis inducere aliquem ad eligendam sepulturam in eorum ecclesia irrevocabiliter : *Ibid.*, § 7.

Ita ut pœna prædicta locum non habeat, si promissio non sit irrevocabilis : *Ibid.*

Minusque locum habet quoad laicos, vel etiam quoad ecclesiasticos, electionem irrevocabilem sepulturæ suadentes in aliena ecclesia : *Ibid.*

Quæ prohibitio respicit favorem libertatis morientium : *Ibid.*, § 8.

Ceterum, simplex suggestio electionis sepulturæ prohibita non est : *Ibid.*

Nec laicis præsertim prohiberi potest ab Episcopo in synodo diœcesana : *Ibid.*

Cum nequeat in synodo statuere aliquid contra jus : *Ibid.*

Ad probandam sepulturæ electionem duos testes sufficiunt : *Sor., Fun.*, 24 *apr.* 1723, § 2.

Electio sepulturæ satis superque probata est ex affirmatione duarum monialium, ac medici et confessarii, cum sola confessarii sufficeret : *Brict. seu Nul. S. Ruf., Jur. par.*, 31 *maii* 1766, § 5.

Receptum in jure est, ut electio sepulturæ simplici testium depositione tametsi in scripturam non redacta satis probetur ; *Senog., Fun.*, 11 *apr.* 1739, § 3.

Hinc testes recipi debent deponentes de sepulturæ electione, ne secus libertas eligendi sepulcrum, sive in ecclesia regularium, sive in aliis extra parochialem, indirecte coerceatur contra Apostolicas constitutiones : *Ibid.*

§ III.

Sepultura quoad retentionem.

A Rituali Romano, tit. 6, cap. 6, ecclesiis tantum parochialibus injunctum est præceptum retinendi sepulcra pro infantibus : *Reat., Jur. tum.*, 10 *mart.* 1770, § 4.

Hoc autem jus acquirendi sepulcrum pro se et familia concedi debet ab Ordinario : regularibus autem ex privilegio tributum est, ut illud in suis capellis et cœmeteriis (nisi peculiari constitutione prohibeantur) concedere queant, dummodo reapse sepulcrum a petente ædificetur : *Alex., Fun.*, 13 *jun.* 1743, § 7.

Si tamen ageretur de concessione sepulcri in capella jam constructi, sive de privativo ejus usu, tunc, præter legitimum concedentis consensum, Apostolico quoque beneplacito opus est : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Cadaver*, § v.

Servanda consuetudo. Vide *Consuetudo*, § xi.

Servitium chori.

Quando alternativa servitii chori approbata non fuit a Sac. Congreg. Concilii, servire debetur quotidie ad præscriptum Sac. Concilii Tridentini, sess. 24, cap. 12, *de Reform.* : *Nerit., Plur.*, 7 *jun.* 1760, § 9.

Nihil aliud est chorus quam multitudo concinentium : *Terr.*, 28 *apr.* 1770, § 9.

Commiseratione dignus est qui infirmus est, cum sacri canones vitio corporis impeditos excusent, etiamsi non fecerint primam residentiam : *Crem., Ind.*, 12 *jul.* 1760, § 5.

Multoque magis si non valeat sacras functiones juxta rubricam, ob vitium corporis, peragere, quas explere nequiret sine evidenti periculo gravioris morbi et acerbissimi doloris, quod minime sacri canones exigunt : *Ibid.*

Tenuitas redituum justam præbet causam reductionis chori servitii : *Æsin., Red. ser. ch.*, 27 *aug.* 1791, § 4.

Præsertim quando orator est de genere patronorum, cui favet præsumpta fundatoris voluntas : *Ibid.*

Distantia mille quingentorum passuum difficilis, et cœno obrutæ viæ legitimam præbent a personali servitio excusationem : *Imol., Lap.*, 8 *aug.* 1761, § 3.

Satis abunde obligatio inserviendi ecclesiæ colligitur per eum qui per duodecim annos ab se in ecclesiæ ministerio, ac plurium mensium in subdiaconi officio impendit operam, perque diuturna in publicis athenæis jurisprudentiæ studia, quibus ecclesiæ quisque suæ reapse inservire censetur : *Ost., Adm. ad par.*, 18 *maii* 1743, § 12.

Seposito privilegio, nec immemorabilis, nec constitutiones capitulares suffragantur ad acquirendam quoquo modo exemptionem a servitio ecclesiæ

contra formam præscriptam a Concil. Trident., sess, 24, cap. 12, *de Reform.* : *Barch.*, *Jub.*, 19 *apr.* 1760, § 3.

Infirmitas corporis justam causam præbet non inserviendi sine ulla fructuum diminutione : *Cam.*, 21 *jun.* 1766, § 13.

Etiam improbata quacumque consuetudine, vel statuto, quo absentes lucrabantur quotidianas distributiones : *Ibid.*, § 14.

Reliqua. Vide *Beneficiati*, § x ; *Canonici*, § xiii ; *Capellanus*, § ix ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § iii ; *Mansionarius*, § iii.

Servitium chori quoad indultum absentandi. Vide *Dispensatio*, § iii.

Servitus.

Servitutes in ecclesiis imponere prohibent ipsamet jura civilia : *Spol.*, 24 *jun.* 1784, § 3.

Pressius tamen id vetant sacri canones, et Summorum Pontificum constitutiones : *Ibid.*

Clemens V Pont. Max. præcepit regularibus, ne in eorum ecclesiis fenestras aperiant ex qua seculares divina officia audire possent : *Ibid.*

S. Pius V, anno 1566, constituit ut in Urbe clauderentur omnes fenestræ, quæa secularium domibus in ecclesiis prospectum haberent : *Ibid.*

In executionem dictæ constitutionis, card. Sabellius Urbis vicarius edictum edidit, ut debeant quæcumque fenestræ domorum vicinarum ecclesiis removeri, obturari : *Ibid.*

Quamvis S. Pius V disposuit pro Urbe tantum, nihilominus factum inde est, ut hujusmodi servitutes indistincte in omnibus ecclesiis etiam extra Urbem vetitæ sunt : *Ibid.*, § 4.

S. C. Episcoporum et Regul. decrevit, non licere privatis personis habere, ac retinere fenestras prospicientes in ecclesias contiguas habitationi : *Ibid.*

Et facultas hujusmodi servitutis denegata fuit etiam magnatibus, quamvis essent domini alicujus oppidi, ubique jurisdictionem temporalem exercerent : *Ibid.*, § 5.

Atque ratio est, quia jus habendi fenestras in ecclesia non dicitur jus honorificum, sed servitus ecclesiæ : *Ibid.*

Et jus honorificum non versatur in imponendo servitutem ecclesiæ, sed in præeminentiis et prærogativis circa locum, salutationes et alimenta in casu paupertatis : *Ibid.*

Ecclesiarum patrono tamen aut alicui insigni benefactori indultum conceditur aperiendi fenestram seu januam, ut ex propria domo prospectum, seu accessum habeant ad ecclesiam, dummodo tamen in actu fundationis hoc jus sibi reservaverit : *Ibid.*, § 6.

Servitus juris patronatus ecclesiæ imponenda non est, quum vera sit alienatio, ac sub interdicto cadat : *Par. Jul*, 6 *aug.*, § 7.

E contiguis laicorum ædibus prohibetur non solum transitus, verum etiam prospectus in ecclesiam : *Eug.*, 2 *jun.* 1736. § 7.

Servus Dei.

Ex monito S. Augustini non est danda via servis Dei, ut facilius putent eligi ad aliquod melius, si facti fuerint deteriores : *Alex. Irr.*, 3 *dec.* 1740, § 7.

Severitas.

Detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat : *Diss.*, *Sup. matr.*, 1740, in fin. disc. 1, num. 3.

Multa sunt quæ, aut pro necessitate temporum, aut consideratione ætatum, oportet temperari : *Ibid.*

Simonia quoad probationem.

Cautum semper in Ecclesia fuit, ut a sanctuarii ministris Spiritus sancti dona, quæ gratis data sunt absque ullo pretio, pactione vel contractu fidelibus distribuerentur : *Fer.*, *Vis. SS. LL.*, 16 *mart.* 1782, § 4.

In cap. *Cum Ecclesia*, 9, *de Simonia*, ne igitur de cetero fiant, vel pro personis ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, benedicendis nubentibus, seu aliis sacramentis conferendis, seu collatis aliquid exigatur districtius prohibetur : *Ibid.*

Item prohibitum est, ne quod invisibilis gratiæ consolatione tribuitur, quæstibus, vel quibuslibet præmiis venumdari penitus debeat : *Ibid.*, § 5.

Item vetitum est pecuniam recipere pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut collatione Chrismatis, vel promotionibus graduum : *Ibid.*

A simonia plurimum abhorruit Ecclesia : *Bon.*, *Null. elec.*, 24 *jan.* 1784, § 7.

S. Petrus acriter redarguit audaciam Simonis Magi, qui Spiritus sancti dona pretio consequi præsumpsit : *Ibid.*

Omnes successores divi Petri pari constantia et zelo hoc scelus objurgarunt : *Ibid.*

Hinc simoniaci dignitatibus et beneficiis privantur, aliisque ecclesiasticis pœnis plectuntur : *Ibid.*

Committitur simonia, si in electione ad ecclesiastica beneficia, electorum suffragia pecunia vel alia re temporali quis comparare studeat : *Ibid.*

Et simoniaca est electio, non modo cum pecunia

omnibus electoribus, sed etiam quando uni tantum promittitur : *Ibid.*

Quæstio est, an provisio beneficii simoniace facta sit ipso jure nulla, nedum in casu quo promissio ab utraque parte completa fuerit, verum etiam quando pecuniæ conventæ traditio ante electionem non est secuta : *Ibid.*, § 8.

Et concluditur veram esse sententiam eorum qui tenent, quod provisio, collatio, seu alia dispositio beneficii per simoniacam conventionem facta sit nulla, etiamsi promissio temporalis, seu conventio, et pacta non sint executa : *Ibid.*

Atque disposita a Paulo II etrav. *Cum detestabile*, ver. *Per electiones vero inter com.*, ad solam simoniam realem ex utraque parte completam absque manifesta violentia restringi non possunt : *Ibid.*

Ac dubium est exortum, an electio simoniaca dici debeat, quando præmium electoribus promittitur, inscio ipso eligendo : *Ibid.*, § 9.

Cœlestinus III respondit ut, nisi constet illos qui promissum tale fecerunt, per fraudem, in dispendium illius qui eligendus erat, id malitiose fecisse, simoniaca sit electio : *Ibid.*

Et quoad probationem qualitatum in materia simoniæ, illæ duntaxat exceptiones admittendæ sunt, quibus forte probatis, testes non zelo justitiæ, sed malignitatis fomite processisse constet : *Ibid.*, § 10.

In simoniæ labem ejusque pœnas nedum offendit qui pro beneficio obtinendo quid temporale collatori et patrono præstat : *Aur.*, 9 *april.* 1785, § 6.

Verum etiam qui temporale quidquam tradit alicui justam contradicendi causam præ se ferenti, ne contradicat : *Ibid.*

Quod et procedit, si tertius in illius favorem simoniace contractasset, ipso tamen sciente et non dissentiente : *Ibid.*

Simoniæ reus minime censetur, qui contradictori injusto quid solvit sive præstat ut venerationem sibi redimat : *Ibid.*, § 7.

Sed duo in id occurrant oportet : *Ibid.*

Quod injusta sit contradictoris oppositio, quodque solvens jus quæsitum habeat in re, hoc est in beneficio, non tantum ad rem, seu ad beneficium : *Ibid.*

Certi juris est quod, sicut in præsentatione ad beneficium non licet absque simoniæ crimine quidquam justo contradictore præstare ut a contradictione discedat, ita licet, ex opposito, si cum injusto contradictore res sit : *Rav.*, 7 *maii* 1785, § 6.

Simonia infecta est acquisitio jurispatronatus pecunia : *Mac.*, 21 *jun.* 1788, § 3.

Gravissimum crimen simonia semper fuit reputata : *Caur.*, *Cens.*, 9 *jul.* 1774, § 6.

Et nil mirum, si ad extirpandam simoniam severissimæ leges omni ætate editæ comperiantur : *Ibid.*

Verum diversis temporibus multis fraudibus obtecta simonia fuit, et ab hominum malitia sub pallii velamine commissa : *Ibid.*

Et S. Pius V pœnas contra committentes simoniam confidentialem constituit : nempe privationem beneficiorum, fructuum restitutionem, inhabilitationem ad beneficia et excommunicationem Summo Pontifici reservatam : *Ibid.*

Atque ob ignorantiam facti alicujus promoti simoniace caret quis ordinis executione, et tenetur beneficium resignare, non autem fructus consumptos restituere : *Ibid.*, § 7.

Simonia committitur per conventionem : *Do ut des : Mac., Jur.*, 18 *jul.* 1795, § 5.

Secundum aliquos vendi potest absque simonia juspatronatus capellaniæ laicalis : *Ibid.*, § 7.

Ex veriori sententia tamen, simoniaca est hujusmodi venditio ob adnexum opus spirituale : *Ibid.*

Reservatio beneplaciti Apostolici excusat a simonia : *Ibid.*, § 5.

Simoniacus est in rebus beneficialibus contractus : *Do ut des : Null. S. Jac. de Spata.*, 21 *apr.* 1792, § 2.

Ideoque resignans beneficium, ut sibi detur illius fructus absque licencia Sedis Apostolicæ, simoniam confidentialem committit : *Ibid.*

Et nedum privatur beneficio et fructibus, sed incurrit quoque excommunicationem Summo Pontifici reservatam : *Ibid.*

Neque excusari valet ob ignorantiam juris : *Ibid.*

Mereri tamen potest absolutionem a censuris, et fructuum condonationem, si bona fide contraxerit : *Ibid.*

Licita autem est resignatio beneficii cum reservatione omnium fructuum, ex auctoritate Summi Pontificis facta : *Ibid.*, § 3.

In beneficialibus, actus reciproci, videlicet : *Facio ut facias*, vel : *Do ut facias*, inducunt simoniam : *Trid.*, 20 *sept.* 1788, § 5.

Hinc simoniaca videri potest cessio ecclesiastici beneficii, et correspectiva eleemosynæ Missarum, ac sumptuum litis promissio : *Ibid.*

Aliquid profecto dare licet ad injustam redimendam vexationem : *Ibid.*

Recessus a lite et beneplaciti Apostolici reservatio sunt circumstantiæ quæ simoniam excusant : *Ibid.*, § 6.

Simoniaca non est cessio beneficii, ob quam judex compromissarius solvi mandavit certam pecuniæ quantitatem cedenti : *Cam.*, *Concor.*, 23 *apr.* 1796, § 5.

Quia solutio pecuniæ non ex pactione partium

processit, sed ex jussione judicis pro bono pacis et utilitatis : *Ibid.*

In beneficialibus, actus reciproci, videlicet : *Facio ut facias*, vel : *Do ut facias*, inducunt simoniam : *Tol., Ap. ben.*, 20 *mart.* 1790, § 9.

Recessus vero a lite licitum reddit pactum : *Ibid.*

Demissio beneficii in favorem certæ personæ, et sub reservatione jurium, nisi in manibus fiat Summi Pontificis, simoniaca est : *Terr. seu Set., Cap.*, 19 *sept.* 1789, § 4.

Ideoque subreptione caret illius expositio absque mentione conditionis : *Ibid.*

Quisquis beneficium ecclesiasticum per simoniam obtentum, ante omnem judicis sententiam, una cum fructibus tenetur dimittere quamprimum noverit collationem fuisse sibi simoniace factam : *Salut., Benef.*, 3 *sept.* 1740, § 3.

Nisi forte in proviso per simoniam concurrisset gnorantia facti inculpata, et pacifica beneficii possessio ad triennium bona fide protracta : *Ibid.*

Capellaniæ laicales, quæ onus habent Missarum annexum, esse possunt simoniæ subjectæ, si non de jure divino, saltem de jure ecclesiastico : *Ibid.*, § 4.

Negativam alii sententiam tenent, ita ut pactiones circa capellanias laicales initæ esse possunt illicitæ et irreligiosæ, sed non simoniacæ : *Ibid.*

Pactiones in beneficiis, sive simplicibus, sive curatis, sunt prohibitæ et simoniacæ, non contra jus divinum, sed contra jus humanum : *Pamp., Conf. conc.*, 15 *maii* 1723, § ult

Et multo magis quando agitur de jure præsentandi, quod in se spirituale dici non potest, sed spiritualibus annexum, consequenter et in quo licet simonia sibi possit locum vindicare, id tamen procedit quoad simoniam non juris divini, sed juris positivi : *Ibid.*

Quando fit collatio beneficii in favorem ejus qui bona sua matrimonialia contulit pro illius dote, et quidem cum pacto præcedenti ut illud dotanti conferatur, committitur simonia : *Cæsen.*, 15 *maii* 1723, § 8.

Intercedente autem Apostolica auctoritate, cessare dicitur quæcumque simoniaca labes, nec consimilis Apostolicæ beneficentiæ desunt exempla : *Ibid.*, § seq.

Qui sua bona largitur, apppsito pacto ut vel ipse, vel alius ab eo nominandus, beneficium obtineat, simoniam committit : *Mont. Reg.*, 2 *dec.* 1724, § 4.

Verum quum hæc simonia sit juris ecclesiastici, sanari potest, intercedente Summi Pontificis auctoritate, et eo fortius si non versetur in beneficio curato simplici : *Ibid.*, § 4.

Quod spectat ad articulum simoniæ vel illicitæ exactionis in casu dotium quæ a monialibus persolvuntur monasteriis occasione professionis, ille ob pluralitatem quæstionum, nec non canonum et doctorum de eo tractantium, dicitur intricatissimus a Gibalino *de Simonia*, quæst. 18, consect. 9 : *Bon.*, 14 *apr.* 1725, § 5.

Sed communissima et recepta esse videtur sententia, ut vera committatur simonia, quando fit pactio dandi dotem vel aliquid aliud monasterio, sive diviti, sive pauperi, tanquam pretium ingressus in religionem vel professionis. Sed quando fit pactio dandi dotem vel aliquid aliud monasterio in causam alimentorum ingredientis vel profitentis, tunc, si monasterium est opulentum, pactio redolet speciem simoniæ et avaritiæ, secus autem quando monasterium est inops ; tunc quippe pactio permissa est, et a totius Ecclesiæ consuetudine approbata : *Ibid.*

Quæcumque pactio, per quam imponatur beneficiario onus ex natura beneficii vel ex lege fundationis non imminens, per ecclesiasticas sanctiones reprobatur : *Fir., Cap.*, 9 *aug.* 1732, § 11.

Is qui donationem dietæ, quæ est de juribus beneficii sive capellaniæ, facit, et inde nominationem ad beneficium sive capellaniam obtinet, reus est simoniæ confidentialis : *Neap., Præt. sim.*, 13 *aug.* 1718, § 6.

Idem committitur crimen ex dimissione ejus quod solvendum per patronum quolibet anno pro jure sacrarii, Missarum cum cantu et consimilium rerum : *Ibid.*

Ad effectum simoniæ, videndum est an res quæ fuit in contractu deducta sit necne spiritualis sive ecclesiastica, non autem an nominatus ingressus fuerit titulo institutionis, vel titulo administrationis : *Ibid.*, § 7.

Quando autem versamur in capellania fundata ab Ordinarii auctoritate, in capellania amovibili, et ad quam per modum provisionis, et ad supplendam absentiam ejus qui est nominatus, in hac specie, conventiones esse possunt illicitæ, sed non simoniacæ, nec obnoxiæ pœnis adversus simoniacos a jure statutis : *Ibid.*, § 11.

Receptus per simoniam in monasterium damnatur ad serviendum Domino in alio monasterio habitu monastico, et professionem ex ea non irritari : *Leod., Prof.*, 2 *aug.* 1721, § 7.

Quando vigent aliquæ immemorabiles consuetudines, juxta quas aliquid persolvitur occasione possessionis canonicatus et præbendæ seu alterius officii ecclesiastici, eædem tanquam simoniacæ reprobantur, si id quod exigitur seu persolvitur cedit in utilitatem et privatum commodum aliorum canonicorum, sive sacerdotum, aliorumve ministrorum : secus autem, si id quod exigitur erogatur

et convertitur in usus pios : *Jan.*, *Pact.*, 19 *dec.* 1722, § 3.

Simoniam redolet pactum redimendi aliquid a canonicis per prebendatum noviter admissum : *Leod.*, 6 *mart.* 1779, § 5.

Non obstante statuto id præscribente, quia improbatur a constitutionibus Apostolicis S. Pii V et Innoc. XII : *Ibid.*, § 6.

Etiamsi promissiones et conventiones consisterent in dulciariis et in convivio : *Ibid.*

Tolerantur solùm, si moderatæ sint et sponte datæ : *Ibid.*

Declaratur tamen si noviter provisus nihil de fructibus præbendæ, deque distributionibus quotidianis, vel de suo promittat, sed solum ut ex pecuniari massa aliquid cedat in commodum canonicorum : *Ibid.*, 7.

In hoc casu cessant dictæ constitutiones Apostolicæ, et dispositio conciliaris : *Ibid.*

Quæ sententia locum obtinet, etiamsi noviter recepti promitterent deservire gratis, antequam ad massæ participationem admittantur : *Ibid.*, § 9.

Magis si novus præbendatus jurato accepisset statuta Ecclesiæ, quia eidem non licet illa oppugnare : *Ibid.*, § 12.

Quidquid sit quoad successores, qui a facto antecessoris præjudicium sufferre non debent : *Ibid.*

Excluditur simonia in collatione beneficii ob qualitatem illius, utpote capellaniæ amovibilis ad nutum ipsius patroni : *Fan.*, *Ex. Decr. S. Vis.*, 22 *nov.* 1760, § 6.

Et ob erogationem fructuum in utilitatem ipsius beneficii, quæ non usurpativa, sed legitima censenda est penes patronos laicos : *Ibid.*

Similiter conventiones initæ in electione capellani circa quantitatem salarii illi præstandam, nequaquam subjiciunt vitio simoniæ : *Ibid.*

Quum res sit de capellania mere laicali, non solum conditiones pacisci, sed etiam pecunia offerri potest : *Arim.*, *Cap.*, 26 *febr.* 1774, § 7.

Et nihil etiamsi sit beneficium ecclesiasticum, simonia saperet, quando ambo conveniunt super jure incerto, nec vetitum alicui est in totum, vel in partem cedere commodum, quod ex futuro eventu sibi obventurum confidit : *Ibid.*

Et promissio nullomodo simoniaca dici potest, cum non principaliter, sed secundario facta deprehendatur : *Ibid.*, § 8.

Sponsio de aliquo præstando post electionem, cum illam electionem non coegerit, quia ob electione resilire etiam stante sponsione electores possunt, nequit ex hac parte electi mens educi emendi jus spirituale, quod simoniacum dici debet : *Ovet.*, *Par.*, 19 *sept.* 1744, § 4.

Simoniaca labe infecta sponsio dici nequit, quæ ab eligendo fit de aliquo præstando, quod ab electis antiqua consuetudine præstari solitum fuerat : *Ibid.*

Canonistæ affirmant, ut quidquid pretii nomine intercessit in simoniaco contractu, non debeat restitui emptori, neque possit remanere penes venditorem, sed applicari debeat ecclesiæ, cui facta fuit injuria : *Salut.*, *Ben.*, 3 *sept.* 1740, § 4.

Quæ tamen limitari videtur in casu personæ idiotæ absque ulla penitus cognitione ac formidine simoniacæ labis pactiones hujusmodi ineuntis : *Ibid.*

Nominatio, seu præsentatio sive ab ipsomet fundatore, sive a legitimo patrono expleta sub pactione, lege aut conditione simoniaca, ita a SS. Canonibus improbetur, ut nullum jus clerico præsentato, præsertim si is fuerit simoniæ conscius, ex ea quæratur : *Salut.*, *Ben.*, 1 *jul.* 1741, § 3.

Simonia est cessio jurispatronatus accepto pretio : *Recin.*, *Jur.*, 18 *jun.* 1796, § 4.

Et reprobari debet, nisi transferatur juspatronatus per universalem donationem : *Ibid.*, § 5.

Respectu capellaniæ mere laicalis regulis beneficialibus non subjectæ, simoniacæ non reputantur conventiones initæ privata auctoritate : *Tud.*, 3 *jul.* 1762, § 3.

Hinc ceditur jus nominandi ad capellaniam mere laicalem in congruentiam certi pretii absque simoniæ nota : *Ibid.*, § 4.

Simonia infecta videtur cessio juris temporalis capellaniæ, quæ est quid spirituale : *Jur.*, *Cap.*, 9 *jul.* 1796, § 5.

Cessat simonia, ubi aliquid pollicetur temporale pro spirituali auctoritate legitimi superioris : *Ibid.*

Canonicis aliquid tradendum consuetudo vel statutum ecclesiarum per præbendatum noviter admissum, simoniam non redolet : *Ast.*, *Vis. SS. LL.*, 10 *febr.* 1781, § 6 et 7.

Pro inferenda infamia juris in personam provisi, eique impingenda nota irregularitatis et inhabilitatis, non est satis sententia declaratoria simoniacæ præsentationis, cum hæc procedere possit ex culpa aliorum quam provisi, sed requiritur sententia declarans reum simoniæ ipsum provisum : *Sal. seu Cap.*, *Par.*, 9 *febr.* 1760, § 4.

Maxime si exinde per sententiam absolutoriam ad pristinam habilitatem fuerit restitutus : *Ibid.*

Per sententiam absolutoriam sublata est infamia simoniæ, et restitutus provisus ad pristinam habilitatem : *Sal. seu Cap.*, *Par.*, 9 *febr.* 1760, § 4.

Quando simonia completa dici nequit, non incurruntur pœnæ a sacris canonibus statutæ : *Salut.*, *Ben.*, 3 *sept.* 1740, § 4.

Simonia est vitium omnium maxime in re ecclesiastica detestabile et execrandum, atque idcirco ple-

niores etiam requirit demonstrationes : *Eugub., Can.*, 7 *jul.* 1770, § 29.

Simonia confidentialis est crimen gravissimum, quod graves et indubias exigit probationes : *Ibid.*, § 11.

Simoniæ clarissimam probationem præ se fert confessio electi ad beneficium : *Ibid.*, § 17.

Simonia difficilis est probationis : *Sutr., Cap.*, 18 *apr.* 1795, § 6.

Pluribus tamen probari valet modis, et præsertim per confessionem unius vel alterius simoniaci : *Ibid.*

Nulla enim major, et melior probatio, quam propria oris confessio : *Ibid.*

Satis tamen non est confessio interesse habentis ; nisi alia concurrant validissima argumenta : *Ibid.*, § 7.

Simonia committitur per conventionem : *Ibid.*

Largitio insignis summæ ob cessum jurispatronatus, censetur potius pretium ab initio conventum, et inducit simoniam : *Ibid.*

Simoniaci.

Simoniaci incurrunt censuras extrav. *Cum detestabile, de Simon. : Sutr., Cap.*, 18 *apr.* 1795, § 9.

Earumque absolutio reservata est Summo Pontifici : *Ibid.*

Non incidunt tamen simoniaci ipso facto in pœnam privationis beneficii, sed plectendi sunt per sententiam judicis : *Ibid.*, § 10.

Simoniaci liberantur a pœnis simoniæ qui ante declarationem judicis simoniacum retractarunt actum : *Mac., Jur.*, 18 *jul.* 1795, § 8.

Simplex capellania. Vide *Capellania*, § xiii.

Simplex presbyter. Vide *Presbyter simplex.*

Simplicia beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xxix.

Simulata professio. Vide *Professio religiosa*, § ix.

Simulatio, Fictio.

Justæ simulandæ professionis causæ desumuntur ex inclusione puellæ in monasterio, ex assiduis atque importunis suasionibus, violentiis ac minis : *Val., Prof.*, 12 *jun.* 1773, § 11.

Licet intra quinquennium non reclamaverit, quando nunquam destitit suam reluctantiam omnibus patefacere, qua quidam in re extrajudiciales etiam querelæ sufficiunt : *Ibid.*

Simulatio, quæ non sapit delictum, sed utilis est, vel saltem contrahentibus non perniciosa præsumitur, etiamsi nulla occurrat simulandi causa : *Rom., Subs. dot.*, 16 *dec.* 1769, § 8.

Fictio et simulatio, ut a suscepta liberet obligatione, probationes exposcit claras, et concludentes, simulque exigit, ut justa et honesta adfuerit causa simulandi : *Nuc., Rest. in int.*, 26 *mart.* 1760, § 17.

Solus metus reverentialis est causa simulationis : *Ibid.*

Situatio. Vide *Ecclesia parochialis*, § ii.

Societas. Vide *Sodalitium.*

Societas ecclesiasticorum.

Cum agitur de aliquo instituto ecclesiasticorum ad designata fungenda munera in dispensationibus concedendis semper requiritur societatis seu collegii consensus : *Aux., Disp.*, 21 *jun.* 1766, § 16.

Sodales. Vide *Sodalitium*, § viii.

Sodalitium.

§ I.

Sodalitium quoad aggregationem.

Aggregatio perinde operari debet, ac si eadem privilegia principaliter et directe fuissent concessa confraternitati aggregatæ : *Mutin., Agg.*, 20 *nov.* 1762, § 1.

Societati licet in vim aggregationis uti eodem nomine, iisdem signis et privilegiis quibus fruuntur sodales ipsius confraternitatis aggregantis : *Mac., Confr.*, 24 *mart.* 1736, § 5.

Sed si sit societas sub diverso titulo et instituto erecta non potuit archiconfraternitati aggregari : *Ibid.*

Societates aggregatæ uti nequeunt statutis aggregantis, nisi recognita et approbata fuerint ab Episcopo diœcesano : *Mut., Aggr.*, 20 *nov.* 1762, § 3.

Indulgentiæ vero recognoscendæ sunt ab Episcopo, adhibitis duobus de capitulo, et ejus decreto publicandæ : *Ibid.*

Sed approbatio aggregationis generice facta ab Ordinario operatur solum quoad indulgentias et gratias spirituales, non autem extenditur ad approbationem privilegiorum : *Ibid.*, § 4.

Nam prærogativæ confraternitatum Urbis, quæ reguntur sub Card. Protectore, non sunt trahendæ in exemplum pro confraternitatibus extra Urbem : *Ibid.*

Societati aggregatæ archiconfraternitati Urbis solum communicentur indulgentiæ ob hujusmodi aggregationes : *Reat.*, 5 *apr.* 1780, § 5.

Societas mortis Urbis potest communicare sua

privilegia confraternitatibus aggregatis : *Matr., Aggr.*, 20 *nov.* 1762, § 1.

Illa scilicet sibi principaliter concessa, non autem ea quæ habet per commutationem, vel instar : *Ibid.*, § 3.

Et privilegiorum communicatio idem operatur ac si principaliter concessa fuissent : *Ibid.*

Habet autem dicta societas privilegium sepeliendi mortuos in parochia suis sumptibus, postquam parochus requisitus per 40 horas neglexerit : *Ibid.*, §§ 2 et 6.

Tenetur tamen requirere licentiam parochi, qui potest per se vel per suum substitutum intervenire; sed tenetur omnino aperire confraternitati januas ecclesiæ : *Ibid.*, § 6.

Et stola deferri non potest a capellano confraternitatis, extra propriam ecclesiam, præsente parocho : *Ibid.*, § 8.

§ II.

Sodalitium quoad comitia.

Comitia convocata, nulla præmissa denuntiatione per diem ante sodalibus de more facienda, ad hoc ut negotium, ut par erat, expenderent ac maturius proferrent judicium, nullius roboris sunt : *Baln., Elect. alum.*, 14 *jan.* 1769, § 5.

Et cum sublatum extiterit arbitrium sodalibus competens, irritum ipso jure dicunt quidquid in comitiis gestum fuerit : *Ibid.*, § 6.

Præsertim si admissi sint in suffragium ferendum nonnulli a sodalitio extranei, qui admitti non potuissent, nisi consensus majoris partis confratrum accessisset : *Ibid.*, § 7.

Insuper, plurimi habendus est dissensus aliorum confratrum, cum in re admodum præjudiciali et magni momenti omnium consensus mature præstitus requireretur, exemplo patronorum, quorum dissensus in re gravi sufficit, ne firmitatem habeat quod ab aliis fuerit resolutum : *Ibid.*, § 8.

Dubitari nequit de legitimis resolutionibus, ubi major intervenientium pars convenerit : *Call., Subs. dot.*, 15 *dec.* 1787, § 4.

Etsi aliquis protestatus sit, *che non rarò mai per concorrere*, et a ferendo suffragio se abstinuit, quod omnis in reliquis decernendi potestas consolidata est : *Ibid.*, § 6.

Nonnisi permissiva sodalitiorum comitia haberi censetur in oratoriis vel ecclesiis, cum potius ea fieri deceat in domo adnexa, vel in domo parochi, aut alterius superioris : *Balg., Adm. alum.*, 26 *aug.* 1769, § 9.

Comitiis œconomicis confraternitatum se immiscere nequit Episcopus : *Asc., Benepl.*, 9 *jul.* 1796.

Et si eis assistere velit, ferre nequit suffragium : *Ibid.*

Irrita sunt societatis comitia, in quibus suffragium tulerunt sodales inhabiles; sed contrarium verius : *Cerv.*, 17 *apr.* 1790, § 5.

His de jure communi plures interesse valent consanguinei : *Ibid.*, § 6.

Contrarium statuit congregatio deputata, anno 1699, ab Innocentio XII, pro reformatione locorum piorum Urbis, quæ ob identitatem rationis ad extera extenduntur sodalitia : *Ibid.*, § 9.

Atque ex ipso jure communi limitatur præmissa regula, ubi aliquod eligendis officialibus obventurum erit lucrum : *Ibid.*

Quia paria habuerunt suffragia, eligi debent per sortitionem : *Ibid.*, § 6.

In officiis continuare nequeunt officiales societatis absque licentia Episcopi, vel ejus vicarii generalis : *Ibid.*, § 10.

Dum in eorum tamen sunt possessione, gerere valent quæ ad illam pertinent : *Ibid.*, § 7.

§ III.

Sodalitium quoad congregationes.

Eo ipso quod confratrum collegium legitime erectum fuit, consequens statim fit ex ipsa collegii natura, congregari libere posse, nec Ordinarii facultate indigere : *Assis.*, 10 *sept.* 1785, § 6.

Locus tantum procedit in iis personarum cœtibus, qui collegium non constituunt : *Ibid.*

Si ex antiquiore sodalitiorum consuetudine constet omnibus, congregationes fieri post processiones cum ad proprias redeunt ecclesias, hinc nulla monitio seu interpellatio requiritur, cum dies sit certa præstituta : *Ibid.*, § 7.

Nonnulli doctores negant, posse Episcopum vetare ne sodalitia absque sua licentia congregationes habeant : *Ibid.*, § 19.

Admittitur tamen, in illius arbitrio reponi, si velit, congregationibus per se ipsum, sive delegatum suum, interveniendi : *Ibid.*

Hinc consequens est jubere Episcopum posse, ut de habendis congregationibus certior ipse fiat : *Ibid.*

Hac de causa sententiæ conciliantur, ut scilicet sodales ad petendam veniam compellendi non sint, compelli tamen posse ad Episcopum certiorandum : *Ibid.*

Bassius contra Episcopum tenebat, sed id sententiam mutavit : *Ibid.*, § 20.

Et refert quod id decreverunt synodus Taurinensis episcopi Bejumi, synodus Farfensis card. Barberini, et synodus Lucana card. Spinulæ : *Ibid.*

Atque reddit rationem, quod nempe vicarii interventus conservat sodalium libertatem, non lædit : *Ibid.*

Imo in pecunia collocanda requiritur Ordinarii assensus qui prænoscat, periculoque provideat, ne pecunia personis non tutis gratiose in congregationibus tradatur : *Ibid.*, § 21.

Ad convocationem congregationum, quæ a sodalibus haberi solent, compertum est moneri præsentes per diem ante oportere de die, hora et loco : *Balneor., Adm. alum.*, 26 *august.* 1769, § 16.

Non ita tamen necesse est, ut in ipsa convocatione res pertractanda significetur : *Ibid.*

Episcopus non potest prohibere quin habeantur a sodalibus congregationes, vel officiales eligantur sine suo suique deputati interventu : *Civit. Pleb.*, 6 *jan.* 1760, § 5.

Jus eligendi officiales suos et ministros, profluens a connaturali facultate quæ residet penes collegium, competit sodalibus, reservata solum potestate Episcopo illos eligendi jure devoluto, si in tertio scrutinio sodales non convenerint, vel electionem fecerint de indigno : *Ibid.*, § 6.

Certior fieri debet Episcopus de extraordinariis duntaxat societatum congregationibus : *Call., Subs. dot.*, 28 *nov.* 1795, § 38.

Ad validitatem congregationis, requiritur ut major pars accedat, cum major pars a præsentibus constituatur, nec curandum de iis qui interesse recusant : *Baln., Ad. al.*, 26 *aug.* 1769, § 10.

§ IV.

Sodalitium quoad erectionem.

Nihil repugnat duplicitas nominis, quod sorores appellentur *Peregrinæ*, confratres autem nuncupentur sodales *Sanctissimi Nominis Dei et Jesu*, occasione erectionis sodalitii : *Dert., Vis.*, 12 *jan.* 1760, § 10.

Confraternitas Sanctissimi Sacramenti in qualibet parochiali ecclesia ad formam constitutionum Apostolicarum erigi debet : *Ferr., Confr.*, 14 *sept.* 1782, § 6.

Societas SS. Sacramenti est in parochialibus ecclesiis juxta litteras Congr. Indulgentiarum ad archiep. Bononiensem approbatas a Paulo V : *Civit., Pleb.*, 26 *jan.* 1760, § 2.

In constitutione Clementis VIII, 115, § 2, *Bull.* tom. 3, mandatur ut una tantum confraternitas seu congregatio ejusdem instituti unaquaque civitate erigatur : *Ulyssip. Occ., Confr.*, 7 *dec.* 1720.

Sed si in una civitate plures ejusdem instituti adsint confraternitates, et civitas ipsa sit amplissima, et magna populi numero referta, dicitur esse posse in una eademque civitate duas ejusdem instituti confraternitates, præfata constitutione non obstante : *Ibid.*, § 2.

Si de confraternitatis erectionis validitate dubitetur, gratia revalidationis admittitur : *Ibid.*, § 2.

Quamvis nonnulli censent locum revalidationi etiam per viam gratiæ esse non posse, quum revalidatio sit præjudicialis illis qui jus fundatum in eadem constitutione tenent : *Ibid.*, § 3.

Tolerari potest existentia duarum confraternitatum sub eodem nomine et invocatione in uno eodemque loco, inspecta locorum qualitate, numerositate populi, more religionis, distantia unius ab alia, aliisque facti circumstantiis ; totum remittendo arbitrio Ordinarii, cum ea tamen lege ut solemnitas et sacræ functiones diversis diebus celebrari deberent, idque non solum in magnis civitatibus, sed etiam in aliis inferioribus notæ : *Urat., Er. confr.*, 2 *dec.* 1729, § 45.

Alio modo subsunt parocho sodalitia, cum in eadem parochiali ecclesia sunt erectæ, vel in oratoriis, aut sacellis, quæ ipsi parochiæ adjiciuntur : *Ferr., Confr.*, 14 *sept.* 1782, § 3.

Alio autem modo, cum societates ejusmodi addictæ sunt publicis et liberis ecclesiis, quamvis intra limites parochiæ positæ sunt : *Ibid.*

Confraternitates laicorum legitime erectæ in ecclesiis parochialibus habent dependentiam a parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus : *Ibid.*, § 4.

Ac dictæ confraternitates erectæ in capellis vel oratoriis, tum publicis, tum privatis, adnexis parochialibus ecclesiis, et ab eis dependentibus, habent dictam dependentiam a parocho quoad dictas functiones : *Ibid.*

Confraternitates, erectæ in aliis ecclesiis publicis, non habent quoad easdem functiones aliquam dependentiam a parocho intra cujus parochiæ limites sitæ sunt ecclesiæ : *Ibid.*

Confraternitates erectæ in oratoriis, tum publicis, tum privatis, sejunctis ab ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas non habent dictam dependentiam a parocho : *Ibid.*

Pro formali valida erectione sodalitii præcipue requiruntur litteræ testimoniales Episcopi, quibus confraternitatis erigendæ pietas, et christianæ charitatis officia, quæ exerceri debent commendatæ essent : *Urat., Er. confr.*, 3 *dec.* 1729, § 5.

Clemens VIII, Pont. Max., præscripsit requisita pro erigenda confraternitate, ac præcipue licentiam Ordinarii requiri mandavit : *Cons.*, 19 *nov.* 1729, § 5.

Probanda ea sunt nova collegia, sodalitia, universitates, quæ nullum detrimentum jam existenti-

bus inferre possint, et ex quibus offensio populi non oriatur : *Jan.*, 29 *febr.* 1744, § 4.

Sodalitium vel universitas ejusdem instituti in eadem civitate esse nequit : *Ibid.*

Si una tantum societas in aliquo oratorio instituta sit, quemadmodum ex pluribus facti circumstantiis et documentis constat, ea scindi nequit : *Mac.*, *Confr.*, 24 *mart.* 1736, § 4.

Si alteri confraternitati sit aggregata, hoc casu confraternitatum divisio fieri potest : *Ibid.*

Privato arbitratu, vel societas, vel collegium, vel quodcumque corpus ecclesiasticorum coire non potest, quum oporteat auctoritas et approbatio Episcopi : *Aux.*, 21 *jan.* 1766, § 13.

Uni confraternitati duplicem titulum assumere permissum est : *Mac.*, *Confr.*, 24 *mart.* 1736, § 7.

§ V.

Sodalitium quoad jura et potestatem.

Capellani, officiales confraternitatum erectarum intra fines parochiæ, possunt in festivitatibus solemnioribus ecclesiæ vel oratorii canere Missas solemnes, et ulterius valent sine licentia parochi denunciare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada : *Flor.*, 16 *mart.* 1726, § 5.

Sodalitia inducta sunt ad exercenda opera pietatis ac religionis : *Phar. Un.*, 25 *jun.* 1791, § 2.

Sodales uti singuli nullum jus habent ad bona dissolutæ societatis : *Ibid.*, § 2.

Et ea bona devolvuntur ad ecclesiam parochialem, in qua societas erecta erat : *Ibid.*

Licet sodalitium auctoritate ordinaria erectum sit, alienare nequit bona stabilia absque beneplacito Apostolico : *Null. Nonn.*, *Subs. dot.*, 6 *mart.* 1797, § 5.

Libere tamen disponere potest de illorum reditibus in pios usus, annuente præsertim Episcopo : *Ibid.*

Confraternitates laicorum ex consuetudine possunt recipere et administrare oblationes, dummodo laici nihil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant : *Ferr.*, *Confr.*, 14 *sept.* 1782, § 7.

Imo pro illarum erogatione requiritur Episcopi auctoritas, de qua coram eodem rationes reddere debent : *Ibid.*, § 8.

Libera sodalibus debet esse administratio : *Assis.*, 10 *sept.* 1785, § 11.

De sumptibus præter certam summam absque Ordinarii venia non conficiendis, lex nova non est : *Ibid.*, § 22.

In synodo Firmana card. Paracciani restringitur ad summam nummorum quinque libertas sodalium, præter quam Episcopi auctoritas intercedere debet : *Ibid.*

In synodo Tusculana card. Ducis Eboracensis administratori ad summum permittitur expensa juliorum 20, præter quam summam requiritur officialium omnium consilium et vicarii venia, si excedat scut. 10 : *Ibid.*

Quoad reditus, qui ad jussa dotium disposita sunt parati, præsumptio favet Episcopo, ejusque legi, contrariis deficientibus probationibus : *Ibid.*, § 23.

Confraternitates exponere non possunt in eorum ecclesiis S. Sacramentum absque licentia Episcopi : *Spol.*, *Funct. Eccl.*, 20 *febr.* 1796, §§ 4 et 8.

Neque etiam aggregatæ archiconfraternitatibus Urbis : *Ibid.*, § 6.

Confraternitatibus porro aggregatis communicantur duntaxat privilegia sipiritualia et indulgentiæ, nempe indulta et gratiæ spirituales : *Ibid.*, § 5.

Archiconfraternitas ipsa Mortis Urbis non communicat facultatem exponendi SS. Sacramentum absque licentia Episcopi : *Ibid.*, § 9.

In una enim ecclesia parochiali retineri atque exponi valet ; in aliis vero ex privilegio Sedis Apostolicæ vel Ordinarii : *Ibid.*, § 7.

In subditis ecclesiæ confraternitatum explere valet parochus functiones parochiales et non parochiales, exceptis earum propriis : *Ibid*, § 9.

Societates præcipue instituuntur ad exercenda pietatis ac christianæ charitatis officia : *Mut.*, *Aggr.*, 20 *nov.* 1762, § 5.

Non habent tamen jus sepeliendi in proprio oratorio sine concessione Episcopi : *Ibid.*, § 7.

Et acquisitum jus videri potest sepeliendi per effossionem tumuli sine Episcopi contradictione : *Ibid.*

Ac tunc in eo cuique licitum est sepulcrum eligere, tanquam in loco sacro habente jus sepeliendi : *Ibid.*

Uti de oratoriis et de quacumque ecclesia non parochiali gaudente jure sepeliendi : *Ibid.*

Nec cavendum est de præjudicio parochi, cui remanet salva quarta funeris : *Ibid.*

Si tamen ecclesia non habet jus tumulandi, parochus percipit integra emolumenta, et a parocho fiunt exequiæ super cadaver : *Ibid.*

§ VI.

Sodalitium quoad officiales.

Officialium electio pertinet ad confratres, confirmatio vero ad Episcopum, imo et electio ad eumdem Episcopum spectat, si confratres in sufficienti numero per triplex scrutinium non convenerint : *Forol.*, 21 *aug.* 1784, § 16.

Reprobandæ non sunt officialium electiones viva voce confectæ : *Assis.*, 10 *sept.* 1785, § 15.

Ratio est, quia non est res de Episcopo Ecclesiæ dando viduatæ, cujus electio secretis committenda est suffragiis : *Ibid.*

Neque res est de aliorum prælatorum electionibus : *Ibid.*

Sed de impropria electione agitur, in qua consensus naturalis, sive scriptis, sive in factis explicitus, satis est : *Ibid.*

In electionibus confirmandis lex est admittenda, ut duæ ex tribus partibus suffragiorum conveniant : *Ibid.*, § 16.

Si suffragiorum pluralitas in Episcopi et prælati electione satis est, cur in officialium impropriis electionibus, duas tertias partes esse necessarias, decernatur : *Ibid.*

Officialium electio libere ad confratres, confirmatio ad Episcopum pertinet : *Baln., Elec. alum.*, 14 *jan.* 1769, § 15.

Sodales reddere non debent deputatis sodalitii rationes administrationis, quam reddere quotannis tenentur Ordinario, ne bis eas reddant : *Asc. Breph.*, 9 *jul.* 1796, § 7.

Eis vero non deputatis reddere rationes debet ipsorum minister : *Ibid.*

Licet omnia sodales subjacere debeant Ordinario : *Ibid.*

Ad officiales sodalitii spectat ministrorum electio : *Ibid.*, § 8.

Episcopus potest ad tollendos abusus edictis præcavere, ut bona locorum piorum fideliter administrentur, non tamen in administratione se potest miscere, sed illam officialibus ad id electis relinquere debet : *Baln , Elec. alum.*, 14 *jan.* 1769, § 14.

Solumque ex dispositione, sess. 22, cap. 8 et 9, *de Reform.* Concilii Trid. jus illi competit confirmandi œconomos et administratores , ab eisque rationes exigendi : *Ibid.*

Libera est sodalibus administratio bonorum, societatis, nec eisdem auferri posse, nisi de abusu et dissipatione constiterit : *Ibid.*, § 11.

Et in hac administratione nullo modo potest Episcopus se ingerere : *Ibid.*

Officiales societatis post expiratum illorum officium, haud legitime continuare possunt in eo, absque licentia Episcopi, vel ejus vicarii non foranei sed generalis : *Cerv.*, 17 *apr.* 1790, § 10.

§ VII.

Sodalitium quoad onera.

Societates seculares in parochialibus ecclesiis institutæ, et quæ parochiæ junguntur, parocho subjici debent, quoad exercitium functionum, etiamsi parochiales non sint : *Firm.*, 17 *dec.* 1768, § 11.

Confraternitates, quæ partem populi constituunt, vocandæ in partem oneris populo incumbentis sunt, præsertim si accedat sodalium assensus : *Null. seu Nonan., Reæd. eccl. par.*, 16 *maii* 1778, § 8.

Sodales in functionibus non parochialibus non tenentur requirere parochum, aliosque sacerdotes parochiæ : *Apt.*, 23 *sept.* 1758, § 2.

Ecclesia cessa confraternitati ab ea manuteneri debet : *Asc., Benep.*, 9 *jul.* 1796, § 9.

Et chirographum pontificium cessionis accurate exequendum est : *Ibid.*, § 10.

§ VIII.

Sodalitium quoad sodalium receptionem et expulsionem.

Episcopus facultatem habet adigendi sodales non solum ut in eorum numero aliquem recipiant, sed etiam ut ex eorum cœtu aliquem expellant : *Fer., Conf.*, 14 *sept.* 1782, § 13.

Cautum in jure non reperitur, ad legitimam alicujus admissionem formale scrutinium requiri, sed satis est ut reliqui de gremio non contradicant, et admissioni acquiescant : *Balner., Ad. alum.*, 26 *aug.* § 7.

Sodales monendi sunt, antequam removeantur ab albo confratrum : *Ibid.*, § 18.

Imo pendente controversia super remotione alicujus, manuteneri is debet in sua possessione interveniendi cum cæteris, suffragium ferendi aliaque omnia peragendi, quæ confratribus competunt : *Ibid.*

§ IX.

Sodalitium quoad statuta et resolutiones.

Potest Episcopus auctoritate ordinaria mutare et variare statuta confraternitatum, eisque novas leges, quando opus fuerit servandas proponere : *Ferr., Confr.*, 14 *sept.* 1782, § 12.

Quoad validitatem decretorum parum officit deficientia integri numeri 40 confratrum, quia constitutiones præscribentes omnium interventum, vel nullimode afficiunt; vel æquipollenter adimpletæ sunt per tacitam omnium ratihabitionem desumptam ex 40 annorum observantia : *Fav., Plur.*, 12 *jul.* 1761, § 5.

Et Episcopi assensus præsumendus est post quadragenariam observantiam prædictam : *Ibid.*

Resolutiones emanatæ a sodalibus legitime congregatis, et ex suffragiorum pluralitate, vim ha

bent contractus præciseque obligationis, ac nefas proinde est ab iis recedere : *Baln., Elec. alum.*, 26 *aug.* 1769, § 3.

Maxime quia recessus cederet in præjudicium tertii, cui est jus quæsitum, quo nequit sine justa causa privari : *Ibid.*

Et cum nullitas resolutionum concludenter non probetur, et pro justitia ac validitate actus semper militat juris præsumptio : *Ibid.*, § 4.

Novusque est omnino actus infringendus, quod ab Episcopo per diem ante nuntiari debuissent quæ in congregatione agenda erant; imo id prorsus a jure absonum videri, cum speciem quamdam subjectionis ac servitutis præ se ferat : *Ibid.*

§ X.

Sodalitium quoad translationem et unionem.

Non est facile permittenda sodalitio translatio, ne minuatur frequentia populi in ecclesia parochiali, neve præjudicetur juribus parochi : *Civit. Pleb.*, 26 *jan.* 1760, § 8.

Ad translationem societatis ad novum oratorium, aut alibi, requiritur auctoritas Episcopi : *Pact., Confr.*, 22 *maii* 1734, § 3.

Et translatio sequuta, ubi alia societas existit, est nulla, quia duæ societates in eodem loco, et sub iisdem titulo et instituto prohibentur : *Ibid.*, § 5.

Excepta societate SS. Sacramenti necessaria in ecclesiis parochialibus, ceteræ confratêrnitates utpote non necessariæ possunt ad libitum discedere, et ad alias ecclesias se transferre, nisi appareat de contraria lẽge apposita in prima erectione : *Civit. Pleb.*, 26 *jan.* 1760, § 3.

Confraternitas valet ad libitum divertere ab ecclesia in qua olim recepta est : *Sutr., Trans.*, 28 *aug.* 1779, § 5.

Idque ad servandum æqualitatem, quum ad nutum valeat ecclesia illam dimittere : *Ibid.*

Et insuper potest secum abducere omnia quæ sua sunt : *Ibid.*

Absque eo quod teneantur servare pacta manutenendi ecclesiam de sacra supellectili, atque alia eidem tribuendi, quia pacta hæc adjecta censentur correspectiva, et quandiu confratres in eadem ecclesia perseverent : *Ibid.*

Idque ex indole correspectivæ obligationis, quæ operatur ut, uno deficiente extremo, alterum quoque cesset : *Ibid.*

Et quod pertinet ad unionem societatum S. Congr. Episc. et Reg. prohibuit Episcopo, ne ad unionem confraternitatis procederet : *Firm.*, 26 *nov.* 1785, § 13.

Et S. Congr. Ritûum rescindit unionem duarum confraternitatum sine legitima causa factam : *Ibid.*

Et ratio est; nam bonorum unius sodalitii ad alterum unio sine læsione et mutatione fidelium voluntatis fieri nequit : *Ibid.*, § 14.

Solemnis missa. Vide *Missa*, § xv.

Solemnitas.

Solemnitas, juxta ritum ab Ecclesia præscriptum, celebrari debet cum solo cantu gregoriano, sine exteriori pompa concentus musices et obtrepentium instrumentorum in ecclesiis vetita : *Aux.*, 6 *dec.* 1760, § 4.

Quando agitur de Episcopi alienatione, seu de donatione ex bonis suæ mensæ episcopalis in favorem sui capituli facta, solemnitas non est necessaria : *Strig.*, 17 *dec.* 1718, § 4.

Ritus solemnitatis a testatore non præscriptus determinationem accipit a consueto regionis more, ac dignitate legatarii, et ab opulentia patrimonii legantis : *Aux.*, 6 *dec.* 1760, § 3.

Reliqua. Vide *Electio*, § vii; *Testamentum*, § iv.

Solemnitas quoad alienationem bonorum ecclesiæ. Vide *Alienatio*, § iii.

Solidus.

Solidi valor, Justiniani temporibus, sextam unicæ partem æquabat, ita ut auri libra in septuaginta duos solidos divideretur : *Aux. seu Cin., Cath.*, 25 *junii* 1763, § 4.

Solitarius. Vide *Eremita*.

Solutio.

Solutio quælibet semel tantum fieri debet : *Priv., Ap. or.*, 16 *mart.* 1771, § 7.

Unica solutio præscripta est in favorem seminarii a Concil. Trid. et Bened. XIII : *Ibid.*

Expleta solutio animo repetendi, salvum factum est jus solutionis : *Spol.*, 23 *jan.* 1790, § 5.

Et denuntiatio contestata repetendi facto adversari videtur : *Ibid.*

Per solutionem integræ dotis, remota est causa a qua pendebat sequestrum : *Imol , Sep. th.*, 16 *febr.* 1788, § 3.

Quum antiquæ solutioni adjecta alia postea legitima superioris auctoritate fuerit, hæc etiam primævæ solutionis qualitates assumpsit : *Leod.*, 17 *jul.* 1773, § 4.

Qui aliquid solvit pro causa pia, putans se teneri

ad solvendum, quando revera obstrictus non erat, repetere non potest quod solvit : *Dert.*, *Susp. et Red. Miss.*, 17 *mart.* 1781, § 8.

Qui juramento promisit solvere quolibet anno partem sui debiti, quam unica vice solvere debuisset, si uno anno omittat solutionem partis conventæ, jus disponit ut pro tota summa agi valeat a creditore : *Elbor.*, *Dec. ind.*, 11 *mart.* 1718, § 6.

Hac litterali juris dispositione non obstante, agi tamen pro tota summa nequit, nisi creditor plene probet debitorem fuisse in dolo : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Census*, § III ; *Emolumenta*, § II ; *Legatum pium*, § XXI ; *Quarta funerea*, § III.

Soror.

Nomine sororum carnalium, quo utitur testator, sorores etiam, secundum aliquos, veniunt quæ ex eodemque sanguine ortæ sunt : *Rom.*, *Sub. dot.*, 28 *nov.* 1789, § 6.

Contrarium tamen censent alii, ubi fratris aut sororis nomen probatum sit a testatore, qui in rigido loqui censetur sensu : *Ibid.*

Et ratio est, quia, in odiosis præsertim, utrinque appellat conjunctos : *Ibid.*

Specialis conditio. Vide *Conditio*, § III.

Specialis consuetudo. Vide *Consuetudo*, § XII.

Specialis dictio. Vide *Dictio*, § II.

Spirituales causæ. Vide *Causæ*, § IV.

Spiritualis cognatio. Vide *Matrimonium*, § XXXIV.

Spolium ecclesiasticum.

Innocentius XII, Pont. Max., inspecta paupertate cathedralium et aliarum ecclesiarum parochialium regni Neapolitani, exclusit cameram Apostolicam a successione in bonis Episcoporum decedentium intuitu Ecclesiæ acquisitis, et declaravit ut ad ecclesias, quibus præessent dicti prælati, bona illorum, ut juris est, pertinerent, data eis facultate designandi usus : *In vot. card. Pereira*, 28 *dec.* 1723, § 3.

Bulla S. Pii V quæ decrevit ut ornamenta et paramenta, et res aliæ, aliaque bona ad usum et cultum divinum spectantia, applicari debeant ecclesiis quibus Episcopi præfuerunt, sustulit solum contrarias dispositiones de dictis bonis factas per ultimam voluntatem, et per contractum lucrativum donationis, non autem per contractum onerosum : *Triv.*, 8 *jan.* 1726, § 3.

Ex privilegio, seu consuetudine legitime præscripta, permissum est Episcopis sibi posse appropriare bona beneficiatorum suæ diœcesis morientium et ea in suos usus convertere : *Compsana*, 8 *jun.* 1726.

Adeoque etiam hodie in diœcesi Leodiensi, et nonnullis ecclesiis Belgicis, mobilia bona omnia beneficiatorum et aliorum presbyterorum morientium ad Episcopos deferuntur : *Ibid.*

Per ecclesiasticas leges non improbatur consuetudo colligendi ab Episcopo spolia beneficiatorum decedentium, neque per alia veteris disciplinæ monumenta : *Ibid.*, § 6.

Sic in provincia Turonensi, lectum in quo parochi decubuissent vindicabant archidiaconi, qui optionem etiam habebant illum centum solidis in pinguioribus parochis, et quinquaginta in tenuioribus, redimi : *Ibid.*

In diœcesi Leodiensi, ac etiam in Belgio, supellectiles defunctorum beneficiariorum ad Episcopos pertinere consuevit : *Ibid.*, § 7.

In diœcesi Conimbriensi aliisque episcopatibus Lusitaniæ cedit antistiti una res vel species, ex supellectili obeuntis beneficiarii, quam ipse Episcopus elegerit, et quæ propterea vulgo appellatur luctuosa : *Ibid.*, § 8.

Archiepiscopis Hydruntino et Acheruntino et Materatensi jus est obtinendi equum, lectum, annulum, nonnullaque alia Episcoporum suffraganeorum, qui e vivis sublati sunt : *Ibid.*, § 10.

In diœcesi S. Marci, consuetudo viget ut superpelliceum ac breviarium cujuslibet presbyteri morientis spectarent ad Episcopum : *Ibid.*, § 9.

Bulla S. Pii V, 42, decrevit ut ornamenta, et paramenta, et res aliæ, ceteraque bona ad usum et cultum divinum spectantia applicari debeant ecclesiis quibus Episcopi præfuerint : *Triv. seu Tric.*, 8 *jun.* 1726, § 3.

Constitutio Piana adeo privilegiata censetur, ut dubio an creditoribus defuncti Episcopi in subsidium, si alia bona non sufficiant, satisfaciendum sit ex bonis etiam benedictis, seu pontificalibus, non obstante constitutione 42 B. Pii V, post longam disputationem vix affirmativum fuerit responsum : *Ibid.*

Reditus omnes canonicorum seu beneficiatorum, si solis constent distributionibus quotidianis, etiam spolio subjaciunt : *Neap.*, *Sp.*, 27 *jul.* 1737, § 3.

Spolii jura, per Cameram cessa donatario, eidem suffragantur ad effectum retinendi bona donata uti propria : *Cam.*, *Sub. dot.*, 30 *maii* 1761, § 4.

Et ideo libere pervenit ad cessionarium cameræ ejusque successores : *Ibid.*

Cessio tamen hujusmodi titulo compositionis facta prodest hæreditati, et non donatario : *Ibid.*, § 6.

Præsertim cum jura essent litigiosa, et ideo illorum cessio solum operatur remotionem obstaculi litis pendentis, ut cessionarius bona possidere ex privativo titulo hæreditario posset : *Ibid.*

Ac stipulatio pro se suisque hæredibus quibuscumque præ se ferat tantum cessionario jus recuperandi summam solutam occasione transactionis : *Ibid.*

Sponsalia.

§ I.

Sponsalia in genere.

Sponsalia ex antiquo jure per subsecutum concubitum, matrimonii naturam induebant : *Dissert. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. L., disc. 3, § 8.

Quod jus hodieque ubi Tridentinum non viget, locum habet : *Ibid.*

§ II.

Sponsalia ex quibus dissolvi, et an et quomodo ad contrahenda cogi possint.

Ob justam causam licet a sponsalibus resilire, etiam sine mutuo utriusque sponsi consensu : *Gal. Sp.*, 28 *febr.* 1733, § 4.

Et minus etiam gravis requiritur causa, ubi sponsalia non fuerint juramento firmata : *Ibid.*

Hinc aliqua probabili causa suffragante abstinendum est a coactione reluctantis sponsi, et permittendæ sunt nuptiæ cum alio : *Ibid.*

Vulgati juris est principium, ut communi utriusque sponsi consensu sponsalia dissolventur : *Bon., Spons.*, 26 *mart.* 1735, § 3.

Quodque, aliqua probabili causa suffragante, unus ex sponsis, altero invito, præsertim a sponsalibus, quæ non fuerint juramento firmata, resilire possit, eique permittantur nuptiæ cum alia persona sibi benevisa : *Fav., Sp.*, 18 *maii* 1737, § 4.

Gravior causa requiritur, quando sponsus, dissentiente puella, a sponsalium contractu resilire intendit : *Ibid.*, § 5.

Ponderandum est, quando post sponsalia inita assidue frequentasse sponsam, et ea consuetudine ac familiaritate, aliquod irrogatum detrimentum sponsæ ; adeo ut pro ejus reparatione sponsus cogi debeat eam sibi in uxorem recipere : *Ibid.*, § 6.

Quando sponsalia legitime contracta fuerint, nec justa habeatur causa recedendi, contrahentes omnibus juris remediis ad illorum executionem cogendi sunt : *Mac. seu Asc., Sp.*, 28 *aug.* 1773, § 20.

Hinc si vir renuat per censuras ecclesiasticas compelli debet ; si vero mulier, monenda ut datam fidem præstet : *Ibid.*

Quatenus vero matrimonium non sequatur, est locus restitutioni dotis : *Ibid.*

Plures a doctoribus assignantur causæ, quæ a sponsalibus recessum suadeant : *Mac. seu Asc., Spon.*, 28 *aug.* 1773, § 19.

Inter illa odia, capitales inimicitiæ et animorum aversiones, necnon notabilis status immutatio, quæ post contracta sponsalia supervenerit : *Ibid.*

Sponsalia absque ulla conditione inita sunt exequenda, cum præsertim munita comperiantur juramento, quod ex camerali obligatione desumitur ; *Ibid.*, § 13.

Ac recedi non potest, nisi gravissimæ atque urgentissimæ accesserint causæ, odii scilicet vel populi offensionis inter conjuges orituræ : *Ibid.*, § 14.

Pro sponsalium executione sufficit ut non deficiat tacitus puellæ consensus : *Ibid.*, § 12.

Et pro filiis absentibus possunt parentes sponsalia contrahere, et satis est quod filii non contradicant : *Ibid.*

Unicuique ex contrahentibus licet a sponsalibus recedere ex aliqua causa, quæ rerum statum notabiliter immutaverit, quæque si innotuisset, a contrahendo retraxisset : *Ibid.*, § 2.

Hujusmodi est si patrimonium sponsi valde tenue detegatur : *Ibid.*

Si de sponsalibus de præsenti agatur, initum conjugium tuendum est, et non solum vir ad hoc servandum cogi debet, sed etiam mulier, derelicto posteriori viro, ad primum redire cum quo matrimonium celebravit, est compellenda : *Viter., Matr.*, 23 *nov.* 1776, § 8.

Si res sit de sponsalibus de futuro, vir in sua libertate servandus est, tum ob recessum a sponsalibus editum mutuo contrahentium a muliere cum alio viro celebratum : *Ibid.*

Quando de sponsalium validitate constet, et nulla subest justa causa recedendi commonendi sunt, et modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent : *Forol., Sp.*, 29 *nov.* 1783, § 19.

Si vir renuat, per ecclesiasticas censuras compelli debet ; si vero mulier, monenda potius est quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere : *Ibid.*

Inspecto jure civili, adeo enervis erat sponsalium obligatio, ut ab iis discedere impune permiserint imperatores Diocletianus et Maximianus : *Urb., Diss. sp.*, 8 *apr.* 1786, § 4.

Solumque quidquid arrharum nomine ea occasione datum erat, vel amitti, vel duplum, aut etiam

quadruplum, uti pactum fuisset, restitui jusserunt imperatores Leo et Anthemius : *Ibid.*

Sed jure canonico inspecto, valida ex iis oritur actio, qua pars invita atque reluctans implere cogitur quod promisit : *Ibid.*

Sunt autem legitimæ causæ, ex quorum concursu licitum est a sponsalibus, præsertim juramento haud firmatis, resilire : *Ibid.*

Causæ sunt hæ : consanguineorum dissensus, generis quoque disparitas, et tenuis arctusque adeo sponsi census, ut omnino impar sit ad sponsam exhibendam : *Ibid.*, § 5.

Etiam sunt seductiones, deceptionisque suspicio, quæ a circumstantiis loci, personarum gestæque rei serie eruatur : *Ibid.*

Regula autem est, legitimas disrumpendorum sponsalium causas a prudente judicis arbitrio pendere : *Ibid.*

Quod si legitimarum concursus causarum sponsum eximat ab implenda sponsalium fide, ita ut nullis compelli canonicis pœnis et censuris possit, id ipsum æquo jure præstandum erga mulierem est, nullasque monitiones præmittendas esse, quæ, cum de muliere agatur, sunt censurarum vice subrogatæ : *Ibid.*, § 6.

Tantoque securius, quando plusquam semel explorata ejus sensa fuerant, aversum adeo a conjugio pandit animum ut potius intra monasterii claustra vitam finire parata esset, quam tali viro jungi : *Ibid.*

Sponsalia nedum mutuo contrahentium dissensu dissolvi possunt, verum etiam unus ex sponsis, licet alter dissentiat, potest a data fide recedere, si justam habeat resiliendi causam : *For.*, *Sp.*, 29 *nov.* 1783, § 14.

Inter justas et rationabiles causas, ex quibus contracta sponsalia dissolvuntur, locum habet parentum dissensus : *Ibid.*

Nonnulli doctores, pluribus adductis auctoritatibus, tuentur quod sponsalia sine parentum consensu inita illicita sunt, et ob parentum dissensionem dissolvi possunt, licet juramentum intercesserit : *Ibid.*

Statutum est in jure, ut sponsalia quantumlibet jurata, vel ab ipso principio non obligent vel sint omnino dissolvenda quando ex implemento damna timeri possunt : *Ibid.*

Nam de sponsalibus maxime cum persona vilis conditionis contractis, plerumque infelix exitus oriri solet ; hinc hujus generis promissiones quamvis juramento firmatas nihil obligare, et illarum executio impediri debet : *Ibid.*

Fortius prædicta sponsalia neque ex vi juramenti adimplenda foret, si ob gravem parentum indignationem timeatur, ut filii illorum hæreditate privati remaneant : *Ibid.*

Dubium oritur, an ea, quæ de parentum dissensu quoad sponsalia filiorumfamilias statuta sunt locum habeant, si, defuncto patre, mater tantum supersit : *Ibid.*, § 15.

Affirmativa tenetur sententia, ea ratione ut in sponsalibus filiorumfamilias parentum consensus requiritur, non ratione patriæ potestatis, sed ut debitus honor ipsis servetur, qui quidem honor ex Decalogi præcepto æque tribuendum est patri ac matri : *Ibid.*

Parentum dissensus præpedit exequutionem sponsalium filiorumfamilias, et illorum matrimonia sic contracta illicita sunt : *Ibid.*, § 16.

Si parentes ipsi justa de causa assentiri renuant voluntati filiorum, qui indignum matrimonium contrahere desiderant : *Ibid.*

Quæ autem matrimonia jure indigna censentur, id judicis arbitrio et prudentiæ judicandum reliquitur : *Ibid.*

Qua de causa hæc regula assignatur ad rectum ferendum judicium ; nempe spectanda est progenies utriusque conjugis, seu nobilitas, animi bona, mores, divitiæ, legitima natalitia, et alia : *Ibid.*

Concilium Foroliviense statuit, si dissensus parentum rationabili nitatur fundamento, justam afferre causam, qua sponsalia, etsi jurata, dissolvantur : *Ibid.*, § 17.

Si sponsus, contractis sponsalibus, ad aliam se conferat provinciam, tenetur sponsa eum expectare per triennium : *Med.*, 18 *sept.* 1723, § 2.

Si autem sponsus absit, sed degat in eadem provincia, tenetur sponsa expectare per biennium : *Ibid.*

Si vero sponsus absit ex causa necessaria, tenetur sponsa illum expectare usquequo cesset impedimentum : *Ibid.*

In jure canonico autem statutum reperitur quod, si aliqui, præsito juramento, promittunt se aliquas mulieres ducturos, et ad alias partes sese inde conferunt, liberum erit mulieribus (si non est amplius in facto processum) ad alia vota se transferre, recepta tamen de perjurio pœnitentia, si per eos steterit quominus fuerit matrimonium consummatum : *Ibid.*

Hinc nonnulli putant ut jus hoc canonicum derogaverit juri civili : *Ibid.*, § 3.

Nonnulli negativam amplectuntur sententiam sub obtentu, quod dispositio juris canonici procedat, postquam fuerit expectatum tempus statutum a jure civili : *Ibid.*

Alii putant jus civile nihil habere commune in præsenti materia cum jure canonico, ex quo jus civile loquitur de sponsalium dissolutione ad effectum lucrandi sponsalitias largitates, de quo casu jus canonicum non loquitur : *Ibid.*

Alii volunt dispositionem juris civilis non extendi ad sponsalia contracta inter baptizatos, quum contractus sponsalitius initus inter ipsos habeat pro materia et objecto contractum matrimonii elevatum ad esse sacramenti : *Ibid.*

Promittens se aliam non ducturum in uxorem nisi talem mulierem, non dicit se absolute et simpliciter obligasse ad contrahendum matrimonium cum illa, sed tantum hypothesi in qua statum eligere velit conjugalem, juxta theoriam Antonii de Butrio, in cap. *Ex parte*, 1, *de Spon.* : *Med.*, *Sp.*, 14 *apr.* 1725, § 2.

Quando autem ex aliis conjecturis deprehendi potest ut hoc modo promittens habuisset intentionem contrahendi sponsalia, receditur a theoria præfata : *Ibid.*

Nec dissensus patris, nec vanus exhæredationis timor sufficiunt ad hoc ut sponsalia dissolvantur : *Ibid.*, § ult.

Superventum ebrietatis vitium justam causam præbet dissolutioni sponsalium, quum ex ebrietate, non corporis, sed animi mutatio consurgat : *Dub.*, *Sp.*, 22 *sept.* 1725, § ult.

Deflorans virginem sub fide matrimonii est omnino cogendus cum omnibus pœnis canonicis descriptis in cap. 2 *de Adult. et Stup.*, ad eam in uxorem ducendam, absque eo quod esset locus electioni, vel nubendi, vel dotandi, quando præcipue deflorans et deflorata paris sint conditionis : *Lycien.*, *Spon.*, *dec.* 1728, § 4.

Amplia : etiamsi promissio viri fuisset ficta et simulata, quia, dum mulier adimplevit ex parte sua, patiendo se deflorari, tenetur etiam et alter implere, et ex justitia vere contrahere, et sic fictus promissor tenetur stupratam desponsare : *Ibid.*

Sponsalia conditionata non obligant nisi impleta conditione : *Worn.*, *Sp.*, 21 *apr.* 1731, § 4.

Sponsalia quando jurejurando firmata sunt, satis non est ancillæ voluntaria testificatio ad vitandum matrimonium : *Fulg.*, *Matr.*, 11 *dec.* 1756, § 2.

Præsertim si ancilla laboret exceptionibus, veluti inhonestatis, quo casu etiamsi non ageretur de sponsalibus juratis adhuc matrimonium impediri non deberet : *Ibid.*

Et satis est reddi dubiam impedimenti præsumpti veritatem, ut sacrorum canonum dispositioni locus sit, quæ vult ad suspicionem purgandam deferendum esse mulieri sacramentum : *Ibid.*

Si ex matrimonio ineundo mutuæ inter conjuges aversiones, odia et populi offensio timeri possent, non leve id præbet pro sponsalium dissolutione argumentum : *Muc. seu Asc.*, *Spon.*, 28 *aug.* 1773, § 8.

Et pro dissolutione nulla monitio præcedi debet, quæ in sacris canonibus non noscitur, nisi certa sponsalium probatio habeatur, et injusta mulieris reluctantia deprehendatur : *Ibid.*

Nec ad monitionem procedi potest, nisi sponsalia juramento fuerint roborata : *Ibid.*

Sponsalibus initis ita obligatur vir, ut juris remediis compelli valeat ad matrimonium cum sponsa ineundum : *Bononien.*, *Sp.*, 26 *mart.* 1735, § 2.

Mulier aliqua etiam levi causa suffragante potest, sponso invito, præsertim a sponsalibus quæ non fuerint juramento firmata, resilire, eique permittantur nuptiæ cum alia persona sibi benevisa : *Ibid.*

Contractis sponsalibus non indistincte alteruter compelli potest ad ineundum conjugium ; mulier vero moneri solum debet, non vero cogi præcise potest : *Fav.*, *Sp.*, 4 *maii* 1771, § 7.

Contra vero vir potest utique per censuras aliasque graves pœnas compelli ad implendam fidem : *Ibid.*, § 8.

Non est compellenda mulier ad fidem, quam circumventa et decepta dedit, servandam, præsertim quando satis æqua videatur causa a sponsalibus resiliendi, ex dissensu consanguineorum, et matris indignatione, quæ exhæredationem minatur, qui justus timor in hac re visus est : *Fan. seu Pis.*, *Sp.*, 14 *dec.* 1743, § 10.

Lis quæ agitur justam non præbet causam resiliendi a sponsalibus, cum unusquisque post inita sponsalia posset in fraudem judiciales querelas de iis proponere : *Mac. seu Asc.*, *Sp.*, 28 *aug.* 1773, § 16.

A sponsalibus recedere potest alter ex sponsis, si legitima subsit causa : *Senog.*, *Sp.*, 27 *sept.* 1748, § 4.

Sed puella maxime reluctans ad invisas nuptias cogi nequit : *Ibid.*, § 6.

Aliquoties abstinendum est ab ulteriori coactione injuncta puellæ dotatione : *Fav.*, *Sp.*, 4 *maii* 1771, § 2.

Etiam dum agitur de puella stuprata et constanter recusata : *Ibid.*

Licet patris consensus non sit pro validitate matrimonii necessarius, dissensus tamen sufficere dicitur pro dissolvendis sponsalibus ; quum in casu non obedientiæ, magnum in re familiari posset præjudicium inferri : *Neap.*, *Sp.*, 23 *aug.* 1721, § ult.

Exhæredatio filio a patre intentata causa est ut filius nuptias abjiciat : *Neap.*, *Sp.*, 31 *jul.* 1728, § 5.

Causa etiam recedendi a nuptiis sunt inimicitiæ inter contrahentium consanguineos exortæ, propter quas judicis mandato interposita est cautio de non offendendo : *Ibid.*, § 6.

Mulier, quæ absque impulsione sponsalia legi-

tima contraxit, compellenda est censuris et districtione ecclesiastica, ut datam fidem liberet, et impleat promissionem futuræ individuæ consuetudinis et societatis connubialis : *Fan. seu Pis., Sp.*, 14 *dec.* 1743, § 6.

Et nulla habenda est ratio exhæredationis filiæ non obsequenti ab irata matre indictæ, quod nulla iræ, nulla exhæredationis, nulla recusationis maternæ legitima et justa causa proponatur, quando nulla ratione impares hæ nuptiæ sunt, nec metus exhæredationis, quam mater minatur, legitima causa filiæ esse potest, a sponsalibus contractis resiliendi : *Ibid.*

Nonnulli doctores sentiunt renuntiatione unius ex sponsis solvi talia sponsalia in futurum tempus concepta, dummodo tamen res integra sit, et renunciantem ad ea exequenda monendum quidem, non vero cogendum esse censura ac districtione ecclesiastica, ne quid forte deterius contingat, quia coactiones solent difficiles exitus habere : *Ib.*, § 8.

Si forte autem in adimplendis sponsalibus jam contractis, alter ex sponsis, vel uterque eorum, pactis olim conventis stare recusent, tunc equidem ambo cogendi sunt pactorum conventorum verba sequi, et ea accipere juxta loquendi usum et consuetudinem, non juxta captum sensumve suum : *Ibid.*

Alii tamen hanc esse aiunt differentiam inter virum et mulierem, ut vir qui renuat datam fidem liberare cogendus sit, et censuris compellendus, mulieri autem renuncianti succurrendum esse propter infirmitatem consilii, et sexus imbecillitatem : *Ibid.*, § 9.

§ III.

Sponsalia quoad probationem.

Sponsalia, utpote quæ maximum nativæ ingenui hominis libertati vulnus inferunt, adeo rigide adeoque perfecte locupletissimis undique probationibus esse evincenda, ut nullum ambigendi locum relinquant : *Rom. seu Com., Sp.*, 24 *nov.* 1781, § 7.

Ita ut in quolibet etiam dubietatis anfractu pro omnimoda sponsalium exclusione sit pronuntiandum : *Ibid.*

Ut sponsalia sint perfecta et obligatoria, tria debent copulative concurrere et servari in sponsalium contractu : *Ibid.*

Primum, ut inter contrahentes mutua ac voluntaria futuri matrimonii jurata promissio intercesserit : *Ibid.*

Secundum, ut ea fuerit accepta : *Ibid.*

Tertium, ut ex aliquo externo signo manifestata fuerit juxta utriusque juris censuram : *Ibid.*

Unum ex dictis requisitis probare non valet singularis testis : *Ibid.*, § 12.

Sed omnia, aut ex syngrapha, aut ex concordi responsione testium omni exceptione majorum comprobari debent : *Ibid.*, § 13.

Cum ex dictis requisitis copulativis vis obligatoria contractus insurgat : *Ibid.*

Petitio, promissio et repromissio simplex non dicitur futuri matrimonii mutua promissio : *Ibid.*

Ideoque non dicitur verus contractus sponsalium, nec obligat ad nubendum : *Ibid.*

Insuper, præter recensita requisita, firmari debet contractus juramento, ut si deficiat, licitum est alicui ex contrahentibus resilire, ac cum alia persona de novo contrahere : *Ibid.*, § 14.

Neque ex defectu juramenti cogi potest ad exequendum primum contractum : *Ibid.*

Communiter receptum est : sponsaliorum contractus, veluti maxime onerosus, atque a reciproca utriusque contrahentis promissione dependens, debet ab eo, qui sponsalium executionem postulat, plene adeo et concludenter probari, ut, si vagis tantum et ambiguis argumentis innitatur, pro libertate alterius in judicium vocati sit pronuntiandum : *Senog., Sp.*, 27 *sept.* 1738, § 2.

Et sponsalia ut probentur contracta, requiruntur testes fide digni et non suspecti : *Ibid.*, § 3.

Sponsalia censentur inita sub conditione, nisi gravis quæpiam mutatio in persona, fama, aut in bonis alterius ex sponsis supervenerit : *Ibid.*, § 5.

Sponsalia inita non dicuntur, si repromissio accesserit eo tempore quo altera a promissione expresse vel tacite resilierat : *Ead. caus.*, 30 *mart.* 1737, § 4.

§ IV.

Sponsalia quoad ratihabitionem.

Expressiones amoris adjectæ in litteris amatoriis a sponsis scriptæ non præ se ferunt sponsalium ratihabitionem, sed tantum desiderium contrahendi matrimonium : *Mac. seu Asc., Sp.*, 28 *aug.* 1773, § 7.

Multoque minus ratihabitio eruitur ex puellæ scientia et silentio, quod ad modestiam potius et ad metum erga patrem reverentialem, quam ad sponsalium approbationem referri debet : *Ibid.*

§ V.

Sponsalia quoad validitatem vel nullitatem

In jure receptum est, nonnisi mutua futuri matrimonii promissione sponsalia contrahi : *Senog., Sp.*, 30 *mart.* 1737, § 2.

Et ex sola sponsione, quæ alteri de sponsalibus

secum ineundis facta fuerit, nullum oritur impedimentum quominus sponsalia et matrimonium cum alia persona possint valide celebrari : *Ibid.*

Sponsalia contracta non dicuntur ex verbis præ se ferentibus propositam duntaxat, et non positivam promissionem futuri matrimonii : *Fav.*, *Sp* , 18 *maii* 1737, § 7.

Sponsalia non contrahuntur, si post promissionem unius, nec subsequatur alterius repromissio : *Ibid.*

Sponsalia tacite inita censentur sub conditione, si congrua dos præstetur, ita ut ea non constituta, tacite revocata censeantur : *Ibid.*

Ex testimoniis mulierum, quæ amicitia et sanguine conjunctæ sunt mulieri, et suo in examine ita sibi contradixerunt, et inverisimilia deposuerunt, ut neque affertum stuprum ex magnificata consuetudine deductum, neque controversa sponsalia inde probari possint, præsertim ad effectum ipsum compellendi ad matrimonium : *Nuc. Pug.*, *Sp.*, 17 *dec.* 1735, § 4.

Nonnulla comprobata remaneant ex testibus asserta, quum vigeat publica fama de sponsalibus, etiamsi nulla afferatur scriptura : *Gnes.*, *Matr.*, 17 *dec.* 1735, § 2.

Apoca futurorum sponsalium, quando scripta est a puella ætate minori, ignorantibus consanguineis, inconsulta matre tutrice et curatrice, non uno tempore atque invicem a sponsis tradita, sed ex intervallo, et, quod rei caput est, incaute et levitate illa qua teneræ virgines in nuptias feruntur (aliorum nempe suasionibus, suggestionibus et blanditiis) uti invalida censentur, nec alia sponsalia rite legeque contracta fuisse aiunt doctores : *Fan. seu Pis.*, *Sp.*, 14 *dec.* 1743, § 7.

Ex verbis, quibus positivus consensus et reciproca promissio matrimonium in futurum contrahendi non exprimantur, vera sponsalia non inducuntur : *Nuc. Pag* , *Sp.*, 17 *dec.* 1735, § 2.

Secus, si verba verum sponsalium contractum præ se ferant, inspecto potissimum, quod vir, illis nondum probatis, in signum fidei mulieri traditæ ipsius manum statim acceperit : *Ibid.*

Hinc vir ad nuptias cum muliere non imparis ceteroquin conditionis ineundas juris remediis, atque etiam ecclesiasticis censuris compelli debet : *Ibid.*

Ad probanda sponsalia satis est testimonium mulierum, utpote quæ de loco secreto, tempore, verbis aliisque facti circumstantiis, quibus eadem sponsalia contracta affirmantur, deponunt : *Ibid.*, § 7.

Item comprobatur ex muneribus sibi invicem missis, quia verisimile non est, virum se voluisse absque futuri matrimonii promissione admittere ad eam familiaritatem, adeo intrinsecam et suspectam ex qua summum dedecus suæ familiæ obveniret, si ille ad controversas nuptias non cogeretur : *Ibid.*

Pro filiis absentibus possunt parentes sponsalia contrahere, et satis est ut filii non contradicant : *Mac. seu Asc.*, *Sp.*, 28 *aug.* 1773, § 16.

Sponsalia a patruo contracta absente et ignorante virgine, nec unquam ab ea ratihabita, sunt nulla : *Saler.*, *Sp.*, 9 *jun.* 1725, § 2.

Sponsalia contracta ante apostolicam dispensationem a quarto et quinto consanguinitatis gradu, sunt nulla, etiamsi fuissent contracta sub conditione dispensationis obtinendæ : *Ibid.*, § 3.

Sponsalia contracta inter hæreticum et catholicam sunt nulla, nec ullum producere possunt effectum : *Dub.*, *Sp.*, 22 *sept.* 1726, § 2.

Alii temperant assertionem hanc, ut non procedat in regionibus, in quibus catholici permixtim vivunt cum hæreticis, et sibi invicem non adversantur, et in eo quod attinet ad has regiones, docent valida esse sponsalia inter hæreticum et catholicam : *Ibid.*, § 3.

Ambigi nequit sponsalia, per vim et metum injuste incussum conciliata, nulla et irrita esse : *Fav.*, *Sp.*, 4 *maii* 1771, § 10.

Idque procedit tametsi juramento fuerint confirmata, quia juramentum non supplet defectum consensus substantialiter requisiti ad validitatem contractus : *Ibid.*

Sponsalia vi metuque per superiorem ab inexperto et formidoloso adolescente extorta penitus nulla et irrita sunt : *Ibid.*, § 3.

Sponsalia, canonico impedimento intercedente, inita, etiam sub spe obtinendæ dispensationis, irrita sunt, nec vinculum obligationis inducere, sed post impetratam dispensationem novus requiritur consensus, ut priora sponsalia convalescant : *Jan.*, *Spon.*, 12 *dec.* 1733, § 4.

Alii doctores sic censent distinguendum, ut si impedimentum tale sit, ut Pontifex vel non possit, vel non soleat illud tollere, tunc sponsalia nullam pariant obligationem : *Ibid* , § 5.

At si soleat Pontifex super hujusmodi impedimento dispensare, in hac hypothesi sponsalia valida sunt, non tanquam absolute inita, sed tanquam contracta conditione, cujus implementum curare tenentur sponsi, adeo ut neutri liceat altero invito a fide data resilire sive ante, sive post impetratam dispensationem : *Ibid.*

SPONSUS, SPONSA. Vide *Sponsalia.*

STALLUM IN CHORO. Vide *Beneficiati*, § XI; *Canonici*, § XIV; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV.

Status.

Status dicitur immutatus notabiliter, si accedat gravis bonorum jactura, quæ honestam familiam

ad gravem inopiam redegerit : *Mac. seu Asc., Sp.*, 18 *aug.* 1773, § 19.

Status qui fundationem immediate subsequuti sunt, vim maximam habent ad fundationis qualitatem interpretandam : *Brict., Serv.*, 14 *dec.* 1771, § 7.

Status reddituum minus recte factus est in casu quo prædia non in quinque, uti supponebatur, sed in quatuor partes divisa ad sationem sunt destinata : *Nep., Rest. ec.*, 30 *maii* 1772, § 4.

Status etsi unicus clerico favens ad excludendam qualitatem sacerdotalem sufficit : *Com., Ben.*, 13 *jul*, 1771, § 8,

Reliqua. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xxx ; *Canonicatus*, § xii ; *Capellania*, § xi ; *Ecclesia*, § viii ; *Juspatronatus*, § x.

Status ultimus. Vide *Ultimus status*.

Statuta. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § xiii ; *Sodalitium*, § ix.

Statutum, statuta.

Ubi statutum aliquid introducit præter juris communis dispositionem cum certis modificationibus, quidquid in eo exprimitur, reputandum est pro forma : *Ord., Cap.*, 11 *sept.* 1728, § 8.

Improbantur statuta et consuetudines juxta quæ aliquid persolvitur occasione electionis, collationis, vel possessionis canonicatuum et præbendarum, quoties cedat in privatum commodum canonicorum ; secus, si erogetur in usus pios, dummodo in hoc secundo casu non excedat fructus ultra semestre : *Leod., Cap.*, 30 *sept.* 1730, § 6.

Consuetudo, seu statutum injungens prandium præstandum a noviter admissis fuit indistincte reprobatum : *Ibid.*, § 7.

Ita, si quis velit parare prandium juxta statutum et immemorabilem consuetudinem, prandium prohiberi non debeat, dummodo convivium sit frugale et moderatum : *Ibid.*

Valet statutum capitulare de solvendo aliquam summam a noviter receptis in favorem fabricæ, vel sacrarii : *Ibid.*, § 9.

Dubitatur an hujusmodi statuta condi possint a capitulo sine approbatione et consensu superioris. Garzia tenet non posse : *Ibid.*

Jure statuta moderari et corrigi possunt ab Episcopo : *Cer.*, 17 *apr.* 1790, § 8.

Statuta interpretationem passivam recipiunt a jure et a consuetudine : *Ser., dub.*, 15 *febr.* 1772, § 4.

Statutum vim legis habet : *Taur., Mis. conv.*, 10 *jul.* 1790, § 3.

Statuti interpretatio vel ex verbis ipsis desumi posse videtur, vel ex statuentium mente, vel ex subsequuta observantia : *Ger., Jub.*, 15 *febr.* 1772, § 16.

Statutum, quod capitulares obtinentes per resignationem, vel dimissionem, dignitatem vel præbendam nihil percipiunt de fructibus tempore vacationis, tanquam simoniacæ labis vel sordidæ avaritiæ suspicionem habens improbatur : *Burg.*, 18 *sept.* 1779, § 4.

Statuta pro regimine ordinum, religionum, confraternitatum et congregationum communicari non possunt ordinibus, confraternitatibus et congregationibus, nisi prius ab Episcopo examinata, et pro ratione loci approbata fuerint : *Civit. Cast., Tax. fun.*, 13 *jul.* 1765, § 18.

Et, licet approbata, semper subsunt Episcopi decretis, moderationi et correctioni : *Ibid.*

Statutum qualecumque ecclesiæ peculiaris non est attendendum, quando non est a Sede Apostolica confirmatum, et imo fuit reprobatum, utpote sacris canonibus et Concilio Tridentino contrarium : *Leod.*, 18 *aug.* 1770, § 4.

Statuta laicorum irrita sunt, quæ connubii vinculum tangunt, sed etiam ea quæ pœnam decernunt causa matrimonii : *Mac.*, 19 *aug.* 1761, § 4.

Ideoque non valet laicorum statuta, quibus fœminæ possidentes hæreditatem prohibentur extra patriam nubere : *Ibid.*

Quemadmodum etiam invalidæ reputantur pœnæ a statuto laicali impositæ contra filiosfamilias nubentes cum dissensu patris : *Ibid.*, § 3.

Nec sub specie honestatis, vel publicæ utilitatis, datum est laicis hujusmodi licentiam pœnis coercere, sed in casibus particularibus recurrendum est ad judicem ecclesiasticum, ut, suo interposito officio, indignas nuptias prohibeat : *Ibid.*

Constitutiones Apostolicæ et conciliaris dispositio improbant statuta ecclesiarum tradendi aliquid canonicis per præbendatum noviter admissum, tanquam simonia redolentia : *Ast., Vis. SS. LL.*, 10 *febr.* 1781, §§ 6 et 7.

Constitutio principis civitatis non tollit specialia locorum statuta : *Rip., Fun.*, 12 *mart.* 1796, § 6.

Statutum cleri Romani.

Additiones ad statutum cleri Romani fuerunt declarationes in vim universalis legis editæ : *Neap., Matr.*, 11 *jul.* 1767, § 21.

Eadem ubique proinde servandæ sunt pro recta Concilii Trid. interpretatione : *Ibid.*

Maxime, quia in qualibet Concilii Trid., et Apostolicarum constitutionum ambiguitate sola Urbis consuetudo haberi solet pro lege in universo orbe,

et normam Episcopis aliisque inferioribus prælatis tribuere debet : *Ibid.*

Stemma gentilitium.

Stemmata præ se ferunt indicium admodum fallax et æquivocum, cum etiam ecclesiæ benefactorem indicare valeant : *Nep., Rest. eccl.*, 28 *aug.* 1773, § 13.

Stemmata testatoris non sunt removenda a regularibus, quibus idem testator concessit usum duntaxat, et non dominium ecclesiæ, imo amota restituenda sunt in pristinum, ne præjudicium irrogetur juripatronatus honorifico : *Jan., Cap.*, 22 *jan.* 1752, § 2.

Stipendium.

Si quem abesse contingat, jure prohibetur ut lucretur stipendium, quod competit causa personalis servitii : *Col.*, 14 *febr.* 1767, § 16.

Nec prodest intervenientium voluntas et assensus, ut ille pro præsenti haberetur, quod improbatum est in jure canonico : *Ibid.*

Si Episcopus possit adigere sacerdotem ut populo sacrum faciat diebus festis, etiam indicere potest populo ut celebranti sacerdoti consuetum stipendium elargiatur : 20 *aug.* 1768, *in Vot. secr.*, § 22.

Reliqua. Vide *Vicarius curatus*, § I.

Stola quoad delationem.

Delatio stolæ solum a sacerdotibus vel diaconibus adhiberi potest : *Fir., Cap.*, 12 *mart.* 1774, § 6.

Stolam deferre nequit in functionibus procurator unius ecclesiæ, si adsit abbas dignioris ecclesiæ : *Senog., Præc.*, 12 *dec.* 1778, § 12.

Strena. Vide *Episcopus*, § XXIV.

Studia.

Causa studiorum inter pietatis opera præcipua et potior est censenda : *Vic.*, 8 *jun.* 1765, § 6.

Studiorum causa erectio universitatis vel publicæ scholæ maximam redolet publicam utilitatem : *Sant., Com. vol.*, 21 *jul.* 1764, § 6.

Quia ita instituuntur juvenes, et illustrantur loca : *Ibid.*

Decet quam maxime ut studiorum professoribus salaria non vulgaria assignentur : *Fan., Coll. stud.*, 8 *aug.* 1767, § 18.

Et in more fuit ut iis, qui in universalibus profiterentur, mercedes, vel e publico principis ærario, vel civitatum, attributæ fuerint : *Ibid.*

Imo statutum est, ut per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos ejusdem et scholasticos pauperes gratis instrueret, competens aliquod beneficium præberetur, quo docentis necessitas sublevaretur, et discentibus via pateret ad doctrinam : *Ibid.*

Studiorum causa absentia. Vide *Absentia studiorum causa.*

Studiorum universitas. Vide *Universitas studiorum.*

Stuprator, Stuprum.

Stuprantibus a jure arbitrium conceditur, vel ducendi in uxorem, vel ei dotem præstandi : *Rag.*, 31 *mart.* 1770, § 4.

Dum præter gravem corporis pœnam, etiam dotem præstitit, abunde onus suum implevit, sibique facultatem nubendi aliam, quam maluerit, comparavit : *Ibid.*

Stuprator solvens dotem, et per semestre carceris pœnam subiens, a quavis alia obligatione ex causa stupri solutus remansit : *Ibid.*, § 11.

Et idem crimen sibi obesse non potest in curia ecclesiastica, quominus litteras testimoniales status liberi obtineat, aliasque nuptias contrahat : *Ibid.*

Stuprum fuisse patratum sub fide matrimonii concludentissimis probationibus evinci oportet : *Ibid.*, § 5.

Nihil suffragatur vulgata præsumptio habiti commercii sub fide matrimonii, cum ea nec concludentis probationis vices suppleat, nec locum habeat, ubi illibata honestas deest, et res est de personis disparis conditionis : *Ibid.*

Et ex longævo tredecim annorum spatio omnis ex stupro actio fuit sublata, quum hæc quinque annorum spatio præscribatur : *Ibid.*

Variæ pœnæ a jure civili infliguntur iis qui stuprum commiserunt : *Ibid.*, § 7.

In veteri jure canonico cautum est ut stuprator aut dotabit virginem seductam, aut habebit uxorem : *Ibid.*

Et D. Gregorius Magnus, moderato antiqui juris rigore, statuit ut aut quam stupravit uxorem habeat, aut, si renuendam putaverit, corporaliter sit castigatus, excommunicatusque in monasterio detrudatur : *Ibid.*, § 8.

Hinc apud omnes receptum est, defloratorem teneri vel ad ducendam in uxorem quam cognovit, vel ad illam dotandam : *Ibid.*, § 9.

Recepta ideo ubique est consuetudo et praxis omnium fere tribunalium ut stuprator non ab-

solute cogendus sit ad nubendum, sed in ipsius arbitrio sit, soluta dote ab omni onere et obligatione se eximere : *Ibid.*

Sed quando constat de stupro passo cum accepta fide matrimonii, ab hujusmodi nexu per simplicem oblationem dotis non eximitur stuprator, sed ad ineundum matrimonium opportunis juris remediis cogendus est : *Ibid.*, § 10.

Promissio matrimonii mulieri longe disparis conditionis a viro facta, non obligat, sed ea censetur emissa ad extorquendum stuprum, quum ipsa mulier bene cognoscere possit promissionem matrimonii fieri ut stuprum extorqueat, et sine animo eam exequendi : *Vigil., Matr.*, 23 *jun.* 1725, § 12.

Crimen stupri mixti fori a judice laico cognitum, et sententia in rem judicatam transacta, ex causa dicti stupri iterum molestias pati reus non potest : *Rag.*, 31 *mar.* 1770, § 3.

Nec idem crimen etiam in curia ecclesiastica proponi amplius potest : *Ibid.*

Non multum a meretrecibus distant quæ stuprum passæ turpiter deinde, licet secreto, vivunt : *Melev., Subs. dot.*, 12 *jul.* 1794, § 5.

Subdelegatus.

Vita functo delegante, cessat qualitatem in subdelegato, et quamlibet jurisdictionem : *Luc., Matr.*, 4 *maii* 1771, § 9.

Subdiaconus. Vide *Sacramentum Ordinis.*

Subditus.

Subditus ex privilegio habetur pro vero et originario subdito : *Vel., Cap.*, 26 *jan.* 1782, § 7.

Sed iis quæ subditorum sunt, et quæ subditis sive ex statuto, sive ex testamento competunt, frui non potest, nisi probetur, præter civilitatem acquisitam ex privilegio, morari et domicilium habere in aliquo ex feudis cum onerum supportatione : *Ibid.*

Aliter privilegio non obstante, habetur tanquam forensis, et alienigena : *Ibid.*

Nemo hodie est Episcopi subditus, ut ab eo possit ordines suscipere, nisi ejusdem beneficii reditus ad congruam ejus conservationem sufficiunt, et beneficium ipsum ab ordinando pacifice possideatur : *Tar., Ord.*, 1 *jul.* 1741, § 4.

Qui mansionariam, quæ pro ordinatione sufficiens est, juxta taxam diœceseos, in aliqua civitate obtinuit, subditus civitatis illius evadit : *Vest. seu Syp., Ord.*, 11 *maii* 1720, § 4.

Subjectio.

Subjectio ab origine profecta non cessat per subjectionem ex domicilio comparatam : *Bon. seu Ferr., Ord.*, 14 *nov.* 1733, § 4.

Et sequitur haberi posse geminam subjectionem idoneam ad rite suscipiendos ordines ab alterutro, quam maluerit, Ordinario : *Ibid.*

Subjectionis validum est argumentum, dum insignia apposita sunt et retenta in majori janua ecclesiæ, et in parietibus monasterii : *Bric., seu Null. S. Ruph., Jur. par.*, 26 *nov.* 1768, § 2.

Imo si comprobetur insuper ex alia monialium confessione, et ex pluribus actibus exercitis : *Ibid.*

Præsertim si habetur id ex testibus, qui, etsi de simplici auditu, attendi merentur : *Ibid.*

Demum oculis corporeis subjici ex carta topographica a duobus publicis peritis maxime exarata cernitur : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Monasterium*, § III ; *Oratorium*, § VI.

Subreptio. Vide *Gratia*, § V ; *Indultum pontificium*, § IV.

Subrogatio. Vide *Bona ecclesiastica*, § IX ; *Ecclesia parochialis*, § VI ; *Examinatores*, § II ; *Subsidium dotale*, § XII.

Subsidium charitativum. Vide *Episcopus*, § XXV.

Subsidium dotale.

§ I.

Subsidium dotale in genere.

Subsidia dotalia ad facilius conciliandas nuptias constituta sunt ; sine quibus subsidiis evanescere matrimonii occasio potest : *Null. Ter. Pont.*, 26 *jan.* 1771, § 13.

Subsidium dotale respicit publicam utilitatem, et est opus summopere commendandum : *Sant., Com. vol.*, 21 *jul.* 1764, § 5.

Dotis solutio negari non potest sequutis nuptiis : *Ferr., Subs. dot*, 15 *jan.* 1780, § 5.

Promissa debentur subsidia dotalia, quatenus puellæ nubant : *Cam., Subs. dot.*, 22 *aug.* 1795 § 3.

Ad administratorem et exequutorem testamentarium pertinent subscriptio et traditio schedæ dotalis : *Nep., Dot. sup. trad. sch.*, 24 *jan.* 1795, § 3.

Dos congrua dimetienda est ex viribus paterni patrimonii, solitoque familiæ ; subsidiaria vero ad

necessitatem : *Luc.*, *Subs. dot.*, 27 *aug.* 1791, § 4.

Dotis causa uti favorabilior est anteferenda privatæ sodalium utilitati pro dimissione æris alieni ab eis contracti : *Arim.*, *Subs. dot.*, 15 *dec.* 1759, § 4.

Dos jure actionis debita post sequutam etiam professionem, vel matrimonium, vindicari potest : *Cæs.*, *Subs. dot.*, 29 *nov.* 1788, § 13.

Mulier dicitur indotata aut minus sufficienter dotata, si bona in actu matrimonii assignanda, vel sint applicata, aut assignatio post obitum parentum suum effectum sit habitura : *Neop.*, *Matr.*, 4 *jul.* 1722, § 6.

Subsidium dotale relictum est sub conditione, quatenus puellæ nubant, eaque idcirco deficiente, legatum extinguitur : *Rom. seu Sp.*, *Subs. dot.*, 20 *mart.* 1790, § 5.

Maxime si de relicto agatur extranei, quod omnino requirit, ut nuptiæ sequatur : *Ibid.*

Dos mulieris, quæ innupta obiit, propter statutum castri fœminarum exclusivum, detrahi debet a triente, non autem a reliquis duabus partibus ad substitutos pertinentibus : *Mont. Fal.*, *Exp. lit.*, 20 *aug.* 1768, § 10.

Dotis legatum accipi debet de manu hæredis : *Spol.*, *Subs. dot.*, 8 *febr.* 1794, § 5.

Annuum dotis legatum est perpetuum, nec nunquam interrupta esse debet illius largitio : *Ibid.*, § 10.

Deficit in uno anno, deficiente conditione : *Ibid.* § 6.

Caducatur tunc in favorem hæredis, et deberi incipit anno sequenti : *Ibid.*

In annuis enim relictis tot sunt legata quot anni : *Ibid.*

Eaque sumenda est interpretatio, quæ minus gravet hæredem : *Ibid.*, § 9.

Legatum dotis relictum puellis consanguineis, extendi non debet ad extraneas : *Ibid.*, § 10.

Dotes caducæ iterum conferri debent, ubi respexit testator ad pium dotationis opus in genere : *Ibid.*, § 7,

Dotes item devolutæ ob non contractum matrimonium, veluti ob non sequutum dotationis effectum : *Ibid.*

§ II.

Subsidium dotale quoad caducitatem.

Caducata dos accrescit legatario, qui respectu rei legatæ quodammodo hæres est : *Rom. seu Sp.*, *Subs. dot.*, 20 *mart.* 1790, § 5.

Quando ad certam testator non respexit puellam in specie, sed ad opus pium dotationis in genere per locum pium addici non potest, sed iterum caducatæ dotes sunt conferendæ : *Ibid.*, § 8.

Quoad dotes caducatas attendi observantia debet : *Rom. seu Sp.*, 20 *mart.* 1790, § 6.

§ III.

Subsidium dotale quoad commutationem.

Quandoque subsidia dotalia ad tempus assignantur pro alenda consanguinea testatoris in monasterio, si testator hunc casum non prævidit : *Rom.*, *Subs. dot.*, 19 *sept.* 1789, § 3.

§ IV.

Subsidium dotale quoad consecrationem.

Non dissimilis puellæ dos est constituenda, quam quæ sorori fuerit olim constituta : *Vel.*, *Subs. dot.*, 30 *jul.* 1774, § 7.

Dotalis subsidii petitio non admittitur post contractum matrimonium : *Melev.*, *Subs. dot.*, 30 *aug.* 1791, § 4.

Prodest tamen si facta fuerit ante contractas nuptias : *Ibid.*

Nulla est ratio cur alieni subsidii particeps fiat : *Rom.*, 17 *jan.* 1789, § 3.

Maxime si invadere contendit jus indultariis quæsitum, ac eorum subsidii partem post diuturnum 10 annorum silentium tollere : *Ibid.*

Pro consecutione subsidiorum dotalium, quæ pauperibus relicta sunt, sufficit paupertas respectiva ad proprium statum : *Rom.*, *Subs. dot.*, 21 *nov.* 1761, § 5.

Quando testator minime contemplavit puellas certi generis, sed generice vocavit omnes puellas pauperes et honestas, facilius gratia indulgetur, tanquam nulli præjudicialis : *Ibid.*, § 6.

Nec obstat, quod puella undecimo gradu distet a testatore, quia præsumpta illius affectio ad hunc effectum extenditur ad quoscumque gradus : *Ibid.*

Subsidia dotalia censentur relicta pauperibus puellis, nisi eis obsint divitiæ paternæ : *Nul. Ter. Pont.*, *Subs. dot.*, 15 *jan.* 1791, § 5.

Eisque tantum concedi etiam consuetum est cumulum : *Ibid.*

Et vocatis a testatore puellis debetur jus actionis : *Ibid.*, § 6.

Ubi unum testator in puellis dotandis expressit requisitum consanguinitatis, noluisse censetur alterum paupertatis : *Ibid.*

Subsidia dotalia pauperibus puellis relicta ex præsumpta testatoris voluntate, et ex ordinata cha-

ritate assignantur puellis testatoris consanguineis pauperibus, si contemplatæ sint puellæ de genere incerto, ita ut nulli jus sit quæsitum, et gratia nulli afferat præjudicium : *Rom. seu Præn., Subs. dot.*, 27 *jun.* 1761, § 9.

Pauperum filiæ comparantur parentibus orbatis, ideo saltem in istarum defectum sunt admittendæ ad participationem legati : *Lisb.*, 10 *maii* 1760, § 4.

Subsidium dotale consequi debet puella, quæ qualitatibus a testatore requisitis pollet : *Rom. seu Null., Subl. leg.*, 26 *mart.* 1791, § 4.

Deneganda non est distributio dotium consanguineis testatoris ex reditibus quos ad nominationem suæ familiæ in eam præcise causam ipsemet testator distribui mandavit : *Rom., Subs. dot.*, 8 *jul.* 1769, § 4.

Contraria testatoris voluntate resistente, non admittuntur puellæ cum testatore conjunctæ ad consecutionem subsidiorum dotalium ultra quartum gradum juxta jus civile dimetiendum : *Rom., Subs. dot.*, 17 *jun.* 1778, § 3.

Contraria resistens voluntas tunc dicitur, quando testator proneptem suam exclusit : *Ibid.*, § 10.

Subsidia dotalia tribuenda veniunt puellis a testatore descendentibus usque ad decimum gradum juxta regulas intestatæ successionis : *Fir., Subs. dot.*, 10 *jan.* 1778, § 10.

§ V.

Subsidium dotale quoad cumulum.

Subsidium dotalium cumulus concedi solet pauperibus testatoris consanguineis : *Fir., Subs. dot.*, 8 *febr.* 1794, § 5 ; *Ferr., Subs. dot.*, 23 *jan.* 1796, § 4.

Puellæ consanguineæ testatoris et pauperes merentur cumulum subsidiorum dotalium : *Cam., Subs. dot.*, 22 *aug.* 1795, § 4.

Hæc est consuetudo Apostolicæ Sedis facile concedendi applicationem plurium subsidiorum dotalium vel redituum complurium annorum ad constituendam dotem alicui puellæ de familia testatoris : *Pist., Subs. dot*, 2 *jun.* 1742, § 8.

Potissimæ concedendi dotium cumulum causæ sunt paupertas puellæ vocatæ, sanguinisque conjunctio cum testatore : *Ferr., Subs. dot.*, 14 *jan.* 1792, § 4.

Et major in hoc adhibenda est indulgentia erga puellas nubentes in Domino : *Ibid.*

Maxime, cum expressa non resistet testatoris voluntas, nec ulla fit incertis aliis puellis ad subsidia dotalia vocatis injuria : *Ibid.*

Concedi debet puellis consanguineis cumulus dotium, ad quas incertæ vocantur puellæ : *Firm., Red. on.*, 18 *jul.* 1795, § 3.

Post dotem consequutam, liberum amplius non est dotis incrementum exposcere, ne testatoris dispositio fraudetur : *Vilet., Subs. dot.*, 30 *jul.* 1774, § 8.

Despecta inani gloria nominationis servari debet charitas erga pauperes, et curari implementum voluntatis testatoris, quæ uberius implebitur, si pauperibus puellis de ipsius familia cumulus dotium conferatur : *Rom., Subs. dot.*, 21 *nov.* 1772, § 7.

Et potior est causa pietatis et dilectionis erga consanguineos, vel affines, quam jucundum nominationis arbitrium : *Ibid.*

Subsidiorum dotalium cumulum filiabus competere in summa, quam habuit earum mater, et matertera, spectatis præsertim circumstantiis nobilitatis natalium, numerosæ prolis, et tenuitatis patrimonii propriæ domus : *Fabr., Subs. dot.*, 19 *apr.* 1777, § 4.

Pro dotium cumulo, paupertas, et simul conjunctio cum sanguine testatoris plurimi facit : *Rom.*, 3 *mart.* 1787, § 2.

Maxime si ad dotes vocatæ sint puellæ incertæ, et nulli propterea fit injuria : *Ibid.*

Per cumulum diu expectatum subsidiorum dotalium, inanis reddi quodammodo non debet Pontificia gratia, quin effectum habeat : *Rom., Subs. dot.*, 7 *jun.* 1788, § 6.

De jure subsidia dotalia pauperibus delicta censentur : *Vel., Subs. dot.*, 23 *febr.* 1793, § 11.

Eisque duntaxat concedi solet illorum cumulus : *Ibid.*

Subsidiorum dotalium cumulus denegatur, accedente aliarum puellarum præjudicio : *Ibid.*

§ VI.

Subsidium dotale quoad deletionem.

Hæres ultra vires hæreditarias gravari non debet, et si redituum deficientia testatori innotuisset, deletioni subsidiorum dotalium et ipse consensisset : *Nov.*, 11 *jun.* 1774, § 4.

§ VII.

Subsidium dotale quoad distributionem.

Ob inopiam subsidia dotalia relinqui solent : *Mon. Fal., Subs. dot.*, 29 *jun.* 1791, § 6.

Facta petitione dotis ante nuptias initas post illas etiam deberi censetur : *Ibid.*

Testator sollicitus de uno requisito consanguinitatis, dici potest alterum noluisse paupertatis : *Ibid.*

De subsidiis dotalibus pro matrimonio spirituali relictis, an etiam tertiariis domi viventibus, vel in communi absque emissione votorum degentibus præstari debeant? affirmative tenent nonnulli doctores ; alii negative putant : *Tusc.*, 16 *maii* 1767, § 16.

Ordinata charitas, et præsumpta testatoris mens suadet ut subsidia ex illius præcepto distribuenda pauperibus puellis assignentur ejusdem consanguineis pro modo congruæ dotis : *Rom. seu Sab.*, *Subs. dot.*, 11 *apr.* 1761, § 4.

Et ad hunc effectum sufficit paupertas respectiva : *Ibid.*, § 5.

Atque, licet sint puellæ consanguineæ uno gradu remotiores, præsumpta tamen testatoris affectio ad hunc effectum extenditur ad quoscumque gradus : *Ibid.*

Consonum est præsumptæ testatoris voluntati, atque affectioni, ut in suos magis quam in ceteros charitatis subsidium conferatur : *Rom.*, *Subs. dot.*, 21 *nov.* 1772, § 4.

Puella, quæ in provecta ætate constituta reperitur, majori indiget subsidio, quo adjuta decenti possit matrimonio collocari : *Vel.*, *Subs. dot.*, 30 *jul.* 1774, § 3.

Experientia compertum est, et naturalis ratio suadet, puellas, quæ ætate sunt provectiores, eo magis dotali subsidio indigere : *Fan.*, *Subs. dot.*, 13 *jul.* 1771, § 5.

Receptum est ratione ordinatæ charitatis, et præsumptæ mentis testatoris, ut subsidia ex illius præcepto distribuenda egenis puellis assignentur ejusdem consanguineis, et congrua eis dos constituatur : *Rom. seu Sab.*, *Sub. dot.*, 27 *mart.* 1762, § 4.

Ideo, cum nemini sit jus quæsitum, eo minus incongrua videri debet consanguineorum oblatio, quæ nulli est allatura præjudicium : *Ibid.*

Et ad effectum de quo agitur requiritur paupertas, non præcisa, sed respectiva ad proprium statum : *Ibid.*, § 5.

Et in dimetienda congruitate dotis circumstantiæ spectandæ sunt : *Ibid.*

Nonnulli censent, ut executor testamentarius non possit distribuere dotes ante tempus a testatore præfinitum, tum propter præjudicium virginum tali tempore eligendarum, tum quia non servatur ad unguem testatoris voluntas : *Reat.*, *Leg.*, 2 *dec.* 1719, § 7.

Nonnulli autem e contra putant, tum quia in legato relicto virginibus incertis non est excogitabilis ulla particularis affectio testatoris, tum quia ejus animæ magis expedit ut legatum citius impleatur : *Ibid.*

Subsidia dotalia a piis benefactoribus destinata puellis, ut eædem ita provisæ possint aliquando, vel in Domino nubere, nonnisi contra ipsorum voluntatem distribuerentur si mulieribus jam nuptis contingeret assignari : *Rom.*, *Sub. dot.*, 1 *aug.* 1739, § 5.

In jure subsidium dotale, puellis quæ in capillis adhuc vivunt relictum, potest mulieribus consanguineis etiam nuptis, si eædem pauperes sint, assignari : *Ibid.*, § 7.

Et ratio est singularis affectio testatoris ad suam familiam seu genus potius quam in aliis mulieribus, quando paupertas adest : *Ibid.*

Subsidia dotalia tribuenda veniunt puellis in quarto gradu cum testatore conjunctis, licet testator nullam assignaverit prælationem : *Fer.*, *Sub. dot.*, 22 *dec.* 1781, § 8.

Sed ex intuitu naturalis charitatis, atque præsumpta testatoris affectione erga ejus consanguineas, præsertim si summa egestate laborent : *Ibid.*

Quum testator, ex sola pietate, fructus hæreditatis voluisset ut in subsidia dotalia erogarentur, colligi debet ejus mentem fuisse ut pauperes honestæ, bonisque moribus imbutæ, prognatæ bonis puellæ nominarentur, et inter has seligi debent pauperiores, parentibus orbatæ, miserabiles : *Rom.*, *Sub. dot.*, 11 *aug.* 1753, § 3.

Subsidia dotalia ex præsumpta testatoris voluntate longe majora præstanda sunt uni consanguineæ, quam quæ pluribus extraneis, sive uno, sive pluribus annis distribuenda essent : *Rom.*, *Sub. dot.*, 17 *jan.* 1756, § 4.

Puellarum damnum facile spernendum est, quando distributio dotium respiciat personas extraneas, et sorte extrahendas : *Arim.*, *Sub. dot.*, 15 *dec.* 1759, § 3.

Et citationis defectus nihil officit cum extrajudicialiter hac in re procedendum est : *Ibid.*

Puella, licet sit a testatore descendens, qualitatibus ab eodem requisitis destituta, omnino a petitæ dotis consecutione repelli debet : *Rom.*, *Sub. dot.*, 21 *nov.* 1772, § 9.

Pinguius impletur testatoris voluntas, si pluribus distribuantur subsidia, quæ pro sex puellis forent exuberantia : *Lisb.*, 10 *maii* 1760, § 4.

Præsertim in legato incertis personis relicto, in quo nulli jus quæsitum dici potest : *Ibid.*

Absurdum est, ut divites puellæ ratione tantum consanguinitatis subsidia dotalia percipiant pauperibus destinata : *Rom.*, *Sub. dot.*, 8 *jul.* 1769, § 8.

Et puellæ consanguinitatis vinculo testatori conjunctæ tunc admitti debeant ad subsidia dotalia,

quando ita sunt fortunæ bonis destitutæ, ut aliunde dotem sperare nequeant : *Ibid.*

Præstanda non sunt subsidia dotalia puellis consanguineis, quæ propriàs ex eodem testamento dotes habeant : *Rom., Sub. dot.*, 7 *jun.* 1788, § 7.

Dotes relictæ *per il maritaggio di una Zitella* non debentur nuptis : *Spal., Sub. dot.*, 7 *febr.* 1794, § 8.

Impedita facultas petendi ante nuptias legatum æquivalet petitioni, quæ jus nuptis servat ad dotem : *Ibid.*

Subsidia dotalia præstanda monialibus tria solemnia vota profitentibus, dari nequeunt puellis in convictu et conservatorio profitentibus : *Præem., Sub. dot.* 11 *jan.* 1744, § 7.

Deficiente paupertate puellæ, familiæ incongruum est ejus nomine dotem postulare : *Rom. seu Sub., Sub. dot.*, 20 *dec.* 1766, § 15.

§ VIII.

Subsidium dotale quoad jus puellas nominandi.

Jus nominandi puellas ad certum subsidium dotale primo actu consumitur : *Rom. seu Sp.*, 20 *mart.* 1790, § 6.

Potior est anterior nominatio ad subsidium dotale : *Foro Semp., Sub. dot.*, 8 *aug.* 1789, § 7.

Absque collatorum dotis culpa privandi illi non sunt jure nominandi : *Imol., Dot.*, 17 *sept.* 1791, § 7.

Ei tributa est potestas eligendi puellas, cui datum est arbitrium distribuendi subsidia : *Foro Semp., Sub. dot.*, 8 *aug.* 1789, § 8.

Factum collatoris subsidiorum dotalium impugnari nequit nomine incertarum puellarum quibus nulla fit injuria : *Fir., Trans.*, 13 *jun.* 1795, § 14.

Nominatio facta ad subsidia dotalia per eum, qui substitutus fuit in causa renitentiæ alterius, sustineri debet : *Præn., Sub. dot.*, 24 *jan.* 1778, § 7.

Puellæ, quæ sunt nominatæ ab eo qui nominandi potestate caret, nullum jus ad dotalia subsidia acquisierunt : *Senog., Sub. dot.*, 14 *maii* 1774, § 6.

§ IX.

Subsidium dotale quoad prælationem.

Prælatio puellis de ipsa testatoris familia debetur super ceteras extraneas puellas ex ordinata charitate, et præsumpta mente testatoris, non pro sola quantitate ceteris puellis distribuenda, sed pro majori numero dotium : *Alatr., Dot.*, 3 *febr.* 1776, § 4 ; *Nar., Sub. dot.*, 21 *aug.* 1762, § 5 ; *Nar., Sub. dot.*, 28 *nov.* 1795, § 6 ; *Rom., Sub. dot.*, 1 *dec.* 1736, § 4 ; *Ferr., Sub. dot.*, 14 *dec.* 1765, § 6.

Præsertim cum nemini sit jus quæsitum, eo minus incongrua videri debet consanguineorum dotatio, quæ nulli est allatura præjudicium : *Ibid.*, § 6.

Et quoad puellas sorte extrahendas, hujusmodi præjudicium vel considerabile non est, vel silere debet e conspectu æquioris causæ, quæ favet puellis testatori conjunctis et æque pauperibus : *Ibid.*, § 7.

Præsertim inspecto hujusmodi præjudicium, non perpetuum, sed temporale esse, illudque promanare ab ipsamet indole concedendæ gratiæ : *Ibid.*

Puellæ ex sanguine testatoris prælative ad puellas incertas ad dotes assequendas considerari debent : *Rom., Subs. dot.*, 15 *mart.* 1777, § 4.

Non est enim præsumibile defunctum, qui extranearum puellarum indigentiis per gratuitas largitiones occurrere studuerit, propriis consanguineis opportunam subventionem negavisse : *Ibid.*

Quod si testator aliquas fœminas de agnatione sua et familia dotaverit, evincitur affectio etiam erga remotiores habuisse, ad hoc ut extraneis præferantur : *Ibid.*, § 5.

Quando testator in prælatione consanguinearum vel affinium, si adessent, adjecit dictionem *semper*, vel cujusvis gradus, vel in perpetuum, et similibus, tunc consanguineæ, sive sint in decimo, sive in vigesimo, trigesimo et ulteriori gradu, puellis incertis indispensabiliter præferendæ sunt : *Ibid.*, § 8.

Si testator præcipit simpliciter, ut ejus consanguineæ, vel proximiores, in dotatione præferantur, et tunc illæ tanquam expressæ vocatæ, et ex debito justitiæ venientes, admittuntur usque ad decimum gradum juxta juris civilis regulas computandum, et non ultra : *Ibid.*, § 9.

Si nulla data fuit prælatio consanguineis, tunc, intuitu naturalis charitatis, et propter præsumptam testatoris affectionem erga suos consanguineos, et hæc præsumpta affectio non excedit quartum gradum juri civili computandum : *Ibid.*, § 10.

Puellæ consanguineæ præferendæ sunt extraneis et incertis, quarum præjudicium, utpote remotum, accidentale, et de futuro, non attenditur : *Fabr., Subs. dot.*, 19 *apr.* 1777, § 4.

Attinentes sanguine testatoris venire possunt ad

petendum subsidium dotale, aut ob consanguinitatem, aut ob paupertatem, et si utroque nomine petant, ceteris præferendæ sunt : *Fan., Subs. dot.*, 12 *mart.* 1785, § 4.

Tunc eis nedum præsumpta faveret testatoris voluntas, sed etiam expressa non adversatur : *Ibid.*

Et ratio est, quia, dum præcipit fundator, an super puellis pauperibus sortes jacerentur, posuit in conditione attinentes omnes de suo sanguine : *Ibid.*

Conjici non abunde potest eam fuisse fundatoris mentem, ut si inter pauperes puellas aliqua consanguinea adesset, suspensa sortitione, eidem legatum conferretur : *Ibid.*

Nullis extantibus puellis de familia vocata, extraneis tanquam incertis nulla fit injuria, si consanguineæ testatoris, quibus præsumpta favet illius voluntas, præferantur ; *Rom. seu Sab., Sub. dot.*, 26 *apr.* 1788, § 4.

Æquum est ut puellæ, tanquam consanguineæ testatoris, extraneis præferantur puellis, et suam dotem ex medietate etiam subsidiorum relictorum consequantur : *Rom., Sub. dot.*, 7 *jan.* 1788, § 6.

Maxime si vocatæ ad subsidia dotalia sint puellæ incertæ, et nulli idcirco fit injuria : *Ibid.*

Ad dotalia subsidia relicta consanguineis præfertur pauperior, licet remotior : *Vel., Subs. dot.*, 23 *febr.* 1793, § 4.

Conceditur secundum alios prælatio consanguineæ proximiori tanquam magis dilectæ ; ob similia præsertim exempla : *Ibid.*, § 12.

In prælatione consanguinearum testatoris, non infertur præjudicium puellis quæ jus incertum habent, cum non vocentur puellæ certi generis : *Ibid.*, § 6.

Nec abest actio suis filialibus competens pro consecutione dotis super ascendentali fideicommisso pii testatoris : *Ibid.*

Quando ex eodem fideicommisso detrahendum nihil remanet, et summa a testatore designata consumpta est : *Ibid.*

Limitatur, si testator vocaverit puellas egenas, quia tunc requiritur paupertas absoluta : *Ibid.*, § 7.

Vel si consanguineæ testatoris consequi possint dotem a fideicommisso avito, non obstante prohibitione alienandi præter summam designatam : *Ibid.*

Ad dotalia subsidia incertis puellis relicta ex naturali charitatis ordine præferri debent consanguineæ, eisque pauperibus cumulus etiam conceditur : *Ass., Subs. dot.*, 16 *apr.* 1771, § 2.

Præsertim consanguineis, qui non possunt congruam et maternæ similem dotem expectare a proprio genitore, inspecta patrimonii tenuitate : *Ibid.*

Et illis pauperibus conceditur etiam illarum cumulus : *Ibid.*, § 3.

Atque concedendus est ad honestatem dotandæ : *Ibid.*

Et si deberetur dos jure actionis, seu expressa testatoris voluntate, concedenda est in eadem quantitate dotis maternæ : *Ibid.*

Ac etiam conceditur ad meram quantitatem potius, ut subsidiaria fert dotatio : *Ibid.*

Et favor consanguineæ vincit incertas puellas, quibus nulla fit injuria : *Ibid.*

Prælatio a testatore suis descendentibus tributa ita est intelligenda, ut ipsæ præferri debeant in consecutione subsidii dotalis, quod cuilibet extraneæ puellæ tribueretur, non tamen ut subsidiorum cumulus fiat ad congruam dotem parandam, qua nuptias conciliare sibi possint : *Vel., Sub. dot.*, 30 *jul.* 1774, § 9.

Et hæc prælatio descendentibus tantum competit, si qualitatibus polleant a testatore requisitis : *Ibid.*

Ne aliter lædantur jure puellarum, quæ extraneæ sunt, et in quarum favorem subsidia dotalia instituta comperiuntur : *Ibid.*

Properes consanguineæ testatoris præferri debent ad dotalia subsidia pauperibus puellis in genere relicta : *Rom., Sub. dot.*, 12 *jul.* 1794, § 4.

Inspectis potissimum aliarum consanguinearum exemplis : *Ibid.*

Nulla enim incertis puellis vocatis fit injuria : *Ibid.*

Ubi nullæ sunt consanguineæ vocatæ, admittuntur ad dotalia subsidia ultra decimum gradum : *Ibid.*, § 5.

Consanguinitas non probatur ex sola identitate cognominis : *Ibid.*

Consanguineis æquiparantur amici : *Mac., Red. Mis.*, 12 *jul.* 1794, § 3.

Consanguinearum vocatio ad certa subsidia earum vocationem excludit ad alia subsidia dotalia : *Rom., Sub. dot.*, 12 *jul.* 1794, § 6.

Pauper consanguinea testatoris extraneis est præferenda ex præsumpta illius voluntate : *Fer., Sub. dot.*, 20 *sept.* 1750, § 4.

Et prælatio illi debetur non pro unico tantum subsidio, sed pro quantitate dotis congruæ, uti S. Congr. Concilii in his casibus elargita est : *Ibid.*

Dos potius agnatis et cognatis testatoris, dummodo pauperes sint, ex præsumpta ipsius voluntate, quam extraneis puellis est tribuenda : *Fer., Sub. dot.*, 15 *jan.* 1780, § 4.

Imo ex æquitate affinibus et consanguineis, quamvis longiori gradu a testatore sejunctis : *Ibid.*

Nihil vetante easdem nuptas esse, si, sub spe et recursu pendente, pro assequenda dote, sese in matrimonium copulaverint : *Ibid.*, § 5.

Puella pauper ex sanguine testatori conjuncta tum ex verisimili illius voluntate, tum ex veteri Sac. Congr. æquitate, ac recepto usu, quibuscumque incertis puellis præferenda est, et quidem pro congrua dote ex iis subsidiis multiplicanda ; etiamsi exequutores testamentarii contrariantur : *Per., Subs. dot.*, 30 *aug.* 1766, § 5.

Et jus incertum puellæ despiciendum est, e conspectu inopis consanguineæ, quæ ex majorum substantia suis desperatis rebus auxilium petat : *Ibid.*, § 7.

Hanc voluntatis interpretationem laudavit, ac recepit Sac. Congr. Concilii : *Fer., Sub. dot.*, 14 *dec.* 1765, § 7.

Dum agitur de subsidio consanguineis prælative relicto, nulla haberi debet ratio paupertatis, proindeque consanguineis debetur, etiamsi aliunde dotari possint : *Rom., Sub. dot.*, 16 *dec.* 1769, § 6.

Puellæ unicæ descendenti ex familia a testatore vocatæ, et paupertate laboranti prælativam consequutionem subsidiorum dotalium est elargienda : *Rom. seu Alat., Sub. dot.*, 18 *nov.* 1769, § 6.

Puella pauper ex fratre testatoris pronepta ad subsidium dotale secundum omnem præsumptam defuncti voluntatem, et secundum omnem regulam juris, est præferenda : *Foro Semp.*, 2 *mart.* 1765, § 6.

Præsertim dum conjuncti nobilitate præfulgent : *Ibid.*

Consonum est voluntati testatoris, ut præferantur puellæ descendentes a viro præ ceteris prædilecto, et hærede instituto, quatenus congrua essent dote destitutæ, ac egestate præmerentur : *Senog., Sub. dot.*, 13 *mart.* 1765, § 6.

Si testator prævidisset descendentes ad egestatem redactas congrua dote destitui, eas vel ad integram hæreditatem, vel ad subsidiorum dotalium consecutionem nimis probabiliter admisisset : *Rom., Sub. dot.*, 13 *nov.* 1772, § 5.

Cum id exigat ordinata charitas, et christiana dilectio, quæ prohibet ne exteri consanguineis præferentur : *Ibid.*

Non debet haberi majoris consanguinitatis ratio, nisi in casu æqualis indigentiæ, et ubi subsidium de proximo haberi nequit : *Rom., Subs. dot.*, 16 *dec.* 1769, § 3.

Et prælatio remotioris minime juris dispositioni repugnat, cum data simpliciter fuerit facultas nominandi unum de familia, atque idcirco satis est ut unus de familia, etiam remotior, eligatur : *Ib.*, § 4.

Et hæc est praxis plurium societatum, in judicio etiam quandoque comprobata : *Ibid.*

Quando agitur de danda prælatione consanguineis ex præsumpta mente testatoris relative ad extraneas puellas nullum jus certum vel quæsitum habentes, satis esse consanguinitatem in genere probari etiam per leviores probationes : *Rom., Subs. dot.*, 21 *nov.* 1761, § 8.

Et ad hunc effectum idonei sunt testes consanguinei, qui melius informati præsumuntur de cognatione : *Ibid.*

Nulla puellis descendentibus testatoris qualitatibus destitutis prælatio competit, earumque incapacitas æquiparatur casui illarum non existentiæ : *Rom., Sub.*, 21 *nov.* 1772, § 11.

In quolibet dubio de jure subsidii dotatis pronuntiandum est pro puellis in Domino nubentibus : *Clar., Subs. dot.*, 5 *jan.* 1790, § 6.

Majorem merentur indulgentiam quoad subsidia dotalia consequenda nubentes in Domino, aliarum præsertim exemplo : *Cam., Sub.*, 16 *dec.* 1797, § 11.

Exploratum est in quocumque casu præferre oportere qui magis pauperes sunt, majorique indigent auxilio : *Rom., Subs. dot.*, 16 *dec.* 1769, § 12.

Congruum est, ut puella ex ea familia major nata, et quæ ad requisitam ætatem quatuordecim annorum jam pervenit, in consecutione subsidii dotalis præferatur : *Fan., Subs.*, 18 *dec.* 1775, § 10.

Deneganda est prælatio ad subsidia dotalia familiæ alicui, contra testatoris expressam voluntatem : *Ibid.*, § 14.

Nec valet illam familiam fuisse primo loco nominatam, cum argumentum ex ordine scripturæ desumptum parvi est faciendum : *Ibid.*

Maxime quando omnes familias indistincte contemplavit, omnesque puellas sortis periculum subire præcepit : *Ibid.*

§ X.

Subsidium dotale quoad quantitatem.

Dotes ob jus ex collatione certaque vocatione quæsitum, integræ servandæ videntur : *Mont. Alt., Sub. dot.*, 16 *dec.* 1797, § 5.

Aliæ puellæ, quibus non est jus ad dotalia subsidia quæsitum, et quæ sunt incertæ, nullam accipiunt injuriam per illorum imminutionem : *Ibid.*

Potest determinari in secunda donatione numerus ac quantitas dotium quæ ex prima ab incerto pendebat a majorum, vel minorum fructuum eventu *Cæsen., Sub. dot.*, 29 *nov.* 1788, § 7.

Fructus sortis subsidiorum dotalium sequuntur illius naturam, et in subsidia dotalia pariter erogari debent : *Rom., Subs. dot.*, 31 *maii* 1794, § 1.

§ XI.

Subsidium dotale quoad reversionem et restitutionem.

In Rota Romana non semel factum est dubium, an dotalia subsidia, quæ redeunt ad loca pia, ex quo puellæ sorte extractæ innuptæ decedant, vel contracto matrimonio sine filiis moriuntur, aliis sint conferendæ : *Æs., Sub. dot.*, 21 *aug.* 1784, § 5.

Et firmatur regula, ut hujusmodi dotes, sive post matrimonium, sive ante nuptias quomodocumque restituendæ, sint impendendæ in dotandis aliis puellis : *Ibid.*

Ac ratio est ex verisimili mente testatoris, qui in dotium institutione nullam peculiarem personam respexit, sed solum præ oculis habuit causam piam : *Ibid.*

Quando bona a pio testatore relinquuntur, et liberam dotium nominationem ad confraternitatem defertur, confraternitas, quum quamcumque personam etiam incertam nominare posset, potest etiam personam præfatam gravare cautione restitutionis, quia illa beneficium dotalis subsidii unice recognoscit ab ipsius nominantis munificentia : *Rom., Dot.*, 18 *nov.* 1723, § 5.

Virgo post quinque menses a die suscepti habitus defuncta dicitur decessisse durante adhuc anno suæ probationis ; ac proinde quemadmodum professio et emissio votorum est nulla, ita debet esse locus restitutioni dotis : *Plac., Rest. dot.*, 3 *sept.* 1729.

Si virgines vero sint simplices oblatæ, tunc dos remanere debet collegio, quia dicuntur mori in statu oblationis, etiamsi decedant ante completum annum : *Ibid.*, § 5.

De jure, dotes reversæ et revertendæ aliis subrogandis puellis dari debent : *Rav., Subs. dot.*, 23 *nov.* 1765, § 12.

Cum hac distinctione, ut aut dotes solutæ non sunt, vel quia puellæ ante matrimonium deceperunt, vel quia justis de causis subsidio dotali privantur, eo casu aliæ sunt subrogandæ : *Ibid.*, § 18.

Quia voluntas testatoris impleri debet, ut eas pecunias puellæ habeant : *Ibid.*

Aut dotes jam datæ revertuntur postquam solutæ fuerant, nempe quia mulieres sine filiis perierunt, et tunc ad loca pia redeunt, non amplius distribuendæ : *Ibid.*, § 19, *et Rom., Subs. dot.*, 16 *jan.* 1768, § 20.

Hac tamen limitatione, nisi aliunde a testatoribus cautum sit, vel peculiari lege statutum, vel legitima consuetudine aliter firmatum fuerit : *Ibid.*

Restitutio summæ in causam anticipatæ dotis a sponso est facienda, vel quando non constat de sponsalibus, vel quando justa supervenit causa ab iis recedendi : *Mac. seu Asc., Sp.*, 28 *aug.* 1773, § 10.

Dos ab extraneo constituta, deficiente stipulatione reversionis, nunquam ad ipsum dotantem revertitur, sed libere donata censetur : *Rom., Dot.*, 18 *nov.* 1724, § 5.

Dotes jam collatæ, quæque ob puellarum interitum vacuæ factæ sunt, ab ipso collatore denuo conferendæ sunt, absque eo quod juris quidquam super iis archiconfraternitas valeat exercere : *Rom., Sub. dot.*, 18 *nov.* 1769, § 5.

Subsidia dotalia, quæ ex pia testatorum dispositione pauperibus puellis distribuuntur, dupliciter reverti possunt, vel quia post contractas nuptias sine filiis decesserint, vel quia innuptæ post eorumdem subsidiorum destinationem obierint : *Rom., Sub. dot.*, 18 *nov.* 1769, § 12.

In primo casu, cum effectus nominationis sequutus jam fuerit, revertuntur subsidia libere ad loca pia, quæ de illis disponere pro libito possunt : *Ibid.*

In secundo casu, sicuti causæ præstandarum dotium nondum fuit satisfactum, ita finis adimpleri debet per novam nominationem, cum prima nominatio pro non facta habeatur : *Ibid.*

Pactum quod reversivum vocant, in dotalibus subsidiis potest ab administratoribus seu præfectis loci pii adjici, si eorumdem subsidiorum distributio ac puellarum nominatio ad ipsos libere spectat, vel si id testator expresse aut tacite voluerit, præcipiens ad normam statutorum, seu consuetudinis ejusdem loci pii dotes distribui; secus vero, si certo puellarum generi per testatorem designato, sive puellis ab alio quam ab ipso loco pio nominatis dotium distributio fieri debeat : *Vit., Sub. dot.*, 11 *apr.* 1739, § 4.

Eam scilicet ob rationem quod, ubi puellæ beneficium sive emolumentum a testatore vel ab eo, qui illas nominavit, non autem a loco pio recipiunt, licitum minime sit pacto reversivo, sive alio quocumque onere a testatoribus non injuncto eas ita dotatas gravare : *Ibid.*

Non est locus restitutioni dotis, quoties injuste sponsa a data fide recedat, et matrimonium ex irrationabili causa non contrahatur : *Mac. seu Ascul., Sp.*, 28 *aug.* 1773, § 17.

Id procedit, etiamsi sponsæ post monitionem in sua repugnantia permanserit : *Ibid.*

Circa articulum an et quando in subsidiis dotalibus liceat apponi pactum reversivum, videndus est cardinalis de Luca : *Spol., Dot.*, 30 *sept.* 1730, § 7.

Varios ille casus distinguit, quorum unus est, quando dotes distribuuntur ad liberam nominationem seu dispositionem loci pii, et in hoc casu apponi valet dictum pactum, ea ratione quia dotata beneficium unice recipit ex munificentia ipsius loci pii nominantis, ideoque recte gravari potest dicto onere, seu pacto reversivo : *Ibid.*

§ XII.

Subsidium dotale quoad subrogationem.

Notissima est et ab omnibus recepta de subsidiis dotalibus distinctio, ut ubi dotes solutæ non sunt, vel quia puellæ ante matrimonium decesserunt, vel quia justis de causis subsidio dotali privantur, sint istorum loco aliæ subrogandæ, quibus dentur : *Rom., Sub. dot.*, 16 *jan.* 1768, § 19.

Et ratio est, quia tunc nominatio dicitur non habuisse effectum, ideoque opus est puellas habere eas pecunias, ut testatoris voluntas impleta dicatur : *Ibid.*

§ XIII.

Subsidium dotale quoad suspensionem.

Suspendi possunt dotes, si per eam certæ dimitterentur puellæ quibus pollicitum est subsidium, idemque suspenderetur beneficium incertis, quibus idcirco nulla fieret injuria : *Rom., Susp. dot.*, 4 *apr.* 1789, § 5.

§ XIV.

Subsidium dotale quoad vocationem.

Dos, relicta puellæ, non debetur nuptæ : *Nul. Ter. Pon., Sub. dot.*, 16 *aug.* 1794, § 5.

Si ejus vero petitio præcessit nuptias, integrum servatur jus patentis : *Ibid.*

Cum sicuti consanguineæ debeatur subsidium dotale jure actionis, debetur etiam diviti : *Ibid.*

Dos debetur pauperibus puellis a testatore quomodocumque descendentibus, ex parte bonorum quæ in ecclesiam collata fuere ab eorum auctoribus : *Sutr., Dot.*, 17 *jun.* 1780, § 6.

Maxime si accedat voluntas fundatoris imminuendi opus pium imminutis reditibus : *Ibid.*

Dotale subsidium certo puellarum generi relictum non debetur puellæ diversi generis ; nisi agatur de consanguineis testatoris : *Rom., Dot.*, 31 *maii* 1794, §§ 3 et 4.

A dotalibus subsidiis relictis pauperibus puellis in genere, exclusæ censentur consanguineæ, quarum familias aliter testator contemplavit : *Rom., Sub. dot.*, 20 *febr.* 1796, § 3.

Quoties petitio dotis præjudicialis deprehenditur aliis passivam vocationem habentibus, debet omnino et in quocumque casu rejici : *Rom., Subs. dot.*, 22 *nov.* 1772, § 11.

Puellæ sanguine conjunctæ, descendenti patronæ, ac pauperrimæ maxime decere ut dos congrua concedatur, tum ex præsumpta testatoris voluntate, tum ex assueta Sum. Pontificum et S. Congr. Concilii æquitate : *Rom., Sub. dot.*, 8 *aug.* 1767, § 9.

Consulendum est puellis vocatis pauperibus, quum aliarum concurrentium adsit incertitudo, quibus nulla fieret injuria : *Im., Dot.*, 17 *sept.* 1791, § 6.

Quum testator vocaverit consanguineas ad quintum usque gradum, gradibus computatis secundum jus canonicum, non civile, et distet puella quinto gradu, debetur ei subsidium ex clara testatoris voluntate : *Spol. seu Per., Sub. dot.*, 16 *maii* 1767, § 5.

Præsertim, quia non agitur de interpretanda lege, sive communi, sive municipali, quæ latiorem interpretationem admitteret ; sed de hominis dispositione stricte intelligenda et servanda : *Ibid.*, § 5.

Ac præcipue de mente testatoris, qui longa origine civitatis natos ascendentes habuerat : *Ibid.*

Additur quod testator nonnullas puellas dicta qualitate carentes speciatim admisit ex suo clarissimo privilegio : *Ibid.*, § 6.

Hinc alias similes puellas rejiciendas esse clarum redditur : *Ibid.*

Nec officit patris puellæ domicilium, quum inter proprios et vere naturales cives esset reputandus, et privilegiis, et beneficiis frui posset, quæ tantum oriundis et civibus ex testamento data sunt : *Ibid.*, § 7.

Puellæ adlectæ, quæ paternam sequuntur originem, excluduntur penitus a subsidiis dotalibus quæ originariam civitatem requirunt : *Foro Semp., Subs. dot.*, 8 *aug.* 1789, § 8.

Maxime, quia adlectionis privilegium in odium verteretur puellarum quæ potiorem habent originis qualitatem : *Ibid.*

Locus non est dotationi puellarum, nisi alia impleantur in antecessum a testatore præscripta : *Arim., Sub. dot., et Fabr. eccl.*, 26 *sept.* 1795, § 6.

Dotatio consanguineæ, demandata ratione sanguinis, non habet privilegium piæ causæ : *Ibid.*

Ubi testator ad subsidia dotalia vocavit puellas certæ familiæ, cum adjectione cognominis, excludere voluisse censetur cognatos : *Ibid.*, § 7.

Nisi vocaverit etiam puellas descendentes ex fœmina : *Ibid.*, § 8.

Earumque vocatio continetur in vocatione descendentium ex modo, vel familia : *Ibid.*

Inter ipsas vero vocatas præferri debent proximiores primo hæredi, atque ætate majores : *Ibid.*

Incapax, et inhabilis puella ex judicio testatoris puellas alias æque passive vocatas habiles et idoneas excludere non debet, neve istis tolli debet jus ex passiva earum vocatione quæsitum : *Rom., Subs. dot.*, 21 *nov.* 1772, § 10.

Passivam vocationem puellæ Romanæ habent, in quarum favorem subsidia dotalia fuerunt relicta : *Ibid.*

SUBSTITUTIO. Vide *Hæres*, § 2.

Substitutio seu Subrogatio.

Substitutio alicujus familiæ a testatore demandata in locum alterius jam extinctæ contemni nequit in gratiam alienæ familiæ a testatore non contemplatæ : *Fan., Subs.*, 18 *dec.* 1773, § 5.

Et mandata subrogatione, ut fieret toties familiarum deficientia evenisset, tunc familiæ etiam in posterum substituendæ æquiparantur aliis in dispositione nominatis, cum omnes parem habeant vocem : *Ibid.*

Atque sine subrogatione haberi non posset perpetuitas a testatore optata, et caducum redderetur legatum, quod illius voluntati omnino repugnat : *Ibid.*, § 6.

Et de jure substitutiones extensionem non admittunt, sed coercentur ad solum casum extinctionis alicujus ex familiis a testatore nominatis : *Ibid.*

Maxime quia testator usus est dictionibus *suddette, sovranominate,* quæ coerctionem important ad casum deficientiæ alicujus ex familiis ex testamento nominatis : *Ibid.*

Et perpetuitas intelligenda est juxta subjectam materiam, et adhæsive ad ea quæ disposita ab ipso fuerant : *Ibid.*

Ac casu quo contingat ut familiæ secundo loco substitutæ ob puellarum copiam præferantur aliis primo loco contemplatis, iisque dotis consecutionem præpediant, tunc testatoris dispositio infringere putatur : *Ibid.*, § 9.

Cum dotale subsidium a testatore institutum relictum sit per modum legati non vero fideicommissi, hinc non sufficit tacita vocatio, sed expressa omnino requiritur : *Ibid.*, § 11.

Et patere potest si testator, dum de subrogatione egerit, adhibuisse dictionem, *sudette,* quæ restrictionem importat, et solum ad personas superius nominatas referri debet : *Ibid.*

Et demandata substitutione *toties quoties* extincta fuit aliqua ex familiis superius ab eo nominatis, præter hunc casum novæ subrogationi locus non est : *Ibid.*, § 11.

Nec obest volitam futuris temporibus perpetuo suæ voluntatis executionem, cum hoc non obstante subrogatio præter casum expressum protrahi non debeat : *Ibid.*

Et demandatum tantummodo fuisse putatur subrogationem in locum familiarum quæ a testatore fuerunt expressæ nominatæ, alias fuisset elusoria hæredis institutio : *Ibid.*, § 13.

Subrogationis virtus ea est, quod subrogans subjici debet omnibus juribus illis cujus in locum subrogatur : *Mac., Jur. fun.*, 15 *jul.* 1780, § 4.

Exploratum est, ut nova qualitas, nova conditio, vel novum gravamen in una substitutione expressum, non officiat personas in priori substitutione comprehensas : *Tol., Can.*, 15 *dec.* 1766, § 11.

Præsertim ubi concurrat tum generis ac personarum diversitas, tum majoris dilectionis causa : *Ibid.*

Substitutio si facta fuerit in eventum certæ conditionis, quærendum non est de mala vel bona fide, sed merum factum debet ad servandam voluntatem testatoris inspici : *Maj., Leg.*, 18 *apr.* 1733, § 5.

Substitutio adimens emolumentum jam collatum et in alium transferens, quamvis pœnæ nomine appellata non fuerit, reipsa vim habet pœnæ sine culpa non subeundæ : *Ibid.*, § 4.

Qui in omnibus honoribus et oneribus in locum suppressi portionarii subrogatur ei competunt omnia jura decessoris : *Tyb., Part.*, 16 *jun.* 1792, § 8.

Plenariæ autem subrogationis argumenta sunt concessio tituli perpetui cum animarum cura, redituum insuper suppressæ portionis assignatio, institutio per concursum, onus applicandi Missam pro populo, atque his similia : *Ibid.*

Substitutiones in casu non aditæ, vel repudiatæ hæreditatis *vulgares* sunt et directæ : *Apr.*, 19 *maii* 1767, § 3.

Ideoque per simplicem aditionem vanescunt : *Ibid.*

Existimari non potest Pontificem voluisse præbendam coadjutorialem in locum magistralis non amplius existentis subrogare, cum subrogatio hujusmodi mutationem qualitatum involvens, expli-

citam mentionem requisivisset : *Com.*, 10 *mart.* 1779, § 13.

Subrogatio pecuniæ numeratæ in locum prædiorum est species emptionis et venditionis, quæ non aliter pio operi quam ex evidenti utilitate permittitur : *Us.*, 20 *jul.* 1793, § 5.

Et quando constet de utilitate ejusdem concedendum est beneplacitum Apostolicum : *Ibid.*

Ille, qui subrogatus est *cum omnibus honoribus et oneribus* in locum alterius, in debitum quoque succedit : *Rom.*, *Sub. dot.*, 4 *apr.* 1789, § 5.

Illudque solvere tenetur de proprio : *Ibid.*

Substitutioni locus non est, quando reperitur clericus de linea a fundatore prædilecta, eique adjudicandum est unice beneficium : *Reat.*, *Cap.*, 14 *maii* 1774, § 4.

Vulgatum est in beneficialibus ut substitutio censeatur semper vulgaris, ac proinde substitutus in casu voluntatis censeri etiam debeat substitutus in casu incapacitatis : *Fan.*, *Cap.*, 26 *aug.* 1769, § 4.

Substitutioni locus est, et jus quæsitum est tertio, quia per plures annos testatoris voluntas, et injuncta conditio impleta non fuerit : *Eyst. seu Bam.*, 14 *mart.* 1767, § 13.

Etiamsi omnis culpa, vel dolus adfuerit, ac nulla mentio, ac interpellatio præcesserit : *Ibid.*

Non impleta conditione, sive ob justum sive ob injustum et ex improviso superventum impedimentum, jam datus locus est substitutioni : *Vit.*, *Pror.*, 30 *aug.* 1766, § 25.

Subrogata celebratione festivitatis loco anniversarii, juxta regulam subrogatorum tantum est præstandum, quantum pro anniversario solvi consueverat : *Aux*, 6 *dec.* 1760, § 4.

Suburbia.

Pars oppidi sunt suburbia, ejusque nomine in sensu juris continentur ; ita ut qui in continentibus Urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur : *Firm.*, 8 *aug.* 1789, § 2.

Successio.

Consanguineis expresse vocatis, seu venientibus ex debito justitiæ, regula juris est ut successio defertur usque ad decimum gradum computandum juxta regulas juris civilis, et non ultra, sive agatur de successionibus vere hæreditariis, sive impropriis, vel ad instar : *Firm.*, *Subs. dot.*, 9 *sept.* 1730, § 5.

Regula ista limitationem quoque recipit ex conjecturis, ex quibus erui possit testatorem ad ulteriores gradus voluisse successionem progredi, inter quas ad præsentem casumea a dnumeratur a doctoribus, quando scilicet testator vocaverit consanguineos et affines cujuscumque gradus, vel aliis indefinitis verbis : *Ibid.*, § 6.

Fallit præcipue regula illa in dispositionibus de sui natura perpetuis, veluti capellaniis, dotibus et eleemosynis, in quibus considerari solet longinqua agnatio, nec habebitur respectus ad rigorosos gradus consanguinitatis : *Ibid.*, § ult.

Neminem latet substitutio nonnisi post gravati obitum ad successionem jus aperiri : *Fabrian.*, *Ap. or. et Ad.*, 17 *jun.* 1786, § 7.

A successione maternæ hæreditatis exclusa fœmina est ob existentiam masculorum vigore statuti quod fœminas excludit : *Velit.*, *Subs. dot.*, 30 *jul.* 1774, § 6.

Reges mortales sunt, respublicæ æternæ, cum fluminis instar sine ulla, quæ ad sensum cadat, mutatione, jugiter fluunt, aliisque abeuntibus, alii continuo succedunt : *Diss. sup. matr.*, 1740, in fin. litt. I, disc. 1, num. 33.

Si antiqua destruatur regiminis species, quo a ceteris discernebatur, et populos et respublicas interire dicimus : *Ibid.*

Successionis jus. Vide *Jus*, § II.

Successores.

Ubi in præceptis contemplatur persona ratione officii, successores dubio procul afficiunt : *Asc.*, 21 *jun.* 1788, § 10.

Successores in beneficio non tenentur onera subire ab antecessoribus suscepta : *Præn.*, *Con.*, 20 *aug.* 1774, § 8.

Suffragia. Vide *Beneficiati*, § XI ; *Capitulum ecclesiasticum*, § XV ; *Mansionarius*, § IV.

Suffragium.

Prioribus seculis Ecclesiæ, expiabantur purgantium animæ per opera misericordiæ et pietatis : *Hip. seu Ep.*, *Ap.*, 17 *sept.* 1791, § 6.

Præcipuum autem misericordiæ locum tenet eleemosyna, et veluti acceptissima Deo maximum illis affert suffragium : *Ibid.*

Majus suffragium haberi non potest in Ecclesia quam Missæ sacrificium, quod propitiatorium est, impetratorium et satisfactorium : *Bit.*, *Ser. ch.*, 26 *jan.* 1771, § 5.

Quod majus suffragium capiat anima defuncti ex Missæ sacrificio, quam ex alio quocumque pio opere, quia virtute sacrificii suffragium prodest per modum solutionis debiti : *Ibid.*

Charitas exigit ut suppleri debeat suffragium,

quo tot per annos fraudata fuit anima testatricis : *Jan.*, *Cap.*, 18 *jul.* 1795, § 6.

Quoties de privato cujuslibet interesse res est, toties omnium debet accedere suffragium, nec pars major minorem dissentientem obligat : *Av.*, *Ser. ch.*, 16 *dec.* 1786, § 7.

Haud facile optatis fraudari debent suffragiis defunctorum : *Tol.*, *Ap. ben.*, 20 *mart.* 1790, § 10.

Suffragium copiosum magis est testatoris animæ proficuum : *Fir.*, *Com. vol.*, 23 *febr.* 1793, § 5.

Defunctorum animæ privari non debent mandatis suffragiis : *Vel.*, *Susp. Miss.*, 5 *jun.* 1790, § 6.

Voluntas testatoris fraudari non debet præscriptis suffragiis : *Phar.*, *Ap.*, 27 *aug.* 1791, § 3.

Sumptus in genere. Vide *Expensæ*, § I.

Sumptus litis. Vide *Expensæ*, § II ; *Matrimonium*, § II.

Supellectilia.

Parochi aliique ecclesiarum rectores adigi non possunt ad subministranda supellectilia sacerdotibus ibidem ex obligatione celebrantibus : *Præn.*, *Con.*, 20 *aug.* 1774, § 14.

Parochi ac ecclesiarum rectores non tenentur supellectilia præbere capellanis in eorum ecclesiis ad celebrandum ex obligatione adstrictis, nisi aliquid emolumenti pro utensilibus percipiant : *Præn.*, *Conc.*, 20 *aug.* 1774, § 19.

Supellectilia etiam appellatione reparationis, et restaurationis ecclesiæ indicantur : *Leod.*, *Pror. in.*, 19 *jan.* 1765, § 5.

Res prætiosæ ad quotidianum usum non destinatæ non comprehenduntur in supellectili legata : *Ap.*, *Red. Miss.*, 20 *sept.* 1794, § 2.

Supplicatio. Vide *Processio*.

Suppressio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xxxi ; *Canonicatus*, § xiii ; *Ecclesia parochialis*, § vi ; *Regularium monasterium*, § iii.

Supranumerarius canonicus. Vide *Canonicus*, § iv.

Suspensio. Vide *Beneficia eccl.*, § xxxiii ; *Legatum pium*, § xxiii ; *Missa*, § xvi ; *Subsidium dotale*, § xiii.

Suspensionis censura. Vide *Censura*, § iii.

Suspensionis censura quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, § v.

Suspensiva appellatio. Vide *Appellatio*, § iii.

Suspensus. Vide *Sacramentum Ordinis*.

Syndicus. Vide *Regulares*, § xii.

Synodale decretum. Vide *Secretum*, § iii.

Synodales constitutiones. Vide *Constitutiones synodales*.

Synodales examinatores. Vide *Examinatores synodales*.

Synodaticum. Vide *Episcopus*, § iii.

Synodus diœcesana.

§ I.

Synodus diœcesana quoad convocationem.

Regulares exempti exercentes curam animarum accedere coguntur ad synodum Episcopi, in cujus diœcesi existunt : *Trev.*, *Jur.*, 2 *april.* 1729, § 9.

Amplia : etiamsi essent nullius diœcesis, adhuc tenentur accedere ad synodum illius Episcopi, qui tanquam vicinior potest eos visitare : *Ibid.* ; et *Vult.*, *Jur.*, 19 *nov.* 1727, § 11.

Omnes curati, sive seculares, sive regulares, quamvis subdantur superioribus religionis, accedere tenentur ad synodum Episcopi in cujus diœcesi existunt : cit. *Vult.*, *ibid.*

Fratres etiam capellani religionis Hierosolymitanæ exercentes curam animarum ad synodum pariter accedere tenentur : *Ibid.*

Quoad clerum, communiter traditum est ut, si in synodo agendum sit de re respiciente totum clerum, videlicet de reformatione morum, et de intimandis decretis provinciæ, tunc accedere tenentur omnes de eodem clero, ita tamen ut ecclesiis debita servitia non subtrahantur : *Ibid.*, §§ 12 et 13.

Episcopus, si super aliquo ex præmissis acturus erit in synodo, debet specialem mentionem facere in edicto convocatorio : *Ibid.*

Ad definiendum num clerus exemptus nec subjectus jurisdictioni ordinariæ debeat accedere ad synodum, inspiciendum est an Episcopus habeat jus visitandi et corrigendi eumdem clerum jure delegato, quia eadem auctoritate delegata posset in casibus respicientibus curam animarum et administrationem sacramentorum, et aliis, eos cogere ad interveniendum ad synodum, quæ consideratur uti præambulum visitationis : *Ibid.*, § 14.

Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 2, *de Roform.*, imposuit enixe exemptis omnibus obligationem accedendi ad synodum diœcesanam : *Crem.*, *Syn.*, 29 *aug.* 1733, § 2.

Neque id est restringendum ad ea solum quæ pertinent ad exercitium curæ animarum : *Ibid.*

Quia ita cavit Sacrum Concilium tantummodo quoad eos exemptos qui capitulis generalibus subduntur : *Ibid.*

Eos excepit a præcepto accedendi ad synodum,

nisi tamen curam animarum gererent, quo casu eos nihilominus synodo interesse voluit : *Ibid.*

Synodo convocato, detrectantes interesse eidem compelli debent juris remediis, ad normam Concilii Trid. : *Matheranen. et Acherunt. Syn.*, 24 *mart.* 1736, § 3.

Quilibet Episcopus duas habens diœceses, quæ inter se sunt æque principaliter unitæ, potest diœcesanam synodum in alterutra celebrare, et utriusque clerum ad eam ubi voluerit convocare : *Ibid.*

Episcopus non solum in civitate, sed in quolibet diœcesis loco synodum convocare potest : *Viter. seu Tust.*, 14 *sept.* 1782, § 2.

Sed si nullum obstet impedimentum, expedit ut illa semper in ecclesia cathedrali celebretur : *Ibid.*

Quando duæ cathedrales ecclesiæ ab uno eodemque Episcopo moderantur, potest Episcopus, inspecta juris severitate, in ecclesia quam maluerit, synodum celebrare, cui ecclesiastici omnes utriusque diœcesis interesse tenentur, editasque constitutiones inviolabiliter servare : *Ibid.*, § 3.

Et ad evitandas inter utramque ecclesiam simultates, et concordiam fovendam, maxime expedire ut synodus, modo in una, modo in alia habeatur : *Ibid.*, § 4.

Si consuetudine invectum fuerit, ut synodus alternis vicibus habeatur in utraque civitate, tunc non ex decentia, sed ex justitia hujusmodi alternatio servanda est : *Ibid.*

Concursus institui tantum potest ab eo qui jus convocandi synodum obtinet, ita ex potestate sibi facta indicendi concursum tributa quoque censeatur facultas synodum congregandi : *Null. seu Mess., Jur. con. syn.*, 14 *jan.* 1738, § 11.

§ II.

Synodus diœcesana quoad constitutiones.

Constitutiones synodales vim legis habent in diœcesi : *Im., Jur. con. voc. cap.*, 14 *maii* 1774, § 5.

Cum non agatur de re aliqua quæ comprehendatur sub dispositione cap. *Quia propter, de Elect.*, constitutio irritum reddere nequit quidquid viva voce fuerit a canonicis statutum : *Ibid.*, § 6.

§ III.

Synodus diœcesana quoad validitatem.

Quum res sit de synodo, quæ quotannis certa die agitur, et de parva diœcesi, mirum non est synodum una die expediri, neque ob id nulla dici potest : *Mart., Par.*, 11 *dec.* 1756.

Taxa.

§ I.

Taxa in genere.

Taxa punctaturarum ob non servatam formam Concil. Trid., sess., 21, cap. 3, *de Reform.*, non substinetur : *Mac.*, 20 *dec.* 1766, § 8.

Et injusta est, ob non habitam rationem nec onerum præbendæ annexorum, nempe cathedratici collectarum, et procurationum, neque emolumentorum parochialium, quæ a canonico curato et beneficiato vice-parocho percipiuntur : *Ibid.*, § 9.

Taxa funerum impressa post ultimam synodum, licet in synodo non promulgata, quæ ultra modum auget emolumenta in civitate jamdiu consueta, abolenda est : *Fav., Præem. et Fun.*, 7 *jun.* 1760, § 6.

Præsertim si evulgata est, non auditis clero et populo, nec impetrata a S. Cong. Concilii approbatione, ut opus est : *Ibid.*

Taxa pro dislocationibus domorum a jure communi definita est in quinque scuta in singulis centum : *Rom., Subs. dot.*, 27 *jun.* 1778, § 11.

§ II.

Taxa Innocentiana.

Taxa Innocentiana licet communiter recepta sit, illa afficit solum curias ecclesiasticas Italiæ : *Ger., Char. sub.*, 26 *jan.* 1760, § 5.

Canonicæ sanctiones vetant ne quid pro administratione sacramentorum, aut cadaverum tumulatione, exigatur, quamvis accipi permittant, si quid fuerit ultro et sponte oblatum : *Tol., Fun.*, 23 *jan.* 1734, § 5.

Et in hac re pia consuetudo largitionis non improbatur, sed est retinenda : *Ibid.*, § 7.

Anno 1678, jussu ven. Innocentii XI edita fuit a S. Congr. Concilii taxa in omnibus ecclesiasticis curiis servanda : *Ibid.*, § 8.

In dicta taxa, firmatur quæ emolumenta exigi

possunt a curiis episcopalibus pro causis ecclesiasticis : *Fer., Vis. SS. LL.*, 16 *mart.* 1782, § 6.

Aliquid percipi prohibetur in totum id quod respicit sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis : *Ibid.*

Quodque ab omnibus indistincte observari injungitur, abrogata penitus quacumque contraria consuetudine : *Ibid.*

Taxa seminarii. Vide *Seminarium*, § v.

Taxatio.

Taxatio subsidiaria possidentium, quando deficiunt reditus ecclesiæ parochialis pro reparatione, descendit a dispositione S. Concilii Tridentini, sess. 21, cap. 7, *de Reform.* : *Sars., Trans. eccl. par.*, 31 *jul.* 1790, § 8.

Taxatio alimentorum. Vide *Alimenta*, § v.

Templum. Vide *Ecclesia*, *Oratorium*.

Tempus. Vide *Electio*, § iii ; *Matrimonium*, § xiii ; *Sacramentum Ordinis*, § iii.

Terminus. Vide *Concursus*, § ix.

Territorium.

Diversum est territorium temporale, de quo civiles leges loquuntur, a territorio spirituali parochiæ, nec ab uno inferri valet ad aliud : *Bur. S. Dom., Leg*, 19 *aug.* 1797, § 6.

Non ita de Roll est Ganzingæ dominus territorialis, quemadmodum erat baro ille a Freubergh : *Bus. seu Const., Un.*, 26 *maii* 1768, § 8.

Reliqua. Vide *Abbas*, § v ; *Ecclesia parochialis*, § ii.

Tertiarii, Tertiariæ regularium.

Leo X, const. 22, *Bull.* tom. 2, decrevit ut Tertiariæ virginalem aut cœlibem vitam simpliciter viventes etiam in consanguineorum et affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, gaudere debeant omnibus privilegiis ordinis, et quod similiter iisdem hisce privilegiis fruantur illæ quæ collegialiter vivunt, et cum habitu regulari virginalem, seu cœlibem, aut castam vitam profitentur : *Lun. Sar., Vis. SS. LL.*, 30 *jan.* 1723, § 3 ; *Cas.*, 26 *jan.* 1726, § 2.

S. Pius in Const. 8 *Bull.* tom. 2, statuit ut mulieres quæ Tertiariæ seu de Pœnitentia dicuntur, cujuscumque fuerint ordinis in congregatione viventes, et ipsæ professæ fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram præcise teneantur; quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii eas hortentur ut profiteantur, et post emissionem professionis clausuræ sese subjiciant, et recusantes amplius non recipiantur : *Ibid.*, § 4 ; *ibid.*, § 3.

Constitutionem hanc S. Pii V restrictam esse aiunt ad Tertiarias quæ in communi, et in congregatione vivunt, et non comprehendere habitantes in domibus propriis, vel consanguineorum, et votum emittentes virginalis aut cœlebis, vel castæ vitæ vidualis : *Ibid.*, §§ 5 et 6 ; *ibid.*, § 4.

Mulieres hæ Tertiariæ, quæ in congregatione extra clausuram vivunt, non potiuntur privilegiis a Sacra Congr. Episcoporum et Regularium concessis, sed relinquuntur sub dispositione const. Pii V : *Ibid.*, § ult.

Præscripta omnibus monialibus clausura, in lucem prodierunt Tertiariæ sequentes institutum regulare alicujus fundationis absque ulla clausura, vel in propriis domibus, vel collegialiter viventes : *Tusc.*, 16 *jan.* 1768, § 13.

Leo X, sua const. *Num initia*, 29 dec. 1516, has non solum non improbavit, imo collegialiter seu cum claustralibus habitantes, voto continentiæ elicito, privilegiis ordinis cujus tertiæ regulæ habitum gestant cumulavit : *Ibid.*

Et, anno 1518, declaravit etiam dictis privilegiis gaudere, si tantum cœlebem vitam simpliciter vivant : *Ibid.*

Sed Pius V voluit ut Tertiariæ collegialiter degant, et cum clausura voto solemne emisso : *Ibid.*, § 14.

Benedictus XIII, in sua const. *Paterna Sedis*, exemit omnes Tertiarios et Tertiarias ordinis Min. de Observantia ab omnimoda jurisdictione Episcoporum et parochorum : *Ibid.*, § 18.

Et in alia incipien. *Prætiosus* eamdem omnimodum exemptionem indulsit Tertiariis omnibus ordinis S. Dominici : *Ibid.*

Sed Clemens XII, const. *Romanus Pontifex*, 28 martii 1732, utramque Benedictinam constitutionem moderatus est, et ad pristinum statum omnia reduxit : *Ibid.*

Tertiariarum institutus diversus est ab illo magistrarum piarum : *Ibid.*, § 21.

Superioribus regularibus sufficienti facultate ad id a Sede Apostolica suffultis, Cappuccinis exceptis, qui de simili facultate donati sunt, libere mulieres ad hujusmodi habitum recipere possunt ; atque ad ipsos eas vestiendi officium pertineat : *Maz.*, 10 *mart.* 1727, § ult.

Ad habitum autem recipere et admittere debent tantum illas quæ probatæ vitæ ac bonis moribus præditæ sunt, et in ætate saltem quadraginta annorum constitutæ, quæ de proprio habent unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris quam cum consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent, et ab Ordinario loci licentiam prius impetraverint, qui

nonnisi prævio examine præfato concedere eam debet : *Ibid.*

Tertiariæ collegialiter viventes seu cum claustralibus habitantes privilegiis Fratrum ordinis, cujus tertiæ regulæ habitum gestant, gaudere debent : *Tus.*, 16 *maii* 1767, § 12.

Et iisdem privilegiis gaudere etiam debeant Tertiariæ vitam cœlibem simpliciter voventes, et in consanguinearum, vel affinium suarum, aut propriis domibus habitantes : *Ibid.*

Sed S. Pius V voluit ut omnes Tertiariæ cujuscumque ordinis votum solemne emittant, et clausuræ subjiciantur : *Ibid.*, § 13.

Huic dispositioni adhæsit S. Congr. Episcop. et Regularium : *Ibid.*, § 14.

Tertiarii, Tertiariæ habentes requisita const. Leonis X sepelienda sunt in ecclesiis ordinis, si adsit in ea communis sepultura pro Tertiariis : *Civit. Cast.*, *Fun.*, 20 *nov.* 1762, § 9.

Tertiariæ, sive collegialiter, sive divisim viventes, semper Episcopo subsunt et ob id injuste eas Episcopo pro tempore obedientiam denegant : *Tusc.*, 16 *jan.* 1768, § 5.

A jurisdictione Ordinarii omnes exemptæ sunt Tertiariæ vitam virginalem vel cœlibem simpliciter expresseque voventes etiam in consanguineorum vel affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes : *Tusc.*, 16 *maii* 1767, § 14.

Et ad Ordinarii judicium spectat, an hæ omnes qualitates in Tertiariis concurrant : *Ibid.*

Superioribus regularibus ad id a Sede Apostolica suffultis licet mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinet : *Ibid.*

Ad habitum non sunt admittendæ nisi probatæ vitæ et bonis moribus præditæ : *Ibid.*

Necnon in ætate saltem 40 annorum constitutæ, quæ de proprio habeant unde sufficienter vivere possint : *Ibid.*

Et necessaria est Ordinarii licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedere debeat, nisi de prædictis prævio examine diligenti sibi constiterit : *Ibid.*

Tertiariæ vero, quæ collegialiter vivunt, penitus subjacent dispositioni constitutionis S. Pii V : *Ibid.*

Sine auctoritate Sedis Apostolicæ nequeunt Tertiariæ ab Episcopo et parochi jurisdictione eximi : *Jan.*, 22 *mart.* 1749, § 1.

Adde quod constitutiones Summorum Pontificum, et præsertim Leonis X, quibus Tertiariæ exemptionem defendunt, revocatæ fuerunt : *Ibid.*

S. Pius V collegia puellarum, quæ Tertiariæ dicuntur, quæve nec clausuram servant, nec solemnia vota emittunt prohibuit, et licet nedum sublata fuerint, nondum tamen fuere probata, tolerantur quidem ita vero ut Episcoporum subsint jurisdictioni : *Ibid.*

Exemptæ sunt ex privilegio Alexandri VI, Tertiariæ ordinis S. Dominici : *Bon.*, *Exemp.*, 16 *jul.* 1790, § 4.

Pro Tertiariis habendas non esse statuit S. Pius V, quæ nec vota emittunt, nec clausuram servant : *Ibid.*

Aliter disposuit Benedictus XIII, const. *Prætiosus ;* sed ejus constitutionem revocavit Clemens XII, const. *Romanus Pontifex* : *Ibid.*

Ideoque exemptionem a parochiali jurisdictione denegant doctores ex Piana constitutione simplicibus Tertiariis : *Ibid.*

Generica tamen Pianæ constitutionis dispositio non derogat speciali indulto Alexandri VI : *Ibid.*, § 7.

Idque declaravit Benedictus XIV quoad Dominicanas Tertiarias Bononienses : *Ibid.*, § 8.

Observantia inducta ex conniventia parochi non præjudicat successoribus : *Ibid.*, § 6.

Maxime si interrupta sit inter medias quæstiones : *Ibid.*

TESTAMENTARIA DISPOSITIO. Vide *Dispositio testamentaria*, *Episcopus*, § VII ; *Exequutor*, § II ; *Regulares*, § XIII ; *Testamentum.*

TESTAMENTUM QUOAD EXEQUUTIONEM. Vide *Exequutor*, § II.

Testamentum.

§ I.

Testamentum quoad facultatem testandi.

Dubium non est quin maritus et uxor possint simul in una et eadem charta facere testamentum : *Sign.*, 20 *sept.* 1788, § 4.

Utrum vero revocare illud valeat superstes quoad propria bona, non conveniunt doctores : *Ibid.*

Nonnulli id negant ; alii affirmant, quum libera cuique sit disponendi facultas usque ad mortem : *Ibid.*, § 5.

Et accommodare censetur voluntatem ad naturam revocabilis actus, qui ex voluntate aliena pendere nequit : *Ibid.*

Imo neque ex pacto fieri valet testamentum irrevocabile : *Ibid.*

Postremus de substitutorum familia testandi facultate potitur : *Elen.*, 18 *dec.* 1773, § 3.

§ II.

Testamentum quoad interpretationem et declarationem.

Ad ambiguam declarandam testamenti litteram,

deferendum est dignis et gravibus testibus : *Spol., Leg.*, 16 *jul.* 1792, § 2.

Verbum *posse*, quo permittit testator Missæ celebrationem aliquo in loco, facultativum est : *Ibid.*, § 4.

Et in hac facultate optio loci competit capellano potius quam hæredi : *Ibid.*

Adhibitum illud verbum tamen in ultima voluntate resolvitur in præceptum : *Ibid.*

Autographi testamenti existentis in archivo verba, prout sonant, sunt accipienda : *Anc.*, 8 *jun.* 1782, § 7.

Nec est per subauditum intellectum superaddenda particula negativa *non*, ne verborum et periodi sensus, necnon testatoris mens et voluntas immutaretur : *Ibid.*

Non verborum cortex spectandus est in testamentis, sed intima mens et voluntas testantis, ejusque ratio præcipua introspicienda, maxime in legatis piis : *Mon. Alti.*, 1 *febr.* 1766, § 3.

De quibus curandum est, quantum fieri potest, ut pinguius et plenius, etsi aliquanto diversius a præscripto modo, impleantur, ac, quod maximum est, tutius conserventur : *Ibid.*

Etsi clara sit lex testamenti, a qua nullo modo recedi potest : *Ibid.*, § 6.

Quando pars aliqua testamenti cum aliis pugnat, melius est ab una parte recedere, quam totam dispositionem subvertere : *Fir., Mans.*, 15 *dec.* 1770, § 9.

Et voluntas testatoris ita interpretari debet, ut in omnibus cohæreat : *Ibid.*

Littera testamenti est solum legitima interpretandi ratio, cetera subtilitatem redolent, ac, ut plurimum, veritati adversantur : *Im.*, 24 *mart.* 1764, § 12.

In testamentis posteriora verba declarant aut derogant priora : *Rom. seu Null., Subs. leg.*, 26 *mart.* 1791, § 4.

Posteriores testamenti partes conciliandæ sunt cum dispositione, ad quam testator relationem habuit per repetita verba, *come di sopra : Viter., Dot.*, 11 *apr.* 1761, § 2.

§ III.

Testamentum nuncupativum, nuncupatione implicita, et per relationem ad schedulam.

Testamentum nuncupativum per relationem ad schedulam ignotum erat prorsus jure civili : *Anag., Er.*, 10 *febr.* 1770, § 7.

Tamen ex communi doctorum opinione ita est receptum, ut non aliter scriptis hæredibus, et substitutis actionem pariat, nisi prius constiterit de identitate et certitudine ipsius schedulæ, cujus relatio subrogata est loco nuncupationis ex ore testatoris a legibus volitæ, ut nempe quod vocis ministerio erat significaturus, scripto palam faceret, atque hujusce generis testamenti est antisignanus : *Ibid.*

Duo requiruntur ad validitatem testamenti : alterum quod constet de certitudine identitatis schedulæ, ad quam fuit habita relatio : *Ibid.*, § 8.

Alterum vero, quod testator consignando ipsam schedulam propriis manibus notario declaret coram testibus, in illa contineri suum testamentum et hæredis institutionem : *Ibid.*

Altero autem deficiente corruit ipso jure testamentum : *Ibid.*

§ IV.

Testamentum quoad probationem, solemnitates et validitatem, vel nullitatem.

De solemnitatibus in testamentis condendis alia sancita sunt jure civili, alia jure canonico seu ecclesiastico : *Anag., Er. cap.*, 9 *jul.* 1768, § 8.

Inter ceteras jure civili præscriptas solemnitates ea recensentur, ut præter testatoris subscriptionem, septem numero rogati testes testamentum signent atque subscribant : *Ibid.*

Excipiuntur tamen testamenta inter liberos : *Ibid.*

Jure autem canonico non aliud requiritur quam ut duo idonei testes et parochus præsentes, vigore cap. *Cum esses*, 10, *de Test.*, sint : *Ibid.*, § 9.

Doctores celebrem agitant quæstionem, an quæ in dicto capite decernuntur, servari tantummodo debeant in terris temporali Ecclesiæ jurisdictioni subjectis, et in utroque foro, vel etiam alibi, et in foro tantum ecclesiastico : *Ibid.*, § 10.

Nonnullis visum est de confessario testatoris intelligi debere quæ in decreto relato habentur *de presbytero suo*, hoc est de parocho, utpote quia confessarius parocho loci succedit : *Ibid.*

Et parocho alterius parochiæ dixit Rota Romana : imo de substituto parochi : *Ibid.*

Pervulgatum est : testamenta ad pias causas non indigent solemnitatibus a jure præscriptis : *Anc., Leg. pii*, 28 *sept.* 1771, § 8.

Sed sat est ut constet de voluntate testatoris, quæ certa sit, omnemque excludat dubietatem : *Ibid.*

Hinc validum erit testamentum proprio testatoris charactere scriptum, et subscriptum, ac sigillo munitum, licet notario coram testibus non fuerit consignatum : *Ibid.*

Quamvis hujusmodi testamenta ex defectu so-

lemnitatum, aut alia aliqua causa nulla sint, atque irritentur, nihilominus legata in illis contenta præstari debent, quoties in controversiam non venit testatoris voluntas : *Ibid.*

Ad validitatem testamenti ad pias causas non requiruntur solemnitates a jure præscriptæ, cum in favorem piæ causæ firma atque efficax habeatur ultima voluntatis testificatio coram duobus testibus facta, etiamsi aliæ solemnitates deficiant : *Ibid.*, § 4.

Eidemque testium numerus non requiritur ad validitatem actus, sed solum ad probationem voluntatis testatoris, qua posita, subsistit dispositio etiam sine testibus, sed a solo testatore scripta aut subscripta : *Ibid.*

Et licet contingat ut testamenta ex aliqua causa irrita sint, nihilominus pia legata in illis contenta præstari debent, dummodo de legantis voluntate non dubitetur : *Ibid.*

In testamentis ecclesiæ causa factis, non secundum leges, sed secundum canones procedi debet : *Vit., Er. can.*, 31 *maii* 1783, § 8.

Hinc duo vel tres idonei testes sufficiunt ad ejusdem validitatem : *Ibid.*; et *Anag., Erect. cap.*, 9 *jul.* 1768, § 11.

Et præsentia testium non est necessaria pro actus validitate, sed solum ut de testatoris voluntate plene constet, ita ut testium defectus per æquipollens suppleri potest : *Ibid.*, § 9.

Schedula, vel scripta, vel subscripta ab ipso testatore, sufficit ad probandam ejus voluntatem, etiamsi nullo sit teste munita : *Ibid.*

Et ratio est, quia haberi non potest major vel efficacior probatio, quam ipsa scriptura exarata manu testatoris, quæ sane vincit quamlibet extrinsecam testium probationem : *Ibid.*

Non obest testamenti validitati defectus subscriptionis testatricis, sive octavi testis ejus loco adhibiti : *Anag., Er. cap.*, 9 *jul.* 1768, § 5.

Limitatur : posita testatoris subscriptione per signum crucis, et testamenti traditione facta notario cum declaratione quod in eo suprema ipsius voluntas contineretur ; ex quibus præsumitur, omnia in testamento contenta fuisse ipsi testatrici notissima, atque eidem præcedenter prædilecta : *Ibid.*

Defectus subscriptionis testatricis, sive octavi testis ejus loco adhibendi, non obest, cum agatur de testamento exarato non in favorem extranei, sed in favorem unicæ filiæ cum substitutione causæ piæ, quo in casu non fuit opus prædicta solemnitate : *Ibid.*

Maxime quia res est de testamento a muliere condito, pro cujus validitate aliquid de juris rigore remittendum est : *Ibid.*

Jure canonico statutum est, ex sacerdotis præsentia quamlibet falsitatis suspicionem exclusam præsumi : *Ibid.*, § 10.

Ad testamenta ad pias causas duo aut tres idonei testes sufficiunt jure canonico : *Ibid.*, § 11.

Imo dicti duo testes non requiruntur ad substantiam et valorem testamenti, ad pias causas, sed tantum ad probationem in foro externo, quando aliunde testatoris voluntas probari nequit : *Ibid.*

Hujusmodi privilegio an gaudeant testamenta in quibus non primario, sed cum substitutione vocatur causa pia, distinguendum : *Ibid.*, § 12.

Aut jus et vocatio piæ causæ adhuc sub incerta conditione manent, ita ut privilegium prius respiciat commodum intermediæ privatæ personæ illud allegantis, et tunc testamentum censuræ et solemnitatibus juris civilis subjacet : *Ibid.*

Aut vero purificata jam conditione, præsens ac certum est jus causæ piæ, factusque jam est locus substitutioni, et in isto casu nihil referat an directa vel obliqua, an proxima vel remota ab initio fuerit causæ piæ vocatio, ut testamentum juris gaudeat privilegiis : *Ibid.*

Testamentum crucis signo firmatum, et notario traditum, nullum est, nisi probetur ante traditionem fuisse lectum testatori : *Anag., Er. cap.*, 14 *mart.* 1772, § 4.

In testamento aliena manu exarato requiritur subscriptio, vel approbatio notarii ad confirmandam apostillam, seu notam marginalem : *Fer., Leg.*, 30 *maii* 1786, § 6.

Neque generalis subscriptio et approbatio potest extendi ad roborandam fidem apostillæ additionalis, quamvis probetur illam fuisse scriptam ab eo qui scripsit integrum testamentum vel codicillum : *Ibid.*

Quod si verba, quæ marginalem notam antecedunt, ad eas coercenda sunt species quæ distincte et singillatim in præcedenti orationis parte enumerantur, ad has quoque cohiberi debeat marginalis additio in eadem oratione contenta : *Ibid.*, § 8.

§ V.

Testamentum quoad ejus revocationem.

Dubitatum est an testamentum ad pias causas solemne per aliud minus solemne possit revocari : *Anc., Leg. pii*, 28 *sept.* 1771, § 9.

Negativam alii, alii affirmativam sequuntur sententiam : *Ibid.*

Et secunda magis est recepta opinio, præsertim si minora onera in secundo testamento fuerint demandata : *Ibid.*

In eo omnes conveniunt, ut si ex mente testato-

ris conjici valeat ipsum condere voluisse testamentum cum omnibus juris solemnitatibus, tunc testamentum minus solemne, nec in favorem causæ piæ, ex defectu voluntatis subsistere poterit : *Ibid.*

Reciprocum testamentum irrevocabile est secundum aliquos in favorem piæ causæ : *Fir., Com. vol.*, 23 *febr.* 1793, § 4.

Contrarium verius ob naturam actus revocabilis usque ad mortem : *Ibid.*

Mutare nequit superstes reciprocam alterius dispositionem : *Ibid.*, § 5.

Neque justam præbet commutandæ dispositionis causam minus solemnis prædefuncti disponentis declaratio : *Ibid.*

Revocari valet testamentum pro sua parte ab uno e duobus testatoribus : *Civit. Pleb., Ben.*, 20 *feb.* 1796, § 4.

Qualitas expressa in primo testamento repetita censetur in secundo, nisi expresse fuerit revocata : *Ibid.*

Testamentum si fuerit notarii manibus repetitum tacite revocatum censetur : *Jan., Leg.*, 28 *sept.* 1737, § 3.

Et si nullum aliud subinde confectum sit, ab intestato hæreditatem deferri voluisse testatorem censetur : *Ibid.*

Ac communiter receptum est, legata quæcumque etiam ad pias causas relicta judicari adempta, si testamentum, vel codicilli, in quibus ea conscripta sunt, non ex legis dispositione, sive facto hæredis rumpantur, sed ex ipsa testatoris voluntate revocentur : *Ibid.*

Reliqua quoad testamentum. Vide *Dispositio testamentaria, Episcopus*, § vii ; *Exequutor*, § ii ; *Regulares*, § xiii.

Testator.

§ I.

Testator in genere.

In dubium revocari nequit testatori legata dare sub conditione, eaque adimere licere : *Cal., Cont.*, 14 *mart.* 1750, § 2.

Prohibitio testatoris nunquam manifestam iniquitatem secum ferre potest ex text. in leg. *Cum quidam, de Usuris : Tud., Red. oner.*, 8 *apr.* 1775, § 6.

Testatori proximior succedit ab intestato in hæreditatem vacantem : *Sutr.*, 16 *jan.* 1792, § 2.

Sed per testamentum cessat omnis causa intestati : *Ibid.*

In casu intestatæ successionis jure defertur hæreditas proximioribus agnatis et cognatis, non item affinibus : *Ibid.*

§ II.

Testator quos censetur prædilexisse.

Testatoris affectio erga suos consanguineos præsumi nequit, ultra quartum gradum, juxta jus civile computandum : *Rom., Subs. dot.*, 27 *jun.* 1778, § 3.

Limitatur regula hæc, quando testator puellas certas aliis præferendas esse jusserit : *Ibid.*

Cessante prælationis voto, naturalis affectio et ordo charitatis satis non sunt ad protrahendam voluntatem defuncti in infinitum : *Ibid.*, § 4.

Præsumpta testatoris voluntas expressam vincere nequit : *Ibid.*

Exclusio proneptis validum est argumentum pro exclusione remotiorum : *Ibid.*, § 10.

Testator per simplicem consanguineorum præteritionem non contempsisse censetur sanguinis voces : *Rag., Elee.*, 10 *jul.* 1790, § 5.

Testatoris affectio erga suos consanguineos præsumi nequit ultra quartum gradum : *Ferr., Subs. dot.*, 22 *dec.* 1781, § 8.

Si gravem consanguinei paupertatem testator prævidisset, sanguinis fortasse vocibus motus, vel Missarum onus non imposuisset, vel minorem illarum numerum demandasset : *Cas.*, 20 *dec.* 1788, § 3.

Dum testator activum et passivum capellaniæ juspatronatus certæ familiæ reservaverit, prædilexisse censetur illius lineam effectivam, posthabita contentiva : *Præn., Cap.*, 19 *jun.* 1790, § 3.

Hinc consulendum est, quantum fieri potest, prædilecto vocatorum generi : *Ibid.*

Testatoris affectio erga aliquam ecclesiam arguitur, si inibi suum corpus humari præceperit : *Arim., Trans. oner. Mis.*, 18 *sept.* 1779, § 8.

Testatoris voluntas. Vide *Voluntas testatoris.*

Testimoniales litteræ. Vide *Sacramentum Ordinis*, § vii.

Testimonium.

Episcopi testimonio de statu beneficiorum suæ diœcesis referenti fides præstanda est : *Alex.*, 19 *sept.* 1767, § 4.

Parochi ac testes adeo certi sunt de contrahentium voluntate, ut de inito matrimonio testimonium perhibere valeant : *Taur., Matr.*, 26 *jan.* 1771, § 13.

Non amitæ et fratris testimonia sunt spernenda causa consanguinitatis, quia in re domestica et sequuta inter parietes domesticos, testes domestici, consanguinei et parentes admittuntur : *Luc., Rest. in int.*, 26 *mart.* 1768, § 3.

Imo etiam testes singulares et de simplici auditu deponentes : *Ibid.*

Testimonia nullo in pretio habenda sunt, quum ex iis probatum non sit delictum, quod probationes exigit indubias, maxime cum desit corpus delicti : *Tran., Irr.*, 26 *mart.* 1768, § 5.

Testis.

§ I.

Testis de auditu.

Testes qui affirmant quæ audierunt et sunt de illis quorum assertio tanquam suspecta objicitur, nihili habendi sunt : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 22.

§ II.

Testis de facto proprio deponens.

Testi licet unico, si de facto proprio deponat, fides est adhibenda : *Fav.*, 20 *jun.* 1767, § 12.

Testibus informatissimis et de facto proprio deponentibus, plurimum est deferendum : *Nov.*, 14 *maii* 1768, § 11.

Testi utpote mediatori, viroque qualificato, ac de facto proprio deponenti est deferendum : *Mac. seu Asc., Sp.*, 28 *aug.* 1773, § 13.

Quoad testes de metu et vi illata plurimum spectandi sunt parentes, quod rem et factum proprium narrent, præsertim si ille sit qui metum incussit : *Neap., Rest. in int.*, 23 *nov.* 1743, § 1.

§ III.

Testis quoad juramentum.

Testium juramento deferendum omnino est, cum agatur de re, quæ ab animo pendet, et aliis nequit innotescere : *Cam. seu Fabr., Matr.*, 4 *jan.* 1768, § 6.

Maxime quia juramentum ab iis emittitur, quorum nihil interest matrimonium vel firmum vel nullum declarari : *Ibid.*

§ IV.

Testis quis esse possit necne.

Testes negativi posthabendi sunt ceteris testibus affirmativis : *Taur., Matr.*, 26 *mart.* 1771, § 8.

Affines, familiares, consanguinei, domestici, imo etiam infames et excommunicati idonei esse possunt matrimonii testes : *Ibid.*

Testes in causa propria fidem non merentur : *Cam., Res.*, 17 *dec.* 1768, § 9.

Testis tanquam auctor et causæ, de qua agitur, director, attendi non debet : *Mac. seu Asc., Sp.*, 28 *aug.* 1773, § 15.

Testimonia illorum in propria causa testantium non sunt audienda : *Mil., Nul. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 12.

Rejiciendum etiam testimonium consanguineorum, præsertim si vilissimi sint et infames : *Ibid.*

In re tanti momenti non admittuntur testes ex conjecturis deponentes : *Ibid.*, § 13.

Testes contrarii, qui una cum matre adolescentem ad emittendam professionem adegerunt, utpote deponentes ad propriam exonerationem, nullam fidem merentur : *Med., Prof.*, 29 *aug.* 1772, § 8.

Testis addicti servitio cathedralis uti canonici aut beneficiati, aut sacrario, testimonium maxime suspectum est : *Fulg., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 22.

Testes de universitate et capitulo sunt idonei, quando agitur de interesse capituli : *Im., Jur. conv. cap.*, 14 *maii* 1774, § 13.

Testes inter se discordes, extrajudiciales, et pendente lite expiscati, et de auditu deponentes, et de mendacio redarguentes, sunt rejiciendi : *Mac. seu Asc., Sp.*, 28 *aug.* 1773, § 13.

Item declaratio nihili habenda est testis, quia, ratione interesse quod habet in causa deponens, nullam fidem meretur : *Ibid.*

Testi nulla fides haberi debet, qui propriam turpitudinem detegit : *Fav., Matr.*, 22 *jul.* 1758, § 3.

Crimine simoniæ infestus adversus correum testificari nequit : *Neap., Præ. sim.*, 13 *aug.* 1718, § 10.

Testes ad ferendum testimonium de impedimento affinitatis et consanguinitatis non alii admittantur nisi qui circumspecti sint, probatæ vitæ et opinionis, et omni exceptione majores : *Mil., Nul. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 19.

Posita legitimæ filiationis possessione, mulieri haudquaquam officit contraria asseveratio matris alicujus impedimenti, cui fides in hoc non est adhibenda : *Pien., Matr.*, 20 *mart.* 1734, § 8.

Fortius, si filia descripta fuerit tanquam filia legitima matris, illiusque viri non alium habuisse auctorem videtur quam matrem ipsam, cui proinde credendum non est, si deinde etiam jurata aliter affirmet : *Ibid.*, § 9.

In casu matrimonii, testes, quorum aliqui de mendacio et errore convincuntur, et affines, et domestici, rejiciuntur : *Theat., Matr.*, 16 *mart.* 1771, § 12.

Testes ad probandum metum et coactionem, in causis matrimonialibus, si aliqui sint consanguinei, vel affines, aut intrinseci familiares, non merentur attendi : *Theat., Matr.*, 23 *jan.* 1772, § 2.

Testes asserentes domicilium in causa matrimonii mulieris censanguinei et affines non sunt admittendi : *Rip., Null. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 11.

Nam ad dissolvendum matrimonium non alii admittuntur testes nisi qui sint omni exceptione majores : *Ibid.*

Et non sint examini subjecti, non audito neque requisito matrimonii defensore : *Ibid.*

Testes semel admissi reprobari amplius non possunt : *Olom., Null. matr.*, 27 *jul.* 1769, § 16.

Unici testis et singularis deposito est despicienda : *Ibid.*, § 17.

Præsertim si ejus assertio prostermitur ab aliis testibus : *Ibid.*

§ V.

Testis quando probat necne

Testis unicus et singularis nullam probationem constituit : *Bal., Imp.*, 12 *maii* 1770, § 3.

Testi unico et singulari nulla fides est præstanda : *Mil., Null. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 10.

Præsertim si deposuerit post novem menses a die completi examinis, ideoque post didicita testificata cap. *Intimavit*, et cap. *Fraternitatis, de Test.* : *Ibid.*

Et quia etiam præcedenter contrarium deposuerat, et id in judiciali examine, cui unice inhærendum est : *Ibid.*

Testes deponentes de urbanis, ceteroquin in concludentibus commendationibus nullam merentur fidem : *Fir., Par.*, 4 *jan.* 1763, § 4.

Alii ad probandum admittuntur testes, nisi qui probatissimi sunt, omnique exceptione majores : *Crac., Par.*, 10 *febr.* 1770, § 8.

Testis, quando cum aliis dissentit, et dissensus solum accidentalia, non facti substantiam respiciat, non attenditur : *Milet., Null. matr.*, 17 *sept.* 1768, § 7.

Canonici deponentes pro cathedrali plenam constituunt probationem, si de nullo ipsorum interesse agatur : *Ful., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 9.

Testibus plurimum deferendum, quando deponunt de observantia, quæ juri conformis est : *Reat., Jur. tum.*, 10 *mart.* 1770, § 3.

Et etiam, quando testimonium perhibent de re ad proprium officium spectante : *Ibid.*

Testes ad probandum non sufficiunt, neque fidem merentur, si post editum testimonium, judicis partes assumpserint sententiamque in causa tulerint : *Olom., Matr.*, 14 *mart.* 1772, § 10.

Testes sunt formaliter examinandi ad probandam consuetudinem circa modum solvendi quartam funeris : *Ass., Quar. fun.*, 14 *febr.* 1761, § 6.

Plurimi attendendi sunt testes sacerdotali charactere insigniti, qui puellæ lacrymas et suspiria in professione exceperunt : *Val., Prof.*, 12 *jun.* 1773, § 7.

Testibus deponentibus ex certa scientia, tum ex majorum traditione, fides omnimodo adhibenda est, quia de facto proprio testantur : *Reat., Jur. tum.*, 10 *mart.* 1770, § 9.

Præsertim quia deponunt cum qualitatibus ad constituendam immemorabilis consuetudinis probationem requisitis : *Ibid.*

Testes despiciendi sunt, utpote examinati absque articulis, absque interrogatoriis et absque interventu defensoris ordinis, contra formam præscriptam a Bened. XIV in const. *Si datam hominibus* : *Cam., Disp.*, 18 *nov.* 1769, § 6.

Et testes allati nihil relevant, cum parentes vel ratione affectionis, vel quia propriam turpitudinem allegant, nullam fidem mereantur : *Ibid.*, § 7.

Testibus, qui violentiæ actus retulerunt, vel quia interfuerint, vel quia a consanguineis audierint, plena fides quoad metum in professione religiosa incussum adhibenda est, accedente præcipue voce publica et fama : *Val., Prof.*, 12 *jun.* 1773, § 7.

Testes rejiciendi sunt, qui adducti fuerunt ad probandam coactionem, et ad demonstrandum puellæ inhabilitatem, vel quia extrajudiciales et informes : *Theat., Matr.*, 8 *aug.* 1782, § 8.

Vel quia viles, vel etiam quia consanguinei, affines et intrinseci familiares : *Ibid.*

§ VI.

Testis de visu.

Testibus oculariibus omnes alii cedunt : *Bric.*, 17 *jun.* 1797, § 4.

Testis unicus occulatus sufficit ad probandam conjugis mortem : *Pap., Matr.*, 27 *febr.* 1734, § 5.

TESTIUM PRÆSENTIA. Vide *Matrimonium*, § XXXI.

THEOLOGALIS CANONICUS. Vide *Canonicus*, § IX.

THEOLOGALIS PRÆBENDA. Vide *Canonicatus*, § VIII.

Thesaurarii dignitas.

Thesaurarius continuo adesse debet in choro, nulla obstante in contrarium consuetudine, atque etiamsi nullus ex quotidianis distributionibus percipiat fructus : *Puel.*, *Erec. thes.*, 4 *dec.* 1745, § 3.

THORUS QUOAD SEPARATIONEM. Vide *Matrimonium*, § XXII.

Tintinnabulum.

Campanæ institutæ sunt non solum ad convocandum populum, sed etiam ad alios usus ecclesiæ, cujus reditus parochus percipit : *Cæsen.*, 19 *jan.* 1765, § 14.

Campanarum pulsatio primum in sabbato sancto denotat matricitatem impropriam illius ecclesiæ : *Sen.*, *Præ.*, 12 *dec.* 1778, § 11.

Ut debitus honor matrici ecclesiæ reddatur, die sabbati majoris hebdomadæ antequam campana cathedralis vel matricis pulsaverit, ceteræ ecclesiæ pulsare campanam minime possunt : *Sen.*, *Præ.*, 27 *mart.* 1784, § 4.

Hinc juxta cæremoniale Episcoporum monendæ sunt ecclesiæ civitatis ne pulsent campanas, nisi audito signo campanarum ecclesiæ cathedralis : *Ibid.*, § 5.

Et in iis locis ubi nec cathedralis nec extat alia ecclesia quæ vere sit matrix, pertinet ad ecclesiam digniorem dare signum pulsationis campanæ : *Ibid.*

Atque signo ecclesiæ cathedralis seu matricis audito, licet detur longe post *Gloriam in excelsis*, quo tempore pulsari possunt eæ quæ inter parietes ecclesiæ sunt, ab omnibus aliis ecclesiis, cum campanis majoribus solemne signum dari debet : *Ibid.*, § 6.

Circa retentionem et pulsationem campanæ in oratoriis communis distinctio est inter oratoria privata et publica, ut in illis minime retineri et pulsari possit, secus vero in istis : *Bar.*, *Cap.*, 28 *jan.* 1730, § 6.

Titulus.

Erectio, quæ resultat ex vulgari constantique opinione et fama, a duobus et ultra seculis perseverante, vim tituli habet : *Fir.*, 17 *dec.* 1768, § 2.

Titulum vitiosum exhibens, ad præsumptum confugere non valet : *Ver.*, *Jur.*, 27 *jan.* 1778, § 8.

Quando titulus ex Pontificio rescripto, ad examen revocari debet, tunc de possessorio, deque ultimo statu disceptandum non venit : *Ibid.*, § 9.

Beneficio centenariæ titulus etiam infectus in alium converti potest legitimum : *Vel.*, *Res. et Ser. ch.*, 20 *mart.* 1790, § 6.

Eumque accepisse præsumitur beneplacitum Apostolicum : *Ibid.*

TITULUS ORDINATIONIS. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXXII ; *Capellania*, § XIV ; *Patrimonium clericorum*, *Sacramentum Ordinis*, § X.

Transactio.

§ I.

Transactio in genere.

Cui fas non est alienare, nec licet transigere : *Fir.*, *Trans.*, 28 *maii* 1791, § 6.

Ad probandam transactionem parochi evidens requiritur ejus ecclesiæ parochialis utilitas : *Ibid.*

Justa est transigendi causa recessus a lite : *Ibid.*

Ideoque utilis censetur transactio, quæ aut finem imponit liti, aut futuram avertit gravesque ejus sumptus : *Ibid.*

Iniqua est transactio super re clara : *Ibid.*

Transactiones quæ lites extinguunt, favorem omnium legum merentur : *Mel.*, *Ben. ap.*, 15 *dec.* 1764, § 10.

Et præsertim Sedis Apostolicæ, si lites in dispendium ecclesiarum atque operum piorum vergant : *Ibid.*

Transigere licet in dubio litis eventu : *Ful.*, *Con.*, 26 *mart.* 1791, § 9.

Non item in claro, ne quis ob vanum illius timorem ad iniquam concordiam adigatur : *Ibid.*

Transactio est contractus stricti juris, neque ad casus non expressos trahi potest : *Nov.*, 14 *maii* 1768, § 12.

De natura transactionis est ut ea super re dubia versari debeat, et ab utraque parte aliquid remitti : *Anag.*, *Ere. cap.*, 14 *mart.* 1772, § 13.

Quum res sit de transactione summa bona fide, justaque de causa, adhibitoque jurisperitorum consilio inita, ex sui natura etiam successores proprio jure venientes afficit : *Cas.*, *Con.*, 19 *dec.* 1772, § 8.

Transactio inita non obest parti si, ea inscia penitus et absente, confecta sit et ad actum perducta : *Fav.*, 20 *jun.* 1767, § 15.

Transactio cadere non potest, nisi super re dubia et lite incerta : *in vot. card. Pereira*, 28 *dec.* 1723, § 9.

Et sic, si nec dubia, nec incerta, sed clara et

evidens esse videtur lis, super qua transigitur, locum haberi nequit transactio, laudum seu concordia, quia præsumitur mala fide inita, et solum ad extorquendum sub injustæ litis prætextu, quod non consequeretur ex recto justitiæ debito, et ideo tanquam calumniosa non debet admitti : *Ibid.*, § 17.

Iniquum certo esset, ut qui vexandi alterius et sibi lucrifaciendi causa, eum ad judicium provocasset, ex tali affectata et dolosa lite commodum reportaret : *Ibid.*, § 18.

Ideoque talis dolus, utpote transactioni dans causam, non solum ipsam reddit nullam, sed nullam ipso jure esse multi doctores tenent : *Ibid.*

Lite non finita, locus adhuc habere potest transactioni : *Ibid.*, § 19.

A doctoribus valde commendatur transactionis contractus, eam quippe vocant serenitatem mentis, animi tranquillitatem, vinculum amoris et consortium charitatis : *Ibid.*

Privilegiatus in toto corpore juris est transactionis contractus, ex eo quia reipublicæ valde interest, ut lites semel terminatæ iterum non instaurentur, neque ex materia sopita novum suscitetur litigium : *Ibid.*, § 20.

Urceolus, quæst. 2, num. 37, asserit ut ad hoc ut transactio locum habere possit, nihil interest quod lis et controversia sit justa vel injusta, dummodo evidens calumnia cesset : *Ibid.*

Jura canonica sæpe sæpius clamant in obsequium transactionis docendo, quod in dubio semper præsumptio, et interpretatio capi debet pro validitate et substantia illius : *Ibid.*, § 2.

Et hæc præsumptio atque interpretatio facilius capienda est in favorem hujus contractus, quam alterius cujuscumque : *Ibid.*

Multi doctores tenent, quod per se solus recessus a lite, ab expensis et jurgiis, est causa sufficiens et justa ut deveniatur ad concordiam et transactionem, ex eo quia magnum lucrum et commodum consequitur qui recedit a lite : *Ibid.*

Aliquid hinc inde remitti debet in transactione : *Aux.*, *Conc. sup. dec.*, 17 *sept.* 1796, § 14.

§ II.

Transactio quoad approbationem et beneplacitum Apostolicum.

Approbanda est transactio utilis loco pio : *Fav. Trans.*, 28 *nov.* 1795, § 5.

Utilis est quæ litem avertit : *Ibid.*, § 6.

Et accedente Apostolico beneplacito non est qui eam in discrimen amplius revocare possit : *Cas.*, *Com.*, 19 *dec.* 1772, § 8.

Approbanda est transactio ecclesiæ, per quam removeantur populi offensiones : *Aux.*, *Con.*, 17 *sept.* 1796, § 14.

In transactione, quæ respicit cives uti universos, melior est conditio prohibentis : *Ibid.*, § 15.

Approbatur concordia quæ finem liti ponit : *Fir.*, *Jur.*, 19 *jan.* 1790, § 6.

Transactio nulla non meretur beneplacitum Apostolicum : *Mel.*, *Ben. ap.*, 15 *dec.* 1764, § 5.

Concordia beneplacito Apostolico destituta in nullo pretio est habenda : *Vit.*, *Cap.*, 19 *sept.* 1767, § 5.

Beneplacitum Apostolicum non requiritur in concordiis super juribus parochialibus occasione funerum peractis : *Bon.*, 26 *mart.* 1763, § 7.

§ III.

Transactio quoad exequutionem.

Concordia exequi debet : *Alex.*, *Red. Miss.*, 27 *nov.* 1790, § 12.

Rite inita concordia cum legitimo procuratore, et re mature perpensa, exequenda omnino est : *Nov.*, 23 *nov.* 1765, § 7.

Utilius est servare transactionem in qualibet dubietate, ut ita evitentur incerti litium exitus, earumque gravissimæ impensæ : *Nul. Sub.*, *Er. can.*, 28 *jan.* 1769, § 7.

Concordia, quæ adversatur juris canonici dispositioni, et non obsignata ab iis a quibus erat explicita conventione obsignanda, et nullum adhuc sortita est effectum, nullam hodie executionem meretur : *Rip.*, 17 *jun.* 1775, § 11.

Transactione subducta, ad juris dispositionem reditus fit, a qua edocemur illos ad ecclesiæ onera obstringi qui ejusdem ecclesiæ fructus reditusque sibi colligunt : *Carp.*, *Dism.*, 30 *jul.* 1785, § 12.

§ IV.

Transactio quoad rescissionem.

Transactio injusta, gravans et alterius juris læsiva, etiamsi inita fuerit, rescindi debet, ne alicui per pacta et conventiones præjudicium inferatur : *Cas.*, *Con.*, 22 *jan.* 1774, § 6.

Transactio rescinditur, si super re clara inita fuerit, et absque consensu illorum qui habeant interesse : *Anag.*, *Er. cap.*, 14 *mar.* 1772, § 13.

Transactio lævisa revocanda est, vel ad æquitatem reducenda : *Rip.*, *On. Mis.*, 9 *jul.* 1796, § 4.

Concordia actiones omnes hinc inde tollit et ex-

tinguit indole sua, quæque non patitur, ut per nova jura ac documenta effluxu temporis reperta rescindatur, quoties bona fide peracta fuit cum idonea compensatione : *Nul. Sub., Er. can.*, 28 *jan.* 1769, § 5.

§ V.

Transactio quando dicatur valida necne.

Transactio in implicito validitatis statu manet, donec in suo congruo judicio, et per tres sententias conformes ea revocetur, declareturque invalida et insubsistens : *Plac.*, 9 *aug.* 1777, § 5.

Imo valida est, si inita illa fuerit ad tramites, cap. *Statuimus, de Trans.*, nimirum interveniente et approbante Ordinario, cujus approbatio, deficiente beneplacito Apostolico, satis exuberat pro transactionis fomite, quando versatur res inter ecclesiasticas personas unius ejusdemque ecclesiæ : *Ibid.*, §§ 5, 6.

Et etiam si necessarium sit beneplacitum Apostolicum, tamen si agatur de diœcesibus Placentinis Gregorius XIII, 12 mar. 1585, concessit facultates omnibus, et vicariis Placentinis approbandi quemlibet contractum bonorum, vel jurium ecclesiæ, dummodo non excedat valorem 25 ducatorum auri de Camera : *Ibid.*

Transactio inita inter canonicos et præbendatos de servitio ecclesiæ per substitutos adimplendo non attenditur, utpote contraria conciliari sanctione, sess. 22, cap. 4, et sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, licet concordia reperiatur quavis observantia et consuetudine munita : *Ibid.*, § 7.

Transactio super beneficio, quæ caret necessario patroni consensu et beneplacito Apostolico, nequit obstare : *Par.*, 26 *jan.* 1782, § 10.

Fortius, si ab initio enormissime læsiva fuerit, quæ habetur, si nunquam celebrata fuisset, nec ullo rescissionis remedio indiget : *Ibid.*

Transactio bona fide facta super re dubia etiam futuros successores ligat : *Tud., Trans.*, 29 *jul.* 1786, § 11.

Læsiva est transactio per quam plus uni quam alteri tribuitur : *Dert., Tran.*, 18 *aug.* 1787, § 2.

Si transactio utilis erit universis, tunc paucorum dissensus, veluti irrationabilis, a legitima potestate suppletur : *Firm.*, 24 *maii* 1788, § 9.

Receptissima regula in forum venit, irritam esse transactionem super jure non dubio initam : *Arim., Con.*, 19 *jul.* 1766, § 12.

Ne aliter via sternatur fraudibus, vel per avaritiam præoccupandi, ac dissipandi, perventura postmodum bona, sub obtentu utilis transactionis vel per calumniam timore litis alium ad transactionem cogendi : *Ibid.*

Quod habet locum, quamvis transactio facta appareat pro vitandis expensis litium quod certo ad rite transigendum non satis est : *Ibid.*

Et licet nihil sit clarum, quod per intellectuales subtilitates obnubilari ; hinc intelligi debet de dubietate legali, et honesta, non autem de dubietate emendicata, ad finem palliandi clarum et certum jus assistens uni ex transigentibus : *Ibid.*, § 16.

Transactio super re clara est nulla : *Senog., On. Mis.*, 6 *dec.* 1794, § 4.

Approbatio sanctæ Sedis requiritur pro validitate transactionis super juribus etiam incorporalibus ecclesiæ : *Bon.*, 3 *jul.* 1762, § 4.

Præsumitur defectus potestatis in priore, qui, irrequisitis sui conventus religiosis, suorumque superiorum deficiente consensu, nullimode propria auctoritate transigere potuit : *Aquip., Fun.*, 18 *dec.* 1773, § 9.

Canonici renuntiare non possunt jus quæsitum pro erectione mansionariæ per concordiam, ex qua nihil præter expensas litis in correspectivitatem acquirerent : *Tol., Ap. ben.*, 20 *mart.* 1790, § 5.

Non requiritur patronorum consensus in transactione quæ divinum cultum et ecclesiæ servitium respicit, cum ipsi nullum aliud super beneficium ecclesiasticum, ejusque possessorem, et reditus jus habeant, quam præeminentiæ et alimentorum, si ad inopiam vergant : *Præn., Con.*, 20 *aug.* 1774, § 13.

Nulla autem est si sit inita super juribus sodalitatis, quin consensus societatis legitime convocatæ intervenerit : *Ibid.*, § 6 ; *Mel., Ben. ap.*, 15 *dec.* 1764.

Vel saltem deputati ab eadem sodalitate consensum præstiterent : *Ibid.*

Idque procedit, etiamsi transactio inita fuerit, auctorante Episcopo : *Ibid.*

Et sufficit quod transegerint ab ipso ex legitima causa in eam rem deputati : *Ibid.*, § 11.

Verum transactio cecidit super jure claro : *Ibid.*, § 12.

Transactio volita et justa censetur, quæ facta fuit ad sedandas discordias inter ecclesiasticas personas, et nihil in ea statutum legitur, quod minus conveniens reddetur, ac summi Pontificis auctoritate confirmata noscatur : *Præn., Con.*, 20 *aug.* 1774, § 12.

Et defectus interpellationis patronorum irritam reddi nequit transactionem, quoties Summus Pontifex per salutares clausulas omnes tam facti quam juris defectus sanavit, iisque Apostolica auctoritate supplevit : *Ibid.*

Juribus hinc inde perpensis, et præmissa bonorum æstimatione, omnibusque adhibitis solemnitatibus, de validitate transactionis dubitare non licet, præsertim si Ordinarii approbatione roborata deprehendatur : *Ap., Celeb. Miss.*, 30 *maii* 1772, § 5.

Et quoties impleatur in transactione finis a testatore volitus, et solum modus præsumatur magis tutus et facilis executionis, beneplacitum Apostolicum minime requiri debet : *Ibid.*, § 6.

Atque nihil refert, si bona, vel præscripto modo vendantur, vel ab alio retineantur, dummodo Missarum celebratio adimpleatur, et testatoris dispositio executioni mandetur : *Ibid.*, § 7.

Et suppleri potest etiam per æquipollens, quoties voluntas testatoris suo non careat effectu, et quoties aliter fieri non vetuit : *Ibid.*

De capituli aut monasterii facultate ineundæ transactionis dubitari nequit : *Caus., Dec.*, 16 *dec.* 1769, § 10.

Etiam quando accedit Episcopi assensus, etsi nulla sit opus superioris licentia, aut approbatione in actu gesto pro bono pacis, et ad amputandas contentiones : *Ibid.*

Multo magis, quia obstare nequit defectus vel facultatum, vel consensus Ordinarii, vel beneplaciti Apostolici, post lapsum duorum fere seculorum, quando, minori etiam temporis intervallo, omnia legitime intercessisse præsumantur : *Ibid.*

§ VI.

Transactio quoad utilitatem et justitiam.

Utilis est transactio ad extinguendam litem : *Arim.*, 21 *jun.* 1794, § 3 ; *Sen., On. Mis.*, 6 *dec.* 1794, § 4.

Etiam post editam sententiam, quæ, licet præsumptionem habeat justitiæ, ancipitem tamen reddit litem in gradu appellationis : *Ibid.*, § 3.

Æqua est transactio, per quam aliquid hinc inde remittuntur : *Ibid. ; Firm., Trans.*, 13 *jun.* 1795, § 13.

Inita absque beneplacito Apostolico, ejusque reservatione confirmari non debet : *Ibid.*, § 4.

Certi juris est, quod transactio ob eam causam initam, ut a lite dubia, incertique eventus partes recedant, et gravioribus parcantur expensis, utilis semper censetur : *Tub., Trans.*, 29 *jul.* 1786, § 6.

Hinc in laudandis transactionibus etiam de sumptibus non modicis ad agendam litem necessariis habenda est ratio : *Ibid.*

Justa transigendi causa videri potest comminata lis : *Vel., Sus. Mis.*, 18 *sept.* 1790, § 4.

Transactio quæ lites extirpat, favorem omnium legum meretur : *Cas., Con.*, 19 *dec.* 1772, § 10.

Præsertim Sedis Apostolicæ, cujus maxime interest ut lites in dispendium ecclesiarum cultusque divini provide exterminentur : *Ibid.*

Utilis est transactio ad avertendam litem sumptuosam : *Mont. Pol., Cap.*, 5 *apr.* 1794, § 7.

Æqua inter transigentes requiritur lanx : *Vel., Susp. Mis.*, 18 *sept.* 1790, § 4.

Translatio.

Legitima agnoscitur translationis causa rei sacræ melioratio : *Lutr., Com. vol.*, 16 *dec.* 1786, § 2.

Hinc, si quis vult monasterium suum ad meliorandum in alium ponere locum, facere potest cum concilio Episcopi : *Ibid.*

Imaginis translatio minime peragi debet, si justam causam translationis deesse Sacra Rota judicavit : *Ibid.*, § 3.

Si autem agatur de capella in tufo excavata, per mille passus ab oppido remota, legitimo curatore qui ejus manutentioni incumbat destituta, transferri sacras imagines, ac reliquias posse certum est : *Ibid.*, § 4.

Ecclesiarum et monasteriorum translationes ad statum secularem sæpius ab Apostolica Sede fuerunt denegatæ : *Vint., Er. col.*, 13 *sept.* 1738, § 7.

Reliqua. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § xxxiii ; *Cadaver*, § vi ; *Capellania*, § xv ; *Ecclesia parochialis*, § vii ; *Juspatronatus*, § xii ; *Legatum pium*, § xxiii ; *Missa*, § xvii ; *Moniales*, § v ; *Sodalitium*, § x.

Transmissio. Vide *Hæres*, § ii.

Transportatio. Vide *Acta*, § ii.

Trebellanica. Vide *Legitima*.

Tribunalia.

In supremis tribunalibus procedendum est cum regulis congruentiæ et honestatis pro revocandis gratiis, quæ jus tertii notabiliter lædant : *Bon., Ap. or.*, 23 *apr.* 1763, § 11.

Tridentini concilii congregatio. Vide *Congregatio*, § ii.

Tridentinum concilium. Vide *Concilium Tridentinum*.

Triennalis cohabitatio. Vide *Matrimonium*, § xlii.

Triremes. Vide *Damnati ad triremes*.

Turpis conditio. Vide *Conditio*, § iv.

Tyrocinium. Vide *Professio religiosa*, § viii.

Uffugum.

Uffugum olim, nunc Montaltum in Brutis, est circa Consentiam : *Cons.*, *Decl.*, 20 *dec.* 1760, § 5.

ULTIMA VOLUNTAS. Vide *Moniales*, § II ; *Testamentum*.

Ultimus status.

Ultimus status servandus est, cui per ancipites et dubias quæstiones non derogatur : *Tol.*, *Can.*, 16 *dec.* 1769, § 13.

Ultimus status acquiescientia probatus maxime spectari debet, et ad illius tramites proferre judicium : *Arim.*, *Cap.*, 26 *nov.* 1774, § 6.

Ultimus status in patronalibus attendi non debet, quoties clara est lex fundationis, ad quam infirmandam nullius roboris sunt quotquot contrarii actus exhibeantur : *Tol.*, *Can.*, 16 *dec.* 1769, § 5.

Ultimus status est in patronalibus tantummodo attendendus rejectis exceptionibus ad congruum petitorium judicium, quæ altiorem indaginem requirunt : *Ibid.*, § 7.

Ultimus status est tantummodo attendendus, donec pertinentia patronalis in congruo petitorio judicio alteri adjudicetur : *Ibid.*, § 8.

Et ab ultimo statu tunc receditur, quando causa possessionis a petitorio absorbeatur, quod quidem non comprobatur, nisi de pertinentia patronali constiterit, vel per rem judicatam, vel per confessionem partis, vel per legem fundationis adeo claram atque perspicuam ut nullam patiatur exceptionem : *Ibid.*, § 9.

In beneficialibus magnopere attenditur ultimus status : *Rat.*, *Vic.*, 2 *aug.* 1721, § 5.

Quando agitur de statu beneficii, an illud sit seculare vel regulare, an curatum vel simplex, non attenditur ultimus status, si constet de statu anteriori contrario, nisi ultimus status sit legitime præscriptus : *Fulg.*, *Prior quoad cur. anim.*, 2 *oct.* 1721, § 6.

Limita vero, si agatur de possessione conferendi, præstandi, et eligendi ; tunc enim ultimus status attenditur, et cuicumque alteri statui præcedenti præfertur : *Ibid.*

UNCTIO EXTREMA. Vide *Sacramenti Olei sancti*.

UNIO. Vide *Applicatio*, *Beneficia ecclesiastica*, § XXXV ; *Capellania*, § IX ; *Ecclesia cathedralis*, § IV ; *Ecclesia parochialis*, § VIII ; *Legatum pium*, § XXIV ; *Monasteria*, § III.

Universitas studiorum.

Universitates studiorum sunt emporia studiorum, et ad eas undique concursus est, in iisque doctrina christiana etiam perfectius, diligentius et splendidius quam in seminariis tradita est : *Fun.*, *Col. stud.*, 8 *aug.* 1767, § 15.

Ex iisdem universitatibus, et magna utilitas, et honor accrescit Ecclesiæ : *Ibid.*

In iis promovendis synodorum Patres adeo solliciti exstiterunt, ut et Episcoporum studium circa illas intepescens excitaverit synodus III Valentina : *Ibid.*

Ac ad eas vel restituendas, vel ex integro instituendas principes exorandos censuerint concilia Parisiense et Tullense : *Ibid.*

Demum, et ipsi imperatores strenue incubuerunt ut quam maxime florerent, quemadmodum ex gestis Caroli Magni et Caroli Calvi cognosci potest : *Ibid.*

Universitas, congregatio, conventus, collegium, monasterium exstare dicitur et superest, donec unus supersit ex iis qui conventum, collegium, congregationemque constituebant, atque in hoc uno omnino coalescit potestas et jurisdictio, quæ erat in universitate et collegio : *Urb.*, 12 *aug.* 1758, § 3.

Et hic solus omnia possit quæ omnes potuissent : *Ibid.*

Magistri, scholastici sacræ theologiæ, aut juris pontificii, in publicis studiorum universitatibus exempti sunt ab onere residendi in eorum ecclesiis, atque potiuntur indulto percipiendi in absentia quoscumque beneficiorum suorum proventus : *Leod.*, *Resid.*, 11 *sept.* 1734, § 7.

Cum agatur de canonicatu requirente peculiari jure personalem residentiam et servitium Ecclesiæ, non videtur sub amplissimis privilegiis universitatis Lovaniensis comprehensus : *Ibid.*, § 11.

Ita ut eumdem canonicatum obtinens, quantumvis in publica aliqua universitate docens theologiam vel jus canonicum, ad præstandam residentiam in ejus ecclesia revocari debeat, si illius cultus et servitii detrimentum eadem ecclesia patiatur : *Ibid.*

Usura.

Si aliquis carius velit vendere res suas quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifeste usura committitur, quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui; quidquid hinc ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui; quod pertinet ad rationem usuræ: *Præn.*, 22 *nov.* 1721, § 2.

Non committitur usura, si tempore quo fit contractus, dubium adsit, an id quod venditur plus vel minus solutionis tempore sit valiturum; *Ibid.*, § 3.

Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus: *Ibid.*, § 5.

Numerata pecunia pretiosior est numeranda, et nullus est qui non majoris faciet pecuniam præsentem quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo absque usura excusari: *Ibid.*

Admittunt aliqui quod mutuator possit apponere pœnam solvendam a mutuatario, si non solverit termino constituto sub conditionibus quod pœna non apponatur in fraudem usuræ, quod mutuatarius sit in mora culpabili solvendi; secus, si ob impotentiam solvere non valet et pœna sit moderata: *Ibid.*, § 6.

Recepta in tribunalibus opinio est, ut pœna conventionalis quæ additur mutuo non potest exigi, nisi quatenus interest creditori; et ut pœna censeatur apposita in fraudem usurarum, si creditor scivit, aut probabiliter credidit impossibile esse quod debitor mutuum sibi reddat in termino præfixo, ita ut similis contractus sit prohibendus: *Ibid.*, § 6.

Qui vendit frumentum, vinum et similia ea conditione ut in eadem mensura restituantur futuro verno tempore, vel reddatur pretium, quo verno tempore prædicta valebunt, si nescitur utrum verno tempore plus minusve valitura sint, contractus est immunis ab omni usura: *Asc.*, 23 *febr.* 1726, § 7.

Sed si certum aut probabilius est, valorem rei profuturo ad solvendum determinato tempore fore augendum, tunc contractus non est immunis ab usura, nisi forte vendens fuisset frumentum vel vinum reservaturus ad dictum tempus, quia tunc quum petatur lucrum cessans, contractus est licitus pro ratione lucri cessantis, et detractis sumptibus necessariis pro frumento aut vino conservandis: *Ibid.*, § 7.

Utensilia.

Ornatiora utensilia divinæ magis conveniunt majestati, mentemque ad cœlestia excitant, nec quavis de causa interdici debent: *Dert.*, 18 *jul.* 1789, § 6.

De summa et quantitate qua utensilia solvi debeant, recepta sententia est: juxta communem cujusque loci et Ecclesiæ usum, præfinienda ea est: *Vit.*, *Sap.*, 4 *sept.* 1767, § 28.

Ita receptior est sententia, sumptus utensilium sacrario ecclesiæ, in qua Missarum celebratio adimpletur, persolvendos esse in ea summa, quam communis cujusque loci et Ecclesiæ usus præfinivit: *Cam.*, *Ut.*, 17 *dec.* 1740, § 6; *Rom.*, *Fund. Mis.*, 17 *sept.* 1774, § 6; *Rom.*, *Ut.*, 13 *sept.* 1738.

In Urbe mos viget solvendi annua scut. 4 pro qualibet Missa quotidiana: *Ibid.*

Quantitas pro sacris utensilibus statuta est in synodo Viterbiensi ad ratam unius obuli pro quolibet sacro: *Viter.*, 19 *sept.* 1767, §§ 4 et 28.

Certa est juris dispositio qua omnes capellani adiguntur ad utensilium solutionem: *Viter.*, *Cap.*, 4 *apr.* 1767, § 19.

Taxa utensilium pro sacris quotidianis in scut. 6 vel in scut. 4 constituta est, pro aliis sacris manualibus in scut. 1 pro quolibet centenario: *Terr.*, *Ut.*, 28 *jan.* 1758.

Omnia et singula beneficia seu capellanias sub perpetuo Missarum onere obtinentes, utensilia sacrario ecclesiæ, ubi Missarum celebrationem peragunt, persolvere tenentur: *Rom.*, *Ut.*, 28 *jan.* 1736, § 3; *Cam*, *Ut.*, 17 *dec.* 1740, § 4.

Et Urbanus VIII in suis generalibus decretis solum permittit retinendi aliquam portionem ex eleemosynis Missarum pro utensilibus, quando loca pia alios non habent reditus: *Ibid.*, § 4.

Atque dictus Pontifex solum loquitur in suis decretis de Missis manualibus et adventitiis, non autem de quotidianis et perpetuis: *Ibid.*

Ab eo cui imminet onus Missæ quotidianæ in Urbe solvenda sunt annua scuta quatuor: *Rom.*, *On. Mis.*, 12 *jan.* 1732, § 9; *Rom.*, *Fund. Mis.*, 17 *sept.* 1774, § 6.

Sacerdotibus sacrificantibus in ecclesiis Urbis integra eleemosyna unius julii tradi debet, nulla permissa retentione pro utensilibus: *Ibid.*, § 10.

Pretium utensilium solvendum est a celebrante: *Ibid.*

Utilitas. Vide *Alienatio*, § v; *Transactio*, § vi.

Uxor. Vide *Matrimonium*.

VACANTE SEDE APOSTOLICA. Vide *Sede Apostolica vacante.*

VACANTE SEDE EPISCOPALI. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § XII.

VACATIO, Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XIV ; *Canonicatus*, § XIV.

Vacationes.

Omnes dignitates, canonicos, præbendatos aut portionarios, vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, non posse ultra tres menses ab eorum ecclesiis quolibet anno abesse ; Concilium Trid., sess. 24, cap. 12, *de Refor.* statuit : *Syp., Ser. eccl.*, 6 *febr.* 1734, § 5 ; *Civit. Cast.*, 10 *sept.* 1766, § 10 ; *Pis., Jub.*, 7 *jul.* 1770, § 9 ; *Ver., Red.*, 28 *jul.* 1770, § 9 ; *Int.*, 26 *jan.* 1771, § 6.

Sed sunt salvæ constitutiones ecclesiarum, quæ longius servitii tempus requirunt : *Tarraconen.*, 28 *jan.* 1764, § 6.

Mens Tridentinorum Patrum non fuit ut indultum vacationis per tres menses generatim impertiretur canonicis omnium ecclesiarum, sed prohibere ne ope statuti aut consuetudinis abesse ultra hoc temporis spatium liceret : *Ibid.*

Ideo si ex diverso alicujus ecclesiæ mos sit ut canonici longius præstent servitium, talem consuetudinem esse servandam, utpote consentaneam sanctioni juris communis exigentis ut canonici quotidie divinis officiis intersint : *Ibid.*

Ex dispositione præfata Concilii Tridentini dubitatum est an abrogatæ forent omnes consuetudines peculiares, vel statuta ecclesiarum, quæ jubilationem post certum servitii tempus concedebant : *Derthus., Jub.*, 14 *maii* 1768, § 8.

Et alii negativam, alii affirmativam tenent sententiam : *Ibid.*

Servanda est consuetudo vacandi a choro infra tres menses : *Oriol.*, 6 *dec.* 1794, § 2.

Ob tenuitatem reddituum ampliari debent hujusmodi vacationes ad trimestre concessum a S. Trid. Concilio : *Ibid.*

Absentes a choro tempore conciliarium vacationum privantur distributionibus, non præbendis : *Ibid.*, § 3.

Servanda est consuetudo vacanti a choro infra trimestre a S. Concilio Trid. concessum, licet alia in aliis vigeat ejusdem diœcesis capitulis observantia : *Fav., Vac.*, 23 *nov.*. 1793, §§ 2 et 3.

Sacrosancta Tridentina Synodus ad doctrinam sacrorum canonum constabiliendam, et corruptelas exterminandas, miscuit severitati indulgentiam, et intra tres menses vacationem in ecclesiis toleravit, longiorem proscripsit, ac generalem legem edixit : *Bit., Ser. ch.*, 15 *sept.* 1770, § 10.

Tridentinum Concilium trium mensium vacationem, quæ ab Ecclesiæ statuto aut consuetudine introducta fuerit, permittit, non tamen disponit ut alia norma quis vacationis indulgentia frui possit, quam quæ fuerit lege synodali præscripta : *Mon. Fal., Dist.*, 19 *dec.* 1772, § 10.

Si statutum aut consuetudo Ecclesiæ requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa : *Ill., Ab. et Distr.*, 3 *mart.* 1792, § 5.

Est enim dura residentia totius anni : *Ibid.*

Et indulgeri aliquid solet ad recreationem animii et corporis : *Ibid.*

Vacationes trium mensium, accedente illarum consuetudine vel statuto, tunc solum denegantur, quando statutum vel consuetudo favens longiori ecclesiæ servitio, aliquas indulget, licet brevioris temporis, vacationes : *Val., Ind.*, 27 *jun.* 1761, § 3.

At ubi ex statuto, vel consuetudine assiduum servitium requiritur sine ulla vacatione vel intermissione, sæpe S. Congr. consuevit ex æquitate illas concedere : *Ibid.*

Trium mensium vacationes non repugnant dispositioni conciliari, ubi viget consuetudo requirens assiduum totius anni servitium : *Vig., Ser. ch.*, 23 *aug.* 1760, § 5.

Irrationabile ac prorsus iniquum est nec per multam senectutem aliquod levamen sperare a quotidiano chori servitio posse : *Leod.*, 12 *maii* 1770, § 12.

Idque repugnat juri Cæsareo, juri Pontificio ac assuetæ S. Congr. Concilii æquitati : *Ibid.*

Necessaria non est Episcopi licentia ut canonici et dignitates possint vacationum indulto eis per Tridentinos Patres elargito frui : *Castr., Ser. ch.*, 13 *april.* 1737, § 6.

Ultra tres menses a Concilio Tridentino prohibitæ, et trimestres tantum implicite concessæ sunt : *Or.*, 14 *jan.* 1792, § 9.

Ideoque plurium mensium cumulus ejusdem Concilii adversatur menti : *Ibid.*

Diuturnioribus namque vacationibus desidiosi evadunt Ecclesiæ ministri : *Ibid.*

In hac vacationum materia præservavit Conci-

lium ecclesiarum constitutiones vel consuetudines, quæ longius servitii tempus requirunt : *Ibid.*, § 7.

Hinc capitulares, qui vacationibus ex peculiari sua constitutione concessis, contenti hactenus fuerunt, conciliari beneficio tacite renunciasse videntur : *Ibid.*

Sed augeri possunt ad conciliares ob consuetudinem finitimarum cathedralium : *Ibid.*

Reliqua. Vide *Canonici*, § xv ; *Capellanus*, § x ; *Capitulum ecclesiasticum*, § xiv.

Vagus, Vagi.

Vagus ille est, qui relicto proprio domicilio, iter facit vel navigat, quærens ubi se sistat et quo se conferat : *Jad.*, 24 *aug.* 1720, § 9; *Pis.*, *Nul. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 7 ; *Posn.*, *Vis. SS. LL.*, 22 *jan.* 1746, § 5 ; *Neap. seu Put.*, *Matr.*, 3 *jul.* 1734, § 18.

Miles vagus non est, quum ibi domicilium habere dicatur, ubi moratur et ubi stationes sibi assignatas habet : *Ibid.*

Nonnulli vero censent vagum esse militem, nullumque habere domicilium, qui stationes fixas non habet, et est paratus ad proficiscendum quo jubetur, et per accidens est quod diu moretur : *Ibid.*, § 10.

Et cum miles ibi habeat domicilium ubi manet, intelligitur de milite præsidiario, non de milite in castris hybernis seu stationibus degente : *Ibid.*, § 11.

Vagus autem non tantum est ille, qui, relicto antiquo domicilio, navigat aut iter facit, quærens ubi consistet ; sed etiam ille, qui nullibi certam et constantem sedem et domicilium vel quasi domicilium habet : *Ibid.*, § 13. *Neap. seu Put.*, *Matr.*, 3 *jul.* 1734, § 18 ; *Pis.*, *Nul. Matr.*, 29 *jul.* 1769, § 7.

Absolute et simpliciter vagi contrahere possunt matrimonium coram parocho illius loci, in quo actu versantur : *Laur.*, 13 *jul.* 1725, § 8 ; *Neap. seu Put.*, *Matr.*, 3 *jul.* 1734, § 17.

Matrimonium vagorum validum semper est habendum, etiamsi non fuerint observata ea quæ fuerunt statuta a Concilio Tridentino, cap. 7, sess. 24, *de Refor. matr.* : *Ibid.*

Vagus et sine domicilio est ille qui proprio domicilio relicto, iter facit, quærens ubi se sistat ; vel ad summum ille qui nullibi certam et constantem sedem et domicilium, vel quasi domicilium habet : *Ibid.*, § 10.

Duo pro constituendo vago requiruntur, ut domicilium deseruerit, et ut aliud non acquisiverit ; unde peregrini non dicuntur vagi, quia non deserunt domicilium, quum animum habeant ad illud redeundi : *Ibid.*, § ult.

Qui in aliquo loco habet domicilium, et discedit, per suum discessum domicilium amittere, aut dimittere voluisse censeri non potest, et animus illud dimittendi concurrat : *Pis.*, *Nul. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 7.

Et aliter non præsumitur, cum verosimile non sit aliquis bona paterna repudiare voluisse, sed præsumi debet illum lucri tantum, et mercaturæ causa paternos reliquisse lares : *Ibid.*

Vagi qualitas inducit, quando probari non potest illam, vel nullum habuisse domicilium, vel illud deseruisse : *Olom.*, *Matr.*, 14 *mar.* 1772, § 14.

Vagus ille dicitur, qui incertis ortus parentibus huc illuc semper vagans fuerit, vel passus sit infortunium omnimodæ desertionis loci, in quo natus est : *Rip.*, *Null. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 12.

Ad effectum contrahendi matrimonium vagus dicitur ille qui in nulla certa parochia fixum habet domicilium, tametsi illud in urbe, aut oppido aliquo, comparari destinaverit : *Neap. seu Put.*, *Matr.*, 3 *jul.* 1734, § 19.

Concil. Trident., sess. 24, cap. 7, *de Reform. matr.*, præcipit parochis ne matrimoniis vagorum intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint : *Rip.*, *Nul. matr.*, 29 *jul.* 1769, § 18.

Ille est vagus, qui proprio domicilio relicto, iter facit, quærens ubi se sistat, vel qui certam et constantem sedem, aut domicilium, vel quasi nullibi habeat : *Ibid.*, § 19,

Et dum dicitur requiri, ut vagus domicilium deseruerit, intelligi id non debet de domicilio originis, sed habitationis : *Ibid.*, § 20.

Quod alias vel nulli essent, vel pauci solum dici possunt vagi, quia domicilium originis semper retinetur, et nunquam dimittitur, nisi locus originis funditus evertatur : *Ibid.*

Validitas. Vide *Acta*, § iii ; *Actus*, § v ; *Alienatio*, § iv ; *Concursus*, § x ; *Contractus*, § ix ; *Electio*, § v ; *Emphyteusis*, § xii ; *Examen*, § iv ; *Gratia*, § v ; *Indultum Pontificium*, § iv ; *Legatum pium*, § xv ; *Professio religiosa*, § x ; *Sacramentum Baptismi*, § iii ; *Sacramentum Confirmationis*, § ii ; *Sacramentum Pœnitentiæ*, § ii ; *Sacramentum Ordinis*, § xiv ; *Sponsalia*, § v ; *Synodus diœcesana*, § iii ; *Testamentum*, § iv ; *Translatio*, § v.

Valor. Vide *Bona*, § vi.

Variatio. Vide *Voluntas testatoris*, § vii.

Vectigal.

Nullum ob translationem cadaverum vectigal solvitur : *Aux. seu Rec., Fun.*, 8 *jul.* 1762, § 2.

VENATORES. Vide *Clerici*, § VIII.

VENUSINUS COMITATUS. Vide *Comitatus venusinus*.

VENDITIO ET EMPTIO. Vide *Census*, § IV ; *Contractus*, § XII.

Verbum, Verba.

§ I.

Verbum, verba in genere.

Verba enunciativa nullam obligationem nec onus inducunt : *Imol., Mis. Conv.*, 26 *jan.* 1771, § 6.

Quæ nudam et simplicem verborum lectionem præ se ferunt vincere, et anteferri cuicumque debet deputati judicio : *Rom.*, 6 *maii* 1787, § 7.

Verba non extenduntur ad alios casus, de quibus verba non sunt : *Col.*, 8 *jun.* 1765, § 7.

Verbo testamenti licet non dispositiva, sed demonstrativa desiderii et consilii testatoris jus dant ex mente et voluntate non ex verborum forma : *Rom. seu Jan., Leg.*, 20 *dec.* 1749, § 3.

Verba deprecatoria vim in legatis habent præcepti : *Rom. seu Ch., Leg.*, 16 *apr.* 1791, § 6.

Verba deprecatoria in testamentis vim legis et jussionis habent, et hoc non a verborum sonitu obviaque significatione repetendum est, sed a præsumpta morientis voluntate : *Reat., Sub. dot.*, 8 *jul.* 1786, § 5.

Adeo ut si vel alia argumenta desint hujusce voluntatis, vel multo magis si opposita concurrant, oportet ut verba suam retineant naturam consilii scilicet, desiderii precumque : *Ibid.*

Sed ad vitandam instantaneæ correctionis irreverosimilitudinem, salvandamque dispositionis incongruitatem, et retinendam discretivæ vim obstare potest voluntas testatoris, quominus verba hortationis et desiderii ad rigidiorem jussionis sensum detorqueantur : *Ibid.*, § 7.

Quoad testamenti factionem pristinus mos mansit verba rogatoria adhibendi, quæ proinde non ex benignitate legis, sed ex natura sua vim necessitatis et imperii habent : *Ibid.*, § 8.

Non est necessarium ut extendantur verba ad alios casus, de quibus verba non sunt ; avertendum nempe quidquid esse perpetuum decretum erat : *Col.*, 8 *jun.* 1765, § 7.

Verba viri exprimentia consensum de præsenti resolvuntur in sponsalia de futuro, ob consensum futurum expressum a muliere : *Fer., Matr.*, 12 *dec.* 1761, § 6.

§ II.

Verbum, verba in specie.

Concilium Tridentinum per verba *Consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis* quamcumque consuetudinem contrariam vel privilegium sustulit : *Fav., Red. rat.*, 8 *aug.* 1772, § 5.

Quibus verbis quælibet etiam centenaria et immemorabilis consuetudo sublata contendit, tum quia ea sunt universalia, indefinita, omniaque complectuntur : *Ibid.*

Tum quia alibi minori verborum amplitudine immemorabili consuetudini derogatum a Concilio fuisse non ambigitur : *Ibid.*

Tum quia in litteris confirmatoriis Concilii a Pio IV editis, præter clausulam sublatam, adjectum quoque reperitur verbum *Decretum irritans*, quod cuilibet Concilii capitulo inesse censetur : *Ibid.*

Verbum *in perpetuo* varias habere potest significationes juxta mentem testatoris, ita quidem ut non repugnet limitationi ad vitam unius personæ : *Rav., Oner. Mis.*, 14 *nov.* 1733, § 3.

Pro oneris perpetuitate ultra centum annos, quando versamur in legato pio, et signate in legato Missarum, verba *in perpetuum* non restringuntur ad centum annos, sed extenduntur ad quodcumque tempus : *Bon.*, 3 *dec.* 1718, § 4.

Attamen magni nominis auctores adsunt, qui censent legatum pium relictum cum verbis perpetuitatem denotantibus, ad centum annos restringi : *Ibid.*, § 6.

Verbum *Sacerdos*, quo testator usus est non præ se fert necessitatem, ut nominatus debeat esse actu talis, sed satis est si talis fuerit habitu : *Lun. Sar., Cap.*, 23 *sept.* 1758, § 2.

Verbum enim *Sacerdos* clericum etiam comprehendit : *Ibid.*

Verbum *Sacerdotis* italice prolatum aptius comprehendit etiam simplicem clericum : *Fir., Cap.*, 20 *aug.* 1774, § 8.

Verbum *Prete* magis naturaliter accipitur pro actuali sacerdote : *Spol., Assig. patr.*, 14 *maii* 1763, § 7.

Verba, quibus vocatur ad juspatronatum passivum eligendi a patronis, *quello che vi sara di mia casa*, solos agnatos comprehendunt : *Anc., Cap.*, 12 *jun.* 1762, § 7.

Ideo nulli de genere vocatorum jus quæsitum

dici potest, cum valeant patroni præsentare, quem maluerint, etiam inhabilem, dummodo fiat habilis ante institutionem : *Ibid.*

Verba illa *quelli di casa* omnes indefinite sive agnatos sive cognatos comprehendunt propinquos : *Urb. seu Arim.* 20 *dec.* 1788, § 4.

Verbum *proportionabiliter* aperte suadet geometricam proportionem, ita ut plus minusque quisque participet, prout plus vel minus in massam distributionum contulit : *Im., Distr.*, 13 *maii*, 1772, § 14.

Et in Concilio Tridentino idem verbum *proportionabiliter* circa distributionum divisionem usurpatum de eadem geometrica distributione intelligendum est : *Ibid.*

Verbum *proportionabiliter* adhibitum a Concilio Trid., ses, 21, cap. 3, *de Refor.*, male interpretatur, quoties de sola proportione interventus intelligendum est : *Ibid.*, § 7.

Verbum *proportionabiliter* interpretatur ut geometricam non inducat proportionem ad collatas redituum partes, sed arithmeticam interventus necessarii ad reditus percipiendos : *Im., Dist.*, 15 *sept.* 1787, § 4.

Nam illud *proportionabiliter* potest etiam ita accipi, ut attendatur qualitas personarum, inter quas debent dividi distributiones, vel proportio interventus : *Ibid.*

Verba *nel caso che si volesse far sacerdote* referantur ad necessitatem assumendi sacerdotium : *Fir., Cap.*, 7 *jun.* 1788, § 4.

Hinc est capellano qui jam 23 annos impleverit terminus præfigendus : *Ibid.*

Verba prolata a muliere, *e questo sara mio marito*, cum exprimant consensum futurum, non sufficit pro valore matrimonii : *Fer., Matr.*, 12 *dec.* 1761, § 6.

At verba præfata futuri temporis recipiunt significationem præsentem juxta subjectam materiam in specie contractus matrimonii : *Ibid.*, § 7.

Verba dubia determinantur a facti circumstantiis, ut : *Eris mea uxor; Tenebo te pro uxore; Alam ut uxorem*, et similia : *Ibid.*

Et hæc verba ad sponsalia referuntur, si de sponsalibus agatur : *Ibid.*

Matrimonium vero perficiunt, quum de contrahendo matrimonio res est : *Ibid.*

Verba *si quis hæc temere præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit*, cum sint futuri temporis, non pœnam latæ sententiæ, sed ferendæ tantum, importare videntur : *Juven., Sus. et Irr.*, 3 *dec.* 1735, § 6.

Ex verbis *a sacro Corpore et Sanguine Domini Nostri Jesu Christi sit suspensus*, dissensio est inter doctores num ea ferendæ, seu latæ potius sententiæ, pœnam importent : *Ibid.*

Verbum *discesi*, quod latine significat *descendentes*, nullam certe graduum restrictionem patitur, sed omnes descendentes in infinitum comprehendit : *Rom., Sub. dot.*, 11 *jan.* 1772, § 12.

Verbum *instituas* importat absolutam necessitatem exequendi mandatum : *Priv., Ap. or.*, 16 *mar.* 1771, § 6.

Verba testamenti, *ad elezione de' miei eredi come sopra instituti*, conferunt arbitrium in hæredes ita ut declaratio hæredum non minus efficax sit quam expressa testatoris voluntas : *Mon. Fal., Er. cap*, 23 *aug.* 1760, § 5.

Indulgentia in sensu bullæ Innocentii XII super spoliis Episcoporum regni Neapolitani editæ, debet sumi in sua propria et rigorosa significatione, prout importat penuriam, inopiam et egestatem : *In Vol. card. Pereira*, 28 *dec.* 1723, § 15.

Ad naturalem et veram proprietatem verborum quibus usus fuit disponens, debet intelligi directa illius mens et intentio : *Ibid.*

Verba illa *litteræ quoad forum conscientiæ nullatenus suffargetur*, vim habent irritandi actum ipso jure : *Conim, Matr.*, 3 *apr.* 1734, § 6.

Vocabulum *domus* æque pertinet ad designandam familiam sive *effectivam*, ut vocant, sive *contentivam; Int., Sub. dot.*, 16 *febr.* 1743, § 8.

Nomen *domus* familiam duntaxat *effectivam* significat, quando jungatur cum alio pronomine, sive genitivo exprimente personam, cujus sit domus aut familia vocata : *Ibid.*

Quum constitutiones synodales præcipiant defuncti parochi funus a viciniore parocho fieri *cum omnibus clericis tum suæ quam demortui parochiæ*, de clericis tantum, non vero de canonicis intelligi possunt : *Pisaur.*, 11 *jan.* 1772, § 5.

Si post verba generis *le robbe di mobilio* designatæ sunt plures species, *panni da dosso, biancarie, casse, tavolino e ferrami*, dubium haud videtur, quin statim exerat regula genus contrahens ad species expressas : *For., Leg.*, 30 *maii* 1786, § 3.

Verbum *mobilie*, quod in vulgari potissimum sermone mobilia ad instruendam domum destinata comprehendit, non extenditur ad ea quæ sub appellatione penus continentur : *Ibid.*, § 8.

Etiamsi addantur verba, *e robbe di palazzo*, quæ verba sunt diversa, *dalle provisioni del palazzo* : *Ibid.*

Et ratio est quia in vulgari sermone ea verba sunt diversa, sicut in lingua latina sunt diversa supellectilia domus a penu : *Ibid.*

Nomine Paschatis, per quamdam veluti improprietatem, etiam festa Pentecostes et Natalis donentur : *Rom.*, 9 *jul.* 1785, § 3.

Verba illa, *che dovra stare in detto ospedale*

cum onere celebrandi singulis diebus sacrum et preces, personalem residentiam præ se ferunt : *Lun. Sarz., Cap.*, 23 *nov.* 1743, § 5.

Verbum *parentela* in testamento adhibitum comprehendit ex utroque latere cognatos : *Mont. Alt., Can.*, 4 *dec.* 1762, § 5.

Non obstante adjecta mentione domus, quæ enunciata censetur demonstrative ad designandum terminum, cui jungi deberet parentela : *Ibid.*

Per verbum *avvenire* expresse futura donata sunt bona, eaque de jure comprehensa censetur in donatione, si modo nulli quantum ad legitimam præjudicium inferatur : *Cæsen., Sub. dot.*, 29 *nov.* 1788, § 9.

Dummodo non sint bona semel donata, quod iterum donare non potuisset : *Ibid.*

Verba in fundatione capellaniæ, quod non teneantur capellani *impetrare veruna conferma, o instituzione da qualunque persona* respicit auctoritatem Ordinarii, quæ in perpetuis capellanis confirmandis requiritur ; nec de cetero jus læderetur, nisi ab eodem Ordinario specialiter fundatio approbetur : *Rom., Cap.*, 16 *maii* 1789, § 8.

Verba *ipsi curati tenentur ire*, non solum significant discessum e loco et accessum ad ecclesiam, sed indicant etiam restrictionem et personalitatem ; præsertim ad verba immediate adjecta *videlicet aliquis eorum : Nov.*, 14 *maii* 1768, § 5.

Verbum *itero* in propria significatione sonat, ac iterum specie conferre Sacramentum semel collatum : *Sant., Dub. Ord.*, 28 *maii* 1766, § 14.

Verba illa, *di mano in mano per fino che terminano settant' anni* continuam designare videntur annorum seriem, pro qua legitima etiam urget præsumptio : *Fir., Cap.*, 25 *april.* 1789, § 7.

Verba *nelle solennita* sub hac nuncupatione nedum primos, sed et eos tres, vel duos, qui consequuntur dies, continentur : *Rom.*, 9 *jul.* 1785, § 5.

Verba *Capella, Altare, Capellania*, promiscue accipiuntur : *Alat.*, 20 *aug.* 1785, § 4.

Rota Romana pro faciliori intelligentia firmavit, quod capella S. Nicolai est beneficium ecclesiasticum : *Ibid.*, § 5.

Verba quod infirmi *siano risanati affatto* etiam convalescentiam includunt : *Bon. seu Im., Hosp.*, 24 *jul.* 1762, § 5.

Verbum *graduati* includi posse videatur etiam ille, qui gradu baccalaureatus donatus est : *Brund., Part.*, 18 *nov.* 1741, § 3.

Verba *il piu idoneo e capace a concorrere a detta capellania, e non altrimenti*, non directam modo immediatamque vocationem præ se ferunt, sed etiam idoneitatem, quæ in ipsis vocatis de tempore vacationis, comprobatur : *Per., Cap.*, 14 *maii* 1774, § 3.

Sempre il piu idoneo e capace a concorrere alla detta capellania : hæc verba voluntatem defuncti significantia non ita intelligenda sunt, ut idoneitas et habilitas requiratur tempore vacationis, sed satis sit ut illa supervenerit intra terminum quadrimestris patronis datum ad præsentandum : *Per., Cap.*, 8 *jul.* 1775, § 8.

Alternis hebdomadis, in litteris erectionis expressa pro canonicis coadjutoribus non exemptionem importat illius, qui hebdomadarius non sit, sed ut accessorie, et in subsidium præpositi et canonici hebdomadarii legitime impediti teneantur onera curæ subire : *Rip.*, 17 *jun.* 1775, § 11.

Nelle messe solenni, quum eædem sint Missæ solemnes, quæ pro vivis et quæ pro defunctis celebrantur, dicendum sit testatorem de utraque missarum specie sensisse juxta intelligentiam verborum, quæ *in genere* prolata fuerunt : *Ver.*, 20 *jan.* 1776, § 4.

Celebrare personalmente, ex hisce verbis infertur onus residentiæ : *Com., Cap.*, 3 *febr.* 1776, § 8.

Testator mandans ut capellania seu legatum pium *sempre resti collocato in persona di un sacerdote vassallo e non altrimenti*, etc., de vero sensisse nativo et originario subdito, non autem de ficto et alienigena in subditum per simplex privilegium assumpto : *Vel., Cap.*, 27 *jun.* 1782, § 6.

Præsertim si agatur de testamento mulieris quæ licet ex nobili genere nata, attamen juris communis dispositionis et doctorum sententiæ prorsus ignara, verbum *vassallo* in sua propria et naturali significatione intellexisse præsumitur : *Ibid.*

Verba *come appresso* sunt relativa : *Rec., Cap.*, 27 *aug.* 1791, § 3.

Consentiunt doctores ut quantacumque sit virtus et efficax verborum *vacet ipso jure*, nunquam tamen sententiæ necessitas excluditur : *Rom., Can.*, 9 *sept.* 1785, § 3.

Amplia, etiamsi Summus Pontifex alterius progrediendo hanc declaratoriæ sententiæ necessitatem auferat addendo verba, *absque ulla declaratione : Ibid.*, § 4.

Verba, *conscientiam oneramus* important arbitrium boni viri : *Vot. card. Pereira*, 28 *dec.* 1723, § 10.

Quando res committitur arbitrio boni viri, standum est declarationi ipsius arbitrii, nisi clare repugnet sacris canonibus aut juri civili : *Ibid.*

Et potius monitionem quam conditionem important : *Ibid.*, § 10.

Et ideo apposita hæc clausula in rescripto Pontificis remittit apices et rigorem juris civilis : *Ibid.*

Quando alicui committitur negotium aliquod cum prædicta clausula, ab ejus arbitrio judicatu et sententia non datur appellatio : *Ibid.*, § 12.

Vestis. Vide *Clerici*, § ix.

Veteris erectionis canonici. Vide *Canonici*, § vi.

Viaticum. Vide *Sacramentum Eucharistiæ*, § i.

Vicaria perpetua quoad erectionem.

Distantia, asperitas viæ, quæ perdifficilem et incommodum reddunt accessum ad parochiam, justam præbent causam erectioni vicariæ curatæ : *Leod., Vic.*, 10 *maii* 1760, § 1.

Inspecta præsertim experentia periculi animarum, ob decessum multorum sine sacramentis, et ob ignorantiam puerorum in mysteriis fidei : *Ibid.*

Et hoc onus injungendum est decimatoribus, tum ex dispositione juris, tum si adsint peculiares ecclesiæ constitutiones : *Ibid.*

Quoad justa adest erigendarum vicariarum causa, fieri tamen deberet erectio non per suppressionem canonicatus et capellaniæ, sed ex fructibus præposituræ : *Fir., Erect.*, 18 *aug.* 1787, § 11.

Vicarius capitularis.

§ I.

Vicarius capitularis quoad electionem et deputationem.

Facultas eligendi vicarium capitularem ad metropolitanum non devolvitur, nisi ubi capitulum neglexerit illum infra octo dierum spatium deputare : *Bitun., Elec. vic. cap.*, 6 *jun.* 1739, § 7.

Et decurrere adhuc termino octo dierum intra quem cum alias rite posset a capitulo fieri electio, quatenus prior invalida judicata fuisset, ad metropolitanum non devolvitur electio : *Ibid.*

Irrita est electio vicarii capitularis facta contra expressam sanctionem Concil. Trid., sess. 24, cap. 16, *de Refor.*, quia electus doctoris laurea insignitus non est : *Leop., Elec. vic. cap.*, 14 *jan.* 1736, § 3.

Item si electio palam et publice peracta sit, non autem per secreta suffragia, uti ea fieri debet : *Ibid.*

Deleta electione in vicarium capitularem illius, qui neque doctor, neque idoneus erat, confirmanda est deputatio alterius, qui præ aliis idoneis et doctoribus, majora habuit suffragia : *Recim., Vic. cap.*, 17 *sept.* 1768, § 7.

Electio vicarii capitularis jam dissoluto capitulo inita, et in spretum denunciationis contestatæ a majori et saniori capituli parte suscepta, nulla et irrita est ex censura Concil. Trid., sess. 24, cap. 16, *de Reform.* : *Ibid.*, § 3.

Nulla est et irrita electio, si duo ex tribus partibus canonicorum desunt, quo tempore facta fuit : *Ibid.*, § 4.

Neque ea, quæ solis octo suffragiis nitens conclusa non remansit, aliis octo repugnantibus canonicis : *Ibid.*

Præterea Concilium Tridentinum quæsivit ut eligendus saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus, aliter nullam declarat electionem : *Ibid.*, § 5.

Hinc fieri non potest ut nulla non sit electio vicarii capitularis, nec doctoris, nec licentiati : *Ibid.*

Maxime, quum plures e gremio capituli essent doctores, ita ut nullo modo licuerit, prætermissis doctoribus, alium non doctorem eligere : *Ibid.*

Neque eum ratione assessoris ferendum est ut eligatur non doctor, quoties extant capitulares laurea doctorali pollentes : *Ibid.*, § 6.

In electione vicarii capitularis canonicus de gremio idoneis ceteris paribus præferendus est extraneo, etiamsi extraneus dignior sit : *Tyb., Vic. cap.*, 14 *apr.* 1764, § 2.

Cum sufficiat ut in capitulo aliquis existat idoneus, ne extraneus eligatur : *Ibid.*

Quare existente canonico habili electio in favorem extranei nulla est : *Ibid.*

Sed adverte Concilium Tridentinum tantum sanxisse capitulum teneri officialem, seu vicarium infra octo dies constituere, vel existentem confirmare, qui in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri potest idoneus : *Ibid.*, § 3.

Unde idem Concilium præter eligendi merita non quæsivit neque de cive, neque de extraneo : *Ibid.*

Imo extraneum videtur non exclusisse, dum confirmationem prioris vicarii permisit : *Ibid.*

In nullo numero habita electione vicarii capitularis incapacis facta a majori parte, altera, idonei et capacis est probanda, licet a minori parte facta : *Rec., Vic. cap.*, 17 *sept.* 1768, § 8.

Imo etiamsi unus tantum idoneum elegisset, alii vero non idoneum, illius tamen electio ceteris est præferenda : *Ibid.*

Concil. Trident., sess. cit., cap. cit., statuit ut capitulum infra octo dies post Episcopi mortem constituat vicarium, qui saltem in jure canonico sit

doctor vel licentiatus, et quantum fieri potest idoneus : *Ibid.*, § 10.

Eadem jurisdictio, mortuo abbate vel alio prælato, cui jurisdictio quasi episcopalis competat cum territorio separato ad capitulum ecclesiæ collegiatæ, cujus erat ille prælatus, devolvi, quasi nulla discriminis ratio inter capitula ejusmodi, et alia cathedralium ecclesiarum queat in hac re allegari, adeoque vicarium capitularem ab hisce collegiatis ecclesiis eligi posse : *Null. Ter. Pont., Elec. vic. cap.*, 16 *dec.* 1741, § 7.

Si vicarius capitularis in aliqua causa suspectus eligi contingat, ipsum capitulum adeundum est ut, suspicionis causa cognita, alium eligat, prout facit Episcopus, si vicarius generalis suspectus eligitur : *Cass.*, 30 *maii* 1767, § 30.

Vicarius capitularis debet esse in jure canonico doctor vel licentiatus : *Gerun.*, 20 *nov.* 1728, § 2.

Electio presbyteri extranei in vicarium capitularem est nulla, existentibus doctoribus in capitulo : *Ibid.*

§ II.

Vicarius capitularis quoad jura et potestatem.

Vicarius capitularis succedit Episcopo in his, quæ illi competunt de jure communi, non item in iis, quæ sunt de speciali jure delegato : *S. Sev.*, 28 *maii* 1796, § 2.

Sunt qui censent vicarium capitularem non posse a casibus permissis Episcopo absolvere : *Ib.*, § 3.

Alii putant ut licet facultas illa specialiter sit Episcopo delegata, competit tamen jure communi ex jurisdictione ordinaria perpetuo adnexa dignitati episcopali : *Ibid.*

Et propterea uti posse vicarium generalem, qui in ordinariam succedit jurisdictionem : *Ibid.*

Vicarius capitularis uti valet facultate conciliari absque speciali mandato capituli : *Ibid.*, § 4.

Et ratio est quia juxta Concilium constituto vicario capitulari per ipsam electionem jus omne in eum transfundi capituli, nec alia opus est speciali delegatione : *Ibid.*

Contrarium alii putant : *Ibid.*, § 5.

Quia Tridentinum nihil de transfusione jurisdictionis disposuit, et casum reliquisse censetur sub dispositione juris communis : *Ibid.*

Ante Concilium autem major in vicarium capitularem non transibat potestas, quam in vicarium Episcopi, qui in casibus capituli VI speciali indiget delegatione : *Ibid.*

Antiquitus plane nondum valuerat opinio quod pro salubriori ecclesiarum regimine præstaret universam jurisdictionem in vicarium capitularem conferri : *Elv., Jul.*, 1 *dec.* 1736, § 9.

Vicarius capitularis tanquam in locum demortui Episcopi suffectus libere et absque ulla capituli subjectione omnia ea, quæ ad episcopalem jurisdictionem spectant, aliunde Episcopi personæ sunt reservata, valet exercere : *Ibid.*, § 5.

In vicarium capitularem non transit jus speciale et accidentale non proveniens, scilicet ab ordinaria Episcopi facultate, vel a juris dispositione : *Clus., Hon.*, 20 *mart.* 1756, § 2.

Vicario capitulari, sede vacante, competit facultas absolvendi a suspensione indicta contra ordinatos sine demissoriis proprii Episcopi : *Mind. seu Ovet., Ord.*, 4 *jun.* 1763, § 3.

Vicarius capitularis, sede vacante, potest dispensare cum illo qui ministravit in susceptis ordinibus, super irregularitate occulte contracta : *Ibid.*, § 4.

Vicarius capitularis potest visitare civitatem et diœcesim, dummodo tamen elapsus sit annus a die ultimæ visitationis ab Episcopo factæ : *Dub., Visit.*, 13 *sept.* 1721, § 4.

Non solum ad ecclesiam unamquamque accedere, sed mores etiam cleri et populi perquirere et reformare vicarius capitularis potest ; et adversus canonicos procedere debet cum adjunctis, si episcopus id facere consueverit ; secus autem, si hoc ab Episcopo factum non esset : *Ibid.*, § 5.

Nonnulli facultatem, civitatem et diœcesim visitandi in capitulo, seu vicario capitulari, censent in praxi admittendam, si Ecclesia non sit de proximo providenda : *Ibid.*, § 6.

Vicarius capitularis tenetur procedere cum adjunctis in illis causis, in quibus, si processisset Episcopus, debuisset procedere cum adjunctis : *Turr.*, 16 *dec.* 1724, § 5.

§ III.

Vicarius capitularis quoad remotionem.

Pluribus concurrentibus excessibus, seposita etiam nullitate electionis, est removendus electus ab officio vicarii capitularis : *Leop., Elec. vic. cap.*, 14 *jan.* 1736, § 4.

Licet vicarius capitularis de jure possit ad certum tempus constitui, et a capitulo ad libitum amoveri ; tamen pro bono ecclesiarum regimine ille eligi debet toto tempore vacationis, nec potest nisi ex justa causa revocari : *Ibid.*, § 9.

Vicarius curatus.

§ I.

Vicarius curatus quoad congruam et stipendium.

Vicarius perpetuus cum congrua sc. 80 præter ædium canonicalium habitationem, et non compre-

hensis incertis sufficienter provisus autumatur : *Rheg., Er. coll.*, 15 *sept.* 1703, § 4.

Parochus perpetuus cum incremento provisionis usque ad annua scuta 60 constitui potest : *Bal., Præs.*, 12 *jan.* 1704.

Quando parochiæ bona transierunt in dominium monasterii cum onere præstandi congruam vicario, assignatio decimarum et primitiarum vicario facta, censeri debet causa demonstrationis : *Portuc., Red. con.*, 8 *jun.* 1720, § 2.

Demonstrationis vero causa facta assignatione, sequitur ut sicuti decrescentibus reditibus debuisset monasterium eorum deficientiam supplere, sic in hypothesi immodicæ eorumdem excrescentiæ, monasterium potest justa subsistente causa, et intercedente superioris auctoritate, sibimet asserere memoratorum redituum applicationem : *Ibid.*

S. Pius V in bulla 47, tom. 2, *Ad exequendum*, statuit ut portio assignanda vicariis exercentibus curam animarum in parochiis, quæ sunt unitæ monasteriis capitulis, collegiis et aliis locis piis, non debeat esse major centum, nec minor quinquaginta scutis annuis, computatis etiam incertis emolumentis et aliis obventionibus communiter percipi solitis : *Pap.*, 2 *maii* 1722, § 3, et 20 *febr.* 1723, § ult.; *Brict., Con.*, 14 *dec.* 1782, § 13 ; *Eug., Aug. Con.*, 16 *aug.* 1783, § 8 ; *Assis. Con.*, 9 *sept.* 1786, § 5.

In dicta autem portione computari dicunt doctores incerta, quæ certa sunt, et non illa incerta quæ semper sunt incerta, et quæ dependent a labore personali, uti sunt eleemosynæ altaris et funerum : *Ib.*

Hæc S. Pii V bulla non tantum locum sibi vindicat in vicariis perpetuis, sed etiam in vicariis amovibilibus : *Ibid.*

Gregorius XIII in sua constitutione 9 Bull., tom. 2,, constitutionem S. Pii V reduxit ad terminos juris communis, et Sacri Concilii Tridentini, et vicariis hujusce generis præscribit esse assignandam portionem tertiæ partis fructuum, et majorem vel etiam minorem arbitrio Ordinariorum : *Ibid.*, § 5.

Obventiones mere eventuales et incertæ, et quæ pendent a labore personali non computantur in congruam debitam juxta bullam S. Pii V, ad differentiam illarum obventionum, quæ licet incertæ dicantur, certæ nihilominus sunt : *Aq.*, 4 *aug.* 1725.

A S. Congreg. Concilii arbitrio pendet vicarii congruam definire : *Rom. seu Par., Cap.*, 16 *jan.* 1768, § 26.

Regula est habentem curam habitualem animarum teneri ad congruam vicariis præstandam : *Vic. Par. de Luss.*, 30 *aug.* 1766, § 20.

Vicariis perpetuis congrua juxta Pianam constitutionem a capitulo præstanda est : *Nuscana*, 14 *apr.* 1764, § 6.

Vicariis curatis perpetuis congrua assignari debet non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annorum summa, computatis incertis omnibus quæ communiter percipi solent : *Sars., Oner.*, 30 *julii* 1774, § 12.

Et idem dicendum de vicariis curatis temporalibus : *Ibid.*

Habenda est ratio in assignanda congrua, num vicarius, vel collegium, seu monasterium cui cura est unita, teneatur expensas subire pro manutentione ecclesiæ parochialis : *Brict., Con.*, 14 *dec.* 1782, § 14.

Sacri canones decernunt congruam vicariis curatis, quæ ad sufficientem eorumdem conservationem sufficiat : *Eug., Aug. con.*, 16 *aug.* 1783, § 7.

Et omnem curam etiam Concilium Tridentinum, sess. 7, cap. 5 et 7, *de Refor.*, ut vicarii curati parochiarum, quæ aut monasteriis sunt unitæ de congrua sufficienti providerentur, ne propter parochorum inopiam cura animarum negligeretur, et beneficia debitis frauderentur obsequiis : *Ibid.*

Quæ de congruæ quantitate statuta sunt, servari omnino debent tam pro vicariis perpetuis, quam pro aliis ad nutum amovibilibus : *Ibid.*, § 10.

Quod si congrua semel sufficienter assignata fuerit, nisi superveniat notabilis diminutio, nova assignatio fieri non debeat : *Ibid.*

Congrua vicariis curatis assignanda juxta memoratam dispositionem S. Pii V locum habet sive vicarii perpetui sint, sive temporales, sive minorem congruam acceptaverint, aut secus : *Assiss., Con.*, 9 *sept.* 1786, § 5.

Et eam congruam, quæ ad vitæ exhibitionem datur, debent habere ab oneribus immunem, neque ab eventu omnino dependentem, ita ut recensentur quidem in eam emolumenta incerta, quæ alias certa sunt, vel moralem habent certitudinem, non autem incerta ab sacramentorum, puta, administratione obvenientia, quæ sunt eventualia nullamque certitudinem præ se ferunt : *Ibid.*, § 6.

Arbitrio Episcoporum committitur, ut pro temporum circumstantiis, proque onere applicandorum pro populo Missarum possent congruam vicariis perpetuis aut temporalibus decernere, sive cum congrua iisdem non fuisset integre attributa, sive etiam si fuisset juxta S. Pii constitutionem assignata : *Ibid.*

Onus applicationis Missæ veluti a Pontifice ad certos dies definitum instar ceterorum onerum a congrua valore subducendum est : *Ibid.*, § 8.

Congrua ad sunt 100 vicario curato assignata est major ab ipsomet S. Pio V in sua constitutione statuta : *Pap., Diss. un. et prov.*, 3 *mart.* 1787, § 7.

Sed auctis parochiæ reditibus pinguior danda est congrua : *Ibid.*

Neque æstimanda videntur incerta emolumenta, de quibus S. Pius V rationes habendas esse censuit : *Ibid.*, § 8.

Loquitur S. Pontifex de emolumentis decimarum, frumenti, vini, olei et similium, non de illis baptismatum, funerum, matrimoniorum, quæ merces sunt, et præmium laboris, et ut talia in congruam referri non possunt : *Ibid.*

Non est locus incremento congruæ vicarii curati, qui non habet in reditu annua scuta 50 : *Recin., Aug. con.*, 4 *jun.* 1763, § 3.

Vicariis amovibilibus non debetur congrua, sed stipendium vel merces : *Eug.*, 12 *jan.* 1732, § 8.

Sed quum S. Concilium Tridentinum non distinguat in hac re vicarios perpetuos a vicariis amovibilibus, paria debent dari vitæ subsidia utriusque generis, ac proinde locus est constitutioni S. Pii V circa quantitatem congruæ etiam in vicariis amovibilibus : *Ibid.*, § 10.

Pactio inita cum ipso vicario de minuenda congrua jam aliquando ab Ordinario constituta non valet : *Ibid.*

§ II.

Vicarius curatus quoad electionem et deputationem.

Concilium Tridentinum, sess. 7, *de Reform.*, cap. 7, quoad parochiales unitas cathedralibus collegiatis, aut piis aliis bonis statuit, ut Episcopi sollicite providere procurent ut per idoneos vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, animarum cura laudabiliter exerceatur : *Leg. et Ast., Un.*, 5 *dec.* 1722, § 3; *Brict., Con.*, 14 *dec.* 1782, § 12 ; *Cad.*, 24 *jan.* 1784, § 5 ; *Vic. Par. de Luss.*, 30 *aug.* 1766, § 19.

Hinc explicant doctores ut appositio vicarii, sive perpetui, sive temporalis pendeat ab arbitrio Ordinariorum ex circumstantiis moderando : *Ibid.*, § 3 ; *Aur., Un.*, 2 *dec.* 1724, § 5.

S. Pius V in Bulla 47 non excludit, ut exigentibus rerum circumstantiis vicarii etiam temporales deputari non possint, quia ibi de tali determinata redituum quantitate vicariis perpetuis assignanda loquitur, quoties vicarii perpetui in parochialibus unitis constituuntur : *Ibid.*

Sed in Bulla 139 idem S. Pius V facit pro perpetuitate, quum ibi constituat ut vicarii perpetui in parochialibus ecclesiis, quæ sunt unitæ capitulis Urbis, deputentur, ut utilius parochialibus ecclesiis servitium a vicariis perpetuis præstetur : *Ibid.*, § 4; *Aur., Un.*, 2 *dec.* 1724, § ult.; *Neocas., Par.*, 23 *jun.* 1725, § 5; *Alip., Cur.*, 12 *jan.*

Quando vicarii, qui assumuntur ad exercitium curæ animarum non sunt perpetui et collativi, habentur tanquam nudi famuli conductitii ad nutum amovibiles : *Tol.*, 17 *nov.* 1725, § 3.

Statim ac obtenta fuerit unio cum onere deputandi vicarium curatum pro exercitio curæ animarum indispensabiliter tenetur impetrans ad hujus oneris implementum : *Cam., Par.*, 13 *sept.* 1777.

Vacantibus ecclesiis parochialibus, quarum institutio vel collatio spectat ad Episcopum inferiorem, competit eidem Episcopo jus deputandi in iis vicarium, qui tempore vacationis curam gerat : *Urb.*, 9 *sept.* 1786, § 10.

Itidem facere potest in vacationibus ecclesiarum spectantium ad collationem Apostolicam, sive de jurepatronatus laicorum, vel etiamsi non subjaceat concursui : *Ibid.*

Imo potest prædictum vicarium constituere etiam in ecclesiis unitis capitulis : quæ per vicarios amovibiles regantur, quoad usque per ipsa capitula de vicariis debitæ provideatur : *Ibid.*

Vicarius curatus eligi debet per examen : *Fir., Erect.*, 18 *aug.* 1787, § 14.

Ex Concilio Trid., sess. 24, cap. 18, statutum legitur, ut vacante ecclesia parochiali deputandus sit ab Episcopo idoneus vicarius, *si opus fuerit* : *Pisaur.*, 11 *jan.* 1772, §§ 11 et 27.

In collegiata ecclesia, defuncto priore, non est opus deputatione vicarii curati, quia satis illa ecclesia abundat ministris, qui spiritualibus parochiæ incolarum indigentiis possunt occurrere : *Ibid.*

Vicarius etiam amovibilis parochialis unitæ non est simplex coadjutor, sed est verus parochus cum omnimoda actuali cura deputandus ad formam const. S. Pii V et Bened. XIV : *Col.*, 10 *maii* 1760, § 6.

Institutio auctorizabilis nequaquam præscribi potest contra Ordinarium sine jurisdictione activa in populum, qua caret abbas regularis in unita suo monasterio parochia biduo distante a sua abbatia : *Ibid.*

Et ideo approbatus pro cura secundaria deputari non potest ad curam primariam certæ ecclesiæ sine novo examine, sine nova approbatione : *Ibid.*

Hoc non procedit, si agatur de parocho iterum hoc examinando quoad curam animarum ejusdem parochiæ, ad quam fuit approbatus : *Ibid.*, § 7.

Juris communis dispositio requirit in deputatione vicariorum perpetuitatem in parochialibus unitis alicui dignitati Ecclesiæ aut monasterio : *Eug., Juris.*, 7 *aug.* 1773, § 4.

Synodus Trident., sess. 7, cap. 7, *de Reform.*, præcepit locorum Ordinariis, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, provideant ecclesiis parochialibus unitis : *Plac., Par.*, 19 *nov.* 1740, § 1.

Et hoc ut occurrerent malis, quæ animarum saluti proveniebant ex operariis hujusmodi ad nutum amovibilibus, nisi ipsis Ordinariis aliter expedire videretur : *And.*, 20 *dec.* 1766, § 28.

Vicarii curati a canonicis habitualem curam habentibus electi, debent ab Episcopo adprobari : *Alip., Cur.*, 12 *jan.* 1726.

Hinc Sac. Concilii mentem fuisse dicunt doctores, ut appositio vicarii, sive perpetui, sive temporalis, pendeat ab arbitrio Ordinariorum, habita ad circumstantias ratione : *Ibid.*, § 3.

Quamvis Tridentina Synodus non determinet, an vicarii pro exercitio curæ deputandi debeant esse perpetui vel amovibiles, et id judicio Ordinarii relinquat; melius tamen animarum curæ consulitur per vicarios perpetuo : *Null. seu Mont. Cas., Præem.*, 2 *jan.* 1731, §§ 6 et 7.

In parochialibus ecclesiis, quæ monasteriis unitæ sunt, sit deputatio vicarii amovibilis ex vi Const. S. Pii V 139 et ex Apostolicis privilegiis congregationi Cassiniensi super hoc indultis : *Ibid.*, § ult.

Deputandus est vicarius perpetuus ecclesiæ parochiali unitæ capitulo vel loco pio, quum unio facta censeatur quoad spiritualia : *And.*, 29 *aug.* 1767, § 11.

Approbatio et institutio vicarii pro exercitio curæ animarum, utpote ab episcopali munere procedens, quæque auctorizabilis dicitur, ita Episcopis reservata est, ut etiam in casu, quo institutio collativa beneficii pertineat ad abbatem, ab illis tantum in quorum diœcesi est populus sub dicta cura existens, sit concedenda : *Verc., Jur.*, 18 *jun.* 1735, § 6.

Ex dispositione juris canonici auctoritas instituendi vicarios ad curam animarum locorum Ordinariis tribuitur, etiamsi præsentatio facta fuerit a rectoribus, capitulis vel monasteriis, quibus parochiales ecclesiæ sunt unitæ : *Eug., Jurisd.*, 13 *mar.* 1773, § 13,

Electio vicarii curati temporalis cujus nomen in Ecclesia est exosum, et munus mercenarium, et qui potius propriam quam Ecclesiæ utilitatem respicit, ecclesiasticæ disciplinæ contrariatur : *And.*, 29 *aug.* 1767, § 48.

In vicarium potest assumi regularis ad curam animarum secundariam approbatus, litterisque testimonialibus ferme unisonis aliis expediri solitis in favorem vicarii ad primariam curam deputati commendatum, quin opus sit nova approbatione, novoque examine, quod in eodem munere iterari non potest : *Col.*, 10 *maii* 1760, § 4.

In parochialibus unitis collegio præfici debent vicarii perpetui presbyteri seculares a rectore ejusdem collegii pro tempore existente nominandi, et per Ordinarium examinandi et approbandi cum assignatione congruæ juxta morem regionis, et juxta famigeratam S. Pii V Const. *Ad exequendum* : *Leg. et Ast., Un.*, 11 *apr.* 1739, § 3.

Item ad curam et administrationem ecclesiarum monasteriis unitarum debent deputari vicarii perpetui : *Const.*, 20 *nov.* 1734, § 8.

Et deputari possunt tantum presbyteri seculares, non vero regulares, qui nequeunt beneficia in titulum perpetuum retinere : *Ibid.*

Imo possunt regulares amoveri, quia deputati fuerunt nullo prævio examine, et nulla præcedente Episcopi approbatione : *Ibid.*

Licet jure antiquo inspecto possent regulares vicarium libere deputare in ecclesiis pleno jure unitis monasterio, attamen ex jure novo S. Concilii Trid., sess. 7, cap 7, *de Refor.*, quæcumque exemptiones et privilegia regularium abrogantur, ita ut in ecclesiis monasterio unitis nequeant deputari vicarii curati, nisi prius examinati et approbati ab Episcopo : *Pal.*, 12 *jan.* 1760, § 5 : *Ibid.*

Et Epiccopi approbatione indigent, nedum vicarii perpetui a regularibus in suis ecclesiis constituti, sed etiam vicarii ad nutum amovibiles : *Ibid.*, § 7.

Presbyteri etiam seculares deputari possunt vicarii in parochialibus ecclesiis unitis monasterio S. Petri Congreg. Cassinensis in urbe Perusiæ, et hi ad nutum superiorum dicti monasterii etiam amoveri possunt, ad quos spectat ipsorum deputatio, ad Episcopum vero approbatio : *Per., Rem. vic.*, sive *Cap. jur.*, 13 *jun.* 1743, § 1.

Quod jus tum facultati a S. M. Gregorio XIII attributæ, tum etiam antiquissimæ consuetudini deputandi presbyteros seculares ad nutum superiorum dicti ordinis amovibiles consectarium esse videtur, ex iis quæ traduntur de amovibilibus et temporalibus vicariis, sive capellanis curatis ecclesiarum, quæ unitæ sint capitulis, monasterio vel dignitati, tradunt doctores : *Ibid.*, § 9.

Imo quodcumque generatim de quocumque vicario curato amovibili et temporali traditur, facilius locum habet, ut vicarius curatus amoveri potest ad nutum, quasi vox ista liberam omnino et absolutam voluntatem significans, vix coerceri posse videntur inter solos justæ et legitimæ causæ limites, atque itidem quando vicarius curatus acceperit litteras suæ nominationis, sive electionis expressam amovibilitatis legem *etiam sine causa* præ se ferentes, prout binas has circumstantias expendunt doctores : *Ibid.*, § 10.

Congregationi Cassinensi fuerunt specialia privi-

legia Apostolica concessa quoad punctum amovibilitatis vicarii curati, et quoad punctum approbationis extra concursum : *Null. seu Mont., Cas.*, 2 *apr*, 1729, § 4.

Adjutores curæ ad breve tempus deputati examinandi sunt et approbandi ab Episcopo : *Vin., Cur. anim.*, 19 *jul.* 1732, § 7.

Ubi cura actualis animarum non est affixa præposituræ, videtur considerandum an potius expediat injungi erectionem vicariæ perpetuæ, assignata congrua mercede ex reditibus capitularibus : *Ibid.*, § ult

§ III.

Vicarius curatus quoad jura et potestatem.

Vicarius perpetuus habere dicitur vere titulum in ipsa ecclesia parochiali, et curam animarum non tantum in exercitio, sed etiam in jure habituali : *Mant., Rep. eccl.*, 24 *maii* 1732, § 3.

Vicarius relictus, parocho absente, licet expressa ei a parocho data non fuerit facultas assistendi matrimoniis, habet illam nempe a lege a Tridentino Concilio : *Fav., Matr.*, 22 *jul.* 1758, § 2.

Nam deputatus dicitur ad universam curam animarum ad differentiam capellani, vel vicarii parochi præsentis, cui facultas expressa a parocho dari debet, ideoque de matrimonii coram illo et testibus contracti validitate ambigendum non est : *Ibid.*

Vicario curato ecclesiæ cathedralis unicæ parochialis exercitium curæ sibi datum non licere aliis implendum mandare : *And.*, 20 *dec.* 1765, § 22.

Quum vicarii capituli per concursum sive a Dataria, sive ab Episcopis, eligantur ex sententia Rotæ, repugnat cum cura habituali capituli, quam alius habeat : *Vic. Far. de Luss.*, 30 *aug.* 1766, § 12.

Imo vicarii ipsi omnia sine capituli scientia agere, emolumenta parochialia percipere integra, propterea ad illos omnem curam pertinere, certissimi juris est : *Ibid.*

Atque ad illos spectat onus alendi, si quem velint, adjutorem : *Ibid.*, § 15.

§ IV.

Vicarius curatus quoad Missam pro populo.

Vicarii ecclesiarum parochialium sive perpetui sint, sive ad nutum amovibiles, omnes indistincte tenentur ad applicationem Missæ pro populo ipsorum curæ commisso : *Luc., Ap. Mis. pro pop.*, 16 *febr.* 1774, § 8.

§ V.

Vicarius curatus quoad onera in genere.

A vicario certe subenda sunt ea omnia onera, quæ inhærere solent parocho et rectori ecclesiæ : *Mant., Rep.*, 24 *maii* 1732, § 3.

Vicarii perpetui seu coadjutores perpetui, licet non sint proprie rectores animarum curæ, tenentur ex officio ad omnia ea, ad quæ ipsi rectores tenentur : *Rip.*, 17 *jun.* 1775, § 10.

Ad vicarium curatum spectat omnia onera incumbentia ecclesiæ parochiali, in qua fuit erecta vicaria perpetua : *Reat., Aug. Congr.*, 4 *jun.* 1763, § 4.

Dummodo tamen habeat reditus præter congruam alimentariam : *Ibid.*

§ VI.

Vicarius curatus quoad remotionem.

Vicarii curati absque causæ expressione amoveri nequeunt ad instantiam parochi deputati, sed ad instantiam parochiæ incolarum de eis conquerentium : *Tol.*, 17 *nov.* 1725, § 4.

Potest Episcopus ex informata conscientia amovere vicarios curatos etiam a regularibus exemptis deputatos, nulla superioribus regularium exposita vel probata causa sui judicii : *Asc.*, 22 *jan.* 1703, § 1.

VICARIUS EXERCITUS. Vide *Capellanus*, § XII.

Vicarius foraneus.

Vicario foraneo gravium causarum cognitio mandari nequit : *Alb. Cens.*, 18 *jul.* 1746 § 2.

Vicarius generalis Episcopi.

Vicarius generalis jus habet sicut Episcopus eligendi digniorem in concursu : *Fir., Par.*, 22 *jan.* 1763. § 2.

Et pro illius judicio non minus quam pro judicio Episcopi præsumitur : *Ibid.*

Vicarius generalis prohibere nequit matrimonium ideoque illius interdictum matrimonium minime irritare potest, cum impedimenta matrimoniorum dirimentia statuere, æque sub nullitatis pœna interdicere Summo Pontifici sit reservatum : *Seg., Matr.*, 17 *nov.* 1736, § 3.

Sed efficere potest ut matrimonium utpote contra Episcopi inhibitionem celebratum illicitum sit, proindeque illud contrahentibus, non obstante memorato interdicto, debeat salutaris pœnitentia ob contemptum judicis ecclesiastici injungi : *Ibid.*

Vicarius generalis æque ac contrahentium parochus ex proprio officio et facultate sibi a Concilio Tridentino tradita, sess. 24, cap., 1 *de Ref.*, potest absque speciali Episcopi commissione matrimoniorum celebrationi interesse, alioque simplici sacerdoti licentiam illis assistendi concedere : *Ibid.*, § 2.

Episcopus potest binos vicarios generales æque principales, seu in solidum constituere in eadem diœcesi, ut causarum expeditioni facilius consultum sit : *Ferr. seu Rav., Jur.*, 3 *jul.* 1734, § 8.

Nonnulli doctores contrarium tradunt : *Ibid.*, § 6.

Et ita sentit Sac. Congreg. Episcop. et Regul., nisi tamen adsit consuetudo plures vicarios generales constituere : *Ibid.*

Conveniunt doctores in hoc ut Episcopus nequeat habere plures vicarius generales, vel tribunalia juxta numerum dominiorum temporalium, ad quæ se extendit ejus diœcesis : *Ibid.*, § 7.

Vicarius generalis Episcopi si deputet pro-vicarium, iste exequi nequit commissionem ipsi vicario directam ; secus vero, pro-vicarius a Sac. Congreg. Episcoporum delegatus : *Aq.*, 13 *jul.* 1720, § 8.

Vicarius generalis sub appellatione Ordinarii comprehenditur : *Jad.* 24 *aug.* 1720, § 8.

Vicarius generalis, agnita suæ jurisdictionis incompetentia, cognoscendi de viribus dispensationis matrimonialis, quam delegatus exequendam esse pronunciaverat, remittere partes ad Summum Pontificem debet : *Ger. seu Vic., Null. matr.*, 2 *aug.* 1760, § 1.

Vicarius generalis quando deputatus fuit ab Episcopo, alios in sui locum substituere vel subdelegare non potest : *Corp., Null. pr.*, 19 *sept.* 1761, § 7.

Vicarius generalis sine speciali delegatione Episcopi nequit suis ordinariis facultatibus erigere beneficium ecclesiasticum : *Urb*, *Cap.*, 25 *sept.* 1762, § 5.

Vicarius generalis nequit esse simul parochus, præsertim si parochia extra civitatem sit : *Urb.*, 14 *jan.* 1764, § 11.

Vicarius generalis Episcopi non potest beneficia conferre, nec quemquam illis privare, nisi id sibi specialiter fuerit ab Episcopo commissum : *Cons., Priv. et Cens.*, 17 *nov.* 1756, § 3.

Vicarius generalis Episcopi quoad præsentiam in matrimonio. Vide *Matrimonium*, § xxxii.

Vinculum.

Vinculum personæ injectum a potestatem habente, eidem personæ semper inhæret, quemcumque demum in locum transeat : *Eys., Matr.*, 9 *febr.* 1732, § 11.

Doctores spirituale conjugium asserentes inter parochum et ecclesiam, non loquuntur de stricto et indissolubili vinculo conjugii, cum eamdem loquendi formam adhibeant quoad canonicos et beneficiarios : *Ful., Fun.*, 28 *aug.* 1773, § 17.

Vinculum indissolubilitatis. Vide *Matrimonium*, § xxiii.

Violentia.

Violentia interpretativa præsumitur in puellis seductionibus facile subjectis ob sexus atque ætatis imbecillitatem : *Olom., Matr.*, 14 *mar.* 1772, § 50.

Reliqua. Vide *Matrimonium*, § xlvii ; *Professio Religiosa*, § xi ; *Sacramentum Ordinis*, § xv.

Vis. Vide ut supra.

Visitatio.

Visitationes Episcopi tanquam referibiles ad jurisdictionem delegatam Episcopo viciniori tributam a Concilio Trid., in cap. 9, sess. 24, *de Refor.*, non excludunt prærogativam territorii separati : *Caput.*, 17 *jan.* 1761, § 3.

Alii arbitrantur eam fuisse mentem, ut archidiaconi, aliique inferiores prælati, quibus jus visitandi est, actum visitationis nonnisi de Episcopi consensu explere possint : *Monast., Conf.*, 16 *sept.* 1769, § 15.

Et hæc interpretatio desumitur ab illis ex verbis sequentibus Concilii ejusdem, in quibus præcipitur ut visitatores etiam a capitulo deputandi, ubi capitulum jus visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur : *Ibid.*

Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 3, *de Refor.*, de archidiaconis aliisque quibus jus est alicujus diœcesis ecclesias visitandi, voluit ut illi peragere debeant, assumpto notario de consensu Episcopi : *Ibid.*, § 14.

Et intelligitur hoc decretum ut de Episcopi tantum consensu notarius assumi debet, non tamen ut illius consensus ad explendam visitationem requireretur : *Ibid.*

Ex dicto decreto nil aliud quoad archidiaconorum visitationem statuisse, nisi ut ea, assumpto notario Episcopi, et personaliter expleri deberet : *Ibid.*

Visitationes sacræ antiquæ per Antistites expletæ, sufficiunt ad probandum juspatronatus in personis privatis, nec de usurpatione suspectis : *Ver., Jur.*, 27 *jun.* 1778, § 13.

Respicit sacra visitatio sanam doctrinam, bonos mores, religionem et pacem populi : *Fir. Proc.*, 16 *maii* 1795, § 4.

VISITATIO, QUOAD EPISCOPUM. Vide *Episcopus*, § XXVI.

VISITATIO INFERIORUM PRÆLATORUM. Vide *Abbas*, § III.

VISITATIO LOCORUM AC PERSONARUM REGULARIUM EXEMPTORUM, VEL NULLIUS DIŒCESIS. Vide *Episcopus*, § XXVI.

VISITATIO MONIALIUM. Vide *Monasterium monialium*, § III.

VISITATIO QUOAD PROCURATIONEM. Vide *Episcopus*, § XX.

VISITATIONIS SACRÆ DECRETUM. Vide *Decretum*, § III.

Visitator apostolicus.

Is cui a vicario Apostolico communicatæ fuerunt oretenus omnes facultates, non potest concedere litteras dimissorias, quæ concessio commissa fuit arbitrio vicarii Apostolici, et directa ad collationem primæ tonsuræ, et sic ad constituendum aliquem in Ecclesia ministrum : *Aq.*, 28 *mart.* 1722, § 3.

Decretum visitatoris Apostolici exequi debet, quasi ab ipso Pontifice delegante prodiisset : *Fir.*, 13 *jun.* 1795, § 5.

Et contraria consuetudo abusus est et corruptela : *Ibid.*

Maxime si munitum sit decretum clausula derogatoria cujuscumque consuetudinis : *Ibid.*

Nisi ab initio neglectum fuerit : *Ibid.*, § 10.

VISUS. Vide *Testis*, § VI.

VITA. Vide *Clerici*, § X ; *Parochus*, § XVII.

Vitium.

Vitio caret qui scit, sed prohibere non potest : *Rel. secr.*, 15 *jun.* 1793, § 15.

Vocatio.

Vocationem subsidiariam fœminarum extincta agnatione in concursu extranei substituti adimere non valent, nec contemplatio agnationis, nec mentio lineæ masculinæ etiam in parte dispositiva, nec vocatio masculorum ex masculis, sive explicita, sive collectiva, sub generalibus vocabulis filiorum, et descendentium masculorum ex eis descendentium exclusio : *Nep.*, 24 *aug.* 1748, § 3.

Agnatio vero et qualitas masculina tam ex parte generantis, quam generati, faciunt ut testator præferre voluerit agnationem atque agnatos cognationi et cognatis, non autem ut præferre voluerit extraneos cognationi et cognatis : *Ibid.*

Ad hoc firmandum in promptu est Papiniani responsum in l. *Cum avus* ff. *de Condit. et demonst.*, quod licet interpretes asserant locum habere duntaxat in dispositionibus ascendentium, tamen firmator illud militare etiam in dispositionibus transversalium, qui pro se carentes jacturam familiæ effectivæ reparant in filiis fratrum et agnatorum : *Ibid.*, § 4.

In fideicommissis, primogenituris et majoratibus substitutorum vocationi locus non fiat, donec spes est ut alii priori loco vocati superveniant : *Bar., Ben.*, 21 *nov.* 1739, § 5.

Successiva vocatio ostenditur ex onerum perpetuitate : *Fir., Præb.*, 26 *mart.* 1791, § 7.

Ubi sequutus est vocationis effectus in uno ex genere contemplato, perimitur jus quo reliqui ejusdem generis ante electionem pollebant : *Ibid.*, § 8.

Maxime si vocatio unius ex certo genere alligata sit tempori obitus alterius, qui semel evenire debet : *Ibid.*

Unum idemque est, quemquam non adesse ex genere vocato, et adesse, sed vocatione uti fruique abnuere : *Alex., Disp.*, 8 *apr.* 1786, § 8.

Abstrahendo a casu, quo testator sive expresse, sive tacite voluntatem suam aperuerit de præferendis, *usque ad quemcumque gradum* consanguineis suis, salva eorumdem vocatio dictis prægnantibus verbis destituta decimum gradum civilem, sive quintum canonicum non egreditur, ut in cujusvis generis successionibus sive propriis, sive impropriis : *Beat., Jub. dot.*, 19 *aug.* 1786, § 5.

Prælativæ vocationi favet ea verisimilis voluntas, quæ ex canonica æquitate in quolibet fundatore præsumitur erga illos, qui cum eadem necessitudine conjuncti sunt : *Pisaur., Cap.*, 9 *sept.* 1786, § 3.

Præsertim quando nulli certo personarum generi alligata est testatoris benignitas, ita ut nemini jus sit quæsitum : *Ibid.*

Si autem prælativa vocatio diserte coercita sit ad certos descendentes, extra igitur hanc classem extendi ea prærogativa non potest : *Ibid.*

Vocatio cognatorum duplici modo fieri potest, vocando *quello che vi sarà* DELLA *mia casa*, vel NELLA *mia casa* : *Anc., Cap.*, 12 *jun.* 1762, § 5.

Primo modo videtur testator respexisse potius ad originem, quam ad veram agnationem : *Ibid.*

Præsertim si post illos de domo, immediate vocantur extranei : *Ibid.*

Ideirco cognati collocandi sunt in prima sede vocationis, ne postpositi videantur extraneis : *Ibid.*

Conditionalis consanguinei vocatio, et subsidiaria extranei substitutio, idoneitatem importat tempore vacationis ; ita ut in concursu consanguinei inhabilis, extraneus habilis præferatur : *Areat., Disp.*, 20 *aug.* 1774, § 11.

Cum habilitas non a lege, sed ab homine requisita sit : *Ibid.*

Vocatio personarum contemplatarum pendet a patroni præsentatione, sine qua nemo de genere vocatorum dicitur habere jus certum : *Fav., Ben.*, 3 *jul.* 1762, § 5.

Vocatio ad proximiores familiæ directa cognatos quidem comprehendit : *Mon. Alt., Can.*, 24 *jul.* 1762, § 4.

Sed eos cognatos, qui ab uno stipite adjecti cognominis illius, a quo ipse descendit, proficiscuntur : *Ibid.*

Præsertim accedente ipsius testatoris observantia : *Ibid.*, § 5.

Communis distinctio est, quod aut agitur de consanguineis expresse vocatis, seu ex justitia venientibus, et hoc casu consanguinitas desinit in decimo gradu juxta regulas juris civilis : *Ferr., Subs. dot.*, 14 *dec.* 1765, § 17.

Nisi aliter conjecturæ suadeant, et verba testatoris perpetuo agnitionem seu familiam respiciant ; nec ad certos gradus ea verba restricta sint : *Ibid.*

Aut vero deest præcipua et expressa consanguinearum fœminarum vocatio, solaque naturalis charitas consideratur, et tunc hæc excedere non videtur quartum gradum ipso jure civili computandum : *Ibid.*, § 18.

Constans est doctorum sententia, ut si vocati generice fuerint agnati aut cognati, vocatus primo loco censeatur, qui gradus prærogativa et proximioritate polleat : *Rom., Subs. dot.*, 16 *dec.* 1769, § 11.

Expressa testatoris vocatione deficiente, consanguineæ præter gradum quartum jure civili computandum remotæ, semper rejiciuntur, erga quas nulla amplius consideratur naturalis charitas : *Luc., Subs. dot.*, 17 *jun.* 1769, § 9.

Si testator simpliciter vocet familiam sive domum, tunc si plures sint familiæ ejusdem cognominis, censetur, ex præsumpta quadam mente, vocasse familiam de qua ipse natus est duntaxat : *Max.*, 20 *sept.* 1766, § 20.

Appellatio domus, civilis appellatio est, et veniunt omnes qui portant eadem insigna seu arma : *Ibid.*, § 22.

Activa vocatio non inducit passivam earumdem personarum vocationem : *Fir., Cap.*, 29 *jan.* 1791, § 8.

Vocationem passivam habens cuicumque extraneo præferendus est : *Eug., Disp.*, 18 *febr.* 1764, § 5.

Et non indiget facto patronatum, nec nominatione : *Ibid.*

Vocatio in favorem puellarum *di essa citta d'Imola*, originarias tantum comprehendit, exclusis aliis fictam civilitatem adeptis, vel privilegio, vel incolatu : *Imol., Subs. dot.*, 20 *jun.* 1767, § 5.

Et exclusis etiam districtualibus : *Ibid.*

Passiva vocatio expressa in instrumento fundationis, etsi non repetita in sententia exequutorali indulti Apostolici super erectione beneficii, magis attendenda est : *Ner., Ab.*, 19 *apr.* 1760, § 6.

Vocatio passiva tacitam præ se fert conditionem in vocato, ut per se ipsum inserviat : *Ar., Disp.*, 20 *aug.* 1774, § 10.

Indefinita vocatio ad unum tantummodo coerceri nequit, sed tanquam collectiva plurium personarum ejusdem gradus, singulos ex æquo complectitur, qui juxta ordinem successionis in eodem gradu reperiuntur : *Tol., Can.*, 16 *dec.* 1769, § 10.

Reliqua. Vide *Capellania*, § iv ; *Juspatronatus*, § ii ; *Legatum pium*, § xiv ; *Subsidium dotale*, § xiv.

Voluntaria conditio. Vide *Conditio*, § v.

Voluntarii actus. Vide *Actus*, § ii.

Voluntarium.

Nunquam voluntarium licet renunciare, quod ex accidenti evenisse constat, ac præter propositam operantis intentionem : *Brug., Irr.*, 8 *apr.* 1786, § 4.

Actuum multiplicitas, temporisque diuturnitas obligatorium reddit, quod ab initio fuit voluntarium : *Alex., Ser. chor.*, 20 *mart.* 1790, § 4.

Sed non desunt, qui nunquam ex actibus voluntariis obligatoriam consuetudinem induci arbitrantur : *Ibid.*

Voluntas testatoris.

§ I.

Voluntas testatoris in genere.

Voluntas tacita derogat expressæ : *Arim.*, 27 *nov.* 1790, § 3.

Determinata dici nequit voluntas, quæ ambiguum importat executionis modum, et perfectionem futuram expectat : *Leod.*, 21 *nov.* 1772, § 8.

Educenda est, atque alio transferenda puella, quæ in illo monasterio sacras vestes suscipere velle declaraverit, in quo de insidiis circumventionibusque parentum vereri possit, ut in loco libero ejus

voluntas melius exploretur : *Fan. seu Senog., Sp.*, 1 *mar.* 1749, § 3.

§ II.

Voluntas testatoris quoad commutationem.

Facile non est commutanda voluntas testatoris : *Nul. S. Æd., Ben. Sacr.*, 19 *jun.* 1790, § 6.

Testatorum piæ voluntatis commutatio de jure est prohibita : *Fulg., App.*, 22 *dec.* 1781, § 5.

Intellige, quando aliquo modo impleri potest : *Ibid.*

Sin autem impleri nequeat modo a testatoribus optato ob impedimentum facti, veluti ex modicitate redituum prosiliens, tunc in alios usus converti potest : *Ibid.*

Defunctorum piæ voluntates stricte sunt servandæ, custodiendæ nec commutandæ : *Alb.*, 21 *nov.* 1778, § 9 ; *Ascul., Com. vol.*, 20 *jan.* 1776, § 14 ; *Fer.*, 28 *aug.* 1779, § 9.

Commutari non debent, sed stricte observari voluntates mortuorum, ne ex nimia facilitate declinandi ab eorum votis, retrahantur viventes a dispositionibus piis : *Tran. Un.*, 18 *mart.* 1780, § 5.

Limita vero, quando demandata voluntas impleri nequeat : *Ibid.*, § 6.

Commutatio, quando occurrat justa, rationabilis causa fieri debet in aliud simile opus : *Ibid.*

Non autem quando resistat voluntas testatoris, etiamsi commutatio fieret in melius : *Ibid.*, § 5.

Nam nimia facilitas in derogando ultimis testatorum voluntatibus efficere potest ut viventes, qui id fieri vident de testamentis mortuorum, minus proni sint ad similes pias dispositiones ineundas : *Asc., Com. vol.*, 20 *jan*, 1776, § 14 ; *Taur., Com. vol* , 20 *dec.* 1732, § 5.

Idcirco expedire, ne etiam in melius fiat commutatio, quando hujusmodi commutationi aperta testatoris resistit voluntas : *Ibid.*

Limita quando pium opus, quod testator fieri voluit, impleri non possit, tunc mutanda voluntas est, quando ipse testator mutasset in aliud simile pium opus : *Ibid.*, § 15.

Et quando justa et rationabilis adsit commutandi causa : *Ibid.*

Voluntatis commutatio nunquam dicitur perfecta, sed potius illius interpretatio, quando voluntas in æquale pium onus commutatur : *Am., Appl.*, 7 *sept.* 1776, § 7.

Hinc si commutata sit pia voluntas per arbitrium executorum testamentariorum sustineri non debet, omniaque in pristino restituenda patrono : *Fer.*, 28 *aug.* 1779, § 9.

S. Congregatio Concilii grandi cum cautela in voluntatum commutationibus procedit, diligentissima custos moniti Tridentinæ Synodi : *Macer., Mass. Com.*, 28 *maii* 1785, § 5.

Et si justa, ac necessaria causa cogat, ut nimirum in opus voluntati testatoris magis proximum commutatio fiat : *Ibid.*

Atque præbendarum ad Missam communem reductio, ut demum divino Ecclesiæque servitio satius consulatur, magis hæc voluntatis declaratio, quam commutatio definitur : *Ibid.*, § 6.

Ex ipsa *Clementina, Quia contigit*, salva in id est Apostolicæ Sedis auctoritas in commutandis voluntatibus : *Hipor. seu Epor., App.*, 17 *sept.* 1791, § 6.

Et juxta Tridentinum Concilium, sess. 22, cap. 6, *de Reform.*, commutare valet ex rationabili causa defunctorum voluntates : *Ibid.*

Sed sancta Synodus eodem capite nisi justa et necessaria causa accedere comperiatur, voluntatum piarum commutationes vetuit : *Bon., Com. vol. et Trans.*, 17 *jun.* 1786, § 10 ; *Cing., Erec. mans.*, 23 *nov.* 1771, § 11 ; *Ast.*, 9 *jul.* 1785, § 6 ; *Nul. S. Laur. in Cam., Com. vol.*, 20 *aug.* 1785, § 11 ; *Ead.*, 11 *dec.* 1784, § 5 ; *Boss., Com. vol.*, 22 *maii* 1784, § 2 ; *Par., Ben.*, 7 *jul.* 1787, § 2 ; *Aux., Trans. Mis.*, 15 *febr.* 1772, § 6 ; *Fav., Com. vol.*, 4 *apr.* 1789, § 4 ; *Hort., Erec. can.*, 26 *mar.* 1768, § 18 ; *Plac., Trans.*, 7 *aug.* 1773, § 5 ; *Rom., Com. vol.*, 27 *febr.* 1734, § 9 ; *Nar.*, 23 *jan.* 1790, § 5.

Nam diligenter custodiendæ sunt ultimæ voluntates, et ab earum commutatione abstinendum, nisi eam fieri postulet justa et necessaria causa, quod est regula juris : *Præn., Com. vol.*, 15 *mar.* 1777, § 9 ; *Taur., Com. vol.*, 20 *dec.* 1732, § 5 ; *Arim., Trans. cap.*, 8 *aug.* 1733, § 5 ; *Rom., Ben. ap.*, 16 *mar.* 1771, § 16 ; *Pad., App.*, 21 *nov.* 1772, § 2 ; *Milet., Per.*, 9 *jul.* 1774, § 9 ; *Pamp.*, 19 *aug.* 1775, § 7 ; *Nul., Far. Sem.*, 9 *aug.* 1777, § 9 ; *Sutr., Com. vol.*, 16 *dec.* 1786, § 2 ; *Ascul.*, 7 *jun.* 1788, § 6 ; *Fir., Com. vol.*, 7 *febr.* 1789, § 3 ; *Rom., Com. vol.*, 7 *febr.* 1789, § 5 ; *Æsin., Subs. dot.*, 19 *dec.* 1789, § 4 ; *Rom., Un. red.*, 17 *apr.* 1790, § 3 ; *Bon., Com. vol.*, 17 *sept.* 1791, § 6 ; *Null. S. Æd., Ben. Sacr.*, 16 *jun.* 1792, § 2 ; *Ast., Trans. Mis.*, 31 *maii* 1794, § 4 ; *Senog., Subs. dot.*, 18 *mar.* 1797, § 5 ; *Ferr., Subs. dot.*, 14 *jan.* 1792, § 4 ; *Alex.*, 18 *jul.* 1789 ; *Foss., Cel. Miss.*, 11 *maii* 1793, § 6 ; *Rom. seu Sav., Subs. dot.*, 26 *apr.* 1788, § 10 ; *Par.*, 24 *maii* 1788, § 4.

Et juxta hanc regulam S. Congregatio Concilii,

quæ consuli solet, quandoque impertiendam, quandoque negandam censuit petitam voluntatis commutationem, prout singulorum casuum circumstantiæ postulare visæ sunt circa usum summæ et amplissimæ illius potestatis, quæ penes Romanum Pontificem est de mutandis dispositionibus in pias causas factis : *Rom., Com. vol.*, 27 *febr.* 1734, § 9.

Justa commutandæ voluntatis causa est difficultas executionis : *Foss., Cel. Miss.*, 11 *maii* 1793, § 7.

Præter causam justam et rationabilem ad commutandas voluntates, additur etiam publica : *Rom. seu Sav., Subs. dot.*, 26 *apr.* 1788, § 10.

Nam nullo jure venire potest, ut pro libito defunctorum voluntates legitime conditæ destruantur : *Vit., Pror.*, 30 *aug.* 1766, § 28.

Quum de commutanda voluntate sermo esset durior, non potest fieri nisi ex justa, imo ex necessaria causa : *Ibid.*

Ob concurrentem necessitatem et probabilem utilitatem facile commutandæ sunt ultimæ testatorum voluntates : *Aq., Er. cap.*, 2 *aug.* 1760, § 6.

Sed doctores causam necessariam et publicam requirunt pro hujusmodi commutatione : *Bon., Com. vol.*, 5 *apr.* 1788, § 6.

Potiores commutandæ voluntatis causæ sunt utilitas et necessitas ecclesiæ : *Nul. S. Ædist., Ben. sacr.*, 16 *jun.* 1792, § 2.

Destinata in certum opus ex pia morientium dispositione, in aliud facile converti non debent : *Nul. S. Ben., Com. vol.*, 16 *jun.* 1792, § 2.

Eoque minus Missarum legata : *Ibid.*

Ubi maxime ex omnibus bonis demandata sit a testatore prompta illarum celebratio : *Ibid.*

Conceditur quandoque commutatio ex testatoris voluntate etiam præsumpta : *Ibid.*, § 3.

Præsertim si in eo, pro qua facienda sit commutatio, paupertas concurrat et sanguinis cum testatore conjunctio : *Ibid.*

Inter justas vero commutandi causas recensentur necessitas, utilitas, pietas, incommodum aut majus commodum : *Bon., Com. vol.*, 17 *sept.* 1791, § 6.

Religionem et severitatem, quæ in commutandis voluntatibus adhibitur, vincit necessitas : *Vit., Trans. Mis.*, 19 *maii* 1787, § 3.

Non ex qualibet opinabili ratione, sed ex justa duntaxat et necessaria causa commutandæ sunt defunctorum voluntates ex S. Concil. Trid. citato : *Bon.*, 16 *jun.* 1787, § 4 : *For.*, 11 *jan.* 1777, § 6.

Sive ut graves doctores addunt ex causa etiam publica : *Ibid.*

Æqua commutandæ voluntatis causa est difficultas exequendi quod testator præscripsit : *Nar.*, 23 *jan.* 1790, § 5; *Fir., Com. vol.*, 7 *febr.* 1789, § 3 ; *Nuc., Com. vol. et trans.*, 15 *mart.* 1794, § 20.

Causa commutationis necessaria evincitur ex tex. *in leg.* 5 *ff. de Administr. rer. ad civit. pertin.*, aliisque juribus : *Foros.*, 11 *jan.* 1777, § 7.

Præsertim quando designatum est multiplicum, quod non nisi post secula fieri possit : *Ibid.* et § 8.

Concilium Tridentinum justam ac necessariam causam requisivit pro voluntatis commutatione, necessitas vero inducit impossibilitatem adimplendi testatoris dispositionem : *Sen., Com. vol.*, 30 *maii* 1772, § 10.

De illis, qui in augmentum divini cultus tendunt legitime fit commutatio voluntatis : *Fulg., Com. vol.*, 20 *nov.* 1762, § 5.

Justa commutandæ voluntatis causa habita est, quæ respicit opus magis pium atque Ecclesiæ utilitas, et animarum saluti magis proficuum : *Plac., Trans.*, 7 *aug.* 1773, § 5.

Justa etiam causa videtur, si commutatio maximam populi utilitatem præseferet, præsertim quando alius non adest modus, quo illius spirituali indigentiæ occurratur : *Boss., Com. vol.*, 22 *maii* 1784, § 2.

Item causa justa ac necessaria videtur illa, quæ a tenuitate dotium beneficiis constitutarum comparative ad onera procedit, veluti in relictis pro missarum celebratione observavit S. Synodus Tridentina : *Bon., Com. vol. et trans.*, 17 *junii* 1786, § 10.

In hisce commutationibus quamvis a Tridentino desideratur justa causa, non tamen perquirendus servandusque est summus justitiæ rigor, qui justitiam ipsam flagellat sæpius quam recreat : *Per., Trans. on. Miss.*, 20 *aug.* 1785, § 5.

Sed potius recti et æqui rationem decet amplecti, in qua verior justitiæ manet definitio : *Ibid.*

Pias fidelium voluntates immutare solet suprema Sedes : *Fir.*, 26 *nov.* 1785, § 14.

Et commutat quoties id exigit bonum publicum ac privatum, nec non divini cultus augmentum, ac necessaria concurrat ac utilis causa commutationis : *Fir., Er. man.*, 10 *feb.* 1770, § 8.

Quando publicæ utilitati ac necessitati consulitur, augeturque divini cultus ex verisimili testatorum voluntate, commutationi indulgendum est : *Fer.*, 29 *nov.* 1766, § 8.

Quamvis piæ decedentium voluntates servari adamussim debent, commutationi tamen aliquando sunt obnoxiæ, si necessitas urget, vel utilitas sua-

det, ne testatorum animæ suffragiis fraudentur : *Bal.*, 12 *jun.* 1773, § 3.

Justa est commutationis voluntatis causa conveniens ac unica, quando exequi aliter nequit : *Fav.*, 22 *mart.* 1766, § 7.

Imo est causa necessaria : *Ibid.*

Præsertim si favet Episcopus, cujus judicium maximopere existimandum est : *Ibid.*

Difficultas exequendi testatoris voluntatem non debet esse physica, sed sufficit moralis etiam pro illa commutanda : *Fan.*, *Subs. dot.*, 13 *jul.* 1771, § 5.

Simplex, multisque communis paupertas justa non videtur causa mutandi voluntatem : *Fer.*, *Ap.*, 9 *sept.* 1797, § 5 ; *Fer.*, *Com. vol.*, 23 *febr.* 1793, § 3.

Licet de paupere agatur testatoris fratre : *Ibid.*

Querela enim inofficiosi non habet frater ad testatam hæreditatem fratris vel sororis, nisi instituta sit persona turpis : *Ibid.*

Tum pro commutatione voluntatis testatoris, tum ut in longius protrahi debeat illius exequutio, justa ac rationabilis causa requiritur : *Melev.*, *Trans.*, 15 *maii* 1790, § 6.

Commutationi voluntatis cum Ecclesiæ decore conjunctæ, ipsa favere videtur testatoris voluntas : *Lun. Sarz.*, 9 *jul.* 1785, § 7.

Commutatio voluntatis quum rescipiat mera accidentalia, non substantiam ipsius voluntatis, urgente levi etiam causa facillime est concedenda : *Eyst.*, 14 *mart.* 1767, § 6.

Commutatio voluntatis facilius indulgetur quando tendit in augmentum divini cultus pro incremento capellæ musicorum : *Ast.*, 14 *maii* 1763, § 3.

Aliquando ex incremento cultus divini in novo oratorio perficiendo facta fuit perpetua voluntatis commutatio : *Arim.*, *Subs. dot.*, 15 *dec.* 1759, § 3.

Legitime defuncti voluntas commutatur in publicæ utilitatis et necessitatis causam, et in augmentum divini cultus : *Bon.*, *Conf. con.*, 14 *febr.* 1778, § 13.

Nam commutationes ultimarum voluntatum ex justa et necessaria causa fieri debent : *Ibid.*, § 14.

Imo est non inverisimile testatorem si scivisset conspicuum peculium suæ hæreditatis, mutasset dispositionem temporalis Missarum celebrationis in plurium capellaniarum erectionem, cum perpetua quotidianarum Missarum celebratione : *Ibid.*

Si monasterium aliquod ex testatoris voluntate peædilectum fuerit, nequit ab hac voluntate discedi, etsi deinceps in eodem loco alia extruantur monasteria : *Præn.*, *Subs. dot.*, 11 *jan.* 1744, § 7.

Stipendium non sufficiens pro oneribus justa ac necessaria causa præbet ut voluntatis commutatio non denegetur : *Fir.*, *Mans.*, 15 *dec.* 1770, § 6.

Destinata in certum opus ex pia morientium dispositione in aliud facile converti non debent : *Fav.*, *Com. vol. et Ap.*, 18 *aug.* 1792, § 5.

Non dicitur commutatio piorum fundatorum dispositionis, quando servatur causa finalis dispositionis : *Leod.*, 21 *nov.* 1772, § 9.

Et commutatio non requirit impossibilitatem physicam, sed sufficit etiam moralem, quæ imaginem difficultatis præ se ferat : *Ibid.*

Atque eo magis necessaria est commutatio, quæ fit in melius, et cui assistit fundamentorum voluntas, utpote quia in majus bonum vergit : *Ibid.*

Præsumpta est voluntas testatoris pro commutatione, quæ fiat in melius et in majus suffragium redundet : *Bit.*, *Ser. ch.*, 26 *jan.* 1771, § 6.

Idcirco facilius concedi debeat commutatio, quoties magis conformis deprehenditur fundatoris menti et desiderio, quod viventium arbitrio debet interpetari : *Ibid.*

Facilius conceditur indultum dum agitur de commutanda voluntate in melius seu verius, de interpretanda testatorum voluntate, quorum dispositio intacta permanet : *Ibid.*, § 4.

Hujusmodi commutatio seu interpretatio vergit in majus bonum, et eorumdem testatorem animæ uberius suffragium : *Ibid.*

Commutationes voluntatis concedendæ sunt, dum aut celerius, aut tutius, aut pinguius voluntatis implemento consulitur : *Cass.*, 24 *sept.* 1763, § 8.

Et non sunt denegandæ, cum causa necessaria intercedat, vel annuendum facilius cum ea causa sit quæ commutationem in opus magis proximum, et magis consimile alteri per testatorem demandato deducat : *Ibid.*, § 13.

Voluntatis commutatio fieri debet in opus magis proximum et magis consimile, tam de jure communi, quam juxta dispositionem Concilii Tridentini : *Null. Ris.*, *Com. vol.*, 13 *jul.* 1720, § 4.

Commutari potest voluntas testatoris eo in casu, quo eumdem effectum etiam sortiatur, neve onera diminutionem patiantur, sed integra supersint : *Abulen.*, *Off.*, 16 *maii* 1778, § 3.

Quia, justa et legitima causa accedente, commutatio voluntatis defunctorum in qualibet materia fieri potest et debet : *Ibid*, § 4.

Commutatio voluntatis, quæ impleri nequit modo præscripto, facienda est cum alio opere, quo assequatur finis a testatore desideratus : *Aux.*, *Com. vol*, 27 *jun.* 1761, § 6.

Hinc commutatio multiplici pro prælatura, cujus complementum requireret lapsum octoginta annorum facienda est cum erectione capellaniarum pro personis contemplatis : *Ibid.*

Et hæc commutatio aliena non est a voluntate testatoris, ut finis illius volitus impleatur : *Ibid.*, § 7.

Per sanationem erectionis capellaniæ in commutanda dispositione testatoris, caute est procedendum : *Fan., Cap.*, 7 *maii* 1791, § 9.

Et justa requiritur causa : *Luc., Subs. dot.*, 7 *maii* 1791, § 8.

Etsi testatoris prohibitio resistere videatur, nihilominus ex delegata Summi Pontificis auctoritate locus est commutationi voluntatis, quoties per eam divinus cultus augeatur, et commutatio bono publico sit utilior : *Fir., Mans.*, 15 *dec.* 1770, § 4.

Justa causa non ea est quæ aliquam rationem secum ferat, sed quæ necessitatem suadeat commutationis voluntatis, cujus interpretatio potius sit quam integra et absoluta mutatio : *Com., Trans. cap.*, 30 *maii* 1772, § 11 ; *Fav., Com. vol. et App.*, 18 *aug.* 1792, § 6.

Commutatio proprie dici nequit voluntatis testatoris, sed potius interpretatio, quando per eam pinguius adimpletur testatoris voluntas : *Cam. seu Fabr.*, 27 *mart.* 1762, § 9.

Aut adeo minimam præ se fert commutationem, ut nullo in pretio habenda sit : *Ibid.*

Permittenda est voluntatis mutatio ob commodi usufructus renuntiationem : *Vit.*, 20 *mart.* 1745, § 3.

Quod etiam procedit reservatione usufructus intercedente, incremento tamen aliorum bonorum pollicito : *Ibid.*

Indulgenda est voluntatis mutatio, quando ea cadat in meliorem causam : *Ibid.*

Difficilius derogatio aut commutatio solet indulgeri, quando testator tantam sollicitudinem patefecit de suæ voluntatis executione in modum a semet-ipso præscriptum, ut precatus Pontificem Maximum fuerit ne eidem voluntati derogaret : *Rom., Com. vol.*, 27 *febr.* 1734, § 10.

Et si circumstantia hæc exposita non fuerit, in precibus Pontifici oblatis, gratiam commutationes reddi obnoxiam vitio subreptionis, adeoque irritam : *Ibid.*

Ac quando testatoris dispositio nequeat effectum sortiri eo quem ipse præfinivit modo, tunc verius adjuvari quam abrogari censetur voluntas testatoris, si aliter adhibeatur modus, qui sit aptior ad exequendum piis operis finem et effectum : *Ibid.*, § 11.

Nihil obstat quod expressus hæredis consensus non intercedat, si ex commutatione voluntatis nihil gravetur : *Sant.*, 1 *febr.* 1766, § 4.

Proposita oneris distributio cum melius testatoris voluntatem impleat etiam sine necessaria causa admittenda est ; *Tol*, 13 *jun.* 1744, § 3.

Inter præcipuas causas mutationis voluntatis ea potissimum recensetur sacrorum nempe ministrorum necessarium augmentum : *Ibid.*, in fin.

Quantitas non levis pecuniarum a testatore pro sacrificiis explendis relicta, dat locum interpretationi, quod ille hanc pro fundo perpetuo sacrorum agendorum reliquerit : *Ibid.*, § 4.

Aliquoties est Episcopo facultas defuncti voluntatem mutandi : *Ibid.*, § 5.

Pontifex in voluntatis commutatione opus non habet causæ cognitione, atque judiciali probatione ; *Ibid.*, in fin.

Commutationis testatoris voluntatis justa causa concurrere videtur, inspecta impossibilitate vendendi bona testatoris, quæ impedit ne illius voluntas præscripto ab eo modo adimpleri valeat : *Senog., Com. vol.*, 30 *maii* 1772, § 3.

Et magis urgens concurrit commutationis causa, pro qua non physica sed moralis impossibilitas ac magna difficultas sufficit : *Ibid.*

Præsertim si accedat etiam divini cultus augmentum ecclesiarumque utilitas, quæ commutationem in melius et in opus magis pium faciendum suadent : *Ibid.*, § 4.

Ac augetur numerus inservientium ecclesiæ pro ejusdem decore, et qui afferunt suffragium animæ testatoris : *Ibid.*

Si testatoris voluntas impleri nullo modo possit, mutanda ea est in alium quem præsumi possit facile illum mutasse, si primæ implendæ impossibilitatem non ignorasset : *Null. Ter. Pon., Com. vol.*, 25 *jan.* 1744, § 4.

Nec juris ratio, nec testatoris voluntas patitur ut monasterio alicui illius bona tribuantur, quod extra domicilium sit in quo ille fuerit defunctus, idque procedit etsi a testatore locus expressus non sit : *Ibid.*, § 5.

In commutatione voluntatis ea sumenda est interpretatio, quæ magis convenit verisimili testatoris voluntati, capiendaque conjectura ex majori effectione : *Ibid.*, § 6.

Voluntas testatoris commutanda est, quando necessarium est reparationis opus, nec alius reparandi modus præsto est : *Rom., Susp. oner.*, 17 *jun.* 1775, § 4.

Voluntas testatoris exequenda sub pœna caducitatis deroganda est ex publica aut necessaria causa : *Forol., Red. Mis.*, 7 *jul.* 1787, § 5.

Non ex simplici paupertate, quæ privatum respicit incommodum, et ab omnibus fere qui piis operibus gravati sunt, allegari potest : *Ibid.*

Quæ ad certum usum destinata sunt, in alium converti non debet salva auctoritate Apostolica : *Fav. Aug., Præb.*, 26 *sept.* 1795, § 6.

Supremam voluntatem defunctorum commutare

summis imperantibus jus tribuitur, quibus leges publicas mutare permissum non nunquam est, et quidem *ex justa et necessaria causa* : *Com., Trans.*, 23 *nov.* 1765, § 9.

Ac ita ut minus quam fieri potest testamentorum jura lædantur : *Ibid.*

Jus civile dicit quod voluntates testatoris convertere, citra principis auctoritatem non licet : *Ibid.*, § 10.

De rebus quæ Ecclesiæ sunt quæsitæ, nonnisi ad Summos Pontifices hoc spectare exploratissimi apud omnes juris est : *Ibid.*; § 11.

Clara est sanctio canonum in concilio generali edita, per omnem Ecclesiam perpetuo servata et recepta : *Ibid.*

Ad Episcopos referri potest, ut sua cura, et auctoritate, fidelium pias voluntates servari mandent, atque eas si negligantur, exequantur ipsi : *Ibid.*, §§ 12 et 13.

Hoc statuit Concilium Tridentinum, sess. 22, cap. 6 : *Ibid.*, § 14.

Idem Concilium voluit ut Episcopi tanquam legati Sedis Apostolicæ habeant potestatem cognoscendi *de tacita veritate*, vel *suggesta falsitate* in precibus datis, vel in commutationibus concessis non exequutis : *Ibid.*

Doctiores canonistæ variantes in eam rem aliquot opiniones ex non bene mente Concilii intellecta, rejecerunt : *Ibid.*, § 15.

Sed ad tollendas ambiguitates de commutandis legatis, reducendis, vel moderandis, const. *Cum sæpe* edidit Urbanus VIII, 22 sept. 1625 : *Ibid.*, § 17.

Quæ fuit inde approbata ab Innocentio XII, const. *Nuper.*, 22 dec. 1697 : *Ibid.*

Commutare pias voluntates Episcopis non licet sed soli Romano Pontifici est reservatum : *Arian. Can.*, 7 *febr.* 1733, § 6; *Mart., Er. can.*, 25 *jan.* 1738, § 7; *Ferr.*, 15 *sept.* 1787, § 8.

Quando vero fieri debet ad Summum Pontificem pertinet : *Anag.*, 18 *mart.* 1780, § 6.

Ita ut facta ab aliis, etiam ab Episcopo, non sustinetur : *Ibid.*

Maxime si deficiat consensus fundatoris, et aliorum omnium interesse habentium : *Ibid.*, § 7.

Et in hoc casu, habentur pro caducatis illi a testatore primo loco vocati : *Ibid.*, § 8.

Commutatio voluntatum piarum ita est reservata Summo Pontifici, ut Episcopi possint quidem, et debeant rectæ earum executioni incumbere, atque locis piis idoneos administratores deputare : *Asc., Er. ben.*, 19 *nov.* 1735, § 2; *Reat., Ab.*, 24 *mart.* 1787, § 2.

Sed nequeunt suprema testatorum judicia commutare, et bona locis piis relicta ulli in beneficium concedere : *Ibid.*

Excepto casu quo nulla videatur commutatio voluntatis facta, sed ejus adimplemento satius consultum : *Ibid.*, § 4.

Piæ morientium voluntates a Summo Pontifice commutari non solent sine justa et rationabili et necessaria causa publicæ utilitatis : *Mac., Ap. or.*, 23 *aug.* 1760, § 3; *Vic., Com. et Apl.*, 20 *nov.* 1762, § 4; *Mil., Per.*, 9 *jul.* 1774, § 9.

Inspecta insufficientia redituum pro decentia mansionariorum et canonicorum manutentione justa concurrit commutandæ voluntatis causa : *Bon., Com. vol. et Trans.*, 28 *jul.* 1781, § 3.

Neque supplendum est ex aliis bonis hæreditariis taxative assignatis : *Ibid.*

§ III.

Voluntas testatoris ex quibus deducatur, et quomodo intelligenda et observanda.

Ubi loquitur testator, diversum ab ejus mente ferri non potest judicium : *Ferr., Miss.*, 10 *maii* 1794, § 7.

Expressa mens testatoris habetur, si ex duplici instrumento fundationis capellaniæ resultat : *Æsin., Cap.*, 20 *jun.* 1767, § 7.

Quod dispositum fuit in codicillo, non autem in testamento, attendendum esse voluit ipse testator, præcepitque juris dispositio : *Mel., Leg.*, 5 *aug.* 1780, § 7.

Testator tantum onus non imposuisset, si evictionis casum prævidisset : *Civ. Cast.*, 15 *jun.* 1793, § 8.

Et facile privari non debet Missarum suffragio, qui illud in ævum voluit : *Ibid.*, § 9.

Ex promissione per fundatorem facta dotandi ecclesiam annui cujusdam fructus, illum respexisse potissimum ad certam illam summam annui reditus conjicitur : *Nar.*, 18 *maii* 1737, § 5.

Puellæ domiciliariæ non comprehenduntur in testamento, quando testator non vocavit puellas, v. g. *Romane*, sed *di Romana : Spol., Subs. dot.*, 25 *april.* 1761, § 6.

Et puellæ ratione originis præferendæ sunt puellis exteris : etiamsi istæ forent expresse comprehensæ in vocatione : *Ibid.*, § 7.

Testator quid verisimiliter faceret si viveret, potissimum inspiciendum est : *Luc., Com. ult. vol.*, 30 *mart.* 1737, § 6.

Testator, qui reliquit bona pro manutentione ecclesiæ, hanc causam primario respexisse videtur : *Cam., Rest. ecc.*, 30 *jan.* 1779, § 5.

Secundario respexisse censetur, si nonnullas Missas celebrari jussisset : *Ibid.*

Testator tunc dicitur *taxative* reliquisse bona pro

implemento alicujus legati, quando incepit ab assignatione quantitatis vel fundi, et deinde onus subsequatur : *Rom., Red. on. Miss.*, 12 *maii* 1781, § 8.

Sicuti *taxative* etiam habetur, si taxata fuerit ab ipso testatore eleemosyna : *Ibid.*

Testatoris preces non includunt præceptum, quando subjungit nolle illos obligari : *Eug., Er. can.*, 26 *febr.* 1763, § 9.

Licet in ultimis voluntatis preces vim præcepti habeant : *Ibid.*, § 10.

§ IV.

Voluntas testatoris quoad declarationem et interpretationem.

Discretivus loquendi modus, et diversa disponendi ratio diversam suadet testatoris voluntatem : *Fir., Cap.*, 20 *aug.* 1774, § 8.

Voluntas testatoris intelligenda est juxta circumstantias, et verisimilem illius intentionem : *Rom. seu Tud.*, 28 *jan.* 1769, § 12.

Omnis regula penitus conticescit, quando vel expressa, vel ex conjecturis aliud ex mente testatoris colligi possit : *Sab., Part.*, 28 *apr.* 1770, § 18.

Interpretatio eadem fieri debet de eadem re eademque voluntate : *Rom., Red. Miss.*, 12 *maii* 1781, § 9; *Med.*, 23 *nov.* 1765, § 7.

Maxime quando una eademque orationis periodus est tam in ordinatione, quam in præscriptione : cit. *Rom. et Med., ibid.*

Interpretatio quælibet sumenda est in concursu aliorum in favorem Episcopi : *Per., Par.*, 28 *jul.* 1781, § 4.

Interpretatio semper fieri oportet contra eum qui apertius explicare se poterat : *Fer., Vis. SS. LL.*, 20 *apr.* 1782, § 7.

Utque minus onus impositum fuerit, cum in obscuris minimum sequendum veniat : *Ibid.*

Quæ interpretatio congrua esse debet naturalis affectionis principiis, et rationi, nec non benigna et verisimilis, et tandem suppletoria cuicumque per errorem aut non bene scriptum, aut minus dictum sit : *Ibid.*

In ultimis dispositionibus verisimilis spectanda est disponentium voluntas, quam simplex verborum cortex, quum plus sæpe voluisse appareat, quam verbis expresserit : *Cal., Subs. dot.*, 5 *jun.* 1790, § 3.

Voluntas testatoris præsumpta superare non debet expressam : *Rom., Subs. dot.*, 27 *jun.* 1778, § 4.

Trahi non potest in infinitum, sed contineri oportet intra limites expressæ dispositionis : *Ibid.*

Interpretatio locum non habet in claris : *Fir., Cap.*, 12 *mart.* 1774, § 10.

Non est locus conjecturis, neque esse capienda exempla ex similibus, ubi pro libertate legati mens et voluntas testatoris apertissima est : *Comp.*, 19 *jul.* 1766, § 4.

Spernendus non est ordo scripturæ, cum clara apertaque testatoris unice præ oculis semper habenda est : *Cam. seu Fabr., Leg.*, 16 *dec.* 1769, § 5.

Argumentum ex tota scriptura desumptum cessare dicitur, si contraria voluntas testatoris ex scriptura appareat : *Med.*, 23 *nov.* 1765, § 14.

Quum agatur de interpretandis ultimis voluntatibus dubietatem involventibus, plurimum defertur consuetudini, quæ, etsi jus novum non constituat, per eam tamen dubiæ et subobscuræ defunctorum voluntates interpretantur : *Mess.*, 4 *apr.* 1787, § 6.

Hinc in jure constitutum est, meliorem probationem haberi non posse illa quæ desumitur ab observantia, quæ in re dubia præcipue est spectanda : *Ibid.*

Interpretatio de jure facienda est contra eum qui legem apertius poterat exponere : *Ibid.*

In dubiis intelligendum est minus onus fuisse impositum : *Ibid.*

Quia minimum in obscurcis sequendum : *Ibid.*

Testatoris voluntas, quæ aliquo modo sit anceps non aliunde melius interpretatur, quam a subsequuta observantia et longa consuetudine : *Nul. Fer., Vis. SS. LL.*, 7 *apr.* 1781, § 7.

Etsi consuetudines et observantia jus novum non constituant : *Ibid.*

Conjecturæ omnes sunt inutiles contra claram legem et voluntatem testatoris, quæ tantum est inspicienda cetera disputationibus otiosorum hominum relinquenda : *Vit., Cap.*, 23 *nov.* 1765, § 12.

Interpretatur voluntas animadvertendo an testator per conditionem, vel per modum legaverit : *Vit., Pror.*, 30 *aug.* 1766, § 29.

Interpretatio voluntatis secundum juris receptas regulas non destruitur, sed declaratur : *Ibid.*

Voluntas testatoris interpretari debet ex rebus ipsi cognitis, et quæ, ipso vivente, eveniebant, neque ex posteriori corruptela et abusu immutari valeat : *Fir., Cap.*, 20 *aug.* 1774, § 6.

Præsertim quando aliæ non desunt circumstantiæ et conjecturæ, ex quibus recte illius mentis interpretatio desumitur : *Ibid.*

Ea in dubio capienda est interpretatio, quæ magis faveat intentioni fundatoris : *Rec., Cap.*, 27 *aug.* 1791, § 3.

Talis censetur fundatoris voluntas, qualis expressa

est in erectione capellaniæ : *Null. seu Ter., Non. cap.*, 7 *maii* 1791, § 6.

Non repugnat ut laicalis sit, quoad nominantem, sacerdotalis quoad nominatum : *Ibid.*

Erectionis decreto interpretatur voluntas testatoris : *Mon. Alt., Can.*, 4 *dec.* 1762, § 3.

Et illud sequendum, quousque per rem judicatam fuerit moderatum ad tramites fundationis : *Ibid.*

Interpretatio in legatis piis latissima est sumenda ratione pietatis causæ, ac in favorem cultus divini pro perpetuitate : *Arim., Leg.*, 27 *nov.* 1790, § 3.

Ea intelligentia solummodo consentanea menti, et litteræ fundationis est admittenda, ne alioquin subita contradictio et correctio turpiter admittatur : *Colon.*, 8 *jun.* 1765, § 6.

Diversa disponendi ratio diversam indicat voluntatem testatoris : *Cam.*, 11 *maii* 1793, § 4.

Et dubiæ dispositionis interpretatio ex observantia sumenda est : *Ibid.*

Voluntas testatoris erga monasterium colligitur, in quo ejus neptis et hæres professionem emissura esset : *Jan.* 16 *febr.* 1788, § 4.

Quidquid testatores in usus pios destinarunt fideliter et plenariæ in usus prædictos expendi debet : *Pur.*, 24 *maii* 1788, § 4.

Potissimum si ædificationem mandaverit ecclesiæ, quæ inter præcipua religionis et pietatis opera numeratur : *Ibid.*

Pro pia Missarum causa sumenda est omnis lata interpretatio : *Spol., Leg.*, 16 *jun.* 1792, § 3; *Sutr., Mis.*, 22 *nov.* 1794, § 3.

Trahi non debet testatoris voluntas ad incognita: *Sutr.* cit., *ibid.*

Ita enim intelligenda est dispositio, ut versari potuit in animo testatoris cum disposuerit : *Ibid.*

Quum agatur de interpretanda defuncti voluntate etiam a casso irritoque testamento peti declaratio possit : *Pit., Cap.*, 9 *sept.* 1786, § 5.

Quando obscura testatoris voluntas non est, piaculum esset nulla cogente necessitate incongruis hujusmodi diffugiis voluntatem disponentis intervetere : *Ibid.*

§ V.

Voluntas testatoris quoad derogationem.

Piæ fidelium voluntates frustari non debent : *Rom., Cap.*, 16 *maii* 1789, § 10.

Sed est ponderandum num concurrat causa rationabilis ac justa in derogandis voluntatibus : *Ibid.*, § 11 ; *Cam., Subs. dot.*, 16 *dec.* 1797, § 5.

Universa jura tum divina, tum naturalia, tum civilia, præscribunt ut testatoris pia voluntas non esset intervertenda : *Rom., Subs. dot.*, 16 *jan.* 1768, § 7; *Cam.*, 18 *nov.* 1797, § 6.

Expressæ voluntati autem testatoris derogari potest ex justa causa : *Tyb., Dism.*, 6 *mart.* 1793, § 3.

Ex lege Justitiani imp. *Sancimus.*, 27, Cod. *de Testam.*, præter lapsum decennii ad testamenti abrogationem requiritur aperta professio contrariæ voluntatis apud acta, ut dixerunt ad prædictam legem interpretes : *Fav.*, 22 *mart.* 1766, § 14.

Vel saltem certa et indubitata variationis probatio : *Ibid.*

Nemo excusari potest, qui summam pecuniæ contra voluntatem testatoris in alios usus convertit : *Rom., Un. red.*, 17 *apr.* 1790, § 4.

Si dispensatio præsumptæ fundatoris voluntati est conformis, non sapit derogationi, sed potius voluntatis interpretatio est : *Cas.*, 12 *dec.* 1767, § 14.

Testator preseveravit in sua priori voluntate, si pro erectione monasterii vivens nihil paravit, hæredi in codicillis alienandi dedit facultatem, novaque legata fecit, id apertissime monstrat omnem de monasterio abjecisse voluntatem, neque de eo curavisse amplius : *Fav.*, 22 *mart.* 1766, § 5.

§ VI.

Voluntas testatoris quoad implementum, et exequutionem.

Pias defunctorum voluntates accuratissime adimplendas esse jura omnia præscribunt : *Hor., Er. can.*, 26 *mart.* 1768, § 9.

Præsertim cum nulla adsit justa et rationabilis causa vel urgens necessitas ab iis recedendi : *Ibid.*

Et Summus Pontifex nunquam implementum suspendit, nisi consensus interesse habentium accesserit, vel nisi de irrationabili dissensu constiterit : *Ibid.*, § 11.

Pastoralis Episcoporum sollicitudo in eo præcipue versari debet, ut pia decedentium voluntas non fraudetur, eorumque dispositio adamussim impleatur : *Nov.*, 17 *jul.* 1773, § 9.

Et Concilium Tridentinum Episcopos declaravit etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatos in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos esse exequutores : *Ibid.*, § 10.

Hinc Episcopi exequutores sunt piarum voluntatum, vel quando exequutores post monitionem defuncti voluntatem implere negligunt : *Ibid.*

Testatorum voluntates sarctæ tectæque omnimo

sunt servandæ, nec alieno regulanda arbitrio, ut ait Justinianus : *Nul. S. Laur. in Cam.*, 30 *mart.*, 1767, § 6.

Ita quoque in juris dispositione est cautum : *Ibid.*

Et hac de causa, ut alliciantur Christifideles ad opera pietatis instituenda, ac eis permittitur ut adjicere valeant conditiones et leges quandoque adversantes sacris canonibus, conciliis et pontificiis constitutionibus, dummodo bonis moribus, vel orthodoxæ religioni non repugnent : *Ibid.*

Et si voluntas testatoris sit religiosissime observanda, tamen id quod non expressit, tanquam ab eo volitum præsumi non potest : *Ibid.*

Divina officia ea in ecclesia vel loco sunt celebranda, in qua testator demandavit : *Urb., Trans. Mis.*, 3 *febr.* 1787, § 4.

Et nonnisi ex verisimili voluntate disponentis et necessaria, aut justa causa impellente ab eo jure discedítur : *Ibid.*

Rigidius harum causarum disquisitione procedit S. Congr. Concilii, si viderit a testatore designatam fuisse ecclesiam, vel quod in ea tumulatum sit disponentis cadaver, aut quod testator respexerit ad circumjacentis populi commoditates : *Ibid.*, § 5.

Geminatum morientis desiderium frustandum non est : *Cam., Subs. dot.*, 3 *mart.* 1787, § 4.

Dum quæritur, an descriptus a testatore modus, vel forma per æquipollens impleri possit, communis distinctio est inter formam *substantialem et effectualem : Eyst. seu Bam.*, 14 *mart.* 1767, § 14.

Si *substantialis* est, nequit aliter quam scriptum est impleri : *Ibid.*

Si vero *effectualis* potest alio modo impleri, dummodo idem sequatur effectus : *Ibid.*

Substantialis dicitur, cum testator speciali ex causa illam elegit : *Ibid.*, § 15.

Vel præcise, et circumscriptis verbis illam servari jussit : *Ibid.*

Maxime si clausulis usus est *non alia, aliter, nec alio modo : Ibid.*

Effectualis vero, quæ ideo a testatore apposita, est, ut sequatur effectus, quem voluit : *Ibid.*

Ideoque alienum non videatur, ut ad eumdem effectum assequendum quid simile subjiciatur : *Hisp.*, 11 *jan.* 1766, § 13.

Verum forma proprie dicenda est earum rerum quæ existunt : *Ibid.*, § 14.

Modus de rebus quæ agendæ sunt : *Ibid.*

Hinc, mutata forma, prope interimi substantiam : *Ibid.*

Et tota investigatio ad inquirendam intime voluntatem refertur : *Ibid.*, § 15.

Ac ex ipso tenore scripturæ, vel aliis argumentis petendus sit modus, quem elegit, vel præcipue adamavit : *Ibid.*

Ex. gr., veluti si quis mandaverit *Titio* ut fidejubeat pro alio, etiamsi *Titius* non fidejusserit, si alio modo pecuniam dandam curaverit, tenetur ad obligationem illius pecuniæ restituendæ : *Ibid.*

Item quoad pecuniam legatam, ita ut fundus ematur, quo casu non solum fundus emi deberet, sed alienari nequiret, licet hoc testator non expresserit : *Ibid.*, § 16.

Nam præsertim admittenda est variatio, si concurrat ipsa voluntas præsumpta, quæ propterea, dum non repugnat sed favet novo modo jure induci potest : *Ibid.*, § 5.

Si meliora hinc pateat fieri, et pinguius impleri omnia, idcirco ex Apostolica auctoritate illa firmanda sunt : *Ibid.*, § 7.

Quia certa forma, et modus a testatore præscriptus, ut sua voluntas executionem habeat, videri potest, si per aliud simile impleri valeat : *Ibid.*, § 11.

Hæredes, qui personas ipsas sustinent defunctorum, executionem voluntatum illorum exequi debent : *Barch., Cap.*, 6 *maii* 1752, § 3.

Etsi testamento datus fuerit, nominatus, et electus certus executor, nisi a testatore vetitum expresse hæredi ne voluntatem suam exequatur, et nominatim ab executione fuerit exceptus, jus erit hæredi voluntatem defuncti exequendi : *Ibid.*

Ita ut si hæredi integrum est testatoris voluntatem exequi, dum vivunt certi executores testamento dati, nulla ratione dubitandum sit, integrum magis eidem esse defuncti voluntatem exequi, cum executores testamento dati mortem obierunt : *Ibid.*

Hinc extante hærede, facultas Episcopi silere debet, cui incumbit cura et onus pias defunctorum voluntates exequendi, deficientibus duntaxat aut hærede aut executoribus a testatore datis : *Ibid.*

Explorati juris est, posse hæredem prævenire tempus a testatore præfinitum et renuntiare beneficio in sui favorem introducto, exequendo, dum ipse vivit, piam defuncti voluntatem : *Ibid.*, § 4.

Præsertim si mora solius hæredis gratia inducta sit a testatore, nullique detrimentum inferatur, prælata die executionis piæ voluntatis defuncti : *Ibid.*

Hinc spectata qualitate hæreditaria jure riteque potuit hæres exequi piam voluntatem testatoris, executoribus delectis et nominatis in testamento obitis : *Ibid.*

Etsi viverent adhuc ipsi executores delecti et nominati, hæres ob arctissimam sanguinis conjunctionem cum testatoribus præferri debuisset : *Ibid.*

Cuilibet de populo permissum est judicio sistere, ut pia defunctorum voluntas impleatur : *Fav.*, 20 *jun.* 1767, § 18.

Servari debet voluntas testatoris maxime si per seculum et ultra semper fuerit servata : *Ibid.*, § 14.

Et servanda est fundatoris voluntas, licet dispositioni juris sit contraria : *Fir.*, *Cap.*, 25 *apr.* 1789, § 6.

Supremæ voluntates sunt adamussim adimplendæ, nec alterata methodo, nec inversa formâ : *Fav.*, 20 *jun.* 1767, § 14 ; *Rom.*, 5 *jun.* 1790, § 6 ; *Cæsen.*, *Dem. or.*, 24 *jan.* 1795, § 6 ; *Vel.*, *Com. vol.*, 23 *jan*, 1796, § 5.

Voluntas testatoris religiose est custodienda, nec ullum hæredi relinqui arbitrium ab ea recedendi : *Ger.*, *Cen.*, 14 *maii* 1768, § 12.

Voluntas testatoris exequi debet eo modo, quo præscripsit, quousque id non reddatur impossibile : *Rom.*, *Cap.*, 23 *febr.* 1793, § 3.

Voluntas testatoris, quæ in utraque pia dispositione non impleri potest, in altero saltem perfecte servari debet : *Luc.*, *Com. vol.*, 30 *mart.* 1737, § 3.

Voluntas testatoris non obscura servanda est : *Civit. Pleb* , *Subs. dot.*, 17 *jan.* 1797, § 8.

Durum nimis asperumque videtur piam frustrari testatoris voluntatem : *Alt.*, 15 *jun.* 1793, § 6.

Communiter receptum est, ut testatoris voluntas quocumque modo expressa, sive per verba præceptiva, aut jussionem denotantia, sive per desiderium, aut preces, omnino est servanda : *Aquip.*, *Ben.*, 17 *febr.* 1742, § 7.

Et id etiam firmatur ex pluribus juris Cæsarei locis, in quibus legata, et fideicommissa passim concepta leguntur per verbum *rogo* : *Ibid.*

Itemque in jurispatronatus specie procedit, quod verba, licet tantum deprecativa, necessitatem inducunt : *Ibid.*

Piæ defunctorum voluntates satis est, ut meliori, quo fieri potest modo impleantur : *Hor.*, *Er. can.*, 26 *mart.* 1768, § 8.

Quum difficilis sit voluntatis executio, videndum est num abroganda sit testatoris dispositio, vel meliori potius quo potest modo exequi : *Fir.*, *Com. vol.*, 7 *febr.* 1789, § 3.

Et est hæc regula, ut si testatoris voluntas juxta præscriptam ab eo formam exequi non potest, meliori saltem quo fieri potest modo impleatur : *Call.*, 23 *jan.* 1773, § 5.

Testatorum voluntas in iis præsertim, quæ suffragium animæ respiciunt, accurate servanda est : *Luc.*, 17 *jan.* 1789, § 4.

Nec sine justa et rationabili causa commutari debet : *Ibid.*

Voluntas testatoris, qui dotem integram de suo tribuit pro legato pio, ac lex data in ipso fundationis limine, licet juri contraria servanda est : *Por.*, *Ap. Mis. pro pop.*, 19 *jul.* 1766, § 8.

Servanda est voluntas testatoris, qui voluit ut ad subsidium eleemosynæ admitterentur pauperes verecundi et mendici : *Ragus.*, *Elee.*, 10 *jul.* 1790, § 4.

Æquum non est ut pii fundatores priventur Missis, pro quibus certos fundos reliquerunt certamque eleemosynam : *Vas.*, *Red. Mis.*, 17 *dec.* 1796, § 9.

Quando pia testatoris voluntas ratione tenuitatis bonorum relictorum impleri nequit, distrahi tunc debent illa, vel in alio quolibet modo eroganda, si placuerit loci abbati ; aliter cogendus est pius locus, ut bona illa vendat, aliisque emptis, pia defuncti voluntas sustineatur : *Nul. Ter. Pon.*, 30 *jan.* 1745, § 4.

Relinquente testatore pro institutione beneficiatorum in decorem ecclesiæ, videtur plenius et utilius impleri ejusdem voluntas applicando potiori causæ beneficiatorum id quod pauperibus incertis relictum est : *Fulg.*, *Com. vol.*, 20 *nov.* 1762, § 5.

Si testator ad implendam suam voluntatem tempus designatum non idoneum judicasset, executionem certo protraxisset : *Vit.*, *Pror.*, 30 *aug.* 1766, § 18.

Immutari non potest voluntas testatoris per prorogationem temporis ejusdem executionis : *Ibid.*, § 21.

Jus est jam quæsitum tertio, de quo neque Apostolica indulgentia unquam, nec S. Congregationis justitia derogavit : *Ibid.*, § 22.

Nihil autem facit distinctio inter conditionem et modum, quando agitur de adimplenda voluntate : *Ibid.*, § 23.

Non repugnat testatorum voluntati, si bona quæ testatores administranda reliquerunt syndico Cappuccinorum, ut Cappuccini Missas celebrarent, nunc assignentur in dotem capellaniæ manualis, quæ præfert tantummodo subrogationem sacerdotis secularis loco syndici in administratione, et loco Cappuccinorum in celebratione Missarum, prout in casu incapacitatis regularium faciendum est : *Aler.*, *Leg.*, 21 *jun.* 1760, § 7.

Si hæredes jussa testatoris non impleverint, Episcopus loci bona relicta canonice interdicat, ut vota defuncti impleantur : *Rom.*, *Fun. Mis.*, 17 *sept.* 1774, § 9.

Et hæreditate privari debent hæredes negligentes executionem voluntatis testatoris, et applicari cohæredi, sive subsituto cum iisdem oneribus : *Ibid.*, § 10.

Sed præcedere debet monitio judicis ad incurrendam privationis pœnam, et quod post monitionem hæres per integrum annum in sua contumacia et negligentia perseveravit : *Ibid.*

Nisi forte tempus pro implemento voluntatis fuerit a testatore præfinitum : *Ibid.*

§ VII.

Voluntas testatoris quoad derogationem.

Variatio operis pii non competit hæredi nullo jure, quando testator perpetuitatem illius voluit : *Col.*, 8 *jun.* 1765, § 5.

Variatio minima est voluntatis, quæ nullius jura lædit, imo bonum et utilitatem totius collegii a testatore erecti auget, et est admittenda : *Hisp.*, 11 *jan.* 1766, § 3.

VOTA IN GENERE. Vide *Regulares*, § XIV.

Votum.

§ I.

Votum in genere.

Vovens, quoties scierit religionem non esse approbatam, censendus est sese voto simplici obstrinxisse ad regulare illud institutum servandum ; si vero ignoraverit, neque professio valida sit ex defectu potestatis, neque voti simplicis effectum sortiatur ex defectu voluntatis in eo qui professionem emisit : *Ven.*, *Vot.*, 7 *apr.* 1742, § 10.

Nullum aliud votum uti solemne modo agnoscit Ecclesia, quam quæ in aliqua ex religionibus ab Apostolica Sede approbatis juxta præscriptas solemnitates emittuntur, et illud castitatis, quod sacro cuique ordini adnexum est : *Ibid.*, § 6.

Vota quæ a mulieribus Tertiariis emittuntur simplicia declarata sunt in concilio Lateranensi IV : *Civit. Cast.*, 3 *mart.* 1792, § 4.

Hinc valida, quamvis illicita, sunt matrimonia per illas contracta : *Ibid.*

De essentia quippe voti solemnis est ut in religione per Sedem Apostolicam approbata emittantur : *Ibid.*, § 5.

Sed juxta alios solemne censetur votum, quod coram ministro emittitur Ecclesiæ, eoque acceptante ; simplex vero, quod remotis fit arbitris : *Ibid.*

Approbatæ a Sede Apostolica non sunt Tertiariæ S. Augustini, neque inter approbatos ejusdem regulæ ordinis recensentur : *Ibid.*, § 5.

Votorum solemnium consectarium est perpetua clausura : *Ibid.*

Hinc veræ non censentur professæ, quæ illam non servant : *Ibid.*

Constituitur votum ex triplici castitatis, paupertatis et obedientiæ promissione : *Ibid.*

Ex peculiaribus circumstantiis solemnia declarata sunt vota conversarum Cisterciensium : *Ibid.*, § 8.

Validissimum etiam cum clausula est voti solemnis argumentum vita communis : *Ibid.*, § 9.

Monasterium, ubi simplicia emittuntur vota restituere debet monialibus egredientibus e religione omne id quod in eam intulerunt : *Ibid.*, § 10.

§ II.

Votum continentiæ.

Votum continentiæ nonnisi recentioribus Ecclesiæ legibus ordini subdiaconatus fuisse adnexum : *Cam., Disp.*, 18 *nov.* 1769, § 2.

Votum continentiæ non est de substantia ordinis subdiaconatus, sed illi fuit per Ecclesiam adnexum : *Grat.*, 3 *jul.* 1762, § 6.

Et licet ordo subdiaconatus susceptus per vim et metum imprimat characterem, non obligat tamen ad votum continentiæ, a quo saltem concedenda est dispensatio : *Ibid.*

Religiosus aut eques professus, licet a servanda regula ordinis in iis quæ cum statu seculari sunt compatibilia, si e religione, prævia superiorum licentia, discedat, aut ab ea rite valideque justa ex causa dimissus ad seculum redeat, voto tamen castitatis præsertim et paupertatis obstrictus manet, nisi aliter in constitutionibus Ordinis expresse cautum habeatur : *Par.*, *Matr.*, 3 *sept.* 1740, § 8.

Votum continentiæ non ligat, qui vi metuque ordinem sacrum suscepit : *Osn.*, *Dis.*, 15 *dec.* 1764, § 4.

Præsertim si metus injectus sit a parentibus, qui solus sufficit : *Ibid.*

Gravis quæstio est an continentia ex voto, vel ex lege ordini sacro adnexa : *Ibid.*, § 18.

Sed Rota tutiorem sententiam amplexa est, scilicet petendam esse dispensationem : *Ibid.*

Atque hæc antiquitus fuit semper Ecclesiæ praxis : *Ibid.*

Et jure, quia certe in suscipientibus ordinis votum explicitum non habetur, et lex de continentia servanda sacro ordini annexa certa et apertissima est : *Ibid.*

Quum caste per plures annos vivitur, imo emit-

titur votum continentiæ solemne coram Episcopo, perspicuum et prudens est argumentum, unde excluditur quæcumque continentiæ suspicio : *Brach.*, 19 *sept.* 1767, § 6.

Ad dissolvendam obligationem continentiæ requiritur communis utilitas Ecclesiæ totius, vel unius regni vel provinciæ : *Colon.*, *Disp.*, 4 *apr.* 1767, § 10.

Reliqua. Vide *Matrimonium*, § xlviii ; *Sacramentum Ordinis*, § xvi.

Votum continentiæ quod dispensationem. Vide *Dispensatio*, § xx.

Votum paupertatis. Vide *Regulares*, § xv.

Votum perseverantiæ. Vide *Regulares*, § xvi.

Vox in capitulo. Vide *Beneficiati*, § xi ; *Canonici*, § xvi ; *Capitulum ecclesiasticum*, § xv ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § iv ; *Mansionarius*, § iv ; *Portionarius*, § i.

Xenia. Vide *Episcopus*, § xxiv.

Xenodochii capellanus. Vide *Capellanus*, § xiii.

Xenodochium.

Optime sentierunt sancti Patres et sacra Concilia de xenodochiis : *Sutr.*, *Supp. on.*, 17 *dec.* 1791, § 4.

Et in illorum favorem suspendi possunt dotalia subsidia, quibus vocatæ sunt puellæ incertæ et quibus nulla fieret injuria : *Ibid.*

FINIS TERTIÆ PARTIS ET COLLECTIONIS.

INDEX

CAPITUM CONCLUSIONUM,

QUÆ IN THESAURO RESOLUTIONUM S. CONGREGATIONIS CONCILII PRODIERUNT,

ET QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A

ABBAS quoad benedictionem, 1, — quoad collationem minorum ordinum, 2, — quod dignitatem, officium, potestatem, et jurisdictionem, 4, — quoad onera, 5, — quoad qualitatem nullius, seu territorium separatum, *ibid.*, — quoad residentiam, 6.

ABBAS commendatarius. Vide *Abbas*.

ABBATIA exempta et nullius diœceseos, 6.

ABBATISSA in genere, 6, — quomodo eligatur et confirmetur, *ibid.*

ABOLITIO. Vide *Legatum pium*, § II ; *Missa*, § VIII ; *Onus, Onera*, § III ; *Subsidium dotale*, § VI.

ABORTUS, 7.

ABSENTIA a choro, Vide *Beneficiati*, § X ; *Canonici*, § XV ; *Capellanus*, § IX ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § III ; *Mansionaria*, § III, — causa studiorum, 7, — a choro quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § III, — a residentia, Vide *Beneficiati*, § VIII ; *Canonici*, § XIII ; *Episcopus*, § XXVI ; *Parochus*, § XV ; *Præpositus*, § IV, — a residentia quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § IV.

ABSOLUTIO, seu condonatio ab omissa celebratione, vel applicatione Missarum, 8, — ab excommunicatione, *ibid.*, — a juramento, *ibid.*, — a pœnis ecclesiasticis, seu a censuris in genere, *ibid.*, — a suspensione, *ibid.*, — sacramentalis, Vide *Sacramentum Pœnitentiæ*.

ABUSUS, 9.

ACADEMIA. 9.

ACATHOLICUS parochus. Vide *Matrimonium*, § XXVIII.

ACCEPTIO. Vide *Concilium Tridentinum*, § II ; — *Legatum pium*, § III.

ACCIDENTALIS conditio. Vide *Conditio*, § II.

ACCRESCENDI jus. Vide *Jus*, § I.

ACQUISITIO. Vide *Juspatronatus*, § I.

ACTA quoad circumscriptionem, 9, — quoad concursum, Vide *Concursus*, § II, — quoad transportationem, 9, — quoad validitatem vel nullitatem, *ibid.*

ACTIO in genere, 16, — hypothecaria, *ibid.*

ACTIVA vocatio. Vide *Juspatronatus*, § V.

ACTUS in genere, 10, — capitulares, Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § VII, — facultativi et voluntarii, 10, — jurisdictionalis, 11, — quoad præjudicium, *ibid.*, quoad validitatem vel nullitatem, *ibid.*

ADIMPLEMENTUM. Vide *Legatum pium*, § XII *Onus, Onera*, § III ; — *Voluntas testatoris*, § V.

ADJUDICATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § VII.

ADJUNCTI. Vide *Episcopus*, § XV.

ADMINISTRATIO in genere, 11, — hospitalium, Vide *Hospitale*, § II ; — quoad pertinentiam et exercitium, 11, — sacramentorum, Vide *Episcopus*, §§ I et II ; *Parochus*, § I ; *Sacramentum*, §§ VI et XXIV.

ADMINISTRATOR quoad cautionem, seu satisdationem, 12, — de qua culpa teneatur, *ibid.*, — quoad deputationem et electionem, *ibid.*, — eleemosynarum, Vide *Eleemosynæ*, § IV, — hospitalium, Vide *Hospitale*, § II, — quoad jura et potestatem, 13, — monasterii, Vide *Monasterium*, § III, — quoad onera in genere, 13, — quoad reddendas rationes, *ibid.*, — quoad remotionem, 14.

ADMISSIO. Vide *Examen*, § II ; *Presbyteri*, § I ; *Professio religiosa*, § V.

ADOPTIO, 14.

AD REM jus. Vide *Jus*, § III.

ADULTERIUM quoad probationem, 14.

ADULTUS. Vide *Sacramentum Ordinis*, § II.

ÆDIFICATIO. Vide *Ecclesia in genere*, § IV.

ÆGROTANS. Vide *Episcopus*, § IV.

ÆQUATIO. Vide *Compensatio*.

ÆSTIMATIO. Vide *Bona*, § VI.

ÆTAS in genere, 15, — in beneficiis, Vide *Beneficia ecclesiastica*, § V ; *Ecclesia parochialis*, § I, — in canonicatibus, Vide *Canonicatus*, § I, — in dignitatibus, Vide *Dignitates ecclesiasticæ*, § I, — quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § II, — in matrimonio, Vide *Matrimonium*, § XXIII, — in ordinibus, Vide *Sacramentum ordinis*, § II, — in pro-

fessione religiosa, Vide *Professio religiosa*, § III, — senilis, 15, — in sponsalibus, Vide *Sponsalia*, § V.
ÆTATIS defectus. Vide *Dispensatio*, § II.
AFFECTIO, 15.
AFFINITAS, 15.
AFFINITATIS impedimentum, Vide *Matrimonium*, § XXVI, — quoad dispensationem, Vide *Dispensatio*, § XIII.
AFFRANCATIO. Vide *Emphyteusis*, § I.
AGGREGATIO. Vide *Sodalitium*, § I.
AGNATIONIS contemplatio, 16.
A GODERE. Vide *Contractus*, § XI.
AGRICOLÆ, 16.
ALIENANDI facultas, 16.
ALIENATIO in genere,— 16, quoad consensum, Vide *Consensus*, § II, — bonorum ecclesiæ quoad prohibitionem, et beneplacitum Apostolicum, 16, — quoad solemnitates, et quando illæ non requirantur, 18, — quoad validitatem, vel nullitatem, 18, — quoad utilitatem, vel necessitatem, *ibid.*
ALIENATIONIS prohibitio, 19.
ALIMENTA in genere, 19, — quoad jus, *ibid.*, — quoad Patronos, Vide *Patronus*, § IV, — quibus et a quibus sint præstanda, 20, — ex quibus bonis sint præstanda, 21, — quoad quantitatem, et taxationem, *ibid.*
ALIMENTA et Sumptus litis. Vide *Matrimonium*, § II.
ALMUTIA, 21.
ALTARE, 22.
ALTARISTÆ quoad distributiones, 22.
ALUMNI. Vide *Seminarium*, § I.
AMISSIO. Vide *Domicilium*, § II; *Juspatronatus*, § IX; *Pensio ecclesiastica*, § II.
AMOVIBILIS parochus. Vide *Parochus*, § XVI.
ANIMARUM cura. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § X; *Canonici*, § II; *Capitulum ecclesiasticum*, § III; *Cura animarum*.
ANIMI defectus. Vide *Irregularitas*, § II.
ANNATA. Vide *Media annata*.
ANNIVERSARIORUM reductio, 22.
ANNIVERSARIUM in genere, 22, — quoad emolumenta, *ibid*, — quoad ritum, et locum celebrationis, 23.
ANNUNTIATIO B. Mariæ Virginis. Vide *Officium divinum*.
ANNUS probationis seu Tirocinium. Vide *Professio religiosa*, § VII.
ANTIPHONÆ, 23.
ANTIQUÆ erectionis canonici. Vide *Canonici*, § IX.
ANTISTES. Vide *Episcopus*.
APERITIO oris, 23.
APOSTILLA, Nota marginalis, 24.
APOSTOLICA Sede vacante. Vide *Sede Apostolica vacante*.
APOSTOLICÆ litteræ. Vide *Executor*, § I; *Litteræ Apostolicæ*.
APOSTOLICÆ reservationes. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § III; *Reservationes Apostolicæ*.
APOSTOLICUM beneplacitum. Vide *Beneplacitum Apostolicum*, *Alienatio*, § II; *Contractus*, § II; *Emphyteusis*, § II.
APOSTOLICUM breve. Vide *Breve Apostolicum*.
APOSTOLICUS executor. Vide *Executor*, § I.
APOSTOLICUS nuntius. Vide *Nuntius Apostolicus*.
APOSTOLICUS visitator. Vide *Visitator Apostolicus*.
APPELLATIO in genere, 24, — quando admittenda vel non, *ibid.*, — in concursu parochiarum, Vide *Concursus*, § III, — devolutiva, vel suspensiva, 25, — quoad interpositionem, *ibid.*,—a mala Episcopi electione, et reprobatione examinatorum. Vide *Concursus*, § III.
APPELLATIO seu Nomen. Vide *Nomen*.
APPLICATIO seu Unio, 25.
APPLICATIO Missæ conventualis, Vide *Beneficiati*, § X; *Canonici*, § XI; *Capitulum ecclesiasticum*, § XIV; *Dignitates ecclesiasticæ*, § III; *Missa*, § XIV, — Missæ pro populo, Vide *Missa*, § XII; *Parochus*, § III, — Missarum, Vide *Capellanus*, § II.
APPROBATIO. Vide *Concionator*, § II; *Confessarius*, § I; *Transactio*, § II.
AQUA lustralis. Vide *Aspersio*, *Cadaver*, § I.
ARBITRI judices. Vide *Judices*, *Arbitri*.
ARBITRIUM in genere, 26, — Episcopi, *ibid.*
ARBORUM incisio, 26.
ARCHICONFRATERNITAS. Vide *Sodalitium*.
ARCHIDIACONATUS dignitas ecclesiastica quoad collationem, 27, — quoad erectionem, *ibid.*
ARCHIDIACONUS quoad confirmationem electionis, 27, — quoad dignitatem jurisdictionem et potestatem, *ibid.*, — quoad fructus et distributiones, 28.
ARCHIEPISCOPUS. Vide *Episcopus*.
ARCHIPRESBYTER quoad congruam et alia emolumenta, 28, — quoad dignitatem, officium et potestatem, *ibid.*, — quoad Missam pro populo, 29, — quoad onera in genere, *ibid.*
ARCHIPRESBYTERATUS dignitas ecclesiastica in genere, 29, — quoad erectionem, *ibid.*
ARCHIVUM, 29.
ARGUMENTUM, 30.
ARS in genere, 30, — aromataria, *ibid.*
ASPERSIO aquæ lustralis, 30.
ASPERSIO cadaverum. Vide *Cadaver*, § I.
ASSERTIO, Assertiones, 30.
ASSIGNATIO, 30.
ASSOCIATIO. Vide *Cadaver*, § II; *Sacramentum Eucharistiæ*, § II.
ATTENTATA in genere, 30, — quando et quomodo dicantur commissa, 31.
ATTESTATIO, Attestationes, 31.
AUCTORITAS. Vide *Consuetudo*, § II.
AUDITUS. Vide *Testes*, § IV.
AUGMENTUM. Vide *Pensio ecclesiastica*, § III.

B

BAJULIVATUS, Bajulivus. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § IV.
BAPTISMALES ecclesiæ. Vide *Ecclesia matrix*.
BAPTISMALIS fons. Vide *Fons baptismalis*.
BAPTISMUS. Vide *Sacramentum Baptismi*.
BARBITONSORES, 31.
BARO, 31.
BASILICÆ S. Petri Fabrica. Vide *Fabrica basilicæ S. Petri*.
BELGIUM, 31.
BENEDICTIO abbatis. Vide *Abbas*, § I.
BENEDICTIO concionatoris. Vide *Concionator*, § I.
BENEDICTIONES, 31.
BENEFICIA ecclesiastica in genere, 32, — quoad ætatem requisitam, 32, — quando dicantur affecta, seu reservata, 33, — quoad applicationem, 33, — quoad capacitatem illa assequendi, vel retinendi,

— quoad indultum assequendi, ac retinendi, Vide *Dispensatio*, § v, — quoad collationem, 34, — quoad commutationem, 35, — quoad compatibilitatem, seu pluralitatem, 35, — quoad concursum, 37, — quoad curam animarum, 38, — quoad dimissionem, 38, — quoad dismembrationem, seu divisionem, 38, — quoad dotem, et fundum, 38, — quoad electionem, 38, — quoad erectionem, et fundationem, *ibid.*,— quoad impetrationem, 39,— quoad incompatibilitatem, *ibid.*,—quoad institutionem, nominationem, præsentationem, et adjudicationem, 40, — manualia, vel perpetua, 41, — quoad onera, *ibid.*,—quoad permutationem, 42, — quoad possessionem, *ib.*,— quoad prælationem, 43, — quoad primarias preces imperiales, *ibid.*, — quoad privationem, *ibid.*,—religionis Hierosolym., Vide *Religio militaris*, § i, — quoad resignationes, 44,—sacerdotalia, 45,—secularia, vel regularia, *ib.*, — simplicia, vel residentialia, 46, — quoad statum et qualitatem, *ibid.*,—quoad suppressionem, 48,— quoad titulum ordinationis, *ibid.*,—quoad translationem, et suspensionem, *ibid.*, — quoad vacationem, *ibid.*, — quoad unionem, 49.

BENEFICIALES causæ. Vide *Causæ*, § iv.

BENEFICIATI in genere, 52, — quoad capitulum, *ibid.*,—quoad curam animarum, *ibid.*,—quoad fructus, et distributiones quotidianas, *ibid.*,— quoad jura, *ibid.*,— quoad onera in genere, 53,— quoad remotionem, 54, — quoad residentiam et absentiam, *ibid.*, — quoad sacros ordines, 55, — quoad servitium chori et Missam conventualem, 56, — quoad stallum in choro, et suffragium in capitulo, *ibid.*

BENEFICIATUS coadjutus, et coadjutor, 57.

BENEFICIUM domicilii. Vide *Domicilium*, § iii.

BENEFICIUM restitutionis in integrum. Vide *Professio religiosa*, § xi.

BENEPLACITUM apostolicum, 57.

BIGAMUS, 57.

BONA clericorum, 57,— quoad dominium, *ibid.*, — dotalia, Vide *Subsidium dotale*, — novalia, 58, — patrimonialia, *ibid.*,—primogenialia, *ib.*,— regularium, Vide *Regulares*, § i, — quoad valorem et æstimationem, *ibid.*

BONA ecclesiastica quoad administrationem, Vide *Administratio*, — quoad affrancationem, Vide *Emphyteusis*, § i, — quoad alienationem, Vide *Alienatio contractus*, — quoad applicationem vel unionem, Vide *Applicatio seu Unio*, — quoad assignationem, 58, — quoad caducitatem, Vide *Caducitas*, — quod cessionem, 59, — quoad divisionem et separationem, *ibid.*; — quoad donationem, Vide *Donatio*, — quoad emphyteusim, Vide *Emphyteusis*, — quoad emptionem et venditionem, Vide *Contractus*, § xii; — quoad erogationem, 59, — exempta et libera, *ibid.*, — quoad hypothecam, *ib.*,—quoad fructus, Vide *Fructus*, — quoad investimentum, 59, — quoad licitationem, 60, — quoad locationem et conductionem, Vide *Contractus*, § xv,— quoad permutationem, et subrogationem, 60, — quoad reintegrationem, Vide *Reintegratio*, — quoad reparationem, 60.

BREVE apostolicum, 61, — quoad aperitionem oris, Vide *Aperitio oris*.

BULLA Romani Pontificis, 61.

C

CADAVER quoad aspersionem, 61,— quando, quomodo, et a quibus associatur, *ibid.*,—quoad exhumationem, et restitutionem, 63, — quoad funus, *ibid.*, — quoad sepulturam, 64, — quoad translationem, 67.

CADUCITAS, 67.

CÆCUS, 67.

CÆREMONIALE Episcoporum, 67.

CÆREMONIARUM sacrarum Magister. Vide *Magister*, § ii.

CALCULUS, 67.

CALUMNIA, 67.

CAMPANA. Vide *Tintinnabulum*.

CANDELÆ, 67.

CANON. Vide *Emphyteusis*, § iii.

CANONES sacri, 68.

CANONICA electio. Vide *Electio*, § v.

CANONICA portio. Vide *Episcopus*, § xvii.

CANONICATUS quoad ætatem et habilitatem, 68, — quoad dotem seu dotationem, 69, — quoad expectativas, *ibid.*, — quoad fundationem et erectionem, *ibid.*,— quoad incompatibilitatem, 70,— quoad nominationem, præsentationem, institutionem, et collationem, *ibid.*, — seu præbenda pœnitentiaria quoad erectionem et collationem, 71, — seu præbenda theologalis quoad erectionem et collationem, 72,— quoad privationem, 74,— quoad reductionem, 75, — quoad reservationem, *ibid.*,— quoad statum et qualitatem, *ibid.*, — quoad suppressionem, 76, — quoad vacationes, *ibid.*

CANONICI in genere, 76, — quoad curæ animarum exercitium, *ibid.*,—quoad fructus, distributiones et emolumenta, 77, — quoad jura et potestatem, 83, — quoad Missam conventualem, *ibid.*,— novæ ac primæ erectionis, ac fundationis, 84, — quoad numerum, Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § vii; — quoad onera in genere, 85, — quoad optionem, 87, —quoad præcedentiam, *ibid.*,—quoad præeminentiam, 88,—quoad residentiam et absentiam, *ibid.*, —quoad sacros ordines, *ibid.*,— quoad servitium chori, 89, — quoad stallum in choro, 92, — quoad vacationes, 93, — quoad vocem in capitulo, *ibid.*

CANONICUS coadjutus et coadjutor, 94, — decanus, 96, — depositarius, 97, — honorarius et supranumerarius, *ibid.*, — jubilatus, 98, — pœnitentiarius, *ibid.*, — regularis, 99,— senior, 100,— theologalis, *ibid.*

CANONISSÆ. Vide *Capitulum, seu Collegium canonissarum*.

CANTUS gregorianus, harmonicus, 102.

CAPACITAS. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § v; *Legatum pium*, § vi; *Pensio ecclesiastica*, § ii; *Regulares*, § ii.

CAPELLA, 103, — seu Oratorium, Vide *Oratorium*.

CAPELLANIA, Vide *Episcopus*, § ii; — quoad caducitatem, 103, — quoad commutationem, *ibid.*, — quoad dotem seu fundum, *ibid.*,— quoad electionem et vocationem, 104, — quoad fundationem et erectionem, *ibid.*,— quoad habilitatem assequendi et retinendi, 105, — quoad incompatibilitatem, 107, — quoad indultum assequendi, et retinendi, Vide *Dispensatio*, § v; — quoad nominationem, præsentationem, et institutionem, 108, — quoad reductionem, et unionem, 109, — quoad remotionem et privationem, *ibid.*,— quoad statum et qualitatem in genere, 110, — an sit beneficium ecclesiasticum, vel simplex legatum, *ibid.*,— simplex, vel sacerdotalis, 114, — quoad titulum ordinationis, 115, — quoad translationem, *ibid.*

CAPELLANI. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § II.
CAPELLANUS in genere, 116,—quoad applicationem Missarum, *ibid.*,—quoad celebrationem Missarum, 117,— curatus, *ibid.*,— quoad fructus et eleemosynam, 118, — quoad jura et potestatem, 119, — quoad onera in genere, *ibid.*,—quoad residentiam, et quando teneatur celebrare per se ipsum, 120, — quoad servitium chori, 122,— quoad vacationes, *ibid.*,—seu vicarius exercitus, *ib.*,—xenodochii, 123.
CAPITULARES actus, resolutiones. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § X; *Regulares*, § III.
CAPITULARIS Vicarius. Vide *Vicarius capitularis.*
CAPITULUM seu Collegium canonissarum, 123.
CAPITULUM. Vide *Beneficia*, § II.
CAPITULUM ecclesiasticum in genere, 123, — quoad consensum, Vide *Consensus*, § IV; — quoad convocationem, 124, — quoad curam animarum, 125, — quoad jurisdictionem et potestatem, 126, — quoad massam fructuum, ac distributionum, 127, — quoad Missam conventualem, *ibid.*, — quoad numerum canonicorum, 129, — quoad officiales, *ibid.*,— quoad onera in genere, *ibid.*,— quoad resolutiones, seu deliberationes capitulares, 130, — quoad sacros ordines, *ibid.*,— sede vacante, 131, — quoad statuta et constitutiones, 132, — quoad vacationes, 133, — quoad vocem, et jus ferendi suffragium, 134.
CARDINALIS sanctæ Romanæ Ecclesiæ, 135.
CASTITATIS votum. Vide *Votum*, § II, — quoad dispensationem, Vide *Dispensatio*, § XX.
CASUS, 135.
CASUUM conscientiæ Congregatio. V. *Congregatio*, § I.
CATECHISMUS. Vide *Doctrina christiana.*
CATHEDRALIS ecclesia. Vide *Ecclesia cathedralis.*
CATHEDRATICUM. Vide *Episcopus*, § III.
CAUSA, Causatum, 135.
CAUSA pia, 136.
CAUSÆ judiciales in genere, 136, —judiciales quoad appellationes, Vide *Appellatio*,— judiciales quoad episcopos, Vide *Episcopus*, § IV, — criminales, 136, — matrimoniales, *ibid.*,—spirituales, seu beneficiales, et ecclesiasticæ, *ibid.*
CAUSALIS conditio. Vide *Conditio*, § II.
CAUTIO. Vide *Administrator*, § II.
CELEBRATIO Missæ conventualis, Vide *Beneficiati*, § X; *Canonici*, § V; *Capitulum ecclesiasticum*, § VI; *Dignitates ecclesiasticæ*, § III; *Missæ*, § VII; — Missæ parochialis, Vide *Parochus*, § III; — Missarum, Vide *Anniversarium*, *Capellanus*, §§ III, VIII; *Missa*, §§ III, IV, V.
CENOTAPHIUM, 137.
CENSURA excommunicationis, 137, — excommunicationis quoad absolutionem, Vide *Absolutio*, § II, — interdicti, 138,— suspensionis, *ibid.*,— suspensionis quoad absolutionem, Vide *Absolutio*, § V.
CENSURÆ seu Pœnæ ecclesiasticæ in genere, 140, — quoad absolutionem, Vide *Absolutio*, § IV; *Episcopus*, § XVI, — quoad jus ferendi, Vide *Episcopus*, § XIII.
CENSUS in genere, 140, —quoad constitutionem et impositionem, 141, —quoad fructus et solutionem, *ibid.*,—quoad venditionem et Pianam constitutionem, *ibid.*
CENTENARIA. Vide *Observantia*, § III.
CERA, 142.
CESSIO. Vide *Bona ecclesiastica*, § II; *Contractus*, § X; *Decimæ*, § II.
CHARITATIVUM subsidium. Vide *Episcopus*, § XXV.
CHORI absentia, Vide *Absentia a choro causa studiorum*, *Dispensatio*, § III; — Servitium, Vide *Beneficiati*, § X; *Canonici*, § XIII; *Dignitates ecclesiasticæ*, § III; *Mansionarius*, § III; *Servitium chori*; — stallum, Vide *Beneficiati*, § XI; *Canonici*, § XIV; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV.
CHRISMA. Vide *Sacramentum Confirmationis.*
CHRISTIANA doctrina. Vide *Doctrina christiana.*
CIRCUMSCRIPTIO. Vide *Acta*, § I.
CITATIO, 142.
CITATORIALES litteræ. Vide *Litteræ*, § II.
CIVES in genere, 142,— quinam esse dicantur, *ibid.*
CIVILITAS, 143.
CIVITAS in genere, 143.
CIVITATES in specie, 144.
CLANDESTINA matrimonia. Vide *Matrimonium*, §§ XXVII *usq. ad* XXXII.
CLAVES, 144.
CLAUSTRA, claustrales. Vide *Monasteria*, *Monasterium monialium*, *Moniales*, *Regulares*, *Regularium monasterium.*
CLAUSULÆ in genere, 144, — in specie, *ibid.*
CLAUSURA. Vide *Monasteria*, § I.
CLERI Romani statutum. Vide *Statutum cleri Romani.*
CLERICI seu Personæ ecclesiasticæ quoad censuras. Vide *Censuræ seu Pœnæ ecclesiasticæ.*
CLERICI quaod comam, 146, — conjugati, *ibid.*, — alienæ diœcesis, Vide *Sacramentum*, § VI, — illiterati, 146, — incontinentes, *ibid.*, — quoad irregularitatem, Vide *Irregularitas*, — quoad militiam secularem, 147, — negotiatores, 148, — quoad ordinationem, Vide *Sacramentum Ordinis per totum*, — quoad percussorem et offendentem, Vide *Homicida*, *Homicidium*, — non residentes, et ecclesiæ non inservientes, 148, — quoad titulum ordinationis, Vide *Patrimonium clericorum*, *Sacramentum Ordinis*, § X, — venatores, 149, — quoad vestem, et habitum clericalem, *ibid.*, — quoad vitam, et honestatem, 151, — regulares, Vide *Regulares.*
CLERICORUM Bona. Vide *Bona*, § I, — patrimonium, Vide *Patrimonium clericorum.*
CLERUS, 151.
COADJUTOR. Vide *Beneficiatus coadjutus*, *et Coadjutor.*
COADJUTORES. Vide *Parochus.*
COADJUTORIA, 151.
COADJUTUS. Vide *Beneficiatus*, *Coadjutus*, *Canonicus.*
COACTIO, 151, — in matrimonio, Vide *Matrimonium*, — in Ordinibus, Vide *Sacramentum Ordinis*, — in professione religiosa, Vide *Professio religiosa*, — in sponsalibus, Vide *Sponsalia*, § V.
COEUNDI impotentia. Vide *Matrimonium.*
COGNATIO carnalis, Vide *Matrimonium*, — quoad impedimenti dispensationem, Vide *Dispensatio.*
COGNATIO legalis, Vide *Matrimonium*, — quoad impedimenti dispensationem, Vide *Dispensatio.*
COGNATIO spiritualis, Vide *Matrimonium*, — quoad impedimenti dispensationem, Vide *Dispensatio.*
COGNATIO causarum. Vide *Causæ*, *Episcopus.*
COGNOMEN, 152.
COHABITATIO triennalis. Vide *Matrimonium.*
COLLATICUS. Vide *Contratus.*
COLLATIO Baptismi, Vide *Parochus*, *Sacramentum Baptismi*, — beneficiorum ac dignitatum, Vide

Archidiaconatus, Beneficia ecclesiastica, Canonicatus, Episcpus, Dignitates ecclesiasticæ, — Confirmationis, Vide *Abbas, Episcopus, Sacramentum Confirmationis,* — Ecclesiæ parochialis, Vide *Ecclesia parochialis,* — Ordinum, Vide *Abbas, Episcopus, Sacramentum Ordinis.*
COLLECTÆ, 152.
COLLECTIO. Vide *Eleemosynæ.*
COLLEGIA, 152.
COLLEGIATA ecclesia. Vide *Ecclesia collegiata.*
COLLEGIUM Canonissarum, Vide *Capitulum seu Collegium canonissarum,* — parochorum, 152; — protonotariorum apostolicorum, 153.
COMA. Vide *Clerici.*
COMITATUS Venusinus, 153.
COMITIA. Vide *Sodalitium.*
COMMENDA. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani.*
COMMENDATARIUS. Vide *Abbas.*
COMMENDATOR. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani.*
COMISSIO attentatorum. Vide *Attentata.*
COMMODUM, 153.
COMMUNIO paschalis. Vide *Præceptum paschale.*
COMMUTATIO. Vide *Beneficia eccl., Capellania, Juspatronatus, Legatum, Missa, Officium divinum, Onus, Onera, Privilegium, Subsidium dotale, Voluntas testatoris.*
COMPATIBILITAS. Vide *Beneficia eccl.*
COMPENSATIO, æquatio, 153.
COMPUTATIO graduum. Vide *Graduum computatio.*
CONCATHEDRALIS ecclesiæ. Vide *Episcopus.*
CONCESSIO. Vide *Appellatio, Emphyteusis, Juspatronatus.*
CONCILII congregatio, Vide *Congregatio,* — Congregationis, Vide *Decretum.*
CONCILIUM Romanum, 154, — Tridentinum quoad ejus promulgationem, *ibid.,* — Tridentinum quoad ejus receptionem, 155.
CONCIO seu prædicatio, 155.
CONCIONATOR quoad benedictionem, et appr., 156, — quoad eleemosynam, *ibid.,* — quoad nominationem, et elect., 157.
CONCORDIA. Vide *Transactio.*
CONCUBINA, 157.
CONCURSUS ad beneficia et parochias in genere, 158, — quoad acta, *ibid.,* — quoad appellationem seu provocationem, *idid.,* — quoad concurrentes, 160, — quoad convocationem, 161, — quoad formam servandam, 162, — quoad judicium Episcopi, *ibid.,* — quoad prælationem, 163, — quoad terminum statutum, *ibid.,* — quoad validitatem, et nullitatem, 164.
CONDITIO. Vide *Matrimonium.*
CONDITIO in genere, 165, — accidentalis, et causalis, *ibid.,*—in specie, *ibid.,*—turpis, illicita, odiosa vel impossibilis, 166,— voluntaria, et potestativa, *ibid.*
CONDITIONALIS donatio. Vide *Donatio.*
CONDONATIO. Vide *Absolutio.*
CONDUCTIO. Vide *Contractus.*
CONFESSARIUS quoad approbationem, 167, — quoad electionem, *ibid.,*— monialium, *ibid.,*—quoad potestatem et jura, *ibid.*
CONFESSIO, 169.
CONFESSIO sacramentalis. Vide *Sacramentum Pœnitentiæ.*
CONFIRMATIO. Vide *Abbatissa, Archidiaconus, Electio, Privilegium.*
CONFIRMATIONIS sacramentum. Vide *Sacramentum Confirmationis.*
CONFRATERNITAS laicorum. Vide *Sodalitium.*
CONGREGATIO Casuum conscientiæ, 169, — Concilii Tridentini, *ibid.,*—parochorum, Vide *Parochorum congregatio.*
CONGREGATIONES, 170.
CONGREGATIONES, Sodalitium. Vide *Sodalitium.*
CONGREGATIONIS Concilii decretum. Vide *Decretum.*
CONGRUA. Vide *Archipresbyter, Œconomus, Parochus, Vicarius curatus.*
CONJUGALIS usus. Vide *Matrimonium.*
CONJUGATI. Vide *Clerici.*
CONJUGATORUM conversio. Vide *Matrimonium.*
CONSANGUINEUS, 170.
CONSANGUINITAS, 170, — in Matrimonio, Vide *Matrimonium,* — quoad impedimenti dispensationem, Vide *Dispensatio.*
CONSCIENTIÆ casuum Congregatio, Vide *Congregatio,* — Matrimonia, Vide *Matrimonium.*
CONSECRATIO. Vide *Ecclesia in genere.*
CONSECUTIO. Vide *Beneficia ecclesiastica, Capellania, Legatum pium, Pensio ecclesiastica, Regulares, Subsidium dotale.*
CONSENSUS in genere, 170, — quoad alienat., 171, —quoad ecclesias, beneficia, et opera pia, *ibid.,*— capituli, *ibid.,*—in contractibus, *ibid.,*— in matrimonio, Vide *Matrimonium,* — in professione religiosa, Vide *Professio religiosa,* — in sponsalibus, Vide *Sponsalia.*
CONSERVATOR judex. Vide *Regulares.*
CONSILIUM, 171.
CONSTITUTIO. Vide *Consensus, Distributiones quotidianæ,* — Piana, Vide *Census.*
CONSTITUTIONES Apostolicæ, Vide *Bulla,* — capitulares, Vide *Capitulum ecclesiasticum,* — regularium, Vide *Professio religiosa,* — synodales, 172.
CONSTRUCTIO. Vide *Ecclesia in genere, Ecclesia parochialis, Fons Baptismatis, Oratorium, Sepultura.*
CONSUETUDO in genere, 172, — quoad ejus auctoritatem, et potentiam, *ibid.,*—quoad decimas, Vide *Decimæ,* — contra Ecclesiam, 173, — quoad extensionem, *ibid.,*— a quibus inducatur vel inducatur, *ibid.,*—interpretativa, et præscriptiva, 174,— contra seu præter jus, 175, — prava, — quomodo, et quando probetur, *ibid.,* — ut rationabilis servanda, vel ut corruptela improbanda, 176, — in specie, 178, — immemorabilis, *ibid.*
CONTEMPLATIO agnationis. Vide *Agnationis, contemplatio.*
CONTINENTIA. Vide *Sacramentum Ordinis, Votum.*
CONTINENTIÆ votum. Vide *Sacramentum Ordinis, Votum.*
CONTRACTUS in genere, 179, — quoad beneplacitum Apostolicum, 180, — quoad consensum, Vide *Consensus,*—quoad deliberationem, *ibid.* —quoad læsionem et justitiam, *ibid.,* — quoad moniales, Vide *Moniales,* — quoad offerentes, *ibid.,*— quoad resolutionem, 181,—quoad retrotractionem, *ibid.,* — quoad sanationem, *ibid.,* — quoad validitatem vel nullitatem, *ibid.,* — in specie, id est cessionis, 182,— vulgo collaticus, *ibid.,*— emphyteusis, Vide *Emphyteusis.* — emptionis et venditionis, *ibid.,* — vulgo a godere, 183, — innominatus, *ibid.,* — locationis et conductionis. *ibid.,* — mutui, 184.
CONTRADICTIO, 184.
CONTRADICTORES, 184.
CONTRAHENTES, 184.

CONTUMACIA, 184.
CONVENTIO, 184.
CONVENTUALIS Missa. Vide *Beneficiati, Canonici, Capitulum eccl., Dignitates eccl., Missa.*
CONVENTUS. Vide *Monasterium.*
CONVOCATIO. Vide *Capitulum ecclesiasticum, Concursus, Synodus diœcesana.*
COPULA carnalis. Vide *Matrimonium.*
CORPORIS defectus. Vide *Irregularis.*
CORRUPTELA. Vide *Consuetudo.*
CREDITOR, 185.
CREDITUM, 185.
CRIMEN. Vide *Falsi crimen, irregularitas.*
CRIMINALES causæ. Vide *Causæ.*
CRIMINIS impedimentum, Vide *Matrimonium*, — quoad dispensationem, Vide *Dispensatio.*
CRUCESIGNATORUM ordo. Vide *Religio militaris Ordinis.*
CRUCIATÆ privilegium. Vide *Privilegium.*
CRUX, 185.
CULPA, 185.
CULTUS divinus, 186.
CULTUS disparitas. Vide *Matrimonium.*
CUMULUS. Vide *Subsidium dotale.*
CURA animarum in genere, 186, — quoad facultatem exercendi, *ibid*, — penes quem residere dicatur, 187.
CURATUS. Vide *Abbas, Archipresbyter, Capellanus, Œconomus curatus, Parochus, Præpositus prior, Vicarius curatus.*
CURIA episcopalis, Vide *Episcopus*, — prælatorum inferiorum, Vide *Abbas.*

D

DAMNA quoad refectionem, 187.
DAMNATI ad triremes, 188.
DAMNUM. Vide *Actus.*
DEBITOR, 188.
DEBITUM, 188.
DECANATUS dignitas eccl., 188.
DECANUS, 188.
DECANUS canonicus. Vide *Canonicus.*
DECEPTIO, 189.
DECIMÆ in genere, 189, — quoad consuetudinem et restitutionem, *ibid.*, — quoad cessionem et observantiam, *ibid.*, — quo jure debentur, *ibid*, — quibus debeantur, 190, — quoad earum divisionem, *ibid.*, — quoad privilegia, *ibid.*, — aquibus et quomodo præstari debeant, 191, — de quibus solvendæ, 192.
DECIMARUM quarta. Vide *Episcopus.*
DECLARATIO, 192.
DECLARATIO voluntatis. Vide *Testamentum, Voluntas testatoris.*
DECRETUM in genere, 192, — S. Congregationis Concilii, Synodale, et Episcopi, *ibid.*, — in sacra visitatione editum, 193.
DEFECTUS ætatis. Vide *Dispensatio, Matrimonium*, — animi, Vide *Irregularitas*, — corporis, Vide *Irregularitas.*
DEFUNCTORUM cadavera, Vide *Cadaver, Sepultura*, — Voluntas, Vide *Testamentum, Voluntas testatoris.*
DEI servus. Vide *Servus Dei.*
DELATIO. Vide *Hæreditas, Sacramentum Eucharistiæ, Stola.*
DELEGATIO, 193.
DELEGATUS, 193, — in matrimonils, Vide *Matr.*
DELECTIO. Vide *Missa, Onus, Onera, Subsidium dotale.*
DELIBERATIO. Vide *Contractus emphyteusis.*
DELIBERATIONES capit. Vide *Capitulum ecclesiasticum.*
DELICTUM. Vide *Crimen.*
DEMENTIA, 193.
DEMOLITIO. Vide *Ecclesia in genere.*
DENEGATIO appellationis. Vide *Appellatio.*
DENUNTIATIONES matrimoniales. V. *Matrimonium.*
DEPOSITARIUS. Vide *Canonicus.*
DEPOSITIO, depositiones, 194.
DEPOSITIO quoad testes. Vide *Testes.*
DEPUTATIO. Vide *Administrator, Œconomus curatus, Vicarius capitularis, Vicarius curatus.*
DEPUTATUS. Vide *Monasterium.*
DEROGATIO. Vide *Privilegium, Voluntas testatoris.*
DESCENDENTIA, 194.
DESIDERIUM, 194.
DESTRUCTIO. Vide *Oratorium.*
DEVOLUTIO. Vide *Juspatronatus.*
DEVOLUTIVA appellatio. Vide *Appellatio.*
DIACONATUS ordo. Vide *Sacramentum ordinis.*
DICTIO, Dictiones, in genere, 194. — in genere, 194.
DIERUM festorum observantia. Vide *Fest. dierum observantia.*
DIES, 195.
DIES quoad Miss. Vide *Missam.*
DIES IRÆ, 195.
DIFFAMATIO, 195.
DIFFERENTIA, Vide *Decimæ.*
DIGNIUS. Vide *Abbas, Archidiaconus, Archipresbyter.*
DIGNITAS ecclesiastica in genere, 195.
DIGNITATES in specie. Vide *Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus, Præpositura, Thesaurariatus.*
DIGNITAS Honor, 196.
DIGNITATES ecclesiasticæ quoad erect., coll. atque ætatem, 196, — quoad emolumenta, 197, — quoad Missam conventualem, *ibid.*, — quod vocem in capitulo, *ibid.*
DIGNUS, 197.
DIMINUTIO. Vide *Hæreditas.*
DIMISSIO. Vide *Beneficia ecclesiastica.*
DIMISSIORIALES Litteræ. Vide *Sacramentum Ordinis.*
DIŒCESANA synodus. Vide *Synodus diœcesana.*
DIŒCESIS, 194.
DIŒCESIS Nullius. Vide *Abbatia.*
DISCRIMEN, 198.
DISMEMBRATIO. Vide *Beneficia eccl., Ecclesia parochialis, Fructus.*
DISPARITAS cultus. Vide *Matrimonium.*
DISPENSANDI potestas. Vide *Episcopus.*
DISPENSATIO in genere, 198, — super defectu ætatis, 199, — seu indultum absentandi a choro, 200, — seu indultum absentandi a residentia, 201, — seu indultum assequendi vel retinendi beneficium seu capellaniam, 202, — ab exercitio ordinum, Vide *Absolutio*, — ab incompatibilitate beneficiorum, 202, — ab interstitiis, 203, — ab irregularitate in genere, *ibid.*, — ab irregularitate orta ex defectu animi, *ibid.*, — ab irregularitate orta ex defectu corporis, *ibid.*, — crimine orta, 204, — matrimonialis ab impedimentis in genere, 208, — matrimonialis ab impedimento affinitatis, 210, — matrimonialis ob impedimentum cognationis legalis spiritualis, et carnalis, 212, — matrimonialis ab im-

pedimento criminis, 212, — a matrimonio rato, et non consummato, *ibid.*, — matrimonialis ab impedimento publicæ honestatis, 215, — in radice a matrimonio putativo, *ibid.*, — a pluralite beneficiorum, 216, — a voto castitatis, *ibid.*
DISPOSITIO testamentaria, 217.
DISPOSITIONES piæ. Vide *Episcopus*, § VIII.
DISSENSUS, 218.
DISSOLUTIO. Vide *Ecclesia parochialis*, § VIII; *Matrimonium*, § XLIII; *Sponsalia*, § II.
DISTINCTIO. Vide *Ecclesia parochialis*, § II.
DISTRIBUTIO. Vide *Legatum pium*, § VIII; *Subsidium dotale*, § VII.
DISTRIBUTIONES quotidianæ in genere, 218,—quoad constitutionem et divisionem, *ibid.*, — quibus debeantur vel non, 219, — quoad originem, 221, —
DIVES. 222.
DIVINA officia. Vide *Officia divina.*
DIVINUM officium. Vide *Officium divinum.*
DIVINUS cultus. Vide *Cultus divinus.*
DIVISIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XII; *Bona ecclesiastica*, § III; *Decimæ*, § VI; *Distributiones quotidianæ*, § II; *Ecclesia parochialis*, § II; *Hæreditas*, § IV.
DIVORTUM. Vide *Matrimonium*, § VII.
DIUTURNA observantia. Vide *Observantia*, § IV.
DOCTORATUS, 222.
DOCTRINA christiana, 222.
DOCUMENTUM, 222.
DOMESTICUM oratorium. Vide *Oratorium*, § II.
DOMICILII parochus. Vide *Matrimonium*, § XXX; *Parochus*, § XIII.
DOMICILIUM in genere, 222, — quoad amissionem, 223, — quoad beneficium, *ibid.*, — habitationis quando dicatur contractum, *ibid.*, — quis contrahere valet, 225, — quoad mutationem, *ibid.*, — originis, quando attendi debeat, *ibid.*
DOMINIUM. Vide *Bona*, § II.
DOMUS, 226.
DOMUS legalis, 226.
DONATARIUS, 226.
DONATIO, 227, — conditionalis, *ibid.*, — quoad probationem, exequutionem et revocationem, *ibid.*, — inter virum et uxorem, et propter nuptias, *ibid.*
DOS seu dotatio, 228.
DOTALE subsidium. Vide *Subsidium dotale.*
DUBIUM, 228.
DUELLUM, 228.

E

EBRIETAS, Ebrius, 228.
ECCLESIA in genere, 228, — quoad consecrationem, *ibid.*, — quoad jus speliendi, *ibid.*, — quoad materialem ædificationem et reparationem, 229, — quoad materialem demolitionem et profanationem, 231, — quoad præeminentias et jura, 232, — in specie, *ibid.*, — quoad statum et qualitatem, *ibid.*
ECCLESIA cathedralis quoad materialem reparationem, 233, — quoad præeminentias, 234, — quomodo probetur, *ibid.*, — quoad unionem, *ibid.*
ECCLESIA collegiata quoad erectionem, 235, — quoad præeminentias et jura, *ibid.*, — quomodo probetur, *ibid.*
ECCLESIA matrix in genere, 236, — quoad probatioem, *ibid.*
ECCLESIA, seu Oratorium. Vide *Oratorium.*
ECCLESIA parochialis quoad collationem in titulum seu provisionem, 238, — quoad dismembrationem et erectionem, 241, quoad divisionem, distinctionem et territorinm, 244, — quoad materialem reædificationem et restaurationem, 246, — quomodo probetur, 248, — quoad suppressionem per subrogationem, 247, — quoad translationem, *ibid.*, — quoad unionem et unionis dissolutionem, 250.
ECCLESIA receptitia, 523.
ECCLESIÆ concathedrales. Vide *Episcopus*, § IX.
ECCLESIÆ bonorum alienatio. Vide *Alienatio.*
ECCLESIÆ Romanæ Cardinalis. Vide *Cardinalis Ecclesiæ Romanæ.*
ECCLESIASTICA beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica.*
ECCLESIASTICA bona. Vide *Bona ecclesiastica.*
ECCLESIASTICA emphyteusis. Vide *Emphyteusis ecclesiastica.*
ECCLESIASTICA hierarchia. Vide *Hierarchia ecclesiastica.*
ECCLESIASTICA pensio. Vide *Pensio ecclesiastica.*
ECCLESIASTICÆ causæ. Vide *Causæ*, § IV.
ECCLESIASTICÆ dignitates. Vide *Dignitates ecclesiasticæ.*
ECCLESIASTICÆ functiones. Vide *Functiones ecclesiasticæ.*
ECCLESIASTICÆ personæ. Vide *Clerici.*
ECCLESIASTICÆ pœnæ. Vide *Censuræ.*
ECCLESIASTICI. Vide *Clerici.*
ECCLESIASTICORUM societas. Vide *Societas ecclesiasticorum.*
ECCLESIASTICUM capitulum. Vide *Capitulum ecclesiasticum.*
ECCLESIASTICUM spolium. Vide *Spolium ecclesiasticum.*
ECCLESIASTICUS judex. Vide *Judex*, § III.
EDICTUM. Vide *Concursus*, § V; *Emphyteusis*, § XII.
EGENS. Vide *Pauper.*
EJECTIO. Vida *Regulares*, § V.
ELECTIO in genere, 253, — a quibus fieri debeat, 254, — quomodo et ubi fieri debeat, et de tempore electionis, *ibid.*, — quoad jus, seu jus et facultas eligendi, *ibid.*, — quando præsumatur canonica, vel non, et de ejus validitate et invaliditate, 255, — quoad scrutatores, 256, — quoad solemnitates et confirmationem, *ibid.*
ELEEMOSYNA. Vide *Concionator*, § II.
ELEEMOSYNA Missarum. Vide *Capellanus*, § V; *Missa*, § IX.
ELEEMOSYNÆ in genere, 256, — quomodo et a quibus colligi et administrari valeant, 257, — quibus præstari debeant, *ibid.*, — quoad erogationem, *ibid.*
EMISSIO. Vide *Professio religiosa*, § VII.
EMOLUMENTA in genere, 257, — funerum quomodo, a quibus, et quibus solvi debeant, *ibid.*
EMOLUMENTA funerum quoad quartam. Vide *Quartam funerum.*
EMPHYTEUSIS ecclesiastica quoad affrancationem, 258, — quoad beneplacitum apostolicum, *ibid.*, — quoad canonem, seu pensionem, *ibid.*, — quoad concessionem seu deliberationem, 260, — quoadfructus, 261, — quoad generationes, *ibid.*,

— quoad investituram, *ibid.*, — quoad laudemium, *ibid*, — quoad oblationes, 262, — quoad prælationem, *ibid.*, — quoad renovationem, 263, — quoad validitatem et nullitatem, *ibid.*
EMPTIO et Venditio. Vide *Contractus*, § XII.
EMPTOR, 263.
EPISCOPI arbitrium. Vide *Arbitrium.*
EPISCOPI decretum. Vide *Decretum*, § II.
EPISCOPALIS Dignitas, 263.
EPISCOPORUM Cæremoniale. Vide *Cæremoniale Episcoporum.*
EPISCOPUS ægrotus, 264, — quoad beneficia et capellanias, *ibid.*, — quoad cathedraticum seu synodaticum, *ibid.*, — quoad causarum cognitionem, 267, — quoad collationem sacramenti Confirmationis, 268, — quoad collationem sacrorum Ordinum, *ibid.*, — quoad dispositiones testamentarias, 269, — quoad dispositionum piarum exequutionem, *ibid.*, — quoad duas ecclesias concathedrales, 270, — quoad functiones sacras, *ibid.*, — quoad jurisdictionem ordinariam vel delegatam in genere, *ibid.*, — quoad jus conferendi beneficia suæ diœcesis, 272, — quoad jus ferendi censuras, *ibid.*, — quoad onera in genere, *ibid.*, — quoad parochias earumque rectores, 273, — quoad potestatem absolvendi a censuris ac dispensandi ab irregularitate, *ibid.*, — quoad portionem canonicam seu quartam funerum, 274, — quoad potestatem et officium in genere, — quando procedere possit cum adjunctis, 276, — quoad procurationem, *ibid.*, — quoad quartam decimarum, 279, — quoad reditus suæ mensæ in genere, 280, — quoad residentiam et absentiam, *ibid.*, — quoad strenam seu xenia, *ibid.*, — quoad subsidium charitativum, 281, — quoad visitationem tum jure ordinario, tum jure delegato peragendam, *ibid.*,
EPICHEIA, 285.
EPISTOLA, 285.
EQUITES Hierosolymitani. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § II.
ERECTIO. Vide *Archidiaconatus*, § II; *Archipresbyteratus*, § II; *Beneficia ecclesiastica*, § XV; *Canonicatus*, § IV, VII; *Capellania*, § V; *Dignitates ecclesiasticæ*, § II; *Ecclesia collegiata*, § I; *Ecclesia parochialis*, § II; *Fons baptismalis*, § II; *Monasterium*, § II; *Seminarium*, § II; *Sodalitium*, § IV; *Vicaria perpetua.*
EREMITA, 285.
EROGATIO. Vide *Bona ecclesiastica*, § IV; *Eleemosynæ*, § IV; *Fructus*, § III.
ERROR, 285.
ERRORIS impedimentum. Vide *Matrimonium*, § XXXIX.
EUCHARISTIA. Vide *Sacramentum Eucharistiæ*, §§ I, II et III.
EVICTIO, 286.
EXAMEN in genere, 286, — quoad admissionem et iterationem, *ibid.*, — quoad formam, 287, — quoad validitatem et nullitatem, *ibid.*
EXAMINATORES synodales in genere, 288, — quoad electionem et subrogationem, *ibid.*, — quoad eorum officium ac onus, 289.
EXCEPTIO, exceptiones, 289.
EXCLUSIO. Vide *Consuetudo*, § II.
EXCOMMUNICATIO. Vide *Censura*, § I.
EXEMPLUM, 289.
EXEMPTIO exempti in genere, 290, — a jurisdictione Ordinarii personali, et mixta, *ibid.*
EXEQUUTIO, 292.
EXEQUUTOR litterarum Apostolicarum, 292, — testamentarius, 293.
EXERCITIUM. Vide *Administratio*, § II.
EXERCITIUM curæ animarum. Vide *Cura animarum*,
EXERCITIUM Ordinum. Vide *Sacramentum Ordinis*, § III.
EXERCITUS Vicarius. Vide *Capellanus*, § XIII.
EXHUMATIO. Vide *Cadaver*, § II.
EXPENSÆ in genere, 293, — litis judiciales et extrajudiciales, 294.
EXPENSÆ in matrimonio. Vide *Matrimonium*, § II.
EXPECTATIVÆ. Vide *Canonicatus*, § III; *Gratia*, § III.
EXPERIMENTUM cohabitationis triennalis. Vide *Matrimonium*, § XLII.
EXPOSITIO. Vide *Sacramentum Eucharistiæ*, § III.
EXPULSIO. Vide *Sodalitium*, § VIII.
EXTENSIVA consuetudo. Vide *Consuetudo*, § IV.
EXTINCTIO. Vide *Legatum pium*, § X; *Obligatio*, § III; *Pensio ecclesiastica*, § I.
EXTRAJUDICIALES expensæ. Vide *Expensæ*, § II.
EXTREMA Unctio. Vide *Sacramentum Olei Sancti.*

F

FABRICA in genere, 296, — basilicæ S. Petri, *ibid.*
FACTI Infamia. Vide *Infamia.*
FACTUM, 296.
FACTUM deponentes. Vide *Testes*, § II.
FACULTAS, 296.
FACULTAS alienandi. Vide *Alienandi facultas.*
FACULTAS exercendi curam animarum. Vide *Cura animarum*, § II.
FACULTAS testandi. Vide *Testamentum*, § I.
FACULTATIVI actus. Vide *Actus*, § II.
FALCIDIA, 296.
FALSI crimen, 297.
FAMILIA, 297.
FAMILIARES, 297.
FAMILIARES Religionis Hierosolymitanæ. Vide *Religio militaris*, § III.
FAMULI, 297.
FENESTRA, 298.
FESTIVITAS, 298.
FESTORUM dierum observantia, 298.
FEUDUM, 299.
FICTIO, Simulatio, Vide *Simulatio.*
FIDEICOMMISSUM, 299.
FIDEI professio. Vide *Professio fidei.*
FIDEJUSSIO, 300.
FIDELES, 300.
FIDES, 300.
FILII quoad legitimitatem. Vide *Matrimonium*, § X.
FILIORUMFAMILIAS matrimonia. Vide *Matrimonium*, § IX.
FILIUS, Filii, 301.
FINES, seu Confinia. Vide *Ecclesia parochialis*, § III.
FŒTUS, 301.
FONS baptismalis, 302, — quoad erectionem, *ibid.*, — quoad constructionem, *ibid.*, — quoad retentionem, *ibid.*
FORANEUS. Vide *Vicarius foraneus.*

FORI privilegium. Vide *Privilegium*, § II.
FORMA. Vide *Concursus*, § VI; *Examen*, § III.
FORUM, 302.
FRIFIGITAS viri ad copulam. Vide *Matrimonium*, § XL.
FRUCTUS a quo tempore debeantur et sint restituendi, 302, — quoad dismembrationem, 303, — quoad erogationem, *ibid.*, — quoad pertinentiam, *ibid.*
FRUMENTARIUS mors. Vide *Mors*, § I.
FUNCTIONES ecclesiasticæ, 304.
FUNCTIONES parochiales. Vide *Parochus*, § VIII.
FUNDATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XV; *Canonicatus*, § IV; *Capellania*, § V; *Juspatronatus*, § VI; *Monasterium*, § II; *Regularium monasterium*, § II; *Seminarium*, § II.
FUNDATIONES, 304.
FUNDATOR, 305.
FUNDUS. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XIII; *Capellania*, § III; *Missa*, § X.
FUNERANDI jus. Vide *Cadaver*, § IV; *Parochus*, § VII.
FUNERUM emolumenta. Vide *Emolumenta*, § II; *Parochus*, § IX, — quarta. Vide *Episcopus*, § XVII; *Parochus*, § VII; *Quarta funerum*.
FUNUS. Vide *Cadaver*, § IV.
FURTIVE ordinatus. Vide *Sacramentum ordinis*, § IX.

G

GENERALIS vicarius. Vide *Matrimonium*, § XXXIII; *Vicarius generalis*.
GENERATIONES. Vide *Emphyteusis*, § VI.
GENTILITIUM stemma. Vide *Stemma gentilitium*.
GENUS, 306.
GRADUS in genere, 307.
GRADUUM computatio, 307.
GRANCIÆ, 307.
GRATIA in genere, 307, — quoad exequutionem, 308, — expectativa, *ibid.*, — quoad prorogationem, 309, — quoad validitatem et nullitatem, subreptionem et obreptionem, *ibid.*,
GRATIFICATIO, 312.
GRAVAMINA. Vide *Damna*.
GRÆCI, 312.
GREGORIANUS cantus. Vide *Cantus gregorianus*.
GUBERNATOR civitatis, 313.

H

HABILITAS. Vide *Canonicatus*, § I; *Capellania*, § VI.
HABITATIO. Vide *Domicilium*, § IV.
HABITUS clericalis. Vide *Clerici*, § IX.
HÆREDITAS in genere, 313, — quoad delationem et transmissionem, *ibid.*, — quoad diminutionem, *ib.*, — quoad divisionem, 314, — quoad repudiationem, *ibid.*
HÆRES in genere, 314, — quoad institutionem vel substitutionem, *ibid.*, — quoad jura et potestatem, 315, — quoad onera et obligationes, *ibid.*
HÆRESIS, hæretici, 317.
HARMONICUS cantus. Vide *Cantus harmonicus*.
HEBDOMADARIATUS, 318.
HEBDOMADARIUS, 318.
HERMAPHRODITUS, 318.
HERNIA, 318.
HIEMS, 318.
HIERARCHIA ecclesiastica, 318.
HOMICIDIA, 318.
HOMICIDIUM, 320.
HONESTAS, Vide *Clerici*, § X; *Parochus*, § XVII, — publica, Vide *Matrimonium*, § XLV, — publica quoad impedimenti dispensationem, Vide *Dispensatio*, § XVII.
HONOR. Vide *Dignitas*.
HONORARIUS canonicus. Vide *Canonicus*, § IV.
HORA. Vide *Missæ*, § IV.
HORÆ canonicæ. Vide *Officium divinum*.
HOSPITALE in genere, 233, — quoad qualitatem, 324, — quoad administrationem et administratores, *ibid.*
HOSPITIUM, 324.
HYPOTHECA, 324.
HYPOTHECARIA actio. Vide *Actio*, § II.

I

IGNORANTIA, 325.
ILLEGITIMITAS prolis. Vide *Matrimonium*, § X.
ILLITERATI. Vide *Clerici*, § III.
ILLICITA conditio. Vide *Conditio*, § IV.
IMMEMORABILIS consuetudo, Vide *Consuetudo*, § V, — observantia, Vide *Observantia*, § V.
IMMUTATIO, 325.
IMPEDIMENTA matrimonalia, Vide *Matrimonium*, *a* § XXIV *usque ad* § XLVIII, — quoad dispensationem, Vide *Dispensatio a* § XII *usque ad* § XVII.
IMPENSA. Vide *Expensæ*.
IMPETRATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XVI.
IMPLEMENTUM, Vide *Legatum pium*, § XII, *Onus, Onera* § III, *Voluntas testatoris*, § VI.
IMPOSITIO. Vide *Census*, § II.
IMPOSSIBILE, 325.
IMPOSSIBILIS conditio. Vide *Conditio*, § IV.
IMPOTENTIA. Vide *Matrimonium*, § XL.
IMPROBATIO. Vide *Consuetudo*, § XI.
IMPUBERES. Vide *Matrimonium*, § XXV.
INCISIO arborum. Vide *Arborum incisio*.
INCOMPTABILITAS. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XVII, *Canonicatus*, § V, *Capellania*, § VII,—quoad dispensationem, Vide *Dispensatio*, § VI.
INCONTINENTES. Vide *Clerici*, § IV.
INDISSOLUBILITAS. Vide *Matrimonium*, § XXIII.
INDUCTIO. Vide *Consuetudo*, § VI; *Obligatio*, § III; *Observantia*, § VI
INDULGENTIA plenaria, ac partialis, 325.
INDULTUM absentandi a choro, Vide *Dispensatio*, § III, — assequendi capellaniam, Vide *Dispensatio*, § V, — assequendi jubilationis seu vacandi a choro, — a residentia, Vide *Dispensatio*, § IV, — retinendi beneficium, Vide *Dispensatio*, § V, — retinendi capellaniam, Vide *Dispensatio*, § V, — pontificium in genere, — pontificium quoad prorogationem, 329,— pontificium quoad validitatem et nullitatem, subreptionem et obreptionem, — pontificium oratorii privati.
INFAMIA juris et facti, 330.
INFERIOR prælatus. Vide *Prælatus*, § II.
INFIRMITAS, 331.
INFIRMUS, 331.
INHABILITAS. Vide *Matronium*, § XV.
INNOCENTIANA taxa. Vide *Taxa*, § II.
INNOMINATUS contractus. Vide *Contractus*, § XIV.
INSIGNIA, 332.

INSTITUTIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XVIII; *Canonicatus*, § VI; *Capellania*, § VII; *Hæres*, § II; *Seminarium*, § III.
INSTRUMENTUM, 326.
INTELLIGENTIA. Vide *Voluntas testatoris*, § III.
INTENTIO. Vide *Sacramentum Ordinis*, § IV.
INTERDICTUM Vide *Censura*, § II.
INTERPOSITIO appellationis. Vide *Appellatio*, § IV.
INTERPRETATIO. Vide *Lex*, § II; *Privilegium*, § III; *Testamentum*, § II.
INTERPRETATIVA consuetudo. Vide *Consuetudo*, § VII; — *Observantia*, § VII.
INTERSTITIA, Vide *Sacramentum Ordinis*, § V, — quoad dispensationem, Vide *Dispensatio*, § VII.
INVENTARIUM, 333.
INVESTIMENTUM. Vide *Bona ecclesiastica*, § III.
INVESTITURA. Vide *Emphyteusis*, § VII.
IRRATIONABILITAS electionis. Vide *Concursus*, § III.
IRREGULARITAS in genere, 333, — ex defectu animi orta, *ibid.*, — ex defectu corporis orta, 335, — ex crimine in genere, 336, — ex homicidio voluntario, *ibid.*, — ex homicidio causali orta, 338, — ex homicidio in parentum defensione commisso, 340, — ex homicidio ab illo qui non habet ætatem commisso, 341, — ex homicidio ad propriam defensionem patrato, *ibid.*, — ob malam ad ordines promotionem orta, 342, — orta ex Baptismi reiteratione, 343, — ex homicidio causa abortus commisso, *ibid.*, — orta causa excommunicationis et suspensionis, *ibid.*, — ob homicidium causa belli commissum, 344, — quoad dispensationem, Vide *Dispensatio*, §§ VIII, IX, X et XI; *Episcopus*, § XVI.
ITERATIO. Vide *Examen*, § II; *Sacramentum Ordinis*, § XI.

J

JANUA, 344.
JEJUNIUM, 344.
JUBILATIONIS indultum. Vide *Indultum jubilationis*.
JUBILATUS, 344, — canonicus. Vide *Canonicus*, § V.
JUDÆI, 344.
JUDEX conservator privilegiorum. Vide *Regulares*, § VI.
JUDEX delegatus, 345, — ecclesiasticus, *ibid.*
JUDICES arbitri, 345.
JUDICIALES causæ, Vide *Causæ*, § I, — expensæ, Vide *Expensæ*, § II, — actus. Vide *Actus*, *Causæ*, § I.
JUDICIALIS actus. Vide *Actus*.
JUDICIUM, 346, — Episcopi, Vide *Concursus*, § VII.
JURA. Vide *Administrator*, § IV; *Beneficiati*, § V; *Canonici*, § IV; *Capellanus*, § VI; *Confessarius*, § IV; *Ecclesia in genere*, § VI; *Ecclesia collegiata*, § II; *Hæres*, § III; *Œconomus curatus*, § III; *Patronus*, § IV; *Portionarius*, § I; *Præpositus*, § II; *Rector*, § II; *Regulares*, § VII; *Sodalitium*, § V; *Vicarius capitularis*, § II; *Vicarius curatus*, § III.
JURAMENTUM, 346, — quoad absolutionem, Vide *Absolutio*, § III.
JURA parochialia, 346, — sanguinis, 347.
JURISDICTIO. Vide *Abbas*, § III; *Archidiaconus*, § II; *Capitulum ecclesiasticum*, § IV; *Exemptio*, *Parochus*, § VIII.
JURISDICTIONALES. Vide *Actus*, § III.
JURIS infamia. Vide *Infamia juris*.
JUS accrescendi, 347, — alimentorum, Vide *Alimenta*, § II, — conferendi beneficium, Vide *Episcopus*, § XII, — eligendi, Vide *Electio*, § IV, — ferendi censuras, Vide *Episcopus*, § XIII, — ferendi suffragium, Vide *Beneficiati*, § XI; *Capitulum ecclesiasticum*, § XV; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV, — hæreditarium et successionis, 347, — in re, sive ad rem, *ibid.*, — jura, *ibid.*, — nominandi, Vide *Patronus*, § III; *Subsidium dotale*, § VIII, — præsentandi, Vide *Juspatronatus*, § VII; *Patronus*, § III, — quæsitum, 348, — sepeliendi, Vide *Ecclesia in genere*, § III, — visitandi, Vide *Episcopus*, § XXVI.
JUSPATRONATUS quando acquiratur ex dotatione, fundatione, ac constructione, 348, — quoad activam, et passivam vocationem, 349, — quoad commutationem qualitatis, 350, — quoad concessionem, *ibid.*, — quoad devolutionem, *ibid.*, — quoad fundationem et reservationem, *ibid.*, — quasi possessio, seu jus præsentandi quando amittatur, *ibid.*, — quomodo probetur in genere, 351, — quomodo probetur, et quibus spectare dicatur, 352, — quoad qualitatem et statum, 353, — quoad renuntiationem, 354, — quomodo transeat cum venditione seu translatione bonorum, seu alias transferatur, *ibid.*
JUSTITIA. Vide *Contractus*, § IV; *Transactio*, § VI.

L

LÆSIO. Vide *Contractus*, § IV.
LAICI, 355.
LAICORUM communitas. Vide *Communitas laicorum*.
LASCIVIA, 355.
LAUDEMIUM. Vide *Emphyteusis*, § VIII.
LAUREOLA, 355.
LEGALIS cognatio, Vide *Matrimonium*, § XXXIV, — domus, Vide *Domus legalis*.
LEGATARIUS, 355.
LEGATUM pium, seu Opera pia, in genere, 355, — quoad abolitionem, *ibid.*, — quoad acceptionem, *ibid.*, — quoad applicationem, 356, — quoad caducitatem, *ibid.*, — quoad capacitatem illud assequendi ac retinendi, *ibid.*, — quoad commutationem, 358, — quoad distributionem, 359, — quoad dotem et fundum, *ibid.*, — quoad extinctionem, 360, — quoad fructus, *ibid.*, — quoad implementum, *ibib.*, — Missarum, Vide *Capellania*, *Missa*, — quoad numerum, 361, — quoad prælationem et vocationem, *ibid.*, — quomodo probetur et validum sit, 362, — quoad qualitatem, *ibid.*, — a quo recipi debeat, 363, — quoad reductionem, *ibid.*, — quoad renuntiationem, 364, — quoad repetitionem, *ibid.*, — quomodo et quibus solvi ac præstari debeat, *ibid.*, — ad quem spectare debeat, 365, — quoad suspensionem, et translationem, *ibid.*, — quoad unionem, *ibid.*
LEGITIMA ætas, Vide *Professio religiosa*, § III, — Trebellianica, 365.
LEGITIMATIO prolis. Vide *Matrimonium*, § X.
LEVITÆ, 366.
LEX in genere, 366, — quoad interpretationem, 367.
LIBER, Libri, 367.
LIBERA bona. Vide *Bona ecclesiastica*, § V.
LIBERALITAS, 368.
LIBERI. Vide *Filius*.
LIBERTAS. Vide *Matrimonium*, § XI.
LIBERUS, 368.
LICENTIA, 368.
LICITATIO. Vide *Bona ecclesiastica*, § VIII.
LIGAMEN. Vide *Matrimonium*, § XLIV.

LINEA, 368.
LIS judicialis, 368, — quoad expensas, Vide *Expensæ*, § II ; *Matrimonium*, § II.
LITTERÆ apostolicæ, 368, — dimissoriales, Vide *Sacramentum Ordinis*, § VI, — quoad executionem, Vide *Exequutor*, § I, — citatoriales, 369, — patentes, *ibid.*, — testimoniales, Vide *Sacramentum*, § VI, — quoad matrimonium, Vide *Matrimonium*, § XII.
LOCA montium, 369, — sacra, *ibid.*
LOCALIS jurisdictio. Vide *Exemptio*, § III.
LOCATIO. Vide *Contractus*, § XV.
LOCUS. Vide *Matrimonium*, § XXIV; *Sacramentum Ordinis*, § XIII, — celebrationis Missæ, Vide *Anniversarium*, § V.
LOCUS pius, 369.
LONGÆVA observantia. Vide *Observantia*, § IV.
LUDI magister, 369.

M

MAGISTER, 370, — sacrarum cæremoniarum, *ibid.*
MAGISTRÆ piæ, 370.
MAGISTRATUS, 370.
MAGNUS prior. Vide *Religio militaris*, § IV.
MANDATUM procuræ, 371.
MANSIONARIA quoad qualitatem, 371.
MANSIONARIUS in genere, 371, — quoad distributiones, *ibid.*, — quoad servitium in choro et cætera onera, *ibid.*, — quoad vocem in capitulo, *ibid.*
MANUALIA beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XIX.
MARCA moneta, 372.
MARITUS quoad divortium, Vide *Matrimonium*, § VII, — quoad religionis ingressum, Vide *Matrimonium*, § XXXVII, — quoad separationem thori, Vide *Matrimonium*, § XXII.
MARGINALIS nota. Vide *Apostilla*.
MARMOR, 372.
MARTYR, 372.
MASSA fructuum ac distributionum. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § V.
MATERIA. Vide *Sacramentum Ordinis*, § VIII.
MATRIMONIA. Vide *Parochus*, § XI.
MATRIMONIALES causæ. Vide *Causæ*, § III, — dispensationes, Vide *Dispensatio a* § XII *usque ad* § XVIII.
MATRIMONIUM in genere, 372, — quoad alimenta et sumptus litis, 373, — non baptizatorum, *ibib.*, — celebratum per verba de futuro, Vide *Sponsalia*, — sub conditione contractum, 373, — quoad consensum ejusque renovationem, 375, — quoad denuntiationes, 377, — quoad divortium, 378, — quoad dotem, 379, — filiorumfamilias, seu invitis parentibus initum, *ibid.*, — quoad legitimitatem prolis, *ibid.*, — quoad libertatem, 380, — per litteras contractum, 382, — quoad locum et tempus, *ibid.*, — quoad obsequia matrimonialia, *ibid.*, — quoad mortem prioris conjugis, Vide *Matrimonium*, § XLIV, — quoad pœnam inhabilitatis ad contrahendum, 383, — quoad probationem, *ibid.*, — per procuratorem contractum, 383, — putativum, *ibid.*, — putativum quoad dispensationem, Vide *Dispensatio*, § XVIII, — ratum et non consummatum, 383, — ratum, et non consummatum, quoad dispensationem, Vide *Dispensatio*, § XVI, — quoad reintegrationem, 386, — secretum, seu conscientiæ, *ibid.*, — quoad separationem thori, 388, — quoad vinculi indissolubilitatem, 389, — quoad impedimenta in genere, 390, — quoad impedimentum ætatis, 392, — quoad impedimentum affinitas, 394, — clandestinum, seu quoad præsentiam parochi, 396, — quoad delegatos, 398, — initum coram parocho acatholico, et ubi non publicatum, vel publicatum, et haud acceptatum fuerit Concilium Tridentinum, 399, — quoad proprium parochum, seu domicilium, 405, — quoad testium præsentiam, 407, — coram vicario generali initum, *ibid.*, — quoad impedimentum cognationis spiritualis, *ibid.*, — quoad impedimentum cognationis legalis, 408, — quoad impedimentum consanguinitatis, *ibid.*, — quoad conversionem conjugatorum, 409, — quoad impedimentum criminis, 414, — quoad impedimentum cultus disparitatis, 415, — quoad impedimentum erroris, 416, — quoad impedimentum impotentiæ coeundi, 417, — quoad consummationem, 425, — quando locus est experimento triennalis cohabitationis, 426, — quando ratam dissolvitur, *ibid.*, — quoad impedimentum ligaminis, 428, — quoad impedimentum publicæ honestatis, 429, — quoad impedimentum raptus, 431, — quoad impedimentum vis et metus, 433, — quoad impedimentum voti et ordinis, 434.
MATRIX ecclesia. Vide *Ecclesia matrix*.
MEDIA annata, cui et a quo debetur, 434.
MEDICINA, 436.
MELIORATIONES, 436.
MEMORIA, 436.
MENSA Episcopalis. Vide *Episcopus*, § XXII.
MERCES, 436.
METUS in genere, 436, — in matrimoniis, Vide *Matrimonium*, § XLVII, — quoad probationem, 437, — in professione religiosa, Vide *Professio religiosa*, § XI, — in Sacramentis, Vide *Sacramentum Ordinis*, § XV.
MILES, 438.
MILITARIS ordo. Vide *Religio militaris*.
MILITIA sæcularis. Vide *Clerici*, § V.
MILITIÆ capellanus, seu vicarius. Vide *Capellanus*, § XI.
MISERICORDIA, 438.
MISSA, seu sacrificium Missæ in genere, 438, — quoad applicationem, *ibid.*, — quoad celebrationem in genere, 441, — quoad celebrationis diem et horam, 443, — quoad celebrationis locum, 444, — quoad celebrationem per se ipsum, Vide *Capellanus*, § VIII, — quoad commutationem, 445, — conventualis, 445, — quoad deletionem, 450, — quoad eleemosynam, *ibid.*, — quoad fundum, 452, — quoad numerum, *ibid.*, — parochialis, 456, — quoad reductionem, *ibid.*, — quoad ritum ac rubricas, 461, — solemnis, 462, — quoad suspensionem, *ibid.*, — quoad translationem, 463.
MISSARUM omissio quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, § I.
MITRA, 466.
MIXTA jurisdictio. Vide *Exemptio*, § II.
MODUS, 466.
MONACHUS, Monachi. Vide *Regulares*.
MONASTERIA quoad clausuram, 467, — quoad numeri præfixionem, 468, — quoad unionem, *ibid.*
MONASTERIUM monialium quoad deputatos, et administratores, 468, — monialium quoad erectionem et fundationem, 469, — monialium quoad exem-

ptionem et subjectionem, *ibid.*,—monialium quoad oblatas et puellarum receptionem, *ibid.*, — regularium, Vide *Regularium monasterium.*
MONETA marca. Vide *Marca moneta.*
MONIALES in genere, 470, — quoad confessarium, Vide *Confessarius*, § III, — quoad contractus et ultimam voluntatem, 470, — quoad dotem, *ibid.*, — quoad professionem religiosam, Vide *Professio religiosa*, — quoad scrutinium, 470, — quoad translationem, *ibid.*
MONS frumentarius, 470, — pietatis, *ibid.*
MONTIUM loca. Vide *Loca*, § I.
MONUMENTA, 471.
MORES. Vide *Clerici*, § X.
MOS, 471.
MOZZETTA, 471.
MULIER quoad matrimonium. Vide *Matrimonium, Sponsalia*, — quoad vitam religiosam, Vide *Moniales.*
MUNERA. Vide *Abbas*, § III; *Archypresbyter*, § II, *Episcopus*, § XVIII; *Examinatores*, § III; *Parochus*, § X.
MULCTA. Vide *Pœna*, § II.
MUSICA, 471.
MUTATIO. Vide *Domicilium*, § VII.
MUTUUM. Vide *Contractus*, § XVI.

N

NARRATIVA, 472.
NATALIUM illegitimitas. Vide *Matrimonium*, § X.
NECESSITAS. Vide *Sacramentum Baptismi*, § II.
NECESSITAS alienationis. Vide *Alienatio*, § V.
NEGATIVA, 472.
NEGLIGENTIA, 472.
NEGOTIATORES. Vide *Clerici*, § VI.
NEONATI, 472.
NEOPHYTI, 472.
NOBILES, Nobilitas, 473.
NOMEN, Appellatio, 473.
NOMINATIO, 473.
NOTA marginalis. Vide *Apostilla.*
NOVALIA. Vide *Bona*, § III.
NOVÆ erectionis canonici. Vide *Canonici*, § VI.
NOVATIO, 473.
NOVITIUS. Vide *Regulares*, § VIII.
NULLITAS. Vide *Acta*, § III; *Actus*, § V; *Alienatio*, § V; *Concursus*, § X; *Contractus*, § IX; *Electio*, § V; *Emphyteusis*, § XII; *Examen*, § IV; *Gratia*, § V; *Indultum pontificium*, § IV; *Professio religiosa*, § X; *Sacramenta Baptismi*, § III; *Confirmationis*, § II; *Pœnitentiæ*; *Ordinis*, § XIV; *Sponsalia*, § V; *Testamentum*, § IV; *Transactio*, § V.
NULLIUS qualitatis. Vide *Abbas*, § III; *Abbatia.*
NUMERUS. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § VII; *Legatum pium*, § XIII; *Missa*, § II; *Monasteria*, § XI; *Presbyteri*, § III.
NUNCUPATIVUM testamentum. Vide *Testamentum*, § III.
NUNTIUS Apostolicus, 474.
NUPTIÆ. Vide *Donatio*, § III; *Matrimonium.*

O

OBLATI. Vide *Regulares*, § VIII.
OBLATIONES. Vide *Emphyteusis*, § X.
OBLATIONES piæ, 474.
OBLIGATIO in genere, 474, — quoad extinctionem, *ibid.*, — quando et quomodo inducatur, 475.
OBLIGATIONES. Vide *Hæres*, § IV.
OBREPTIO. Vide *Gratia*, § V; *Indultum Pontificium*, § II.
OBSCURA, 475.
OBSEQUIA matrimonialia. Vide *Matrimonium*, § XIV.
OBSERVANTIA in genere, 475,—quando attendi nequeat, 476, — centenaria, *ibid.*, — quoad decimas, Vide *Decimæ*, § III, — diuturna et longæva, *ibid.*, — festorum dierum, Vide *Festorum dierum observantia*, — immemorabilis, 477, — ex quibus inducatur, *ibid.*, — interpretativa, *ibid.*, — regularis, Vide *Regulares*, § IX, — quoad voluntatem testatoris, Vide *Voluntas testatoris*, § III.
OBSTETRICES, 477.
OBVENTIONES. Vide *Emolumenta, Parochus*, § IX.
OCCISIO. Vide *Homicidium.*
ODIOSA conditio. Vide *Conditio*, § IV.
ŒCONOMUS, seu Administrator. Vide *Administrator.*
ŒCONOMUS curatus quoad congruam, 478,— quoad deputationem et electionem, *ibid.*, — quoad jura, 479.
OFFERENTES. Vide *Contractus*, § V.
OFFICIA, 479, — divina, *ibid.*
OFFICIALES, 479.
OFFICIUM in genere, 479, — divinum quoad commutationem, 480, — divinum quoad recitationem, *ibid.*, — divinum festi Annuntiationis B. M. Virginis, 481.
OLEUM sanctum. Vide *Sacramentum Olei sancti.*
ONUS, onera in genere, 482, — quoad commutationem, *ibid.*, — quoad implementum, vel delectionem, *ibid.*, — quoad probationem, *ibid.*, —quoad qualitatem, 483, — quoad reductionem, *ibid.*, — cui spectant, 484, — Missarum, Vide *Capellanus* §§ II, III; *Missa.*
OPERA pia. Vide *Consensus*, § III; *Fundationes, Legatum pium.*
OPPIGNERATIO, 485.
OPINIO, 485.
OPTIO. Vide *Canonici*, § VII.
ORATIO. Vide *Concio.*
ORATOR. Vide *Concionator.*
ORATORIUM, quomodo probetur an publicum vel privatum sit, 486, — privatum seu domesticum, *ibid.*, — publicum quoad constructionem, 487, — publicum quoad destructionem, *ibid.*, — publicum quoad functiones sacras, *ibid.*, — publicum quoad visitationem et subjectionem, 488.
ORDINANDORUM qualitates. Vide *Sacramentum Ordinis*, § XI.
ORDINANDUS. Vide *Sacramentum Ordinis.*
ORDINARIA jurisdictio. Vide *Episcopus*, § XI; *Exemptio*, § II.
ORDINARIUS. Vide *Abbas, Episcopus.*
ORDINATIO. Vide *Sacramentum Ordinis.*
ORDINATIONIS titulum. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXXII; *Capellania*, § XIV; *Sacramentum Ordinis*, § X.
ORDINATUS. Vide *Sacramentum Ordinis.*
ORDINES regulares, Vide *Regulares*, — sacri, Vide *Beneficiati*, § IX; *Canonici*, § XII; *Capitulum ecclesiasticum*, § XI; *Episcopus*, § VI; *Sacramentum Ordinis*, — sacri quoad ætatem, Vide *Sacramentum Ordinis*, § II.
ORDINUM collatio. Vide *Abbas*, § II; *Sacramentum Ordinis*, § IV.
ORDO militaris, Vide *Religio Militaris*, — sacer,

Vide *Matrimonium*, § XLVIII; *Sacramentum Ordinis*, — scripturæ, Vide *Scriptura*.
ORGANUM, 489.
ORIGO. Vide *Distributiones quotidianæ*, § IV; *Domicilium*, § VII.
ORIS aperitio. Vide *Aperitio oris*.
ORPHANI, 489.

P

PACTUM, 489.
PAPA. Vide *Pontifex Romanus*.
PARENTES, 489, — in matrimonio, Vide *Matrimonium*, § IX.
PAROCHIA. Vide *Ecclesia parochialis*, *Episcopus*, § XV, — quoad concursum, Vide *Concursus*, — pauper, Vide *Ecclesia parochialis*.
PAROCHIALIA jura. Vide *Jura*, § I; *Parochus*, § VII.
PAROCHIALIS ecclesia. Vide *Ecclesia parochialis*, *Episcopus*, § XV, — Missa, Vide *Missa*, § XII.
PAROCHIANI, 489.
PAROCHORUM collegium. Vide *Collegium*, § I.
PAROCHORUM congregatio, 490.
PAROCHUS quoad administrationem sacramentorum, 490, — amovibilis, 491, — quoad celebrationem et applicationem Missæ pro populo, *ibid.*, — quoad coadjutores, 493, — quoad congruam, 494, — quoad decimas, 497, — domicilii, Vide *Matrimonium*, § XXX, — quoad funera eorumque quartam, 497, — quoad jurisdictionem, potestatem et jura parochialia, *ibid.*, — quoad obventiones, emolumenta et fructus, 500, — quoad officium et onera in genere, 501, — quoad matrimonia, 502, — quoad præcedentiam, 503, — proprius seu domicilii, *ibid.*, — quoad remotionem et privationem, *ibid.*, — quoad renuntiationem, 504, — quoad residentiam et absentiam, *ibid.*, — quoad vitam et honestatem, 505.
PARTICIPANTES. Vide *Presbyteri*.
PARTICIPATIO. Vide *Presbyteri*.
PARTUS, 505.
PASCHALE præceptum. Vide *Præceptum paschale*.
PASSIVA vocatio. Vide *Juspatronatus*, § II.
PASTOR, Pastores, 505.
PATENTES litteræ. Vide *Litteræ*, § III.
PATER, 506.
PATRIMONIALIA bona. Vide *Bona*, § IV.
PATRIMONIUM clericorum, 506.
PATRONUS in genere, 508, — quoad alimenta, *ibid.*, — quoad jus nominandi, præsentandi et tempus illud exercendi, 509, — quoad jura et potestatem, 510, — quoad onera, 511.
PAUPER, 512.
PAUPERTAS, 513.
PECUNIA, 513.
PENSIO. Vide *Emphyteusis*, § III.
PENSIO ecclesiastica quando amittatur vel extinguatur, 513, — ecclesiastica quoad capacitatem eam assequendi et retinendi, *ibid.*, — ecclesiastica quoad reservationem et augmentum, 514.
PENSIONARIUS quoad onera, 514.
PERITUS, 514.
PERMUTATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XVI; *Bona ecclesiastica*, § IX.
PERPETUA beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XIX.
PERPETUA vicaria. Vide *Vicaria perpetua*.
PERSONÆ ecclesiasticæ. Vide *Clerici*.
PERSONALIS jurisdictio. Vide *Exemptio*, § II.
PERTINENTIA. Vide *Administratio*, § II; *Decimæ*, §§ IV *et* V; *Distributiones quotidianæ*, § III; *Electio*, § II; *Fructus*, § IV; *Juspatronatus*, §§ IX *et* XII; *Legatum pium*, § XXII; *Onus*, *onera*, § VII.
PIA causa. Vide *Causa pia*.
PIA onera. Vide *Fundationes*, *Legatum pium*.
PIÆ dispositiones. Vide *Episcopus*, § VIII.
PIÆ magistræ. Vide *Magistræ piæ*.
PIÆ oblationes. Vide *Oblationes piæ*.
PIANA constitutio. Vide *Census*, § IV.
PIUM legatum. Vide *Legatum pium*.
PIETATIS mons. Vide *Mons*, § II.
PLACITUM, 515.
PLURALITAS beneficiorum. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § VIII.
PLURALITAS beneficiorum quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § XIX.
PŒNA in genere, 515, — seu mulcta, *ibid.*, — ecclesiastica, Vide *Censuræ*, — ecclesiastica quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, § IV.
PŒNÆ inhabilitatis. Vide *Matrimonium*, § XV.
PŒNITENTIÆ Sacramentum. Vide *Sacramentum Pœnitentiæ*.
PŒNITENTIARIÆ præbendæ. Vide *Canonicatus*, § VII.
PŒNITENTIARIA Sacra, 516, — canonicus. Vide *Canonicus*, § VI.
PONTIFEX Romanus, 516.
PONTIFICALIA. Vide *Episcopus*, § X.
PONTIFICIS Romani bulla. Vide *Bulla Pontificis Romani*.
PONTIFICIUM indultum. Vide *Indultum Pontificium*.
POPULUS, 517.
PORTIONARIUS quoad jura et vocem in capitulo, 517, — quoad onera, *ibid.*
POSITIONES, 518.
POSSESSIO, 518.
POTENTIA. Vide *Consuetudo*, § II.
POTESTAS in genere. Vide *Abbas*, § III; *Administrator*, § IV; *Archidiaconus*, § II; *Archipresbyter*, § II; *Canonici*, § IV; *Capellanus*, § VI; *Capitulum ecclesiasticum*, § IV; *Confessarius*, § IV; *Episcopus*, § XVIII; *Hæres*, § III; *Parochus*, § VIII; *Rector*, § II; *Regulares*, § VII; *Sodalitium*, § V; *Vicarius capitularis*, § II; *Vicarius curatus*, § III.
POTESTAS absolvendi a censuris. Vide *Episcopus*, § XVI.
POTESTAS dispensandi ab irregularitate. Vide *Episcopus*, § XVI.
POTESTATIVA conditio. Vide *Conditio*, § V.
PRÆBENDA. Vide *Beneficia ecclesiastica*, *Canonicatus*.
PRÆBENDA pœnitentiaria. Vide *Canonicus*, § VII.
PRÆBENDA theologalis. Vide *Canonicatus*, § VIII.
PRÆBENDATI. Vide *Beneficiati*, *Canonici*, *etc.*
PRÆCEDENTIA, 519.
PRÆCEPTUM paschale, 519.
PRÆDICATIO. Vide *Concio*.
PRÆDICATOR. Vide *Concionator*.
PRÆDILECTIO. Vide *Testator*, § II.
PRÆDIUM. Vide *Bona*.
PRÆEMINENTIA, 520.
PRÆJUDICIUM, 521.
PRÆLATIO, 521.
PRÆLATURA, 522.

PRÆLATUS, 522, — inferior, *ibid.*, — referendarius, 523.
PRÆMIUM, 523.
PRÆPOSITURA dignitas ecclesiastica, 523.
PRÆPOSITUS quoad distributiones, 524, — quoad jura et præcedentiam et capituli convocationem, *ibid.*, quoad onera, *ibid.*, — quoad residentiam et absentiam, *ibid.*
PRÆSCRIPTIO, 525.
PRÆSCRIPTIVA consuetudo. Vide *Consuetudo*, § VII.
PRÆSENTATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XVIII; *Canonicatus*, § VI; *Capellania*, § VIII; *Juspatronatus*, § VII.
PRÆSENTIA parochi in matrimonio. Vide *Matrimonium*, §§ XXVII, XXVIII, XXIX, XXX.
PRÆSENTIA testium in matrimonio. Vide *Matrimonium*, § XXXI.
PRÆLATIO. Vide *Alimenta*, §§ III, IV, V; *Decimæ*, §§ IV, V; *Eleemosynæ*; § III; *Legatum pium*, § XXI.
PRÆSUMPTIO, 525.
PRAVA consuetudo. Vide *Consuetudo*, § IX.
PRECES, 526.
PRECES primariæ imperiales, Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXIV.
PRESBYTER simplex, 526.
PRESBYTERI quoad admissionem et participationem, 527, — participantes quoad fructus et distributiones, *ibid.*, — participantes quoad numerum, *ibid.*, — participantes quoad onera, 528.
PRIMARIÆ preces imperiales. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXIV.
PRIMATES, 528.
PRIMITIÆ, 528.
PRIMOGENITURA, 528.
PRINCEPS, 528.
PRIOR, 528.
PRIOR magnus. Vide *Religio militaris*, § IV.
PRIORATUS, 529.
PRIVATI oratorii indultum. Vide *Indultum*, § V.
PRIVATIO. Vide *Administrator*, § VII; *Beneficia ecclesiastico*, § XXV; *Canonicatus*, § IX, *Capellania*, § X, *Parochus*, § XIV; *Privilegium*, § II.
PRIVATIVA, 529.
PRIVATUM oratorium. Vide *Oratorium*, § II.
PRIVILEGIA. Vide *Decimæ*, § VII; *Regulares*, § XI.
PRIVILEGIA particularia, 529.
PRIVILEGIA in genere, 529, — quoad confirmationem, derogationem vel privationem, *ibid.*, — quoad interpretationem et commutationem, 530.
PRIVILEGIUM Cruciatæ, 530, — fori, *ibid.*
PROBATIO, probationes, 530.
PROCESSIO, 531.
PROCESSIO funebris. Vide *Cadaver*, § II.
PROCESSUS, 532.
PROCURATIO. Vide *Episcopus*, § XX.
PROCURÆ mandatum. Vide *Mandatum procuræ*.
PROCURATOR. Vide *Matrimonium*, § XVII.
PROCURATORES, 533.
PRO-DATARIUS, 533.
PROFANATIO. Vide *Ecclesia in genere*, § V.
PROFESSIO fidei, 533.
PROFESSIO religiosa in genere, 533,—quoad admissionem, *ib.*,—ante legitimam ætatem emissa, *ibid.*, —quoad beneficium restitutionis in integrum, 537, — quoad consensum profitentis et recipientis, 538, — contra peculiares ordinum constitutiones emissa, *ibid.*, — quoad emissionem et ratihabitionem, 539, — quoad tirocinium et annum probationis, 542, — simulata, 544,— quoad validitatem, vel nullitatem in genere, *ibid.*, — quoad vim et metum, 545.
PROHIBITIO alienationis. Vide *Alienationis prohibitio*.
PROLIS legitimitas. Vide *Matrimonium*, § X.
PROMISSIO, 549.
PROMOVENDUS. Vide *Sacramentum Ordinis*, § XI.
PROMULGATIO. Vide *Concilium Tridentinum*, § I.
PRO-PAROCHUS, 549.
PROPRIUS parochus. Vide *Matrimonium*, § XXX; *Parochus*, § XI.
PROROGATIO. Vide *Gratia*, § IV; *Indultum Pontificium*. § III.
PROTESTATIO, 549.
PROTONOTARIORUM apostolicorum collegium. Vide *Collegium*, § II.
PRO-VICARIUS, 549.
PROVISIO. Vide *Ecclesia parochialis*, § I.
PROVOCATIO. Vide *Concursus*, § III.
PUBLICA honestas, quoad impedimentum, Vide *Matrimonium*, § XLV; quoad dispensationem, Vide *Dispensatio*, § XVII.
PUBLICATIO, 549.
PUBLICUM, 550,— oratorium, Vide *Oratorium*, §§ III, IV, V, VI.
PUELLA, 550.
PUELLARUM receptio. Vide *Monasterium*, § IV.
PUER, 550.
PURGATIO attentatorum. Vide *Attentata*.
PURGATORIUM, 550.
PUTATIVUM matrimonium. Vide *Matrimonium*, § XVIII.

Q

QUÆSITUM jus. Vide *Jus*, § V.
QUALIFICATUS, 550.
QUALITAS in genere, 550.
QUALITAS nullius diœcesis, Vide *Abbas*, § V; *Abbatia*.
QUALITATES ordinandorum. Vide *Sacramentum Ordinis*, § XI.
QUANTITAS. Vide *Alimenta*, § V; *Subsidium dotale*, § X.
QUARTA decimarum. Vide *Episcopus*. § XXI.
QUARTA funerum quoad exemptionem, 551,— quoad probationem, 552, — a quibus, de quibus solvi debent, 553.
QUARTA, seu portio canonica. Vide *Episcopus*, § XVII.
QUOTIDIANÆ distributiones. Vide *Distributiones quotidianæ*.

R

RAPTORES, 555.
RAPTUS. Vide *Matrimonium*, § XLVI.
RATIHABITIO. Vide *Professio religiosa*, § VII; *Sacramentum Ordinis*, § XII; *Sponsalia*, § IV.
RATIO, 555.
RATIONABILIS consuetudo. Vide *Consuetudo*, § XI.
RATIONUM redditio. Vide *Administrator*, § VI; *Redditio rationum*.
RATUM et non consummatum matrimonium. Vide

Matrimonium, § XIX, — quoad dispensationem, Vide *Dispensatio*, § XVI.
REÆDIFICATIO. Vide *Ecclesia parochialis*, § IV.
RECEPTIO. Vide *Concilium Tridentinum*, § II; *Matrimonium*, § IV; *Sodalium*, § VIII.
RECEPTITIA ecclesia. Vide *Ecclesia receptitia*.
RECITATIO. Vide *Officium divinum*, § III.
RECTOR seu administrator. Vide *Administrator*.
RECTOR beneficii, Vide *Beneficiatus*, — capellaniæ, Vide *Capellanus*, — quoad electionem, 555, — quoad jura et potestatem, *ibid.*, — quoad onera, 556, — parochiæ, Vide *Archipresbyter*, *Parochus*, *Præpositus*.
RECTORES. Vide *Episcopus*, § XV.
REDDITIO rationum, 556.
REDINTEGRATIO, 556.
REDITUS. Vide *Archidiaconus*, § III; *Beneficiatus*, § IV; *Canonici*, § III; *Capellanus*, § V; *Capitulum ecclesiasticum*, § V; *Census*, § III; *Emphyteusis*, § V; *Episcopus*, § XXII; *Legatum pium*, § IX; *Parochus*, § IX; *Presbyteri*, § II.
REDUCTIO. Vide *Anniversariorum*, *Reductio*, *Canonicatus*, § X; *Capellania*, § IX; *Legatum pium*, § XVIII; *Missa*, § XIII; *Onus*, *Onera*, § VI.
REFECTIO. Vide *Damna*.
REFERENDARIUS prælatus. Vide *Prælatus*, § III.
REGIMEN. Vide *Seminarium*, § IV.
REGRESSUS. Vide *Regulares*, § V.
REGULARES quoad bona renuntiata, 556, — quoad capacitatem assequendi beneficia, 557, — quoad capitulares resolutiones, *ibid.*, — quoad conversos, *ibid.*, — quoad ejectionem et regressum in religionem, 558, — quoad judicem conservatorum, *ibid.*, — quoad jura et potestatem, 559, — quoad novitios oblatos, 560, — quoad observentiam regularem, *ibid.*, — quoad onera, *ibid.*, — quoad privilegia, 561, — quoad professionem religiosam, Vide *Professio religiosa*, — quoad syndicum, 562, — quoad testamentum, *ibid.*, — quoad vota in genere, *ibid.*, — quoad votum paupertatis, *ibid.*, — quoad votum perseverantiæ, 563, — in specie, *ibid.*
REGULARIA beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXVIII.
REGULARIS canonicus. Vide *Canonicus*, § VII.
REGULARIUM monasterium quoad exemptionem, 563, — quoad fundationem, 564, — quoad suppressionem, *ibid.*, — tertiariæ, Vide *Tertiæ regularium*.
REINTEGRATIO. Vide *Redintegratio*.
REITERATIO. Vide *Sacramentum Baptismi*, § III.
RELATIO, Relationes, 564.
RELIGIO militaris ordinis Hierosolymitani quoad beneficia, 564, — quoad equites et capellanos, *ibid.*, — quoad familiares, 565, — quoad magnos priores, bajulivos et commendatores, *ibid.*, — Crucesignatorum, 566.
RELIGIOSA professio. Vide *Professio religiosa*.
RELIGIOSUS, religiosi. Vide *Regularis*, *Regulares*.
REMISSIO. Vide *Hæreditas*, § V.
REMOTIO. Vide *Administrator*, § VII; *Beneficiati*, § VII; *Parochus*, § XIV; *Vicarius capitularis*, § III; *Vicarius curatus*, § VI.
RENOVATIO. Vide *Emphyteusis*, § XI, — consensus, Vide *Matrimonium*, § V.
RENUNTIATIO, 566.
REPARATIO. Vide *Bona ecclesiastica*, § X; *Ecclesia in genere*, § IV; *Ecclesia cathedralis*, § I.
REPETITIO, 566.
REPROBATIO. Vide *Consuetudo*, § XI.
REPUDIATIO. Vide *Hæreditas*, § V.
REPUDIUM. Vide *Matrimonium*, § VII.
RESCISSIO. Vide *Contractus*, § VI; *Transactio*, § IV.
RESCRIPTUM, 567.
RES ecclesiasticæ. Vide *Bona ecclesiastica*.
RESERVATIO, 567.
RESERVATIONES Apostolicæ, 567.
RESIDENTIA, 567, — quoad indultum abessendi, Vide *Dispensatio*, § IV.
RESIDENTIALIA beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXIX.
RESIGNATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXVI.
RESIGNATARIUS, 568.
RES judicata, 568.
RESOLUTIO. Vide *Contractus*, § VI.
RESOLUTIONES capitulares. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § X, — S. Congr. Concilii, Vide *Decretum*, § II.
RESTAURATIO. Vide *Ecclesia parochialis*, § IV.
RESTITUTIO, 569, — in integrum, *ibid.*
RETENTIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § V; *Fons baptismalis*, § III; *Legatum pium*, § VI; *Sacramentum Eucharistiæ*, § III, — beneficii quoad indultum, Vide *Dispensatio*, § V.
RETROTRACTIO. Vide *Contractus*, § VII.
REVERSIO. Vide *Subsidium dotale*, § XI.
REVOCATIO. Vide *Donatio*, § II; *Privilegium*, § II; *Testamentum*, § V.
RITUS. Vide *Anniversarium*, § III; *Missa*, § XIV.
ROCCHETTUS, 570.
ROMANÆ ecclesiæ cardinalis. Vide *Cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ*.
ROMANI cleri statutum. Vide *Statutum Romani cleri*, — pontificis bulla, Vide *Bulla Romani Pontificis*.
ROMANUM concilium. Vide *Concilium Romanum*.
ROMANUS Pontifex. Vide *Pontifex Romanus*.
RUBRICÆ. Vide *Missa*, § XIV.

S

SACELLUM. Vide *Capella*, *Oratorium*.
SACERDOS, sacerdotes. Vide *Presbyter*, *Presbyteri*.
SACERDOTALIA beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXVII.
SACERDOTALIS capellania. Vide *Capellania*, § XIII.
SACRA Congregatio Concilii Tridentini, Vide *Congregatio*, § II.
SACRA loca, Vide *Loca*, § II.
SACRA Pœnitentiaria, Vide *Pœnitentiaria sacra*.
SACRÆ Congregationis Concilii decretum. Vide *Decretum*, § II.
SACRÆ imagines, 570.
SACRÆ visitationis decretum, Vide *Decretum*, § III.
SACRAMENTUM Baptismi quoad collationem, 570, — quoad necessitatem, 571, — quoad probationem, validitatem, nullitatem et iterationem, *ibid.*
SACRAMENTUM Confirmationis quoad collationem, 573, — quoad validitatem, et nullitatem, 575.
SACRAMENTUM Eucharistiæ quoad administrationem, 575, — quoad associationem et delationem, *ibid.*, — quoad expositionem, asservationem et facultatem illud retinendi, 576.
SACRAMENTUM Pœnitentiæ quoad administrationem, validitatem et nullitatem, 576.
SACRAMENTUM Olei sancti, 577.
SACRAMENTUM Ordinis in genere, 578, — quoad

ætatem, *ibid.*, — quoad exercitium, 579, — quoad intentionem collatoris, *ibid.*, — quoad interstitia, 580, — quoad litteras dimissoriales, seu domicilium et subjectionem sui Ordinarii, *ibid.*, — quoad litteras testimoniales, 582, — quoad materiam, 583, — quoad ordinatos furtive, vel per saltum acceptum, *ibid.*, — quoad ordinandum cum titulo vel sine titulo ordinationis, 584, — quoad qualitates ordinandorum, 585, — quoad potestatem conferendi, Vide *Abbas*, § II, — quoad ratihabitionem, 586, — quoad tempus et locum, *ibid.*, — quoad validitatem et nullitatem in genere, 587, — quoad vim et metum, *ibid.*, — quoad votum continentiæ, 588.

SACRAMENTORUM administratio, Vide *Parochus*, § I, — reiteratio, Vide *Sacramentum Baptismi*, § III.

SACRARUM cæremoniarum magister. Vide *Magister*, § II.

SACRI canones. Vide *Canones sacri; Beneficiati*, § IX; *Canonici*, § XII; *Capitulum ecclesiasticum*, § XI; *Episcopus*, § VI; *Sacramentum Ordinis.*

SACRIFICIUM missæ. Vide *Missæ sacrificium, Missa.*

SALTUS quoad ordines. Vide *Sacramentum Ordinis*, § IX.

SANATIO, 588.

SANCTÆ Romanæ Ecclesiæ cardinalis. Vide *Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

SANCTI PETRI fabrica. Vide *Fabrica sancti Petri.*

SANGUINIS jura. Vide *Jura*, § II.

SATISDATIO. Vide *Administrator*, § I.

SCAMNA. Vide *Sedilia.*

SCHEDULA. Vide *Testamentum*, § III.

SCHOLA, Scholastici, 589.

SCRIPTURA, Scripturæ, 589.

SCRIPTURA sacra, 589.

SCRUTATORES. Vide *Electio*, § VI.

SCRUTINIUM. Vide *Moniales*, § IV.

SECRETUM seu Conscientiæ matrimonium. Vide *Matrimonium*, § XXI.

SECULARIA beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXVIII.

SECULARIS militia. Vide *Clerici*, § V.

SEDE vacante, 589.

SEDILIA, Scamna, 590.

SEMINARIUM quoad alumnos, 590, — quoad erectionem et fundationem, *ibid.*, — quoad institutionem, 591, — quoad regimen, *ibid.*, — quoad taxam, *ibid.*

SENECTUS, 593.

SENILIS ætas. Vide *Ætas*, § II.

SENIOR canonicus. Vide *Canonicus*, § VIII.

SENTENTIA, 594.

SEPARATIO. Vide *Bona ecclesiastica*, § III.

SEPARATIO thori. Vide *Matrimonium*, § XXII.

SEPELIENDI jus. Vide *Ecclesia in genere*, § III.

SEPULTURA quoad constructionem, 594, — quoad electionem, *ibid.*, — quoad retentionem, 596.

SERVANDA consuetudo. Vide *Consuetudo*, § XI.

SERVITIUM chori, 596, — quoad indultum absentandi, Vide *Dispensatio*, § III.

SERVITUS, 597.

SERVUS Dei, 597.

SEVERITAS, 597.

SIMONIA quoad probationem, 577.

SIMONIACI, 601

SIMPLEX capellania. Vide *Capellania*, § XIII.

SIMPLEX presbyter. Vide *Presbyter simplex.*

SIMPLICIA beneficia. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXIX.

SIMULATA professio. Vide *Professio religiosa*, § IX.

SIMULATIO, Fictio, 601.

SITUATIO. Vide *Ecclesia parochialis*, § II.

SOCIETAS. Vide *Sodalitium.*

SOCIETAS ecclesiasticorum, 601.

SODALES. Vide *Sodalitium*, § VIII.

SODALITIUM quoad aggregationem, 601, — quoad comitia, 602, — quoad congregationes, *ibid.*, — quoad erectionem, 603, — quoad jura et potestatem, 604, — quoad officiales, *ibid*, — quoad onera, 605, — quoad sodalium receptionem et expulsionem, *ibid.*, — quoad statuta et resolutiones, *ibid.*, — quoad translationem et unionem, 606.

SOLEMNIS Missa. Vide *Missa*, § XV.

SOLEMNITAS, 606, — quoad alienationem bonorum Ecclesiæ, Vide *Alienatio*, § III.

SOLIDUS, 606.

SOLITARIUS. Vide *Eremita.*

SOLUTIO, 606.

SOROR, 607.

SPECIALIS conditio. Vide *Conditio*, § III.

SPECIALIS consuetudo. Vide *Consuetudo*, § XII.

SPECIALIS dictio. Vide *Dictio*, § II.

SPIRITUALES causæ. Vide *Causæ*, § IV.

SPIRITUALIS cognatio. Vide *Matrimonium*, § XXXIV.

SPOLIUM ecclesiasticum, 607.

SPONSALIA in genere, 608, — ex quibus dissolvi, *ibid.*, — quoad probationem, 611, — quoad ratihabitionem, *ibid.*, — quoad validitatem et nullitatem, *ibid.*

SPONSUS, sponsa. Vide *Sponsalia.*

STALLUM in choro. Vide *Beneficiati*, § XI; *Canonici*, § XIV; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV.

STATUS, 613, — ultimus. Vide *Ultimus status.*

STATUTA. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § XIII; *Sodalitium*, § IX.

STATUTUM, statuta, 613.

STATUTUM cleri Romani, 613.

STEMMA gentilitium. 614.

STIPENDIUM, 614.

STOLA quoad delationem, 614.

STRENA. Vide *Episcopus*, § XXIV.

STUDIA, 614.

STUDIORUM causa absentia. Vide *Absentia studiorum causa.*

STUDIORUM universitas. Vide *Universitas studiorum.*

STUPRATOR, Stuprum, 614.

SUBDELEGATUS, 615.

SUBDIACONUS. Vide *Sacramentum Ordinis.*

SUBDITUS, 615.

SUBJECTIO, 615.

SUBREPTIO. Vide *Gratia*, § V; *Indultum pontificium*, § IV.

SUBROGATIO. Vide *Bona ecclesiastica*, § IX; *Ecclesia parochialia*, § VI; *Examinatores*, § II; *Subsidium dotale*, § XII.

SUBSIDIUM charitativum. Vide *Episcopus*, § XXV.

SUBSIDIUM dotale in genere, 615, — quoad caducitatem, 616, — quoad commutationem, *ibid.*, — quoad consecrationem, *ibid.*, — quoad cumulum, 617, — quoad deletionem, *ibid.*, — quoad distributionem, *ibid.*, — quoad jus puellas nominandi, 619, — quoad prælationem, *ibid.*, — quoad quantitatem, 621, — quoad reversionem et restitutionem, 622, — quoad subrogationem, 623, — quoad suspensionem, *ibid*, — quoad vocationem, *ibid.*

SUBSTITUTIO. Vide *Hæres*, II.

SUBSTITUTIO seu subrogatio, 624.

SUBURBIA, 625.
SUBCESSIO, 625.
SUCCESSIONIS jus. Vide *Jus*, § II.
SUCCESSORES, 625.
SUFFRAGIA. Vide *Beneficiati*, § XI ; *Capitulum ecclesiasticum*, § XV ; *Mansionarius*, § IV.
SUFFRAGIUM, 625.
SUMPTUS in genere, Vide *Expensæ*, § I, — litis, Vide *Expensæ*, § II ; *Matrimonium*, § II.
SUPELLECTILIA, 626.
SUPPLICATIO. Vide *Processio*.
SUPPRESSIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXXI ; *Canonicatus*, § XIII ; *Ecclesia parochialis*, § VI ; *Regularium monasterium*, § III.
SUPRANUMERARIUS canonicus. Vide *Canonicus*, § IV.
SUSPENSIO. Vide *Beneficia eccl.*, § XXXIII ; *Legatum pium*, § XXIII ; *Missa*, § XVI ; *Subsidium dotale*, § XIII.
SUSPENSIONIS censura. Vide *Censura*, § III, — censura quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, § V.
SUSPENSIVA appellatio. Vide *Appellatio*, § III.
SUSPENSUS. Vide *Sacramentum Ordinis*.
SYNDICUS. Vide *Regulares*, § XII.
SYNODALE decretum. Vide *Secretum*, § III.
SYNODALES constitutiones. Vide *Constitutiones synodales*.
SYNODALES examinatores. Vide *Examinatores synodales*.
SYNODATICUM. Vide *Episcopus*, § III.
SYNODUS diœcesana quoad convocationem, 626, — quoad constitutiones, 627, — quoad validitatem, *ibid.*

T

TAXA in genere, 627, — Innocentiana, *ibid.*, — seminarii, Vide *Seminarium*, § V.
TAXATIO, 628, — alimentorum. Vide *Alimenta*, § V.
TEMPLUM. Vide *Ecclesia, Oratoriorum*.
TEMPUS. Vide *Ecclesia*, § III ; *Matrimonium*, § XII ; *Sacramentum Ordinis*, § III.
TERMINUS. Vide *Concursus*, § IX.
TERRITORIUM, 628.
TERTIARII, Tertiariæ regularium, 628.
TESTAMENTARIA dispositio. Vide *Dispositio testamentaria, Episcopus*, § VII, *Exequutor*, § II ; *Regulares*, § XIII ; *Testamentum*.
TESTAMENTUM quoad exequutionem. Vide *Exequutor*, § II.
TESTAMENTUM quoad facultatem testandi, 629, — quoad interpretationem et declarationem, *ibid.*, — nuncupativum, nuncupatione implicita, et per relationem ad schedulam, 630, — quoad probationem, solemnitates et validitatem, vel nullitatem, *ibid.*, — quoad ejus revocationem, 631.
TESTATOR in genere, 632, — quos censetur prædilexisse, *ibid.*
TESTATORIS voluntas. Vide *Voluntas testatoris*.
TESTIMONIALES litteræ. Vide *Sacramentum Ordinis*, § VII.
TESTIMONIUM, 632.
TESTIS de auditu, 633, — de facto proprio deponens, *ibid.*, — quoad juramentum, *ibid.*, — quis esse possit necne, *ibid.*, — quando probat necne, 934, — de visu, *ibid.*
TESTIUM præsentia. Vide *Matrimonium*, § XXXI.
THEOLOGALIS canonicus, Vide *Canonicus*, § IX, — præbenda, Vide *Canonicatus*, § VIII.
THESAURARII dignitas, 635.
THORUS quoad separationem. Vide *Matrimonium*, § XXII.
TINTINNABULUM, 635.
TITULUS, 635, — ordinationis, Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XXXII ; *Capellania*, § XIV ; *Patrimonium clericorum, Sacramentum Ordinis*, § X.
TRANSACTIO in genere, 635, — quoad approbationem et beneplacitum Apostolicum, 636, — quoad exequutionem, *ibid.*, — quoad rescissionem, *ibid.*, — quando dicatur valida necne, 637, — quoad utilitatem et justitiam, 638.
TRANSLATIO, 638.
TRANSMISSIO. Vide *Hæres*, § II.
TRANSPORTATIO. Vide *Acta*, § II.
TREBELLIANICA. Vide *Legitima*.
TRIBUNALIA, 638.
TRIDENTINI Concilii Congregatio. Vide *Congregatio*, § II.
TRIDENTINUM Concilium. Vide *Concilium Tridentinum*.
TRIENNALIS cohabitatio. Vide *Matrimonium*, § XLII.
TRIREMES. Vide *Damnati ad triremes*.
TURPIS conditio. Vide *Conditio*, § IV.
TYROCINIUM. Vide *Professio religiosa*, § VIII.

U

UFFUGUM, 639.
ULTIMA voluntas. Vide *Moniales*, § II ; *Testamentum*.
ULTIMUS status, 639.
UNCTIO extrema. vide *Sacramenti Olei sancti*.
UNIO. Vide *Applicatio, Beneficia ecclesiastica*, § XXXV ; *Capellania*, § IX ; *Ecclesia cathedralis*, § IV ; *Ecclesia parochialis*, § VIII ; *Legatum pium*, § XXIV ; *Monasteria*, § III.
UNIVERSITAS studiorum, 639.
USURA, 640.
UTENSILIA, 640.
UTILITAS. Vide *Alienatio*, § V ; *Transactio*, § VI.
UXOR. Vide *Matrimonium*.

V

VACANTE Sede Apostolica, Vide *Sede Apostolica vacante*, — sede episcopali, Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § XII.
VACATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § XIV ; *Canonicatus*, § XIV.
VACATIONES, 641.
VAGUS, Vagi, 642.
VALIDITAS, Vide *Acta*, § III ; *Actus*, § V ; *Alienatio*, § IV ; *Concursus*, § X ; *Contractus*, § IX ; *Electio*, § V ; *Emphyteusis*, § XII ; *Examen* § IV ; *Gratia*, § V ; *Indultum Pontificium* § IV ; *Legatum pium*, § XV ; *Professio religiosa*, § X ; *Sacramentum Baptismi*, § III ; *Sacramentum Confirmationis*, § II ; *Sacramentum Pœnitentiæ*, § II ; *Sacramentum Ordinis*, § XIV ; *Sponsalia*, § V ; *Synodus diœcesana*, § III ; *Testamentum*, § IV ; *Translatio*, § V.
VALOR Vide *Bona*, § VI.
VARIATIO. Vide *Voluntas testatoris*, § VII.

VECTIGAL, 643.
VENATORES. Vide *Clerici*, § VIII.
VENUSINUS comitatus, Vide *Comitatus Venusinus.*
VENDITIO et emptio. Vide *Census*, § IV; *Contractus*, § XII.
VERBUM, Verba in genere, 643, — in specie, *ibid.*
VESTIS. Vide *Clerici*, § IX.
VETERIS erectionis canonici. Vide *Canonici*, § VI.
VIATICUM. Vide *Sacramentum Eucharistiæ*, § I.
VICARIA perpetua quoad erectionem, 646.
VICARIUS capitularis quoad electionem et deputationem, 646, — quoad jura et potestatem, 647, — quoad remotionem, *ibid.*
VICARIUS curatus quoad congruam et stipendium, 647, — quoad electionem et deputationem, 649, — quoad jura et potestatem, 651, — quoad Missam pro populo, *ibid.*, — quoad onera in genere, — *ibid.*, quoad remotionem, *ibid.*, — exercitus. Vide *Capellanus*, § XII.
VICARIUS foraneus, 652.
VICARIUS generalis Episcopi, 651, — quoad præsentiam in matrimonio, Vide *Matrimonium*, § XXXII.
VINCULUM, 652, — indissolubilitatis. Vide *Matrimonium*, § XXIII.
VIOLENTIA, 652.
VISITATIO, 652,— quoad episcopum, Vide *Episcopus*, § XXVI, — inferiorum prælatorum, Vide *Abbas*, § III, — locorum ac personarum regularium exemptorum, vel nullius diœcesis, Vide *Episcopus*, § XXVI, — monialium, Vide *Monasterium monialium*, § III, — quoad procurationem, Vide *Episcopus*, § XX.
VISITATIONIS sacræ decretum. Vide *Decretum*, § III.
VISITATOR Apostolicus, 653.
VISUS. Vide *Testis*, § VI.
VITA. Vide *Clerici*, § X; *Parochus*, § XVII.
VITIUM, 653.
VOCATIO, 653.
VOLUNTARIA conditio. Vide *Conditio*, § V.
VOLUNTARII actus. Vide *Actus*, § II.
VOLUNTARIUM, 654.
VOLUNTAS testatoris in genere, 654, — quoad commutationem, 655, — ex quibus deducatur, et quemodo intelligenda et observanda, 659, — quoad declarationem et interpretationem, 660, — quoad derogationem, 661, — quoad implementum, et exequutionem, *ibid.*, — quoad derogationem, 664.
VOTA in genere. Vide *Regulares*, § XIV.
VOTUM in genere, 664, — contientiæ, *ibid.*, — continentiæ quoad dispensationem, Vide *Dispensatio*, § XX, — paupertatis, Vide *Regulares*, § XV, — perseverantiæ, Vide *Regulares*, § XVI.
VOX in capitulo. Vide *Beneficiati*, § XI; *Canonici*, § XVI; *Capitulum ecclesiasticum*, § XV; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV; *Mansionarius*, § IV; *Portionarius*, § I.

X

XENIA. Vide *Episcopus*, § XXIV.
XENODOCHII capellanus. Vide *Capellanus*, § XIII.
XENODOCHIUM, 665.

Atrebati. — Ex Typis et Stereotypis Rousseau-Leroy, via vulgo dicta des Onze-Mille-Vierges.

949